Chronicon
proclarum et adeo rarum
rerum Polonicarum
Salamonis Neugebaueri a Canado

Ex Bibliotheca
Caroli Brüstlenski

WBP
Opole
689 II

ILLVSTRIB

AC GENEROSISSIMIS DD. IOANNI ET ANDREÆ FIRLEIIS DD. DOMBROWICZA, FRATRIBVS GERMANIS, hæredibus in Koczko, VVoycza, Kozin, Holuby, Osmiehovvicze, Orla & Poczaiovv, &c.

Vitam ac felicitatem

SALOMON NEVGEBAVER A CADANO.

SI quid est, ad quod tacito quodam naturæ impetu homines ferimur, est certa rerum cognitio, cuius desiderium omnibus (quemadmodum ex Philosopho Tullius confirmat) quibus sanior paulo mens, innatum. Illa etenim est, cuius causa mortalium genus conditum, & in amplissimi huius mundi, velut cultissimi atque instructissimi latifundij possessionem missum, & qua à brutis discriminatur. Est autem cognitio pro rerum subiectarum ratione variarum varia, sed quæ commode possit ad tria summa capita reuocari, diuinum, naturale, atque humanum. Diuinum Dei præpotentis ac beatorum angelorum consortium complectitur. Naturale res naturales, earumque causas à primo & summo Principio Deo dependentes continet. Humanum hominis naturam actionesque eius, communicationem societatemque colentis comprehendit. Atque horum quidem omnium cognitio Historia dicta est, magis tamen proprie nomen id ad ea, quæ sub sensum cadunt, est accommodatum. Nam deductum videtur ἀπὸ τῦ ἱστάσθαι τὰ ὁρώμενα, quasi dicas ocularem cognitionem ac demonstrationem rerum, quæ sensibus sunt expositæ, cuiusmodi sunt res naturales, omnesque earum proprietates actionesque, quas historia obseruat. Verum quia hominis actiones morales omnium sunt perfectissimæ, eam ob rem earum commentatio & obseruatio absolute atque eximie historiæ appellationem sibi vendicat, quæ singularum actionum exempla, quæ nostra, superiorique ætate euenerunt, quorum præcepta moralis Philosophia vniuersalia tradit, notat. Quo nomine iucundior est eorum lectio, quæ historiarum monumentis sunt consecrata, vbi res communisque vitæ euenta ita viuis colorum lineamentis depinguntur, vt quasi in rem præsentem

historia infinitis suauitatis illecebris in sui amorem
piltro omnes pellicit. Quam humaniorum artium præceptiones,
quæ iuuentuti proponi consueuerunt, sunt molestæ quandam difficultatem
suæ nauseam parientes? Pulcerrima sunt mathematum studia, à quarum tamen exactiore cognitione multi rei grauitate absterrentur, atque adeo Philosophia tota plurimorum calumnias atque criminationes subire cogitur. Historiæ contra tanta est suauitas, tanta iucunditas, oblectatio tanta, vt omnis humanitatis expertem esse oporteat, qui eam aliquo modo saltem auersetur. Quod si tanto sciendi amore homines tenentur, vt fabellæ ac confictæ narratiunculæ ipsis sint oblectamento, quod ad veras narrationes similitudine quadam accedere videantur, quanto putandum est maiorem hauriri voluptatem, cum ea narrantur, quæ vere acciderunt? & ita narrantur, non quasi iamdudum accidissent, sed quasi iam acciderent, iam fierent, iam patrarentur coram? Maxima animi iucunditate vulgo deliniuntur, qui tabulam insigni artificio depictam suspiciunt. Quid suauius, quam in historia, velut in proposita subiectaque oculis tabula res intueri, quæ ante longam temporum seriem gestæ sunt? iam eorum exercitus, acies dispositas, & inter se vi & impetu incredibili confligentes videre, strages infinitorum mortalium humi iacentium contemplari? iam agrorum vastationes, vicorum ac oppidorum direptiones atque incendia aspicere? iã vrbes expugnari, regiones integras in potestatem redigi, Reges populorumque duces triumpho captiuos duci? quæ sane delectatio talis tantaque est, præsertim si consiliorum ratio, euentuum causæ, morumque formandorum aureæ gnomæ quasi emblemata illustria inserantur, vt non solum animi ægritudini, quã fere solent historiarum lectione depellere, medeatur, sed etiã corporis morbis præsentissimum adferant remedium. Alphonsum equidem Hispaniæ ac Siciliæ Regem adeo ferunt T. Liuij lectione captum, vt eius adminiculo valetudo, quæ iam medicorum iudicio deplorata videbatur, ipsi fuerit restituta. Et Ferdinandum eorum regnorum Regem grauiter sontico morbo decumbentem Curtianæ lectionis beneficio sanitatem recepisse tradunt. Recentiori memoria Laurentius Medices insignis ille bonarum literarum Mæcenas sine vlla medicamentorum ope pristinæ valetudini restitutus dicitur vnius historiolæ commemoratione de Conrado III. Imperatore, qui quamuis Guelfo Bauariæ Duce ad deditionem faciendam longa obsidione coacto, non tamen ab oppidi euertendi proposito se sineret abduci, victus tandem nobilium fœminarum precibus, permisit, vt inuiolatæ abirent, ea gratia ipsis indulta, vt ex oppido humeris, quantum possent, efferrent. Tum illæ,

perpetuo secum circumtulerit, imo cum [illegible]
pulmonari decumbens subiecerit.

Iucunditatis comes indiuiduus est facilitas historiæ, qua non tantum cæteris artibus certat, sed longo eas post se relinquit interuallo. Tanta ea certe est, vt sine reliquarum ministerio per seipsa à quibuslibet capi intelligiue queat. Reliquæ siquidem artes adeo arctis inter se vinculis sunt constrictæ, vt mutuæ sibi cognitionis præsentem operam: historia vero suis circumscripta finibus, & contenta terminis, nil aliunde mutuatur, nec literis quidem ipsis opus habens, solaq; auditione & fama ad seros transmittatur posteros. Vnde fit etiam, vt constanter historiæ perdurent, quamuis tot regnis, regionibus, ciuitatibus, hominibus, igne, aqua, aliisq; cladibus, quæ in orbis exitium commenta est improbitas, extrema pernicie pereuntibus. Exigua sunt hæc, quæ de suauitate ac facilitate historiæ dicta sunt longe latius se in omnes vitæ humanæ partes diffundit vtilitas, in qua explicanda amplissimus dicendi campus se aperit. Historiæ quippe fructus, qua in publica, qua in priuata vita longe maximus est. dum exemplis neruosisq; dictis alij quidem ad virtutem accenduntur, alij à vitijs deterrentur. Quamuis enim boni per se laudem merentur, præter tamen ea, quæ virtuti manent, præmia: hic etiam laudis fructus viuos ac mortuos cõsequitur, quod cõsceleratis debeat, bonos, quos opprimunt, in cœlum euehi, sibi autem suorumq; nomini perpetuæ infamiæ maculam aspergi. Quorum etsi adeo profligata est malitia, vt ignominiæ notam existimationi suæ inustam susq; deq; se habere non erubescant: simulare tamen potius, quã verum dicere est certissimum: nisi furore quodam ab omni honestatis opinione abrepti in vitiorum barathrum præcipites sine sensu, sine spe & referantur. Si enim daretur animos eorum penitus inspicere, & in aperto positos intueri, videre esset horribiles cruciatus, laniatus, & ictus, quibus ipsorum conscientia Platone quoq; teste lancinatur atq; excarnificatur, præsertim, quos infamiæ metus torquet. Quod si qui eo nequitiæ progrediantur, vt mentem humanam communem cum corpore interitum subire arbitrentur: quoad tamen lucis huius vsura fruuntur, plurimum sua interesse censent, quale posteritatis de se sit futurum iudicium, immanem illam ac plane barbarã vocem sæpe apud se repetentes ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί. Tiberius etsi crudelitate ac sæuitia immani sit grassatus, nisi tamen aliqua famæ cura eũ refrenasset, omnes feras crudelitate superasset. Ideoq; (Suetonio autore) vt scelera eius occultiora essent, in remotã quandam insulam concessit, & vt prioris vitæ infamiã aliquo modo absterget, qua se imperio indignum plane reddidisset; patris patriæ appellationẽ vsurpans, imperium obstinate

[illegible] eximiũ hoc, quod historiarum

[illegible]ge tamen hoc habetur maximum quod ex historia ver[illegible]
[illegible]quã vberrimo fonte deriuatur. Huic acceptum ferendum, quod Deũ
[illegible]erum, qui se in verbo suo nobis patefecit, cognouimus; quod mundum ante quing^{s} annorum millia è nihilo conditum scimus, quod hominẽ lapsum; quod totum mortalium genus ob peccata diluuio extinctum constat; quod idẽ illud per septẽ homines communi exitio subtractos iterum propagatũ, perq^{s} totam terram dispersum; quod exiguum populum à Deo vocatũ, reliqua hominum vniuersitate in vijs suis ambulare permissa; quod vaticinia Prophetarum habemus; quod nobis cognita est tota salutis nostræ dispensatio, omniaq^{s} fidei nostræ dogmata; quæ vtriusq^{s} Instrumenti libris continẽtur, quibus nonnisi cum interitu nostro careremus. Ad communem vitam iam si descendamus, vtilitas historiæ quaquaversum se diffundit. Nam ea omnium artium, earum præsertim, quæ in actione consistunt, inuentrix cõseruatrixq^{s} est. Quæ enim à maioribus sunt diuturno vsu cognita, ea in historiæ promtuario fuerunt deposita: quorum ductu tanquam Thesei filo vsi posteri, noua subinde diligenti institutà cõparatione, obseruarunt, sicq^{s} præterita in futuris connectendo, causasq^{s} cum effectus conferendo absrusorũ cognitionem plurimam sunt consecuti. In moribus vero instituendis, totiusq^{s} vitæ actionibus conformandis maximum se exerit commodum. Plurimum quidem ad id valent Philosophiæ Ethicæ præcepta virtutũ ac vitiorum communia, sed historia eorundẽ exempla singularia profert quæ tanto efficaciora, & ad mouendum aptiora sunt, quanto sensus rationẽ euidentia atq^{s} oculari certitudine vincit. Ideo historia rectè moralis quædam Philosophia specialis dici potest quæ nos vitas hominũ inspicere, atq^{s} ex aliis exẽplum quod nobis vsui siet, sumere docet Iulius Cæsar cum esset Philosophicis institutis apprime imbutus, non perinde tamen illis, vt exemplo Alexãdri Magni ad virtutem fuit accensus, quẽ cum gemitu legebat tricesimo ætatis anno victoriarum cursum confecisse, qua nil dum præclare ipse gessisset. Ea æmulatione factum, vt Alexandrum rerum gestarũ gloria nõ æquarit modo, sed fere superarit. Sic Scipioni Africano Cyropædia Xenophontis, quã animo cõprehenderat, stimulum vehementissimum ad egregia facinora patranda addidit. Ad Cyrum enim vt virtute proxime accederet, talem se gessit, tantus vt euaserit, vt non solum ingens in Hispania bellum ex sola Scipionis admiratione aliorum imperatorum orto contemtu exarserit, sed etium latronibus piratisq^{s} inuiolatus abierit. Cum n. illi Scipionis villã accedentes à seruis vim metuentibus repellerentur supplices petierunt, sibi hominem illum diuinum cõtueri vt liceret, Alexandrum Macedonẽ quid eo pro-

[illegible] mei.
[illegible] Ac ne lo[illegible]
[illegible]am, Carolum Austriacu[illegible] insignem illam glo-
[illegible]riam, quam factis illustrib[illegible]s[illegible]t, accendit Ludo-
[illegible]uici XI. Galliæ Regis à Ph. Comineo descripta historia.

Fructus omnes vt ex historia vbertim redundant, commodumq^{s} in communem diffundunt vitam vberrimum: ita magna copia ex rerũ quoq^{s} Polonicarum descriptione, quam his libris decem sincere circumscripteque collectam cõplexus sum, percipi poterit. Inde.n. cognoscetur, quæ prima gẽtis Polonicæ origo, quæ politia, qui mores, qui Principes, quæ bello paceq^{s} egregie gesta, quæ prosperorum atq^{s} aduersorum vicissitudines, quæ vtiles leges atq^{s} constitutiones, quæ noxiæ; quæ virtutes, quæq^{s} vitia. Vnde cuiuis, quid decorum, quid contra, colligere in procliui erit, atq^{s} suum ad vsum accommodare, illisq^{s} exemplis nõ minus quam moralis Philosophiæ præceptis ad virtutem sectandam, vitia effugienda vtetur. Hoc autẽ quale quale est; Illustres Domini, quod à me præstitum hoc in opere concinnando historico, vestro visum est consecrare nomini, tum vt gratæ conuersationis ac literariæ nostræ peregrinationis in Germania, Gallia, Belgio, ac Britannia, officiiq^{s} mei, quo vobis per decennium præfui, publicitus extet monumentum: tum vel præcipue, vt singularis meæ erga vos inclytamque familiam vestram obseruantiæ ad alios sit argumentum. Nam familiæ vestræ luculenta decora haud ita pridem fuerunt auus vester Ioannes Firleius Palatinus Cracouiensis, ac magnus Poloniæ Marescballus clarissimæ memoriæ, nec non patrui vestri Nicolaus Palatinus itidem Cracouiensis, ac Ioannes Castellanus Voinicensis, & nunquam satis laudatus pater vester Andreas Castellanus Radomiensis; qui omnes amplissimos magistratus & sua cum laude & Reipublicæ Polonæ emolumento gesserunt: vt superiorum quanquam inuitus vetustissimæ notæ nomina hic silentio præteream. Omnium enim ac singulorum singula maiorum vestrorum merita loci huius angustia exequi non patitur, & historiæ meæ series quædam duntaxat suo loco delibabit. Hoc addam, esse etiamnum hodie ac florere in florentissimo Poloniæ regno Illustriß. Henricum Episcopum Plocensem, ac Petrum Castellanum Voinicensem patruos vestros. De quibus nil vnquam quicquam tam magnifice dici scribiue possit, id virtus quin superet ipsorum. Quorum vestigia cum hactenus non sine laude institeritis, eadem generoso animo omnium spes est vos persequuturos, illudq^{s} Flacci probatum ituros: Fortes creari fortibus. Quo in omine hic desino, nec verbum adjciam, ne currentes, quod aiunt, incitare videar, cum sciam panegyricos plerosque haud longe abesse ab adulandi suspicione: quod vti nec vobis gratum, ita nec mihi vnquam vsitatum. Longum itaque florere, perennareque Illustrem Firleiorum gentem, ac in ea vos duos fratres illustria duo sidera animitus opto.

GEOR-

GEORGII REMI IC. REIPV[illegible]
NORICÆ à CONSILIIS

AD

NOBILISSIMVM VIRVM D. SALOMONEM
à Cadano Historicum florentissimum.

MOSCORVM cœli genium, moresque togaque
Atque sago gestas genti res, cetera, dixti
Aureolo lepidoque libro, vt nihil addere fas sit,
At dum Neugbauere solum niuibusque pruinisque
Damnatum, siluas, dumetaque spissa venuste
Denarras, multum placuisti, mehercule, nobis.
Sed mage: dum Nos inde velut Cyllenius alter
Densis è nemorum tenebris, à frigore cano
Eductos, campis sistis, quæ messibu' gaudent,
Sarmaticis: qua prata virentia, pascua læta;
Mille vrbes, pagi populosi, denique cultu
Oppiparo tellus diues, celsique dynastæ,
Ac magni Iagellono de sanguine creti
Imperitant longo sæclorum ex ordine Reges.
Næ multum placuisse potes, punctumque referre
Omne libro, res quo pertractas rite Polonas.
Historia hæc vigeat longum viuacibus annis;
Nocturnus Lector quam versabitque diurnus,
Sarmaticas quisquis solide res nosse laborat;
MNEMOSYNE hoc vouit, lucem vitamque spopondit.

ALIVD

IANI C[illegible]ERI IC.
ET HISTOR. PROFESS. ACA-
DEMIÆ HEIDELBERG.

DEfuit hactenus historiæ sua lima Polonæ;
Imo nec integri corporis ipsa fuit.
Non tulit id NEVGEBAVRI vigilantia: membrum
Addidit haud vnum, ceteraque vngue poliit.
Hinc exsurgit Opus, nequeat quod carpere Liuor;
Cunctorumque oculis sese animisque probat;
Qualiter effigies, si emendatissima prostet,
Ficta probe Eumpompi, Parrhasiive manu.
Ambiguum certe est, sibi num plus debeat, anne
NEVGEBAVRI arti, subsidioque nouo.

INDEX

INDEX PERSONARVM

QVÆ

HAC IN HISTORIA

LAVDANTVR.

A.

Aaron Gallus primus Abbas Tinecensis 61.62
Abraham Zbanscius iudex territorii Posnanien. 299. 301.306
Achacius Czema Commissarius Regis Pol. Sigism. 508
Achacius Czema Palatinus Mariæburgensis 609
Achilles Graßius Epis Moedecensis 464
Adalbertus Episcopus Gnesnensis 52
Adalbertus Episcopus Pragensis ibid.
Adam Vilcanouius 373
Adamus Goraius 637
Adamus Konarscius legatus ad Regem Hisp. 601
Adamus Konarscius Episcopus Posnanien sis 613
Adleida Boleslai Pol Principis vxor 90
Adleida Andreæ Vng. Regis filia 70.71
Adleida soror Mieczislai Polon. Principis 51
Adleida soror Henrici V. Imperatoris 86
Adleida vxor Mieczislai Maior. Poloniæ Ducis tertia 106
Adleida filia Casimiri Polon. Principis 119
Adleida Hassa vxor Casimiri Regis Pol. secunda 200.206
Adolphus Nassouius Imperator Rom. 172
Aegidius Syluius Cardinalis Episcopus Tusculanus legatus Pontificis 51
Aegidius Suchodolius 319.341
Aemilius Maluetius Bononiensis 598
Aeneas Syluius 3
Agatha vxor Conradi Ducis Masouiæ 139
Agatha vxor Michaelis Ducis Lituan. 276
Agatha Masouia vxor Ducis Tessinen. 362
Aidorus Eczigeris Ducis Tartar. filius 408
Albertus Bolognetus Cardinalis 752
Albertus Bugasius nobilis Polonus 632
Albertus Dux Mechelburgicus 473
Albertus Austriacus Imper. Rom. 177. 306.307
Albertus Marchio Austriæ 92
Albertus Archidux Austriæ 367.368
Albertus Dux Austriæ 351
Albertus Dux Austriæ gener Cæsar. Sigism. 300.304
Albertus Kranzius scriptor G. 90
Albertus Fontinus Prouincialis Fr. scanorum 479
Albertus Fridericus Dux Prussiæ 626. 609.625
Albertus Marchio Brandeburgicus 305. 337.388
Albertus Marchio Brandeburg. Prussiæ Magister 475.476.478 485.486. 487.488.489 490.491.493.495. 505.506.
Albertus Marchio Brandeburgicus Dux in Prussia 507.508.563.567.569. 570.585.592.594.595.602.616. 625
Albertus Marchio Brandeburgicus Archiepiscopus Moguntinus 487
Albertus Marchio Brandeburgicus Anspacensis 570
Albertus Gastoldus Palatinus Polocensis 482
Albertus Lascus Palatinus Siradiensis 604.606
Albertus Krisius legatus ad Hisp. Regem 601
Albertus Kralius 700.701
Albertus Koscielecius 196
Albertus Koscielecius Palatinus Brestensis 196
Albertus Kostka Boemus 404
Albertus Kostka Boem. Legatus ad Regem Casim. 391
Albertus Gorscius legatus ad Regem Boem. 355.365
Albertus Episcopus Vesprimensis 404
Albertus Socolouius legat. Vladisl. Regis Boem. 403
Albertus Tabor Episcopus Vilnen 442. 445.450
Albertus Michalouius Castellanus Zauichostien. 329
Albertus Przyiemscius legatus ad Reg. S. Aug. 607
Albertus Radiuilus Curiæ Lituan. Mareschalcus 725
Albertus Palatinus Sendomirien sis 202
Albertus Zythinus episcop. Vendien. 318
Albricus Cancellarius Dobrinen. 204
Alexander Masouiæ Dux Episcopus Tridentinus 276 312
Alexander Moldauus 556 557
Alexander Moldauiæ Palatinus 242. 261.265.294
Alexander Episcopus Foroliuiensis legatus Pontific. 396
Alexander Nouogardiæ Dux 462
Alexander Ilouius 493
Alexander IV. Rom. Pontif. 151
Alexander Vitellius peditum præfectus 558
Alexander Valachiæ Palatinus 604. 606
Alexander Prunscius Palatini Kiiouien. filius 642
Alexander Polubienscius legatus Chodkieuicii 667
Alexander frater Io. Podkouæ Valach. Palatini 672
Alexander Gedimini Ducis Lituan. nepos 208
Alexander Filius Casimir. Regis Polon. M Dux Lituan. 536
Alexander M. Dux Lituaniæ 429.432. 436.438.440
Alexander M. Dux Lituan. Rex Polon. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448
Alexander Viguntus frater Iagellonis 236 237
Alexander Masouiæ Dux 264
Alexander V. Pontifex Roman. 261
Almus Colomanni Regis Vngar. frater 81
Aloysius Lypomannus Episcopus Veronensis 592
Amadeus Dux Allobrogum Pontifex Roman. 310
Ambrosius Szarkanus Vngariæ Regis legatus 463
Amelia Masouiæ Dux 289
Amurathes Turcarum Imperat. 395.

Baj.
Anastasia vxor Boleslai Principis Pol. 104.106
Andreas Brinius Episcopus Posnanien. 306.420
Andreas Bathoreus 513.517.589
Andreas Borissouius cognom. Rosa præpositus Lencicien. 412
Andreas Borissouius Rosa Archiepiscopus Leopolien. 442
Andreas Borissouius Rosa Archiepiscopus Gnesnen. 444 453.463
Andreas Koscielecius Salinarum præfectus 464
Andreas Koscielecius Castellanus Voinicensis 473
Andreas Koscielecius Regni Thesaurarius 474
Andreas Szamotulius Palatinus Posnanien. 452.442
Andreas Zbarasius 464
Andreas Tenczynius 308 359.361
Andreas Tenczynius præfectus Culmen. 142.343.245.284
Andreas Tenczynius Palatinus Lublinen. 473.476
Andreas Tenczynius Palatinus Cracouien. 502.510
Andreas Tenczynius Castellanus Cracouien. 538
Andreas Tenczynius Castellanus Polanecen. 541
Andreas Tenczynius præfectus Rohatinen. 544
Andreas Rex Vngariæ 61.63 131
Andreas Præfectus Kiouien. 91
Andreas Episcopus Posnanienſis 175
Andreas Cedrouitius Pomeranus 181
Andreas Castellanus Rospirensis 181
Andreas Lituaniæ Dux Iagellon. Regis frater 231.232.240
Andreas Vasilo Polonus Episcopus Vilnien. 233
Andreas Brochocius 256
Andreas Lascaris Goslauicius Decanus Cracouien. 264
Andreas Drosda Præfectus Lidensis 44
Andreas Sienenius 318
Andreas Odrouanzus Præfectus Leopolien. 32
Andreas Odrouanzus Palatinus Russiæ 371,375
Andreas Oporouius Archidiaconus Gnesnensis 401
Andreas Oporouius Episcop. Premyslien. 401.410
Andreas Trepka legatus ad Sigism. Reg. Pol 489 517
Andreas Critius Episcopus Premyslien. 503
Andreas Critius Episcopus Plocen 519
Andreas Gorkanus Castellanus Calissien. 539
Andreas Gorkanus Castellan Posnanien. 576 578 579
Andreas Gorkanus Madiricensis 642
Andreas Czarnkouius 557
Andreas Czarnkouius Episcopus Posnanien. 572 573
Andreas Zebridouius Episcopus Camienecen. 559
Andreas Zebridouius Episcopus Cuiauien. 577
Andreas Zebridouius Episcopus Cracouien. 580 583
Andreas Iacubouius Legatus ad Reginam Isabellam 565
Andreas Lopeczius 582
Andreas Taranouius Regis Aulicus 626. 638
Andreas Iuanouicius Reg. Augusti secretarius 628
Andreas Scholkanouus Palatinus in Moscouia 672
Andreas Sapieha Lituan. copiarum legatus 673
Andreas Caligarius Pontificius legatus 688
Andreas Patritius 706
Andreas Orzechouius turmæ præfectus 717
Andreas Zbercuius aula Regia Marschalcus

Posseuinus
legatus 720.719 720. 721. 727. 726.
Aslan Sultanus Tartarorum Princeps 502 503 509 522 523 529 530 532. 533 534.
Aslan Czirei Tartarorum Princeps 748.
Augustus Dux Saxoniæ Elector 672. 705.

B

Baiazetes Turcarum Imperator. 240 463 464
Balduinus de Norib Marescha.us Cypri. 290.
Balthasar Dux Saganensis 340
Balthasar Canonicus Vratislavien. 393. 4 9
Balthasar Præpositus Valdkirchensis. 471.
Balthasar Promnicius Episcopus Vratislavien. 559
Balthasar Bathor us. 714
Baptista Gigalla ICtus Genuensis 280
Baptista Episcopus Came iensis 324
Barbara Sigismundi Imp uxor se.unda. 262.
Barbara Bole.lai Va.savien Ducis uxor. 363 366.
Barbara Casimiri Regis filia Du.is Saxon. Ge.rgii uxor. 432
Barbara Stepusia Polon. Regina 462. 464. 469. 471 475 487.
Barbara Radiuilia Regis Sigism. Augusti uxor 570. 576 578.
Barnimus Cassu io um Dux 147
Barnimus Dux Pomeran ulteriori 201. 530. 504. 50
Basi.ius Dux Russiæ 70
Basilius Premyslienſis Dux. 91
Basilius Russorum Dux 153
Basilius Coronscius Palat nus in Mscov. 673
Basilius Iepatius nuncius Regis

Andreas Vapouius Castellanus Ir mysien. 741
Andreas Opalinius Regni Mareschalcus 752.
Andreas Rzecicius Fisci procurator. i id
Anna Vxor Henri.i Ducis Li nicensis. 146
Anna Lithuana uxor Casimiri Regis 188 191
Anna uxor Vitoldi Grodnen. Ducis 233
Anna Vi helmi C liæ Comitis fil a 241
Anna Vladislai Iagel. Regis Polon uxor. secunda. 241
Anna Casimiri Magni Regis Polon fi.a. i i'.
Anna filia Casimiri Regis Po'on uxor Bogus.a Du is P meraniæ 428
Anna Regina Poloniæ 262
Anna Vla.slai Ducis Mass viæ uxor 378.
Anna Dux Masoviæ 461.463. 478
Anna uxor Conradi Masoviæ Ducis 444.
Anna Ducis Mega olitani filia. 459
Anna Vlad lai Regis Vng. filia 469.470 472.
Anna Iagellonis Ferdinandi Regis Vngar. co iunx. 562
Anna Sophia filia Alberti Ducis Frussiæ. 592.
Anna Maria coniunx Alberti Ducis Prussiæ 625
Ann Infans Pol filia Si ismundi Regis Polonie 643. 644. 66. 724.
Antonius Zenus ICtus Legat Pontific. 271. 272
Antonius Rinco Hispanus 556
M. Antonius Ferrarius. 581
Antonius Verancius Episcopus Agrien. 592 600 623.
Antonius Tertianus ICtus DONÆ Regina 593
Anton us Barck.s Nobilis Borussus. 6 6.

714
Bartholomæus Cosminius 221.232
Bartholomæus Capra Archiepiscopus Mediolanen. 267
Bartholomæus Vlodecus 269
Bartholomæus Dux Munsterbergensis 463
Bartholomæus Budlerus 716
Bartholomæus Buczacius Præfectus Podoliæ 349
Bartholomæus Vissemburgius 287
Beata Koscielecia 589
Benedictus VII. Pontifex 51
Benedictus XI. Pontifex Roman. 177
Benedictus XII. Pontifex Roman. 198
Benedictus Gilten Reg. Suecia legatus 629
Bela Dux Vngariæ 61 63
Bela Rex Vngariæ 64.116.138 149. 158
Bernhardus Vapouius scriptor rerum Polonic. 40.42
Bernhardus Suidnicen. Dux 175.186. 187
Bernhardus Sonnenbergius 340.341
Bernhardus Vilcicus Archiepiscop. Leopolien. 414 444
Bernhardus Macieiouius Castellanus Lublinen. 557
Bernhardus Macieiouius Aulicus Regius 644
Bernhardus Schmerten præfectus Vittensteinii 600
Benedictus Episcopus Iaurinensis 304
Berthauus Bassa 621.622
Bertholdus Dux Moraviæ & Carinthiæ 128
Bertholdus Comes Hennebergius 473
Bethikereius Tartarorum Dux 465
Bibracus Cancellarius priuatus Regis Pol. Henrici 645 661
Bogdanus Rohatinius Russus 286
Bogdanus Lusius Moldauiæ Palatinus 445 447 448.449
Bogdanus Bielscius Moscus transfuga 709
635 637 639 640
Bogdanus Rosinscius ductor Kosakorum 661
Bogdanus Ogienscius 720
Boguslaus Dux Pomeraniæ 242.274. 414
Boguslaus Dux Pomeran. vlterior. 207. 208.242
Boguslaus Palatinus Inouladslauien 329
Bogussæ Iudex Pomeran. citerioris, præfectus arcis Gedanen. 177.178 179
Bogutha Eques Cracouiensis 144
Boleslaus Boemiæ Dux 51
Boleslaus cognom. Chrobri primus Pol. Rex 52.53.54.55 59
Boleslaus Filius Casimiri Regis Polon. 60.61
Boleslaus II. cognom. Audax Rex Polon. quartus 61.62.63.64.65 68.69. 70
Boleslaus filius Vladislai Polon. Principis 71.73.76.77
Boleslaus III. cogn. Criuouſſus Princ. Pol. 78. 79.80.82 83.84.85.86.87.88. 89 90.91.92 93 94 95
Boleslaus Crispus Masouiæ Dux 96
Boleslaus Dux Masouiæ 308.310.311. 314.316
Boleslaus Dux Masouiæ filius Boleslai Ducis Masouiæ 343.363
Boleslaus IV. Crispus Polon. Princeps 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109.118
Boleslaus Procerus Dux Vratislauien. 106 114
Boleslaus Miecz-slai Senis Pol. Princ. filius 120
Boleslaus Pudicus Lesci Albi Polon. Princip. filius 128
Boleslaus Pudicus Princeps Polon. 133. 136.139.141.143.144.145 146.149. 152. 153.154.155.156.158.159.160. 161.215
Boleslaus Conradi Masou. Ducis filius 136.146
Boleslaus Caluus Dux Vratislauien. 143. 144 145.146 147.148.149.150 151. 157.
Bole. us Dux Calisiensis 147. 153.154.155.156.158.160.161
Boleslaus filius Boleslai Crispi Polon. Princip. 109
Boleslaus Caluus Dux Lignicensis 162
Boleslaus Opolien. Dux 169.183.222. 327.330.331.333.343
Boleslaus Suidnicen. Dux 171.174
Boleslaus Plocen. Dux. 166.168.169. 172.200.201
Boleslaus Dux Bregen. 172.185.186. 187
Boleslaus Monsterbergen. Dux. 175. 186
Baleslaus Masouiæ Dux 183.262
Boleslaus Dux Suidnicen. & Ianoren. 209
Boleslaus Calisien. Dux. 215
Boleſta Castellanus Visnensis 109
Bona Sfortia Regina Pol. 481.570.592. 601.613.628
Bonifacius VIII. Pontifex Roman. 175
Bonifacius IX. Pontifex Roman. 183. 240
Borissus Dux Lituanorum 229.231
Borissus Saua 668
Borissus Seinus Dux exercitus Mosci 682. 687
Boriuoius Boemorum Dux 78.81.86. 89.90
Boriuoius Scrinnius 356
Bozenta Episcopus Cracouien. 203. 206
Bozenta Archiepiscopus Gnesnenſis 222. 223.224.226.226.227.231.233
Branda Cardinalis cognom. Placentinus legatus Pontific. 274
Buczacius Præfectus Camienecensis 641
Bugeronius Nobilis Moldauus 588

C.

CÆsar Fregosus Genuensis 556
Camillus Bracantius Neapolitanus 592
Carolus Boemiæ Rex 186
199
Carolus Cruciferorum Magister 182. 184
Carolus IV. Rom. Imperator. 207. 208. 209.220.222
Carolus Francorum Rex 266
Carolus Suecorum Rex exul. 347
Carolus Burgundiæ Dux 403.404
Carolus V. Cæsar. 482.483.501.503. 509.512.519.520.556.557 563. 564. 565.566.670
Carolus Comes Oetingus 473
Carolus Dux Munsterbergensis 473
Carolus Archidux Austriæ 616
Carolus Danzaus Henrici Regis Consiliarius 647
Carolus IX. Rex Galliæ 641.642.643. 646.661
Carolus Sudermanniæ Dux 629
Casimirus filius Miecz-slai Regis Pol. 55. 56.77.
Casimirus filius Boleslai Criuouſti Polon. Principis 90.93.102.108
Casimirus Sendomirien. Dux 108.109. 111, 112
Casimirus Dux Ratiborien sis 165
Casimirus Ethnarcha Poloniæ 112.113. 114.115.116.117.118.119.123.124. 127
Casimirus Dux Opolien. & Ratiborien. 137
Casimirus Dux Opolien sis 168
Casimirus Filius Conradi Ducis Masouiæ 139.146
Casimirus Dux Lencicien Cuiauien. & Siradien sis 147.156.152.153
Casimirus Dux Lencicien sis 169.172
Casimirus Filius Casimiri Ducis Cuiauien. 156
Casimirus Filius Ziemomysli Ducis Vladislau. 168
Casimirus Dux filius Ziemomysli Ducis Vladislauien. 180.181.182.196
Casimirus Filius Ziemomysli Dux Gnieucou. 215
Casimirus II. Rex Poloniæ 174
Casimirus Magnus Rex Poloniæ 198. 199

206. 207. 208. 209. 215.
Casimirus Pomeraniæ Dux. 210. 217.
Casimirus Dux Stetinen. 252 253. 264.
Casimirus Masoviæ Dux 276. 286. 310.
Casimirus III. Rex Poloniæ 322 323. 324. 325 326. 327. 328. 329 330. 331. 332. 333 334 335. 336. 337 338 339. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351 352. 353 354 355. 356 357. 357. 358 359. 360 361. 362. 363. 364. 365 366 367 368 369. 371 372. 373. 374. 375. 376. 377 379 380. 381. 382. 383 384. 385. 386. 387 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394 395 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411 412. 413 414. 415 416. 417. 418. 419 420. 421. 422. 423 424 425 426. 427 428. 429
Casimirus Dux Masouiæ filius Boleslai Ducis Masou. 343 363 367.
Casimirus Filius Regis Casimiri 351
Casimirus Vladislai Regis frater 304 305
Casimirus Vladislai Regis filius Lituan. M. Dux 310. 311. 314. 316. 317. 319. 320. 321.
Casimirus Dux Varsouiensis Canonicus Plocen 401
Casimirus Dux Teschinensis 462. 463
Casimirus Marchio Brandeb. 471. 475 476. 481
Caspar Noticius Eques Tilesius 356. 365 366 375
Caspar Calliensis Episcopus Legatus Pontificius 539
Caspar Munsterus Equitum Magister 594 597
Caspar Sibergius 702
Caspar Oldenburgius 600
Caspar Bekesius Vngarus 668. 676 678 679. 690 698. 684. 734
Caspar Padnieuius Praefectus Sudauiensis 634
Caspar Bergius Burgrauius Rigensis 741 754
Catharina Masouia uxor Miobacii Luan. 362. 363. 366
Catharinus Zenus Venetus 407
Catharina Austriaca Ferd. Regis filia uxor Sig. Augusti Regis 589. 632
Catharina Turzynia uxor Petri Firlei Palat. Russiæ 591
Catharina Regina Galliæ 643
Catharina soror Regis Sigism. Aug. Regina Suetiæ 607. 730. 741
Christianus Dniæ Rex 597. 600. 602
Christianus Episcopus Cumensis 133
Cristinus Gosdouius Palatinus Plocensis 126.
Cristinus Kozeglouius Castellanus Sandacen. 300
Cristina Henrici Cæsaris filia 86
Christina uxor Vladislai Polon. Principis 90. 97 98. 99. 106.
Christophorus Gersdorff. eques Silesius 253
Christophorus Maurus Dux Venetorum 371
Christophorus Szaffranieius 424
Christophorus Botoreus 622
Christoph. Batoreus Transyluaniæ Princeps 674. 675. 676. 470. 710.
Christophorus Carolovitius Cæsar. Commissarius 629
Christophorus Comes Palatinus 643
Christophorus Czedlicius eques Silesius 574
Christophorus Dux Megapolitanus 591 594. 597. 598. 602. 610.
Christophorus Dux Brunsuicensis Archiepiscopus Bremensis 471
Christophorus Episcopus Lubacensis 471
Christophorus Dzierscius 739
Christophorus Lassotius 580
Christophorus Eyczius Aulæ Prussiæ Praefectus 666. 667
Christophorus Munchausius praefectus Kevien. 600
Christophorus Marquitius Caesar. Commissarius 669
Christophorus Nizczycius Legatus Ioannis Zborovii 688. 713.
Christophorus Radivilius Dux. 676. 677. 680. 688. 697. 710.

Chri-

Christophorus Rozarazeuius Praefectus Lencicien. 674 677 687
Christophorus Szydlouiecius Regni Succamerarius 453 459 503
Christoph Szydlouiecius Castellanus Sendomirien. 462
Christoph. Szydlouiecius Cancellar. Polon. 471. 474. 494
Christoph. Szydlouiecius Palatinus Cracouien. 473. 476. 478
Christoph. Szydlouiecius Castellanus Cracouien. 510. 519
Christoph. Tieffenbachius legatus Cæs. ad Turcam. 623
Christoph. Varszeuicius 730. 731. 733
Christophorus Zborouius 744. 645. 752
Cimbarca Zeniouiti Ducis Masou. Filia 262
Cimbarca vxor Ernesti Ducis Austr. 262. 276
Claudius Ferentius 587
Clemens Palatinus Glogouiensis 142
Clemens Rusiecius Palatinus Cracou. 143. 144
Clemens VI. Pontifex Romanus 204
Clemens Moscorouius 245
Clemens Strelcius Castellanus Bieczensis 301
Clemens VII. Pontifex Roman. 509. 527 572
Cœlestinus III. Pontifex Roman. 121
Colomannus Rex Vngariæ 81
Colomannus Regis Vngariæ filius 127
Conradus Rom Imperator 56 60. 61
Conradus Vratislai Boem Regis frater 73
Conradus Sueuorum Dux 91
Conradus Cæsar 102 103. 104 105. 106
Conradus Lasconogus Dux Glogouien. 106
Conradus Filius Casimiri Pol. Principis. 119. 126 128
Conradus Masouiæ Dux 129 130 131. 132. 133 134 135 136 137 138 139. 142. 145 146. 163. 166. 167. 168. 169. 172. 444. 472 568
Conradus Dux Masouiæ filius Boleslai Ducis Masou. 343. 363
Conradus Varsauien. Masou. Dux 366. 371. 374
Conrad. Filius Ziemouiti Ducis Masou. 145
Conrad. Marchio Brandeburgen. 157. 158
Conrad. Dux Silesiæ 157
Conrad. Glogouiens. Dux 150. 152. 157. 160. 170. 171. 172. 174
Conrad. Gibbosus Dux Stinauiens. 175
Conrad. Olsnicensis Dux 182 186. 232. 238
Conrad. Zoluer Crucifer. Magister 231
Conrad. Vallenrodus Crucifer. Magister 235
Conrad Nenciu Silesius 258
Conrad. Albus Dux Olesnicensis 252. 253 356
Conrad. Niger. Dux Olesnicen. 366. 371. 374
Conrad. Krupka 580
Constantinus Magnus Rom. Imperator 3
Constantinus III. Rom Imperator 3
Constantia filia Conradi Ducis Masou. 137
Constantia Premisli Regis soror 173
Constantinus Iunior Dux Ostrogiæ 680
Constantinus Ostrogius Dux 457. 458. 459. 463. 464. 468. 478. 480. 483 484. 485 519
Constantinus Lukomscius Praefectus Vlensis 686
Constantinus Visnieuiecius 574
Copacius Dux exercitus Valachici 449
Corigello frater Iagellonis Regis 235
Coributus Nouogrodens. Dux 232. 234. 240
Cracus Princeps Poloniæ 42
Creslaus Kurosuancius Castellan. Sendomirien. 221. 223
Creslaus Kurosuancius Cancellarius Polon. & Episcopus Vladislauiens. 444. 533
Cristinus Palatinus Plocen. 129. 130. 139

Cristi-

Cristinus Castellanus Cracouien. 163. 166
Cristinus Ostrouius legatus ad Iagellon. 230
Cristinus Ostrouius Castellan. Sendomirien. 238
Cristinus Ostrouius Castellan. Cracouien. 249
Cunegundis vxor Boleslai Pudici Polon. Princip. 138.149.161
Cunilta vxor Boguslai Ducis Pomeran. 276
Cunegundis Filia Friderici Cæsaris 397
Czapco Bohemus militum Dux 292. 293
Czechus Bohemorum Princeps 340
Czetricius eques Silesius Armiger Reg. Vngar. 518

D.

Dambrouca filia Boleslai Boem. Ducis vxor Mieczylai Polon. Principis 50.51
Damianus Ceremissinus 701
Daniel Russorum Rex 153.154.162. 200
Daniel Ostrogius Dux 202
Daniel Schena præfectus exercitus Mosci 456
Dasco Præfectus Premyslienſis 202
Dauid Olcchus Pereaslauienſis Dux 77
Demetrius Goraius Regni Thesaurarius 230
Demetrius Sienenius Scardimirien. Præpositus 358
Demetrius Filius Ioan. Moscorum Ducis 443
Demetrius Ilecius Moscus 724
Demetrius Ocinius Moscus Nobilis 632
Demetrius Sarguska 589
Demetrius Solicouius 613.625
Demetrius Visnouecius 610
Derslaus Iuenius Castellanus Gnesnen. 222
Derslaus [illegible] couien.
Derslaus Rituianius 331
Derslaus Rituianius Palatini Lencicien sis filius 298.304
Derslaus Rituianius Præfectus Sendomirien. 332
Derslaus Rituianius Castellanus Rospirienſ. 340
Derslaus Rituianius Palatinus Sendomirienſ. 362.371
Derslaus Rituianius Palatinus Cracouienſ. 411.417
Dialaldanus Tartarus Mendligeri ex fratre uepos 464
Diomedes Thracum Rex 605
Dionysius Zechus Cardinalis Archiepiscopus Strigonienſis 309
Dipoldus Kekericius eques Lusatius 252
Dipoldus Dux Moraniæ 135 141
Dobeslaus Puchala 256.260
Dobeslaus Olesnicius 245.252
Dobeslaus Kurosuacius Castellanus Cracouienſis 220.221.224.225. 230
Dobeslaus Kurosuancius 358
Dobeslaus Kurosuancius Legatus ad Boem. 399
Dobeslaus Scecocinius 306
Dobeslaus Bissouius Castellanus Belzenſis 391.406
Dobeslaus Kmitha Castellanus Lublinenſis 403
Dobrostius Szamotulius Castellan. Posnanien. 257
Dobrogostius Colinius 287
Dobrogostius Nouiduorius Cantor Gnesnenſis 222
Dobrogostius Episcopus Posnanienſis 233
Dobrogostius Szamotulius 182.239 240
Dobrogostius Ostrorogius 313
Doigertus Palatinus Vilnenſis 280
Domaratus Præfectus Maior. Poloniæ 221.223.224.226
Domaratus Castellanus Posnanienſis

[illegible] 225
Dominicus Caleguritanus nouæ sectæ autor. 129
Dominicus Alamanius 730.731
Dominicus Rodolphinus Camerinus 699
Dorothea Dana vxor Albert. Duc. Prussiæ 592
Dracula Palatinus Transalpin Valachiæ 317

E.

Ebraimus Bassarum Princeps 520
Ebraimus Strassus legatus Turcicus 612
Eccius Comes Salmenſis 615.619
Ediga Tartarorum Dux 265.267
Elardus Crusius 630
Elias Moldauiæ Palatinus 294.295
Elias Palatinus Valachiæ 301.378
Elias Canicius Nobilis Borussus 616. 617
Elias Dux Ostrogiæ 589
Elias Mursa legatus Taurican. Principis 489
Elisabetha filia Bosnen. Reguli vxor Ludouici Regis 215
Elisabetha vxor Bosnen. Stephani Reguli 215
Elisabetha filia Casimini Gnieucou. Ducis 215
Elisabetha filia Vladulai Loctici Regis Polon. 185
Elisabetha Regina Vngariæ Ludouici Regis mater 217.218.220
Elisabetha Regis Vngar. Caroli vxor 185 215
Elisabetha Polona Boguslai Ducis Pom. vxor. 201 202
Elisabetha Polona Henrici Ducis Pomeran. vxor 414
Elisabetha Vngariæ Regina 223. 224.226 227. 228.229.230
Elisabetha Bonifacia Vladulai Regis filia 240
Elisabetha Pilecia Vladulai Regis Polon. vxor tertia 265 266 268
Elisabetha Alberti Cæsaris filia Vngariæ & Bohemiæ Regis 332.334
Elisabetha vxor Alberti Imperat. Rom. 307
Elisabetha vxor Casimiri Regis Polon. 334
Elisabetha Austriaca Regina Polon. 334. 335. 355 359. 362. 363. 386.391. 397. 398.403.410 429. 448
Elisabetha Filia Casimiri Regis Polon. 448 449
Elisabetha Filia Ferdinandi Regis Vngariæ & Bohemiæ 526
Elisabetha Ferdinandi Regis Filia, vxor Sigismundi Augusti 559.564. 578
Elisabetha Ducis Ostrogiæ Eliæ filiæ 589
Elisabetha soror Regis Polon. Sigismundi 463
Emanuel Constantinopolitan. Imperat. 103
Emanuel Dux Sabaudiæ 647
Emericus Stephani Vngar. Regis Filius 53
Emericus Marcellus Vng. Curiæ Magister 307
Emericus Diacus Comes Scepusien. 400
Emericus Czibacus Episcopus Varadinenſis 536.537 538
Erasmus Vitellius Episcopus Plocenſis 482
Erhardus Queis Episcopus Pomesanien. 506
Ericus Suetiæ Rex 267.603.610. 613
Ericus Rex Daniæ 274
Ericus Dux Pomeraniæ Stetinen. 357 360.366.381 382 384.392. 375
Ericus Dux Brunsuicensis 608
Ericus Guldenstern Regis Suec. Legatus 629
Ernestus Dux Austriæ 262

Ernestus Marchio Misnia 409
Ernestus Archidux Austriæ filius Max. III. Imper. 662
Ernestus Bauariæ Dux 531
Ernestus Veier præfectus Militum 610
Eudoxia vxor Mieczislai Ducis Maior. Polon. 104
Eufemia Venceslai Ducis Tesinen. vxor 276
Eugenius Pontifex Roman. 292.305
Eustachius Præfectus Circacienſis 483. 500.521.530.533
Eustachius Volouicius Castellanus Trocenſis 680.694
Exigeres Tartaror. Tauricanor. Dux 331.342.361

F.

Fabianus Maulius Castellanus Elbingenſis 387
Fabianus Burggrabius & Baro Dononus 716
Fabianus Lustianus Episcopus Varmienſ. 486
Fedco Nieuuissenſis Dux 300
Felix Pontifex Romanus 302
Felix Strussius 448
Felix Stenscius Palatinus Plocenſis 559
Ferdinandus Hispanus Episcopus Lucen. 266
Ferdinandus Siciliæ & Neapolis Rex 421
Ferdinandus Austriacus Boemiæ & Vng. Rex 519.520.521.524
Ferdinandus Boem. & Vngar. Rex 526. 531. 536. 541. 542. 544. 545. 546. 547. 548 550. 551 552. 556. 558 562. 563. 570. 580. 981. 582. 586. 587 589. 590. 595. 597
Ferdinandus Cæsar 597. 598 600. 611. 612
Ferdinandus Archi Dux Austriæ 505. 512. 518
Florianus cognom. Szary 195
Florianus Episcopus Cracouien. 209. 220
Florianus Zebridouius Castellanus Lublinen.
Franciscus Toletanus Astigienſ. Archidiaconus 355
Franciscus Archiepiscopus Coloczenſis 526
Franciscus Anstelius præfectus Reualien. 600
Franciscus Alenconius frater Caroli Galliæ Regis 643
Franciscus Batianus Comes 559
Franciscus Galliæ Rex 482.483.503. 509 513.519.563.564.565
Franciscus Dux Mantuæ 589
Franciscus Krasinius Episcopus Cracouien. 640
Franciscus Orzag. 517
Franciscus Præpositus Albenſis 529
Franciscus Russecius Castellanus Naklen. 613
Franciscus Nemerbius 614
Franciscus Salamanca Hispanus 560. 561
Franciscus Scendenus 538
Franciscus Sukus dux Kosacorum Lituan. 678
Franciscus Veselinus Cubicularius Regis 718.734
Franciscus Zaius Cassoniæ præfectus 592.600
Fridericus Austriæ Dux 149
Fridericus Barbarossa Imperator 104. 105.106.113
Fridericus Repitius Silesius 250
Fridericus Dux Russus 297
Fridericus III. Roman. Imperator 276
Fridericus Marchio Brandenburgicus 270 320.337.338.244 345.361. 364.368. 392.395.396.421.430. 463
Fridericus Iunior Marchio Brandeburg. 288
Fridericus Roman. Imperator 310.313. 335.339.354
Fridericus Runekius Austriacus 365
Fridericus Austriacus Imperat. 390. 396 397 401.402.403.413 415 416.417 426
Fridericus filius Casimiri Regis Pol. 391

Fridericus filius Casimiri Regis Episcopus Cracouien. 425
Fridericus filius Casimiri Regis Episcopus Cracouien. Archiepiscopus Gnesnenſis & Cardinalis 429.430.432. 441.443.444
Fridericus Saxoniæ Dux Cruciferorum Magister. 440.441.445
Fridericus Canicius Nobilis Prutenus 617
Fridericus Daniæ Rex 501.592.602. 613
Fridericus Dux Lignicenſis 474.475. 490.505.506.508
Fridericus Heideccus Baro 506
Fridericus Princeps Palatinus Imperator 524.525
Fridericus III. Palatinus Elector 643
Fulco Episcopus Cracouien. 117.119. 125.127
Fulco Archiepiscopus Gnesnenſis 146. 149

G.

Gabriel Baisenus Palatinus Culmenſis 362.381.387
Gabriel Veronen. Francisc. hæreseos inquisitor 389
Gabriel Cardinalis legatus Pontificius 421
Gabriel Bekeschius 703.718
Gabriel Christiani gubernator arcis Reualien. 628
Gabriel Holubko 720
Gabriel Perennius 612.623
Gabriel Rembouius 638
Galardus Titulen. Præpositus Legatus Pontif. 198
Gastoldus Palatinus Vilnen. 278
Gaudentius Archiepiscopus Gnesnen. 52
Gedeon Episcopus Craconiensis 110.111
Gediminus Dux Lituaniæ 188
Geisa filius Bedæ Vngar. Regis 67.69
Gerhardus Slonieuius præfectus Gnieucouien. 216
Gertrudis vxor Mieczislai Ducis Maior. Polon. secunda 104
Gertrudis filia Conradi Ducis Masouiæ 137
Gerhardus Melengradus Liuoniæ Mareschalcus 373
Georgius Dux Liuoniæ 218
Georgius filius Suentoslai Ducis Smolenscen. 231
Georg. Gersdorff Silesius legatus ad Crucif. 241
Georgius Butrim Lituanus 290
Georgius Despota Rasciæ & Albaniæ 313.315
Georgius Msciulauiensis Dux 311
Georgius Suffraganeus Cracouien. 358
Georgius Podiebradius Rex Boem. 351. 361. 363. 365. 366. 383 384. 386. 388. 389. 390. 391 393. 394 397. 398. 399
Georgius Comes Hennebergicus 373
Georgius Dux Bauariæ 413
Georgius Dambrouius præfectus Slochotiæ 381.382.383
Georgius Strussius 448
Georgius Baisenus Palatinus Marieburg. 473
Georgius Baisenus Commissarius Sigism. Reg. Polon. 508
Georgius Barbelius Vngar. equitum alæ præfectus 700
Georgius Bebekius 595.623
Georgius Boius Suecicæ militiæ præfectus 673
Georgius Comes Montfortius 473
Georgius Comes Schauenburgicus 473
Georgius Comes Seepusius 514.517
Georgius Dux Saxoniæ 463
Georgius Episcopus Quinqueclesiensis 471
Georgius Farensbachius Nobilis Liuon. 669
Georgius frater Ioan. Basilidis Moscou. Principis 631
Georgius Fridericus Marchio Brandebug. Anspacen. 625.663.666.667. 668. 740.741.745
Georgius Gera Regis Suec. Legatus 629
Georgius Haraburda nuncius Regis Stephani ad Moscum 671.674

Georgius Iaslouiecius Palatinus Russiæ 634.639.640
Georgius Marchio Brandeburgen. 470. 473 494.505.506.559
Georgius Martinussius cognom. Monachus Episco. Varadinensis Cardinalis 551. 552 549.565.580.581.582.589
Georgius Mniscius Præfectus Sanocen. 717.
Georgius Polencz Episcopus Sambien. 508
Georgius Pomeraniæ Dux 511
Georgius Pruskouius Camerarius Cæsareus 628
Georgius Radiuilus Castellanus Vilnen. 570
Georgius Radiuilus Cardinalis Gubernator Regius Rigæ 741.751
Georgius Rosenkranczius Regis Daniæ Consiliarius 629
Georgius Toumak Mosci exercitus dux 611
Georgius Thurius præfectus Palotti 619
Georgius Venetus Nobilis Borussus 618
Georgius Zienouicius Castellanus Polocien. 676
Gnenomirus Czarnkouiensis Dominus 82.83.84
Gneuoßus Daleuicius Succamerarius Cracouiensis 230
Gotharus Rex Sueciæ 41
Godhardus Radtinius præfectus militum 377
Gothardus Ribenius Castellanus Sochaczouien. 362
Gothardus Velingus Syndicus Rigen. 753
Gotthard. Kettlerus Ordinis Liuon. Magister 604. Curlandiæ & Semigalliæ Dux ibid.
Gouoricius Palatinus Cracouien. 120. 121.122.125
Gouareus Chrobranius 298
Gregorius VII. Pontifex Roman. 69
Gregorius IX. Pontifex Roman. 133.135. 139
Gregor. XI. Pontifex Roman. 214.219
Gregorius Kerdeius 292
Gregor. Kerdeius Palatinus Russiæ 311. 312.326 327
Gregorius Cogus 370
Gregorius Sanocius 318
Gregorius Archiepiscopus Leopolienſis 417
Gregorius Chodkieuicius Campestris militiæ præfectus 611.667
Gregorius Oscikus Lituanus 695
Gregorius XIII. Pontifex Roman. 708
Grothus Slupecius 241
Grothus Kasimirius 366
Grothus Nouomieiscius præfectus Rauen. 367
Grymislaua Lesci Albi Principis Polon. vxor 128.133.134
Gryphina Lesci Nigri Polon. Princip. vxor 170
Gunshelmus Comes Suerin. & Megapol. 41
Gustauus Sueciæ Rex 501 590 591. 603
Guilielmus Dux Bauariæ 471
Guilielmus Rogendorffius Consiliarius Cæsar. 470.471
Gulielmus Marchio Brandeburgicus. 526
Guilielmus Bussinouius Episcopus Olomuccn. 628

H.

HEctor Chodorostius 366
Heduigis vxor Henrici Barbati Vratislau. Ducis 128.143
Heduigis vxor Vladulai Loctici Regis 182.185 197
Heduigis Henrici Ducis Glogouien. filia 206
Heduigis Casimiri Regis Polon. vxor 206
Heduigis Ludouici Vngariæ & Poloniæ Regis filia 225.226.227.228.229. 230
Heduigis Regina Poloniæ 231.232.233. 234.235.238.240.141

Heduigis

Heduigis Vladulai Iagell. Regis filia 270
Heduigis filia Casimiri Regis Polon. vxor Ducis Bauariæ Georgii 413
Heduigis filia Sigism. Regis Pol. coniunx Ioachim. Brandeburg. Elect. 539
Heduigis Mater Barbaræ Reginæ 463
Helena vxor Boleslai Polon. Princip. secunda 106
Helena vxor Casimiri Ducis Sendomirien. 108.119
Helena Lesci Albi mater 122.124
Helena vxor Vladulai Sputatoris 131
Helena filia Ioannis Moscouiæ Principis 440
Helena coniunx Alexandri Regis Polon. 465
Henricus Roman. Imperator 183.184
Henricus III. Imper. Rom. 63
Henricus IV. Imperator Romanus 67. 71.73
Henricus V. Cæsar 82.83.85 86.89. 91
Henricus Sendomirienſ. Dux 96.100. 103.104.107.108
Henricus Kittlicius 110.117
Henricus Barbatus Vratislauien. Dux 123.128.130.132 134 135.136.137. 138
Henricus Barbatus Dux Silesiæ 209
Henricus Dux Silesiæ 130.131
Henricus Elus Dux Silesiæ 138 141.142. 143
Henricus Dux Vratislauien. 150.185. 186.187
Henricus Probus Vratislauien. Dux 160.162.165
Henricus Dux Lignicenſis 146.147. 148.150
Henricus Dux Lignicen. & post Vratisl. 162.169.170 171.172
Henricus Archiepiscopus Gnesnensis 129
Henricus de Vida Ordinis Teuton. Magister 145
Henricus Dux Glogouien. 162
Henricus Glogouiensis Maior. Polon. Dux 175.177.179.182
Henricus Laurauien. Dux 175
Henricus Cruciferorum Magister 179. 180.181
Henricus Saganen. Dux 182.186. 201.407
Henricus Masouiæ Dux 220 337
Henricus Plauenius Commendator Suecen. 248.254.255.256.257
Henricus Plauenius Cruciferorum Magister 257.259.261.263.264. 396.397
Henricus Plauenius Commendator Elbingenſ. 370.374380
Henricus Richtembergius 372
Henricus Richtembergius Cruciferor. Magister 397.413.414.419 420. 421.422
Henricus Georgii Regis Boemiæ filius 399
Henricus Andium Dux 641.642. 643.644
Henricus Andium Dux Rex Polon. 645. 646.647 648.650.661.666.668. 742.
Henricus Dux Brunsuicus 737
Henricus Firleius Episcop. Plocensis 646
Henricus Magister Liuoniæ 590.594. 595 598
Henricus II. Rex Galliæ 642
Henricus VIII. Rex Angliæ 602
Henricus Ranzouius Regis Dan. Consiliar. 629
Hermannus Salza Ordinis Teutonici Magister 133
Hermannus Liuon. Magister 255.260
Hermannus Episcopus Derpatensis 590. 594.599
Hermann. Falco Liuon Magister 462
Hermann. Vesalienſis Abbas 577
Hieronymus Cretensis Archiepiscopus legatus Pontificius 354 367
Hieronymus Balbus Italus nuncius ad Cæsarem Maximil. 471
Hieronymus Gostomscius turmæ præfectus 727
Hieronymus Latalscius 523

Hierony-

Hieronymus Lascus Palatinus Siradien. 520.523
Hieronymus Ossolinius 580
Hieronymus Philippouius 747
Hieronymus Rosarius legatus Pontificius 547
Hincia Roscouicius legatus ad Iagellonem 230
Hincia Rogonius Castellanus Sendomirien. 373
Hincia Rogouius Castellanus Siradiens. 345
Hippolytus Cardinalis Ferrarienſis 481
Horuatus Banus Vngarus 230.234.241
Hussancassanus Persarum Rex 407

I.

Iacicus siue Iacinthus Canonicus Cracouien. 129.151
Iacobus Archiepiscopus Gnesnensis 100
Iacobus Leodiensis Archidiaconus legatus Pontificius 147
Iacobus Plowinius Praefectus Dobrinensis 246
Iacobus Campius Episcop. Spoletanus 266
Iacobus Cobilanius 301
Iacobus Dembinius Castellanus Malogosten. 355
Iacobus Dembinius copiarum Regiarum Dux 356
Iacobus Dembinius Praefectus Cracouien. 371
Iacobus Dembinius Thesaurarius Regni 362
Iacobus Dembinius legatus ad Pontificem 395
Iacobus Dembinius Palatinus Sendomirien. 406
Iacobus Dembinius Regni Cancellarius 397.398.399
Iacobus Zuder 311
Iacobus Sienenius Gnesnen. & Cracouienſ. Praepositus 354.357.358.362.367.369
Iacobus Sienenius Episcopus Vladislau. 375
Iacobus Sienenius [illegible]episcopus Gnesnen. 405
Iacobus Boggius 591
Iacobus Heraclides Despota Valach. 604.606
Iacobus Meistinius Pseudochristus 455
Iacobus Niezabitouius 661
Iacobus Ostrorog. 580
Iacobus Piso legatus Pontific. 461.462.464.467
Iacobus Sencignouius 464.479.487.489.491.493.501
Iacobus Sencignouius turmae praefectus 607
Iacobus Strusius 489
Iacobus Vchanscius Archiepiscopus Gnesnensis 613.632.642
Iacobus Vilamouius legatus ad Turcam 528
Iacobus Zacharinus praefectas exercitus Mosci 456
Iagello Dux Lituanorum 218.227.229.230
Iancula Valachiae Palatinus 672
Ianicus Episcopus Vratislauiensis 101
Ianislaus Archiepiscopus Gnesnen. 101.197.200
Ianissius Dux Masouiae 199
Ianussius Tuliscouius Castellan. Caliſs. 245.264
Ianus Cypriorum Rex 289
Ianussius Latalscius Palatinus Posnanien. 559
Ianussius Masouiae Dux 461.478.481.511
Ianussius Ostrogius Dux 688
Ianussius Zatortensis Dux 466
Iarocius Polonus Regis Vngariae Aulicus 538
Iarandus Bruzeuius Palatinus Vladislauien 281
Iarmericus Filius Siuardi Regis Daniae 41
Iaropolcus Dux Russiae 77.93.94
Iaroslaus Russorum Dux 53.54.55.57.59.61.77.128
Iaroslaus Vladimirien. Dux 90.91
Iaroslaus Episcopus Vratislauien. 123

Iaroslaus Halicienſis Dux. 94
Iaroslaus Scotnicus Archiepiscopus Gnesnen 200
Iaroslaus cognom. Bogoria. Archiepiscopus Gnesnen. 206.207.213.214.215
Iaroslaus Sluzeuius. 217
Iaroslaus Archiepiscopus Gnesnenſis. 301
Iaroslaus Czarnohorius Legatus Regis Vngar. 420
Iaslouiecius copiarum Polonicarum Dux. 522
Iaxominius filius Premyslai Boem. Principis. 61.62
Iaxa Serborum Dux. 99
Ieremias Czarnieuiecius Praefectus Chocimen. 655.656.657.658
Ignatius Bludoco Moscus. 701
Imbramus Zulicius. 253
Innocentius Pontifex Rom. 147.199
Innocentius III. Pontifex Rom. 127
Ioachimus Brandeburg. Elector gener Sigism. Regis Polon. 530.547.557.558
Ioachimus Marchio Brandeburg. Elector. 462
Ioachimus II. Elector Brandeburg. 625.632
Ioachimus Morlinus. 618
Ioannes Cropidlo Episcopus Posnanien. 222
Ioannes Masouiorum Dux. 226.232.233.227
Ioannes Episcopus Chanadien. 223.227
Ioannes Tenczynius. 408
Ioannes Tenczynius Castellanus Volnicenſis. 225.642.647.661
Ioannes Tenczynius Palatinus Sendomirienſis. 304.675
Ioannes Tenczynius Palatinus Cracouienſis. 311.320.323.331.334.338.344
Ioannes Tenczynius Castellanus Cracouienſis. 240.362.371
Ioannes Tenczynius Andreae occisi filius. 362
Ioannes Tarnouius Palatinus Sendomirienſis. 225
Ioannes Tarnouius Castellanus Sendomirien. 227
Ioannes Tarnouius Palatinus Cracouien. 249.254
Ioannes Tarnouius. 317
Ioannes Tarnouius Palatinus Belzenſis. 452
Ioannes Tarnouius Palatinus Russiae. 519.257.538.539. exercitus Dux. 527.528.535.538
Ioannes Tarnouius Castellanus Cracouienſis. 541.565.571.573.574.575.578.579.583.589.589
Ioannes Tarnouius Regis Stephani Commiſſar. 741
Ioannes Tarnouius Palatinus Lublinenſis. 442
Ioannes Venetius iudex territorij Posnanien. 232
Ioannes Olesnicius Praefectus Vilnen. 236.237
Ioannes Olesnicius Mareschalcus. 284
Ioannes Olesnicius cognomine Glouacz. 299.306
Ioannes Olesnicius Castellanus Sendomirien. 311
Ioannes Olesnicius Palatinus Sendomirien. 316.329
Ioannes senior Masouiae Dux. 236
Ioannes Glouaczius Palatinus Masou. 239
Ioannes Rambrouius. 239
Ioannes Obychouius Castellanus Sremenſis. 241
Ioannes Ostrouecius. 241.258
Ioannes Rogala Castellanus Vladislau. 242
Ioannes Ossolinius Castellanus Vislicen. ibid.
Ioannes Smiritius Boemus. 243
Ioannes Dux Cirnenſis. 244
Ioannes Cobilenius. 245
Ioannes Sczekocinius Castellanus Lublinen. 247
Ioann. Sczekocinius Praefectus Lublinen. 338
Ioannes Brogleuius Praesidij Bydgostien. Praefectus. 248.260.261
Ioannes Zarnouius vexillifer. 253
Ioannes Sokolus Boemus. 256

Ioannes Sczucius. 258
Ioannes Pontifex Rom. 261.264
Ioannes Episcop. Lausanen. Legat. Pontif. 264
Ioannes Ressouius Archiepisc. Leopolien. 266
Ioannes Comes Hardecus. 266.473
Ioannes Koscielecius Palatinus Vladisl. 268.272
Ioannes Koscielecius Palatinus Inoulodislau. 336
Ioannes Koscielecius Præfectus arcis Mariaburg. 356.479
Ioannes Koscielecius Maior. Polon. Præfectus. 579
Ioannes Granouius Castellani Naclen. filius. 268
Ioannes Kobilenius Præfectus Sanocen. 275
Ioannes Czarnkouius Succamerarius Posnanien. 280.281
Ioannes Czarnkouius. 301
Ioannes Czarnkouius Castellanus Gnesnen. 340.347
Ioannes Marchio Brandeburgicus. 173. 178. 183. 608
Ioannes XIII. Pontif. Rom. 51
Ioannes Conarius Aulicus Casimiri Ducis Sendomirien. 111
Ioannes Conarius Episcopus Cracouien. 444. 501
Ioannes Czapla Scholasticus Plocen. 138. 139
Ioannes Palatin. Cracouien. 163
Ioannes Suinka Archiepisc. Gnesnen. 165. 173. 175
Ioannes Palatin. Sendomirien. 166
Ioannes Dux Stinauien. 182. 186
Ioannes Biberstein. 182
Ioannes Rex Boemiæ. 184. 185. 186. 187. 190. 191. 196. 198
Ioannes Muscata Episcopus Cracouien. 183
Ioannes Melstinus Castellanus Cracouien. 197
Ioannes Melstinius. 341
Ioannes Grotus Slupecius Episcop. Cracouien. 198
Ioannes Borcouius. 205
Ioannes Strelcius Cancellarius Polon. 213. 114
Ioannes Cmitha Præfectus Siradien. 216
Ioannes Cmitha Præfectus Lenczycien. 218
Ioannes Radlicius Ludouici Regis Medicus & Cancellarius Polonicus. 221
Ioannes Lichinius Palatinus Brzesten. 284. 285
Ioannes Brezius Legat. Regis ad Suidrigellonem. 285
Ioannes Menzykus Dambrouius Præfect. Russiæ. 286
Ioannes Menzykus Dambrouius Palatin. Russiæ. 289
Ioannes Szaffranecius Episcop. Vladislau. 289. 294
Ioannes Monuidus Palatin. Trocen. 290. 295
Ioannes Iarognieuius. 287
Ioannes Strassus Bialaczouius. 293. 299. 301
Ioannes Leuinus Velczynius. 294
Ioannes Koniecpolius Cancellarius Regni. 296. 306. 308. 337. 340. 343
Ioannes Albertus Filius Casimiri Regis. 355. 418. 425. 426. 427. 428
Ioannes Albert. Rex Poloniæ. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441
Ioannes Albert. Dux Megapolitanus. 592. 594. 597. 616. 617
Ioannes Amor Tarnouius Castellanus Sandecensis. 359. 361. 464. 498. 499. 502
Ioannes Brzezius Trocancellar. Episc. Vladislauien. 368. 369. 373. 355
Ioannes Brzezius Legatus ad Pontificem. 337
Ioannes Brzezius Episcopus Cracouien. 373
Ioannes Brzezius Archidiacon. Gnesnen. 342
Ioannes Czyzouius Castellanus Cracouien. 308. 320. 328

Ioan-

Ioannes Czyzouius Castellan. Sendomirien. 301
Ioannes Colda Boemus. 342. 343
Ioannes Borouinius. 318
Ioannes Baisenus Prutenorum Legatus ad Regem Casimirum. 335
Ioannes Baisenus gubernator Regis in Prussia. 339
Ioannes Capistranus Italus Franciscan. Monachus. 334
Ioannes Dambrovvca Secretarius Regis. 373
Ioannes Dlugossus Secretar. Regis. 373
Ioannes Dlugossus Canon. Cracouien. 355. 389. 392. 395. 399. 403
Ioannes Dlugossus designatus Archiepisco. Leopoliensis. 424
Ioannes Dux Masouiæ, filius Boleslai Ducis Masouiæ. 343. 363. 367
Ioannes Episc. Signien. 307
Ioannes Felix Tarnouius. 341
Ioannes Gruszcynius Custos Cracouien. 316
Ioannes Gruszcynius Episc. Cracouiensis. 357. 367. 371
Ioannes Gruszcynius Episc. Vladislauien. 325
Ioannes Gruszcynius Archiepisc. Gnesnen. 175. 405
Ioannes Gliuicensis Dux. 376
Ioannes Huniades Transyluaniæ Palatin. 310. 313. 314. 315. 316. 317. 325
Ioannes Iscra Boemus. 310. 315. 325
Ioannes Iscra. 350. 351
Ioannes Kotficius. 348
Ioannes Kuropatua Præfectus Chelmen. 353
Ioannes Kuropatua Præfectus Osuiecimen. 334
Ioannes Lascyus Subcamerar. 349
Ioannes Lascyus Præfectus Zincouiensis. 332
Ioannes Niemeczius Præfectus Latissouien. 332
Ioannes Odrouanzus. 376. 464
Ioannes Odrouanzus Palatinus Podoliæ. 420
Ioannes Ostrouicius cognomine Nassia- 55
Ioannes Osuiecimensis Dux. 331. 334
Ioannes Pereneus Legatus ad Regem Polon. 307
Ioannes Palæologus Constantinopol. Imperator. 314. 315
Ioannes Pilecius. 321. 464
Ioannes Pilecius Castellan. Cracou. 417
Ioannes Pilecius Regis Vngar. Cubicularius. 517
Ioannes Rabsteinius Legatus ad Ladislaum Vng. Regem. 338. 408
Ioannes Ressouius. 318. 319. Episc. Cracouiensis. 401
Ioannes Rosembergius Boemus Legatus ad Casimirum Regem. 337
Ioannes Ratiborienses Duc. 376
Ioannes Ribnicensis Dux. ibid.
Ioannes Rituianius. 341. Præfectus Sēdomirienses. 344. Mareschalcus Regni. 396. 403. Castellanus Sendomirien. 409. Palatin. Cracouien. 417
Ioannes Rydzinius. 341
Ioannes Schadecus Secretar. Regis. 373
Ioannes Sienenius. 308. Præfectus Sendomirien. 311
Ioannes Schalius Præfectus Præsidij Regij. 368
Ioannes Sprouius Archiepiscop. Gnesnen. 375
Ioannes Synouiecius Præfect. arcis Osuiecim. 349
Ioannes Sueborouius. 345
Ioannes Strelcius Canon. Cracouien. 318
Ioannes Vlodecus. 305
Ioannes Vodelius. 340
Ioannes Zauisius Præfect. Colensis. 341
Ioannes Vedelius Præfect. Valciæ. 356
Ioannes Zaremba Castellan. Siradien. 359
Palatin Cal[illegible]ien. 489. 492
Ioannes Muzilo Palatin. Podoliæ. 393
Ioannes Tarnouius Castellanus Voinicen. 394. 403
Ioannes Vantropa Canonicus Cracouien. 396. 400
Ioannes Zborouius Legatus ad Tartaros. 396
Ioā. Zbor. turmæ Præf. 607. Præf. Odolanouien-

uiensis. 642. Aulici militis Præfectus. 665.697.713. Castellanus Gnesnen. 741
Ioannes Zalius. 384
Ioannes Ostrorogius Castellanus Miedzyrecensis. 386
Ioannes Tieffenius Crucif. Magister. 432. 434 440
Ioannes Vinclerus Iurisconsultus. 386
Ioannes Srancius. 387
Ioannes Sempinius eques Polonus. 389
Ioannes Lossouicius Episcop. Vilnen. 390
Ioannes Bielicus Silesius. 406 407
Ioannes Saganensis Dux. 407.420
Ioannes Dreuicius Secretarius Regni 416
Ioannes Sonnebergius. 419
Ioannes Baisenius Castellanus Elbingen. 422
Ioannes Lasocius scholasticus Cracouien. 423
Ioannes Moscorum Dux. 423.438.449
Ioannes Karnkouius equitum præfectus. 425
Ioannes Karnkouius Episcop. Premyslien. 519 Episcop. Vladislauien 527.540
Ioannes Masouiæ Ducis Conradi filius. 444
Ioannes Zabrezinius Palatinus Trocensis. 445. Marescallus Lituaniæ 442.445 446.450
Ioannes Vapouius Friderici Cardinalis minister. 443
Ioannes Lubranscius Episcopus Posnanien-sis. 442.452.459.471
Ioannes Lascius. 602. Cancellarius Regni. 450. 451. Præpositus Scarbimirien. 444. Archiepiscopus Gnesnen. 463. 464. 465. 475. 476. 478. 481. 526.527
Ioannes Baduarius Venetorum Legatus. 443
Ioannes Baptista Castaldus Italus. 581. 582.588
Ioannes Basilides Moscor. Princeps. 577. 590.593.598.602.614
Ioannes Baptista Tenczynius. 730
Ioannes Bessus eques Silesius. 632
Ioannes Bonerus. 454. 463. Præfectus Salinarum. 474. Castellanus Chelmensis. 584
Ioannes Bathianus. 517
Ioannes Bornemissa. 680.717
Ioannes Buringus. 668.673
Ioannes Brinkius Tribunus Rigen. 753
Ioannes Boratinius equitatus Polonici ductor. 482
Ioannes Camienecius Castellanus Leopolien. 455
Ioannes Carnkouius Præpositus Scarbimirien. 482
Ioannes Catianerus Regis Ferdinandi exercitus Dux. 526.541.542.543
Ioannes Chodkieuicius. 610.613. Præfectus Samogitiæ. 642. Liuoniæ administrator 666. Castellanus Vilnen. 677
Ioannes Comes Scepusius. 462. Palatinus Transyluaniæ. 469.471.512.518
Ioannes Choinius Archidiaconus Cracouiensis. 526. Episc. Premyslien. 527. Episc. Cracouiensis. 540
Ioannes Comes Canischius. 473
Ioannes Chelmscius. 578
Ioannes Comes Schlickius. 629
Ioannes Colonienſis Dux militum Gedanensium. 665
Ioannes Cuspinianus Legatus Cæsar. Maxim. 470 471.473
Ioannes Dantiscus Secretarius Regis Sigismundi 474 526. Episcopus Varmien. 544
Ioannes Docia Vngarus. 536.537.538
Ioannes Dtaffgius Curiæ iudex. 517
Ioannes Drotouius Episc. Cuiauien. 583. 584
Ioannes Demetrius Solicouius Regis Secretarius. 625.706
Ioannes Dubrauius Episc. Olomucen 559
Ioannes Dux Lignicen. cognom. Fatuus. 577
Ioannes Dux Megapolitanus. 612
Ioannes Dziadusius Episcopus Premyslien. 576 578
Ioannes Exechius Quinqueccleſien. Episc. 549
Ioannes Finlandiæ Dux. 607
Ioannes Firleius Palatinus Lublinensis. 611. 634 Palatinus Cracouien. & Magnus Regni Mareschallus. 625. 642.644.645
Ioannes Fridericus Dux Pomeraniæ. 629
Ioannes Funccius. 616.617
Ioannes Garonna Gallus. 727
Ioannes Georgius Brandeburgen. Elector. 672. 705
Ioannes Iordanus. 635.638
Ioannes Herburtus Castellanus Sanocen. 642 710
Ioannes Latalscius Episc. Posnanien. 523. Archiepiscop. Gnesnen. 540. Palatinus Posnanien. 583
Ioannes Hlebouitius Castellanus Minscen. 677
Ioannes Lesnouolscius. 723
Ioannes Kiszka structor Regis. 675
Ioannes Lutomirscius Castellanus Siradien. 626
Ioannes Konopacius Episcop. Culmensis. 493
Ioannes Kostka Castellanus Gedanen. 617. 625. 626. Palatinus Sendomirien. 661
Ioannes Krotoscius Palatinus Inoulodislauien. 628
Ioannes Kretkouius Przyiemsciana turmæ legatus. 724
Ioannes Kuchenmeister Maximil. Cæsaris Orator ad Regem Polon. 461
Ioannes Macieiouius Regis Vngariæ Cubicularius. 517
Ioannes Magnus Moscouiæ Dux. 569
Ioannes Moraxius Legatus Cæsar. Maximil. 470
Ioannes Malczan Baro Silesius 628
Ioannes Michael Viscouius Cancellarius Mosci. 631
Ioannes Munchausius. 602
Ioannes Naszczekinus Aulicus Mosc. Principis. 695.701
Ioannes Filius natu maior Moscor. Principis Ioan. Basilidis. 725
Ioannes Oberdanscius Vngar. Legat ad Turcam. 521
Ioannes Ociesius Regn. Polon. Cancellarius. 577.584.593.606,607
Ioannes Orissouius. 706
Ioannes Podkoua Valachus Dux velitum seu Kosakorum. 671
Ioannes Potocius turmæ Præfectus. 607
Ioannes Przerembius Præpositus Cracouien. Procancellarius. 577. Archiepisc. Gnesnen. 601
Ioannes Radecius. 637.638.639
Ioannes Rex Sueciæ. 641.706.719.727 730.731.732.735.738
Ioannes Sapieha Cancellarius Lituan. 458
Ioannes Salicetus Iurisperit. Cos. Gedanen. 510.511
Ioannes Scepusius Vngar. Rex. 519.520. 523 525.581.588.628
Ioannes Sierakouius. 571. Palatinus Lencicienſis. 626
Ioannes Sigismundus Transyluaniæ Princeps. 600.612.614.618.619.621. 623 624.628
Ioannes Sluzeuius Palatinus Brzesten. 617
Ioannes Snieporodus Tenutarius Vitepscien. 611
Ioannes Snellius. 616.617
Ioannes Staphileus Legatus Pontific. 463
Ioannes Statilius Episc. Transyluan. 529
Ioannes Suirczouius velitum Polon. Dux. 464.468.480. 489
Ioannes Taluoßius Samogitiæ Castellanus. 628
Ioannes Tarlo præfectator Regis. 482. vexillifer Leopolien. 634
Ioannes Tassius Prætor Rigensis. 750. 753.754
Ioannes Taubius. 630
Ioannes Thurzo Episc. Vratislauien. 463. 474
Ioannes Tomicius Castellanus Gnesnen. 642
Ioannes Tuorouius. 460. 474. 477. 484
Ioannes Vyssocius Abbas Landensis. 601
Ioannes Voieiko Cubiculi minister Moscor. Principis. 699
Ioannes Zamoiscius Præfectus Belzen. 642. Regni Polon. Cancellarius. 669 678.

678.679. 680. 684. 686. 690. 696.697. 698. 699.700. 709. 713. 714. 715.716.717.718.719. 722.723.724 725.726.727.728 733.734.736.738.739.740.743 744.742.743
Ioannes Zbaraſtius Palatin. Braslauien. 676.687
Iobus Epiſc. Pomeſanien. 463
Iodocus Moraniæ Marchio. 264
Iodocus Commendator Tucholienſis. 287
Iodoc. Epiſc. Oſilien. 373
Iodoc Epiſc. Vratislauien. 378
Iodoc. Epiſc. Derpatenſis. 577
Iolenta vxor Boleſlai Caliſien. 161
Iordan Spitco Melſtinius Palat. Sendomirien. 607
Iſaacus Trapezuntius Regis Perſarum Legatus. 411
Iſabella Dux Barenſis Mater BONÆ Reginæ Polon. 502
Iſabella Sigiſmundi Regis Polon. Filia Vngar. Regina. 483.547.534 550.551. 555.557.563.565.580.581.584.587 602. 628
Iſidorus vexillifer Vitepſcenſis. 611
Iuditha Boleſlai Criuouſti Polon. Principis filia. 81
Iuditha Filia Geiſæ Vngar. Principis. 51. 55
Iuditha Vratislai Boem. Principis Filia. 70.71
Iuditha Conradi Ducis Opolien. vxor. 137
Iuanus Dux Czartorien. 308
Iulianus Cæſarinus Cardinal. Epiſc. Sabinenſis. 312 315.318
Iulianus Salazarius. 560
Iulius Pontifex Roman. 464
Iulianus Cæſarinus Auditor Cameræ Pontif. 274
Iuo Epiſc. Cracouien. 129. 131. 135
Iuonia Palatinus Valachiæ. 634. 638. 649. 653. 654. 655. 650. 651. 658. 660
Izaslaus Kiiouienſis Princeps. 61.63.64
Izaslaus Halicienſis Dux. 100.303

K.

Keiſtutus Lituaniæ Dux. 203. 207. 209.218. 219. 277
Keſgello Nobilis Lituanus. 263

L.

Ladislaus Palocius Legatus ad Regem Polon. 307
Ladislaus filius Belæ Vngar. Regis. 67. 69
Ladislaus Rex Vngariæ. 166.169
Ladislaus Rex Neapolitan. 262
Ladislaus Auſtriacus Vngar. & Bohem. Rex. 332 336 337.338.342.351
Ladislaus poſthumus filius Alberti Cæſaris. 308 309.313
Ladislaus Gara Præfectus Arcis Viſſegrad. 309.310
Ladislaus poſthumus Rex Vngariæ. 319
Ladislaus Archiepiſcopus Strigonien. 517
Ladislaus Kereczynius Iulæ Præfectus. 621. 622
Ladislaus Sternbergius Regni Bohem. Cancellarius. 471
Lambertus Cracouien. Epiſcopus. 51. 70. 71
Lampertus cognom. Zula Polon. Archiepiſc. Cracouien. 62
Lampertus Filius Belæ Vngariæ Regis. 67
Lampertus Canonicus Cracouienſis Legatus Pontificis. 70
Lancaſter Regis Angl filius. 235
Laurentius Zarembæ Caſtellanus Siradien 304 290. 311. Caſtellanus Caliſienſis. 327
Laurent. Goslicius. 710
Laurentius Goslicius Decanus Plocenſis. 752
Laurent Myſzkouius. 466.490
Laurent. Papagoda Neapolitan. famulus Aulæ Polonicæ. 592.601
Lau-

Laurent. Iuranitius. 621
Laurent. Santeius Vicedomin. Auſtr. Cæſar. Conſiliar. 470
Laurentius Scarbecus Turmæ Zborouianæ Legatus. 727
Laurentius Voina Theſaurarius Liuan. 686
Lazarus Suendius Dux belli. 612. 614. 615
Lechus Polonorum I. Princeps. 3. 40
Lechus II. Polonorum Princeps. 41
Leo VIII. Pontifex Rom. 51
Leo Ruſſorum Dux. 153.154.162
Leo Bukouiecius nuncius ad Ioannem Baſilidem Moſcor. Princ. 663
Leo X. Pontifex Rom. 465. 475.479
Leonhardus Gnoinius Polonus. 516
Leonhardus Lauredanus Venetorum Dux. 465
Leonhardus Velſius Rhetus. 550.551
Leſcus Ii. Polonorum Princeps. 44
Leſcus III. Polonor. Princeps. 44.46
Leſcus IV. Polonor. Princeps. 50
Leſcus filius Boleſlai Criſpi Polon. Principis. 109.115
Leſcus Albus Princeps Poloniæ. 127. 128. 130.131.132
Leſcus Albus filius Caſimiri Polon. Principis. 119.122.121.125.126.127
Leſcus Niger Siradien. Dux Caſimiri Siradien. filius. 153.156
Leſcus Niger Princeps Polon. 162. 163. 164.165.167
Leſcus filius Ziemomysli Ducis Vladislau. 168
Leſcus Dux Cuiauien. 179
Leſcus filius Ziemomysli Dux Inoulodislau. 215
Leſcus Bobricius. 317
Lubartus Lucenſ. Dux. 223
Lubartus Dux Lituaniæ. 218.231
Lubartus Gedimini Ducis Lituaniæ filius. 200.203. 208
Lucas Gorkanus Caſtellanus Poſnanienſis. 462. 473. 526. Maioris Poloniæ Præfectus. 471. 510. Epiſc. Cuiauienſis. 541. Epiſcopus Poſnanien. 547. 590
Lucas Gorkanus. 313. Palatinus Poſnanien. 320.329.340. 373 376
Lucas Morauus Præfectus Peditum. 459
Lucius III. Pontifex. Rom. 118
Lutecus Aulicus Henrici Ducis Lignicen. 171
Ludmila filia Georgij Regis Boemiæ. 394
Ludouicus Rom. Imperator. 198
Ludouicus Rex Vngar. 203. 204. 205. 207. 209. 438
Ludouicus Marchio Brandeburgicus. 207
Ludouic. Vngar. & Polon. Rex. 212.213. 214.215.216.217.218.219.220. 221.222.223.224. 227
Ludouic. Bauariæ Dux. 247. 473. 361. 364.368
Ludouic. Mortangus Caſtellanus Culmen. 387
Ludouic. Erlichshauſen Crucifer. Magiſter. 330. 335. 336. 339. 344. 352. 370. 371. 380. 381. 386. 387
Ludouicus Præfectus Lubauien. 375
Ludouic. Comes Palat. 645
Ludouic Grittus. 520 523.525.530.536 537 558. 565
Ludouicus Iagellonius Vngar. & Bohem. Rex. 459. 461. 470. 471. 472. 473. 476. 482. 483. 498. 503. 504. 505. 512. 513. 514 516. 517. 518
Luffiſbeius Baſſa Turcarum Imperator. 520
Lotharius Cæſar. 91.93.96

M.

Machmet ſuprem. Conſtantinopoli Baſſa. 641
Magnus Comes Vratiſlauienſis Præfectus. 74.75
Magnus Holſatiæ Dux. 602. 603. 607. 629.

629.666.671.729.739.741
Magnus Comes Præfectus Masouiæ. 86
Mahometes Turcarum Imperator. 354. 406.410.411.412.414.415
Mahometes Impp. trium Turcicorum Consiliarius. 673
Mahometkereius Tartarorum Precopiensium Princeps. 440.442
Mahometes Bassa Albanus. 622
Mahometes Belgraden. Præfectus. 551.552 553
Mahometchireius Tartaror. Tauricanor. Princeps. 732
Mahometkiereius Tartarorum Taurican. Princeps. 456.500.501
Mahometkereius Tartarorum Crimæorum Princeps. 747
Marcus Palatinus Cracouien. 130.133. 136
Maniacus Dux Tartarorum Zauolgensium. 395
Marcus Venetus Presbyter Cardinalis Legatus Pontificius. 402.403
Marcus Antonius Ferrarius. 581
Marcus Horuathus Præfectus Zigethi. 595.596.597
Maria cognom Dobrogneua vxor Casimiri Regis Poloniæ. 59.61.71
Margareta Nicolai Zembocij vxor. 68
Margareta soror Frid. Austriæ Ducis vxor Premislai Boemi. 149
Margareta Virboslai Comitis vxor. 157
Margareta Masouia Conradi Nicolai Olesnicensis Ducis vxor. 363
Margareta soror Regis Galliæ Caroli. 643
Maria Ludouici Vngar. & Polon. Regis filia. 215
Maria Sigismundi Vngar. & Rob. Regis vxor. 215.222
Maria Austriaca neptis Maximiliani Imper. 473.469.470.472
Marquardus Salisbachius Commendator Brandeburg. 253
Marquardus Streinius Legatus Cæs. Maximil. 470
Martinus Cromerus rerum Polonicarum Historicus. 3.613
Martinus Archiep. Gnesnen. 75.77.78. 81
Martinus Bariczka Vicarius Basilicæ Cracouien. 203
Martinus Vrocimouicius vexillifer Cracouiensis. 251. Dapifer Cracouien. 411. 412.414. Legatus ad Boemos. 395
Martinus Labissinius Palatinus Brzesten. 257
Martinus V. Pontifex Rom. 297
Martinus Cogius ciuis Gedanensis. 347
Martinus Gastoldus Palatinus Kiiouien. 398
Martinus Truchses Commendator Osterroden. 416. Cruciferorum magister. 416.419.420.421.422 452
Martinus Cziczuicius Nobilis Pomeranus. 381 382
Martinus Cressouicius Episc. Lucen. 390
Martinus Bielscius Annalium Polonicor. scriptor. 455
Martinus Bronieuius. 639
Martinus Camienecius Palatinus Podoliæ. 464.477 485
Martinus Gisius Procurator Rigen publicus. 749.750.753.754.755
Martinus Kasanouius. 688.711
Martin. Krouicius. 580
Martin. Kurcius. 686
Martin. Opoczynius. 580
Martin. Zborouius Palatin. Calisien. 576.578 583.590
Martin. Zborouius Castellanus Criuinen. 590
Maslaus Pocillator Regis Mieczeslai. 57. 59.60
Matthias Golanczeuius Episc. Vladislau. 189
Matthias Tholonieius Dalmatiæ & Croatiæ Præfectus 307
Matthias Tholca. 373
Matthias Huniades Vngariæ Rex. 350. 371.390.391.394.395.396.397. 398.399.400.401.402.403.404 405.406.407.408.409.410. 413.415.416.417.419.420.421. 422.423.426.427
Matthias Schuman Iurisperit. Gedanen. 370
Matthias Episc. Vilnensis. 328

Matthias Brzenius Prutenus Præfect. peditum. 377
Matthias Mossynius Præfectus Maior. Polon. 407.415
Matthias Miechouius Medic. Regis & Mathematic. 443. Astronom. 470
Matthias Dreuitius Episcop. Premyslien. 444.452. Episc. Cuiauten. 473.479. 483. Archiepisc. Vladislau. 527
Matthias Dembinius. 668.670.673
Matthias Horstius. 616.617
Matthias Logophetus Cancellar. Valach. Palatin. 461
Matthias Kierekesius. 718
Matthias Kosielscius. 635.638
Matthias S. Angeli Cardinalis Episcop. Gurcen. 470
Mauritius Rom. Imp. 3
Mauritius Saxoniæ Dux. 558
Mauritius Vrangel Episcop. Reualien. 602
Maximilianus Friderici III. Imp. filius. 390 426
Maximilianus Imperator Roman. 461. 462 463. 464 465. 466. 469. 470.471.472.473.474.475.476 479.480.481 482.483. 519.532. 566
Maximilianus Ferdinandi Filius Cæsar. 611.612.613.614 615.616.624. 628. 632. 646. 647. 661. 662. 663
Melchior Balassa Zatmariæ Præfect. 611. 612
Melchior Rhederus Baro Silesius. 716
Mendocus seu Mindacus Lituaniæ Dux. 149 150. 154
Mengligeres Tartaror. Taurican. Princeps 393. 412
Mendlikereius Tartaror. Taurican. Dux. 442.443 449
Mescislaus filius Izaslai Dux Russ. 55. 64
Mescislaus Dux Halicien sis exul. 115. 116
Mesciugus Satrapa in Pomerania. 113
Mestuinus seu Mesciugus filius Suentopelci Ducis Pomer. 156.157
Mezites Bassa Dux exercitus Turcici. 513
Michael Dux Zaslauius. 232
Michael Kuchemeister Præfectus Nouæ Marchiæ. 245.257.258
Michael Kuchemeister Crucifer. Magister. 263
Michael Baba Russus. 284
Michael Buczacius Præfect. Kamienecen. 284.300. Præfect. Podoliæ. 305.327. Præfect. Sniatinen. 406
Michael Sigismundus Ducis Staroduben. filius. 290
Michael Sigismundi Ducis Lituan. filius. 310.311.316 317
Michael cognom. Sromotny Præfect. Passenheimi. 355
Michael Olelkouicius Dux Kiiouien. 398
Michael Lasocius Præfectus Lenczycien. 379
Michael Glinscius Dux Russ. 445.450. 451
Michael Funichous Thesaurarius Mosci. 631
Michael Haraburda. 732
Michael Hauelus Paræcus Buden. 462
Michael Iaslouiecius Præfect. Cumielnicen. 635.636
Michael Nosdrouatus. 720
Michael Vadasius Præfect. militum Vng. 680
Michael Visnieuiecius Castellanus Braslauien. 688
Mikolaieuius. 662
Miecislaus I. Polon. Christianus Princeps. 50.51
Miecislaus II. Rex Polon. 55 56
Miecislaus Maior. Poloniæ Dux. 96.104. 109
Miecislaus Dux Ratiborien. & Opolien. 106 114 119 129. 141.142.146. 149
Miecislaus senex Princeps Polon 110 111. 112. 113. 115. 117. 119. 120. 124
Miecislaus Dux Opolien. 137.144
Miesco filius Casimiri Regis. 61
Miesco Boleslai audacis Regis Polon. filius. 70
Moses Buslaus Aulæ Regiæ Vng. Præfect. 471

N.

Nanckerus nobilis Silesius Episc. Cracouien. 177. 188. Episc. Vratislauien. 200. 206
Narimundus Iagellonis frater. 236
Nicolaus Palatin. Cracouien. 114. 117. 119. 121. 123. 125. 127
Nicolaus Zembocius Comes. 68
Nicolaus Henrichouius. 128
Nicolaus Dux Opauiensis. 176
Nicolaus Cossutouius Præposit. Gnesnen. 214
Nicolaus Curnicius Episcop. Posnanien. 221
Nicolaus Opauiensis Dux. 220
Nicolaus Episc. Vladislauien. 226
Nicolaus Strosbergius Præposit. Posnanien. 232
Nicolaus Moskorouius Præfect. Vilnensis. 233. 235. 236
Nicolaus Chrzanstouius. 245. Tribunus Cracouien. 337. vexillifer Cracouien. 401
Nicolaus Curouius Archiepisc. Gnesnen. 245 247. 264
Nicolaus Michalouius Castellanus Sendomirien. 245. Palatin. Sendomirien. 249. Castellanus & Præfect. Cracouien. 292. 293
Nicolaus Gara Palatin. Vngar. 247
Nicolaus Tramba Regni Procancellarius. 249 253. 256
Nicolaus Kielbassa. 252
Nicolaus Synouecius. 257
Nicolaus Cebulka Legatus ad Sigis. Cæsar. 268
Nicolaus Dreuicius Custos Sendomirien. 284
Nicolaus Lassocius Decan. Cracouiensis. 296 Episc. Vladislauien. 325
Nicolaus Kotsicius Silesius. 300
Nicolaus Fristacius Croaciæ Præfect. 309 310
Nicolaus Czaika Præfectus Scepusii. 312
Nicolaus Komorouius. 312
Nicolaus Szarleius Palatin. Inoulodislauien. 340. 341. Palat. Bresten. 329
Nicolaus Morscius vexillifer Sendomirien. 341
Nicolaus Rituianius.
Nicolaus Gnoinius. 347
Nicolaus Turscius presbyter. ibid.
Nicolaus Pienianscius Præfectus Cracouien. 349. 361
Nicolaus Pouala Succamerar. Sendomirien. 316
Nicolaus Pont. Rom. 324. 325
Nicolaus Scora Castellan. Calisien. 327
Nicolaus Blascouicius Silesius Episc. Premyslien. 329
Nicolaus Koscielecius Palatin. Inoulodislauien. 361. 373. Palatin. Bresten. 369
Nicolaus Gaiouius Castellanus Calisien. 361
Nicolaus Bogleuius Palatin. Varsauien. 367
Nicolaus Malcus ICtus. ibid.
Nicolaus Mirzenecius Orator Ducum Masou. ibid.
Nicolaus Kuczynius Præfectus Gostinensis. ibid.
Nicolaus Veissembachius. 372
Nicolaus Czarnkouius Castellan. Gnesnen. 373
Nicolaus Pilauius. 373. Castellan. Gedanen. 387
Nicolaus Zalinius. 373. 375
Nicol. Tungenus Canon. Varmien. 389. 406 Episc Varmien. 402. 407. 412 414. 419. 420. 421. 422
Nicolaus Pereneus. 404
Nicolaus Tenczynius. 408
Nicolaus Firleius Legatus ad Baiazetem Turcicum Imp. 426. Præfect. Lublinensis. 443. Palatin. Lublinen. Dux exercitus Pol. 456. 457. 458. 464. Palatin Sendomirien. 473. 477. 486 487. 488. 492. Castellan. Cracouien. 591
Nicol. Firleius Castellan. Vislicien. 617. 626
Nicol. Firleius Præfect. Casimir. 642

Nicolaus Chodecius cognom. Zemelka. 428
Nicolaus Golambicus Episc. Camienecen. 390
Nicolaus Prochnicius Episc. Camienecen. ibid.
Nicolaus Scopus Castellan. Osuiecimen. 391
Nicolaus Episc. Camienecen. 399
Nicolaus Kuczienius Palat. Lenczycien. 399. 402
Nicolaus Radiuilus Palatin. Trocen. 446 Pincerna M. Ducatus Lituan. 442. Palatin. Vilnensis. 473. 539. 576. 603. 604. 612. 666. 676. 678. 680. 686. 694. 697. 720. Regis pocillator. 570
Nicol. Bassorekus Moscus. 724
Nicolaus Bolulerius peditum Legatus. 595 596 597
Nicolaus Brudzeuius Palatin. Lenczycien. 576
Nicol. Camienecius Palatin. Cracouien. 460. 461. 463. 464. 474
Nicol. Caculus Vngarus nuncius ad Cæsarem Maximilian. 471
Nicol. Caas Regis Dan. Consiliar. 629
Nicol. Christophorus Radiuilus Mareschalcus Curiæ Lituanicæ. 642
Nicol. Comes Salmen. 559. 580. Legatus ad Reginam. 550
Nicolaus Comes Zerinius 595. 614. 619. 620. 621
Nicol. Copernicus Canonic. Varmiensis. 500
Nicol. Dorobostaiscius Palatin. Polocien. 676
Nicol. Dzierskouius Episc. Cuiauien. 559. Archiepiscop Gnesnen. 564. 571. 574. 576. 578. 583
Nicol. Eick Burggrabius Rigen. 749. 750 753. 754. 755
Nicol. Gildenstern Regis Suec. Cancellarius. 629
Nicol. Grabouecius. 613
Nicolaus Herbortus. 635. 636. 637. 638
Nicol. Hertzkius quæstor Regis Vngar. 517
Nicolaus Iordanus Scepusien. Præfectus. 474
Nicolaus Iuritsch Præfectus Gunzæ. 531
Nicol. Korsius. 673
Nicolaus Kurzelius equitum Præfectus. 628
Nicolaus Mielecius Palatinus Podoliæ. 597. 633. 634 635. 636 637. 638. 639 642. 674. 678. 686. 687. 693
Nicol. Myszkouius Regiæ mensæ structor. 563
Nicol. Olesnicius. 577
Nicol. Pilecius. 464
Nicol. Reius. 577
Nicol. Russocius Castellanus Biechouien. 543
Nicolaus Sapieha Palatinus Minscen. 664
Nicol. Steniauius Castellanus Belsen 541. Præfectus militiæ Campestr. 544. Turmæ Præfectus. 607. 633 637. Palatin. Russiæ 623. Præfect. Strien 633. Castellanus Camienecen 672. Russicarum copiarum Præfect. 697
Nicolaus Serinius. 543
Nicol. Schadecus Rector Academ. Cracouien. 572 573
Nicol. Szydlouiecius Castellanus Sendomir. 473. 503
Nicolaus Taluosius Castellanus Samogit. 732
Nicolaus Trzebuchouius Cameræ Præfect. 601
Nicol. Volscius nuncius ad Pontif. Rom. 469. Episc. Vladislauien. 613
Nicol. Vrouiecius Præfect. Equitum. 687. 714. 743
Nicol. Zborouius. 613
Nossus Dux Russus. 292. 295
Nurduualdus Tartar. Taurican. principis Legatus. 387. 393. 428

O.

Ochialis Maris Præfect. 748
Oleko Dux Kiouien. 347

Olgerdus Lituaniæ Dux. 204
Opisso Legatus Pontificis. 153
Osmannus Bassa. 746
Osvaldus Karlacius Vladislai Vng. Regis Legatus ad Sigismun. Polon. Regem. 452.461.463
Otto Ruffus Imp. Rom. 52
Otto filius Casimiri Regis Polon. 61
Otto Marchio Moraviæ. 88.91
Otto filius Mieczislai Maior. Polon. Ducis. 105.113.124
Otto Marchio Brandeburg. 148.173
Otto Longus Marchio Brandeburg. Elector. 170.173
Otto Brunsdorffius Commendator Magnus. 193
Otto Pilecius Palatinus Sendomirien. 203. Præfectus Maioris Poloniæ. 214
Otto Bauariæ Dux. 208
Otto Szczekarouius. 203
Otto Machuiczius. 362. Palatinus Pomeraniæ citerioris. 387
Otto Chodeczius Palatinus Podoliæ. 464
Ottocarus I. Rex Boemorum. 146.150.158.160
Ottocarus seu Premyslus Venceslai Regis Boem. frater. 149
Ouczyna Starodubi Præfect. 539

P.

Pacoslaus Palatin. Sendomirien. 133
Paulus Episc. Cracouien. 158
Paulus Episc. Posnanien. 173
Paulus Spicimirius Palatin. Lenczycien. 189
Paulus Sciukouius. 240
Paulus Vladmirus Custos Cracouiensis. 271
Paulus Verincus Germanus. 273
Paulus Rusdorffius Cruciferor. Magister. 273.
Paulus Iasenius Aulicus Regis. 365. Castellanus Sendomirien. 423. Præfect. Belsen. 395. 400. Regni Thesaurarius. 409.414.415
Paulus Lehndorff Episc. Varmien. 360. 368.377.379.389
Paulus II. Pontifex Rom. 375
Paulus Grabouius Episcop. Chelmen. 318. 375
Paulus Gizicius Episc. Plocen. 320.345. 363.369
Paulus Balicius Legat. ad Boem. 399
Paulus Laodien. Episc. ibid.
Paulus Hunouius Palatinus Belsensis. 417
Paulus Glouinius Legatus ad Pontificem. 395.
Paulus Chanczouius. 636
Paulus III. Pontifex Rom. 547
Paulus Pharureius. 479
Paulus Scalichius. 616.617.618
Paulus Tomoræus Archiepisc. Colocen. belli Dux. 513.515.516.517
Paulus Vobisserus. 616.617
Paulus Vchanius Orator Reg. ad Pontificem. 695
Paulus Grabouius Præpositus Curelouien. 221
Petrasius Malocha Præfect. Lencicien. 221.226
Petrus Szaffraniecius. 219.244
Petrus alatin Moldauiæ. 233
Petrus Korsbock 248
Petrus Szaffraniecius Succamerar. Cracouien. 249.259.260
Petrus Miedzucius Magister militia. 257
Petrus Vlodecus Charbinouius Præfectus Podol. 261
Petrus Vissius Episc. Posnanien. 264
Petrus Rittersius. 284
Petrus Archiepiscopus Gnesnensis. 109. 139
Petrus Diacon. Cardinalis cognom. Capuanus Legat. Pontif. 121
Petrus Vlostouicius Comes Xianzensis. 93
Petricus Nobilis Polon. 68.69
Peregrinus Veissemburgius. 133
Petrus Danus Comes Scrinnensis. 98. 99
Petrus Palatin. Cracouien. 155

Petrus Cancellarius Pomeraniæ citer. 178
Petrus Gruasius Canonicus Anicien. leg. Pontificius 198
Petrus Falconius Episcopus Cracouien. 203
Petrus Psonka 203.204
Petrus Valachiæ Palatinus 206
Petrus Cypriorum Rex 207
Petrus Episcopus Lubussensis 209
Petrus Kmitha Præfectus Lencicien sis 218
Petrus Kmitha 464.471.522
Petrus Kmitha Mareschallus Regni 511. 522.526
Petrus Kmitha Palatinus Cracouiensis 571.576.578.583.584.585
Petrus Oporouius Palatinus Lenczicien. 345.369.373.376
Petrus Duninus Succamerarius Sendomirien sis 360.362.364.365.370
Petrus Odrouanzus Palatinus Russiæ 311.312.326.327
Petrus Szamotulius Palatinus Posnanien. 359
Petrus Szamotulius Castellanus Posnanien sis 338.342.350.388
Petrus Latossinius 318
Petrus Curouius Castellanus Sandecen. 321
Petrus Chranstouius Episcopus Premyslien. 329
Petrus Szaffranecius 325.326.331.332. 337
Petrus Scecocinius Procancellarius 341
Petrus Comorouius 356
Petrus Ercleus Pontificius Cubicularius 389
Petrus Duninus Castellanus Siradien. 416
Petrus Duninus Præfectus Mariæburg. 420
Petrus Bninius Episcopus Vladislauien. 533
Petrus Myscouius Præfectus Leopolien. 539
Petrus Komorouius 401
Petrus Gunicius 407
Petrus Barzius legatus Regis Pol. 592
Petrus Bickouius Nobilis Polonus 732
Petrus Bilden Regis Dan. Consiliarius 629
Petrus Boratinius 584.585.270
Petrus Choroscinus Palatinus in Mosc. 673
Petrus Czarnkouius Palatinus Posnan. 579
Petrus Firleius Palatinus Russiæ 591
Petrus Gamratus Episcopus Plocensis 540
Petrus Gamratus Archiepiscopus Gnes. 559.564
Petrus Gamratus Episcopus Cracouien. 577
Petrus Gardianus Gallus 710.719
Petrus Kloczeuius Castellanus Zauichostien. 699
Petrus Korlatheius 517
Petrus Lubomirscius Reg. Polon. Aulicus 557
Petrus Moldauiæ Palatinus 557.528. 529.530.531.536.545.556.557. 565
Petrus Mora Hispanus 471
Petrus Moraxius legatus ad Moscum 479
Petrus Myszkouius Episcopus Plocen. 645
Petrus Opalinius Castellanus Landen. 531
Petrus Opalinius Castellanus Gnesnen. 547
Petrus Perenus 518.551.554.558
Petrus Sisegaleider præfectus copiarum Moscouiticarum 631
Petrus Starzechouius Archiepiscopus Leopolien. 580
Petrus Suiscius Gubernator Plescouien. 600
Petrus Suiscius Dux exercitus Moscí 611
Petrus Tataus Palatinus in Moscouia 673
Petrus Tomicius Episcopus Premyslien. 471.481.487
Petrus Tomicius Episcopus Posnanien.

Regni Polon. Procancellarius 501
Petrus Vrsa Hisp. Regis legatus 473
Petrus Vichius cognatus Vngar. Regis 550
Petrus Visgerdus Lituanus nuncius ad Mos. um 729
Petrus Volscius Episcopus Plocen. 688. 695
Petrus Zatorscius 455
Petrus Zborouius Castellanus Biecen. 617
Petrus Zborouius Palatinus Sendomirien. 646
Petrus Zborouius Palatinus Cracouien. 661.742
Philippus Episcopus Firmanus legatus Pontificius 164
Philippus Franciæ Rex 184
Philippus Burgundiæ Dux 314.339
Philippus Callimachus Italus 318
Philippus Callimachus Tuscus Regiorum filiorum præceptor 432
Philippus Bischouius Consul Gedanen. 510.511
Philippus Comes Palatinus Rheni 524
Philippus Hispaniæ Rex 601.613
Philippus Padnieuius Regn. Procancellarius 601
Philippus Padnieuius Episcopus Cracouien. 606
Philo Kmitha Præfectus Orszensis 677
Philo Kmitha Palatinus Smolensien. 701
Phylantus Dryopum Rex 605
Piastus Poloniæ Princeps 48.49
Pipo Florentinus Comes Themeßien. 265
Pius II Pontifax Romanus 354 357. 358 371
Ponponius Lætus 432
Popielus Senior Princeps Polonorum 46
Popielus Iunior Princeps Polon. ibid.
Popo cognatus Suentopelci Ducis Pomeran. 151
Popo Magister Prussiæ 141.142.145
Prædislaus Pogorzelius Episcopus Vratislau. 206
Prædislaus Lanczkoronius 477.491
Prædislaus Lanczkoronius Chmielnicensis Præfectus 521
Prædislaus Suieiouius Bohemus nuncius ad Cæsarem Maximil. 471.479
Prædislaus Vauelius 227
Prædislaus Goluchouius Palatinus Calissien. 214
Predislaus Bohemorum Princeps 57
Predislaus Dux Boemor. filius Vratislai Regis Boem. 73.78
Prædislaus Dmosicius Præfectus Scepusien. 384
Predborius Konieczpolius Sendomirien. sis Castellanus 320.326.348
Premislus seu Lescus Polon. Princeps 44
Premislaus Boemorum Dux 78
Premislus Conradi Masou. Ducis filius 134
Premislus Posnanienſis Dux 144 147 148.150.151.158.160.161
Premislus Rex Boemorum 158.159
Premislus Sprottauiensis Dux 169
Premislus Maior. Polon. Dux 170
Premislus filius Ziemomysli Duc. Vladislau. 168
Premislus Posthumus Cracouien. & Sendomirien. Princeps 172
Premislus Posthumus Rex Pol. 173.174
Premislus Dux Glogouien. 180.181.186
Premislus Dux filius Ziemomysli Duc. Vladislau. 180 181.182
Premislus filius Ziemomysli Ducis Vladisl. Dux Bydgost. 215
Predborius Breczius 218
Premislus Dux Tessinensis 355.362
Premislus Dux Toscensium 327.331. 332.334.376
Prendota Episc. Cracouien. 146.149
Prendota Galca Odrouanzus 202
Prendota Lubessouius militiæ Magist. 348
Procopius Præpositus Sendomirien. 171
Procopius Pienianscius turmæ præfectus 717
Prosper Columna Italus princeps 481
Protasius Episcopus Olomucen. 390

Racheli-

Rodolphus Rom. Imperator 709
Romboldus Mareschalcus Lituan. 278. 286.295
Romanus Ostrogius Dux 479
Romanus Vladimirien. Dux 116.117. 120.121.126.127
Romanus Olphirio Moscus 724
Romanus Sanguko Lituanicar. copiar. præfect. 624
Romanus Russorum Dux 153
Roscislaus Dux Russiæ 70
Rudolphus Germanus Episcop. Lauantin. 380.384.386.387.388.389.423
Rudolphus Lauantinus Episcopus Vratislauiensis 391.393.404
Rutenus Plauenius 193

S.

Sachmates Tartarorum Zauolgensium Dux 400.442.446. 449
Sadachmetas Tartarorum Dux 331
Salomon Rex Vngariæ 71
Salomon filius Andreæ Regis Vngar. 63.65
Salomea filia Lesci Albi Polon. Principis 128
Salomea filia Suentopelci Ducis Pomeran. vxor Ziemomysli 156
Salomea filia Suentopelci Ducis Pomeran. 168
Samuel Macieiouius Episcopus Plocensis 559 Episcopus Cracouien. 564
Samuel Zborouius 742.743.744.752
Samborius filius Suentopelci Ducis Pomeraniæ citerior. 156.157
Sarduuius Præfectus Calißiensis 165
Satkiereius Tartaror. Tauric. Princeps 509.530.533
Sbigneus Ossolinius Nobilitatis Nuncius 752
Sbigneus nothus filius Vladislai Polon. Princ. 71.74.75.76.77.78.79 80. 82.89.92
Sbigneus Olesnicius Procancellarius Regni Episcopus Vladislauiensis 405

Sbigne-

Sbigneus Olesnicius Archiepiscopus Sb Gnesnen. 429.430
ùslaua Stopolci Kiiouien. Principis filia 78.82
Scarbimirus Palatinus Cracouien. 89
Scarbicus Comes legatus ad Henricum V. Cæsarem 84
Scarbimirus Magister militiæ 79.80.89
Schleinicius Nobilis Misnensis 465
Scripinius Præfectus Zlotoriæ 216
Sciborius eques Polonus 242
Sciborius Palatinus Transyluaniæ 247. 621
Sciborius Belscius Archidiaconus Plocen. 401
Sciborius Gozacicius Episcopus Plocen. ibid.
Sciborius Chelmius iudex tractus Posnanien. 369
Sciborius Touaczouius Morauus 383. 384
Sciborius Chelmius Succamerarius Posnan. 376
Scibouius Gozacicius Canonicus Plocen. 369
Scubela Boemus Præfectus Præsidii Fridelandi 344
Sebastianus Grabouiecius 753
Sebastianus Opalinus Regni Secretarius 526
Sebastianus Branicius Episcopus Posnanien. 559.571.572.573.575.577
Secechus Palatinus Cracouien. 53. 72.73.74.75.76.77.82
Sedetkireius Tartaror. Tauricanorum Princeps 501
Selymus Turcarum Imperator 622 623. 624. 626. 638 641. 648. 649 650.651.654 659.660
Sendiuoius Lenzenicius Palatinus Siradien. 373.379
Sendiuoius Zydouius Burggrabius Miedirecen. 410
Sendiuoius Czarnkouius Palatini Posnan. filius 450
Sendiuoius Czarnkouius Regni Referendarius 645
Sendiouius Subinius Præfectus Maior. Polon. 214.215.217.218
Sendiuoius Subinius Palatinus Calisien. 220.227
Sendiuoius Ostrorogius 239
Sendiuoius Ostrorogius Palatinus Pos. 249.252
Senco Dux Russus 286
Seuerinus Berhman Consul Cracouien. 464
Sforcia Palauicinus 581
Sigismundus Vngar. Rex & Rom. Imperator 256.260.261.262 264
Sigismundus Herbersteinius Baro 2
Sigismundus Herbestenius Baro Austriacus 479.526.529
Sigismundus Marchio Caroli IV. Imperat. filius 222.223.224.224.225. 226
Sigismundus Rex Vngariæ 238.239. 241.242.248
Sigismundus Rothus Silesius 280
Sigismundus Starodubensis Dux 290
Sigismundus Dux Lituaniæ 290.292
Sigismundus Coributus Dux Lituan. 262
Sigismundus M. Dux Lituaniæ 290.292. 295 296.298.308
Sigismundus Laticinius 353
Sigismundus Filius Casimiri Regis Pol. 387
Sigismundus Casimiri Regis Polon. filius Dux Glogou & Opauiæ 436.437. 438 441 448
Sigismundus Rex Polon 452.453. 454.456 457.458.459.460.461. 462. 463 464 465 466. 467. 469. 470 471. 472 473. 474. 475.478.479.480.482.483.485. 489 490. 491. 498. 499 501. 502. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511 520 526. 529. 530. 531.532 533. 534. 539. 540. 541. 544. 545. 557. 558. 563. 564. 565. 569. 584. 591 627
Sigismundus Augustus M. Dux Lituan. 522.525
Sigismundus Augustus Rex Poloniæ inauguratus 526.534.595 540. 544. 547.559
Sigismundus Augustus Poloniæ Rex 570. 571. 572. 573. 574. 583. 584. 585. 590. 589 592. 593. 594. 595. 597. 598. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 610. 611 613. 614. 616. 617. 618. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 632. 634. 640. 641. 643 644 661. 663. 666. 668. 677 678. 692. 706. 730. 731. 732.734 738.739.741
Sigismundus III. Rex Poloniæ & Succiæ 741
Sigismundus Banffius 517
Sigismundus S. honbergius Germanicar. cop'arum Dux 491. 492.
Sigismundus Rosnius 688.714
Sigismundus Rozen 637.638
Simon Kiiouiensis Dux 347
Simon Rosgonius Episcopus Agriensis 308
Simon Charlenscius 725
Simon Horuath 517
Simon Subscius Castellanus Inoulodislau'en. 626
Simon Olelkouicius Dux Kiiouien. 398
Siuardus Rex Danorum 41
Sixtus IV. Pontifex Roman. 400 421
Skirgello Dux Lituaniæ 229
Skirgello Trocensis Dux 231.232.233. 234.235 237
Slaueus Hembouius Masouius 343
Sobeslaus Boem. Dux frater Vladulai Boem. Principis 87 90 91.95 96
Sopha Palatinus Plocensis 239
Solymannus Turcar. Imperator 498. 499 512. 518. 520. 521 523. 525. 528. 530 531 533 535. 536. 537. 538. 549. 550. 551. 553. 555. 558. 559. 563. 578. 582. 587. 589. 600. 611
Sophia vidua Salomonis Regis Vngar. 71
Sophia Andreæ Kiiouien. Ducis filia 271
Sophia Vladislai Polon. Regis vxor 271. 274
Sophia Erici Ducis Stetinen. vxor 360
Sophia filia Casimiri Regis Polon. 379
Sophia Regina Poloniæ Casimiri Regis mater 333.360
Sophia filia Casimiri Regis polon. Alberti March. Brandeburg. vxor 413. 421.
Sophia Iagellonia Ducis Brunsuicensis coniunx 737
Sophia soror Regis Sigismundi Augusti 593
Sophus Persarum Rex 593
Spitco Melstinius palatinus Cracouien. 225.227.231.238.239.240 241
Spitco Melstinius palatini Cracouien. filius 298.299.301.303
Spitco Melstinius 408
Spitco palatinus Sendomirienſis 301
Spitco Iordan Regni Thesaurarius 579. 725
Spitco Iaroslauius Succamerarius premyslien. 393
Spitco Iaroslauius palatinus Russiæ 410. 417.420
Stanislaus Ciolcus Regni procancellarius 274
Stanislaus Ciolcus 636
Stanislaus Szczepanouius Episcopus Cracouien. 68.69.70
Stanislaus Sarnicius Annalium polonicorum scriptor 70
Stanislaus Charbinouius 257
Stanislaus Kurosuancius 358
Stanulaus Ciolcus Episcopus posnanien. 306
Stanulaus Burggrabius Dhonanus Commendator 372
Stanulaus Ostrorogius palatinus Caliß. 340.361.366.369.373.376
Stanulaus Ostrorogius Castellanus Calissien. 465.478
Stanislaus Tenczynius 391.408
Stanislaus Tenczynius palatinus Cracouien. 593.646
Stanislaus Vantropca Castellanus Sandecen. 394.403
Stanislaus Vantropca palatinus Belsensis

ſenſir 412
Stanislaus Kuroſuancius Procancellarius 420
Stanislaus Viſlicius legatus ad Cæſarem Fridericum 396
Stanislaus Szydlouiecius Caſtellanus Zamou. 397
Stanislaus Kiſzka dux exercitus Lituan. 445.450
Stanislaus Maſou. Ducis Conradi filius 444
Stanislaus Zarnoueciu Præfectus Samogitiæ 445
Stanislaus Borgius Canonicus Cracouien. 501
Stanislaus Chodeczius Mareſchalcus Regni 464
Stanislaus Czikouius Succamerar Cracouien. 744
Stanislaus Czurilo 636
Stanislaus Dux Moſouiæ 461.478.481. 487.511
Stanislaus Gaſtoldus Palatinus Trocen. 570
Stanislaus Gorkanus Palatinus Poſnanien. 661
Stanislaus Gozdzikouius 637.638
Stanislaus Haliczius Mareſchallus Regni 422.473.485
Stanislaus Kmitha 464
Stanislaus Koſielſcius Palatinus Siradien. 590
Stanislaus Karnkouius Epiſcopus Vladislauien. 626
Stanislaus Kriſcius Caſtellanus Racianzen. 642
Stanislaus Kriſcius Palatinus Maſouiæ 664
Stanislaus Karnkouius Archiepiſcop. Gneſnen. 737
Stanislaus Lanczkoronius præfectus Scalenſis 635.636
Stanislaus Lanczkoronius dux copiar. 462.477
Stanislaus Lanczkoronius præfectus Camienecen 479
Stanislaus Laſcus Palatinus Siradien. 565.569
Stanislaus Leſnouolſcius Caſtellanus Ciechanouien. 606
Stanislaus Lutomirſcius Koninen. Plebanus 592
Stanislaus Macieiouius Regis S. Aug. actuus 572
Stanislaus Niegocius 636
Stanislaus Ochoionuſius 502
Stanislaus Odrouanzus Palatinus Podoliæ 540
Stanislaus Orichouius Canonicus Premyslien. 576.578 580.583.584
Stanislaus Pacz Lituaniæ Dapifer 611
Stanislaus Pileczius 523
Stanislaus Przyiemſcius Nobilitatis Nunciorum Mareſchallus 707
Stanislaus Przyiemſcius Turmæ præfectus 727
Stanislaus Penkoslauius Præfectus militum Polonicorum 680
Stanislaus Raduenkouius equitum præfectus 490
Stanislaus Sobocius 701
Stanislaus Stadnicius 579.580
Stanislaus Stadnicius turmæ præfectus 717
Stanislaus Szaffranies. Caſtellauus Biecen. 661.
Stanislaus Tarlo Epiſcopus Premyſlien. 547
Stanislaus Thurzo Epiſcopus Olomucen. 474
Staniſlaus Tarnouius Caſtellanus Radomien. 713
Stanislaus Vanſouicius 610
Stanislaus Vlodecus legatus Zamoiſcii 725
Stanislaus Viſtempus 636
Stanislaus Volſcius 635.636
Stanislaus Vyzga 636
Stanislaus Zamoiſcius militum præfectus 606.624
Stanislaus Zolkieuius Palatinus Belſen. 724
Stephanus Rex Vngariæ 53 55.56. 158
Stephanus filius Colomanni Regis Vngar. 81

Stephanus Rex Vngar. Boleslai Principis Polon. gener 90
Stephanus Miecislai Maior. Polon. Ducis filius 105
Stephanus Palatinus Cracouienſis 111
Stephanus Caroli Vngar. Regis filius 199.203
Stephanus Valachiæ Palatinus 206
Stephanus Epiſcopus Agrienſis 223
Stephanus Moldauiæ Palatinus 261. 294.295
Stephanus Roſgonius 309
Stephanus Schoneich Sileſius eques 372
Stephanus Palatinus Moldauiæ 393. 405 424.444
Stephanus Bathoreus dux exercitus contra Turcas
Stephanus Bathoreus
Stephanus Bathoreus Somlianus 611 612 616
Stephanus Bathoreus Princeps Tranſiluaniæ 628.661.662 963
Stephanus Brodaricus Epiſcopus Vacien. 519
Stephanus Comes Scepuſienſis 462
Stephanus Eliæ Valachiæ Pal. frater 379
Stephanus Grudzinius nuncius ad Ioan. Baſilidem Moſcor. Principem 663
Stephanus Grudzinius Caſtellanus Naclen. 723
Stephanus Loſoncius 586
Stephanus Mieczkeius 587
Stephanus Mailatus 537 538.548. 556
Stephanus Rex Polon. 663.664.665. 666 667.668.669 671.672.673. 674.675
Stephanus Palatinus Moldauiæ 461. 504.545.556
Stephanus Schlickius Boemus 517
Stephanus Thelecius Vngar. Regis legatus ad Sigiſmundum Regem. Pol. 453
Stephanus Valachiæ Tranſalpinæ Palatinus 587.588
Stephanus Zbaraſius Palatinus Trocenſis 676.700.723.731
Stiborius Moſcicius 226
Stiborius Epiſcopus Plocen. ibid.
Stiborius Sarleius Caſtellanus Inouladiſlau. 320
Stiborius Baiſenus Palatinus Culmenſis 373
Stiborius Chelmſcius Præfectus Maior. Poloniæ 349
Stiborius Baiſenus Palatinus Mariæburgen. 387
Stiborius Baiſenus Prußiæ Gubernator 381
Stopolcus Michael Ruſſorum Princeps 53
Stoslaus Ruſſorum Princeps 64
Stroinatus Mindaci Lituaniæ Ducis fratris filius 145
Suarno Ruſſorum Dux 154.155
Suatoslaus Kiouienſis Princeps 100
Suentopelcus Moraniæ Dux 79
Suentopelcus Boemiæ Princeps 80.82
Suentopelcus Nacli Præfectus 90
Suentopelcus Pomeran. Præfectus 131. 132.135
Suentopelcus Pomeraniæ Dux 139.143. 145.150 151.152
Suentochna filia Caſimiri Regis Polon. vxor Vratislai Boem. Principis 62
Suentoslaua filia Boleslai Criuouſti Poloniæ Principis 80
Suentopelcus Pomeraniæ citerior. Dux 156.177
Suentoslaus Smolenſciorum Dux 231
Suentoslaus Orzelſcius Prouincialium Nunciorum Mareſchallus 737
Suierczeuius dux Koſakorum 651.652. 653.654.656 657
Suidrigello M. Dux Lituan. 284 285. 286.287.288.290.290.295.296. 300.301 302.303
Suidrigello Lituaniæ Dux 231.237. 240.242.243 285

T.

TAmerlanes Tartarorum Princeps 239.240
Taſſa Viſſemburgius 176
Theodoretus Oſtrogius Dux Ruſſus

sus. 291.295.
Theodoricus Buczacius Præfectus Camenecensis 295
Theodoricus Buczacius 371
Theodoricus Buczacius Præfectus Podoliæ 323.324.330
Theodoricus Liuoniæ Mareschallus 287
Theodoricus Dux Bernensis 129
Theodoretus Dux Russus 286
Theodoricus Cruciferorum Magister 190.201
Theodorus Godouius Moscus 746
Theodorus filius natu minor Moscor. Principis Ioannis Basilidis 725
Theodorus M. Dux Moscouiæ 745
Theodorus Seremetus dux Exercitus Mosc. 682.687
Theodorus Skuminus Thesaurarius M. Duc. Lituaniæ 664
Thomas Verincus 239
Tobias Episcopus Pragensis 170
Thomas Episcopus Vratislauien. 165. 174
Thomas Zechus 309
Thomas Strempinius Procancellarius 343
Thomas Tarcius 405
Thomas Dercensis 718
Thomas Droiouius Præfectus Poemysli. 711
Thomas Lubranscius Castellanus Bresten. 522
Thomas Nadastus prafectus Buden. 523
Thomas Orinscius 727
Thomas Strigonien. Archiepiscopus 459
Tomislaus Szamotulus Palatinus Posnanien. 182
Tilemannus Schlechtus Canonicus Colonienſis 400
Totiuilus Vitoldi frater 236
Trepka nuncius ad Mosc. Principem. 467
Troidenus Dux Lituaniæ 172.183
Trzebinius Regii equitatus Centurio 489

V.

VAldemarus II. Rex Daniæ 41
Valdemarus Daniæ Rex 207
Varcislaus Dux Pomeraniæ citerioris 90
Varcislaus Cassubiorum Dux 152
Varcislaus filius Suentopelci Ducis Pomeraniæ citer. 156.157
Varcislaus Dux Pomeran. citerioris 201
Varsius Castellanus Cracouien. 162.
Varsias Michouius 239
Valentinus Dembimius Castellanus Biecen. 578
Valentinus Dembinius Regni Thesaurarius 607
Valentinus cognom. Literatus militum præfectus 552.554
Valterus Cronebergius Ordinis Crucifer. Magister 526
Valterus Plettenbergius Liuon. Magist. 462.487.577
Venceslaus Rex Boemorum 143
Veuceslaus Luscus Boem. Rex 149
Venceslaus Hagecus 3
Venceslaus Boem. Dux 170.172
Venceslaus Boemus Pol. Rex 176.179. 186.
Venceslaus Masouiæ Dux 183.189
Venceslaus Caroli IV. Imp. filius Boem. Rex 220
Venceslaus Rom. Imp. & Boem. Rex. 238.239
Venceslaus Burggrabius Dhonanus Boemus 253
Venceslaus Dux Osuiecimensis 304
Venceslaus Zatorienſis Dux 376
Venceslaus Tesinenſis Dux 322.362
Venceslaus Dux Ribnicen. 406
Venda Poloniæ Princeps 43
Vendensis Comes Menen. Commendator 248.253
Varcislaus Gotartouicius Præfectus Bobrounic. 246
Verincus Germanus Consul Cracouien. 208

Vernerus Episc. Plocen. 109
Vernerus Tetinger Commendator Elbingen. 248.254
Vilhelmus Marchio Misniæ. 242
Vilhelmus Comes Cliæ. 341
Vilhelmus Austriæ Dux. 228.230
Vilhelmus Archiepisc. Rigen. 590.594
Vilhelmus Comes Isenburg. 490
Vilhelmus Furstenbergius Liuon. coadiutor. 591.594.595.598
Vilhelmus Furstenbergius Liuon. Magister. 599
Vilhelmus March. Brandeburg. 526
Vilhelmus Platterus. 668.673
Vilhelmus Rogendorfius Dux exercitus Ferdinandi Regis Vng. 552.553.555
Vilhelmus Rosembergius. 378
Vilhelmus Marchio Misniæ. 388
Vincentius Przerembius Episc. Vladislau. 452
Victorinus Mostensis Præfect. 608
Victorinus filius Georgij Regis Boemus. 399
Vincentius Cadlubcus Episc. Craco 129
Vincentius Cadlubcus scriptor Polon. 43. 44. 81
Vincentius Cadlubtus Præpositus Sendomirien. 127
Vincentius Szamotulius Palat. Posnan. 191.192.193.194
Vincentius Szamotulius. 300
Vincentius Szamotulius Castellan Miedircen. 308 309
Vincentius Kempius Palatin. Posnanien. 225
Vincentius Granouius Castellan. Naclen. 245
Vincentius Cothius Dembinius Custos Gnesnen. 284
Vincentius Archiepisc. Gnesnen. 312.316. 320.324
Vincentius Gisicius Mareschalcus Ducum Masou. 367
Vincentius Episc. Ennensis. 399
Vincentius Kielbassa Secretar. Regis Casimiri. 385.395
Vincentius Kielbassa Episc. Culmer. 386. 395. 420
Virzbienta Siennicius. 353
Visselaus Russorum princeps. 63.64
Visimirus Dux Vandalorum. 41
Visnieniecius armiger Regis Sig. Augusti. 586
Vitoldus Dux Lituaniæ. 218
Vitenes Lituaniæ Dux. 172
Vitoldus Dux Grodnen. 231. 233.234. 235.236.237.239.240.241
Vitoldus Magnus Dux Lituan. 237.239. 240.241.242.244.245.246.247. 249.250.253.255.260.261.267. 268.269 270.271.272.274.275. 276.277.278.279.280.281.282. 283.285
Vitus Furstius Maximiliani Imp. Orator ad Regem Polon. 461.465
Vladislaus Filius Casimiri Regis. 61.65
Vladislaus I. Ethnarcha Polon. 70.71. 72.75.76.77.78
Vladislaus filius Boleslai princeps Polon. 79
Vladislaus Boemorum princeps. 86.87. 88.90.91
Vladislaus II. Boleslai Criouosti Polon. principis filius princeps Polon. 96.98. 99.100.101.103.104 105.106. 111
Vladislaus Dux Boemorum. 102.103. 104.105.106
Vladislaus filius Miecislai sen. Polon. princ. 124
Vladislaus Lasconogus Polon. princeps. 125.126.127.131.132.133.134. 135
Vladislaus Sputator Maior. Polon. Dux. 125.131.132.135.136.137
Vladislaus Dux Opolien. 137.159.160. 199.208.210.220.222.227
Vladislaus Locticus filius Casimiri Ducis Cuiauien. 156
Vladislaus Locticus Polon. princeps. 169. 170.171
Vladislaus Locticus Siradien. Dux. 167. 169.171.172
Vladislaus Locticus Rex Polon. 176.177. 178.179.180.181.182.183. 184.185.186.187.188.189.191. (:)(:)(:)(:)(:)(:) 3. 192.

192.193.194.195.196.197
Vladislaus Dux Lignicensis. 212.185.186.187
Vladislaus Dux Opolien. Palatin. Vngar. 213.219
Vladislaus cognom. Albus filius Casimiri Gnieu. Duc. 215
Vladislaus Albus Dux Gnieu. Monachus Diuioni. 216.217.219
Vladislaus Iagello Rex Polon. 230.231.232.233.234.235.236.237.238.239.241.242.243
Vladislaus filius Vladislai Regis Polon. 275
Vladislaus Oporouius Regis Procancellar. 289.294
Vladislaus Masouiæ Dux. 278
Vladislaus III. Rex Polon. 298.299.300.301.302.303.304.305.306.307
Vladislaus Poloniæ & Vngar. Rex. 309.310.312 313 314.315.316.317.318.319.323
Vladislaus Masouius filius Vladislai Ducis Plocen. 345.362.377
Vladislaus filius Casimiri Regis Polon. 347
Vladislaus Oporouius Episc. Vladislauien. 324
Vladislaus Oporouius Archiepisco. Gnesnen. 325
Vladislaus Damoborius Castellanus Naclensis. 376.385
Vladislaus Casimiri Regis Polon filius. 397
Vladislaus filius Casimiri Regis Polon. Rex Boem. & Vngar. 399.402 403.404.406.408.409.410.415.416.419 420.422 426 427.428 429.434.436.437.438.443
Vlodimirus Nouogroden. Dux Russorum 77
Vlodimirus Palatin. Cracou. 140
Vlodicus Ogrodonecius Legatus ad Iagello. 230
Vlodicus Scrinnius. 331
Vlricus Comes Ciliæ. 309
Vlricus Czeruonka Boemus Præfect. Prædij Marieburgen. 347.348.366.368
Vlricus Eisenhouen Commendator Magnus. 372
Vlricus Præfect. Ilauien. 373
Vlricus Dux Virtembergicus. 473
Vlricus Crucifer. Magistri Mareschalcus. 414
Volfgangus Ordinis Teuton. Magister. 563.567
Volfgangus Hamerle Legatus Cæsar. Maximil. 470
Volfangus Schonbergius Dux exercitus Cruciferici. 490
Volodorus Premyslien. Dux. 77.90.91.92
Volodimirus filius Volodori Premyslien. Ducis. 91
Volodimirus Halicien. Dux. 114.116.117.121
Voldemarus Marchio Brandenburg. 178 183
Volodimirus Kiiouien. Dux. 232.234.240
Voislaus Pædagogus Boleslai filij Vladislai Polon. Principis. 75
Voislaus Præfect. Pomeran. 174
Voisalcus Mindaci Lituaniæ Ducis filius. 155
Vrbanus Pont. Rom. 232
Vrbanus IV. Pont. Rom. 155
Vrbanus VI. Pont. Rom. 207.222
Vrbanus Bathianus Vngarus. 536.538
Vratislaus Boem. Princeps. 61.62.63
Vratislaus Boem. Princeps Rex coronatus. 77.78
Vriel Gorcanus Cancellarius Regni. 420
Vsseborius Palatin. Sendomirien. 98
Vseuolodimirus Kiiouien. Dux. 100
Vseuolodus Belzen Dux. 108.114.117
Vseuolodus Kiiouien. Princeps. 100
Vstrephus Bosnensis Præfectus. 551.552.553
Vulodimirus Russorum Dux. 57
Vusseuolodus Russorum Dux. 64
Vuseborius Palatinus Cracouiensis. 94

Zaclicus

Z.

Zaclica Tarlo. 284
Zindramus Mascouicius Ensifer Cracouien. 249.250
Zauissus Garbouius cognom. Niger. 261
Zauissa Curosuancius Episc. Cracouien. 220.221
Zbigneus Brezius Mareschallus Regni. 243
Zbigneus Olesnicius. 252
Zbigneus Olesnicius Episc. Cracouien 274
Cardinalis creatus. 309.311.312
Zdencus Kostka Boem. Legat. ad Casimirum Regem Pol. 337
Zegota Palatin. Cracouien. 166
Zielislaus Dux exercitus Polonici in Morauia. 78.79
Ziemomyslus Polon. Princeps. 50
Ziemomyslus Vladislau. Dux. 168
Ziemouius Polon. Princeps. 49.50
Ziemouitus filius Conradi Ducis Masou. 146.154
Ziemouitus Casimiri Lencicien. Ducis frater. 153
Ziemomyslus Lencicien. Dux. 153.156.157
Ziemouitus filius Casimiri Ducis Cuiau. 156
Ziemouitus Dux Masouiorum Cirnen. 198
Ziemouitus Dux Masouiæ. 199.205.220.223.224.225.226.227.230.232.261.276
Ziemouitus Dux Visnen. 201
Ziemouitus Dux Cirnen. 201
Ziemouitus Dux Plocen. 222
Ziemouitus Masouius filius Vladislai Ducis Plocen. 345.362.367
Zindramus Mascouicius. 234
Zira Comes Curator & Consiliarius Lesci filij Casimiri Polon. Principis. 115

Finis Indicis Personarum.

HISTORIÆ RERVM POLONICARVM

Liber Primus.

POLONORVM origo est Slauica & Sarmatica, quæ olim è Sarmatia transmisso Vistula flumine in ea Germaniæ loca, quæ prius Vendi siue Vandali inhabitauerant, commigrauit, sedesque suas & imperium versus Occasum ac Septentrionem longe lateq; protulit, ita vt à Sarmaticis mõtibus in Septentrionẽ quidem secundũ vtrãq; fere eius fluminis ripam, in occasum vero secundum dorsum Herciniæ syluæ, quo Bohemia clauditur, arq; inde porro secundum Albim fluuium vsq; ad eius ac Visurgis ostia, & sinum Balthicum, quicquid terrarum est, eius gentis ditio fuerit complexa. Quj populi omnes Slaui seu Slauini dici voluere: à finitimis vero cum Venedi siue Vindæ tum Vandali crebrius & vsitatius nominibus gentium, quæ prius ea loca tenuerant, nominati sunt. Suis vero interim nominibus peculiaribus, qui versus occasum Germanis erant viciniores, vsi sunt, & partim Sorabi, partim Obotriti, Lutitii, Vinuli, Rani, Vilzi, Rugii, Vetalabi, Retarii, Licicauici, Heueldi, Vuloini etiam, quod nomen cum Polonorum nomine cognationem habet, dicti sunt. Hos omnes Slauicæ nationis ac linguæ fuisse, & partim domesticis Satraparum & Ducum defectionibus & pactionibus, partim armis in finitimorum Saxonum ac Germanorum ditionem nomenq; postea transisse memoriæ proditum est. *Polonorum origo.*

De Slauorum autem origine variant Historici. Alii enim eam à Iapeto Noe filio repetunt per Æneam, Alanum, quem primum ex Asia in Europam commigrasse ferunt, & ex eius filio inter quatuor natu maximo Vandalo Vistulæ flumini & Polonis nomen inditum esse, indeq; Vandalos dictos: multos etiam liberos genuisse, qui quarta parte Europæ occupata, Polonorum, Russorum, Cassubiorum, Bohemorum, Morauorum, Slauorum, Dalmatarum, Pannonum, Bosnensium, Croatarum, Bulgarorumq; regna condidisse perhibentur. Alii vero ab eodem Iapeto per Helisam filium harum gentium genus deriuant, illa ratione moti, quod Slauos, Dalmatas, & Illyrios esse opinantur, qui retineant etiamnum fere ea loca, in quibus hæ gentes ab initio post extructionem turris Babylonicæ in orbem vniuersum coloniis deductis, in Græcia consedisse à Iosepho & Berosо memorantur. Alii forte probabilius, cum animaduerterent, nationem Slauorum Vindos seu Vendos à Germanis appellari, & antiquitus hæc loca, quæ nunc Poloni, Silesii, Brandenburgici, Cassubii, & Pomerani tenent, ad Chersonesum vsq; Cymbricam tenuisse ex veteribus Historicis ac Geographis recognoscerent, eosdem Slauos ac Vandalos *Slauorum origo.*

esse existimarunt. Sed horum nil veritati consentaneum esse videtur. Nam primam illam genealogiam fabulosam esse nemo non videt. Reliquæ duæ opiniones eo refelluntur, quod non sit necesse, Slauos eosdem esse, siue cum Dalmatis & Illyriis, siue cum Vandalis, quod eorum loca incoluerunt, atque etiamnum incolunt. Nam non semper eædem gentes easdem sedes tenuere: verum aliæ subinde ab aliis pelluntur suis sedibus, aut etiam delentur: nonnunquam etiam vltro in alias regiones commigrant, aliqua vel commoditate inuitatæ, vel necessitate adactæ. Vera autem Slauorum origo putatur esse è Russia, quæ complexa est, quicquid terrarum est inter sinum Venedicum, Liuoniam, Sueciam, Oceanum glacialem, Rha siue Volgam, Mæotim, mare Ponticum, Sarmaticos montes, Poloniam, Lithuaniam, & Samogitiam. Cuius populi Ottone Imperante Mœsiam finitimam infestare cœperant, ita vt verisimile sit, ab iisdem posterius debilitatis partim Gothorum, Hunnorum, Vandalorum, Longobardorum, partim Parthorum, Persarum, & Saracenorum incursionibus atque bellis Romani Imperii viribus, non solum eam ipsam Mœsiam, sed & Daciam, Pannoniam, Dardaniam, Liburniam, Illyricum, Dalmatiam, & Istriam subactas & habitatas: Thraciam, Macedoniam, & Græciam diuexatas, & ad extremum Græcam linguam penitus corruptam esse, rebusque tam feliciter gestis eas Slauorum siue Slauinorum nomen à gloria sibi sumpsisse. Eadem autem facilitate alia ipsorum quasi examina ad occidentem solem progredi, & omnem eam Germaniæ partem, quæ à Vistula ad Salam & Albim seu Visurgim vsque inter Carpathum montem, Danubium, & Oceanum Germanicum protenditur, occupare, & in ditionem suam redigere potuisse, cum ea populis exhausta & vacua esset, Gothorum, Vandalorum, Alanorum, Burgundionum, & Longobardorum continentibus bellis, & in alias sedes migrationibus: easque gentes mox imperiis distinctas, diuersis etiam nominibus appellatas esse, ita vt partim à Ducibus, partim à situ locorum, partim à prioribus incolis, denique à studiis, habitu, vel euentu aliquo noua nomina sumerent. Solos autem eos, qui in natali suo remanserunt, antiquum Roxanorum siue Russorum nomen retinuisse.

Russorum origo & nomen.

Quando vero Russi Sarmatiam habitare cœperint, & vnde venerint, nomenque acceperint, nil certi scitur. Nam quod quibusdam ex Ezechiele deduci posse videtur, vbi mentio fit Ros Principis, Mosoch atq; Tubal, quia ambigitur, propriumne gentis sit Ros, an caput ibi significet, infirmum id est. Verisimilius Sigismundus Herberstenius vir illustris in sua Moscouia Russos dici vult à Russia oppido vetusto ditionis Nouogrodensis: non enim inusitatum est, ab ignobilibus etiam oppidis populos denominari, qui cum obscuri fuissent initio, postea virtute & armis nomen suum vna cum imperio propagarunt. Cui opinioni adstipulari videtur id, quod in annalibus Russorum legitur, dominatum Russorum apud Nouogrodiam magnam Bialoiezorum siue album lacum, & Isborscum initium sumpsisse à Rurico, Sineo, ac Trubore Varaiis fratribus. Quod si cui displicet, vel altiorem etiam gentis originem requirit, nihil prohibet credere, Polonos ac cæteros omnes Slauos Sarmatas esse: præsertim cum constet iam, Bulgaros, Serbos, & Roxanos Sarmatiæ gentes esse, indeq; egressos populos quodã tempore, nouas sedes occupasse in Germania & Romano Imperio, & Slauos siue Slauinos sese dixisse. Demonstrari autem non possit, vnde & quo tempore populi illi in Sarmatiam adue-

nerint, & priscos illos Sarmatas (si qui modo alii fuerint) inde pepulerint, vel deleuerint: sicut de Gothis atq; Tartaris potest, quorũ illi quidem tenuerunt aliquando, hi vero etiam nunc tenent partem aliquantam Sarmatiæ. Atque huius opinionis est Martinus Cromerus, Historicus Polonorum grauissimus, quæ tantisper retinenda est, donec ab aliis solidioris aliquid afferatur.

Poloni vnde & quãdo in Sarmatiam venerunt.

Cæterum vnde & quando Poloni in has oras venerint, non minus, quam eorum origo, incertum est. Qui enim Slauos Vandalos & Germanos esse volunt, non habent necesse affirmare; Polonos cum suo Duce aliunde in has oras, quas nũc incolunt, post vetustam illã Tuisconis migrationẽ venisse. Itaq; asserunt, Slauos regionem suam ab omni memoria ad campos Sarmaticos tenuisse, & cũ angustæ eis essent sedes in Polonia, Morauia, Bohemia, & Russia, nouas in Pannonia à Constantino Magno Imperatore eos impetrasse, indeq; imperante Mauritio in Dalmatiam & Illyricum profectos esse. Verũ hanc opinionem refellere non est operæprecium, cũ ante dictum sit, Polonos & Slauos Vandalis successisse in his locis, vbi nunc est Polonia. Alii aliunde omnino Polonos & Bohemos, & quidem è Croatia, profectos esse sentiunt. Lechum enim & Czechum fratres Principes viros apud Crapinã & Psaros degẽtes pertæsos; dissidiorum ac bellorum ciuilium, coadunata suorũ hominum & aliorum voluntariorum manu, ad quærendas nouas sedes è patria versus occidẽtem solem per syluas monteſq; iter habuisse: donec ad Albim fluuium & Bohemiam venerint. Ibi Czechum soli bonitate delectatum cum parte multitudinis in incultis locis consedisse: Lechum vero cum cæteris ad Aquilonem ire perrexisse, eumq; tractum, qui Silesiam & maiorem Poloniam complectitur, habitatoribus vacuum occupasse. In hac sententia fuit Æneas Syluius, & fere Bohemi, Poloniq; Chronographi. Adiecit præter cæteros Syluius, Czechum cædis perpetratæ iudicium fugisse, eiq; fratrem Lechum fugæ comitem adhæsisse. Quod tamen minus vero consonum apparet: nulla enim causa erat, quare Lechus frater insons Czechum homicidii reum, ideoq; pœnam fugientem sequeretur, cum ex fratris fuga totius gentis principatũ sperare potuerit. Quin, quod ineptum est, tantam multitudinem, quæ amplissimis duabus prouinciis occupandis sufficeret, Principes suos pœnam homicidii fugientes fuisse secutam, quæ nullo negotio eos supplicii reatu potuerit absoluere.

Porro quo tempore id factum sit, non satis conuenit inter omnes. Poloni non multo post diluuiũ opinãtur, quippe qui fratres illos partim filios, partim nepotes, partim pronepotes, aut non remotam certe posteritatem Iauani & Noe fuisse memorent. Æneas Syluius nullum tempus huic migrationi adscribit. Venceslaus Hagecus imperante Constantino tertio post Christum natum anno sexcentesimo quadragesimo quinto fundamenta regni Bohemici à Czecho iacta esse scriptum reliquit. Sed Lechum & Czechũ nepotes Iauani, aut certe è propinqua eius posteritate progenitos fuisse, ac non multo post diluuiũ è Croatia siue Pannonia in Bohemiam & Poloniam cõmigrasse, eo falsum esse demonstratur, quod de prosapia eorum à veteribus Græcis & Latinis, ac ne quidem ab ipsis Slauis quicquam memoriæ proditum est. Neq; etiã quisquam historicorum Græcorum & Latinorum res gestas Polonorũ aut Bohemorum, siue Slauorum aut Vandalorum contra Alexandrum Magnum, & priscos illos Gallos res gestas attigit, quamuis pleraque omnia accurate descripta sint. Deinde ante Iustiniani tempora Slauica gens Croatiã, aut Dalmatiam, aut Slauoniam, imo ne Pannoniam vel Germaniæ partem, qua nunc

Polonia fere, Silesia, Morauia, Bohemia, Lusatia, & Pomerania continetur, tenuit. Nam quod dici posset, habitasse iam inde à diluuio in his locis eas gentes post Lechum & Czechum conditores, sed aliis nominibus appellatas fuisse, eadem facilitate, qua dicitur, negari potest. Cur enim tam sero priscorum conditorum nomina, quorum memoriam interim longo isto temporis effluxu obliterandam fuisse probabile est, accepêre. Non magis vero etiam consentaneum est, eas gentes antiquitus quidem eas sedes tenuisse, verum longe post Lechum & Czechum eadem lingua vtentes, aliunde cum aduenissent, principatum adeptos, nouum nomen tum imposuisse. Non enim credibile est, externos Duces exules præsertim ab his gentibus in eo honore habitos fuisse, vt abiectis prioribus nominibus ab iis se denominari paterentur. Verum siue Czechus & Lechus ob cædem commissam siue intestina dissidia è patria migrauerint, siue vt commodiores atq; patentiores sedes quærerent, certe nulla videtur fuisse ratio tam longinquæ & incertæ peregrinationis per auios montes ac syluas, ab extrema vsq; Croatia suscipiendæ. Nam videntur potius petituri fuisse Macedoniam, aut Epirum & Acarnaniam, aut Italiam, finitimas ac non incognitas sibi tum cœli clementia & vbertate soli, & omni cultu agrorum vrbiumq; præstantes regiones, cum vsitatius sit, gentes à Septentrione ad Meridiem velut è frigidis atq; incultis ad temperatiora ac cultiora loca migrare, quod exemplis migrationum gentium abunde probatur: quin substituros potius in Pannonia vel Morauia, quæ & ipsæ cultæ ac fertiles terræ sunt, per quas iter ipsis necessario fuit faciendum, verisimile est. Cæterum grauibus autoribus demonstrare licet, ante sexcentesimum Christi annum, atq; adeo ante Mauritium Imperatorem Slauos hęc loca tenuisse, quæ nunc Poloni. Iornandes certe, qui ante Mauritii tempora sui temporis historiam contexuit, Slauorum & Slauinorum mentionem faciens, ad sinistrum latus montium Sarmaticorum, & ad Vistulam fluuium, qui nunc Poloniam interluit, habitasse eos autor est. Per quæ tempora Dalmatiam, Illyricum, & Istriam, infestatas quidem, sed nondum habitatas fuisse à Slauis, idem testatur.

Probabilius igitur est, circa Attilæ tempora, videlicet anno Christi quadringentesimo trigesimo eos populos, qui nunc Poloni & Bohemi dicuntur, progressos è Russia & Sarmatia, itidem atq; alios Slauos vacuas, aut certe infrequentes Vandalorum sedes occupasse, indeq; porro in interiorem Germaniam & Bohemiam arma protulisse. Nam facilius citiusque hac secundum dextrum latus Carpathi montis ad interiorem Germaniam aliquo modo vacuam tum penetrare potuerunt, è Russia profecti, quam in Slauoniam aut Dalmatiam longius à se distantes, & Romanorum Imperatorum armis defensatas. In quas prouincias, vt & in Dalmatiam, Macedoniam, Thraciam, & Illyricum longe post Iustiniani tempora se infuderunt, vt ex Krantzio & Blondo constat.

Polonorum nomen. Polonorum autem nomen vernaculum an fuerit commune Slauorum, an peculiare vnius cuiusdam populi, & quam vetustum, non satis constat. Ante septingentos quidem annos nusquam in annalibus vllis externis inuenitur. Nec vnum eius etymon memoratur. Vel enim à pole, quod & planitiem, & venationem Slauis significat, Polacos siue Polanos mutata q; vna litera Polonos appellari volunt, propterea quod & planam fere, apertamque regionem tenent, & apprime venandi studio tenentur: vel à conditore ac primo Duce gentis Lecho siue Lacho Polacos quasi Polachos, hoc est, posteritatem Lechi dici autumant. Eius

Polonia fines. Eius autem non iidem semper fines fuere. Nam Russiæ permagnam partem cum Podolia subactam, & Prussiæ nonnullam, & Polessensem tractũ barbaris Iazigibus ademptum quodam tempore, Poloni suo adiecerunt imperio. Missis autem veteribus Poloniæ limitibus, qui non semper iidem fuêre, quidem nonnullæ prouinciæ olim iuris Polonorum post detractæ sunt, vt iam sunt circumscripti, breuiter delineandi fuerint. Igitur nunc Polonia, quæ quidem vno regno & iure hodie continetur, secundum longitudinem terræ habitabilis è * sententia Geographorum, à tricesimo octauo gradu, ad quinquagesimum secundum, vel tertium (incerti sunt enim in illa solitudine Scythica fines eius) ab occasu æstiuo versus ortum hybernum obliqua protenditur, amplius quam per ducenta milliaria Polonica, quorum vnumquodque quatuor Italica continet: tametsi Russica & Podolica sunt aliquanto longiora. Latitudo autem Poloniæ siue poli arctici eleuatio quam proxime est, vt loquuntur Astronomi, à quadragesimo nono vsque ad quinquagesimum quintum gradum. Pocucensis tamen Russiæ tractus à quadragesimo octauo incipit: quamuis non totus ille tractus, qui vtraque commemorata poli eleuatione continetur, ad Poloniam, vt hodie est, pertineat. Nam orientalis & occidentalis non excedit spatium plus minus triginta milliarium. In medio autem versus meridiem & septentrionem ad mare Balthicum, vbi latissima est centum milliarium eius intercapedo, inde patet, figuram eius intensi arcus speciem præ se ferre: cuius neruus paululum reductus, ad meridiem & occasum hybernum quadamtenus spectat, exterior vero curuatura in septentrionem, & ortum æstiuum obuersa sit. Quod si Podlassia, & ei confinis Russia, Volynia, Podolia, & Liuonia, Prussiaq; ducalis, & Lithuania cum sua Samogitia, & Russia Alba, (quæ recens regno Poloniæ accessère) annumeretur, multo longius & latius versus orientem solem & septentrionem ea patebit. Sicque longitudo regni Poloniæ à finibus Marchiæ Brandenburgensis ad Nieprum ducta recta linea, non minus ducenta quadraginta milliaria complectitur. Latitudo vero ab ora Pocucensi ad Pernauam Liuoniæ ducenta plus minus. Cingitur itaq; Polonia ab occidente sole Marchia Brandenburgensi & Pomerania vlteriore: à septentrione mari Venedico & Sarmatico, cuius aduersa littora tenent Sueci: inde Prussia ducali, eiq; continente Lithuania in ortum æstiuum fere vergente. Hinc porro campestribus Scytharum siue Tartarorum solitudinibus prorsus orientalibus, & inde in septentrionem inclinante Bialogrodensi Turcarum ora. Postea vero plane Australi Valachia siue Moldauia: deinceps Vngaria, & in Africum & occasum hybernum obuersa Silesia Bohemicæ ditionis ad Marchiam pertinente.

Polonia situs geographicus.

Finitimi Poloniæ populi.

Partes Poloniæ, & satrapiæ. Partes insigniores Poloniæ sunt, maior & minor Polonia, Lithuania, Russia, Prussia, Podolia, Masouia, & Cuiauia: quæ & ipsę deinde satrapiis siue Palatinatibus, ac territoriis fere distinctæ sunt. Maior Polonia duas satrapias, nimirum Posnanien sem & Calissien sem complexa, occidentalis est, Silesiam, Marchiam, Pomeraniamq; vlteriorem meridionali, occiduo, & arctoo latere attingens. Magis autem ad occidentem vergit Posnanien sis satrapia, Calissien sis contra ad ortum & septentrionem: qua parte sunt Paluci, Craina, & Cassubia. Minor Polonia orientalis est, Cracouien si, Sendomirien si, & Lublinen si satrapiis definita, versus Aquilonem & ortum æstiuum sitis. Quæ à septentrione Massouiæ & Podlassiæ tractui, qui dudum Lithuanicę ditionis erat, ab ortu Russiæ, à meridie Vngariæ ac Silesiæ finitima est. Sunt autem satrapiæ

Limites.

trapiæ Cracouiensis partes, tractus Siricius & submontanus, vterq; Scepusio & Vngariæ finitimus. Ac Sciricius quidem ad Occidentẽ vergens Cracouiæ vicinior est: Submontanus vero Russiæ & Sendomirienſi ſatrapiæ iungitur. Lublinensis item ſatrapiæ pars eſt Poleſſe reliquum, quod à Lithuanis detractum nõ fuit. Sileſiæ pars ea, quæ adhuc eſt ditionis Polonicæ, ſic implicata eſt Cracouienſi ſatrapiæ, vt ab ea magna ex parte ambiatur. ſatrapiam ea nullam habet: ſed in Cracouienſi fere cenſetur. Habet autem tria territoria: Oſuiecimenſe, Zatorienſe, & Seuerienſe, quorum duo priora ſuperiori tempore ſuos habuerunt duces: nunc præfecturæ regiæ ſunt. Seuerienſe eſt in ditione Epiſcopi Cracouienſis. Ab ortu vero hyberno Scepuſienſem tractum vix & modice ea attingit. Inter minorem vero & maiorem Poloniam primarias totius Poloniæ partes intermediæ ſunt ſatrapiæ, Siradienſis, Lencicienſis, & Rauenſis, nullum commune nomen habẽtes. Quarum prima ad Meridiem & Sileſiam, Lencicienſis & Rauenſis ad Septentrionem vergunt, Maſouiamq; attingunt. Harum autem occidentalior eſt Lencicienſis. Nonnunquam eæ tres vna cum Cuiauia, imo & Maſouia maiori Poloniæ, ſicut Ruſſia & Podolia minori, accenſentur. Cuiauia vero ab ortu Maſouiæ & Rauenſi ſatrapiæ, à Meridie Lencicienſi & Caliſſienſi iungitur. Continet autẽ inter ſe duas ſatrapias, Breſtenſem, quæ magis ad ortum ac meridiem vergit, atque Inouladiſlauienſem, quæ magis eſt occidua & ſeptentrionalis. Cuius non exigua pars eſt Dobrinum vltra Viſtulam, ab oppido ſic dictum, latere orientali confine Maſouiæ, ſeptentrionali vero Pruſſiæ. Maſouia quoque eodem latere Pruſſiam, orientali Lithuaniam & Poleſſenſem tractum, & verſus ortum hybernum Poloniam minorem, eiuſque ſatrapiam Sendomirienſem, meridionali vero Rauenſem attingit: duabus ſatrapiis diſtincta, Plocenſi nimirum, quæ occidentalis eſt, & ea, quæ peculiariter Maſouiæ nomen retinet, propterea quod diutius ducum ſuorum de Polonorum Principum ſtirpe oriundorum dominatu ſegregata, poſtrema omnium noſtra memoria deſtituta Ducibus, ex pactis & iure feudi Poloniæ poſtliminio ſit reſtituta, quæ quidem orientalis eſt. Rauenſis quoq; ſatrapia quondam pars Maſouiæ fuit, ſuoſque Duces habuit, ſicut & Plocenſis, & pleræque omnes. Pruſſia regia præter meridionale latus, ab occaſu vlteriorem Pomeraniam confinem habet: à ſeptentrione ſinu Balthico ſeu Venedico: ab ortu Pruſſia ducali cingitur. Tribus autem ſatrapiis diſtincta eſt, Culmenſi, Mariæburgenſi, & Pomeranica. Quarum hæc occidentalis eſt: reliquæ duæ, Viſtula fluuio ab illa diremptæ, orientales. Ex his autem Culmenſis ad meridiem ſpectat, Mariæburgenſis vero ad ſeptentrionem. Varmia & ipſa pars eſt Pruſſiæ regiæ, ad Aquilonem vergens, ducali fere vndique cincta, & ab ea quodam tempore maiorem in modum acciſa: Mariæburgenſem quoque ſatrapiam contingit: nec in vlla ſatrapia cenſetur, ſubiecta Epiſcopo ſuo & eius collegio, Regis Polonię maieſtatem agnoſcentibus. Michalouienſe autem territorium eſt in ſatrapia Culmenſi, Maſouiæ ac Dobrino finitimũ: olim pars Maſouiæ. Ducalis vero Pruſſiæ, præter regiam Pruſſiam, limes eſt à ſeptentrione mare Sarmaticum cum lacu Curonienſi, & ora Liuoniæ: ab ortu Samogitia, cæteraq; Lithuania: à meridie vero Maſouia. Satrapiam ea nullam habet, præfecturas plurimas. Ruſſia, quam rubram nonnulli vocant, latere occidentali minori Poloniæ iungitur: à ſeptentrione Ruſſiam albam & Volyniam hãbet: ab auſtro Vngariam, & nonnullam Moldauię partem attingit eo tractu terræ, qui Pocuce appellatur. Nam cætera Moldauia

ſiue Valachia, qua Podoliæ quoq; iungitur, magis eſt orientalis Ruſſiæ. Continet Ruſſia duas ſatrapias, nempe Belzenſem, quę ad Volyniam & Lithuaniam vergit, & eam, quę peculiariter Ruſſica & Leopoliẽſis dicitur, auſtralem magis & orientalem: niſi quod Chelmenſis tractus eius non exiguus ad ſeptentrionem etiam vltra Belſenſem prominet, & Podlaſſiæ finitimus eſt. Reliquum autem orientale latus eiuſdem Ruſſiæ, ac totius regni Poloniæ claudit Podolia, ab aquilone & euro albæ Ruſſiæ, à cætero ortu vaſtis campis Tartaricis ac Turcicis, à meridie vero Moldauiæ continens: totaque vna ſatrapia cenſetur, quam Podolicam vocant. Hi nunc ſunt Poloniæ fines, hæ partes.

Poloniæ ſolum qualę.

Eſt autẽ regio tota fere plana & aprica, maxime qua ad occidentem ſolem ac ſeptentrionẽ vergit, &, quæ penitus orientalis eſt, Podolia, ac vel nomine ipſo decliuitatẽ præ ſe fert vicinorũ Moldauiæ, Ruſſiæ, & Vngariæ montanorũ intuitu. Minor Polonia itidẽ atq; Ruſſia, quo propius accedit ad fines Vngariæ, hoc magis montana eſt & ſyluęſtris. Quo lõgius aũt inde recedit, eo lenius decliuis eſt, magiſq; culta & meliore gleba. Tametſi in meditullio quoq; Sendomirienſis ſatrapia aliqua ex parte leniter cliuoſa eſt. Pruſſia pleraq; omnis excepta Mariæburgenſi ſatrapia, qua ad Habũ & mare vergit, collib. molliter, & ad fertilitatẽ amœnitatemq; cõmode diſtincta eſt: itemq; pars nonnulla Cuiauię.

Montes Polonici.

Montes Sarmatici, qui Poloniã & Ruſſiã ab Vngaria dirimũt, ardui & ſyluęſtres, nõ ignoti ẽt ſunt veterib. Geographis & Hiſtoricis: & in his celebris eſt in primis Carpathus. In meditullio vero minoris Polonię Lyſecius eſt ſiue caluus, in quo monaſteriũ eſt S. Crucis, & Vauelus arce Cracouiẽſi, q̃ ſuo ipſius nomine nobilior, & is, in quo ſitũ eſt, Czenſtochouiẽſe monaſteriũ, quẽ clarũ latine Monachi incolæ appellauere. Sylueſtris ſane fuit ſuperiorib. temporibus pleraq; omnis Polonia: ſed nunc vbiq; diligẽter excolitur, frugũ leguminumq; ferax, & pratis abundãs. Nec tamẽ deeſt ẽt nunc ſyluarũ copia: nõ enim eæ penitus excidũtur & extirpãtur, partim propter paſcua & mellificia, partim propter ædificiorũ materiã, & ligna mitigando frigori neceſſaria. Tanta enim eſt vis frigoris interdũ, vt radicitus areſcãt arbores, & aqua ex editiori loco effuſa, priuſquam terrã contigerit, in glaciẽ concreſcat. Lacus quidẽ, & paludes, & flumina duobus tribuſue menſibus hybernis, nonnunquã autẽ vel in quintũ ac ſextum vſq; glacie concreta, nõ modo peditibus, verum etiam equitibus, & curribus, ac plauſtris quamuis oneratis, multis ſimul longo ſpacio peruia & ſecura præbent itinera. In tanta aũt cœli intemperie pomaria tamẽ ſunt nõ infrequẽtia & fructuoſa, ad Viſtulã præſertim, & in ſuburbanis Cracouiẽſibus, Sendomirienſibus, Varſauiẽſibus, Toruniẽſibus, Gedanenſibus, Elbingẽſibus, itẽ Vieliſcenſibus & Bochnẽſibus, licet remotiorib. à Viſtula, totoq; tractu ſubmontano ac Sciriciẽſi, quib. pyrorũ, pomorũ, prunorũ, perſicorũ, ceraſorũ, ac nucũ bonitas, varietaſq; certat cũ Vngaricis & Italicis. Sunt & vites, quarũ vuæ in minori Polonia eſu quidẽ nõ inſuaues ſunt, præſertim, ſi æſtas & autumnus temperiẽ ſuã ſeruent: ſed vinũ inde expreſſum acerbius, vbi defecatũ eſt. Nec metalla foſſiliaq; deſunt in mõtanis: plũbi quidẽ intermixto argẽto apud Ilcuſſum, Sclaucoſiã, Chranouiã, & Nouagorã oppida ſatrapię Cracouiẽſis, & in finib. Sileſię: argẽti viui apud Tuſtanũ in Ruſſia: æris & lazurii, & plumbi itẽ apud Chencinos: ferri in plurimis locis ſyluęſtribus: nitri apud Viſſliciam, & alibi: ſalis apud Bochnam & Vieliſcam in ſatrapia Cracouienſi, & apud Haliciã, Colomeiam, Solum & aliis complurib. in locis Ruſſię. Ac in Ruſſia quidẽ id ex aqua è profundis puteis hauſta decoquitur, & partim in modũ farinæ vel niuis minutæ relin-

Vbertas.

relinquitur,partim in fruſtula conformatur : in tractu vero Cracouienſi,partim lapidea duritie ſolidum inſtar ingentium ſaxorum & rupium in ſubterraneis ſpecubus alte lateq; excauatis,& villas,templa, oppidaq; ſuperædificata ſuſtinentibus,ferro excinditur,comminutumq; deinde & mola tritum, ad vſus hominum accommodatur, partim & ipſum ex aqua iniectis lapidei ſalis fruſtulis & quiſquiliis,quæ ſecantibus id abraduntur, decoquitur. In maiore quoq; Polonia apud Pinſcum ſalinæ ſunt, verum tenuiores. Sunt etiam in confinio Oſuiecimenſis territorii & Scepuſii aquæ ſalſæ, vnde ſal coctus Regi exhibetur,ſalinæ tamen nullæ ſunt.Porro in deſertis Podoliæ &Boryſtheni vicinis locis lacus eſt, cuius aqua ſereno & ardente ſole in ſolidum ſalem concreſcit,ita vt homines cum iumentis & curribus in eo, tanquam in glacie verſentur,ſectumq; in fruſta arbitratu ſuo auehant: quamprimum autem pluit, ſoluitur illa glacies non ſine periculo inſiſtentium. Apud Bieczum vero in ſubmontana regione vitreolum effodi, ac in viridem lapideamq; duritiem decoqui nuper cœpit. Marmor quoq; & Alabaſter quibuſdam in locis effodiuntur.Eſt in maiore Polonia prope Sremum oppidum collis, vbi ollæ, amphoræ,cacabi, & aliarum figurarum vaſa fictilia ſponte naſcuntur, & ſub terra effodiuntur mollia,in aerem autem prolata dureſcunt. Porro in mari Sarmatico Pruſſiam alluente colligitur ſuccinum,quod fluctibus appulſum ad littora homines nudi obuiam euntes paruis retibus excipiunt,& extrahunt, molle primum,ſed mox in aere dureſcit,tornoq; ac ſcalpro varie conformatur.In lacubus quoq; nonnullis à mari remotioribus id reperitur:vt in Piſſia Epiſcopæ Varmienſis,modicum tamen.

Fluuii. Aquis irrigua eſt pleraq; omnis Polonia, ſed fluuios nauigabiles non multos habet:Præcipui ſunt Viſtula,Donaiecius,Sanus, Veprus,Varta, Noteſius,Neſter,Prutus,Bugus,Bohus,Pripetius,Narua,Dreuantia. Viſtula in Teſchinenſi tractu è Sarmaticis montibus exoritur, & per minorem Poloniam decurrit,Maſouiam interluit,Dobrinum à reliqua Ciciauia dirimit, ac Pruſſiam mediam diuidit.Supra Marieburgum autem in duos alueos ſectus,inſulam inſignem & fertilem,quæ Zulaua maior dicitur,efficit, nomineq; amiſſo, ſiniſter quidem alueus Leniuca,dexter vero Nogatus vocatur:quorum hic in Habum lacum tribus oſtiis,ille vero duobus, partim in eundem Habum, partim in mare Balthicum ſe exonerat.Nieper,Boryſthenes antiquis ſcriptoribus, in Moſcouia ortus Albam Ruſſiam,eiq; confinem Podoliam alluit,& in pontum Euxinum apud Ociacouiam munitionem Tartaricam exoneratur. Donaiecii fontes in iiſdem Sarmaticis montibus ſunt,non longe à Viſtulę:hic per Scepuſium & ſubmontanum tractum decurrit, & Popruto auctus non longe ab Opatouecio vico Viſtulæ miſcetur. Sanus è Bieſciade monte oritur, ac verſus ſeptentrionem & occaſum æſtiuum profluens, exceptis Lieſco, Sobeno, Sanoco,Brozouia,Præmiſlia,Radimno,Iaroſlauia, Lezeiſco,aliiſq; torrentibus quam pluribus apud Sendomiriam in Viſtulam ſe exonerat. Varta apud Cromolouiam originem habet, & per Siradienſem tractum ac maiorem Poloniam verſus occaſum æſtiuum labitur,multa oppida præterfluens, aliquot fluuios minores excipiens,apud Coſtrinum in Oderam influit. Noteſſius è Goplo lacu apud Cruſuiciam ſcaturiens,per maiorem Poloniam verſus occaſum currit,Pacoſſum & alia quædam oppida atq; arces alluit. Neſter in Ruſſia è Sarmaticis montibus oritur,& Biſtricia,Lipa,Sereto Ruſſico,Sbrucio,Smotricio, & aliis quibuſdam fluuiis auctus, multa oppida præterlapſus infra Pocuce

cuce à Valachia d[illegible], & ſuper Bialogrodum vrbem Turcicam in Pontum Euxinum influit.Bugus in Ruſſia non longe ab Oleſco oritur,receptis Rata & Muchauecio fluuiis,Naruæ è Lithuania profluenti miſcetur,qui apud oppidũ Nouiduorum in Viſtulam infunditur.Naruæ hoc eſt peculiare,quod venenata animalia auerſetur,adeo,vt ſerpentes,qui nauibus Bugo delatis adhæſerint, cum ſibilo refugiant,quamprimũ flumen illud attigerint. Pripetius in Chelmenſi tractu de palude quadam principium fluxus habens, poſtquam Styrũ, Turum,Slucium,Suiſlocium fluuios admiſit, in Nieprum ſiue Boryſthenem ſupra Kiouiam ſe præcipitat.Bohus in finibus Podoliæ è palude oritur, & per Ruſſiam albam ortum verſus longo fluxu in Boryſthenem non longe ab oſtiis eius decurrit. Prutus in montibus Sarmaticis fluens per Valachiam ſiue Moldauiam in Danubium effunditur. Dreuancia non longe ab Alba & Paſſaria oriens ſupra Toruniam Viſtulam ſubit.

Lacubus piſcoſis abundat inprimis Pruſſia, in his nominatiſſimus eſt *Lacus.* Habus, quem etiam recens mare vulgo vocant : ad quindecim milliaria in longitudinem inter Gedanum & Regiomontum ſecundum mare patens, & ab eo anguſta inſula,quæ Neringa appellatur, diſiunctus: in latitudinem vero duo milliaria plus minus. Hoc aliquanto amplior lacus alter eſt eodem nomine, cognomento Curonienſis, in Pruſſia ducali, in quo ſunt oſtia Nemenis fluuii ſiue Memelæ per Lithuaniam defluentis.Inter hos duos Habos & mare peninſula eſt, quæ & ipſa Neringa ſed Curonienſis appellatur, arces & oppida continens. Secundum hos eſt Drauſenus lacus in Mariæburgenſi ſatrapia, vnde Elbinga flumen profluit: Partecinus, Lubnus, Reuſina & Viecininus in Culmenſi : in Pomeranica vero Stuorzonagaci (quod ſtratum vel factum aggerem ſignificat) inter Choiniciam, Slochouiam, ac Tucholiam ſeptem milliarium ſpacio longus,quinque latus : vnde Berda fluuius profluens,per Crempſcum,Lubonum, & Charſicouum minores lacus in Viſtulam influit infra Bydgoſtiam. Nec ignobiliores his ſunt, Vſdice, Lubſcus,& Oſſiecinus in eodem tractu. Sunt & in Varnienſi ditione non pauci,præcipue vero Dadaius,Zainus,Vadangus,Piſſia,Blanke, Sinſer, Lingenaus, Lemanglus, Elbingus, & alii complures. Sunt & in ducali Pruſſia multi & grandes.Habet & maior Polonia & Cuiauia nonnullos piſcoſcoſq;: in quibus Goplus princeps, quinque milliaria patens in longum, ſemis in latum : poſt hunc ſunt Blendnus,Pouizus,Sleſinus, Sanus,& reliqui non pauci.In Cuiauia vero Tur,Lanſcus,Bielſcus, Lubotinus,Orlie, Berdouus, Borimouus,Creuianta:& in Dobrinenſi tractu Gorznus, Mocouus, & Scamſcus, minores aliquanto ſuperioribus.Pro lacubus minor Polonia, Sileſia, Ruſſia, *Piſcinæ.* ac Podolia piſcinas habent arte manuq; factas permultas & grandes. Non carent tamen & lacubus, Lublinenſis maxime & Chelmenſis tractus, è quibus Biale,hoc eſt,Albus,per antiphraſin dictus, cum aqua eius ſit nigerrima, qua Aprili & Maio menſe lauantes redduntur fuſci, piſces profert pinguiſſimos,qui braſmi ſiue cleſcii vocantur. De Krinice Belzenſis tractus lacu mirabile illud eſt,quod narratur, eum certis temporibus altero vel tertio quoque anno exhauriri, cum mugitu quodam fluctuans ad fundum vſque,in vicinorum montium cauernas aqua, quæ aliquot diebus poſt refluit, ſe inſinuante: atque ibi facilis tum eſt piſcatio. Sunt autem eadem genera piſcium in lacubus & piſcinis. Vtrobique enim ſunt lupi ſiue lucii, praſmi, percæ, rhombi ſiue caraſſii ſumi,ſendacii,certæ,tineæ,anguillæ,ruboculi, carpiones.

Pisces. Ferunt etiam lacus nonulli eos, quos suluizas siue Marenas vocant. uiatiles vero sunt cum iisdem fere omnes, tum delicati inprimis, truta, bo siue mullus, fundulus, oculata siue lampreta, alosa siue borbocha, Polonis Mientus, cuius iecur potissimum est in deliciis, itemq; alii complures, qui latinis nominibus carent. Cancris & anguillis abundat inprimis Nida fluuius Pinczouiam, Visliciam & nouam ciuitatem præterfluens: Anguillis etiam & Stintis Habus, & alii nonnulli lacus Prussici. Marinis piscibus non admodum abundat ea regio: nobiles præcipue sunt haleces, quorũ sale conditorum maximus est vulgo vsus in tota Polonia, Lithuania, Silesia, Boemia, Morauia, & Hungaria. Non desunt pomochlæ, neq; passeres, salmones siue esoces, & sturiones vtrobiq; prænhenduntur: sed è mari sursum fluminum certis temporibus enatant, transilientes obstacula, in quibus etiam insidiosis capsis collocatis capiuntur. Tanto autem sunt suauiores, quanto longius à mari & Habo recesserint.

Fera. E ferarum animantium genere fert hæc regio copiam leporum, dorcarum, sciurorum, cuniculorum quoque alicubi: ceruorum etiam & aprorum, vrsorum, & luporum. Inprimis vero Nepolomicensis & Radomiensis saltus nobiles sunt ceruorũ venationibus. Horum autem & onagrorum ac bisontiũ Prussia ducalis, eiq; finitima Massouia ferax est, & inprimis Podolia: vbi agminatim in campis non modo hę ferę, sed etiam feri equi pascuntur. Ferunt etiã capreas montana loca Vngariæ finitima. Cæterum vri, hoc est, boues syluestres in solis Masouiticis syluis apud Vyskitcos extant, & harum quidem ferarum carnes aptæ sunt humauo esui. Cultui vero pelles subministrant panthera, martes, vulpes, lupi, Rosomaci, lutræ, & castores, quorum caudæ etiam inter delicatos cibos, & pro piscibus habentur, reliqua carne inutili propemodum. Vrsorum quoq; volæ cum digitis comeduntur: pelles etiam stragulæ vestis vsum prębent. Cuniculi, lepores, & sciuri cultui iuxta & esui apti sunt. Sunt etiam in Podolia animalia sciurorum vel cuniculorum magnitudine in cauernis degẽtia, varias & maculosas pelles habentia, quæ ipsa ad vestitum & pallia fœminarum expetuntur, Crzecicos vulgo vocant. Omni autem genere ferarum magis abundat Lithuania propter vastitatem syluestrem. De iumentorum genere, bobus & equis abundat Polonia: camelis, asinis, & mulis caret: aliunde ii nonnunquam adducuntur, sed non diu durant. Ouium item & caprarum ferax est. Auium quoq; magnam habet copiam. Præter altiles autem, nempe gallos gallinaceos, domesticos iuxta ac Indicos, (qui nuper adeo inuecti sunt) anseres, anates, & columbas: in deliciis hæ sunt, Pygargus siue bistarda, pauo, grus, cygnus, perdix, bonosa, coturnix, sturus siue starnus. Et missis rapacibus aquilis, falconibus, accipitribus, miluiis, vulturibus, nisis, ardeis, & multis aliis, minorum quoq; auicularum aptarum esui ingens est copia. In his nobilis inprimis ea, quæ in solis fere Louicienſibus campis cum niue existit ac disparet, auicula passere non multo maior, quæ à niue Sniegula dicitur. Turdus rarior est, itemq; Pardua auis syluestris, gallina non multo minor in campis Russicis ac Podolicis, in quibus etiam reperiuntur coturnices virentibus pedibus, quarum vsus spasmum inducit.

Aues.

Polonica lingua. Genti Polonæ sicut origo, ita & lingua communis est cum Bohemis, Russis, Moscis, Morauis, Silesiis, Cassubiis, Croatis, Bulgaris, Rasciis, Serbis, Illyriis, & vniuerso nomine Slauico: tametsi dialectis ea tam varia est, vt nonulli ex his populis ęgre & vix se inuicem intelligant. Cæterum ab omnibus aliis linguis

linguis ea prorsus diuersa est: nisi quod multa instrumentorum, operum, & aliarum rerum ad opificia & communem vitam pertinentium vocabula à finitimis & priscis incolis Germanis mutuata est. Suntque hodie non modo mercatores & opifices Germani multi, sparsim in vrbibus habitantes, verum oppida pene tota & pagi pleni vtentium lingua Germanica in submontana regione, eiq; finitimis Russię & Scepusio, itẽq; in extrema ora maioris Polonię, deductis eo, sicut & in Silesiam, & in Prussiam quodam tempore Germanorũ coloniis, ac multis de plebe compẽdii sui causa subinde immigrantibus. Quin & equestres quædam familæ antiquitus è Germania ducunt originem. Cui rei argumento sunt stemmata siue insignia, & eorum nomina. Sed iam ii, atq; etiam oppidani & pagani diuturnitate temporis ac domicilii, & connubiis magna ex parte in Polonos transierunt. Libenter autem & Poloni propter multũ vsum ac commercia cũ Germanis discunt linguam Germanicã: libentius etiã Latinam propter sacrorum ritus & sacerdotia, scribendiq; vsum, qui vulgatissimus fuit antiquitus, hac lingua cum in priuatis scripturis & epistolis, tum in actis publicis, ac diplomatibus, mãdatis, edictis, decretisq; Principũ, & omniũ iudicum ac magistratuũ. Polonica enim lingua neq; tam copiosa est, quam alię, neq; scriptu lectuq; facilis. Sed Pruteni cum maxima ex parte Germani, aut è Germanis oriundi sint, in conscribendis actis iudiciorum Germanica lingua magis vtuntur vulgo, mixtim Polonica & Germanica loquentes. In Russia meridionali præsertim iam fere vsitatior est Polonica dialectus, quam vernacula, ex quo gens ea Polonorum cessit imperio, Polonis propter vbertatẽ soli & militiam aduersus Tartaros libenter ibi figentibus domicilia. Sunt etiã in Russia Podoliaq; Armeni, mercaturã exercẽtes: Iudæi vero longe frequẽtiores, etiã in cætera Polonia, præter Prussiã, sparsim oppida ac vicos incolẽtes. Vtriq; sua lingua vtũtur, sed & Polonica & Russica: Iudæi vero passim & Germanica.

Habitandi ratio in Polonia. Habitant autem Poloni pagis & vicis potissimum, atque etiam oppidis, quibus fere castella & arces adiunctę sunt, dominorũ ac præfectorũ domicilia.

Vrbes & oppida. Vrbes munitas nõ multas habet & cultas, princeps est Cracouia in minore Polonia, Regum & Regni domiciliũ, quæ habet Academiam omniũ disciplinarũ ac doctrinæ studiis & professione florentem. Secundum hanc sunt haud ignobilia oppida in eadem minore Polonia, Lublinum externarum gentiũ Christianarum iuxta ac barbarorum emporio nobile: deinde Sandomiria, Sandecia, Tarnouia, Bieczum, Vislicia, Ilcussum, & Osuiecimum in Silesia. In maiore Polonia Posnania est æmula Cracouiæ, commerciis itidẽ, & emporio Germanorum exculta. Post hanc sunt Calissia, Gnesna vetustate & Archiepiscopi sede basilicaq; nobilis, Vschoua siue Fraustadia, Costenum & Slupcia. In Russia Leopolis vrbs satis munita, duas arces adiunctas habens, emporio, ciuiumq; elegantia ac humanitate florens, ac sede alterius Archiepiscopi non ignobilis. Præmissia quoq; arce munita, & duob. Episcopis, Romano & Russico, cohonestata est. Chelma quoq; itidem duos habet Episcopos, sed propter oppidi immuniti infrequentiã, Tartaricasq; excursiones, Romani Episcopi cathedra Crasnostauiã translata est. In Podolia Camenecia est vrbs arte naturaq; loci permunita, quę & ipsa suũ habet Episcopũ. In Masouia Varsauia, sedes olim & colonia Auarinorũ populorũ: deinde Ploscũ basilica nobile & Episcopo, eiusq; Episcopi oppidũ Pultauia cũ arce, & Lõza. In Cuiauia sunt Bresta & Vladislauia sedes & oppidũ Episcopi cũ arce. In Prussia Gedanũ vrbs trib. oppidis coagmẽtata, portu, naualib. ac horreis nobilis: copia & varietate mercimoniorũ

 partim

partim maritimorum ex toto occidente & septentrione, partim terrestriũ ex diuersis mundi partibus,& fluuiatiliũ maximè Vistulæ præterlabentis opportunitate abundans:munitione firma,ciuium,& conuenarum industria ac diligentia culta. Gedano proxima dignitate est Torunia olim emporio & rebus omnibus florentior:sed Gedani incrementa eã non paruis detrimẽtis afficere, & infrequentem reddidere. Quod ipsum itidẽ Culmæ prius vsu venerat. Quę ciuitas ea dignatione fuit antiquitus, vt ab ea cætera omnis Prussia, atq; etiam Masouia,pleraq; ius peteret,quod inde etiamnũ Culmense dicitur: Nunc paret Episcopo,qui inde nomen habet. Elbinga etiam Prussiæ est vrbs gemina, permunita ac copiosa,nisi quod ei officit ab altera parte Gedanũ,ab altera Regiomontũ. Regiomõtum ducalis Prussiæ caput,tribus oppidis & arce magnifica,quam Pregola fluuius intersecat,& vno ferme milliario infra ea in Habũ influit. Minoribus item oppidis frequens est admodum vtraq; Prussia, & quidem nec incultis, nec immunitis. In regia primarium est Mariæburgum,cum ipsum per se mœnibus turribusq; permunitum,tum arce amplissima & munitissima clarum,situm ad Nogatum brachium Vistulæ. Mariæburgo non multum cedit Heilsberga Episcopi Varmiensis domicilium. Brunsberga quoq; oppidum geminum,permunitum,frequens & copiosum. Habet & alia plurima oppida mœnibus cincta,& arces validas beneq; ædificatas,quæ hic singula enumerare non necesse est. In cætera quoq; Polonia nõ infrequentia sunt oppida pleraq; sine mœnibus,nec nisi ligneis ædificiis præter templa & castella siue arces adiunctas. Sunt itẽ arces in editioribus locis ac rupibus extructæ,nullis adiũctis oppidis. Sunt & monasteria ad munitionem pariter & cõmoditatem habitatorum exędificata,& vicis pagisq; non longe distantib. frequẽtata.

Pagi. Pagi pleriq; omnes,ad lacus,riuos,& flumina siti sunt, sparsim duplici vtplurimũ ordine disiectis agrestium domiciliis. In his casæ sunt ligneæ vel luteæ,humiles pleræq; omnes stramẽtis,nonnullæ assereulis intectæ, præter prædia domosq; dominorum,quæ ampliores sunt & cultiores. In Prussia tamen agrestes minus inculte habitãt:oppidani vero cultius & lateritiis fere domibus interiectu trabiũ firmatis, & ad omnẽ cõmoditatem instructis. Vrbes longe sunt cultiores,nisi quod habẽt domos angustiores:cæteræ vero Poloniæ vrbes primariæ laxioribus domibus,nec minus cultis habitãtur. In quib. cũ Germani mercatores superiori ætate lateribus ac lapidibus elegantius ædificare cœpissent, nunc Poloni quoq; eodem studio tenentur. Hypocaustorum maximus vsus est in tota Polonia maiore anni parte,sicut & balneorum excalefactorum. Ve-

Vestitus. stium genus neq; vnum est,neq; certum,aut suum cuiq; ordini,conditioni,ætati,& generi hominum:sed exoticis delectantur plurimi.

Victus ratio. Victus gentis vulgo agrestis,præsertim succidia,lactariis, piscículis, oleribusq; potissimũ constat. Vrbanis ac Nobilitati victus est lautior, mensæ cum altilibus tum feris animalibus,auibusq; & piscibus lautis instructæ: in quibus permagnus est aromatum vsus. Nec desunt bellaria, aliæq; lautitiæ,cum domi natæ,tum exoticæ. Triticei panis vinique vsus non ita pridem inoleuit apud lautiores. Nunc quidem vtroque multum vtitur etiam vulgus in conuiuiis:nec obstat precium. Cæterum siliginei panis & cereuisiæ promiscuus vsus est in tota Polonia. Fit autem cereuisia,in Prussia quidẽ ex hordeo, in cætera vero Polonia etiam è tritico minutatim molito,& aqua decocta cũ lupulo. Admiscetur nonnunquã triticeo siligo,vel spelta,vel auena. Mel quoq; itidẽ cũ lupulo aqua decoctum in frequenti vsu est,Russis præsertim & Podoliis,apud quos

quos permagna est apum & mellis optimi ex dictamo & aliis bene olentibus herbis ac florib. collecti copia. Nec Lithuanis,Prutenis & Masouiis mel deest, qui & ipsi itidem id decoquunt,medonem vulgo vocantes. Color hominum *Corporum habitudo.* fere candidus est,capillus flauus,vel magis albicans: statura mediocris,aut mediocrem paulo excedens,habitudo corporum succulenta, nisi quod fœminis, & maxime puellis nobilioribus, vrbanisque studium est, vt se iunceas reddant. Est in viris iuxta ac fœminis naturalis quædam formæ bonitas ingenuo rubore tincta.

Ingenia Polonorum sunt aperta & candida, & falli, quam fallere magis apta: non tam irritabilia quam placabilia, imo tractabilia,si placide tractentur. Exemplis aũt inprimis ii cõmouentur, & sunt principibus ac magnatibus suis satis morigeri. Ad comitatẽ,ciuilitatẽ,benignitatẽ ac hospitalitatem prompti, ita vt ignotos & externos non modo libenter suscipiant hospitio, sed & inuitent, & omni officio prosequantur: & non modo ad conuictum ac familiaritatem quorumlibet faciles, sed etiam ad mores & imitationem eorum, cum quibus viuunt, externorum præsertim flexibiles. Iuuentutis laxior est educatio: sed ea naturæ bonitate compensatur: ad scholas quidem mittere mares liberos, & Latinis literis teneram ætatem imbuere, omnibus pauperibus iuxta ac diuitibus, Nobilitati ac plebi studium est. Puellæ quoque nobiles & vrbanæ vel domi vel in monasteriis vernacula,imo & latina lingua legere & scribere discunt: adultiores puellæ quidem rei familiaris culinariæ præsertim & pecuariæ curandæ, lanificioque seu linificio potius atque textrinæ, & acu pingendi arti manus admouent: mares vel agriculturæ, vel opificio cuipiam, vel mercaturæ, vel magistratuum & procerum, sacerdotumq; opulentiorum ministeriis sese addicunt. Multi domi cum parentibus vitam degunt,eosque in re familiari curanda subleuant,ac decedẽtibus iis, patresfamilias facti, rem suam agunt. Complures libenter peregrinantur, dispendiorum rei familiaris negligentes,egestatisque & omnium,quæ peregrinantes consequuntur,incommodorum tolerantes. Externa enim magis quam domestica admirantur. Itaque *Studia.* linguas earum gentium,ad quas peruenerint,cupide & facile discunt: quinetiam in victu cultuq; corporis & moribus noui aliquid peregre afferre student, indeque laudem elegantiæ quærunt. Sunt autem docilia hominum ingenia, & valent, quocunque intenduntur,sed alienis inuentis perdiscendis ea magis accommodant, quam vt noui aliquid ipsi excogitent,& excellere magnopere vlla re studeant. Non tam autem ad artes mechanicas tractandas Poloni apti esse videntur, quam ad studia doctrinæ: nisi forte illas contempsere potius quam assequi nequiuere. Externis quidem plerisque opificibus antiquitus vsi sunt, & vtuntur etiam nunc non paucis. Bonarum literarum ac doctrinæ studia accuratius consectantur, inprimis ii, qui his præsidiis ex humilitate sordibusque domesticis emergere cupiunt, aut qui sua vel parentum voluntate ad sacerdotium animos adiiciunt. Rem porro familiarem diligentius curare non ita pridem, & eodem prope tempore, quo bellorum incommodis vacui, luxum splendoremque consectari cœperunt. Sed in ea minor est vulgo parta tuendi ac dispensandi, quam acquirendi diligentia. Ad conuiuia & festas epulas conueniunt plerique vicini & amici inter se,ad vnum aliquem viri soli, vel pariter cum fœminis. Nec turpe habetur, puellas quoque interesse, & earum colloquia, conuiuia, choreasque à iuuenibus frequentari, parentibus earum cognatisque præsentibus: atque ita plurima contrahuntur matrimonia. Nec

Ingenia & mores Polonorum.

Educatio.

Doctrinæ studia.

Rei familiaris cura.

Conuiuia & compotationes.

raro in eiusmodi conuiuiis simultates & inimicitiæ abolentur, & vel dissolutæ, vel nutantes amicitiæ redintegrantur: quanquam intemperantioribus compotationibus interdum cruentæ quoque pugnæ inter conuiuas & amicos accenduntur, iurgiis plærunq; inter viliores seruos coortis. Potantibus enim dominis, nec illi à poculis arcentur: quin illiberalis cõuiuator habetur, cui curæ non est, vt seruitia cõuiuarum bene pasta ac pota sint. Quo fertiliores enim hæ sunt regiones, eo magis indulgent homines vulgo crapulæ, prolixioribusq; conuiuiis ac compotationibus, ita vt multi eum solum ducant fructum laborum ac diuitiarum suarum. Vigent autem passim inter mares compotationes ad æquales haustus non solum in cõuiuiis, sed etiam in cauponis, ad quas vulgus compotandi causa conuenire solet: eoq; prouecta est hæc licentia, vt, quod profestis partũ diebus est, festo die potando fere prodigatur. Atq; inde fit, serpente potandi ẽt profestis diebus & ótii consuetudine & inertia, vt angustiore re familiari vtantur multi, præsertim cum nemini curæ sit, quid priuatus quisq; gerat negotii, vnde & quomodo se sustentet: & fructuosa etiam sit dominis & magistratibus illa potandi licentia. Etenim non exigua & tributorum & vectigalium publicorũ ac priuatorũ portio è cauponis corrogatur. Exolescit tamen sensim apud honoratiores illa ad æquales haustus potandi consuetudo, eorum studio, qui apud gentes politiores peregrinati sunt. In victu & potu, atq; cultu corporis, vestiumq; numero, varietate ac pretio maior luxus indies inualescit, inferioribus quibusq; illustrium & nobiliorum exempla cupide amplectentibus, nullis autem legibus sumptuariis modum in victu cultuque corporis cuiquam ordini aut homini præscribentibus.

Status & ordines Polonorum. Distinguitur autem populus Polonus partim genere, partim ex religione sumpto vitæ instituto. Ac genere quidem in Nobilitatem ac plebem distribuitur: religione autem in sacrum & profanum, vel spiritualem & secularem statum & ordinem. *Nobilitas.* Nobilitas Polona ad regimen ac defensionem cæteræ multitudinis regionisque segregata est, atque inde, qui sunt huius ordinis, antiquitus milites, nunc equites ab equestri militia, cui sunt obnoxii, appellantur. *Nobilitatis prærogatiuæ.* Habet autem Nobilitas multas ac magnas prærogatiuas, quæ partim Regum ac Principum munificentia firmatæ sunt, partim moribus & institutis inualuere. Regi quidem ea soli fere subiecta est: iudicatur tamen ad præscriptum legum, & à magistratibus regni & regiis. E cæteris, priuatis præsertim, nemo Nobilitatem cum agris & pagis subiectam habet. Habet etiam Cracouiensis Episcopus in Seueriensi ditione: habet & Varmiensis, eiusque ipsius Ecclesiæ collegium, & alii fortasse. Licet tamen homini nobili scultetiam siue aduocatiam in bonis alienis, paganis & oppidanis voluntate domini obtinere. Licet etiam priuati conditione in vrbem vel oppidum cuiuslibet commigrare, saluis personæ suæ prærogatiuis, nisi is decus nobilitatis amittat. Nobilitas porro æstimatur genere & meritis, adiuncto vitæ instituto. *Nobiles qui.* Habentur enim Nobiles, quorum maiores aut parentes virtutis ergo in eum ordinem allecti, militiæque adscripti, ac gentilitio signo donati sunt, quiue ipsi hæc meruere virtute sua. Sed præstabilius habetur, Nobilem natum esse, quam factum. Nasci autem Nobilem patre simul ac matre Nobilibus oportet legitimo coniunctis matrimonio: quanquam nec plebeia mater liberorum Nobilitatem minuit, dummodo pater sit Nobilis. Conferendi porro Nobilitatis potestatem solus Princeps habet: idque vel suo ipsius iudicio ac beneficio facit, vel interueniente testimonio, & quasi adoptione Principum

pum alicuius familiæ virorum, stemma & gentem suam cum eo, qui ita creatur Nobilis, communicantium. Eiusmodi tamen creatis Nobilibus obtinere & possidere bona terrestria statuto quodam nouo non licet: sed posteritas eorum pari cum aliis natis nobilibus iure esse incipit. *Nobilitatis amissio.* Amittitur porro nobilitas decreto Principis ob admissum dedecus & atrox aliquod facinus. Contaminatur etiam & abdicatur quodammodo, si quis desertis militiæ & agriculturæ studiis, sordidum quæstum faciat arte mechanica, vel tenuiore ac minutioribus mensuris ac ponderibus vtente mercatura & cauponatione. *Nobilitas æqualis.* Est autem pari dignatione Polonica omnis Nobilitas: nec est vllum in ea Principum, Marchionum, Baronum, Comitumque discrimen, exæquata quodam tempore omnium conditione. Ducum, qui peculiares haberent dominatus vel territoria, nunquam aliud genus fuit apud Polonos, quam id, quod à Boleslao Criuousto Principe propagatum fuit, cum is principatum inter liberos diuisisset. Verum id iam defecit. Russi habuerunt antiquitus suos Duces, habent etiamnum Lithuani & Volynii. Neque enim subactis, vel in deditionem acceptis ea prærogatiua adempta fuit.

Gentes & familiæ nobiles vndæ appellatæ. Multæ sunt autem Nobilitatis Polonæ gentes, & quasi tribus, non locis & regionibus, verum signis quibusdam gentilitiis, eorumq; appellationibus distinctæ, quæ singulæ rursus multas stirpes ac familias cognominibus & agnationibus distinctas complectuntur. Signa vero gentilitia siue insignia partim à rebus, quarum sunt notæ, partim ab euentu appellationem habent. Plurimorum ratio obscura est: nisi forte à primis conditoribus gentium ea sumpta sunt. Neque enim olim, vt nunc, ab arcibus, villis, & pagis, quibus dominabantur, denominabantur Nobiles, sed vndelibet sumpta aut indita nomina, ad longam posteritatem, amisso etiam vel commutato patrimonio, recte transmittebant. Qualia supersunt etiam nunc multa, cum alibi, tum in submontano & Sciricensi tractu, & in Russia. Nunc malunt plerique de arcium, oppidorum, & pagorum nominibus deflexa paululum per denominationem in ski vel ki voce appellari. Interdum autem sine hac deflexione vel adiectione arcis, vel oppidi, vel pagi nomen, vnde quisque ortus, vel cuius dominus est, cum præpositione, de, vel, à, vel in cognominis loco vsurpatur, à magnatibus præsertim, & Nobilioribus.

Nobilium habitandi & viuendi ratio. Habitat veto Nobilitas antiquitus sparsim in agris, in sua quisque villa, vel arce, rem familiarem operis ac laboribus adscriptitiorum suorum vel mercenariorum curans, & agricultura, gregum, armentorum, & apiariorum fructu, itemq; venatione atq; aucupio non modo sustentans sese cum domesticis suis familiis, sed ẽt honestas diuitias cõparans, vendẽdis iis, quæ supersunt vsui domestico, quæq; desunt, inde vicissim comparandis. Matres familias aũt & puellæ Nobiles lanificium & linum, cannabimq; & rem pecuariam tractantes, non dedecet vendere ea, quæ ex huiusmodi re familiari & fructibus eius supersunt vsui domestico. Quin & culinæ curam eæ gerunt, exceptis illustribus, ac senatoriis, quæ hæc pleraque dedignantur, aut pedissequarum opera peragunt. Iter facientes, fœminæ quidem vehiculis aut curribus vehuntur: mares vero vel iisdem, vel equis potius: pedestrem incedere per viam longiorem præsertim, minus honorificum vulgo habetur, nisi paupertas necessitatem imponat. Prodeuntem in publicũ nobilem virum iuxta ac fœminam assectis maribus, fœminã vero etiã puellis pedissequis stipari honorificum habetur. Et in eum vsum alit quisq; domi suæ famulitiũ pro modo facultatum, idq; simili

figura

figura & colore veſtium, non ſine ſumptu & luxu veſtiri vſitatum eſt. Aluntur & equi complures. Equitantem enim aut vehentem dominum famuli honoratiores non niſi per vrbem, vel ad ſuburbana pedeſtres aſſectantur. Ac Senatores quidem pedeſtres iuxta ac equeſtres, medii fere inter aſſeclas mares incedunt, honoratioribus antecedentibus, cætera vero turba cum pueris ſubſequente. In cætera nobilitate aſſeclæ omnes ſequuntur heros. Matronas autem & puellas nobiles mares quidem antecedunt, fœminæ ſubſequuntur, præter filias, & quæ in filiarum loco habentur, ac ſorores puellas, quæ ſecundum anteambulones proxime matrem vel ſororem præcedunt. Nec deſunt nobiles iuuenes, qui vel ſtudio ciuilitatis prudentiæque vſu rerum comparandæ incitati, vel tenuitate fortunarum adacti, vel præſidii contra vim potentiorum ſibi ſuiſque comparandi cauſa, non modo in magnatum & Epiſcoporum, ſed etiam in parium ac inferiorum nonnunquam, eorum præſertim, qui magiſtratum gerunt, aut aliquo ſunt numero in aula Regis, aut opibus, induſtria, eruditione, gratiaue populari valent, miniſterium parua vel nulla mercede à parentibus & propinquis traduntur, vel ipſi ſeſe addicunt: duratque ea miniſteriorum præſtatio, quoad vtrique hero ſiue patrono, & miniſtro ſiue clienti placet. Multi etiam de ditioribus neceſſariorum & amicorum liberos pio quodam ac honeſto iuuentutis educandæ ſtudio vltro ſibi in familiaritatem ac miniſterium adſciſcunt. Ad eundem modum & fœminæ fœminis famulantur. Nec ignominioſum eſt hoc genus miniſterii, ſed liberale & ſociabile: nec rara eſt in eo viciſſitudo, ita vt eum quis habeat in miniſterio, cuius parentibus ipſe ſeruiuerit, honeſtaque habetur hæc iuuentutis nobilis educandæ ratio, æquabilitatem quandam etiam in æqualibus fortunis continens. Ac multos ex humili loco ac tenui fortuna non modo ad mediocres, ſed etiam ad ſummos nonnunquam honores, ampliſſimaſque opes ipſorum virtus, dominorumque beneficentia prouehit, idque maxime conciliandis luculentis coniugiis, vel ſacerdotiis. Honeſtatis magna ſemper à Nobilitate ratio habita eſt: fraudem facere, promiſſum fallere, peierare, mentiri, probroſum & infame ſemper habitum eſt, atque etiam nunc habetur. Quod ſi quid eiuſcemodi in probri loco cuiquam obiiciatur, præſertim ab eiuſdem ordinis viro, non tam legibus & magiſtratuum iudicio & authoritate, quam ferro manuq; vindicatur. Diſſimulare quidem probroſum habetur: loci tamen ratio ducitur. Plebeis minor eſt cura dignitatis ac pompoſæ ambitionis, exceptis vrbanis fœminis, quæ & ipſæ bene cultæ, ac pediſſequis comitatæ incedere ſtudent. Vita autem laborioſior tam mulierum quam virorum, nullo fere ſexus diſcrimine, niſi quod fœminæ opificia non exercent, neque vecturam, neque negotiandi gratia peregrinantur: vicina tamen oppida intra fines Regni adeunt, domiq; negotiantur. In plebe autem numerantur, quicunque nobiles non ſunt, ſiue ſint agricolæ, olitores, apiarii, & pecuarii, ſiue opifices & operarii, ſiue propolæ, vectores, ac mercatores, & ſiue in agris, pagis ac vicis vitam degant, ſiue in oppidis ac vrbibus. Ac vrbes quidem & oppida à mercatoribus, opificibus, ac propolis habitantur: vici autē, & pagi, & ſuburbana prædia ab aratoribus, olitoribus, pecuariis, & apiariis. Caupones vero, molitores, operarii, vectores, iumentorumque locatores, vtrobique ſunt. Sunt autem aliquanto meliore conditione vrbani & oppidani, quam agreſtes. Ac cenſum quidem annuum vtrique dominis ſuis penſitant, verum agreſtes & vicani plerique omnes, operas præterea gratuitas ad colendos eorum agros, & alios vſus domeſticos, non ſolum

Nobilitatis ſtudia.

Plebs.

Plebei quis.

Vrbanorū & agreſtiū diſcrimen.

ſolum manuarias, verum etiam cum iumentis ipſi, per ſe, vel per mercenarios & operarios ſuos præſtant. Nec alio cuiquam commigrare inconſulto domino licet: ita vt videantur eſſe glebæ adſcriptitii, nec multum à ſeruis ſiue mancipiis differant, præſertim vt nunc ſunt tempora. Cmetones vulgo vocantur. His autem deteriore conditione ſunt hortulani, qui hortos colunt. Vtrique Chlophi appellantur. Habent ſane in eos domini vitæ neciſque poteſtatem, præter eos, qui ab ineunte ætate literarum ſtudiis, ſacriſque ſe addixerunt. In plebe vrbana non deſunt, qui rem lautiorem per famulos ac vicarios adminiſtrantes, ipſi otio, honeſtioribus ſtudiis, vel delitiis vacant. Multi lautius & ſumptuoſius victitant: atque inde creſcunt rerum pretia, & non pauci ex iis ad egeſtatem rediguntur. Et hæc de Nobilitate ac plebe ſuffecerint. Sequitur eccleſiaſticus ordo.

Eſt autem certus ordo eorum hominum, qui religioni ſacriſque peculiariter vacant, & inſeruiunt, non genere, ſed eorum, penes quos eius rei poteſtas eſt antiquitus, Epiſcoporum ſcilicet, authoritate, ſegregatione, & conſecratione à reliqua omni multitudine diſtinctus. In quo non modo Epiſcopi ac ſacerdotes, ſed etiam cæteri ſacrorum adminiſtri, & Monachi Monachæque cenſentur, è plebeio iuxta ac equeſtri ordine allecti. Vtriſque enim antiquitus iam inde ab initio patuit aditus ad hunc ordinem. Patrum demum aut auorum noſtrorum memoria ab epiſcopalibus non tam functionibus quam ſedibus, & primariis quarundam opulentiorum baſilicarum honoribus, quæ prælaturæ & canonicatus dicuntur, plebei (Theologis, Iureconſultis, ac Medicis aliquot exceptis) excludi cœpere. Quod iam ad Abbatias quoq; ac monaſteria, vbi ex profeſſo mundana omnia abdicantur, inducitur. Secernitur etiam eccleſiaſticus ordo veſtitu ac cultu corporis à cætera multitudine: ſed inter ſe non modo à cæteris ſacerdotibus Epiſcopi, & ab vtriſque Monachi, verum etiam ipſæ inter ſe Monachorum & Monacharum ſectę partim figura, partim colore veſtium, partim toto vitæ inſtituto diſtinguuntur. Quæ, quoniam communia ſunt Polonis cum cæteris Chriſtianis populis, perſequi hic prolixius neceſſe non eſt.

Eccleſiaſtici ordo.

Eccleſiaſtici ordinis diſtinctio.

Diſtinctis ordinibus, reliqua rei familiaris Polonicę ratio paucis proponenda. In magna rerum omnium copia, vt fit, maior aliquanto fuit ſuperioribus temporibus, quam nunc eſt, argenti & auri, reique nummariæ penuria, præſertim cum auri & argenti metalla nulla extarent, & minus nota eſſent Polonis tranſmarina mercimonia. Neque proprium habebant nummum Poloni, ſed externis & maxime Bohemicis vſi ſunt aliquandiu. Cœpit deinde ante ducentos annos à Caſimiro Magno Rege Poloniæ æs & argentum ſignari ad Bohemorum exemplum. Aureos vero nummos primus omnium Sigiſmundus Rex noſtra memoria ſignauit, bonitate & pondere Vngaricorum: tametſi Alexandri Regis quoque fratris eius aureus nummus viſus eſt. Sic autem creuit iam auri pretium, vt duplo nunc carior ſit aureus nummus, quam fuit auorum noſtrorum memoria. Id adeo partim propter luxum ac crebriorem auri vſum, exportationemque ad exteros, partim quia deterior nunc eſſe fertur reliqua moneta, cum ponderis diminutione, tum æris admixtione. Eſt autem ea multiplex. Ac groſſus quidem argenteum numiſma eſt cum admixto ære, olim viceſimaoctaua, nunc ſexageſima pars Vngarici: ſexagenæ ſexageſima, marcæ quadrageſimaoctaua, floreni triceſima. Sunt & minores groſſo nummi. Medians quidem groſſi dimidium, nona fere parte ſu-

Res nummaria.

perans crucigerum Germanicum, sed iam exæquatus. Solidus tertia pars grossi, ternarius sexta, obulus vero decimaoctaua. Atq; hi quidem nunc ærei sunt inalbati: superiori tempore habuerunt admixtum argentum, vt etiam nunc habent grossi & mediantes. Argentei vero sunt trigrossus ac segrossus, hic quidem sex, ille vero tribus grossis æstimatione par. Vtrumque primus donauit Rex Sigismundus primus. Sed iam pauci extant: exportantur enim & conflantur ab auaris Iudæis, mercatoribus, & argentariis apud gentes finitimas. Permagnus est autem etiam nũc apud nos vsus externæ monetæ, quæ pro mercibus vndelibet importatur. Magna sunt enim nunc, si vnquam alias, Polonis variarum rerum cum cæteris gentibus commercia: quanquam commutatione mercium permulta peraguntur. Exportantur autem inprimis siligo, triticum, hordeum, auena, & alia legumina, linum, lupulus, coria boum, sebum, alutæ, mel, cera, succinum, pix, cinis, mali, asseres, cæteraque materies fabricandis nauibus, & ornandis domibus apta. Ceruisia quoque & herba quædam tingendis lanæ ac serico idonea. Iam vero boum & equorum magna vis non modo finitimis, sed etiam remotioribus populis suppeditatur. Ac equi partim propter pernicitatem, & laboris tolerantiam, partim propter molliorem incessum à remotioribus etiam populis expetuntur. Importantur autem vicissim aliunde panni non modo serici & aurei, sed etiam lanei lineique subtiliores, aulæa, tapetes, & alia parietum, equorum, & hominum ornamenta, quorum opificia minus exquisita sunt apud Polonos, licet non desit materia, & aliis gentibus suppeditetur. Margaritæ item & gemmæ, & pelles zobelinæ, pantherinæ, hermellinæ, mardurinæ, mutium ponticorum, vulpinæ, lupinæ, vrsinæ, & aliarum ferarum, quarum maiorem copiam producunt interiores Septentrionis Orientisque syluæ: haleces quoque, & alia salsamenta, ac vento vel sole durati pisces marini. Ad hæc argentum, æs, orichalcum, & chalybs cum facta tum infecta. Boum etiam copiam auget vber pascuis Valachia siue Moldauia, sicut equorum Vngaria. Vina plurima ex eadem Vngaria, ac Morauia: ex Austria, Rhetia, Slauonia, Italia, Creta & Græcia importantur etiam, sed pauciora. Gedanum autem Rhenense, Gallicum & Hispanicum, Canariense quoque & Creticum nauibus aduehitur. Porro aromata, & varia eduliorum condimenta, ac cupediæ, quæ vna cum vino & pannis aureis ac sericeis gentem hanc & Regnum vehementer exhauriunt, ab Oriente & Occidente importantur. Harum autem rerum atque mercium exportandarum, vel importandarum commercia sunt Polonis, maritima quidem cum accolis sinus Venedici, & Oceani Germanici, Pomeranis, Mechelburgensibus, Holsatis, Danis, Frisiis, Hollandis, Brabandis, & aliis Belgis, Gallis, Liuonibus, Moscis, Suecis, Noruegiis, Anglis, Scotis, Hispanis etiam & Lusitanis: itemque per pontum Euxinum cum gentib. Turcicæ ditionis: terrestria vero cum Germanis, Morauis, Silesiis, Bohemis, Vngaris, Italis, Moldauis, Moscis, Armenis, & Turcis.

Mercimonia.

Descripta Polonicæ gentis origine, terræ situ, populi lingua, moribus, & statibus hominum: iam Reipublicæ forma, & magistratuum ac munerum publicorum, quæ tam bello quam pace obeuntur, ratio breuibus est delineanda. Ex tribus primis & simplicibus Rerumpubl. formis, monarchiam siue vnius principãtũ Poloni semper amplexi sunt, præter duo quædã tempora, quorũ vnũ posteritate Lechi extincta: alterum itidem post Vendam in imperium

Monarchia apud Polonos.

rium duodecim Palatinorum incidit, bonis plerunq; ac moderatis, & à tyrannide alienis vsi Principibus. Fuitq; contenta Polonia Principis siue Ducis nomine & imperio, donec Otto tertius Imperator Boleslaũ cognomento Chrobrum, paulo post susceptã religionẽ Christianam: hoc est, anno post Christum natum 1001. regio diademate ac honore dignatus est. Nec tamen vltra quartũ Regem tunc is honos mansit apud hanc gentem. Nam post alterũ Boleslaum prioris illius pronepotem, qui diuum Stanislaũ interfecerat, ducentis amplius annis Principes Polonorum regio nomine abstinuerunt. Deinde vero anno Christi 1295. reuocatum, ac renouatum id in Præmisio, manet in hanc diem. Fuit autem initio liberior dominatus Principis, ac nullis propemodum legibus adstrictus, infinitam non modo omnium rerum, sed etiam vitæ necisque omnium potestatem habens. Post susceptam vero religionem Christianam, temporaria cœpit primum piis monitis Episcoporum ac cæterorum Christianorum populorum imitatione & moribus. Deinde bellicosæ Nobilitatis meritis atque obsequiis, & forte etiam contentionibus multa de suo iure remittentibus & indulgentibus Nobilitati Regibus ac Principibus. Nunc sane angustis finibus regia potestas in ecclesiasticum & equestrem ordinem, & vtriq; subiectos homines ac bona circumscripta est. Ac in sacerdotes quidem iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ Rex nil prorsus iuris habet: de Nobilis vero capite ac fama non nisi in comitiis cum Senatu iudicat, certis aliquot causis exceptis: Senatu autem inconsulto neq; bellum cuiq; facit, neq; fœdus publice cum quoquam icit, neq; tributa, vectigalia, ac telonia noua instituit, neq; alienat quidquam de bonis regni, neq; rem vllam maiorem ad Rempublicam pertinentem statuit, aut facit. Porro leges nouas rogare, pecuniam extra ordinem publice imperare, monetam signare, successorem sibi designare, ne cum Senatu quidem potest, absq; consensu cæteræ Nobilitatis.

Principis potestas olim.

Regia potestatis fines.

Ius creandi Regis penes Senatum est, quod etiam Nobilitas sibi vendicare cœpit, ita vt demum tum in eo ratum sit Senatus iudicium, si assentiatur cætera Nobilitas. Non temere tamen discedit à stirpe regia mascula, si qua extat. A nouo Rege iusiurandum exigitur in hanc sententiam: quod secundum leges & instituta maiorum regnaturus sit, & suũ cuiq; ordini ius priuilegiumq; ac beneficium à prioribus Regibus collatum integrum conseruaturus, neq; de regni finib. quicquã diminuturus, quin amissa ẽt ab aliis pro virili sua recuperaturus. Vicissim autem Senatus omnis in verba eius iurat. Inauguratur autem olim quidẽ in Gnesnensi, nunc vero in Cracouiensi basilica ritu solenni Christianorũ ab Archiepiscopo Gnesnensi sacris operante, ac duob. proximis Episcopis: vnctusq; inter scapulas sacro oleo ante aram maximam, vbi etiã sacrosanctam Eucharistiam accipit, & corona aurea redimitus, accepto in dextram sceptro, & in læuam pomo, aureis, in editiore solio ex tempore præparato collocatur, omnibusq; rite peractis coronatus in regiam reducitur. Postridie pompa itidem solenni coronatus in forum equo vehitur, Senatoribus regni, Episcopis quidem pone sequentibus, secularibus vero antecedentibus longo ordine: è quibus tres primores pomum, sceptrum, ac strictum gladium ei præferunt. Ibi erectum extempore tabulatum sublime cum iis conscendit, & in editiori solio collocatur. Sedentem Senatus paulo inferior ordine circumsider. Deinde assurgens Rex, versus quatuor mundi partes gladium vibrat, rursumq; residens, eius contactu siue leni ictu inter scapulas cuiusq; Nobiles & equites auratos creat. Vrbani aũt magistratus in verba noui Regis iurãt.

Regis electio.

Coronatio.

Inde rite peractis omnibus, in arcem cum eadem pompa reditur, ac ſoleñibus epulis indulgetur. Nec multo diuerſa eſt Reginæ inauguratio, quæ fit præſente, deducente, ac poſtulante pro ea Rege. Deducit autem eam coronatam etiam ad forum Rex ipſe quoque coronatus cum ſimili pompa, ſed non iuratur in verba Reginæ, nec ei defertur vlla poteſtas, aut iuriſdictio.

Regina coronatio.

Vectigalia Principis.

Vectigalia Principis aliquanto luculentiora & ampliora olim fuere, quam nunc ſunt. Conferebant enim ei omnes agreſtes & aſcriptitii quotannis tributum raſtrale ſiue regale in iugerum ſeu manſum duodenos groſſos, & quidem Pragenſes. Soluebãt & alias quaſdam cum nummarias tum pecuarias, frumentarias, auenarias, & aliarum rerum penſiones: nec modo agricolæ, ſed & oppidani, quin & Nobiles non penitus immunes erant, iumentaq; ei, quacunque iter faciebat, alii ſecundum alios ſuppeditabant, & canes cum venatoribus eius alere neceſſe habebant. Ne monaſtica quidem & alia eccleſiaſtica bona initio prorſus erant libera ab huiuſmodi oneribus ac tributis: quorum appellationes videre licet in vetuſtis Principum diplomatis. Liberæ autem Principi erant vbique piſcationes ac venationes: aliis non item, ne in ſuo quidem cuiquam fundo, abſque peculiari Principis indulgentia. Multæ quoque maleficiorum Principi dependebantur. Exinde cum permagna eſſet rerum omnium ad victum pertinentium vilitas, & nec dum maritima cum externis populis commercia extitiſſent, non diſtrahebantur fruges & alii fructus prædiorum Principis, quæque ex penſionibus in cellam eius comportata erant, neq; ad vnum aliquem totius regni locum (quod non ſine graui agreſtiũ preſſura futurum erat) cõuehebantur, ſed in præfecturis aſſeruabantur. Cumq; ad officium Principis pertinere exiſtimaretur, non deſidem & vni alicui loco affixum hærere, ſed obire omne regnũ, ac fines eius tueri, & omnium vſibus ſeſe exponere, querimonias afflictorum audire, ius dicere, tenuiores à potẽtiorum iniuriis vindicare, quoquo is venerat cũ equitatu ac comitatu ſuo aulico, eius præfecturæ fructibus ac prouentibus alebatur, quoad ei manere ibi libuiſſet, opuſue eſſet, ſiue quoad horrea cellæq; ſufficerent, ſeu deniq; deſcriptis cuiq; præfecto ꝓ ratione præfecturæ, & prouentuũ certis temporũ ſpaciis. Cęterum poſtea cum Principes vel certo ſe loco cõtinere, vel bellis diſtenti peregre diutius abeſſe cœpiſſent, diſtrahi cœpere fructus prædiorũ, qui præfectorum cum ſua cuiuſq; familia moderatis vſibus ſupereſſent. Remiſſæ ſunt deinde Principum beneficẽtia ſacro & equeſtri ordini, & vtriuſq; adſcriptitiis ac ſubditis pleræq; omnes penſiones atq; onera. Nunc ſane equeſtris & eccleſiaſtici ordinis homines nil Regi penſitare neceſſe habent. Ac ne oppidani quidem eorũ, aut agreſtes adſcriptitii, præter binos groſſos vernaculos de manſo pagano, & eo quidẽ ſolo, quẽ adſcriptitius ipſe ſibi colit. Nam qui ſacerdotib. & equitib. coluntur, itemq; ſuburbani & ſcultetorum agri ab ea quoq; penſione immunes ſunt: ne ſubſeruiũt quidẽ Principi ſacerdotũ & equitũ homines agreſtes & oppidani, præterquã ad arces tempore belli perficiendas, atq; etiã nouas, ſi id è ſenatuſconſulto fiat, condendas. Non ita pridem Abbates & Prępoſiti monaſteriorũ certas penſiones, quę ſtationes vulgo dicuntur, Regi denuo pendere cœperunt. Adſcriptitii quoq; ipſorũ ad colendos Principi agros, ſubuectiones ac penſiones quaſdã frumẽtarias reuocãtur, quo præfectorũ regiorũ præſidio tutiores ſint ab iniuriis improborũ. His autẽ exceptis, ſoli prefecturarũ adſcriptitii in ſuis quiq; præfecturis agros colendo, & vectigalia penſitãdo rem familiarem Principis ſuſtinent: quæ nunc tamen aliquanto exquiſitius curatur, quam olim.

olim. Habet is etiam è metallis mediocre vectigal. In iis autem conductitiarũ operarum vſus eſt: quarum impenſa deducta, reliquum cedit Principi. Omnium vero metallorum in Polonia fructuoſiſſimæ ſunt ſalinæ. Sed habet in illis Nobilitas hanc prærogatiuam, vt in vſum ſuum domeſticum ſtatis anni temporibus aliquanto minoris emat ſalem, quam cæteri homines. E teloniis quoque & vectorum prouenit vectigal Principi. Cæterorum hominum nemo ius vllum habet inſtituendi & exigendi telonii, præter peculiarem Regis indulgentiam, idque ob neceſſariam extra ordinem refectionem viarum, pontium & aggerum. Cæterum naulum à traiectu fluminum in ſuo cuiq; ſolo inſtituere licet.

Telonia.

Duplex autem eſt telonium, vetus & nouum. Ac vetus quidem exile eſt, quod ab iis ſoluitur, qui intra fines regni negociantur. Nouum autem maius aliquanto, quod boum, equorum, coriorum, frumenti, lanæ, ceræ, ſebi, & aliarum mercium, quæ ad exteras oras exportantur, & earum, quæ aliunde importantur, nomine penſitatur. Vtriuſque immunitatem habent eccleſiaſticus & equeſtris ordo, modo ne mercaturam quis exerceat, hoc eſt, venum ea exportet, quæ ipſe abunde emerit, ac non de ſuo pararit. Si quis tamen boues emptos ſuo pabulo ac frumento per hyemem aluerit, perinde habetur, ac ſi domi eius nati eſſent. Publice quoq; ciuitates nonnullę habent immunitatem veteris telonii. Hæc igitur nunc ſunt perpetua Principis vectigalia: quæ diſtrahere, aut addicere cuipiam hæreditario iure Rex Alexandri Regis lege prohibetur. extra ordinem nihil à quoquam, niſi forte à Iudæis Regi penſitatur. Ex his autem vectigalibus Rex cum domeſtica familia ſua ſeſe ſuſtentat: inde comitatui ſuo aulico ſtipendia præbet: inde in legationes, dotes & elocationes filiarum, arcium præſidia, & ſarta tecta, viarum publicarum refectiones, machinas & apparatum bellorum, præmia bene merentium de ſe, ac de Republica, & in alios vſus impendit: inde & Senatoribus fere, ac magiſtratibus publicis, ac nõnullis ſacerdotiis certi ac perpetui reditus antiquitus conſtituti ſunt, partim pietate ac beneficentia Principum attributi, partim accepto in vſus neceſſarios precio venditi. Et hæc de Rege & vectigalibus eius.

Impenſa Principis.

Legum ſcriptarum nullus fuit vſus apud Polonos vetuſtioribus temporibus: nec vllæ extant antiquiores iis, quas Caſimirus Magnus Rex condidit: quæ ſanæ pauculæ ſunt, nec multæ iis à ſucceſſoribus eius adiectæ ſunt. Extremis demum fere temporibus Sigiſmundi primi, & regnante filio eius Sigiſmundo Auguſto magis ac magis nouæ leges fuerunt conditæ, & antiquiores mutatæ. Poteſtas autem condendarum legum, quæ ſtatuta regni vocantur, eſt ſimul penes Regem, Senatum, & Nobilitatis nuncios, nec niſi in comitiis. Priſcis temporibus viua lex erat Rex ſiue Princeps: qui cum vnus in tam amplo regno omnia neque præſtare, neq; prouidere, ac ne iudiciorum quidẽ difficultates recte explicare poſſe videretur, & lubricus procliuiſq; ad tyrannidem gradus in ſumma poteſtate eſſe ſoleat, adhibiti ſunt ei Senatores ſiue cõſiliarii, qui & conſilia actionesq; eius ad ſalutem Reipublicæ & iudicia ad iuſtitiæ & æquitatis trutinam dirigerent, & monitis conſiliiſque ſalubribus, quaſi viuis quibuſdam legibus pro re nata cum animum eius informarent, tum poteſtatem moderarentur. Hic eſt Senatus regius, multo amplior nunc quam olim, certo hominum numero conſtans, qui Senatores regni appellantur, & non niſi iurati ad hoc collegium & ad conſilium admittuntur. Et perpetuum

Leges Polonorum.

est hoc munus, quoad viuit quisq; certis annexum honoribus ac magistratibus, partim ecclesiasticis, partim secularibus.

Senatorum genera & numerus.

Sunt autē in Senatu regni Archiepiscopi duo, Episcopi quatuordecim, Palatini cū quibusdā Castellanis ac Capitaneis inter eos insertis triginta octo. Castellani maiores triginta & vnus, Castellani minores quinquaginta duo. Officiales regni decē. Archiepiscopi sunt Gnesnensis & Leopoliensis, Episcopi vero Cracouiensis, Posnanensis, Vilnensis, Vladislauiensis, Plocensis, Varmiensis, Lucæoriensis, Præmisliensis, Samogitiæ, Culmensis, Chelmensis, Kiouiensis, Camenecensis, Vendensis. Episcopos subsequuntur Castellanus ac Palatinus Cracouiensis, Posnanensis, Vilnensis, Sandomiriēsis, deinde Castellanus Vilnensis, Palatini rursus, Calissiensis, Trocensis, ac Siradiensis, Castellanus Trocensis, Palatinus Lencicensis, Capitaneus Samogitiæ, post Brestensis, Kiouiēsis, Inouladislauiensis, Russiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Smolenscensis, Lublinēsis, Polocensis, Belsensis, Nouogrodiensis, Plocensis, Vitepscēsis, Massouiæ, Podlassiæ, Rauensis, Bresciēsis, Culmensis, Mseislauiensis, Mariæburgensis, Braslauiensis, Pomeraniæ, Minscensis, Vendensis, Derpatensis, Parnauiensis. Castellani vero sunt Posnaniensis, Sendomiriensis, Calissiensis, Voinicensis, Gnesnensis, Siradiensis, Lencicensis, Samogitiæ, Brestensis, Kiouiēsis, Inouladislauiensis, Leopolensis, Volynensis, Camenecensis, Smolenscensis, Lublinensis, Polocensis, Belsensis, Nouogrodiensis, Plocensis, Vitepscensis, Czernensis, Podlassensis, Rauensis, Brescensis, Culmensis, Mscislauiensis, Elbingensis, Braslauiensis, Gedanensis, Minscensis, Sandecensis, Medirecensis, Vislicensis, Biecensis, Rogosnensis, Radomiensis, Zauichostensis, Landensis, Sremensis, Zarnouiensis. Malogostensis, Vielunensis, Præmislensis, Halicensis, Sanocēsis, Chelmēsis, Dobrinensis, Polanecensis, Præmentensis, Criuinēsis, Czechouiensis, Naclensis, Rospirensis, Biechouiensis, Bydgostiensis, Brezinensis, Crusuiciēsis, Osuiecimēsis, Camenēsis, Spicimiriēsis, Inoulodēsis, Coualiēsis, Santocensis, Sochaczouiēsis, Varsauiensis, Gostinēsis, Visnensis, Racianzēsis, Sieprcensis, Visiogrodiēsis, Ripinensis, Zakroczimensis, Ciechanouiēsis, Liuēsis, Slonensis, Lubaczouiēsis, Conariensis in Siradiēsi, Conariensis in Lenciciēsi, Conariensis in Inouladislauiensi Palatinatibus, Vendensis, Derpatēsis, Pernauiensis in Liuonia. Postremo loco sunt in senatu magistratus quidā & administri Principis, qui officiales regni vocātur, nempe regni Mareschallus magnus, Mareschallus Lithuaniæ, Cācellarius regni magnus, Cācellarius Lithuaniæ, Vicecancellarius regni, & Vicecācellarius Lithuaniæ, Thesaurarius regni, & Thesaurarius Lithuaniæ, & duo de magistratib. aulicis, Mareschalcus curiæ Poloniæ, & Mareschalcus curiæ Lithuanicæ. Putantur etiā duo Præfecti, nēpe maioris Poloniæ, ac Cracouiensis ad consiliū pertinere: sed raro accidit, vt ii nō aliquo alio honore Senatorio præditi sint. Hoc igitur est consiliū publicū apud Polonos, & Senatus regni cū coniunctis ei ditionibus 147. Senatoribus constans: quorū alii vocantur maiores, alii minores. Sunt autē maiores, Archiepiscopi, Episcopi, Palatini, & primarii aliquot satrapiarū Castellani vsq; ad Sandecensem: cęteri omnes minores, qui posterius in consiliū adhiberi cœperunt, & excluduntur nōnunquā à consiliis secretioribus. Porro Secretarii admittuntur quidem & ipsi iurati in Senatū, sed vt auditores modo, & quasi seminarium quoddam Senatus. Duo Referendarii siue supplicum libellorū magistri. Putantur & succammerarii aditum habere ad locum habendi senatus, claudendi & aperiendi ostii causa, idq; in suo tātum quisq; territorio. Iam & Senatorum filios adolescentes admitti in Senatum non inusitatum est. Con-

Episcopi.

Palatini.

Castellani.

Mareschalci. Cancellarii. Thesaurarii.

Conuocandi Senatus ratio.

Conuocantur autē Senatores à Rege ad cōsilium, præsentes quidem, quoties opus est: qui vero longius absunt, nō nisi arduis de causis, vtpote ad comitia, vel celebritatis alicui⁹ gratia, nimirum ad nuptias Regis seu liberorum eius, aut si quis socius aut obnoxius Regno Dux in verba Regis iuraturus sit. Cum iis vero qui adsunt. Princeps pro re nata consultat. Nisi forte res grauior incidat, quę plurium consilio & consensu sit explicāda, velut de indicendis comitiis tunc enim absentes singuli per epistolas regias consuluntur. Subseruiunt quoq; Senatores Regi ac Reipublicæ, quoties opus est, domi quidē in iudiciis cum aliis, tum recuperatoriis, quæ cōmissiones vulgo vocantur, foris autem in legationib. obeundis, aut si quid aliud publice cum dignitate peragendum est. Cum autē ii certis magistratib. ac honorib. præditi sint, habent etiā præter cōmune senatorium munus, curamq; totius Reipublicæ peculiaria officia pro diuersitate magistratuum siue honorum attributa. Ac Archiepiscopi quidē & Episcopi officia cuilibet nota sunt: nec vllum ii peculiare habēt in Polonia præ cæteris nationibus: nisi q⁹ Archiepiscopus Gnesnensis sit legatus natus sedis Apostolicæ, primas regni, ac princeps senatus: penes quē est potestas indicendi comitia, conuocandi senatum, senatusq; consulta definiendi & edicendi absente Rege, & regno vacante. Palatini munera sunt, esse ducem copiarum suæ satrapiæ in expeditionib. bellicis, indeq; nomen habet lingua vernacula: in pace vero cōuentus Nobilitatis instituit, iisq; & iudiciis præsidet: precia reb. venalibus imponit, ponderum & mensurarum curam gerit. Iudæorū quoq; patrocinium ac iudicia ad Palatinum pertinent. Castellani vero sunt quasi legati Palatinorum, ductoresq; ac præsides Nobilitatis sub suo quisq; Palatino, & in suo quisq; territorio: vbi nullā alioquin iurisdictionē, dominiū, aut curationē præter hanc legationem bellicam habent: Habent & pleriq; certos reditus anniuersarios. Appellantur aūt Castellani etiam vernacula lingua mutuato à Latinis vocabulo, à castellis siue oppidis, eorumq; territoriis, quæ singulis singula sunt attributa. Solus autem Cracouiensis Castellanus, præter nomen & reditus, nihil habet commune cum aliis: sed liberum is honorem habet, absq; vllo prorsus munere, præter cōmune Senatorium. Tam Palatinum autem, quam Castellanū lege esse non licet quenquam in ea satrapia, in qua nullum propriū habet fundum seu bona terrestria. Vocanturq; ii vtriq; vulgo communi vocabulo Dignitarii, addito fere satrapiæ nomine.

Senatorum officia communia.

Archiepiscopi Gnesnen. officia.

Palatini officium.

Castellani munera.

Officiales vero regni ab officiis & functionib. quibusdā publicis, quib. funguntur, ad vniuersam Rempublicam pertinentib. hanc sumunt communem appellationem. Quorum officia sunt hæc: Mareschalcus est magister aulæ regiæ, & administer consilii publici, penes quem ius est conuocandi senatū iussu Regis, vel primatis, præstandi silentium & audientiam, faciendi potestatem dicendæ sententiæ, legatos externos introducendi, eiiciendi è consilio eos, qui ad id non pertinent, pronunciandi decreta regia in causis infamiæ & capitalibus, promulgandi ad populum senatusconsulta, moderandi pompis publicis, hospites illustres suscipiendi, compescendi motus inquietorum, non modo circum senatum & in publico, sed etiam in priuatis Principis cœnaculis & habitaculis, animaduertendi in delicta, quæ in loco & oppido domicilii siue hospitii regii, vel comitiorum admittuntur, deniq; in comitiis, & in comitatu regio diuersoria distribuendi, & imponendi rebus venalibus precia: vnde etiam vectigal seu tributum forale ipsi prouenit. Ipsius etiam est in aulicam Regis comitatum & administros mensæ regiæ, aliorumq; munerum aulicorū

Officiales regni. Mareschalci regni officia.

(profanorum præsertim) iurisdictio, censura, & animaduersio: eoq; gestat in publicis conuentibus, & Regi in propatulum prodeunti præfert erectum sceptrum ligneum. Cancellarius & Vicecancellarius nominibus & loco distincti, sed potestate & munere exæquati, diplomatibus, edictis, mandatis, epistolis, & aliis scripturis regiis conscribendis ac signandis, quæq; ad eum mittuntur, accipiendis, & legendis præsunt. Itaq; in potestate sua habent signa regia, Cancellarius quidem maius, Vicecancellarius vero minus. Autoritas eorũ eo vsque patet, vt multa inconsulto Principe signare: quæ vero contra leges esse videntur, iubenti illi negare possint. Dant etiam responsa regio nomine, & quibus de rebus consilium haberi debet in senatu, proponunt: deniq; senatusconsulta, regiaq; & comitialia placita ac decreta literis mandant, ac in publicũ edunt. Sunt & ii cognitores priuatarum querimoniarum, & prouocationum ab vrbanis & oppidanis, præfectorumq; iudiciis, ad regium tribunal deuolutarum. Secretariis, scribis, sacerdotibus, concionatoribus, & cantoribus aulicis, ceremoniisq; ecclesiasticis moderantur, is præsertim, qui est de ecclesiastico ordine. Lege enim quamuis non antiqua, alterutrum ex iis ecclesiastici, alterum secularis ordinis esse oportet, cum antiquitus soli fere sacerdotes eo munere fungerẽtur. Thesaurarius ipso nomine indicat munus suum, est enim promus & condus thesauri regii, symbolorum siue insignium Regni, quæ sunt corona, pomum, sceptrum, & gladius, supellectilis & redituum regiorum scripturarumq; ac monumentorum publicorum: autor & moderator quorumuis quæstorum, curatorum, ac dispensatorum Principis, & rationum reddendarum exactor, monetariæ officinæ magister, stipendiorum tam militariũ quam aulicorum solutor: reddendæ Principi rationi obnoxius. Numerantur autem inter magistratus & officiales Regni duo duces exercitus, quorum alter generalis & supremus exercituum Regni præfectus, alter Campiductor seu Campestris præfectus dicitur. Ac ille quidem dux est ac moderator belli secundum Principem, & vicarius Principis. Ducit exercitum, capit locum castris, acies instruit, dat signum pugnæ ac receptus, commeatus & annonæ curam in bello gerit, precia rebus venalibus imponit, ponderibusq; & mensuris earum modum statuit, & in delinquentes animaduertit. Campestris vero huius est quasi vicarius à Principe datus, excubiarum potissimum explorationũq; curam gerit, & mercenariis militibus, illo præsertim altero absente, præest. Neuter tamen in senatu locum habet: quin temporarii esse perhibentur, neq; inter magistratus Regni habiti ante.

Cãcellarii & Vicecãcellarii officia.

Thesaurarii officium.

Duces exercitus.

Longe minus autem alii quidam, qui & ipsi nostra fere memoria pro magistratibus regni haberi & appellari cœpere: neq; tamen in Senatu locum habent, neq; functionem vllam ad vniuersum regnum pertinentem: ii vero sunt gladifer, pocillator, structor mensæ siue incisor, dapifer, subdapifer, magister culinæ. Quorum officia inter terrestres honores ac magistratus referuntur. Dicuntur autem terrestres honores ac magistratus, qui non vniuersi regni, sed terrarum & satrapiarum sunt peculiares. Officia terrestria vulgo appellantur, &, his qui præditi sunt, officiales terrestres. Sunt autem ii succamerarius, capitaneus, gladifer, vexillifer, pincerna, subpincerna, incisor. dapifer, subdapifer, tribunus, iudex, subiudex, notarius, thesaurarius, venator, magister stabuli. Habẽtq; certas suas functiones antiquitus in sua quisq; satrapia siue terra: quarum quælibet olim, discerpto in multos dominatus regno, suum Ducem habuit. Eius autem hi fuerunt administri peculiares. Nunc magna pars solum nomen

Officiales seu magistratus terrestres.

nomen nudumq; honorem retinẽt, nisi quod in extraordinariis iudiciis, quas commissiones vocant, regiis mandatis subseruiunt, & in colloquiis assident. Tametsi etiam nunc ii peculiaribus suis muneribus fungi recte posse existimantur in suo quisque tractu, à quo denominationem habet, quoties eum Princeps adit: nempe, vt gladifer Posnanensis in satrapia Posnanensi gladium ipsi præferat in solenni pompa: pincerna poculum administret: incisor siue structor mensam apponat: dapifer dapes inferat: subdapifer dapiferum cũ baculo præcedat, subpincerna potus curã gerat: thesaurarius cõdus ac promus pecuniæ sit ac supellectilis eius. Cæteri sane funguntur etiam nunc fere suis muneribus. Ac vexillifer quidem in bello vexillum præfert exercitui suæ satrapiæ. Tribunus custos est arcis in suo quisq; tractu, durãte bello: Venator venationibus ac syluis præest. Magister stabuli equitio siue armento equorum. Iudex causis & controuersiis priuatis Nobilitatis disceptandis & iudicandis presidet vna cum subiudice, qui eius est socius, non vicarius, loco tamen inferior. Notarius scriba est & actuarius iudicii: sed habet is quoq; in iudiciis ius dicẽdæ sententiæ, consuetudine magis quam legum præscripto. Succamerarius olim fortassis præfuit cubiculo & cubiculariis Principis in sua quisq; terra: nunc regendis modo finibus agrorum ac bonorum terrestriũ præest: quem itidẽ atq; iudicem, subiudicem, & notariũ iuratum esse oportet. Habetq; is ad id munus obeundum vicarios, & ipsos iuratos in singulis territoriis singulos, qui Camerarii vocãtur, siue cubicularii, propterea fortassis, quod antiquitus ministri cubiculi Principis ad id munus legebantur à Succamerario. Nunc is eos sibi legit arbitratu suo ex equestri ordine eiusdem territorii, & iureiurando adigit, mutatq;, quoties vult. Cracouiensis Succamerarius præ cæteris ea prærogatiua est præditus vt salinarũ eius ipsius tractus arbiter sit & inspector. Cæterum hi non omnes in omnibus satrapiis sunt, neq; in singulis singuli.

Capitaneus siue prẽfectus arcis, cui præest, custos est ac defensor non solum arcis regiæ, sed etiã pacis ac tranquillitatis publicæ in sua quisq; præfectura, quã à vi tutã debet præstare & vindicare, ac furibus latronibusq; repurgare. Ideoq; iurisdictionem & coercitionem late patentẽ habet, non modo in agrestes & oppidanos, sed etiam in equestris ordinis homines. Adhæc omniũ aliorum iudicum, ecclesiasticorum iuxta ac secularium sententias ad extremũ executioni mandat, si executores alii nolint, vel non proficiant. Gerit etiam curã commodorum & redituum Principis, qui ex re familiari, ac censibus & pensionib. oppidanorum & agrestium proueniunt. Et omnino arces ac villæ, seu rustica prædia cum suis sartis tectis, & oppida pagiq; principis in ditione præfectorum sunt. Solus omnium Cracouiensis Prẽfectus licet amplissimam iurisdictionem habeat, tamen sartorum tectorum arcis & redituum Principis curam non habet. Est enim magnus procurator arcis eius, qui vtrumq; hoc onus sustinet. Oportet autem præfectum esse equestris ordinis, agros & fundos proprios in ea ipsa præfectura, cui præficitur, habentem. Neq; externo autem, neq; regio vel ducali genere orto conferri præfecturam fas est: nec duas cuiquam habere licet: ac ne vnam quidem primariam duntaxat & iurisdictione præditam cum primaria Castellania vel Palatinatu eiusdem satrapiæ, Posnanensi & Cracouiensi exceptis, in quibus non idem ius est. Ne Silesiacæ quidem cadunt sub hanc legem. Capitanei vices gerit Vicecapitaneus, Burggrabius vulgo dictus, penes quem est vicaria præfecturæ totius potestas, & rerum iudicatarũ executio. Habet & alterũ administrum statorũ ac certis temporibus peragi solitorũ

Capitanei siue prefecti.

Vicecapitaneus.

Iudex Castrensis. iudiciorum, quem iudicem castrensem vocant. Sed vtrumq; iuratum, & ex equestri ordine esse, certaq; bona terrestria in ea ipsa prę fectura habere oportet. *Notarius Castrensis.* Nec eundem iudicē & Vicecapitaneum, terrestremue & castrensem iudicem esse fas est. Habet item præfectura quæq; actuarium iuratum, quem notarium castrēsem nominat. Non sunt autem satrapiis, sed arcibus ac territoriis fere distinctæ præfecturæ: nonnullæ etiam complura territoria in se complectuntur. Sunt autē præfecturæ in regno Poloniæ innumeræ, quæ nulla successione, sed ex Regis gratia in bene meritos de Republica conferuntur. Omnium aūt prę fecturarum reditus partim ex agricultura, & re pecuaria, partim è molis frumentariis ac syluis, partim è censibus, ac pensionib. agrestiū & oppidanorum proueniunt, & vel certo pacto præfectis locantur à Principe, vel eorū fideī cōmittuntur, ita vt rationibus reddēdis obnoxii sint. Condonantur etiā interdū ob eximia merita. Oppignorari quoq; præfecturas non inusitatum est, eas prę sertim, quæ iurisdictione carent, quæq; nō sunt primariæ cuiusq; satrapiæ. Sed ita demū id legitimū est, si rata redituum portio quotannis de capite deducatur. Quod cū in desuetudinem abiisset superiori tempore, comitiorū decreto nunc reuocatum est. In iis vero præfecturis, quæ iurisdictionem habent, si vsus Reipublicæ oppignorationē requirat, etiā assensu Senatus comitiali opus est. Sola Sendomirien sis priuilegio quodā neq; oppignorari, neq; locari perpetua locatione potest. Habet arx Cracouien sis peculiariter decē custodes, qui Burggrabii sumpto à Germanis vocabulo appellantur, sine vlla potestate, præfecti autoritati obnoxios: qui pacis iuxta ac belli tempore noctu rnas atq; etiā diurnas, quando opus est, excubias per se, vel per administros suos seruant: habētq; militię vacationem, & eo nomine ambitur id munus à multis. Salinæ & alia metalla habent suos curatores & administros iuratos, & rationibus reddendis obnoxios. Præest autem salinis Bochnen sibus & Vielis censibus, earumq; administris & operis vnus salinator, quem Zupparium Cracouien sem vocant. Russicis item vnus, quem Russicum appellant. Et est honorata hęc vtraq; curatio: sed neq; in regni, neq; in curiæ, neq; in terrestribus magistratibus numeratur: quemadmodum neq; telonæ siue quęstores teloniorum, neq; tributorū atq; exactionum publicarum exactores: & ii vero vtriq; rationibus reddendis obnoxii sunt, telonæ quidem, si non redemerint telonia: quod faciunt pleriq;. Huc etiam scriba siue notarius thesauri regii, quem Rex ipse edit, ac thesaurario vicarium adiungit, scriba item castren sis siue campestris, mercenariorum militum con scriptor, & solutor stipendiorum referendi sunt.

Prafecturarum reditus & administratio. *Burggrabii arcis Cracouien sis.* *Salinatores.* *Tributorū exactores.*

Officia curia. Sunt etiam à terrestrib. magistratibus non multum diuersa quædam ministeria in aula Principis, quæ officia curiæ dicuntur. Quorum administri terrestrium plerorumq; & regni officialium (quorū sunt cognomines) quotidianis ministeriis in aula Principis funguntur, fidēq; suam Principi ad suū quisq; ministerium iureiurando obstringūt. Sunt autem ii: Mareschalcus, Thesaurarius seu Vicethesaurarius, Succamerarius, Referēdarii duo, pincerna, structor mēsæ, subdapifer, dapifer, magister culinæ, & præfectus curruum, vexillifer, ac ductor aulicæ militiæ. Qui omnes addito nomine curiæ, à superiorib. magistratibus & officialibus cognominibus suis distinguuntur: forte & Secretarii huc referri debent, licet nullū peculiare certumq; munus attributū habeant, sed ad nutū Principis præsto sint in obeundis eius nomine legationib. in scriptionib. & lectionibus publicarum ac regiarum scripturarum, in acciendis ac deducēdis ad Regem, vel in Senatum illustribus hospitibus ac legatis Principum, in exqui-

Secretariorū munera.

exquirenndis vel referendis sententiis ægrotorum, & à cōsilio absentiū primatiorum Senatorum, in recognoscendis pro Principe locis, factis, & causis controuersis, regiorū præsertim hominū & administrorum inter ipsos, vel cū magistratib. suis. Numerus eorū certus non est. In his eminet vnus, qui appellatur magnus secretarius. Is absentiū Cancellariæ præsidū vicem supplet in aula & comitatu Principis: nec tamen, vt illi, gestat signū regium, sed quoties opus est, petito ab ipso annulo signatorio tā diplomata publica, quā epistolas ipso præsente signat. Quod si is quoq; absit, peragit ea quispiā de cæteris secretariis, quē Princeps iusserit. Habet autē magnus quoq; secretarius secundū Cancellarium & Vicecancellariū prærogatiuam capessendi honores publicos & magistratus, qui vacauerint, in arbitrio tamen regio positā. Habet & locum honoratū supra omnes officiales terrestres & aulicos excepto Mareschalco. Mareschalcus curiæ absente Mareschalco regni agit omnia, quæ illius muneris sunt: à præsente etiā socius adhiberi solet ac debet ad ea, quæ sunt maioris momēti peragenda, præfertq; cū eo pariter Principi sceptrū erectum. Thesaurarius itē Thesaurarii regni absentis vices gerit, adhibeturq; & ipse à præsente ad pleraq; omnia. Succamerarius est magister cubiculi atq; puerorum cubiculariorum, aliorūq; domesticorum Principis administrorū: sub cuius potestate est supellex ad lectū & cubiculū Principis, cultumq; corporis pertinens. Referendarii supplicū libellorum magistri sunt, & querimoniis hominū audiendis, Cancellariæq; referendis præsunt: quin etiam in litibus vrbanis disceptandis præsto sunt eidem Cancellariæ, eiusq; permissu exponunt Regi cum consilio causas & controuersias litigantium. Nuper adeo sententias quoq; rogari cœperunt in regiis iudiciis. Sunt autem duo pari potestate, alter ecclesiastici, alter secularis ordinis. Ductores copiarum, magistri stabuli, magistri culinæ, & præfecti curruum quę sint officia, ipsa eorum nomina ostendunt. Cæterorum munera iam explicata sunt in terrestribus officiis & curationibus, eadem enim sunt horum, atq; illorum. Sed cedunt hi illis præsentibus in sua cuiq; satrapia.

Secretarii magni officium. *Mareschalci curia.* *Thesaurarii curia.* *Succamerarii.* *Referendariorum.*

Cæterum stipendiarii & aulici Principis equites, concionatores & sacrifici, quāuis honorato sint loco, tamen inter officiales nō censentur: multo minus stipatores siue satellites, cubiculariiq; & pueri: sed perpetui sunt administri Principis, & præsto sunt ipsi iter facienti, aut quouis loco manēti. Aulici vero equites equis stipendia merent, præsidii honorisq; regii causa, & equestrē eū vel currulem equestres fere comitantur. His vero Mareschalci moderātur. Cæteri ministri nō habent necesse equos alere. Itaq; pedestres prodeuntē in publicū Principē deducunt. In longioribus aūt itineribus ii, qui equis non merent, vel regiis vel oppidatim suppeditatis, vel conductitiis equis aut curribus vehūtur. Ex his stipatores præsidii causa sunt circa Principē. Cubicularii & pueri præsto sunt ad quæuis domestica ministeria: sed cubiculariorum peculiaris vsus est in acciendis in Senatū & ad Regem consiliariis, & perferendis quoquo versus literis, mandatis, edictisq; regiis. Quā ad rem oppidatim & vicatim eis mādato Principis equi subministrantur: quæ subuectiones siue cursus publici vocātur. Incedentem in publico Principem aulici quidem antecedunt, stipatores corporis prelongis bipennib. more peditū Germanorū armati latera eius cingunt, cubicularii vero cū pueris subsequuntur: sed ita, vt & aulici Proceribus ac Senatoribus secularibus, & cubicularii pueriq; Episcopis ac Secretariis ecclesiastici ordinis proxima Principi loca honoris causa concedant: nisi forte Regē Regina sequatur. Tunc enim Episcopi quoq; & Secretarii cū proceribus antecedūt.

Aulici equites. *Satellites.* *Cubiculariī & pueri.* *Alia ministeria aulica.*

Reginam vero longus ordo sequitur nobilium matronarum ac puellarum quę etiã suum habet comitatũ, nec modo puellarum & matronarũ, quæ in gynæceo sunt, sed etiam puerorũ cubiculariorum & aulicorũ, & in his peculiares administros siue officiales. In primis magistrum curiæ, qui omnib. præest, Reginamq; prodeuntem cũ sceptro antecedit: & magistram curiæ, matronã gynæceo moderantem: deinde Secretarium vel Cancellarium, cuius sunt munera, literas nomine Reginæ conscribere, & signare, & legere, & compellantib. eam responsa dare, quod fere commune habet cum magistro curiæ. Habet Regina etiam thesaurarium suum, & pocillatorem, & structorem mensæ, & subdapiferũ, & dapiferũ, & culinæ ac stabuli præfectos singulos, & alios inferioris conditionis: quib. omnibus victus, vestitus, & mercedes à Rege præbentur. Indidẽ ipsius quoq; Reginæ mensa instruitur, res vestiaria, mundus muliebris, & iumenta comparantur. Quod si ea Regi superstes sit, vidua de suo, ac de fructibus & reditibus eorum bonorum, quæ rex ipsi dotis ac donationis propter nuptias nomine de amplissimi consilii sententia attribuerit, sese cum vniuerso comitatu suo deinceps sustentat. Atq; hæc de magistratibus regni terrestribus & aulicis breuiter decursa sunto.

Regina. comitatus. Magister curiæ. Magistra curiæ. Secretarius Administri Reginæ.

Ecclesiastici magistratus & honores.

De ecclesiasticis magistratibus, honoribus, ministeriis, & curationib. quales sunt secundũ Archiepiscopos & Episcopos, Suffraganeorum, Abbatũ, Prępositorum, Decanorũ, Archidiaconorũ, Scholasticorũ, Cantorũ, Custodũ, Cancellariorum, Vicariorum in spiritualibus, Officialium, Cõmissariorum, ministrorum, priorum, custodum siue guardianorum, pœnitentiariorũ, & parœcorum siue Plebanorum, non est operępreciũ hic persequi: ne de collegiis quidem Canonicorũ, Monachorum & Monacharum, fratrum conuentualium, Vicariorum, & si quæ sunt alia. Neq; enim peculiare habent apud Polonos præ cæteris gentibus & nationibus Christianis neq; ad Rempublicam pertinent exceptis Archiepiscopis & Episcopis, & si quibus forte præterea peculiariter quædam Reipublicæ munera mandantur. Omnes autem ii Episcoporum & Archiepiscoporum potestati ac iurisdictioni subiecti sunt, præter, si qui Pontificis Maximi autoritate exempti sunt.

Plebs Polona.

Plebes vrbanæ, oppidanæ, vicanæ, & agrestes partim Principi parẽt, partim procerib. & equitibus, partim certis sacerdotiis attributæ sunt. Reguntur aũt à suis quæq; dominis, eorũq; præfectis ac procuratorib. ex ęquo & bono, siue ex arbitrio magis quam certis legibus: quanquã nõ carent tamen suo quæq; iure. Præter dominos autẽ, eorumq; præfectos & procuratores habet plebs quæq; oppidatim, vicatim, & pagatim suos magistratus. Ac in pagis quidẽ scultetum, qui est quasi deductor ac defensor coloniæ: qui vel ipse per se, vel per vicarium suũ, cũ adiunctis aliquot ex aratorũ numero scabinis ius dicit. In ciuitatib. aũt, & oppidis, & vicis præter hos, sunt etiã cõsules, penes quos est ciuitatis cuiusq; gubernatio & custodia: in delinquẽtes animaduersio: publicorum cõmodorũ administratio, curaq; ædificiorũ & sartorum tectorũ publicorũ. Inter eos autẽ vnus præsidet magister ciuiũ seu proconsul, qui eos, quoties opus est, cõuocat, & in consiliũ adhibet. Nam leuiora sine illis ipse gerit. Habent itẽ singula opificum contubernia in qualibet ciuitate & oppido suos magistros, & his adiunctos aliquot seniores. In maioribus vrbibus sunt etiã ædiles, vnus & alter, de numero decurionũ delecti, pecuniæ publicę quęstores, & sartorũ tectores curatores. In oppidis vero & vicis hęc à consulib. curãtur. Hos magistratus in oppidis pręsertim, iuratos esse oportet, præter scultetos siue aduocatos hereditarios.

Plebei magistratus.

rios. Nullos autem communes magistratus pagi inter se, neq; ciuitates habent. Hæc de plebeis magistratibus.

Ratio creandorum magistratuũ. Episcopi electio.

Creandorum magistratuum, & honorum mandandorum in Polonia non vna est ratio. Olim Episcopi ex præscripto sacrorum canonum à collegiis primariorum sacerdotum legebantur: nunc Princeps vmbratili quadam electionis ritu reiecta solus arbitratu suo edit Episcopum, & Pontifici Romano commendat (quod fiebat etiam à collegiis) vt eius authoritate approbetur, præficiatur, & ab aliis Episcopis consecretur. Abbatum & Præpositorum eligendorum ius collegia Monachorum hactenus retinuere: sed iam vix retinent, ab Episcopis primum, deinde à Regibus etiam violatum. Palatinos, & Castellanos, & reliquum omnem Senatum regni Princeps legit, ac iureiurando obstringit sibi & Reipublicæ. Item confert præfecturas, cæterosque omnes magistratus, honores, & ministeria publica. Sed in magistratibus regni illud receptum est, vt non nisi in comitiis renuntientur. In iudice vero, & subiudice, & notario terrestribus ita est adstricta legibus potestas Principis, vt Nobilitas eius satrapiæ seu territorii, cuius iudex, vel subiudex, vel notarius decessit, conuentu instituto authore & præside Palatino, quatuor patresfamilias equites eligat, de quibus Princeps vnum, quem vult, in locum vacantem surrogat. Abrogari vero magistratus aut honor vllus nemini potest, nisi per maximam vel minimam capitis diminutionem, hoc est, libertatis, ciuitatisue, siue nobilitatis & bonæ famæ amissionem: aut si quis alium magistratum honoremue adeptus sit, quem cum priori retinere iure non possit: ipse se quisque abdicare arbitratu suo potest. Præfectura & metallorum teloniorumque curatione Princeps amouere quemlibet, quando vult, potest, nisi cui ipse promiserit, ac diplomate cauerit, vt ad certum tempus, vel, quoad vixerit, amoueri nequeat. Aulico item magistratu & ministerio amouere quemq; Regi licet: non temere tamen id facit, nec fere sine nota ignominiæ, nisi lex iubeat. Exactores tributorum annui fere creantur à Rege, vel comitiali placito.

Sacerdoticorum collatio. Senatus & magistratuum equestrium creandorum ratio. Iudicis, subiudicis, & notarii electio. Magistratus & honores perpetui.

Plebeiorum magistratuum creatio.

Plebeios magistratus partim domini, vel præfecti creant, partim ipsi sibi ciues legunt, præter Cracouiam, vbi Palatinus ius legendi Senatus habet, abrogandi non habet: nec nisi morte, aut maxima mediaue capitis diminutione honoris amittitur. Ex omni etiam numero viginti quatuor consulum quotannis octo, quos vult, Palatinus rebus gerendis præficit, quos præsidentes vocant: de quibus certo ordine singuli fiunt magistri ciuium in sex hebdomadas. Nec multum diuersa est ratio consulum in aliis quibusdam ciuitatibus & oppidis: nisi quod præfecti in suæ quisque ditionis oppido vnum aut alterum legendi facultatem habent. Casimiriæ, Cleparię, & Prossouiæ magnus Procurator arcis Cracouiensis cum in legendis consulibus, tum in aliis rebus Præfecti vicem obtinet. Idem aduocatum & scabinos iuris supremi Magdeburgensis legit. Cæteros autem scabinos ipsi consules in sua quisque ciuitate & oppido legunt, & sacramento adigunt. Cæterum scultetus siue aduocatus hæreditarius in quouis oppido, vico, atque pago semel à domino constitutus magistratum hunc, obnoxium ipsi domino ad equestre ministerium, Reiq; publicæ, ad expeditionem bellicam, etiam ad hæredes transmittit: quin & in externum transferre assentiente domino potest. Est tamen ius falsq; domino amouere scultetum contumacem aut inutilem, persoluto ipsi pretio, quod habet inscriptum in diplomate, vel secundum æstimationem emolumentorum atque ædificiorum: nisi quid enorme & priuatione dignum is commiserit.

Quo quidem iure multi sic abuti cœpere ad augenda commoda sua, vt sculte-
tis sine vlla culpa eiectis prorsus, vel in ordinem redactis, agros eorum prædiis suis adiunxerint, iudiciis vero iudiciales aduocatos arbitratu suo præficiant. Reditus magistratuum Regni exigui, terrestrium vero & aulicorum nulli fere sunt. Honorem Poloni satis amplum & luculentum virtutis & honestorum laborum præmium esse duxerunt, etiam sine compendio. Sunt tamen certæ mercedes, & quasi sportulæ, quæ iudicib. iudiciorumq; administris penduntur à litigantib. Primores aliquot Palatini & Castellani mediocres tamen habent reditus, partim ex agris & prædiis, partim è salinis vel teloniis, siue aliis quibusdã pensionibus à Principe antiquitus in omne tempus attributis. Episcopi nonnulli peramplos habent, vnde non modo ipsi commode & cum dignitate viuere, ac senatoria munera laute sustinere, sed etiam inferioris ordinis sacerdotes & administros suos recte alere ac tueri, & omnem cultum diuinum cum dignitate administrare, & egenis deniq; liberaliter subuenire queãt. Habent etiam decimas omnium segetum publico Principum ac totius Poloniæ consensu iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ attributas, & aliis quibusdam pensionibus postea vel cumulatas, vel commutatas. Habent & luculentos fundos, prædia, pagos, oppida, arces, & territoria, partim Regum & Principum, partim priuatorum munificentia adiecta.

Reditus magistratuum.

Episcoporũ & reliquorum sacerdotum prouentus.

Iudicia.

Iudiciorum ratio varia & perplexa est. Habet ordo ecclesiasticus, quemadmodum & apud alios Christianos populos sua, quibus cæteri quoq; homines nobiles pariter ac plebei obnoxii sunt aliquatenus, in iis præsertim causis, quæ cum religionis, aut personarũ, rerumue sacrarũ ratione aliqua ex parte cõnexæ sunt: quales sunt de institutis & ritib. religionis, de impietate, hæresi, schismate, magia, incantationibus, fœnore, sacerdotiorũ cauponatione: itẽ de decimis & fundis, & quibusuis censib. ac reditib. ecclesiasticis, de cæde, vi, & iniuria sacris initiato homini, reiue aut loco sacro, seu sacerdotii fundo illata. Ad hæc de iure patronatus, & de sacerdotiorũ iure quæuis controuersiæ, item q̃ de iure matrimonii & nataliũ, & de miserabiliũ egentium q; personarũ iniuriis, queq; ex obligatione in foro ecclesiastico facta oriuntur. Testamẽtariæ causę profanorum hominũ in hoc æque ac profanis foris disceptantur, dummodo extra iudicium testamenta sint condita. Aliter enim in eo foro disceptãtur, in quo sunt condita. Nisi quid forte legatum sit pietatis ergo, & ad piam causam, hoc est, templis, ecclesiarumq; ministris, aut egenis: q̃ causa propria est ecclesiastici iudicii. Est aũt iudiciorũ ecclesiasticorũ summa penes Episcopos, quorum vices gerunt ii, quos vocant vicarios in spiritualib. cancellarii & officiales: inter quos vnus, qui est primarius, generalis appellatur, cæteri foranei. Ab Episcopis, eorumq; vices gerentibus, prouocatio est ad Archiepiscopos: & ad Gnesnensem quidem ab ipso etiam Leopolensi Archiepiscopo, idq; eo nomine, q̃ ille est legatus perpetuus, siue, vt vulgo loquuntur, natus sedis Apostolicæ. Extrema tandem prouocatio est ad Pontificem Romanum. Omnes autem iudices ecclesiastici iudicant è præscripto ecclesiasticorum & Pontificiorum canonum: & præter diras siue censuras & interdicta ecclesiastica, habent ius quoddam coercẽdi fontes, in sui quidem ordinis homines laxius, in profanos autem restrictius, ita vt contra hos ad executionem rerum iudicatarum, vrbanorum, ac terrestrium magistratuum opem ad extremum implorare necesse habeant. Habẽt & profani inter se, Nobiles iuxta ac plebei sua iudicia, quibus sacris initiatũ ac sacerdotio præditum præesse non licet. Ac Nobilitas quidem terrestribus iudiciis peculiariter

Ecclesiastica iudicia.

Ecclesiastici fori causa.

Iudices ecclesiastici.

Terrestria iudicia.

riter subest, quæ à iudice, subiudice, & notario terrestribus exercentur, alibi quidem quater, alibi sexies quotannis, alibi vero singulis mensibus: nisi forte iudex, subiudex, aut notarius desit, aut bellica expeditio, vel comitia, colloquiaue interueniant. Tunc enim silent iudicia Nobilitatis, non terrestria modo, sed & alia. Sunt autem in quolibet Palatinatu certa oppida, in quibus ius hoc dicitur Nobilitati, in eo ipso territorio bona agrosque habenti. Nec euocari quenquam è suo territorio licet, nisi ipse certa obligatione nominatim ab hac prærogatiua recesserit. Cæterum, qui nulla habet bona terrestria, conueniri hoc iure nõ potest. Ne sacerdos quidem, exceptis causis finium regundorum, & adscriptitij alieni profugi, cæsi, vel vulnerati: aut si vllo alio, quam sacerdotij nomine, bona terrestria possideat. His iudicijs disceptantur pleræq; omnes causæ Nobilitatis priuatæ ac ciuiles, ac ciuiliter institutæ. Regundorum finium cõtrouersia hoc ipso quidem iudicio primum disceptatur inter equites, vel inter equitem & sacerdotem: sed ad extremum ad Succamerarium terrestrem remittitur: qui in rẽ præsentem veniens, ipse per se, vel per vicarium suũ camerarium illius territorij eam definit, certisq; metis ac signis fines controuersos designat. Atq; hęc est vnica Succamerariorum iurisdictio.

Terrestrium iudicii causa. Succamerarii iudicium.

Cæterum si cum regijs bonis equiti sit controuersia, non apud terrestre & Succamerarij iudicium ea disceptatur, sed Princeps equite postulante edit commissarios aliquot de senatu ac terrestribus magistratibus siue officialibus eius satrapiæ, in qua est controuersia: inter quos etiam Succamerarius esse solet: qui in rẽ præsentem venientes iudicium id peragunt. Idem fit, si sacerdotalis fundus & ager cum regio cõtrouersos fines habeat: nisi quod Episcopus quoq; eius diœceses editis à Principe recuperatorib. vnũ aut alterũ de suis adiungit. Eademq; ratio est petẽdi recuperatores à Principe in causis herciscundę familię, siue diuidendę hęreditatis inter fratres & propinquos. Quanquam hoc iudicium ẽt præfectus exercere potest. Criminales vero causę de stupro, incendio, latrocinio, & vi armata alienis ædib. illata ad p̃fectorum in sua cuiusq; præfectura iudicium pertinẽt. Ciuiles itẽ quęcunq; aduersus eos Nobiles instituuntur, qui certos agros ac bona terrestria nulla habẽt, & qui licet habeant, obligatione tamẽ sua ei foro obnoxios sese fecerũt, aut merẽt publica stipendia, aut sacris initiato homini damnũ vel iniuriã intulerunt, aut alienũ adscriptitium detinẽt, aut obstaculis deniq; liberã fluij nauigationẽ impediuerunt, aut si quis executionẽ rei iudicatæ prohibeat. Dicit aũt Præfectus ius in arce, aut alio loco publico suę quisq; p̃fecturę sexta quaq; septimana per se ipse, vel per vicariũ suum iudicẽ castrẽsem. Atq; hæ sunt iudicij castrẽsis causæ. Officij vero sunt, rerũ iudicatarum executio: viduarũ de bonis dotalib. eiectarum, & aliorum spoliatorũ restitutio: itemq; deprehensos in scelere, & recẽti crimine, aut si q̃s rem alienã apud se deprehensam nõ reddat domino repetenti: adhęc in turbatores cõuentuum ac iudiciorũ, & q̃ vetitis armis vtuntur: in tolerãtes censuras ecclesiasticas vltra annũ, in iniustos teloniorũ exactores, & in sacerdotes, qui iuri patronatus secularium hominum derogant, aut seculares p̃ter ius ad forũ ecclesiasticũ euocant, animaduersio. In quib. causis quouis tẽpore cuiuis quęrenti præsto esse debet p̃fecti autoritas per seipsum, vel per subpræfectum suum: cuius iurisdictio ad causas officij pertinet, si præfectus ipse ius non dicat. Deniq; furti suspectos prehendendi, reosq; iudicandi ac supplicio afficiendi ius habet præfectus, ac subpræfectus eius. Nobiles tamen non nisi eos, qui ter ab eodem crimine damnatis editi & in album furum relati sunt.

Præfectorũ iurisdictio.

Castrense iudicium & officium.

Porro

Regii iudicii causa.

Porro ſtatus controuerſiæ, hoc eſt, cum de genere cuiuſquam ambigitur, & eæ cauſæ, quæ infamiæ, cõfiſcationis bonorum, vel capitis pœnam (præter eas, quas dudum præfectis attributas eſſe dictum eſt) annexam habent, atq; etiam de cæde Nobilis, ad ſolius Principis iudicium pertinent. De quibus is in comitiis demum cum Senatu cognoſcit: præter, ſi maleficium in loco domicilii Principis ipſius, & ſub aſpectu eius patratũ ſit. Tunc enim, ſi autor recenti facinore comprehendatur, abſque citatione Princeps eum ipſe per ſe, vel per Mareſchalcum iudicat. De perſonalibus vero cauſis ciuilibus, aut ciuiliter inſtitutis, quæ alioquin ad forum terreſtre vel caſtrenſe pertinent, Princeps itidem quouis loco ac tempore cum iis, quos ad manum habet, conſiliariis citatum iudicat. Quæ citatio curialis, & poſt curiam vocatur. Sed eius vſus ita reſtrictus eſt, vt ea in minore Polonia contra eum, qui in maiore tantum agros ac domicilium habet, non valeat: neque contra. Id autem iudicium regiorum terminorum nomen habet. Vbi etiam in prefectos & adminiſtros ſuorum bonorum & redituum, quod ad munera eorum attinet, quicunque & vndecunque ii ſint, Princeps ipſe ſibi, inſtigatore officii petente, & cuiuis poſtulanti ius dicit: ac de prouocationibus quoque ab officio caſtrenſi ad ſe delatis cognoſcit. Iniuſtus tributi publici exactor etiam apud Epiſcopum, Palatinum, vel Caſtellanum loci recte conuenitur. Belli autem & expeditionis publicæ tempore, cum ſilent omnia ſupra memorata fora, penes Principem eſt ius omne, ac iudicium eorum, quæ in caſtris, & in ipſa expeditione flagitioſe aut ſcelerate admittuntur. De iniuriis quidem damniſque datis in expeditione bellica Palatini vel Caſtellani cuiuis quærenti contra ſuæ quiſque ſatrapię, vel territorii homines ius dicunt. Si quis autem non pareat, Principi deferunt.

Iuriſdictio bellica.

Prouocatio ad Principem.

Ab omnibus porro iudiciis Nobilitatis prouocatio eſt ad Principem: niſi quod eæ, quæ fiunt à terreſtribus iudiciis, in colloquiis fere prius diſceptantur.

Colloquia & generales termini.

Appellatur autem colloquium, peculiare Palatini cum dignitariis, ac terreſtribus magiſtratibus iudicium: quod ſemel quotannis autumni tempore in qualibet ſatrapia ſiue Palatinatu exerceri debet, prouocationum à terreſtribus & caſtrenſibus eiuſdem ſatrapiæ iudiciis diſceptandarum cauſa. Quod etiam terminos generales vocant, vbi & alienationes & obligationes bonorum terreſtrium recte fiunt. Ab hoc itidem ad Regem eſt prouocatio, cuius duplex eſt ratio: eſt enim appellatio, qua inter litigantes ſolos diſceptatur, iuſtene an iniuſte iudicatum ſit. Motio vero eſt, in qua iudex, à quo prouocatum eſt, neceſſe habet tueri ſententiam ſuam, vt ſi iniqua & legibus aduerſa fuerit, ipſe pudefiat, ac mulctetur, quod tamen iam ferme exoleuit. Vtrobique autem regio vel colloquiorum iudicio iniuſtum decretum reſcinditur, vel corrigitur, vniuerſaq; cauſa diſceptatur ac diiudicatur, etiamſi ab interlocutoria ſententia prouocatum ſit. Tametſi nõ temere admittitur eiuſmodi prouocatio. Cognitionum quoque Principis de prouocationibus non eſt vna ratio: nam de iis, quæ fiunt à colloquiis, non niſi in comitiis cum frequenti Senatu cognoſcit. Ad eundem modum de iis etiam, quæ fiunt à terreſtribus iudiciis. Nam de iis quoq; recte à Rege cognoſcitur in comitiis, ſi prius ea inſtituantur, quam colloquia. Itaque indiſcriminatim prouocari ſolet ad colloquia, vel ad comitia. De cæteris vero prouocationibus, quæ fiunt ab aliis iudiciis, etiam extra comitia cognoſcit is cum iis conſiliariis, quos ad manum habet, quouis tempore & loco: ſed tamen intra fines regni modo. Foris enim nemo Nobilium ſiſtere ſe Principi neceſſe habet vlla ex cauſa, exceptis fiſcalibus. Tam in comitiis

mitiis autem, quam extra ea in iudiciis regiis adhibentur in conſilium etiam ſupplicum libellorũ magiſtri, ſiue Referendarii: itemq; iudex, ſubiudex & notarius eius territorii, in quo iudiciũ exercetur, præter, cum de prouocatione ab ipſorum iudicio facta cognoſcitur: habentq; ii poſtremi omniũ dictionẽ ſententiæ. Atq; his fere foris ac rationib. Nobilitatis iudicia peragũtur. Nam barbaricus ille mos prouocandi aduerſarium ad ſingulare certamen, & ferro vſq; ad necem vel deditionẽ de iure & iniuria, veroq; & falſo decernendi, nihil habet commune cum iudicio. Cęterum iudiciorum ratio in comitiis Varſauienſibus anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimooctauo, habitis à Stephano Rege alia inſtituta eſt, quæ tribunalitia vocantur: vt Reſpublica ex ſuo corpore in ſingulis Palatinatibus, maioribus binos, minoribus vero quibuſdam ſingulos è Nobilitate quotannis ſibi deligeret, qui primũ à D. Martini vſq; ad Paſchatos Poloniæ maioris Nobilitati Petricouiæ, minoris autem à Paſchatos vſq; ad meſſem Lublini ius dicerent, ac cauſas appellationis ſiue vltimæ, vt vocant, inſtantiæ iudicarent. Atq; ſic omnia priuatarũ rerum iudicia penes Nobilitatem deinceps eſſent: publica, iuris item regii ac fiſci iudicia in eo, quo antea ſtatu fuerant, penes Reges manerent: quemadmodum & earum terrarum, quæ ſuis legibus, ac diuerſo à cæteris iure vterentur.

Iudicia tribunalitia.

Statuta regni.

Iudicatur autem Nobilitas ſuis legibus, quæ paucæ ſunt, & cõſtitutiones regni vocãtur (tametſi Maſouii peculiares habent) vel morib. vel ex æquo & bono, ſiue adeo iudicũ opinione. Magnã aũt in iis iudiciis vim habet exemplum, & res in ſimili cauſa à Principe iudicata: permagnam item iuſiurandũ. Magnus etiam eſt vſus præconum, quos miniſteriales terreſtres appellant, magnaq; eis fides adhibetur, itidem ac tabellionibus in iure ciuili Romano & Pontificio. Sed ſunt ii fere illiterati ac plebei homines, Palatini vel delegati cuiuſpiam regii arbitrio, nec ſemper exquiſito delectu creati. Verum in omni fere functione ſua vnum aut alterum equitem teſtem adhibeant oportet. Actori nulla eſt pœna, ſi cauſa cadat, vel eam non proſequatur: ac ne litis quidẽ impenſas reus ſoluit. Reus condemnatus ſi iudicatum non ſoluat, mulctatur & pigneratur. Condemnatur autem actori in ciuili cauſa, quanticunq; is litem iureiurando interpoſito æſtimauerit. Licet tamen iudici ante iuſiurandum eius æſtimationem moderari. Si non paruerit rei iudicatæ, reus condemnatur in duplum, quod perlucrum appellant: prior enim condemnatio lucrum dicitur. Si duplum ad certam diem non exoluerit, Præfecti regii eius territorii, in quo reus bona vel domicilium habet, opem actor implorat. Ex decreto autem Præfecti bona rei poſſidenda ei traduntur, adiecta certa multa, quod vadium vocant, ſi is prohibuerit. Sin iterum id fecerit, duplicatur mulcta: ſin tertium, triplicatur, quæ vadia duplicata & triplicata appellantur. Quæ tamen ſublata iam ſunt, & poſt interpoſitum vnum vadium, reus ſi pergat eſſe contumax, proſcribitur. Proſcriptus vero, ſi vi ſe nihilominus ſuaque tueatur, cuncta illius Præfecturæ Nobilitas contra eum armatur. Ac ipſe quidem prænditur, bona vero eius à Præfecto poſſidentur, donec de reditibus eorum non modo iudicatum, ſed mulctæ etiam & vadia ſoluantur. Indicta vero cauſa, hoc eſt, non citatum, neq; conuictum Nobilem, qui modo agri aliquid habeat, prænendere nulli magiſtratui, ac ne Principi quidem licet, præter furem à ſeruis pœnæ inter conſcios & complices ter editum, aut in maleficio quouis deprenſum, aut qui ſatiſdare nolit, vel non poſſit. Præfecto remiſſiori in executione rei iudicatæ pœna eſt, abrogatio præfecturæ: niſi

Executio rerum iudicatarum.

Nobilium prænſio.

WBP Opole

forte eam oppignoratam teneat, tunc enim centum marcarum mulcta ipsi à Principe irrogatur, detrahenda de summa eius capitali, quoties officium suum non fecerit. Oppidanis vero & plebeis magistratibus, Nobilem etiam in scelere deprehensum sine Prefecti authoritate iudicare omnino fas non est. Hæc de iudiciis Nobilitatis.

Plebis iudicia rustica.

Vrbana.

Plebs habet peculiaria iudicia, in pagis quidem simplicissima, quæ vel ab aduocatis iudiciariis, vel scabinis, vel à scultetis, vel à præfectis siue dominis, eorumque procuratoribus & administris, sine strepitu & figura iudicii exercentur. In vrbibus autem & oppidis exactiora sunt: quibus Nobiles quoque, qui in iis domicilia & ius ciuitatis habent, sunt obnoxii in causis ciuilibus duntaxat. Ea vero partim penes aduocatum & scabinos, partim penes consules

Iudicia consulũ & magistrorum contuberniorum.

sunt: partim etiam penes magistros contuberniorum. Consules ac magistri contuberniorum sine strepitu & figura iudicii iudicant, hi quidem singuli cum adiunctis sibi senioribus de leuioribus causis sui quisque generis opificum. Consules vero de quibusuis, proprietatis modo & possessionis rerum soli & hæreditatis, itemque capitalibus ac sanguinariis exceptis: quæ ad scabinorum & aduocati iudicium peculiariter pertinent. Parui momenti causas etiam consul solus agnoscit: à quo itidem, atque à magistris contuberniorum, ad consessum consulum est prouocatio. Ab his porro ad Regem. Inoleuit tamẽ multis in locis mos, vt prius Præfectus appelletur, atq; inde domum ad Regem prouocetur, idque de regiis modo oppidis intelligendum est. Nam quæ alii cuipiam subsunt, in iis prouocationes fiunt ad eorum dominos, ab iisque sine prouocatione iudicantur. Sed si quis aduersus eum, qui ipsi non subest, iniuste iudicauerit, siue per se, siue per vicarium & procuratorem suum, vocari potest eo nomine in ius, cui est obnoxius. Porro Episcoporum & aliorum ecclesiasticorum hominum subditis opem superioris, nempe Episcopi vel Archiepiscopi, cõtra vim & iniuriam dominorum suorum implorare licet. In iurato autem iudicio (sic enim vocatur id, cui scabini cum aduocato iurati præsident) accuratior seruatur processus iudiciarius, exercenturq; id fere inter cõciues quintodecimo quoq; die, nisi is festus sit: externis vero & hospitibus postulantibus, quoties opus est, exponitur. Atq; hoc quidem emptum dicitur, illud expositum. Est & tertium genus iudicii huius, quod magnum vocant, ac ter staris anni temporibus ob grauiores causas consule præsidente exercetur. A iurato autem iudicio legitima est prouocatio ad aliud quoddam iudicium primarium vrbium, quod quidẽ duplex est, itidem ac leges, quibus oppidani & agrestes fere vtuntur. Neq; enim iisdem ii cum Nobilitate legibus tenentur. Ac in Masouia quidem, vbi ius Culmẽse viget, nunc ad Torunienses magistratũ, atq; inde demum ad Regem prouocatur. In cæteris vero Poloniæ partibus, vbi iuris Magdeburgensis vsus est, olim ad Magdeburgensem ciuitatem prouocabatur. Sed Casimirus Magnus Rex aliud quoddam iudicium in arce Cracouiensi instituit, quod iuris supremi Teutonici siue Magdeburgensis appellauit: in quo aduocatus cum septem scabinis magno procuratore eiusdem arcis præsidente, nõ tamen iudicante, iudicant de prouocationibus, quæ fiunt à iuratis quarumuis ciuitatum & oppidorum iudiciis. Inde vero prouocatio est ad aliud iudicium, quod sex ciuitatum dicitur. In quo eiusdem Casimiri instituto bini certorum oppidorum consules Cracouiã conuenientes in arce ius dicũt sine prouocatione. Cognoscit aũt Princeps de prouocationibus iis, quæ ab vrbanis & rusticis iudiciis veniunt, & omnino de controuersiis plebeiorum

Scabinorũ iudicia.

Iuratum iudicium.

Prouocatio à iurato iudicio.

Iudicium iuris supremi Magdeburgici.

Iudicium sex ciuitatum.

beiorum suę ditionis, atq; etiã de querimoniis aduersus Prefectos suos, vbi libet, etiam extra Regnum, & cum quibus vult, consiliariis. Sæpe etiam Consiliariis & Referendariis, Secretariis earum cognitionem delegat, sed ita, vt ipse tamen ad extremum iis referentibus statum controuersiæ decernat, præser-

d Nobilẽ pertineat. Soli Cracouienses ciues hoc præditi sunt priuilegio, quod à Senatu vrbano non nisi ad Principem est prouocatio, & quod eius, itemque Casimiriæ & Cleparię ciuitatum causæ ab eo non nisi Cracouiæ iudicantur. Habent & sculteti siue aduocati hæreditarii pagorum & oppidorum nonnullis in locis inter se peculiaria iudicia, à quibus item ad ius supremum Teutonicum, & inde ad sex ciuitates, vel ad Principem prouocatur. Iure autem suo quisque iudicatur, præter, quod causæ cædis & vulnerum Polonico tantum iure iudicantur, quo reus actoris iureiurando peragitur. Ac in recenti quidem crimine comprehensus, cædem capitis supplicio luit. Post interpositam vero vigintiquatuor horarum moram ad certam & lege constitutam capitis æstimationem damnatur, quæ diuersa est, Nobilis & plebeii. Pro plebeio capite partim domino eius, partim liberis ac hæredibus cæsi cædit mulcta: pro Nobili vero solis liberis ac hæredib. exoluitur. Nobili tamen pro Nobilis cęde vltra mulctam pœna est etiam carcer annuus, & sex hebdomadæ. Cæterum Masouiorum legibus carceris pœna soluitur is, qui profugus annum totũ exulauerit. Verum plebeio Nobilem interfeciisse capitale est, nisi transigat cum actore. Vulnerum certæ sunt æstimationes. Fit autem contemptu harum pœnarum, & capiendæ ex mulcta pecuniæ, vt crebrescant magis indies iurgia atque cædes. Executio rerum iudicatarum cõtra oppidanos penes magistratum est in sua quemq; ciuitate, aut si is negligat, domini vel præfecti auxilium imploratur. Atque hæc iudiciorum Nobilitatis & plebis ratio.

Sculletorũ iudicia.

Homicidij iudicium & pœna.

Executio vrbanorũ iudiciorũ.

Comitia duabus de causis habentur, propter consultationes de Republ. & propter iudicia. Cum enim Polonis ea potissimum forma Reip. placuisset, in qua penes vnum quidẽ esset iudiciorũ, ac rerũ omniũ in bello & in pace summa, sed, vt is rerum agendarum ac iudicandarum consilia cum pluribus consiliariis communicaret: hi porro cum propter alias functiones publicas, tum etiam propter curam rei suæ familiaris, ad latus Principis assidui esse nõ possent, placuit, vt ii ad certum locum ac diem conuocarentur à Principe, ad exercẽda cum ipso iudicia, consiliaq; de Republ. capienda. Hæc sunt comitia publica, quæ etiam generales Regni conuentus vocãtur: qui olim simpliciorib. ac melioribus seculis bidui vel tridui spacio peragebantur. Augescẽtibus deinde iudiciis & rebus agendis, extrahi cœpere in longius tempus comitia: sic tamen, vt pro re noua & insolita annotarit Dlugossus, in nonum diem ea extracta esse. Atq; hęc fuit vetustorum comitiorum ratio. Posteriori tempore, cum vniuersa Nobilitate, & vna de omnibus ciuitate Cracouiensi communicata sunt comitia: cœperuntq; adhiberi nuntii Nobilitatis siue terrarũ, & ciuitatis Cracouiensis, principio quidẽ vnã ob rem, nempe scisscendi in bellum tributi causa. Deinde vero, cum siue incuria Principũ, siue Senatorum conniuentia, multa, quæ ad salutẽ & amplitudinem Reipubl. pertinebant, negligi, ac Nobilitatis prærogatiuæ minui viderentur, ad alias etiam consultationes de Repub. accedere cœperunt, non vt consiliarii, sed vt monitores Principis ac cõsiliariorum, & custodes libertatis, & prærogatiuarum Nobilitatis, ac legum publicarum. Nunc igitur sine nuntiis terrarum non habentur legitima comitia.

Comitiorũ ratio.

Nuntij Nobilitatis.

Atq; eam ob rem quoties ea debẽt instituí, indicũtur prius à Rege Nobilitati

Conuentus particulares. conuentus,quos vocant particulares, ad certos dies, certaq; oppida. Quibus (nisi iusta causa obstet)Nobilitas cum Senatorib.ac magistratibus terrestribus eiusdem satrapię ad templum conuenit,&implorata ope diuini numinis legationem regiam audit,vbi,quando,& quibus de causis opus sit haberi comitia. Deinde præeuntibus Senatoribus nuntios suos deligit, eisque vel peculiaria dat mandata ad comitia, vel vniuersę potestatem facit curandi ea, quæcunque in commune è Republica fore videbuntur. Lege autem ab hoc munere legationis excluditur, qui priuatum habet negotium ac litem in comitiis. Finitur nuntiorum potestas vnicis comitiis. Nec idem est in omnibus satrapiis eorum numerus: sed pro numero territoriorum esse debere existimatur. *Conuentus generales.* Nuntiis ita creatis in particularibus conuentibus, mox instituuntur alii conuentus, quos generales vocant. In maiore quidem Polonia Coli, in minore autem Corcini. Et ad hunc quidem Cracouiensis, Sendomiriensis, Russicæ, Podolicæ, Belsensis, & Lublinensis satrapiarum: ad illum vero reliquarum proceres ac nuntii recens creati, ac de Nobilitate qui volunt, constituta itidem à Principe die conueniunt, auditisque iterum mandatis regiis, mandata Nobilitatis, & quæ postulat vsus Reipublicæ, inter se conferunt. *Comitia regni.* Atque inde itur ad maiora comitia. Quo vbi conuentum est, re sacra solennĩ itidem in templo publice peracta,itur ad aulam. Ibi Rege &Senatoribus in corona cõsidentibus,adstantibusq; pone secretariis ac nuntiis,Cancellarius vel Procãcellarius Regis nomine proponit in mediũ, quibus de rebus in commune consuli operæ pretiũ sit.Deinde Senatores ab Archiepiscopis & Episcopis orsi, ordine dicunt sententias. Hinc nuntii petita à Rege venia secedunt in aliud conclaue,iisdem de rebus inter se consultaturi:reuersiq; siue eadem,siue alia die per vnum aliquem exponunt id, quod ipsis in commune visum est, quid probent,quidue requirant. Nonnunquam pluribus mandant, si plura sint negotia proponenda, vt suum quisque edisserat. Non modo enim iis de rebus, quæ Regis nomine propositæ fuere, sed etiam, si quid aliud ipsis in mentem venit de Republica, postulant, vel admonent. Id vero si est eiusmodi, vt consultationem requirat, & ab eorum functione non alienum esse videatur, dicuntur etiam de eo sententiæ à Senatoribus, exclusis nuntiis, interdum etiam non exclusis. In omnibus autem consiliis postremus omnium dicit Rex,&quod ei placuit, decreti comitialis &legis habet vigorem, dummodo prioribus legibus, Nobilitatisque aut sacri ordinis prærogatiuis ne aduersetur. Tunc enim refragari placito Principis non solum Senatui, sed etiam nuntiis fas est. Itaque in eiusmodi consultationibus suspendit fere sententiam suam Rex, donec inter nuntios & Senatores, maioremue eorum partem conueniat. Sed hoc iam aliter constitutum est. Cætera autem consilia de Republica,quæ legibus diserte excepta nõ sunt,nec prærogatiuis Nobilitatis præiudicant, *Iudicia comitialia.* cum Senatu solo Rex communicat. Quemadmodum iudicia quoq; cum eo solo exercet, minimũ biduo vel triduo singulis hebdomadis per tempus comitiorum. Sed interdum ea delectis aliquot è Senatu delegat. Atq; ii quotidie fere,festis dieb.exceptis,iudicant. Verum ab his quoque assessoribus (sic enim vocantur ii iudices) ad Regẽ prouocatur. Atq; ii statum cõtrouersiæ cuiusq;decretumq;suũ in consessu reliqui Senatus exponũt. Sententias tamen denuo non dicunt. Publicarum inter ecclesiasticum &equestrem ordinẽ controuersiarum arbitrium atq; transactio penes Regem est. Comitia quotannis, nisi quid forte impediat, institui vsitatũ est. Nihil tamẽ phiber,quo minus vel

Controuersiarũ inter ecclesiastic. & equestrẽ ordinẽ arbiter Rex.

rarius,vel crebrius instituantur. Crebrius quidem vt id fiat requirit iudiciorum & prouocationum disceptandarum multitudo, quæ cũ antea nonnunquam in quartum & quintum,ac sextum fere mensem extraherentur,nunc lege sex septimanarũ spacium præfinitum est. Locus certus comitiis habendis olim nullus erat,sed vbi Regi collibuerat,etiam sub dio,& in territoriis ea per- *Comitiorum locus.* agebantur. Postea lege in vnum concluſa sunt oppidum,in vmbilico & meditullio totius Poloniæ situm Petricouiam. Sed iam ea inde noua lege in gratiã Lithuanorum Varsauiam translata sunt. Potest tamen Rex assentiente Senatu iusta aliqua de causa alibi quoq; ea instituere. Nec illud prætermittendum est, quod initio comitiorum nuntiis Nobilitatis singulis certa pecunia in victum de publico numeratur. Senatoribus non item. Cæterum non venienti ad comitia Senatori sine iusta causa,lege mulcta ittogatur:sed ea vix vnquam à Rege exigitur. Habet ecclesiasticus quoque ordo in Polonia suos conuentus siue *Synodi sacerdotum.* synodos,quarum causas &vniuersam rationem è iure pontificio petat,qui volet. Atq; hæc etiam de comitiis. Superest belli gerendi ratio.

Bellum autem in hac gente à Nobilitate geri vsitatum & legitimum est *Belli gerendi ratio.* antiquitus:quæ cuncta equestris militat,idq; pro modo bonorum & redituũ facere debet. Sed cum nulla publice instituta sit bonorum æstimatio, modus hic fidei cuiusq; creditus, labente in deterius disciplina & fide,arbitrarius factus est,non sine Reipublicæ totius incommodo atq; iniuria. Arbitrarium est & genus armorum. Tenuiores,& qui equum alere non possunt,pedestres militant. Sculteti quoq; siue aduocati hæreditarii,& quicunq; fundos terrestres hæreditarios habent,non sunt immunes à militia. Mulctatur autem agris & bonis omnibus,si quis paterfamilias à bello abfuerit, aut filium adultum, fra- *Pœna non militantiũ.* tremue,qui ipse separata bona, & militandi necessitatem non habeat, pro se non miserit. Cæterum pupillis impuberibus,ægrotis,senio confectis, & viduis per necessarios & famulos militiã obire licet. Habent autem va cationem mi- *Immunes à militia qui.* litiæ tribuni terrestres,præfecti arcium in finibus Regni sitarum, vicarii cæterorum præfectorum iurisdictionem habentium,vicecapitanei, & burggrabii, & qui Reipublicæ causa absunt:habet item ordo cunctus ecclesiasticus præter eos sacerdotes,qui bona terrestria hæreditario seu alio quouis, quam sacerdotiorum iure ac nomine obtinent. Euocatur ad bellum Nobilitas antiquo more,dimissis quoquo versus per præfecturas literis signo regio consignatis: quæ *Restium literæ.* deinde in pertica resti alligatæ (vnde restium nomen acceperunt) à præconibus siue ministerialibus terrestribus ad dignitarios & officiales siue magistratus:primoresq; Nobilitatis cuiusq; præfecturæ sublimes & conspicuæ circumferuntur,& in foris vrbium ac oppidorum alta voce publicantur. Ter autem id fieri oportet interpolatis quaternis septimanis: nisi decreto comitiali tempus id accidatur, binæq; restes coniungantur. Post tertias demum restes domo se quisq; mouet ad suæ satrapiæ conuentum, ad certum locum certumq; diem indictum. Inde porro autore ac ductore Palatino cum sui quisq; territorii Castellano ad constitutum à Rege prope fines Regni locum pacati proficiscuntur. Verum hoc quoq;, vt alia nonnulla recte à maioribus instituta, augescente indies equitum licentia conniuentiaque magistratuum in desuetudinem abiit,magno non modo sacerdotalium, sed etiam regiorum, & ipsius Nobilitatis prædiorum & adscriptitiorum incommodo atq; damno. Necesse *Bellica leges.* autem habet Princeps equestris ordinis homines ab hostibus in bello captos redimere,ac damna amissorum equorum,quæ ii extra fines Regni acceperint,

exoluere. Captum vero hostem, nobilem præsertim, is qui cepit, Principi tradere debet, acceptis pro eo duobus florenis. Vsu venit nonnunquam, vt hæ copiæ diuidantur à Principe de sententia amplissimi consilii: ac cæteris quidem aduersus hostem proficiscentibus, vnius aut alterius satrapiæ Nobilitas, vel plurium, si opus sit, ad præsidium eius oræ, vnde item belli aliqua est suspicio, relinquatur. Hæc est apud Polonos belli gerendi ratio: hoc robur militiæ in equitatu situm. Hæ sunt opes & vires gentis: hæ copiæ externis pene incredibiles, & cum quibusuis maximarum gentium opibus ac diuitiis comparandæ: quibus olim Principes Poloniæ res magnas gesserunt, non domi modo illata bella propulsando, sed foris etiam hostes vlciscendo, fines imperii longe lateque proferendo, & amicis ac sociis succurrendo. Sed cum abuterentur ii nonnunquam obsequio Nobilitatis, eamque crebrorum ac diuturnorum, minimeque necessariorum bellorum incommodis exercerent, lege cautum est intra ducentos annos & amplius, vt ne liceat Regi bellum facere sine comitiis & assensu Senatus: & vt Nobilitas fines quidem Regni, quoties & vbi opus est, absq; vllo stipendio tueri necesse habeat, non sine Principe tamen, præterquam in interregno. Cæterum extra fines ne ad vllam militiam educi possit inuita, nisi acceptis à Rege in quemlibet hastatum equitem quinque marcis.

Bellica expeditio sine comitiis nõ indicitur.

Nobilitatis officium.

Peditatus nullus est fere apud Polonos, præter mercenarium, si quem Princeps conduxerit. Mittunt quidem ei oppidani currus commeatu onustos cum peditibus: sed is peditatus non multus est, & sternendis muniendisque viis, quam armis tractandis, accommodatior. In extrema tamen necessitate & grauiori bello, euocata ad expeditionem Nobilitate, oppidani quoque & agrestes decimum quemque peditem decrero comitiali armant & expediunt. Cum autem lentior sit expeditio hæc vniuersa, & nonnunquam ciuibus & amicis magis quam hostibus incommodare soleat, excogitata est ratio conducendi militis mercenarii pedestris & equestris ad subitarias Tartarorum & aliorum hostium excursiones reprimendas, expugnandas munitiones, & alios militares labores subeundos aptior & promptior. Quæ copiæ pariter cum decurionibus, centurionibus, turmarum & cohortium ductoribus tribunisque militaribus ab alterutro exercitus longe laxiori potestate, & seueriore disciplina, quam in expeditione publica reguntur. Est autem stipendium trimestre, in equitem quidem senum, in peditem vero quaternorum florenorum antiquitus constitutum. Perexiguum id sane est, nisi in magna alioqui rerum omnium ad victum pastumque pertinentium copia & vilitate, longe leuius etiam precium rebus venalibus bellica lex imponeret, & charitas patriæ, studiumque bellicæ virtutis ac gloriæ, & spes adipiscendorum publicorum honorum magis, quam vlla merces iuuentutem multitudine & ocio abundantem ad facienda stipendia excitaret. In hoc vero stipendium publice confertur pecunia, tributo, quam exactionem vulgo vocant, agrestibus ac oppidanis, Regi iuxta ac Nobilitati subiectis, imperato. Quo illi non inuiti agrorum domorumque suarum vexationem redimunt: si modo redimunt, mercenariorum etiam militum, non contentorum stipendiis suis, licentia & rapacitate indies magis ac magis progrediente, & nec sacerdotum, nec Nobilitatis, atque adeo neque Regis ipsius bonis abstinente. Id autem tributum ex agris quidem in mansum, ex oppidis vero ostiatim penditur. Quin etiam venalis cuiuslibet potus nomine in oppidis iuxta ac pagis pensitatur.

Oppidanorum munia in bello.

Stipendia equitum & peditum.

Tributa siue exactiones.

Pendunt

Pendunt & molitores de moletrinis quiddam, & sculteti siue aduocati de suis agris, itemq; nobiles ii, qui nullos habent adscriptitios, & plebei, qui neq; domos, neq; agros habent, & arte aliqua, vel opera sua victitant. Doctores, Magistri, Scholastici, & qui literarum studiis vacant, immunes sunt. Est & aliud quoddam tributum, in magna necessitate aliquando plebi vniuersæ, exceptis scholasticis imperatum: quod quia de singulis capitibus pendebatur, capitale dictum est. Imponit nonnunquam & ipsa sibi Nobilitas cum Rege & proceribus tributum de agris, vel de censibus suis pensitandum, si vsus & necessitas postulet. Non nisi in comitiis autem hæc tributa scisciuntur ac decernuntur, & quidem consentientibus Senatoribus pariter ac nunciis terrestribus.

Capitale.

Cæterum ecclesiasticus ordo vna cum bonis & hominibus suis, iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ, non modo militiæ perpetuam vacationem, sed tributorum etiam publicorum immunitatem habet in Polonia: verum ipse superiori tempore oppidanos & agrestes suos tributis, quæ cæteris imperantur, vltro Reipublicæ gratia subiecit. Nunc iam pro lege habetur, vt quoties regiis & equitum subditis tributum imperatur, nec hi exortes sint. Pensitant ipsi etiam nonnunquam sacerdotes cum Episcopis rogati, vrgente necessitate, & charitate patriæ suadente, de suis sacerdotiis certam reditum suorum portionem, quam pensionem contributionem appellant. Eius vero decernendæ ius est penes synodum prouincialem: Exigendæ vero penes eos, quibus Episcopi cum primario suo collegio in sua quisq; diœcesi mandauerit. Superiorum autem illorum tributorum, quæ plebi atq; etiam Nobilitati imperantur, exactio plerunq; Regis arbitratu, nonnunquam de Senatus ac nunciorum sententia per satrapias compluribus imponitur. Nec diutius id munus durat, quam ipsum tributum. Dispensatio penes Regem fere & Thesaurarium Regni manet. Nonnunquam tamen & ipsa aliis comitiorum decreto mandatur. Non adeo pridem excogitata est noua ratio comparandæ in defensionem Regni militemq; mercenarium pecuniæ. Rex enim Sigismundus Augustus quartam partem reditum regiorum in eum vsum perpetuo Reipublicæ concessit, quæ pacis tempore in fiscum, in arce Rauensi constitutum, deponitur.

Ecclesiasticorum immunitas.

Quarta reditum regiorum.

Atque hæc de origine gentis Polonicæ, situ terræ, soli vbertate, populis, lingua & moribus, ordinibus ac statibus, magistratibus & vniuersa Reipublicæ forma, belli pacisq; tempore. Nunc Principum siue Regum, & ipsius populi res gestæ strictim percurrendæ.

HISTO-

HISTORIÆ POLONICÆ

Liber Secundus.

LECHVS.

An. Ch. 550.

DIVTVRNO cunctæ Slauicæ nationis consensu celebratur, Lechum & Czechum Polonis atq; Bohemis (qui etiam Czechi lingua Slauica vocantur) Principes præfuisse: ideoq; alterum Polonis, alterum Bohemis nomen dedisse, dubitandum non est. Bernhardus quidem Vapouius etiam certum tempus edidit, quo Polonis Lechus præfuit, nempe circa annum Christi quingentesimũ quinquagesimum, à quo quidem sumendum est initium rerum Polonicarum, propterea quod de vetustioribus gentis Polonicæ temporibus nil comperti habetur. Lechus itaq; primus gentis Polonicę auctor hãc regionem latissimã, quæ regnum Poloniæ complectitur & colendum & habitandum multitudini suorum distribuit: arces & castella opportunis locis muniuit: ipse in vna ex his domicilium fixit, quam sexto à Varta flumine milliario, versus Septentrionem in patentissima planicie, ex rudi & non dolata materia extruxit, eique oppidũ adiunxit, quo esset tamen aliqua hominum circum Principem frequentia, & Gnesno seu Gnesnæ ipsi nomen imposuit, à nido, quem Gniazdo Poloni vocant, paululum deflexo vocabulo: siue quod eo loco, quo nidus auibus, arx illa sibi futura esset: siue quod aquilarum ibi nidum reperisset, indeq; insigne boni auspicii adeptum mansisse, & manere successoribus eius Principibus Polonorum existimatur alba aquila, erecta expansis alis. Sic igitur fundato principatu, Lechus partim Gnesnæ manendo, partim obeundo regnum ius dabat populo æquabile, non ex præscripto legum, quæ nullæ erant, sed ex arbitrio suo, hoc est, ex æquo & bono: vsus moderato imperio, magis pater quam dominus factus illorum, qui fidem ductumq; suum secuti essent. Nec enim facile liber feroxq; populus asperum & iniquum tyrannum aut initio secutus esset, aut postea pertulisset. Reditus tunc & agros peculiares nullos habebat Princeps: sed ei cuncti seminabant & metebant, deq; omnium rerum prouentu ac fructibus ipsi vectigal pendebant. Nam nummus tunc incognitus erat apud Polonos: sed, quo indigebant, permutatione rerum sibi comparabant. Quamdiu vero Lechus regnauerit, quid præclari bello paceque gesserit, quosue liberos post se reliquerit, incertum habetur. Vapouius inter alia scribit, centum quinquaginta ferme annis posteritatem eius regnasse in Polonia, ad annum fere à Christo nato septingentesimum. Cæterum quod Vapouius memorat, maris quoque fortunam Polonos tunc feliciter tentasse, & instructa classe traiectoq; sinu Balthico Rugiam, Fœoniam, & alias quasdam insulas de Danis

Aquila alba insigne Poloniæ.

Principis reditus.

Danis cepisse, & cum ea gente vario marte terrestribus & naualibus præliis dimicasse, ac tandem Duce Vissimiro vno ex Lechi posteris, Syuardum Regem Danorum nauali pugna ab iis profligatum, & pulsum precario regni partem sub annuo tributo recepisse, concessa Polonis Iutia, Scaniaque: filias vero eius duas captiuas, alteram Noruegis, alteram Germanis venditas: filium autem Iarmericum in obsidis loco asseruatum esse: inde Vissimirum Principem captiuis abundantem, duas vrbes maritimas circa mare condidisse: & ex his alteram Vissimiriam de suo nomine, alteram Dantiscum siue Gedanum à deuictis Danis, eoque deductis, appellasse: tandemque Siuardum postea seruitutis impatientem Vissimiro rebellasse, & in pugna occubuisse: filium vero Iarmericum aliquanto post è custodia elapsum nouos motus in Dania concitasse: verum eos à Polonis tunc sedatos esse, vero non videtur esse consentaneum. Nam vt ex Crantzio & Saxone satis constat, Vissimirus hic non Dux Polonorum fuit, sed Vandalorum, qui ea ætate totam Pomeraniam cum hoc, totoq; Megapolitano tractu longeq; aliquid amplius tenuere, & fertur sub annum Christi trecentesimũ quadragesimũ vixisse. Vnde colligere facile est, Gedanum eo tempore nondum extitisse, vix enim verisimile est, tot retro seculis vrbem tam celebrem & maritimam ab omnibus Historicis, qui orbem Arctoum, ipsiusq; vrbes accurate describerunt, istam alto præteritam fuisse silentio. Quin Vissimaria non adeo vetusta est, vt à Vissimiro illo condita fuisse putanda sit, sed potius, vt ex aliis & præsertim annalibus ipsius ciuitatis liquet, à Gunshelmo Comite Suerinensi & Megapolitano, rerum potiente Valdemaro secundo Rege Danorum, circiter annum Christi millesimum ducentesimum quadragesimum. Krantzius hanc historiam ex Saxone sic narrat. Siuardum istum Regem Daniæ primum à Gotharo Rege Sueciæ profligatum fuisse, ideo quod Gotharo sororem suam in matrimoniũ promissam mutata post sententia elocare recusarit. Qua iniuria permotum Gotharum sponsam armis petiisse, tota regione occupata. Vandali, quorum tunc Rex erat Ismarus, animaduertentes, Siuardum à Gotharo in maximas angustias redactum, irruptione in Daniam facta prælioq; commisso Siuardum cæciderunt, filius Iarmericus cum duabus sororibus paruulis præda hostibus fuit, quarum altera Noruegis, altera Germanis, quod venalia quondam solebant esse connubia, prece vendita est, sicq; tota ea à Vandalis subacta fuit. Errori vero huic occasionem præbuisse nominum Ismari & Visimari.

DVODECIM DVCES SEV *Palatini.*

Cum autem stirps Lechi defecisset, ab vnius imperio ad paucorum dominatum traducta fuit Respublica. Nam duodecim Palatini, ex omni procerum numero viri inprimis spectati, diuisa in totidem regiones Polonia, in principes eliguntur, quo suæ quisq; regioni præesset: & Voievodæ, hoc est, duces belli & copiarum vernacula dicti sunt lingua. Et recte quidem illi, atq; è Republica initio initum magistratum gessere: legesq; paucissimas & simplicissimas, vt rude illud ferebat seculum, non in libris, neq; in tabulis, sed in animis hominum atq; in vsu incidere. Sed post aliquanto ad ambitionem versi, dum suo quisq; nutu omnia geri vult, & rem priuatam potentiamque suam augere studet, assentari multitudini, eiusq; licentiam alere, suos quisque per fas & nefas defendere & euehere, terrori esse iis, quos beneuolentia sibi adiungere non posset.

Inde tandem contentiones, simultates, & factiones à studiis partium sunt exortæ, quæ Rempublicam funditus euertere cœperant. Pertæsi igitur malorum Poloni, quæ sub duodecim Palatinorum imperio ipsis incubuerant, ad vnius Principatū respexere, & aliquid de gustata libertate ipsi sibi detrahere, quam perire prorsus volebant. Quamdiu vero horum Palatinorum duraverit imperium, in incerto habetur. Manſit quidem deinceps sub Principibus, manetq; in hanc vsq; diem is apud Polonos magistratus, aliquantum restricta potestate ac iurisdictione ipsorum, habentq; ii principem secundum Episcopos in Senatu regio locum. Cæterum duodecim tunc Palatini fuerunt, vel nouo populi placito, vel vsitato etiam sub Principibus instituto: finibus vero Poloniæ non iisdem perpetuo manentibus, sed accisis aliquando prolatisq; rursus, ne regionum quidem eadem distinctio, nec idem Palatinorum numerus manſit.

Palatinerū dignitas.

CRACVS.

An. Ch. 700.

Abrogato Palatinorum imperio post longam in conuentu Gnesnensi cōsultationem vna omnium sententia ad Cracum Principatus defertur, quod factum esse circa annum Domini septingentesimum Vapouius vult: ideoque quando Lechi posteritas ad eum quoq; annum fere (vt ante dictum est) manserit, non diuturnus fuisset ille Palatinorum dominatus, Siue autem Cracus vnus fuit de Voieuodis illis, siue non: vero propius est, ipsum fuisse Polonum, quam externum. Habebat enim & domicilium apud Istulam tredecim milliaribus à fontibus eius fluminis: vir cum amicitiis, copiis, & facultatibus potens, tum prudentia, animi magnitudine, & iustitiæ, atque integritatis opinione apud omnes ita gratiosus, vt solus dilabentem Rempublicam recte sustinere & recreare posse videretur. Reluctabatur ille quidem diu & multum Reipublicæ curam & administrationem susciperé, præsertim quod & licentia hominum intestinisq; dissidiis perturbata, & externis bellis non leuiter quassata fuit: precibus tamen & contentione multitudinis, amoreq; patriæ victus assensit. Neq; vero fefellit Polonos hoc ipsorum de Craco iudiciū, prudentiæ ac virtuti ipsius datum. Nam hostes patriæ alios fœderibus sibi adiunxit, alios armis repressit, pacatis vero foris rebus, domi licentiam & audaciam perditorum coercuit: iudices priuatarum controuersiarum per loca constituit: vrbem in læua Vistulæ ripa, in loco domicilii sui condidit, ac de nomine suo Cracouiam appellauit, eiq; arcem in colle Vauelo, Vistula eum ab oppido tunc dirimente, felicibus auspiciis superēdificauit, quam regni caput Gnesna relicta fecit. In eo scopulo, cui arx Cracouiensis superimposita est, fertur immanem beluam, quam holophagum siue draconem vocant, cubile suū habentem, viciniam omnem deuorandis pecudibus, iumentis, & hominibus intentam Cracus astu interemisse, cum corpora illi obiiciēda pice, sulphure, & fomite succenso infarciri iussisset, & ignis conceptus viscera beluæ torruisset. Celebri Craci fama permoti Bohemi consanguinei Polonorum, ipsi quoq; sibi eum principem adsciuerunt, vti Dlugosso & Vapouio placet. Sic Cracus cū per multum tempus bene ac feliciter regnasset, obiit tandem, & è conspectu Cracouiæ vltra Vistulam in monte Lassotino, aggesto instar montis tumulo, quemadmodum ipse mandauerat, sepultus est: extatq; in hunc vsq; diem is tumulus, haud procul à delubro, quod diui Benedicti nomine vocatur.

Cracus Polonus.

Cracouia à Craco condita.

Cracus moritur.

LECHVS SECVNDVS.

Curato patris Craci funere, filius eius natu minor Lechus, maiorem (cui Craco nomen erat) per speciem venationis in syluas eductum, incautum occulte interemit, ac fortuito casu eum periisse mentitus, simulatis lachrymis ac luctu honorifice sepelit: principatumque scelerate appetitum, qui maiori natu debebatur, sublato illo suscipit. Verum aliquanto post patefacto scelere, Principatu deturbatus, & in exilium missus est. Alii dolore & conscientia patrati parricidii, cum Diis hominibusque exosus esset, domi eum contabuisse, nullis relictis liberis, aiunt. Vincentius Cadlubcus viuente adhuc patre parricidium ab eo patratum, sed mortuo demum patre, & iam ipso regnante, scelus patefactum esse memorat.

Lechi parricidium.

Lechi pœna.

VENDA.

Tam gratam vero sui memoriam Cracus Princeps apud Polonos reliquerat, vt vtroque eius filio orbati, ad Vendam filiam, quæ vnica superstes erat, Principatum deferrent. Sperabant enim, habituros se esse præstantem aliquem de externis Principem, venustissimæ & prudentissimæ virginis Vendæ coniugio inuitatum. Nec fane fefellisset Polonos opinio, nisi per Vendam stetisset. Nam Ritigerus illustris & potens ea tempestate in Germania finitima Princeps, per oratores suos coniugem eam sibi petiuit: verum illa excelsi & minime muliebris animi virago, negare se alicui esse nupturam: Principem, quam Principis vxorem, esse malle. Orare iterū atque iterum Ritigerus, minasq; adiicere. Vbi frustra se omnia tentare videt, coacto exercitu, armis negatum coniugium atq; principatum contemptu muliebris imperii persequi statuit. Nec segnius Venda cum expeditis suorum copiis aduenienti hosti ad fines regni sui occurrit. Miscere rursus Ritigerus preces cum minis: illa vero exprobrare importunam libidinem armato. Oratores reuersi, eximiam puellæ pulchritudinē & sapientiam, animumq; ad bellum quam ad nuptias paratiorem, renunciant suo Principi. Orant itaque ne se exercitumque suum propter intempestiuum amorem ac cupiditatem suam turpiter coniiciat in periculum, inglorium esse viro cum fœmina certamen, etiamsi exploratam habeat victoriam: ni desinat, relicturos se eum, domumque signis conuersis reuersuros. Ille omnibus tentatis, vbi obstinatos suorum animos, & à prælii dimicatione alienos esse videt, mortem sibi consciuit, cum propter amoris impatientiam, tum quod à muliere sine vllo prælio victus esse videretur. Germani vero ictis cum Venda fœderibus, finibus Poloniæ decesserunt. Lætata hoc successu Vanda, ouans Cracouiam ingreditur, mactatisque quamplurimis victimis, ad extremum ipsa Diis patriis solenni ritu se deuouet, ac de ponte in profluentem Vistulæ, ne quis aduersus casus eius felicitatem contaminaret, sese præcipitauit. Inuentum est postea Vendæ ipsius cadauer: quod vno ab vrbe milliario, editiore loco è conspectu vrbis supra amnem Dlubniam Proceres sepeliuerunt, aggesto itidem, vt patri, tumulo: indeq; subiacens pagus Mogilæ, hoc est, tumuli nomen sortitus adhuc retinet.

An. Ch. 750.

Ritigerus Vendæ coniugium petit.

Ritigerus victus à Vanda.

Vanda se in Vistulā præcipitat.

DVODECIM PALATINI ITERVM.

Vanda fatis erepta, cum nemo regiæ stirpis superesset, commutata est rursus Reipublicæ forma, à duodecimq; iterum Palatinis Polonia cuncta militiæ domiq; aliquandiu administrata esse fertur: donec rursus ad vnum delatus est Principatus, ex mirabili quodam euentu ac stratagemate. Nam cum

Poloni à Pannonibus & Morauis aliquoties profligati, animum à defensione finium suorum desponderent, homo quidam plebeius & aurifex Præmislus nomine coadunata aliquanta voluntariorum militum manu, arte & dolo hostem fudit. Galeas enim & clypeos è tenerioribus arborum corticibus, & quauis alia materia magno numero fabricari curauit, eaq; partim felle, partim lithargyrio extrinsecus illita, noctu è conspectu hostilium castrorum, in extrema sylua in truncis arborum, & in arbustis, tetræq; infixis ramis ita appendit, vt ad exorientem solem obuersa armati exercitus speciem eminus inspectantibus exhiberent. Quod conspicati Pannones contemptu victi sæpe fugatiq; à se hostis, pauci tumultuarie correptis armis, quasi ad certam prædam procurrerunt: Poloni vero interea galeis atque clypeis submotis siue combustis fugã simulauerunt. Siue ergo præcipitato illo tumultuario exercitu in insidias atque concisos, & mox indutis armis ipsorum, reliquos imparatos cæciderunt: siue, dum credunt fugisse Polonos, in secur os illos, & crapula somnoque sopitos Poloni repente irruerunt: Præmisli certe industria singulari illo stratagemate singulariter tunc enituit, opemque patriæ tulit: hostis vero cæsus, & castris omni rerum copia refertis exutus inglorius Polonia excessit.

Præmislus aurifex.

Pannones & Morauii à Polonis fusi.

PRÆMISLVS SIVE LESCVS PRIMVS.

An. Ch. 760.

Ob tam præclarum igitur facinus atque meritum in Rempublicam Præmislus omnium acclamationibus princeps renunciatur, & blandum Lesci nomen, gratiosum apud Polonos, ob Lechi conditoris memoriam, oblatum accepit. Quanquam Vincentius Lesticum ab astu vult appellatum fuisse. Videtur autem Principatus ipsius incidisse in annum Christi septingentesimum quinquagesimum aut septingentesimum sexagesimum, post quem susceptum, in pace moderatum eum in suos gessit. Necausus est quisquam eo viuente Poloniæ fines infestare. Quamdiu vero regnauerit, vbi, & qua morte absumptus sit, non satis constat: liberos quidem post se nullos reliquisse fertur.

LESCVS SECVNDVS.

An. Ch. 804.

Præmisso siue Lesco eius nominis primo vita defuncto, exoritur noua de Principatu contentio: cumque nullus appareret ambiendi modus atque finis, placuit rem fortunæ & sorti committere. Indictus est itaque ad certam diem maculosorum equorum cursus, qui primus ad metam peruenisset, eius dominus Princeps vt esset Poloniæ. Figitur meta ad Prandnicum amnem in aperta planicie ad septentrionalem plagam Cracouiæ. Status curriculo dies adest: effunditur ad spectaculum ingens hominum multitudo, solicita omnium, quem det fortuna euentum, expectatio. Considentdelecti iudices, & munerarii, dant signum certaminis. Ibi Lescus quispiam, competitorum vnus, cum stadium vafro consilio stratis clam in sabulo ferreis acutis stylis, quibus currentium equorum pedes læderentur, impediuisset, primus ad metam obliquo & minime impedito tramite, cæterorum equis in cursu offendentibus, peruenit. Munierat autem is & equi sui calces ferreis soleis, vt si forte cum impetu currens in eos incidisset, non offenderet in stylis: cum omnes omnium aliorum equi de more illius temporis soleas nullas haberent. Illius itaque rei prorsus ignaris omnibus, & miraculo attonitis, iamq; victorem &

Cursus equorum de Principatu.

Lescus dolo victor.

Prin-

Principem, quasi diuinitus sibi oblatum, Lescum acclamantibus, dolus deprehenditur. Protrahitur Lescus in medium, conuincitur, damnatur, concerpitur. Notarant autem commentum illud impediti curriculi, duo quidam iuuenes tenues & obscuri: cum enim, nemine etiam dum præsente, pedestri cursu in stadio illo forte certarent, ioco principatum inter se pacti, offendunt in stylis, subsistunt, inuestigant rem curiosius, notant tramitem stylis vacuum. Eorum alter, equitibus à carceribus procurrentibus, procurrerat & ipse pedester noto iam sibi tramite, omnibus effuso risu eum prosequentibus: omnium vero equis, posteaquam ad stylos ventum erat, cespitantibus, iuuenis ille pedester primus post doli fabricatorem ad metam peruenerat. Eum igitur, Lesco interfecto, Principem populus omnis salutat: &, ne quid ad auctoritatem ac maiestatem ipsi desit, Lescus commutato nomine appellatur. Atque is Princeps factus tam insperato rei euentu, dedit operam sedulo, ne tanto munere indignus iudicaretur: nec modo finitimorum vim & incursiones repressit, sed quibusdam etiam populis vltro bellum intulit. Quantum vero ipsi dabatur otii à bellis & seriis Reipublicæ negotiis, in exercenda virtute ac disciplina militari illud fere consumere: varios ludos & certamina equitibus pariter ac peditibus indicere: certantibus honorifica præmia proponere: ipse arbiter ac iudex præsidere, & pro meritis quenque collaudare. Fuit autem in hospites splendidus ac munificus: in suos cum virtute aliqua præstantes, tum egestate pressos liberalis: adeuntibus quoque facilis & comis, acerque vindex iniuriis pressorum. In victu cultuque corporis singularis erat parsimoniæ: rudibus & crassis pannis aulæorum loco passim vtebatur: nisi si quando in publico dare aliquid splendori & maiestati Principatus, propter externos homines maxime, cogebatur: quin ibi quoque crassos illos suos pannos, quibus ante adeptum Principatum vsus esset, ob oculos sibi poni iubebat, quibus admoneretur fortunæ suæ pristinæ, & vnde ad tantum honoris fastigium esset euectus. Ab ebrietate vero ita abhorrebat, vt pecudi quam homini similiorem esse ebrium hominem iudicaret. His moribus & hac moderatione animi quandiu, quibusue rerum successibus regnauerit, & quomodo vita defunctus sit, itidem atque alia illius temporis, non liquet. Non desunt, qui hunc Lescum interfectum esse scribant in prælio, quod ipse vicinis suis Vngaris ac Slauis ferens auxilium, contra Carolum Magnum Imperatorem, siue ipsius Imperatoris filium nothum eiusdem nominis gessit circiter annum Christi octingentesimum quintum.

Deprehensa fraude concerpitur.

Obscurus quidã principatũ casu adipiscitur.

Lesci studia in pace & bello.

Lesci mors.

LESCVS TERTIVS.

An. Chr. 810.

Lesco huic è rebus humanis sublato, vnicus eiusdem nominis filius successit, non degener à paternis virtutibus: Nam ita se gessit in principatu bello paceque, vt patrem non adæquare modo, sed superare etiam videretur. Multa hic cum finitimis, qui nouitate & humilitate eius generis despecta, nouos ciebant motus, bella gessit: eosque vel perdomuit, vel reuocauit ad officium. Quod si verum est illud, quod de patre ipsius in prælio interfecto dictum est: hic filius interfecti fortasse (vt quidam commemorant) legationem de pace ad Carolum miserat. Suscepit autem Lescus hic liberos complures mares, ex legitima quidem vxore Popelum: è concubinis vero Boleslaum, Barnimum, Bogdalum, Casimirum, Vladislaum, Vradislaum, Otam, Pribislaum, Cieszimirum, Iaxam, Semianũ, Præmislum, Ziemouitũ, Ziemomyslũ, Sbigneum,

Lesci liberi.

Spicimirum, Spicigneuum, Sobeslaum, Vissimirū, & Vislaum. Ex his Popielum in spem principatus liberaliter educatum, successorem sibi viuens designauit: cæteris vero nō prius possessiones attribuit, donec sacramento adacti promiserint ea omnia, quæ pater de Popielo & vniuersa herciscūda sua familia statuisset, rata & firma se hæbituros, nec nouis diffidijs eius regnum turbaturos aut interpellaturos. Quod vbi illi fecerunt, ad hunc modum inter eos partitus est prouincias. Bolęslao quidem natu maximo, Barnimo, atq; Bogdalo Pomerania cessit. Casimiro ac Vladislao Cassubia. Iaxæ & Zieniano Serbia siue Sorabia: Vratislao Rania siue Rugia. Pribislao, Ciessimiro & Otæ obtigit Ditiuonia. quæ nunc Lusatia dicitur. Præmislo, Ziemouito, & Ziemomislao Marchia Brandeburgensis, quæ à Polonis Sgorolecia vocata fuit. Reliquis reliqua eius oræ: in quibus Vislaus Miedzibozum arcem, quæ nunc Magdeburga, Sobeslaus Dalen, quod Daleburgum, Vissimirus in littore Oceani Vissimiriam ædificarunt.

POPIELVS SENIOR.

An. Ch. 815. Lesco itaq; vita pariter atq; principatu defuncto, destinatum à patre Principatum Popielus suscepit, patris auiq; dissimilis, ignauus ac timidus. Qui cum nihil præclari in Principatu gessisset, regiam tantum & domicilium suum Cracouia Gnesnam primum retulit, indeque non multo post Crusuiciam transtulit (cum eam arcem in planicie ad lacum Goplum condidisset) Cuius instituti causa hæc potissimum fuisse creditur, quod homo meticulosi & desidis animi quæsiuit antrum, vbi remotior ab Vngaris & Germanis, & fratribus, à quib. sibi cumprimis metuebat, securius viueret, & à negotijs reipublicæ alienatus indulgeret ventri, & ijs, quæ sub ventre sunt. Sed non diu animi proposito frui concessum ei fuit. Iuuenili enim adhuc ætate, cum aliquot annis regnasset, in morbum incidit, ac paulo post obiit. Fertur autem subinde solitus esse murium deuorationem sibi suisq; imprecari: quo quidem malo filius eius absumptus est.

Mos Popielis execrandi sf.

POPIELVS IVNIOR.

An. Ch. 830. Peracto solenni ritu Popieli funere, filius eius eiusdē nominis patruorum procerumq; voluntate, etiam tum impuber, Principatui inauguratur, omnibus subiectionem ipsi interposito iureiurando promittentibus. Cum pubertatem attigit, suo arbitratu viuere: patruorum monita, quibus eius tutela, vtpote adhuc impuberis & pupilli, demandata fuit, aspernari: cum æqualibus consilia capere: conuiuia compotationesq; largiores cum iisdem frequentare: in lustris, choreis, lusibus & amplexibus puellarum pernoctare: dein crapulæ stupriq; plenus multam in diem stertere: Rempublicam, iudicia, & querimonias hominum negligere: ad res agendas ineptus, ingenio nullo, ac inde omnibus erat despicabilis, vt vulgo Choștek despectus per contemptum appellaretur, cum dissolutos & perditos mores eius facies deformis, rarus in capite & barba pilus magis etiam deformaret. Patrui cum aliis proceribus, dissolutam illam Principis vitam refrenare cupientes, vxorem illi dant eleganti forma puellam, Germani cuiusdam Principis filiam. Sed ne sic quidem de flagitiis & nequitia sua remisit quidquam: imo vero noua crudelitatis & auaritię scelera vxoris consuetudine sibi adiunxit. Nam & auarior factus, decreta, honores, ac magistratus vendebat, & cum virtute ac dignitate non posset, fastu & crudelitate principatū sibi stabilire: & metui à suis volebat, cum amari non mere-

Popieli ætas iuuenilis.

mereretur. Atq; hæc omnia vxore impellente faciebat: quæ degustata semel dominatus, atq; lucri dulcedine, despectaq; viri inertia, muliebri astu imperiū omne ad se transtulerat, maxime cum duobus filiis Lecho & Popielo aucta, mollem viri animum amore sui penitus adstrictum teneret, & perpetuū apud Polonos dominatum suum fore persuaderet. Vnus obstabat scrupulus, patruorum mariti sui gratia & authoritas apud multitudinem, integritate vitæ, morumq; grauitate, ac prudentia comparata. Itaque eos quam maxime potest suspectos, criminibus etiam confictis, apud ipsum maritum reddit: persuadet, illis viuis principatum ipsi certum firmumq; esse non posse. Quem si retinere ipse vellet, & liberis suis relinquere, tolleret è medio patruos. Quibus dictis, facile ægrum atq; timidum viri animum in deteriorem impulit partem: talisq; nefandæ mulieris instinctu necandorum illorum ratio initur. Grauem & periculosum morbum Princeps simulat: patruos neci destinatos accersi eius nomine vxor iubet. Conueniunt sine mora: morbi magnitudinem Princeps gemitu assimulat: finem adesse vitæ suæ diuinitus indicatum asseuerat: vxorem, paruosq; filios ipsorum fidei ac tutelæ etiam atq; etiam commendat. Itaque in eiulatibus, planctibus, & lamentis absumpto die, cum iam ad occasum sol tenderet, Princeps patruos quasi moribundus iam dimissurus, nomine quemque blande compellat, ac in signum amoris circumferri medicatum poculum, paratum ad eam rem, iubet: prægustare se simulat, cæterum spumam tantum, à medio extantem, halitu difflat, potum ne extremis quidem labiis attigit. Cum omnes bibissent ordine, fingit somno se premi, & velle quiescere. Vbi discesserunt, reuerenter salutato Principe, conceptum præcordiis venenum vitalia membra occupat, & subito, de statu mentis dimoti, & furentes maximo cum cruciatu exanimantur. Ibi mulier re statim per exploratores nuntiata, cadauera insepulta proiici mandat. Insidiatos eos vitæ mariti sui, iusta & euidēti Deorum vindicta percussos, repente periisse diuulgat. At non sinit inulta esse diu diuinum numen scelera. Nam ex cadaueribus putrefactis enati mures, inusitatæ magnitudinis, impium parricidam cum scelerata vxore atque liberis fugientem, quoquoversus per aquam flammamque persequuntur: nec claustra prosunt, aut abigentium satellitum vlla præsidia. Ad extremum diffugientibus omnibus, absumptis prius filiis, Lecho & Popielo, deinde vxore, postremus ipse infelix miserabiliter lenta morte ab eisdem depastus est in arce Crusuicia, circa annum Christi octingentesimum vigesimumtertium. Ita non irritæ ceciderunt patris eius imprecationes, qui subinde solitus esset murium deuorationem sibi suisque imprecari.

Popielus patruos veneno tollit.

Mors Popieli, vxoris & liberorum misera.

HISTO-

HISTORIÆ POLONICÆ

Liber Tertius.

INTERREGNVM.

An. Ch. 840. EXTINCTO Popelo cum vxore & liberis, conuenit magna Procerum multitudo Cruſuiciam, ad creandum nouum Principem. Agitata re aliquandiu, eo quod varia eſſent hominum ſtudia, & ambitioſi quidam magnas poſt ſe traherent factiones, infecto tandem negotio diſceditur. Ac dum nemo alteri paret, neque cedit, in ſumma omnium licentia cædes & latrocinia paſſim exercebantur, & iuſtis interdū præliis inter diſſidentes cōcurrebatur. Nec finitimæ gentes, Germani præſertim, occaſionem impune vel proferendorum finium ſuorum, vel prædas agendi prætermittunt: diuexatur miſere Polonia. Indicta iterum ſunt à primoribus comitia: ſed fruſtra ibi conſultatur, vbi non modo non remittuntur, ſed intenduntur etiam partium ſtudia. Non deſunt ſibi interfectorum Popeli ſenioris filiorum filii, quaſi hæreditarium principatum poſcentes: ſed ii, tanquam nothi, repelluntur. Iam tanta multitudo, quæ eo confluxerat, caritate annonæ penuriaque vehementer premebatur, neque tamen apparebat, quorſum tanta contentio euaderet, quique comitiorum exitus futurus eſſet: cum ecce inſperata ſalus afflictę Polonię diuinitus oblata eſt. Erat Cruſphiciæ oppidanus, Piaſtus nomine, Coſſiſconis filius, ſtatura infra mediocrem, craſſis atque robuſtis artubus, mediam ætatem ſupergreſſus, agello modico colendo & mellificio vitam ſuſtentans, homo ſimplex & iuſtus, ac beneficus in egenos, atque hoſpitalis pro modo facultatum ſuarum. Is ex vxore à moribus ſuis nō aliena, cui Repichæ nomen erat, vnicum filium ſuſceperat, eique viuente adhuc Popelo primam comam gentili ritu tonſurus, & nomen impoſiturus, amicos ad eam ceremoniam atque conuiuium, porco mactato, & vaſe aquæ mulſæ infuſo, inuitauerat. Priuſquam ſtata dies adeſſet, forte obtulerunt ei ſeſe ignoti duo homines habitu peregrino: quos ille, cum regia excluderentur, comiter inuitatos, hilare domum ſuam introduxit, menſam inſtruxit, appoſuit affatim ex his, quæ ad futurum conuiuium apparauerat. Ibi res mira & ſtupenda accidit. Accreuit caro porcina, redundauit ex vaſe mulſa, ita vt non ciues modo, verum etiam Principem ipſum (vt tunc minime faſtuoſi ac delicati erant Principes) cum omni comitatu deſtinato conuiuio acceperit. Eiſdem igitur hoſpitibus ſub tempus comitiorum reuenientibus, & iubentibus, Piaſtus ex tenui penu cellaq; ſua conuentum illum omnem penuria laborantem, augeſcente rerum earum, quæ premebantur, copia refecit. Quo miraculo animaduerſo, vulgatoque, vna voce omnes Piaſtum non humanis

Comitia de Principe nouo Cruſt hicta.

Piaſti genus & conditio.

manis ſuffragiis, ſed diuino iudicio Principem ſibi dari conclamant. Fit domum eius concurſus, obſecrantium, labenti vt Reipublicæ ſuccurrat. Recuſat ille: tandem hoſpitibus illis ſuis auctoribus aſſenſus, ita vt erat veſte & peronibus ex tiliæ cortice textis indutus, in regiam à primoribus deducitur. Hoſpites illi, perfuncti officio ſuo, diſparuerunt. Exiſtimantur autem ii fuiſſe Angeli Dei, beneficentiam & hoſpitalitatem etiam in alieno à vera religione remunerantis.

PIASTVS.

Piaſtus inauguratus principatui, non mutauit cum ſtatu vitæ animum. *An. Ch. 842.* Quin auctus copiis, multum ad priſtinam ſuam beneficentiam ac benignitatem adiecit: vxore non modo non dehortante, verum etiam adiuuante. Conquierunt autem ſub eius principatu hoſtium incurſiones, ceſſarunt & inteſtina diſſidia, cædes ac latrocinia, reuerentia magis boni & vigilantis Principis, quam armis, ſeueritate, & ſuppliciis: præſertim quod eum Diis curæ eſſe, & ipſorum non obſcuro iudicio in illa Reipublicæ ſpecula collocatum certo ſibi perſuaderent. Nihil enim æque valet ad religandos atq; deuinciendos hominum animos, & ad moderandas ſtabiliendaſque Reſpublicas, quam religio: quæ pietate atq; integritate Principis maxime excitatur & continetur. His præſidiis Piaſtus & bonis charus, & malis reuerendus, & finitimis venerabilis, longam etiam Principum Regumque Poloniæ poſteritatem per multa ſecula, vſque ad Caſimirum ſecundum, qui Magni cognomen adeptus eſt, propagauit. Porro abominatus Cruſphiciam, nefario ſcelere diroq; interitu Popeli contaminatam, Gneſnam priſci Lechi regiam domicilium ſuum tranſtulit: cumq; per multos annos ſapienter clementerq; regnaſſet, ſenex admodum, annum agens centeſimum & viceſimum mortuus eſt, anno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo primo.

Poſteritas Piaſti.

Piaſti mors & ætas.

ZIEMOVITVS PRIMVS.

Piaſto ſucceſſit vnicus filius Ziemouitus ex Repicha natus, cuius opera vicaria viuens adhuc, & ſenio confectus pater in bellis & grauiſſimis quibuſque negotiis magno omnium fauore & beneuolentia vſus erat: vir impiger, & ad rem militarem factus, æſtus iuxta ac frigoris, laboris & inediæ patiens, ſomni parciſſimus, victu cultuque corporis non multum à gregariis militibus differens, alieni abſtinens, de ſuo munificus, facilitate & liberalitate militum procerumque ſtudia tenere ſolitus: in animaduertendo, ſi quando neceſſe erat, lenis: noctu excubias ipſe per ſe crebro obibat. His artibus atque ſtudiis ſummam ſibi hominum ſuorum charitatem compararauerat. Principatum poſt patrem adeptus, conſtituta primum diſciplina militari, creatoque magiſtro militiæ, & ordinum ductoribus, ad recuperanda ea, quæ Vngari, Morani & Germani ſub Popeli principatu atq; interregno inuaſerant, neque ad eam diem recepta erant, totum ſe conuertit: eaſq; res ex animi ſui ſententia cōfecit, eo quidem minori negotio, quod eæ tunc gentes bellis implicitæ eſſent. Sic igitur proſpere ab ea parte rebus geſtis Ziemouitus à Pruſſis quoque, quæ ii ſuperiori tempore de Polonis occupauerant, bello repetiuit. Tandem Pomeranorum & Caſſubiorum Ducibus, Popieli ſenioris nepotibus & poſteris, qui à patre ſuo defecerant, bellum intulit: quod quidem illi, locorum difficultatibus magis quam viribus freti, diutius extraxerunt: domitique

An. Ch. 861.

Ziemouiti virtutes.

Ziemouiti mors.

mitique ad extremum essent, nisi Ziemouitus rebus humanis Gnesnæ exemptus esset, altero & tricesimo sui principatus anno, circa annum Christi octingentesimum nonagesimumsecundum.

LESCVS QVARTVS.

An Ch. 892.

Magno tam boni tamque bene de Republica merentis Principis desiderio ducti Proceres filium eius vnicum, cui Lesco nomẽ erat, in principatu ipsi surrogant adolescentulum, eique custodes ac moderatores consiliorum primores aliquot adiungunt. Hic cum adoleuisset, quietis potius & otii, quam bellicæ gloriæ fuit amantior, contentus eo, quem à patre per manus acceperat, principatu: quo iuste, continenter, & clementer magna suorum beneuolentia, perfuncto, tandem vita defunctus est anno Christi nongentesimo decimotertio, relicto filio Ziemomisso.

Mors Lesci.

ZIEMOMISLVS.

An. Ch. 913.

Successit Lesco patri Ziemomislus, probus & ipse, lenis, beneficus, hospitalis, & quietis amans, quas virtutes quasi hæreditarias à maioribus suis habebat. Sed non alia re nobilior, quam filio. Nam cum aliquot annis nullos ex vxore susciperet liberos: nascitur tandem ei filius, sed cœcus, quæ res ipsi, breui gaudio delibuto, maioris mœstitiæ causa fuit: præsertim cum vxor vno illo partu edito parere desiisset. Septimum annum puer attigerat, quo prima coma pueris gentili ritu attonderi, & nomen imponi solebat. Adsunt ad celebritatem frequentes Proceres, epulantur cum Principe mœsto, & sortem suam, orbitatis non ita multum dissimilem deplorante, Principis & ipsi vicem dolentes: cum ecce insperata cunctis affulit lætitia. Puer enim absque vlla medicorum, aut cuiusquam omnino ope subito lucem aspexit, quem mater videntem protinus exultans ad patrem in conuiuium adducit. Conuiuæ miraculo attoniti, effuso gaudio sibi & Reipublicæ tantum bonum diuinitus oblatum certatim gratulantur, festum diem largioribus inuitationibus, plausibus, choreis, concentibus, & acclamationibus instaurant. Puero Mieczislao, quasi qui gladio sibi gloriã acquisiturus sit, nomen est inditum: sed is postea à matre & pedissequis blandius, vt fit, Miesco vocatus est. Ziemomislus peracto conuiuio diuinos & ariolos de filii successibus, & quid hoc portenderet, quod is cœcus natus, tanto interuallo videre cœpisset, scisciatur. Respondent illi, Poloniam eius Principatu illustratum iri. Accurate igitur puer, & vt Principe dignum est, iussu patris educatus, ipsi Ziemomislo patri circa annum Christi nongentesimum sexagesimumquartum Gnesnæ mortuo & sepulto successit.

Mieszo nascitur cæcus.

Mieczislai etymon.

Ziemomislus moritur.

MIECZISLAVS PRIMVS PRINCEPS *Christianus.*

An Ch. 964.

Peracto Gnesnæ solenni ceremonia Ziemomisli funere, Mieczislaus filius Principatum suscepit, & iuste quidem administrabat, sed tamen infra spem omnium, diuinorumq; vaticinia: ex quibus præclarum quiddam & eximium de ipso sibi Poloni vulgo pollicebantur. Vxores septem more barbarico duxit: iisque & libidini suæ liberius indulgens, nullos suscepit liberos. Eas tamen postea, cum de religionis Christianæ veritate, & castitate aliquid audiisset, dimisit: Dambroucamq; Christianam Boleslai primi Boemorum Ducis filiam virginem de consilii sententia nouo matrimonio sibi iunxit. Quę postea quam splen-

Christiana religionis apud Polonos occasio.

splendido comitatu Gnesnam aduecta est, Mieczislaus Princeps baptismo, vt conuenerat, ritu Christianorum initiatur, & subsequentibus diebus nuptias magna celebritate peragit, anno Christi nongẽtesimo sexagesimoquinto. Deinde Boemos, qui nouam nuptam deduxerant, honorifice habitos, & splendide donatos remisit: mox totum sese ad propagãdam per omnem principatum suum religionem, hortante & adiuuante vxore, conuertit. Basilicas nouem diuersis locis ædificat, easque supellectili omnis generis pretiosa ornat, censibus & possessionibus locupletat: & in diœceses distributas, duas quidem ex his Archiepiscopis, nempe Gnesnensem & Cracouiensem: reliquas vero, hoc est, Posnanienſem, Smorogouiensem (quę postea Bicinensis, ac demum Vradislauiensis dicta est) Crusuicensem (quæ Vladislauiam post translata est) Plocensem, Culmensem, Lubussensem, & Camenensem, singulis episcopis attribuit, eisq; decimas omnis generis frugum, de suis iuxta ac Nobilitatis, plebisq; agris edicto perpetuo adscribit. Inde inferioris ordinis sacerdotibus ac ministris ecclesiasticis, in sua cuiusq; diœcesi certæ portiones Episcoporũ arbitrio iure sempiterno attributæ. Quibus etiam pagi prædia, & possessiones à Principe & locupletioribus quibusq; adiunctæ sunt. Templa etiam in oppidis & pagis permulta, studio pietatis certantibus inter se omnibus, extructa. His autem rebus perficiendis Ægidius Cardinalis, Episcopus Tusculanus, Ioannis decimitertii Pontificis Maximi, qui per illud ipsum tempus Leoni octauo successerat, legatus præfuit: qui primus Archiepiscopos & Episcopos Italici, ac quosdam Gallici & Germanici generis fecit: cum Poloni rudes adhuc essent, ac nouitii. Additi sunt & inferiores sacerdotes, qui partim socii & consiliarii, partim administri essent Episcoporum: quorum opera, studio atque diligentia religio Christiana celeriter magna cepit incrementa in Polonia: præsertim cum alii muneribus & honoribus à pio Principe, ditionem suam omnem eius rei gratia circumeunte allicerentur, alii minis adigerentur. Dum vero totus est in his Mieczislaus, nascitur ei filius è Dambrouca vxore anno Christi nongentesimo sexagesimoseptimo: cui apud sacrum fontem aui materni Boleslai nomen imponitur: adulto deinde, pater viuens adhuc vxorem accepit Iuditham Geisæ Vngarorum Principis affinis sui filiam, ex priore vxore susceptam. Nam ea mortua, sororem ei suam Adleidam Mieczislaus in matrimonium collocauerat: à qua persuasus Geisa, & ipse cum Vngaris suis Christianam religionem, quinto post Polonos anno, suscepit. Piis autem & quietis consiliis fere principatum suum Mieczislaus, annis triginta quinque administrauit: præter, quod cum Vulodimiro Russorum Duce, ditiones suas inuadente, anno Christi nongentesimo octuagesimoquinto, necessarium bellum gessit, successu quidem vario, euentu vero non satis prospero. Nam Præmisliam, Ceruenũ, & aliquot prętera arces & oppida à Vulodimiro capta amisit. Cæterum quo augustiorem principatũ posteris suis relinqueret Mieczislaus: hortante Senatu, Lambertum Cracouiẽsem Episcopũ, virum doctum & eloquentem, oratorem mittit ad Benedictum eius nominis septimum Pontificem Maximum, vt regium diadema sibi mitteret, Regemque Polonorum se & posteros suos esse iuberet: verum ea res propter certas & iustas causas in aliud tempus dilata fuit. Hoc Principe mos inoleuit apud Polonos, vt homines equestris ordinis in templis, dum sacerdos apud altare pronuntiat, vnde recitaturus sit Euangelium, gladios mediotenus stringerent, quasi profitentes, mortem prius sibi oppetendam, quam à suscepto semel Euangelio &

Mieczislaus baptizatur. An. Ch. 965.

Nascitur filius Mieczislao ex Dambrouca Boleslai, An. Ch. 967.

Mos stringendi gladium in Polonia circa Euangelij recitationẽ.

religionis professione discedendum: choro autem respondente, Gloria tibi domine, rursus reconderent. Fuerunt etiam hoc tempore in solitudine apud Dunaiecium fluuium duo Monachi, sanctimonia vitæ celebres: quorum Benedictus ab Vngaris, quod Christum profiteretur, cæsus: Suiradus post vitam durissime exactam, in monasterio montis ferrei in Vngaria, quo ambo commigrarant, sancte decessit. Mortuus est anno Christi nongentesimo nonagesimonono, post vxorem vero vicesimosecundo, Posnaniæ sepultus. Regnauit trigintaquinque fere annis prospere & feliciter.

Mieczislai mors.

BOLESLAVS PRIMVS COGNOMENTO Chrobri.

An. Ch. 999. vel sec. alios 1000. Boleslai virtutes.

Suscepit paternum principatum Boleslaus summa Polonorum omnium voluntate: quippe quos non indoles tantum eius egregia, nec vulgaris animi magnitudo, summo Principe digna, spe optima implerent: sed rara etiam, quæ elucebat in eo modestia, verecundia, comitas, suauitas morum grauitate temperata, & reliquæ adolescentiã magnopere commendantes virtutes, spem & opinionem de illo conceptam minime fefellerũt. Hic enim Princeps Polonorum nomen regia dignitate, externorum Principum necessitudinibus, & clarissimis rebus gestis vehementer illustrauit: militarem disciplinam auxit: regni fines longe lateque propagauit: religionem stabiliuit & ampliauit: denique feros & agrestes homines ad ciuiliorem aliquanto vitæ cultum redegit. Erat sub id tempus apud Boëmos Pragensis Episcopus Voicechus (qui Adalbertus ab externis appellatus est) vir nobilis, & sanctimonia vitæ, pietatisq; studio clarus. Is cum nihil apud Boemos, in retinendo impio cultu pertinaces, crebris admonitionibus, acribusq; obiurgationibus proficeret: Romam primum, ac deinde impetrato à Pontifice Maximo commeatu: tentatis tamen iterum, an resipiscerent, Boemis, in Vngariam profectus erat: ibique annum & amplius commoratus, Geisa Principe cum vxore fauentibus, Vngaros religione Christiana per interpretem accuratius imbuit: postremo in Poloniam ire perrexit: vbi à primoribus, & cætera multitudine honorifice exceptus, eandem Polonis, quam Vngaris, nauauit operam: vbi etiam mortuo illis diebus Roberto primo Gnesnensi Archiepiscopo, magnis Principis precibus exoratus, in archiepiscopatu successit: sed non multo interiecto tempore, visu nocturno diuinitus admonitus, peregrinationem (ægre dimittentib. eum Principibus) in Prussiam persequitur: Gaudentio fratre relicto pro se Archiepiscopo. Ibi dum religionem Christianam magna cum difficultate & patientia disseminat, à gente barbara & immani, dæmonum & idolorum sacrificulis cum antistite instigantibus, sacrum celebrans, prope oppidum, quod Fisshausum Germani postea dixere, sinus Sarmatici, à barbaris confossus interficitur die vicesimatertia Aprilis, anno Christi nongentesimo nonagesimoseptimo. Cuius corpus postea Boleslaus Rex, dilata in aliud tempus vltione, à Prutenis redemit: & minimo quidem, eo quod appenso in statera corpori, diuina, vt creditum est, virtute id efficiente, pondus sane perexiguum inesset. Tantum enim argenti siue auri, vt alii volunt, barbari pacti erant, quantum corporis pondus adæquaret. Deductum solenni pompa primũ in Tremesnensi monasterio collocauit, post ad Gesnensem basilicam transtulit: diciturque locus ac monumentum ipsius plurimis claruisse miraculis. Qua fama permotus Otto Ruffus, tertius eius nomi-

Adalberti in Poloniã aduentus.

Adalbertus in Prussiam venit.

A Prutenis trucidatur.

nis

Imperator, ab Italica expeditione reuertens cum magno & splendido comitatu, pacatis in Poloniam ad sepulchrum noui martyris venit: quem Boleslaus vti paternum amicum, plus quam regali magnificentia ac libralitate excepit: ac cum aliis amplissimis donis, tum abaco & instrumento mensæ omni aureo & argenteo, quod triduo nouum semper promebatur, aulæisque & vestibus pretiosis donauit. Volens autem, tam splendido hospiti & amico parem referre gratiam, Regem eum appellat, sociumq; & amicum Romani imperii, à tributo & omni iurisdictione Imperatorum immunem: ac diadema suum, Gaudentio Archiepiscopo solennes ceremonias peragente, ipsi imponit: eumque honorem sempiternum ipsi ac posteris eius in Polonia regnaturis esse iubet. His adiungit hospitale munus: vnum de clauis, quibus Christus dominus & Deus noster cruci affixus esse dicitur, & lanceam diui Mauritii: quæ in basilica Cracouiensi, vbi sedes est Episcopi, adhuc visuntur. Vicissim autem brachium diui Adalberti à nouo Rege accepit: quod Romæ in insula ad diui Bartholomæi ædem ab eo postea depositum esse fertur. Et quo arctior firmiorque inter ipsos & posteros ipsorum esset necessitudo, Rixam siue Richsam. Erenfridi Comitis Palatini Rheni filiam, è sorore sua Mechtildi susceptam, Mieczislao Regis filio, puero duodecimum annum agenti, despondet Imperator. Quæ paruula aduecta in Poloniam, & à socru educata, duodecimo demum anno post adulta Mieczislao nupsit. Annus quo hæc acta sunt, & Boleslaus Rex appellatus est, millesimus primus à Christo nato fuit.

Ottonis III. Imp. in Poloniam aduentus.

Boleslaus primus Rex Pol. renunciatus.

Rixæ Mieczislao desponsata.

Boleslaus nouus Rex Duci Boemorum Boleslao propter crebras eius incursiones bellum intulit: eiusq; oppida & arces partim vi expugnauit, partim in deditionem accepit. Morauos tributarios regno suo fecit: Iaroslaum Ducé Russorum anno Christi millesimo octauo fudit: Kiouiam insignem ea tempestate vrbem per deditionem accepit, intactamque thesauro duntaxat Principis in donatiuum militum, & in sumptus belli ablato, Stopelco Duci exuli, Iaroslai fratri restituit. Discedentem iam inde Boleslaum Iaroslaus iterum cum valido exercitu apud Nouogrodiam comparato, ad Bugum amnem consequitur, vbi commisso graui prælio, vrgentibus Polonis, Regeq; & Imperatoris & militis officium faciente, pulsi sunt Russi, tanta suorum cæde, vt Bugus sanguine cæsorum rubuisse dicatur. Victor autem in regnum reuersus vota Deo persoluit: templa complura, sed inprimis Gnesnæ, dotauit ornauitque; Proceres & milites eos, quorum virtus maxime præclaro aliquo facto perspecta erat, pro meritis collaudatos honoribus & præmiis affecit: Chrobri, hoc est, acris appellationem, propter excellentem virtutem & animi magnitudinem, à Russis tributam accepit. Monasterium Secechouiense in Sendomiriensi tractu condidit, conferente patrimonii sui partem Secechо Palatino Cracouiensi, & magistro militiæ, à quo monasterium id nomen accepit. Construxerat etiam idem Rex iisdem monachis aliud monasterium paulo ante Russicũ bellum, in monte Lysecio siue caluo, orante & hortante Emerico Regis Vngariæ filio, viro sancto & casto, qui lubens cum Boleslao propinquo suo vitam degebat in Polonia. Atque is portionem crucis Christi, quam Constantinopolitanus Imperator patri eius Stephano magni muneris loco miserat, quaq; ipse pro amuleto vtebatur, in eo loco reposuit: vbi in hanc vsq; diem salutaria hominibus edi perhibentur miracula. Hoc etiam tempore, atq; adeo ante ipsum Russicum bellum, sex viri religione & sanctimonia vitæ insignes, duram & incultam vitam degebant in illa solitudine maioris Poloniæ, vbi nunc est Calimiria oppidum.

Bellum Bohemicum.

Russicum bellum.

Saxonicum bellum.

Confecto bello Russico, Rex Boleslaus, ne sui diuturno ocio torpescerent, vtq; ea, quæ Poloniæ maiorum suorũ negligentia adempta erant, recuperaret, Saxonibus eo ipso anno bellum intulit. Non multo tempore post hoc bellum quieti dato, aliam rursus expeditionem in Prutenos suscepit, indignã diui Adalberti necem vlturus, & illam quoq; gentem suo adiecturus imperio. Quare per Culmensem tractum (qui Polonicæ ditionis erat) hostiles terras ingressus, agros vastat: Radzinum, Romoue, & Balgam arces nullo negocio capit ac incendit, vicosque & pagos diripit. Pacem postea à Rege petunt & impetrant Pruteni, tributum pendunt, & pensuros se deinceps quotannis promittunt. Dimittit ibi Rex viros, qui barbaram gentem rationem atq; ritus Christianæ religionis docerent: Victor ipse inde recedens, in Ossa flumine ferream columnam ponit, mille passibus à Rogosno oppido: vnde vicina villa Slupi, hoc est columnæ nomen accepit. Biennium ab eo bello quieuit Boleslaus, quo tẽpore multa, quæ ad religionis maiestatẽ, & ad Rempublicã bello domiq; administrandam pertinere videbantur, sapienter constituit. Interim vero optatã pacẽ Iaroslaus Dux Russorum turbabat, & aduersus Boleslaum Regem magno apparatu belli renouabat. Rex igitur non rumoribus modo, sed crebris etiã suorum præfectorum nunciis excitus, contra hostem cum exercitu proficiscitur. Ducebat autem & Iaroslaus ingentes copias Poloniã, si liceret, inuasurus. Veniunt ergo in conspectum apud Bugum amnem exercitus: decreueratq; Boleslaus eo die prælio non dimicare, ob reuerentiam diei dominici: sed magnã in bellis fortuna vim habet, paruisq; interdum momentis permagna fit rerum atq; consiliorum mutatio, vt tunc accidit. Nam pugna inter paucos primum lixas & aurigas, dum adaquant equos, apud flumen, quod castra dirimebat, orta, mox pluribus vtrinque concurrentibus inualuit. Eminus sagittis & iaculis, cominus vero ab audacioribus nonnullis in flumine etiam res gerebatur: cum ecce Polonicus exercitus omnis celeriter armatus fluuium tranat. Committitur itaq; acre prælium: cedere loco hostes, Poloni magis instare: ibiq; dux hostium à suis impulsus, fuga saluti suæ consuluit, & reliqui omnes effuso cursu passim ex acie diffugiunt. Sic autem tum in prælio, tum in fuga concisis ac debilitatis magna strage hostibus Rex pacem dedit supplicibus, tributum modicum imposuit, & captiuos omnes, quos etiam superiori bello ceperat, liberaliter dimisit. Hoc bellum anno post Christum natum millesimum decimum octauum confectum est.

Prussicum bellum.

Russicum bellum iterum.

Pace per circuitum parta, auctoq; & propagato in omnes partes cum laude atq; gloria imperio, Boleslaus Rex reliquum vitæ tempus instituendæ domi Reipublicæ dabat, duodecim ytens consiliariis, quos è tota Polonia probatissimos, & annis iudicioq; graues delegerat: iudicia exercebat: tenuiores, dum litis finem expectant, suo sumptu mensaque sua sustentabat: egenis subueniebat vndique: & pauperibus causam suam agere nescientibus, causidicum de suo data mercede, attribuebat. Nulla autem in re pius hic Rex erat seuerior, quam in contemptu religionis, templorum profanatione, & sacerdotum iniuriis vindicandis: hominibus ecclesiasticis omnium onerum, laborum, & pensionum, Regi & Reipublicæ præstandarum, immunitatem sempiterno iure concessit. Episcopos & sacerdotes ipse colebat, & ab omnibus coli volebat. Arces etiam & præfecturas, atq; omne pene regnum crebro ipse obibat, dicere subinde solitus: malle se gallina vescentem, salutem & tranquillitatem suorũ tueri, quam deliciis indulgentem pati, vt quisquam vexaretur aut opprimere-

Boleslai studia in pace.

tur. Pecuniam contemnebat, omniaq; ad decus religionis, salutem Reipubl. ornamentum templorum, atque ad præmia bene merentium de Republica conferebat. Annis deniq; pariter ac laboribus confectus Mieczislaum filium suum successorem sibi omnium consensu designauit: eique, vt pietatem erga Deum, virtutem, iustitiam, benignitatemque in omnibus colat, Senatoribus suis honorem habeat, ab omnibus amari magis, quam metui studeat, ocium & voluptates tanquam pestem fugiat, moriturus præcepit. Tandem non multo post in morbum incidit, quem vbi inualescere, mortemq; appropinquare sensit, sacris mysteriis ritu Christianorum procuratus summo omnium dolore atque mœrore moritur, & Posnaniæ moderata pompa, quemadmodum viuus præceperat, sepelitur, cum annos viginti quinq; regnasset, vixisset quinquaginta octo. Fuit is annus post Christum natum millesimus vigesimus quintus, tertia Aprilis. Fuit autem Boleslaus statura mediocrem non excedente, oris & corporis totius habitu eleganti, & ad modestiam composito: capillo denso, crispo, nigroque: victu cultuque corporis non neglecto, neq; nimis tamen exquisito. Eius morte vniuersa Polonia, optime de se merito Rege orbata, annum totum in luctu ita fuit; vt neq; conuiuia vlla celebrarentur, neque choreę vsq; agerentur, neq; vestibus cultioribus quisquam nobilium virorum aut fœminarum sese vestiret.

Mieczislaus filius à patre successor designatus.

Boleslai mors & exitus.

MIECZISLAVS REX SECVNDVS.

Curato Boleslai Regis funere Mieczislaus filius ex Iuditha Vngara, tricesimum quintum annum agens destinatum iam prius regnum iniuit. Diadema regium ipsi, & Rixæ vxori eius Archiepiscopus Gnesnensis cum aliis Episcopis solenni ceremonia imposuit die Pentecostes. Inde dies aliquot festis epulis & conuiuiis dantur, spargunturq; in vulgus missilia. Æstate sequenti in Russos, qui morte Boleslai nunciata Iaroslao & Mescislao ducibus rebellauerant, expeditionem fecit, & hos primo aduentu repressit. E Russia reuersus Mieczislaus pleraſq; Poloniæ regiones obit, cum iuris dicendi, tum visendi gratia, filiumq; Casimirum septennem literas doceri curat. Bellum deinde cõtra Boemos mouit, propterea, quod tributum Regi Boleslao quotannis pensum Mieczislao negarãt: regia præsidia vndiq; deturbauerant, interfecerãtq;: Morauiam, quæ tunc in ditione Polonorum erat, inuaserant, ac in potestatem suam redegerant. In Morauiam autem ducto exercitu, Rex Mieczislaus oppidum nullum oppugnatione tentauit: agris tantum & suburbanis vastatis, magnaq; hominum & pecudum præda abacta, domum reuersus exercitũ dimisit. Pomeranis etiam rebellantibus bellum intulit, habens secũ in exercitu Andream, Belam, & Leuentam Vngaros, Ladislai Calui filios, Stephani Regis fratres patrueles: qui, cum Petrus eiusdem Regis sororis filius Stephano morĩte regnum Vngarorũ inuasisset, in Poloniam confugerant. Concurritur itaq; infestis armis: funduntur Pomerani, & in potestatem Regis veniunt: autores vero defectionis capitali pœna afficiuntur. Nam Dux in prælio occubuit. Præclara eo prælio virtus atq; opera Belæ enituit: itaq; generum eum sibi Rex filiæ matrimonio adoptauit, Pomeraniamq; ipsi in dotem dedit.

An. Ch. 1025.

Bellum Russicum.

Bohemicũ bellum.

Pomeranicum bellũ.

Cætera autem, quæ regni fuerunt, Mieczislaus neglexit, nec vnquam ad ea recuperanda, quę amiserat, animum adiecit: verum torpori ac desidiæ se dedit, ac voluptatibus, quæ tactu gustuq; percipiũtur. Aliarum etiam, præter vxorẽ, mulierum consuetudine vsus esse dicitur: vxori tamen mulieri auaræ &

Mieczislai vitia.

impor-

importunæ ita fuit obnoxius, vt eius maxime nutu & arbitrio regnum administraret. Quæ quidem deinceps, cum Rex amentia correptus, sui compos nõ esset, dominatum omnem regium ad se transtulit: quo maius etiam hominum in se & Regem odium concitauit. Moritur haud ita multo post ex morbo illo Miecislaus anno Christi millesimo trigesimo quarto, decima quinta Martii, Posnaniæque sepelitur: homo tardus & hebes, leuitate iuuenili, & iuuenum atque vxoris consilia plerunq; sectatus. Quibus rebus factum est, vt suis atque externis, hostibus pariter ac sociis esset contemptui. Regnauit annis fere nouẽ, vixit quadraginta quatuor. Sunt qui eum in colloquio quodam insidiis exceptum à Boemis, gignendo inutilem redditum, & mox mente captum, non diu patri mortuo superstitem fuisse volunt.

Muliebre imperium.

Miecislai mors.

INTERREGNVM.

An. Ch. 1034. Terræ motus in Polonia.

Vnicum reliquit post se Mieczislaus Rex superstitem filiũ Casimirum: sub cuius ortũ tremor terræ acciderat. Quod ita rarũ & insolens est in Polonia, regione mediterranea, vt magni prodigii loco habeatur, quoties accidit: & tunc quoque habitum sit. Is igitur Casimirus impuber nondum ob ætatem regiam dignitatem & Reipublicæ curam sustinere posse videbatur. Itaq; ex vniuersi conuentus, qui Gnesnam ea de re conuocatus erat, sententia differtur noui Regis coronatio. Interim penes Rixam Reginam pueri matrem regia potestas relinquitur: qua abusa mulier, variis & grauibus exactionibus rusticanos homines, tam regios quam Nobilitatis magis ac magis premebat: nouas rationes cogendæ pecuniæ exquirebat: Polonos despicatui habebat: Germanos suos in consilium adhibebat, hos ad honores ac magistratus euehebat: hos diuitiis & possessionibus augebat. Indigne hæc ferebant Poloni, orabantq; Reginam vt, quorum armis ac sanguine regnum defenderetur, eorum maiorem quam externorum, quamque suæ cupiditatis rationem duceret. Multa Polonos Principibus suis vltro concedere & indulgere, asperioris dominatus insuetos esse: externis hominibus, in quibus aliquid modo ingenii virtutisq; sit, maiorem quam gens vlla habeat, honorem habere: sed posthaberi se in patria sua, dignisq; indignos præferri non oportere. Cæterum vbi vident, orando apud Reginam se nil proficere, fremebant inter se vulgo: atque adeo palam etiam loquebantur, non ferendum esse viris tam graue ac contumelioſum externæ mulieris imperium. Contemnebant vicissim iussa Reginæ, & regias possessiones ac reditus nonnulli inuadebant: comparabantur factiones, & omnia dissidiis ac seditionibus plena erant. Regina ergo verita, ne in tanta licentia, & irritatis in se hominum animis, maius aliquod in se malum redundaret, consilium fugæ cum filio ac Teutonibus suis clam init: regium fiscum, in quo cum preciosę res multæ, tum duo diademata Regis & Reginæ erant, compilat. Regno excedens, in Saxoniam se contulit: ab Imperatore Conrado, oblatis ei magnis muneribus, & inter ea duabus coronis è Polonia asportatis, Salfeldum, vti vult Vapouius, seu Magdeburgum & Brunsuicum oppida cum suis territoriis vel emit, vel dono accepit. Casimirus quoq;, vbi pulsam matrem videt, in Vngariam ad Stephanum Regem propinquum profugit, dein post Stephani mortem in Saxoniam ad matrem peruenit: cuius voluntate Lutetiam, vt ingenium honestis disciplinis excoleret, profectus est: inde post aliquot annos visa obiter Italia, & Romualdo Abbate sancto, Cluniaci in Benedictinorum monachorum sodalitatem se dedit, monasticam vitam professus. Discessu Reginæ

Rixa regnũ administrat, sed eo abutitur.

Rixa fugit ex Polonia.

Casimirus fit monachus.

ginæ & Regij filij, quasi lymphatico furore Polonia cuncta exagitatur: miscentur omnia cædibus mutuis: latrociniis viæ publicæ infestantur: incenduntur pagi atque oppida: tumultuatur: collatisq; signis inter ciues ac proceres concurritur: &, vt quisque audacissimus est, ita grauiora quoque non veretur patrare flagitia ac scelera: ita maximam perditorum hominum manum cogit, aliena inuadit, veteres possessores possessionibus deturbat: trucidantur passim diuites & locupletes patresfamilias, liberi eorum eliduntur. cæsorum coniugiis atque bonis interfectores per vim potiuntur: stuprantur honestæ virgines ac matresfamilias. In tanta vastitate & confusione, agrestes quoque à laboribus & agricultura feriati, in patronos ac dominos suos insurgunt: in Nobilitatis excidium conspirant: veteres nonnullorum iniurias & oppressiones, concepto in illos odio, omni crudelitate summaq; acerbitate vlciscuntur. Neque sacrorum ministris, ac ne ipsis quidem templis, aris, ac sacris parcitur: & in pristinam barbariem atque impietatem Polonia, abiecto veri Dei cultu relapsura esse videbatur. In latebras sese abdebant Proceres & Episcopi, eratque miserabilis vndique rerum facies. Nihil vsq; tutum: nihil cuiquam proprium: nemo mali exors erat.

Status Poloniæ turbulentissimus.

Maslai pocillatoris regij conatus.

Per hoc etiam tempus Maslaus, siue Masos, qui pocillator Regis Mieczislai fuerat, vir potens & audax, dominatum inter suos in tractu Plocensi arripuit: confluenteque ad eum vndique magna hominum multitudine, permagna potentia auctus, ei oræ, quam dominatu complexus est, Masosſiæ siue Masouiæ nomen dedit. Ad hæc mala domestica accedebant hostiles incursiones à Iaroslao Duce Russiæ, & Prædislao Boemorum Principe. Istis igitur tam sæuis tempestatibus totos pene sex annos iactati & fatigati Poloni, acerbiora etiam, extremumque tam florentis dudum regni naufragium metuentes, remittunt nonnihil de intestinis dissidiis: condonant sibi mutuo priuatas offensas: cogitationem de Republica suscipiunt: comitia Gnesnam indicunt. Ibi de summa Reipublicæ consultatur. Et inter omnes quidem conueniebat, Rempublicam, nisi ad vnum rursus deferatur Principatus, saluam esse non posse. Quemnam vero potissimum deligant, variabant sententiæ: nonnulli reuocandum esse Casimirum, optime de ipsis meriti Boleslai Regis nepotem, censebant: alij negabant, quod metuendum esse dicerent, ne is paternam ignauiam ac maternam auaritiam imitatus, vniuersa perderet: neue memor iniuriæ, crudelis vltor & acerbus tyrannus in ipsos existeret. Sed cum de Proceribus ac ciuibus neminem deligi placeret, externi vero Principes ij, qui erant finitimi, partim hostes essent, partim impares tanto oneri iudicarentur, partim etiam domesticis malis atque dissensionibus laborarent: vicit tandem ea sententia, quæ Casimirum, vbi vbi sit, quærendum, placandum, & reducendum esse censebat. Iuuenem esse, & facie liberali, nec sane crudelis patris filium: facile veniam daturum culpam deprecantibus: indolem vero eius omnia meliora, quam de patre matreq; policeri: adhæc autem calamitate & exilio, non ad ocium & nequitiam, sed ad industriam & modestiam eruditum esse.

Comitia & consultatio de Republica.

Casimirus reuocatur.

Oratores igitur delecti primores viri ad reuocandum eum, luculento viatico & amplis muneribus publice contributis instructi, ad Rixam in Saxoniam proficiscuntur: ei dona dant: in quo statu sit res Polona, ad quidue ipsi veniant, supplici & miserabili oratione exponunt. Illa implacabilis mulier, aspernari preces: exprobrare eiectionem suam: insultare malis miserorum:

Oratores missi ad reuocandum Casimirũ.

rum: negare filium postulata ipsorum facturum esse, ipsorum scelere eo rē dactum, vt calamitatis tædio, exiliique pudore in Gallias secederet, Cluniaciq; monasticæ vitæ sese addiceret. Hoc accepto à Regina responso, oratores Cluniacū recta contendunt: inueniunt Casimirum mutato nomine Carolum, nō modo professum religionem, sed iam Diaconum: deprecantur culpam exilij eius, quæ tamen penes Reginam fere fuerit: orant, respiciat afflictam, & pene euersam patriam: suscipiat paternum & auitum regnum, ab extremo interitu vindicandum: in eo solo spem Polonorum sitam esse: quasi decidāt, funditus se periisse. Respondet ille modeste obortis lachrymis: exilium suum non ipsis, verum arcano Dei iudicio, & nonnulli fortassis parentum suorum culpæ se imputare: casum dulcissimæ patriæ, quam sui maiores florentissimam reliquissent, miserari: sed alieni iam se iuris factum esse: datam semel Deo atque iis, quorum potestati se subiecisset, fidem fallere non posse. Mœsti hoc responso legati Abbatē monasterij adeunt, eadē illa orant: muneribus animū eius mollire conantur. Ab eo ad Pontificē Maximū reiiciuntur. *Oratores Poloni Romam profecti.* Sed ne eum quidē itineris laborē atq; molestiam defugientes, Romam pfecti, magna diligentia importunisq; precibus tandem à Pōtifice Maximo Benedicto eius nominis nono impetrant, vt Casimirus monachus & diaconus, professionis & sacramenti religione solutus, ad regnum maiorum suorū redeat, ac vxorē ducat. Pro hoc Polonis, quo beneficium sedis Apostolicæ agnoscant, iniunctum, primū vt de singulis capitibus, exceptis Nobilibus siue equitibus, & qui sacris addicti sunt, quotannis obulus vnus in lucernam perpetuo in æde diui Petri Romæ arsuram pendatur: qui etiamnum sancti Petri nummus dicitur. Deinde præscriptum est, vt omnes Poloni rotunda in morem monachorum tonsura capillorum vtantur, nec vltra auriculas ritu barbarico quisquā omnino comam promittat: festis solennibus, dum sacra peragūtur, vt singuli equites fasciam lineam candidā in modū stolæ, qua in sacris vtuntur sacerdotes ac diaconi, è collo suspēsam ferant. Suscipiunt nō grauatim leges Pōtificis oratores, & Poloniam oēm ad seruanda hæc obstringunt. *Poloniā à Pp. iniunctā onera.*

His rebus ex sententia confectis, curriculo Cluniacum repetunt cum mādatis pontificiis: atq; inde porro læti Casimirum reducentes ad Rixam matrē, ita volēte ipso, diuertūt. Ea cū frustra reditū filio dissuadere conata esset, ad Henricum deinde Imperatorem adeunt, orant, vt diademata, quæ Rixa è Polonia sublata Conrado patri ipsius donarat, propinquo Regi reddat, eūq; auitum socium & amicum Romani Imperij tuendum ac defendēdum suscipiat: Bohemum Ducem ab inferendo Polonis bello cohibeat: & ad reddēda, quæ superiori tempore abstulerat, cogat. Non difficilem se in iis, quæ petebantur, Henricus præbuit. Nam & coronas reddidit, & sexcentorum equitū præsidium Casimiro deducendo addidit: & de Bohemo, cum quo bellū tunc gerebat, curæ sibi fore promisit. Igitur auctus comitatu Casimirus, & plenus bonæ spei, salutato Imperatore, in Poloniam pergit. Cum autem Poloniæ fines attigisset, effusa obuiam hominum omnis generis, ætatis, atque sexus ingens multitudo officij gratia, læta ac tripudians Regem suum tantopere expetitum excipit, ac reduci gratulatur: certatim omnes præteritorum veniam & obliuionem supplices petunt. Ille lachrymans & ipse, comiter eos consolatus, suspicione culpæ metuq; supplicij liberat. Quicquid factum sit, non sine diuino nutu factum, pro suis & maiorum suorum meritis. Adesse iam se, quem alio vitæ genere deditum, & in eo acquiescentem, tanto studio expetis- *Casimiri reditus in Poloniam.*

sent

sent ac reuocassent, salutem omnibus, & non perniciem cuiquam adferentē. Confidere autem se vicissim, ipsos omni fide ac beneuolentia cōplexuros se esse, boni ac vigilantis Principis officio fungentem. Ita densissimis, lætitiaque exultantibus hominum cateruis præcedentibus & subsequētibus Gnesnam honorificentissime deducitur, septimo, posteaquam regno excesserat, anno.

CASIMIRVS PRIMVS, REX POLONIÆ Tertius.

Restitutus igitur in paternum regnū Casimirus, vicesimum sextū annum agens, & summa omnium ordinum gratulatione lætitiaq; Gnesnæ de more inunctus & coronatus, legatis externorum Principum gratulātibus, celebritatemq; eam cohonestantibus, benigne & sapienter respōdit, eosq; liberaliter donatos dimisit. Mox ad Reipublicæ vulnera sananda animū adiecit: pacē publicam inter ciues grauibus edictis sanxit, & quoniam ex tāta rerum perturbatione, obducendam potius afflictæ Reipublicæ cicatricem, quam acerbis quæstionibus & iudiciis vulnus refricādum esse existimabat, vetus Athenienſium exemplum imitatus, præteritorum quidem obliuionem edicit, restitutis modo in suas possessiones iis, quibus per vim ablatas esse constabat: in posterum vero eis, qui se vi, cæde, latrocinio non abstinuissent, oēm spem veniæ præcidit: in paucos contumaciores, qui à consuetis rapinis ægre rece debāt, ad terrorem cæterorum, nō sine moderatione tamen, animaduertit. Rebus domi maxima ex parte bene cōstitutis, ad externa circumspicit: & vt debilitatas regni vires externis auxiliis confirmaret, simulque vt posteritati suæ consuleret, amplissimi Senatus suasu & regatu cum Iaroslao Russorum Principe fœdus & affinitatem init, sorore eius Maria filia Vlodimiri, ex matre Anna Basilij & Constantini Imperatorum Constantinopolitanorum sorore, vxore cum ampla dote ducta: quam ingēti pompa Cracouiam aduectam iuxta ac exceptam, Gnesnam deduxit: Græcorum schisma abdicantem, ecclesiæ catholicæ reconciliauit. Reginam solenni ceremonia fecit: & pro Maria Dobrogneuam appellauit. Iaroslaum affinem iure omni, q; pater auusq; suus in Russia habuere, donauit: societatem tantū, & auxilia cōtra quosuis hostes pactus. Quibus auxiliis, itemq; sexcentis Germanis equitibus, quos præsidij sui causa ex Germania secū adduxerat, fretus, insequenti æstate Masouios infesto exercitu adoritur. Nec segnius Maslaus, non parua suorū manu raptim coacta, aduenienti Regi occurrit, protinusq; pugnæ copiam facit: Prussorū quos in societatem belli asciuerat, auxiliis nō expectatis. Fit acre pīlium, hinc iusta ira, illinc veniæ desperatione pugnāte. Franguntur tādem, funduntur q; Masouiorum acies: dant manus victori Regi. Dux ipse & autor belli Maslaus nihil sibi tutum fore inter suos ratus, ad Prutenos fugit: ab his simul & à vicinis Slonēsibus & Iazygibus facile nō modo auxilia, sed validos exercitus cōtra Regem impetrat, quod ipsorum rem agi diceret. Nō quieturum enim esse Regem se victo, quin ipsis quoque arma inferret: & nō tantum tributum, quod pendere desiissent, exacturum, verum etiam graues pœnas rebellionis ab ipsis sumpturū esse. Tuerētur libertatē, in quam se asseruissent: cogitarēt, nō eas iam Polonorū vires esse, quæ Boleslai regno floruissent, quibusq; ipsi debellati essent: magnā vim hominum partim externis bellis, partim intestinis cædibus exhaustam esse; qui superstint, quiue maxime bellicosi sint, eos fere secum sentire: & partim aperte id profiteri, partim clam consilia cōmunicare:

An. Chr. 1041.

Amnestia sancita.

Fœdus & affinitas cum Russis.

Vxor Casimiri Regina coronatur.

Masouticū bellum.

nicare in Regem non optime animatos esse, quippe qui ocio & superstitioni in monasterio imbibitæ deditus, militaribus hominibus minus indulgeret. Se quidem cum paucis non tam iusto prælio superatum, quam inopinantem oppressum, non incruentam tamen hosti victoriam reliquisse: ipsos tantis pollere copiis, vt Poloniam omnē nullo negocio possent subigere, afflictam præsertim atque laceram, vt tunc esset. Ad hæc ipse etiam de suo ingentibus pollicitis eos onerat: nec difficulter homines barbaros ad societatem prædæ magis, quam belli, quemadmodū videri volebat, allicit. Erant autē Iazyges siue Slonenses populi inter Poloniam, & Russiam, atque Prussiam medij, in extrema Lithuaniæ ora habitantes, acerrimi & bellicosissimi fuisse memorātur, donec à vicinis attriti, & ad extremum deleti sunt. Per id tempus Casimiro Regi Boleslaus filius natus est anno Christi millesimo quadragesimo tertio.

Casimiro natus filius Boleslaus.

Æstate insequenti Maslaus cum ingentibus barbarorum copiis in fines Masouiæ ingressus, facile eam recepit: carebat enim præsidiis & munitionibus. Nec multo post Casimirus de aduentu hostium certior factus, adest & ipse, auctis numero & robore militum superioris anni copiis. Venientem apud Vistulam Maslaus spei & animorum plenus operitur: conferuntur propemodum castra castris. Rex vbi copias hostium suis longe maiores videt, concidere animo: pœnitere præsentis fortunæ ac regni: pristinam monasticæ vitæ quietem ac tranquillitatem animo requirere. His curis atque cogitationibus fatigatum sopor opprimit. Ibi per visum diuinitus recreatus & cōfirmatus, postero die pro concione militibus visum exponit, & repletos fiducia diuini auxilij, alacres in aciem educit. Nec hostes pugnam detrectarunt. Canunt signa: clamor vtrinque attollitur: nusquam deest suis Regis prouidentia & adhortatio, vt duce Deo certam victoriam amplectantur. Ferunt conspectum esse in aere iuuenem augusta specie corporis, veste candida, candido equo insidentem, & in hostiles turmas vexillum inferentem. Nec mora, terga vertunt barbari: instant acrius regij fugientibus: fit strages maxima. In eo prælio cæsa feruntur hostium quindecim millia, capta duo: ex regiis pauci saucij, pauciores desiderati sunt. Rex inter primos hostem fugientem persequens, vociferando cædendoque lassus, & cruore respersus, semianimis propemodū à gregario quodam milite in castra relatus est: quem postea militaribus affecit præmiis, & in equestrem ordinem retulit. Cæterum Maslaus ex fuga perpetuo cursu in Prussiam contendit: vbi ab ipsis cognito euentu prælij excarnificatus, in crucē actus est: insultantibus, vt alta teneret, qui alta petiuisset. Sic mali consilij autor male periit. Ab hoc prælio Masouia penitus in ditionem Regis reuenit: quæ & nomen semel acceptum in hanc vsque diem retinet, quamuis mutatis deinde finibus. Prussi clade suorum permoti, & veriti, ne statim sibi Casimirus victricia signa inferret, missis legatis culpam rebellionis deprecantur: Regi se & sua subiiciunt: tributa debita persoluunt, ac deinceps quotannis soluturos se esse recipiunt. Ita pax eis data est, & captiui dimissi. Rex altero filio Vladislao auctus est.

Prussicum bellum.

Casimiro nascitur alter filius Vladislaus.

Pacato per circuitum regno, Casimirus memor pristinæ conditionis, & vitæ monasticæ, victoriamque contra Maslaum atq; barbaros diuino beneficio acceptam referens, Cluniacum, vbi monachus fuerat, legationem cum amplis muneribus mittit, benignitatem erga se Dei prædicat: sodalitati vniuersæ se suosque commendat: aliquot monachos ad se mitti postulat, qui se-

ætæ illius quasi colonias quasdam in Poloniam deducant. Mittuntur itaque duodecim monachi, quibus partim Tineciam arcem vno à Cracouia milliario supra Vistulam, cum centum amplius pagis, partim Lubensum oppidum ad Oderam situm, cum compluribus itidem pagis & prouentibus aliis attribuit: domicilia monachis extruxit, atque templa, eaq; perampla supellectili ad cultum diuinum apta ornauit. Fuit autem primus Abbas Tinecensis Aaron Gallus, cuius integritas & pietas Cluniaci adhuc Casimiro perspecta erat. Atque is deinde Rachelino sexto Archiepiscopo Cracouiensi mortuo, à sacro eius basilicæ collegio postulatus, septimus successit Regis fauore adiutus. Multa item alia Casimirus Rex fecit & instituit, quæ ad religionis & reipublicæ instaurationem pertinere existimabat: pace perpetua post Maslaicum bellum fatigatam superioris temporis malis Poloniam, mirum in modum recreauit, eoque instauratoris pacifici cognomen meruit. Suscepit autē Casimirus ex Dobrogneua vxore liberos, mares quidē quatuor, Boleslaum, Vladislaum, Miesconem & Ottonem: fœminam vero vnam Suentochnam. Ex his Otho puer admodum, viuo patre: Miesco adultior iam, octauo post patrem anno, rebus humanis exempti sunt. Cum autem decimumoctauum Casimirus regnasset annum, incidit in grauem morbum: quo mēsem vnum afflictus, vbi finem vitæ suæ adesse sensit, Proceribus liberos commendat, & sacramentis rite procuratus religiose & tranquille quarto Calendas Decembris extremum vitæ clausit diem, & magno omnium mœrore Posnaniæ sepultus est, anno post Christum natum millesimo quinquagesimo octauo. Mortem eius cometes portenderat. Fuit autem Casimirus procera statura, forma liberali, bona & vegeta corporis habitudine, capillo denso, promissa barba, comptus & elegans: literis mediocriter eruditus, primus quidem inter Reges Poloniæ: in pupillos & viduas clemens & beneficus: in ecclesiasticos homines in primis propenso animo: erga omnes comis, lenis, & benignus: denique in omnibus rebus agendis Dei timorem maxime ob oculos habere solitus.

Monachi Benedictini Cluniaco acciti in Poloniam.

Casimiri Regis liberi.

Casimirus Rex moritur.

BOLESLAVS SECVNDVS COGNOMENTO Audax, Rex Poloniæ Quartus.

Conuentu apud Gnesnam acto, summa omnium voluntate & applausu ad Boleslaum Casimiri filium natu maximum, solenni ceremonia regnum & diadema defertur, cum quod ætati is honor habendus esse existimaretur: tum quod is adolescentulus etiam tum singulari industria, liberalitate, animi magnitudine, laudis ac gloriæ studio præditus, ad res maximas gerendas factus, & regno dignissimus esse videretur. Ad eum primis tribus annis tres illustres exules cum confugissent, magnam ei materiam sequentium bellorum præbuerunt. Ij vero fuerunt: Izaslaus Princeps Kiouiensium, Iaroslai Dabrognauæ Reginæ fratris filius: Bela Dux Vngariæ, Andreæ Regis frater, & Iaromirus Præmislai Bohemorum Principis filius: quos omnes Boleslaus auxiliis iuuit. Vratislaus ergo Boemorum Princeps permoleste ferens, receptum ex fuga fratri suo Iaromiro in Polonia patere, veritusque, ne quid ille noui contra se Polonorum fauore & auxiliis fretus moliretur, cū infesto exercitu in fines Poloniæ ingressus est: Silesiam fere omnem populatus, igni ferroque vastauit. Quo nuncio ad se perlato, celeriter Boleslaus tumultuaria manu hosti occurrit, & inopinantem in sylua quadam assecutus,

An. Chr. 1059.

Bohemicū bellum.

reficere corpora & iumenta suos festinatione defatigatos iubet, postera die hostem aggressurus. Bohemus Regis aduentu cognito, neque dimicare cum Polonis, quorum vires non nosset, quosque locorũ peritia adiuuaret, tutum sibi esse ducebat: & manere eum diutius in loco, penuria rerum omnium nõ sinebat: tum autem verebatur, ne succisione arborum, vel ab agrestibus receptu prohiberetur. Itaque fugæ consilium cepit: à Rege fallendi causa colloquium in posterã diem petiit, quasi de admissis satisfacturus, & secunda noctis vigilia relictis impedimentis, & paucis infirmis, maioribusque ignibus, quo facilius excubias Polonorum frustraretur, accensis, silentio suos eduxit, & festinus fugam arripuit. Postero die Boleslaus, vbi hostem effugisse animaduertit, dolore atque ira percitus, aliquot dies eum persecutus est, nec tamen assequi potuit: sed extremos tantum agminis, debiliores ac lassos excepit. Inde protinus in Morauorum fines diuertens, villas, vicos, & oppida incendit, multosq; mortales nil eiusmodi metuentes in agris oppressit, & magnam prædam abegit. In sequentem vero annum maius bellum parabat.

Pax inter Bohemos & Polonos affinitate sancitur.

Quod vbi Vratislaus cõperit, cum hostiles vires, tum suorum proditionem & fratrum insidias metuens, de pace per communes amicos agit: & quod alio spectabat Boleslaus, facile impetrat, his quidem legibus, vt damna Polonis illata sarciat, & sororem Boleslai Suentochnam tertiam vxorem ducat: alteram enim anno superiori defunctam amiserat. Suentochna ad sponsum non multo post à primoribus Bohemis accita ac deducta, & nuptiæ magno splendore celebratæ. Iaromirus autem Poloni Regis & reliquorum fratrum opera in gratiam cum Vratislao rediit, & Pragensis, deinde vero Olomucensis Episcopus non sine iniuria alterius factus est. Per id tempus Aaroni Archiepiscopo vita defuncto, cũ episcopa ob discordiam sacri collegij toto biennio vacua fuisset, tandem Lampertus cognomento Zula Polonus successor electus est. Nec tamen is pallium de more à Pontifice petiuit. Inde igitur in posterum Cracouia Archiepiscopum habere desiit.

Prussicum bellum.

Sub idem tempus Pruteni contemnentes Boleslai Regis adolescentiam, & quod cum Bohemico bello distineri sciebant, rebellarunt. Pomeraniam finitimam transmisso flumine Vistula excursione repentina populantur: arcem Grodecum, quo se cum præda recipiant, muniunt, inde crebro in adiacentes oras Poloniæ nemine prohibente grassantur. In eos igitur Boleslaus, pace cum Bohemis facta, exercitum duxit: Grodecum oppugnare adoritur, verum difficultate expugnãdi eius deterritus, eo quod natura munitus esset locus, egregieque à Prussis defenderetur, soluit obsidionem, in qua plusculum temporis frustra consumpserat: fremensque, quod syluis & paludibus, & munitione illa sese tenerent hostes, nec vllam pugnandi copiam facerent, & se alio festinantem distinerent, arte sibi domandos esse, quos aperto marte non posset existimauit. Reducere se exercitum simulat: cæterum in insidiis latebat. Pruteni abiisse hostem rati, è latebris prodeunt & in Poloniam excursionem facere parant. Quod cum Boleslaus ab exploratoribus cognouisset, exercitum ducit in hostem alacer. Priusquam ad hostem veniretur, transmittendus erat Ossa fluuius, qui Poloniam à Prussia dirimit. Hunc primi armati incunctanter ingressi, pondere armorum, & altitudine aquarum, quæ imbribus tunc forte excreuerant, absorpti sunt. Cæteri exuti armis & loricis, quæ magni ponderis fiebant antiquitus, minori periculo tranarunt: hostesque securos & nil tale suspicantes opprimunt: & ingenti strage concisos in potestatem suam redigunt.

Vngaricum bellum.

Prussicum bellum excepit Vngarica expeditio: nam Boleslaus Rex Belæ exulis, & vxoris eius amitæ suæ precibus fatigatus, & profugientium ad eos Vngarorum multitudine, clandestinisque nonnullorum procerum, fidem & studia sua Belæ deferentium, legationibus motus, neque prætermittendam sibi esse tam præclaram gloriæ comparandæ occasionem iudicans, reducere propinquos instituit: ac tribus agminibus, Belam in suo comitatu ducens (vxor enim & liberi in Polonia manserant) Vngariam ingreditur. Venientibus adiungunt se complures Vngari, ita vt quartum ex ipsis agmen conficeretur. Nec cunctantius Andreas Rex hosti aduentanti ad Tibiscum siue Tissam amnem, qui è Sarmaticis montibus ortus in Danubium influit, occurrit: magnas Vngarorum copias, maioraque Germanorum & Bohemorum auxilia ducens. Cum enim bellum cõtra se à Bela & Polonis parari intelligeret, miserat Salomonem filium in Germaniam ad Henricũ tertium Imperatorem, & ad matrem ipsius Agnetem: quæ siue socrus, siue auia Salomonis erat: à quibus Salomon nõ contemnenda auxilia, ducibus Guilhelmo & Botho, acceperat: à Bohemis item alia, quibus Vratislaus ipse Princeps præerat. His ergo viribus fretus, trãsmisso Tibisco acies instituit: neq; Poloni pugnam detrectarunt. Cõcurritur infestis armis, & aliquot horis dubio marte, & incerto euentu pugnatur. Ad extremũ cedunt loco Andreæ copiæ. Ibi Vngari, qui cum Andrea Rege erant, premi suos, & Polonos vrgere conspicati, ad Belæ partes trãseunt: nec diutius Germani & Boemi, deserti & proditi ab Vngaris, impetum Polonorum pariter & Vngarorum sustinuere. In fuga oppressi sunt multi, capti item non pauci, & in his Vratislaus Princeps, & Germanorum duces. Rex vero Andreas longius fugiens, tandem ad portas Mosonienses comprehẽsus ab Vngaris, & male tractatus in sylua Boconiensi vitam finiuit. Magna eo prælio virtus & solertia Boleslai extitit. Post hãc victoriam Boleslaus Belã Albæ regiæ in sede regia collocauit: ac victorem exercitũ præmiis ab eo & Vngaris affectum domũ reduxit. Procerũ deinde suorũ suasu, vxorẽ duxit præstanti forma virginem, Visseslauam Russorum Principis cuiusdam filiam vnicam, ad quam hæreditas paterna pertinebat. Tantisper autem quieuit à bello Vngarico, & à nuptiis, quantum sat erat ad apparatum belli Russici, ad quod summo studio & omni cogitatione incumbebat.

Boleslaus Rex ducit alteram vxorem.

Bellũ Russicum.

Oratio Boleslai ad milites.

Paratis omnibus, coadunatoque ad constitutum locum omni exercitu, in hãc sententiam apud milites in cõcione verba fecisse memoratur. Nõ ignoratis milites, compluscules iam annos Izaslaum cognatũ nostrum, principatu suo paterno iniuste pulsum, apud nos exulare: eiq; restituendo nos hãc operam dare existimatis. Nec sine fallimini. Debemus hoc propinquitati: debemus humanitati. Quin ita hoc natura comparatum est, vt afflictæ Principũ fortunæ, Principes quamuis alienos maxime ad misericordiam moueant. Sed nobis hic nos etiam ferimus, milites. Scitis, quantum nobis imperium, quam amplam gloriam maiores nostri reliquerunt, &, vt alios prætercam, Boleslaus quidem proauus meus imperium hoc nostrum Boristhene, Albi, & Sala fluuiis, Sarmaticis montibus, & Germanico Oceano: gloriam vero nominis Poloni iisdem pene, quibus orbis terrarum clauditur, finibus terminauit. Nunc quanto nostro cum dedecore & imperium hoc accisum, & gloria obnubilata sit, quis nescit? Equidem vix teneo lachrymas, quod ad patrem auumque meum hæc infamia inprimis attinet. Tametsi patrem ve-

stra

» ſtra excuſat iniuria,& affl ctę nimium interregno vires: auo veniam, niſi ſim
» ipſe ignauiſſimus, dare non poſſum. Verumenimuero eam labem à genere
» noſtro detergere, Ruſſiam regno huic rurſus adiicere, columnisque Boles-
» lai (quem ego vt nomine refero, ita & factis referre cupio) imperium no-
» ſtrum terminare, mihi in animo eſt. Quod vobis placere debet, milites,
» niſi forte à virtute maiorum veſtrorum degeneraſtis. Atque maiores qui-
» dem noſtri gentem hanc, ſibi prius incognitam, adierunt, vexarunt, de-
» bellarunt. Nos iugum excutientem, & quidem domeſticorum noſtrorum
» malorum, non ſuarum virium fiducia non vlciſcemur? non ad officium re-
» uocabimus? niſi forte vbertas ſoli illius admiranda, hominum ingens opu-
» lentia & ex rerum copia ortus luxus ac mollicies, ab hoc bello vos deterrent
» milites. At ego, nobiſcum hæc omnia, contra ipſos facere iudico. Quin iſta
ipſa inprimis ad ſpem opimæ, & luculentæ prædæ nos inuitant. Plura dicere
parantem, clamore interpellant vniuerſi: duceret quo vellet, bono omine:
ſe impigre ſecuturos, & imperata facturos eſſe. Hinc magnam pecuniæ vim
inter milites, vt quemque ſuperioribus bellis meritum eſſe nouerat, aut v-
ſui ſibi deinceps fore ſperabat, diſtribuit. Sic animatis & optima ſpe impletis
militibus, inſtructa acie triplici, Ruſſiam ingreditur: propterea quod cre-
debat, hoſtes mox ad prælij dimicationem venturos eſſe. Et aderat quidem
ad Bialogrodum Viſſeslaus Dux cum non contemnendis Ruſſorum copiis:
verum explorata Polonorum multitudine atque apparatu, Poloſcum pau-
cis conſciis fuga contendit. Exercitus quoque, cognita ſui Ducis fuga, nul-
la interpoſita mora diffugit. Trepidare tota Ruſſia, Kiouienſes deditionem
facere velle, ni metuant iratum Izaslaum, quem principatu eiecíſſent: im-
plorare Stoslai & Vuſseuolodi opem: ni adſint, exuſturos ſe eſſe vrbem, & in
Græciam cum coniugibus ac liberis migraturos. Bono eos animo Stoslaus
& Vuſſeuolodus eſſe iubent. Ipſi legatos ad Izaslaum fratrem mittunt, o-
rant, vt parcat ciuibus atque patriæ, dimittat exercitum, Kiouiam recipiat
ſupplicem: Viſſeslaum Poloſco ſeſe continentem, non iam de victoria, aut
Kiouia, verum de ſua ſalute eſſe ſolicitum. Neminem præterea ipſi aduerſa-
turum. Quod ſi dolorem exilij ex animo delere non poſſet, ipſe de ſontibus
ſupplicium arbitratu ſuo ſumeret: Polonis patriam, vtcunque de ſe meritam,
in ſeruitutem atque prædam ne daret. Cogitaret quam male olim Stopolco
ſucceſſiſſet, quod exul per coſdem Polonos reſtitutus eſſet. Ad hæc Izaslaus
de Boleslai ſententia nihil aliud, quam periculum ſe facturum eſſe, quam ve-
re illa de Kiouienſibus dicerentur, quaque illi voluntate in ſe eſſent, reſpon-
dit. Mouet Boleslaus exercitũ propius Kiouiam, & Meſcislaum filium Izaslai
cum expeditis aliquot turmis ad vrbẽ præmittit. Is intromiſſus, cum oppor-
tuna loca præſidio occupaſſet, auctores ſeditionis paternique exilij ſeptua-
ginta comprehẽſos partim necat, partim excæcat. Patri & Boleslao Regi pa-
catas eſſe res Kiouiæ renunciat: contenderunt ij tamẽ eo pacato agmine. Ve-
nientibus tota ciuitas ad ſeptimũ milliarium obuiam effuſa eſſe dicitur. Dies
ea fuit ſecunda Maij. Rex reſtituto in paternum principatum Izaslao, partem
exercitus cum eo contra Viſſeslaum miſit. Atq; is fuga elapſo Viſſeslao, nul-
la mora Poloſco potitus eſt, filiumq; Meſcislaum, & non multo poſt eo mor-
tuo, alterum Suentopolcum, ſiue, vt Ruſſi habent, Stopolicum Michaelem
cum præſidio ibi reliquit: ipſe cum Polonis Kiouiam reuertitur. Rex diſtri-
buto in æſtiua, ac deinde in hyberna exercitu, ipſe cum delectis æſtatem at-
que

que hyemem illam Kiouiæ peregit, amœnitate loci ac deliciis vrbis, & mulie-
rum venuſtate, teneritudine, ac lepore admirando captus. Præbuit autẽ Izas-
laus vniuerſo exercitui per omne id tempus alimẽta & veſtes, inſuper & Re-
gem perquam honorifice, & exercitum pro meritis remuneratus eſt.

Exacta hyeme mature Boleslaus ex hybernis mouit, & in Præmislienſem *Præmisli-*
tractũ, iniurtane prouocatus, an quod ea paterna eſſet vxoris ſuæ hæreditas, *enſe bellũ.*
an vero ſola proferendi regni cupiditate ductus, non conſtat. Ac minoribus
quidem oppidis, quæ erant in itinere, primo aduentu potitus eſt: cæterum
Præmislia à ſeptentrionali quidem latere, qua ipſe veniebat, Sano fluuio, qui
è Sarmaticis montibus haud ita lõge à Tibiſci fontibus oritur, à reliquis ve-
ro foſſis & aggeribus munita erat, & à magna præterea multitudine hominũ
vrbanorum ſimul & agreſtium atque nobilium, qui ex agris eo ſe cum fami-
liis ac facultatibus ſuis receperant, defendebatur. Adhæc, ab vno latere arx
oppido imminebat, in edito loco ſita, & validis mœnibus turribusq; expug-
natu, vt illa ferebant tempora, perdifficilis. Rex igitur cũ fluuium, nequic-
quam prohibentibus Ruſſis, vado ſatis alto trãſiſſet, oppidum ſumma vi op-
pugnat: nec ſegnius defendũt Ruſſi, & crebris eruptionibus, abundãte mul-
titudine, Polonos oppugnationi intentos adoriuntur: ſed reprimuntur, mag-
naq; cæde in oppidum repelluntur. Poſtremo vim Polonorum diutius ſu-
ſtinere ſe poſſe diffiſi, deſerto oppido, in arcem ſe receperunt. Rex oppidum
ſumma rerum omnium copia, diuitiisq; refertum, quarto, poſteaquam op-
pugnare cœpit, die captum, in prædam dat militibus: arcem, quia difficilis
eſſe videbatur eius expugnatio, propter multitudinem defenſorum, neq; cõ-
trucidari ſuos volebat, corona obſedit ſperans, fame ſitiq; breui ſe eam ſedẽ-
do in poteſtatem ſuam redacturum eſſe: equites peditesq; quoquoverſus pa-
bulatum mittit, commeatum quamplurimum in caſtra cõportare, villarum
incendiis abſtinere iubet. Ipſe diſpoſitis cuſtodiis obſeruabat, ne quid ad ob-
ſeſſos importaretur, neue ij libera è flumine aquatione vterẽtur. Nullas enim
arx intus perennes habebat aquas. In magna difficultate, obſtinatis tamen a-
nimis, obſeſſi obſidionem ſuſtinebant: donec fame ſitique enectis iumentis, 53
& peſte in homines graſſante, deditionem extremo æſtatis tempore fecerunt,
vitam, & quæ ſinguli vno onere ſecum efferre poſſent, pacti. Rex arcem dedi-
tam, quantum poteſt, reficit & adornat, in eaq; hyemem ſequentem cõmo-
ratus eſt, exercitu in hyberna diſtributo. Fuit hic annus à Chriſto nato mil-
leſimus ſexageſimus nonus.

Eo tempore, cum Bela Rex Vngariæ tertio regni ſui anno camerę ruina in
villa quadam afflictus, paulo poſt obiiſſet: Salomon Andreæ filius ab Hẽrico
quarto Imperatore affine ſuo in Vngariam validis copiis reducebatur: quo
cognito, Geiſa, Vladislaus, & Lãpertus Belę fil j, nil præſidij ſibi in fluxa Vn- *Bela Regis*
garorum ſuorũ fide fore rati, ex Vngaria in Poloniam exceſſerant: & Craco- *Vngar filij*
uiam recta contendentes, à Vladislao Regis fratre & Regina comiter ac be- *fugiunt in*
nigne accepti ſunt, Rege tunc apud Præmisliam cũ exercitu moram trahen- *Poloniam.*
te. Cumque hybernaturus is eſſe in Ruſſia referretur, Geiſa relictis Cracouiæ
fratribus, illuc ad eum venit, opem eius implorans. Quem Boleslaus comiter
conſolatus, cogitare ipſe ſecum, ac deinde cum conſilio caſtrenſi conſultare,
quid faceret: propinquoſne exules atq; ſupplices, intermiſſo Ruſſico bello re-
duceret, an hoc prius cõficeret. Ac conſilium quidem in eam fere inclinabat
ſententiam, vt Ruſſiam prius pacandam domandamque, & alienam rem

posthabendam esse censeret. Cæterum Regi placuit, nõ esse differendã expẽditionẽ in Vngariam, donec Salomon regnũ suum stabiliret, Germanorũq; auxilia accerseret. Igitur æstate ꝓxima, cum iam matureſcerẽt ſegetes, Boleslaus Rex relicto Præmisliæ, quantum satis esset, præsidio, in Vngariam cum reliquo exercitu & Belæ filiis, superatis montibus, qui Poloniam & Russiam ab Vngaria diuidunt, contendit. Confluxit statim ad ipsos non paruus Vngarorum numerus. Salomon Rex, vbi de aduentu hostium cognouit, Buda regia vrbe relicta, Mosonum arcem munitissimam se recepit, eo quod inops ab externis auxilijs, parum præsidij sibi contra patrueles in Vngarorum suorum viribus atq; fide esse existimaret. Ibi Episcopi medios sese interponunt: Belæ filios orant, ne se patriæ parricidio contaminent: pacẽ deinde inter eos & Salomonem, nõ abnuente Boleslao, qui ad intermissum Russicum bellum festinabat, cõponunt his conditionibus: vt Belæ filij regium honorem cum duabus partibus regni Salomoni permittant, ipsi tertia, Ducumque nomine contenti sint. His rebus magna omnium lætitia confectis, Boleslaum cum exercitu, datis de publico amplissimis muneribus, dimittunt.

Expeditio Vngarica.

Reuertens autẽ Præmisliam Boleslaus, reperit Izaslaum principatu Kioviensi iterum à fratribus prætextu cõtrouersorum finium illato bello eiectũ. Itaq; æstate, quæ consecuta est, in Volynienſium fines infestum duxit exercitum. Ad Luscum primum castra ponit, arcẽ vi capere nititur: vbi sæpius res tentata non succesſit, animi dubius deliberat, quid faciat. Et ad Kioviam quidem prono ferebatur animo: itaq; iudicabat, ea recepta facile cæteras eius oræ munitiones deditionem facturas esse: verum relinquere post se hostẽ integrum, & cæteris Russis horum exemplo animos ad reſistendum addere, nec consultum, nec tutum fore arbitrabatur. Itaq; obsidendo ad deditionem adigere, quos expugnare non poterat, statuit. Obsessi sex propemodum menses, vim & obsidionẽ cum sustinuissent, ad extremum freti benignitate Regis pactiq; liberũ cum rebus suis discessum, arcẽ dedunt. Ibi Gregorius siue Igorus Dux, qui oram illã ditione tenebat, diffisus munitioni reliquarum arcium, missis primum ad Regẽ legatis, deinde ipsemet veniens imperata se facturum ꝓmisit, obsides dedit, pacẽ impetrauit. Anno sequenti ad Kioviam mouit castra Boleslaus: obuium sese ipsi offert Vusseuolodus cũ valido exercitu, è suis iuxta ac fraternis ditionib⁹ collecto. Nã Stoslao fratre mortuo, principatũ eius sibi adiunxerat: & ij q. Lusci, Vuladimiriæ, & Chelmæ in ꝑfidiis fuerãt, dimissi, ad eũ fere sese receperant: eoq; inuitum multa suadẽdo & orãdo impulerãt, vt prælio cum Polonis de summa rei decerneret. Rex q̃ inprimis cupiebat adeptus, acies contra inſtruit: milites paucis cohortatur, vt optatã conficiendi illius belli occasionem, ab hoste præter spẽ sibi oblatam, clabi è manibus ne sinerẽt: & extremum illum eius conatũ desperatione magis, quam spe vincendi susceptum, fortiter retunderent: eundẽ esse qui prius ad manus venire nunq; ãusus esset: & ex iis militibus fere collectũ, qui victi prius, ac vel fuga elapsi, vel deditione facta dimissi à se essent. Si ipsi viri esse pergerent, penitus debellatum iri ea victoria, nec nisi præmia belli, & ea quidẽ ampliſsima ipsis reliqua fore. Quod si quid eos paululum fefelliſſet, cogitarẽt, in hostico se esse: ne eos quidẽ quieturos, quos pacatos à tergo reliquiſſent, vt sunt Russorũ ingenia mobilia. Adniterẽtur, ne fortuito, ſed ſua virtute ac fortitudine superiores victorias adepti esse viderẽtur. His dictis & clamore, crepituq; armorum alacritatẽ significãte vniuerſo exercitu, canere ſigna iubet. Cohortẽ & Vusse-

Russicum bellum inſtauratum

Oratio Regis ad milites.

uolodus ſuos, fortiter vt ꝓ patria, pro liberis, ꝓ coniugibus, pro parẽtibus, pro aris & focis, pro libertate deniq; dimicarẽt: ex eius ꝑlij euẽtu vel lætiora omnia deinceps, ſi viciſſent: vel ſi, q̃ abſit, victi eſſent, durã ſeruitutẽ, ſummamq; miſeriam expectarent. Cõgrediuntur infeſtis armis & animis inſtructæ acies: incaleſcit pugna, & magis quiſq; vt hoſtẽ feriat, q̃ vt ictum ipſe declinet, dat operã. Adſunt vbiq; ſuis Duces: iamq; premi & cõturbari Poloni cœperãt in dextro cornu hoſtium clamore, fugere noſtros vociferantium, magis etiã conſternati: cũ Boleslaus laborãtibus ſubſidium ſubmiſit, & nõ modo pugnã reſtituit, ſed etiam hoſtilẽ aciem ꝓfregit & cõuertit. Perturbatis ordinib⁹ fugiunt Ruſſi: Vuſſeuolodus, vbi aliquãdiu ſuos nequicquam reuocauit, in fugã ſe & ipſe cõiecit. Ita plena, nec incruẽta tñ victoria Polonis obtigit. Multi namq; ſaucij in caſtra relati, mille propemodũ deſiderati ſunt. Boleslaus aliquantũ recreato ab ea pugna exercitu ad Kioviam cõtendit: quã cum primo impetu capere nõ potuiſſet, oportuno loco caſtrametatus, oppugnauit vrbẽ iterum atq; iterũ, ſed nullo operæprecio, imo vero non minimo ſuo detrimẽto. Nã etſi locus neq; ſitu, neq; opere admodũ munitus erat, ſed tñ acriter cũ ab vrbana multitudine, tũ ab iis, qui è prælio dudum fuga elapſi eo ſe receperant, defendebatur: nec à viris modo, ſed à mulieribus etiam atq; pueris, Poloni mœnia ſubeuntes eminus, atq; è ſuperiori loco iaculis omnis generis vulnerabãtur. Omiſſa igitur oppugnatione, obſidione vrbem, multitudine hominum abundantem premere ſtatuit, diſpoſitisque in oẽs partes cuſtodiis, commeatu oppidanos prohibet. Quod quidem facile fuit, longum proſpectũ quoquouerſus præbente planicie, in qua Kiouia ſita eſt. Nec multo poſt cũ anguſtiore annona vti cœpere obſeſſi: veritique, ne extrema pati cogerentur, & ad extremũ in poteſtatẽ hoſtium venirent, culpã & neceſſitatem deprecati, vrbem dedunt. Boleslaus ingrediens in portam vrbis ferro intactam, gladium vibrauit, q̃ proauum item ſuum feciſſe acceperat: oppidanorum autem facultates atque corpora capitali edicto à militum vi, iniuriis, atque rapinis tutatus eſt. Qua clementia eius atque animi moderatione moti oppidani, ingentia dona vltro ipſi accumularunt: ea Rex pleraque omnia inter milites virtutis ergo collaudatos pro meritis cuiuſque diſtribuit.

Victoria Boleslai de Ruſſis.

Pacata Ruſſia, vectigalia magna non ſolum pecuniæ, ſed & omnium rerũ ad victũ cultumq; corporis pertinentium inſtituit. Izaslaum ſummæ rerum præpoſuit. Is porro filios ſuos, Stopolcum quidẽ Polocenſib⁹ & Nouogrodienſib⁹: Vuladimirũ Smolẽſciis: Iaropolcũ vero Viſſegradẽſibus præfecit. Rex quo magis imperiũ ſuum in Ruſſia ſtabiliret, & quo diuti⁹ notis iã ſibi antea Kioviæ deliciis ac voluptatibus perfrueretẽ, hyemẽ illam ibi manſit. Ibi robur exercitus Polonici illecebris opulentæ, luxurioſæ, & Græcorum commerciis corruptę ciuitatis elanguit, diſciplina militaris licentia diſſoluta, & ille victor multarum gentium exercitus, deuictæ vrbis laſciuia, libidinibus, & flagitiis victus eſt: ita, vt ei vinci magis propemodum, quam vincere expediuerit. Etenim plurimorũ, maximorumq; malorũ, quæ Poloniam poſtea implicarunt, hæc victoria cauſa & origo fuit. Nã dum illi Kioviæ nulla ſe nequitia & libidine abſtinent, vxores eorum & filiæ domi relictæ, nõ ferentes tam diuturnã virorum abſentiam (iam .n. ſeptimum forte annum in Ruſſia & Vngaria militantes domibus aberant) tũ aut libidinib⁹ eorum, q̃ crebris nuntiis ad ipſas perferebantẽ, & iniuriis irritatæ, flagitiis viciſſim viros & ꝓpinquos ſuos pleraq; vlciſcũtur: nonnullarũ etiam pudor & cõſtantia partim blãditiis, & falſa-

Ruſſia Polonũ facta vectigalis.

extinctorum virorum persuasione corrumpitur, partim vi expugnat, iusta diuini numinis vindicta atq; permissu. Præclarum tunc muliebris pudicitiæ exemplũ in Margaretha Nicolai Zembocij Comitis vxore extitit: quæ grassantem passim impune flagitiosorum iuuenum licentiam metuens in turri templi Zembocienſis, vno à Prossouia milliario, cum duabus sororibus per multum tempus latuit, familia per funem alimenta ipsi subministrante. Hæc vbi viris in hyberna renunciata sunt, fremere multi, ad quos illa pertinebãt, & indignari, commeatumque domos visendi à Rege petere. Sed vel non admissi ad Regem, vel superbius repulsam passi, clam pauci primum sese subduxere, deinde plures paucorum exemplum secuti, ipsi quoque discesserunt, ita vt pauci cum Rege remanerent. Quos etiam Rex raptim cum reliquis cõsequitur, veritus, ne Russi mutatis animis, despectaque Polonorum paucitate, opprimendi sui consilium inirent. Posteaquam vero peruenit Cracouiam, conceptam animo in desertores iram, in apertum profert: à quibus fugæ initium ortum erat, eos capitali pœna afficit: in cæteros autem bonorum confiscatione, aut diuturno carcere animaduertit. Sæuit & in mulieres, quæ culpæ affines esse videbantur, quibusque misericordia & indulgentia virorum pepercerat, & quidem inaudito modo. Abstractis enim & abiectis infantibus, quos è stupris & adulteriis enixæ erant, catulos ad earum vbera admouisse dicitur. Adhæc vulgus atq; plebem nouis & grauibus exactionibus premebat: ius non dicebat, nec iniurias tenuiorum vindicabat: impeditus consuetis voluptatibus, fœdisque & abominandis libidinibus, de quibus nil remittebat. Quin Christina nobili fœmina, à Mescislao marito abducta, palam per adulterium abutebatur.

Boleslai sæuitia & scelera.

His commotus (vt decuit) Stanislaus Cracouiensis Episcopus, vir pius & nobilis cognomento Scezpanouius, videnſq;, iniurias & exempla regiorum flagitiorum ad multos pertinere, Regem adit, & semotis arbitris blande admonet, orat & obsecrat, vt illis moribus & corruptelis finem statuat, ne quod grande malum sibi, suisque, & vniuersæ Poloniæ accersat. Peccata per se esse maxima, longe tamen maiora in Rege, quam in priuato homine: cũ ea quoque, quæ in aliis leuia sint, in eo qui loco & honore eminet, grauissima esse videantur: propterea quod vltro hominum sese oculis ingerant, & plurimos secum malo exemplo in præceps detrahant. Quo sublimior & fortunatior sit, hoc maiore vitæ puritate & innocentia eum niti, Deique beneficentiam agnoscere oportere. Ni faceret, metueret, ne diuina vltione de summo gradu in imum deturbaretur, neu denique falsas ac momentaneas voluptates diris sempiternisque cruciatibus commutaret. Hæc dicta Rex iniquiori animo pati, & ira odioque inflammatus conuiciis & maledictis optimum antistitem incessere: quærere, quo pacto auctoritatem eius eleuaret, libertatemque linguæ comprimeret: neq; tamen quicquam eiuscemodi in vita ac moribus Stanislai, quod oportunum esset crimini aut reprehensioni, comperiebat. Emerat forte Stanislaus pagum Petrauinũ in tractu Lublinẽsi à Petrico quodã Nobili, qui accepto precio iam obierat: priusquam Stanislaus de iure suo sibi ecclesiæque suæ, cui pagum illum adiungebat, cauisset. Ea de re Boleslaus Rex monitus, Petrici agnatos iubet de hæreditate interuersa Stanislaum in ius vocare. Quod illi insperati commodi spe adducti faciunt. Forte tunc iudicia, quæ vulgo colloquia & generales termini vocantur, in pratis inter Soleciam & illud ipsum Petrauinum in papilionibus, vt mos erat antiquitus,

quitus, à Rege exercebantur. Comparet Stanislaus citatus: emisse se pagum, & soluisse precium bona fide affirmat, testibus eius rei nonnullis citatis. Qui cum à Rege deterriti, testimonij dictionem subterfugerent, ibi Stanislaus non tam de pago retinendo, quã crimine depellendo anxius, triduj dilatione à Rege impetrata, Petrauinum contendit: vbi peracto cũ sacerdotibus piis ieiunio, Deique ope inuocata, fama est detectum Petrici putre cadauer pedo tactum, magna fiducia exsurgere eum à mortuis in nomine Dei patris, filij, & Spiritus sancti iussisse. Surrexit ille, ad eam vocem quasi è somno expergefactus, & à Stanislao manu deducitur ad tribunal regium. Coram quo & reliquis adstantibus Petricus, venditi pagi precium omne se accepisse fassus fertur, Regem ac propinquos, quod innocenti viro litem mouissent, increpans. Ita inuito Rege causam vincit Stanislaus. Nulla Regis emendatione subsecuta, iterum atque iterum monitus est, acriusque obiurgatus ab eodem Stanislao, adhibitis etiam secundum præceptum Christi grauibus aliquot viris, furere, cædemq; minari ipsi cœpit. Nec remissius Stanislaꝰ, vbi nõ resipiscere Regem animaduertit, graui anathemate eum percellit: vetat sacra fieri tota vrbe, quo ille detestatione & conuicio populi, qui sacris arcebatur, ad saniorẽ mẽtem reuocaretur. Ipse per pontẽ Vistulæ ad D. Michaelis ædem in rupe prærupta supra Vistulam è conspectu arcis sitam, ad faciendã rem diuinam clam cum paucis sacerdotibus commeabat. Quod vbi Boleslaus, à suis certior factus, cognouit, quadã die correptis armis cũ compluribus asseclis & satellitibus eo contendit. Præmittit, qui Stanislaum sacris vacantẽ ad destinatam necem ab ipsis altaribus abstrahant. Quos ferunt introgressos, subito & insolito fulgore perculsos, supinos cecidisse: inde manibus pedibusq; reptãtes se proripuisse. Idẽ aliis à Rege submissis accidisse. Ille moræ impatiens, & furore percitus, increpita satellitum ignauia & formidine, ipse stricto ense in templum irrumpit, lethaliq; ictu sancti viri verticem ferit, ita vt cadens, cerebro parietem proximum aspergeret. Ibi satellites cohortati se mutuo, corpus humi procumbens templo extractum minutatim concidunt, morem gerentes furori regio, & in subiectis pratis, canibus, & volucribus laniandum disiiciunt. Dies quo hæc patrata sunt, fuit octauus Maij, Anno Christi 1079.

Rex Boleslaus diris deuotus à Stanislao Episcopo Crac.

Stanislai cædes.

Hæc vbi Romæ nunciata sunt, Põtifex Maximus Gregorius eius nominis septimus, atrocitate rei commotus, toti Poloniæ sacris interdixit, Boleslaum diris deuouit, regnumq; ipsi solenni ritu abrogauit. In posterũ quoq; ne quẽ Episcopi Regem iniussu suo vngerent & coronarent, edixit. Qui vero socij sceleris Regi fuissent, eos simul & posteros eorũ vsque ad quartam propaginem, à sacerdotum & omnium magistratuum ecclesiasticorũ functionibus alienos esse iussit. Erant autem satellites ij nobilibus & honestis familiis orti. Regnauit tamen postea Boleslaus annum & amplius, sed inuisus omnibus, & externis etiam contemptibilis: ita vt iam Russi ab eo subacti, imperium eius detrectarent. Conspirarunt deinde in necẽ eius nobiles & proceres nõnulli: qua conspiratione detecta, veritus, ne ad plures ea etiam pertineret, in Vngariam cũ filio Mieſcone, & paucis comitibꝰ fugit: à Ladislao Rege Geisæ fratre, qui cũ patre à Boleslao in Vngariam reductꝰ erat, comiter & honorifice acceptꝰ est: mansitq; apud eum aliquandiu. Verũ exagitante eum indies magis ac magis patrati sceleris conscientia, acerbo & infatigabili scelerum carnifice, amentia correptus, mortem sibi ipse conscisciuit, anno post Christũ natum milleſimo octuageſimo primo: qui quidem æstu & siccitate insignis fuit.

Polonia sacris & regio nomine interdictũ à Pp.

Boleslai fuga in Vngariam.

Boleslai interitus.

Sunt qui volunt, eum in venatione concito equo efferatiore, in auias syluas delatū esse, canibus consequentibus: excussumq; ab iis discerptū ac deuoratum. Alij eum clam omnib⁹ errabundum inter Alpes ad monasterium quoddam, siue id ad Oenipontem, siue ad Villacum situm sit, peruenisse, ibique latentem, quisnam esset, post multos labores in coquinæ ministerio vltro & pœnitentia commissi parricidij susceptos & exhaustos, vitā finiisse produnt. Sarmcius in suis annalibus commemorat, sepulchrū eius inueniri in Carinthiæ quodā cœnobio Ossiæ non procul à Feldkirchen oppido, vbi post ante dictos exantlatos labores monachus vixit; nec prius à sodalitio agnitum, quā post mortem inter supellectilem ipsius repererint literas quasdā, quibus maximæ res continebantur, & alia insignia regalia: tunc velut stupefacti vehementer mirari cœperunt, eiusque corpus summa reuerentia sepelierunt, superque caput statuam marmoream instar equi ephippia gestātis collocarunt, addito hoc epitaphio seu inscriptione: BOLESLAVS REX POLONIÆ, OCCISOR SANCTI STANISLAI EPISCOPI CRACOVIENSIS. Fuerat autem futurus hic Rex clarissimus ac felicissimus: si fortunam perpetuo cœptis suis adspirantem ferre didicisset. Verum secundis rebus elatus & insolens, animo suo minus, quam oportuit, moderatus est. Constituxit autem Boleslaus viuens, & dotauit Mogilnense monasterium, in eoque Benedictinos collocauit. Audacis & liberalis cognomen viuo inditum, mortuus etiam retinuit. Regnauit annos ferme duos & viginti, cum decimum sextum annum nondum egressus regnare cœpisset.

VLADISLAVS PRIMVS, COGNOMINE HERmannus, Ethnarcha siue Princeps Poloniæ.

An. Chr. 1082.

EXacto Rege Boleslao, priusquam ex motu illo Respublica sese colligeret: Russi iuncta inter arripuere eam nouandarum rerum occasionē, & coacto exercitu, Polonas ditiones Duce Basilio Roscislai filio, ferro & igne depopulati sunt, cumq; magna præda ad sua incolumes se recepere. Quo incōmodo moti Proceres, veriti, ne quo grauiore etiā casu rursus interregnum illud Rēpublicam affligeret, comitiis habitis, ad Vladislaum fratrē Boleslai, quē Hermannum etiam vocarunt, qui vnus supererat, regnum deferunt. Is itaq; suscepit quidem principatum: sed tū se Regē appellari passus non est, vel q̄ inunctus & coronatus solenni Regum ritu, Pontificis Maximi interdicto, non esset: vel quod reuersurum aliquando Boleslaum, regnumq; repetiturum existimaret. Principis & hæredis regni Poloniæ nomen sibi sumpsit: vir prudēs quidem & virtute præditus: verum ad quietem & ocium propensior, quam ad bellum, & humanitatis ac religionis amantior, quam gloriæ. Initio statim principatus sui Poloniam commotam nonnihil magna dexteritate pacauit, latrociniisq; purgauit: ad Pontificem Maximum de tollendo interdicto, quo Polonia vniuersa ob necem Stanislai Episcopi obnoxia erat oratorem misit Lampertum equestri ortum familia, Canonicum Cracouiensem, quem Pontifex diuo Stanislao successorem dedit, & sublato interdicto Episcopum remisit. Vxorem deinde Vladislaus duxit de amplissimi consilij sententia Iuditham Vratislai Boemorum Principis filiam, ex Adleida Andreæ Vngarorum Regis filia susceptam. Miesconem Boleslai fratris filium cum cęteris exulibus ex Vngaria reuocauit, fortunæ eius misertus: aut veritus fortasse, ne qñ is ope Vngarorum, apud quos ob indolem gratiosus esse dicebatur, paternum regnum repeteret, nā pater eius iam perierat. Reuersum in filij lo-

Vladislao Hermanno regnum defertur.

Interdicti relaxatio.

Vladislaus ducit vxorem.

Miesco Boleslai filius exul reuocatus.

lij loco dilexit: atq; is, cum egregia indole & comitate sua paruo tēpore animos multitudinis mirum in modū sibi deuinxisset, & optima spe oēs implereret, sexto, postquam rediit, anno immaturam mortē obiit, nullis relictis liberis, & magnum sui apud oēs desiderium reliquit. Creditumq; est vulgo, veneno sublatum à paternæ eius fugæ autoribus, veritis, ne quando eos iniuriæ memor, vlciscereturVladislao Principe & patruo si non iubente, conniuente quidem certe: ne se aut liberos suos, populari gratia fretus, regno eiiceret. Habebat Vladislaus iā liberos, cū Mieczislaus hic mortu⁹ est, Sbigneum nothum, ante initum principatum è concubina susceptum: & Boleslaum legitimum in principatu ex Iuditha vxore, cū aliquot annis sterilis ea fuisset, diuinitus, quēadmodum creditum est, in gratiam sancti Abbatis Ægidij datū. Cum enim orbitate sua principes coniuges maiorē in modum angerētur, & Iuditha religiosissima fœmina assiduis precibus, ieiuniis, eleemosynis in egenos liberaliter erogandis de prole Deum assiduo fatigaret, omniaq; tentaret eius rei gratia: admonita à Lamperto Episcopo Cracouiensi mittit oratores in Narbonensem prouinciam ad monasterium diui Ægidij, vbi corpus eius conditum erat, amplissimis aureis & argēteis donariis, quæ secum attulerat, & tēplo, & Abbati, & monachis dedicatis. Exponunt quid veniant, aut quid postulent. Indicitur monachis tridui ieiunium: oratur Deus, vt intuitu grati serui sui Ægidij, masculam prolem concedat piis Principibus. Triduo illo reuelatur per visum seni cuidam & pio monacho, impetratum esse, q̄ tanto studio petitum esset. Dimissis autem & reuersis oratoribus, natus est tandē ex Iuditha Boleslaus, quę post quartum à partu mēsem, extremum clausit diem, fœmina pietati inprimis ac beneficentiæ dedita: quæ & ipsa facultates suas, mundumq; muliebrē pene oēm in vsus pauperū, & ad cultum tēplorum viua elargita est, & à marito impetrauit, vt Croppēsem siue Pabianicensem comitatū collegio sacerdotū Cracouiensis Basilicæ, Lagouiense territorium Vladislauiensi Episcopo, Xiansnicēsia vero bona Tinecēsi monasterio sempiterno iure donaret. Nō multo post etiā Dobrogneua Vladislai Principis mater, senex fatis concessit. Duxit deinde anno Christi 1088. alteram vxorem Vladislaus, suasu Ladislai Regis Vngarorum, Sophiam viduam Salomonis regis Vngariæ, Hērici quarti Imperatoris sororē honeste & honorifice post mortem viri à Ladislao Rege pio habitam, ex eaq; tres filias, quarum nomina ignorantur, suscepit, quamuis ex ea Salomon nullos suscepisset liberos.

Miesco immaturam mortem obit.

Sbigneus nothus Vladislai filius.

Boleslaus ex Iuditha nascitur Vladislao.

Vladislaus ducit alteram vxorem.

Per hæc tempora Russi cognita morte Miesconis & vxoris eius morte, in libertatem sese rursus asserere: munitiones, quæ Polonorum pręsidiis tenebantur, recepere: militibus Polonis partim pecunia & largitione corruptis, partim vi eiectis, partim longa obsidione ac desperatione nequicquam petiti & expectati à Principe suo auxilij deditionē facere coactis. Defecere & Pruteni & Pomerani. Hos Vladislaus, dilatis in aliud tempus Russis, bello persecutus, & Pomeranorum fines depopulatus est, arcesque & munitiones aliquot primo aduentu recepit. Nec sibi defuere Pomerani: sed cum Prutenis pariter cōiunctis viribus, magno impetu Polonorum castra die quindecimo mensis Augusti adoriuntur. Nolebat eo die Vladislaus cū hoste manus cōserere: habebat enim honorem Virgini matri, cuius assumptioni dies ille dicat⁹ erat. Verū lacessitus, & iusta pene necessitate adduct⁹, educit suos in aciem. Atrox prælium in magnā diei partē, vtriusq; dubio euētu, p victoria contendentibus cōmittitur. Incipiunt deinde pedē referre hostes: nostri cohortati se in-

Russi se in libertatem asseruerūt.

Prussicum & Pomeranicum bellum.

se inuicem, instare cedentibus. Nec mora, illi effuso cursu diuersi diffugiunt: quos Poloni ira elati lõgius persequuntur, magnamq; in fugientibus stragẽ faciũt: qua fusi fractiq; principis potestati & clemẽtiæ se suaq; omnia permiserunt. Facile ille dedit veniam victis & supplicibus, arces tũ & munitiones oportunas, q̃ illis rebellandi ansam dare possent, in potestatẽ suam redactas, partim præsidiis firmauit, partim demolitus est. Nec diu quieuere Pruteni & Pomerani, sed p̃fectis à Vladislao sibi datis, partim dolo necatis, partim pulsis, rebellãt iterũ. Quam rebellionẽ Vladislaus, vt in primo statim ortu opprimeret, tumultuarijs copijs coactis, media hyeme magnis itineribus ad fines eorum peruenit. Quos vbi munitionibus se tuentes, aut in syluas ac paludes abditos, pugnãdi copiam nõ facere animaduertit, partitus exercitũ cum Sececho Palatino Cracouiẽsi & magistro militiæ, hostiles terras crudelẽ in modũ vastauit ac depopulatus est. Reuertẽti apud Drenũ, quam arcẽ Naclus amnis circũfluit, nũciatur, hostes subsequi, nec lõgius quinq; milliariis abesse: statuerãt enim ij Polonos nec opinãtes, animaduersa ac despecta eorũ paucitate, magna vi adoriri, & magna celeritate sese vndiq; conuolantes colligerãt. Debilitabat Principis animũ hostium multitudo: sed cedere nõ tam iustis hostibus, quam fugitiuis & contumacibus seruis, turpe sibi Poloni milites & infame ducebãt, occumbendũ potius honeste, si ita fors ferat, quam p̃ summam turpitudinẽ concedendam esse vltro sæpius à se victis victoriam. Concurritur vtrinq; infestis & obstinatis ad vincendum aut moriendum animis. Poloni rei militaris peritia hostium vim sustinebant: illi contra abundante multitudine integros in sauciorum ac defatigatorum locũ submittebãt. Pugnatũ est à mane vsq; ad vesperam pridie eiꝰ dominicæ, quæ Christianis palmarum nomine celebris est, neutro inclinãte victoria: nisi quod nocte prælium dirimente, aduersarij, pro victis, nemine tamen persequente, discessere. Postero die dilapsis hostibus, consultatur, quid porro faciant, instentne perterritis, nec vllum dent respirãdi & colligẽdi sese spacium: an potius abacta & ablata præda satis opima, domi sese prius exonerent, & mox aucto mercenariis militibus, qui è Bohemia & Vngaria expectabantur, cõmodiore anni tẽpore, maiore vi hostem adoriantur: neq; pauci multos in solo ipsorum inuadentes, sæpius fortunã periclitentur. Huic sententiæ facile oẽs assensi sunt, & mouebat illud quoq; plurimos, q̃ sacrum Paschæ tempus præ foribus aderat, quo Christianos impensius cultui diuino vacare oporteret. Itaque diuersi ex hostico discedunt. Nec ita multo post recreatis ab illa hyberna expeditione iumentis, auctisque tum domestico, tum externo milite copiis, Vladislaus Princeps Pomeraniam ingressus hostem quærit: quo nusquam in apertum prodeunte, vastat iterum agros, pagosque, & oppida quam acerbissime. Deinde Naclum arcem inprimis munitam, quæ receptaculum erat Pomeranis, ad excursiones in Poloniam faciendas valde opportunum, cum primo impetu capere nõ potuisset, eo quod valido teneretur præsidio, operibus circumuallare instituit, vt obsessorum eruptiones reprimeret. Discesserunt itaq; Poloni re infecta ab oppugnatione Nacli, tum quod hyemis asperitate premerentur, tum quod terrores illos nocturnos in religionem verterant.

Prutenorũ & Pomeranorum rebellio.

Pomeranicũ bellum alterum.

Expeditio tertia in Pomeranos.

Expeditio in Pomeraniam quarta.

Insequenti æstate rursus in eosdẽ Pomeranos, & mox in Prutenos infestis armis impetũ faciunt: regionesq; eorum, quæ quidem cultæ erant, quoquouersus quam crudelissime vastant, nulli neq; sexui, neq; ætati hominum parcunt. His igitur fatigati fractiq; malis hostes, publico cõsilio deditionẽ fecerunt,

runt; misericordiam Principis supplices implorarunt. Ita perdomiti Pruteni & Pomerani ad tempus quieuerunt. Secutum est Bohemicum bellum, quod vt temere excitatum, ita cito, nec graui admodum exitu consopitum est. Vratislaum Bohemorũ Principem Henricus quartus Imperator Moguntiæ Regẽ appellauerat, anno post Christum natum 1087. eiq; & posteris eius Poloniam ocẽm, in qua vterq; ne tantillum quidem habebat, quantum pedis vestigio calcare posset, attribuerat. Vratislao ac Conrado item Vratislai fratre, qui post fratrẽ regnum susceperat, intra paucos menses vita defunctis, Prædislaꝰ Vratislai filius ex Vngaria, vbi iustã patris iram fugiens exulabat, reuocatus successerat, qui immemor necessitudinũ, quę ipsi cum Vladislao intercedebant, siue persequendi imaginarij illius iuris causa, & spe occupandi aliquid de Polonis, siue prædæ cupiditate Poloniæ fines cum infesto exercitu inuaserat, incendijsq; & populatione diuexauerat, Vladislao Pomeranico & Prussico bello implicato. Hanc iniuriam vlturus Vladislaus, quoniam tunc per anni tempus commode bellum gerere non poterat, proxime consecuta æstate, qui fuit annus à nato Christo millesimus nonagesimus quartus, exercitum in Morauiam, Conradi Principatu in vnius Principis ditionem cum Bohemia redactam, mittit, eiq; Secechum Palatinum Cracouiensem, præstãtem in re militari virum præficit. Ipse enim aduersa valetudine, & pedum dolore proficisci ad eam expeditionem prohibebatur: nec tamen volebat institutũ bellum differre. Mandata cum dabat Secechо proficiscenti Vladislaus, aderat forte filius Boleslaus, nonum tunc agens annum, attentoq; animo omnia hauriebat, & in leonini catuli morem, qui teneris etiamdum vnguibꝰ, laniatu tamen iam gaudet, generosum pueri pectus belli gloriæque cupiditate impendio exardescebat: neq; diutius animo conceptam flammam ferens, genua patris amplexus, & collo eius implicatus, vix magnis precibus, osculis, & blãditijs eum exorat, vt cum Secechо ad id bellum mittatur. Secechо itaq; pueri cura mandatur. Vbi ad exercitum ventum est, puer singula, quæ fiebãt, curiosius obseruare, versari inter ordines, omnibus arridere, æstũ imbremq; pati, vigilare, humi cubare, vigilias cum Secechо obequitare, aliaque multa præter ætatem facere ferreque: ita vt indoles illa studiumque pueri, futuram eius magnitudinem non obscure portenderet. Vastata igni ferroque aliquousque Morauia, & paucis hostium turmis, quæ sese Polonis tulerant obuias, aliquot præliis profligatis (munitionum enim oppugnatione abstinere Vladislaus iusserat) reduxit cum Boleslao copias Secechus, præda onustas.

Bohemicũ bellum.

Expeditio in Moraui-am.

Reuertente è Morauia Secechо & Boleslao, magna fuit inter patrem & filium gratulatio: nec diu tamen à bello feriati sunt. Arcem namq; Medireczum à Pomeranis quibusdam priuato consilio interceptam esse, ex eaque latrocinia in subiectas oras exerceri nunciatum est. Difficulter quidem, sed tamen impetrat rursus à patre Boleslaus, vt sibi cum exercitu ad recuperãdum Medireczum, & coercendos prædones ire liceat. Summa tamen rerum & administratio belli, ipseque adeo tyrunculus Boleslaus Secechi curæ fideique committitur. Nec mora, operibus à castris ad arcem ductis, quatit murum aries, cuius nõ exigua ruina cũ paucos defensores partim oppressisset, partim debilitasset mutilassetque, cæteri diffisi rebus suis, & liberam cum singulis equis & sarcinis abitionem pacti, arcem dediderunt. Recepta & refecta arce, dimissoque exercitu, Secechus & Boleslaus intra dies non ita multos, ad Vladislaum ouãtes reuertuntur. Felix admodum sibi esse Vladislaus tali filio videba-

Expeditio iterum in Pomeranos.

debatur: sed fortuna, quæ nihil ex omni parte beatũ, nihilq; in rebus humanis esse sinit, fœlicitatem eius nonnulla ex parte contaminauit. Valebat plurimum apud eum gratia & autoritate Secechus, idque nonnullo suo merito, magnamque potentiam sibi compararat, ita vt ex eius fere nutu Respublica omnis & princeps ipse pendere videretur. Quæ res ipsi magnam apud Nobilitatem Polonam inuidiam conciliauerat, maiusque ipse sibi indies odium intolerabili fastu suo ac immoderato dominatu conflabat. Itaque complures ab eo bonis exuti, multi proscripti, aut aliqua insigni iniuria vel contumelia affecti: multi item potentiam & importunitatem eius reformidantes, aut necessarios afflictos secuti, solum verterant. Quibus omnibus apud Bohemos tutus erat receptus, Prędislao Principe comiter ac benigne eos recolligente. Horũ crebris sermonibus & querelis permotus Prædislaus Dux Bohemorum, damna à Polonis accepta alieno periculo vltum ire cupiens, facile ægros animos eo, quo ferebantur ipsi sua sponte, impellit: nępe, vt armis patriam repetant: auxilia pollicetur: ducẽ quoq; satis, vt videbatur, opportunũ ad eã rẽ ipsis edit, Sbigneum Vladislai filium nothum: quẽ pater literis à puero vtcunq; imbutum, propter nouercale odium, & veritus, ne quid is postea negocij Boleslao, quem ex legitima vxore susceptum in spem principatus alebat, facesseret, in Saxoniam relegarat, ac monasticæ vitæ addixerat. Eũ igitur ex monasterio extractũ, ducem sibi exules Poloni adsciscunt, & Vratislauiam cũ eo, & cum auxiliis Bohemorũ, ac voluntariis Saxonibus contendũt. Obtinebat præfecturã Vladislauiensem. Magnus Comes illustris & spectatæ probitatis, cui simultas etiam nõnulla cũ Sececho intercesserat. Ad eum præmittũt exules legationẽ, recipi se, & Sbigneum Principis filium postulantes: nolle se patriæ bellũ facere, neq; principi optimo. Parentũ, coniugum, liberorũ, ac domorum suarũ, ipsius deniq; patriæ diutius carere non posse: vnde nõ ob aliquod scelus suum, neq; iusta principis indignatione, sed per summã Secechi iniuriam & superbiam eiecti essent. Ipsum quoq; Magnũ multo digniorẽ præstantioremq; Sececho virũ, scire se tamen, haud penitus expertẽ esse illius iniuriæ. Ne pateretur se in exilio consenescere: neue ipse deterioris dominatũ ferret, suaq; patientia aleret. Miseraretur vel Sbigneum Principis filium, qui Secechi opera & suasu in monasterium, quasi in carcerem quendã ærumnosum retrusus esset. Cauendũ esse, ne homo ambitiosus cadẽ audacia alterum quoq; Principis filium circumueniat, dominatumq; Poloniæ, non expectata etiam Vladislai morte, inuadat. Frangendis Secechi conatibus atque potentiæ neminem aptiorem fore, quam Principis filium, iuuenem magni animi & consilij, Secechoq; infensum. Eum igitur Magnus necessario illo ipsi° tẽpore beneficio suo sibi deuinciret, per quẽ eum locũ adipisci posset, quẽ tunc Secechus obtineret. Quieturos se cũ illo esse Vratislauiæ, quo facilius è propinquo reuocationẽ à Principe clemẽti impetrare possent, & reuocati accurrerent. Hac legatorũ postulatione, iusta in speciem & honesta, aliquantũ permotus Magnus, tamẽ ne quid imprudens contra fidẽ & officium suum faceret, cõuentu Vratislauiensis territorij ciuitatisq; celeriter cõuocato, rogat ea de re sentẽtias. Exosum erat vulgo Secechi nomen: miserabãtur exulum gẽtilium pleriq;, & necessariorum suorũ: miserabantur Sbignei: audierant magna esse Principẽ erga suos indulgentia: non oportere sese inter patrem & filium medios interponere: alioqui hunc offensuros, ab illo autem paruam, vel nullam gratiam inituros. Tum autem verebantur, ne hostes eos in agris

Sbigneus monachus in Saxonia.

Sbigneus ex monasterio extractus dux exulum.

in agris experirentur, quos hospites & amicos recusarent. Ita de conuentus sententia, Magnus exulibus aduenientibus portas vrbis aperit: Sbigneum honorifice in arcem deducit, omniaq; ad victum abunde suppeditat. Quæ cum ad Vladislaum principem perlata essent, commotus animo maiorem in modum, mittit certos homines, qui Magnum & Vratislauienses suis verbis castigent, fideiq; & officij admoneant, eoq; prætextu ociose & accurate rem oẽm & consilia exulum cognoscant. Responsum est à Vratislauiensibus: eos non hostem, sed Principis filium recepisse, putasseq; id fore gratum Principi, à cuius fide non recessissent, neq; auelli se à quoquam omnino passuri essent. De exulibus autem orare, vt princeps calamitosos homines clemẽtia sua, redituque in patriam dignaretur, neue desperatione salutis ad duriora consilia capessenda eos cogeret. De Secechi crudelitate eos queri: eũ ne plus pateretur posse, quam ipse sibi sumat Princeps: ne omnium volũtates propter vnũ hominem, qui dominatum omnem ad se transtulisset, pergat offendere.

Vladislai expeditio cõtra exules.

Hæc missi Principi referunt. Non cessandum sibi ratus Vladislaus, nec patientia sua confirmandum vires & ausa exulum, raptim, quantas potest, copias cogit: cum iis ipse, quamuis infirmus, proficiscitur. Sececho, ne plus incõmodi eius odio & inuidia acciperet, & Boleslao filio, ne is à fratre ambitioso atq; audaci insidiis appeteretur, Cracouiæ relicto cum Voislao, quẽ puero custodem, & quasi magistrum dederat. Vbi de Principis aduentu Vratislauienses certiores facti sunt, vniuersa multitudo nobilium pariter & oppidanorum, obuiam sese ipsi effudit, veniam errati petens. Qua comiter salutata princeps patentem vrbem & arcem ingreditur. Deinde aduocata cõcione, clementer obiurgatis omnibus, culpam remisit: cæterum Magnũ à præfectura amouit, & pro eo Voislaum Boleslai pædagogũ absentẽ illis præfecit. Pridie quam Vratislauiam adueniret Vladislaus, Sbigneus cũ suis inde profugerat, & Crusuiciam cõtendit, frequentem adhuc eo tẽpore & copiosam vrbẽ.

Sbignei fuga.

Eum igitur Vladislaus, paucis diebus cõmoratus Vratislauiæ, persecutus est: veritus, ne ille vicinorũ Pomeranorũ ad nouandas res procliuium auxiliis sese confirmaret. Nec cum opinio fefellit. Cognito enim aduentu & consilio Sbignei magna mox vis Pomeranorũ ad eum confluxit: quorũ ille suasu atq; fiducia hostilem prorsus animum aduersus patrem induit. Venienti cum septem aciebus instructis ad lacum Gopli, qui Crusuiciam in insulæ modũ ambit, occurrit. Nec mora, expedit & Vladislaus ordines: canunt vtrinq; signa; concurrunt infestæ acies: acrius multo pugnabant ipsi exules, vtpote in suo periculo, quam auxiliarij. Ibi fors gentiles etiam, necessarios, agnatos, & fratres inter se commisit vt manus inter se conserrent. Ad extremum acrius instantibus iis, qui cum Vladislao sentiebant, fusi aduersarij, maxima pars in lacum compelluntur, ibique vel à persequentibus trucidãtur, vel aquis merguntur. Magna ea strages fuisse memoratur, ita vt aqua lacus illius cruore & cadaueribus infecta, vllibus hominum & iumentorum aliquandiu post-apta non esset. Sbigneus fuga in vrbem relapsus viuus in patris potestatem venit: vrbe, quod receptum ei præbuisset, militi in prædam concessa, & ex eo tempore in eam, quæ etiam nunc cernitur, solitudinem redacta est. Dimisit deinde Vladislaus exercitum, Sbigneumque in custodiam Sececho dedit: ipse in Masouiam inde diuertit. Vnde cum Gnesnam ad Basilicæ dedicationẽ à Martino Archiepiscopo inuitatus cũ multis proceribus veniisset, eorũ precibus expugnatus, veniam Sbigneo dedit, filiũ agnouit, & liberaliter apud se

Prælium inter patrẽ & filium.

Sbigneus captus.

Ingratitam à patre recepius.

deinceps postea habuit. Nec ita multo post cum Boleslao legitimo filio, pessimo exemplo, & magno Reipublicæ malo, honore eum exæquauit, & quibus finibus vterque post se Principatum obtineret, designauit. Cæterum interea dum Vladislaus Sbigneum Crusuiciam persecutus erat, Præmislaus Bohemorum Dux ad omnem occasionem, qua Polonis noceret, attentus, simul, vt exulibus promissum præstaret, cũ tumultuaria suorum manu raptim in eam oram, quæ ad Nissam fluuium est, prædabundus excursionem facit: Bardum arcem defensoribus vacuam nullo negocio cepit, & exussit. Aliam ipse in rupe quadam eminenti & vndique prærupta celeriter construxit, & Cameneciam appellauit: relictoque ibi aliquanto præsidio cum reliquis copiis domum se recepit. Tertio post anno fama vulgatur, Bohemum clam cõp

ptiuorum numerum abigebant. Hos Boleslaus tantisper, dum raptim copias cogit, moratus, iam extra Poloniæ fines vno agmine euntes, & nihil hostile à tergo metuentes consecutus, nocte intempesta, dum fessi potiq; dormiunt, sublato ad terrorem hostium clamore adoritur. Ad fugam spectabãt omnes, resistebat nemo: nec tamen fugæ consilium explicabant, veriti, ne subducẽtibus aspectũ hostium tenebris, in insidias sese præcipitarent. Impeditos cædunt Poloni neque captiui cessant, sed ruptis vinculis obuios quosq; vel obtruncant, vel iisdem, quæ ipsi dudum gestarant, vinculis constringunt. Ita longe maiore, quam pro numero Polonorum, strage fusi sunt Russi, temeritatis & perfidiæ suæ pœnas dedere: duces tamen noctis præsidio cum paucis effugere. Sequenti anno, qui fuit à Christo nato millesimus centesimus & secundus, Vladislaus morbo & angore confectus, sacrisq; mysteriis ante mortem à Martino Archiepiscopo ritu Christiano procuratus, obiit pridie nonis Iunij, cum viginti regnasset annos, vixit propemodum quinquaginta nouem: solenniq; põpa ab ambobus filiis, & magna procerũ ac nobilitatis frequentia in Basilica Plocensi sepultus est. Dlugossus prodit, opinari nonnullos, qui ante se scripserint, eum à Sbigneo filio dolo interemptum esse.

Russi superantur à Boleslao.

Vladislai mors.

BOLESLAVS TERTIVS, COGNOMENTO Criuoustus, Princeps Poloniæ.

An. Chr. 1103.

PErsolutis Vladislao Principi iustis, nihil eorum mutatum est, quæ is viuens de principatu constituerat. Cõcessit enim Boleslaus Sbigneo fratri Masouiam, Cuiauiam, & Lencicien sem tractum: cætera ipse cũ summo imperio obtinuit. Tanto autem patris desiderio tenebatur Boleslaus, vt diu sine lachrymis & fletibus nõ temperaret; gestabatq; de collo suspensam in pectus auream laminam, in qua nomen & imago patris insculpta erat, qua subinde memoriam ei' sibi refricaret, & quicquid vel faceret, vel loqueretur, sic ageret, quasi inspiciente omnia & exaudiente patre: ita vt summa in iuuene existeret modestia ac verecũdia. Exacto luctu annuo, suadente & orãte Senatu vxorẽ duxit, Sbislauam Suẽtopolci siue Stopolci Michaelis (sic eum Russorum annales vocant) Kiouiensium Principis filiam: non sine indulgentia tũ Pontificis maximi, ne propter intercedentem cognationem incestæ eæ essent nuptiæ. Eas nuptias Sbigneus nõ modo nõ cohonestauit, sed pene defædauit & interturbauit, si euentus conatui respondisset. Etenim mala mens, malus animus, cũ fraternæ gloriæ inuideret, atq; ad vniuersum Principatum aspiraret, moliebatur fratri exitium, seque ad Boriuoium Bohemorum Ducem. Vratislai filium, qui tunc apud Bohemos post Prædislaum fratrem fraude suorum occisum principatum tenebat, contulit, persuasitque precibus & pecunia vt sub nuptiarum tempus in Boleslai ditionem inuaderet. Ad Græcium iam Bohemi peruenerãt, cum subito murmure & fremitu castra complentur, ad iniustum se bellum contra cognatos & confœderatos duci: minime necessaria expeditione, nec minoribus propemodũ, quam in quos eant, Polonos, incommodis se ab auaro Principe suo confici. Boriuoius vbi videt, alienos esse ab illo bello Bohemorum suorum animos, reduxit exercitum. Ita conatus ille primus sumptusq; Sbignei tunc in cassum cecidit, nisi quod in sequentem annum bellum tamen conflatum est. Nam Boleslaus incursione illa Bohemorum superiori anno facta prouocatus, primo vere coegit exercitum, eumque mox duce Zelislao misit in Morauiam. Iamque Zelislaus peruastata

Boleslaus ducit vxorem.

Bohemorũ contra Polonos expeditio.

uastata tripartito agmine Morauia, ingenti præda onustum reducebãt exercitum, cum certior fit, Suentopolcum Morauorum Ducem magnis cũ copiis à tergo venientẽ, non longius duobus milliariis à se abesse. Itaq; præmissis impedimentis & captiuis, signa conuertit, & instructa acie manus cũ hoste conserit. Pugnatum æquo marte aliquandiu, plurimumque humani sanguinis vtrinq; fusum est, ducibus vbiq; prælium instaurantibus. Ad extremũ neutro inclinante victoria, vtriq; mœsti & pro victis se gerentes: illi quidem retrocessere, Poloni vero cum præda incolumes in Poloniam se recepere. In eo prælio Zeslislaus, dũ ducis pariter ac militis officio fungitur, dextrã amisit: quem Boleslaus princeps collaudatum pro meritis & virtute aurea manu donauit. Nec longa quiete data militibus, iterum eadẽ æstate Boleslaus ipse transmissis montibus ac syluis, quibus Morauia à Polonia versus Occidentẽ disiungitur, incursionem in Morauiam fecit: exustisq; nemine resistẽte plurimis vicis ac pagis, aliquanto tamen minorem prædam, quam Zelislaus, reuexit.

Reuertẽti & ouanti ex Morauis Boleslao, geminata est ipsi victoriæ huius lætitia nato filio Vladislao: quanquam contaminabant eam lætitiam Sbignei nõ obscuræ machinationes, à quo exciti esse Bohemi, solicitati Pomerani dicebantur. Dissimulabat tñ Boleslaus, & patientia sanare fratrẽ volebat. Cæterum Pomeranos è Polonia prædas agẽtes coercere, & insigniter vlcisci cupiens, æstate sequenti in Bohemos expeditionẽ simulat. Ad Glogouiam cõuenire equites iubet. Inde conuerso itinere, per densas syluas septimis castris ad Colbergam frequens & opulẽtum tunc oppidum peruenit: & nocte quidem in syluis quieti data, insequentis diei diluculo, vadato amne, qui oppidum præterfluit, & maiore copiarũ parte ad subitos hostium impetus, si forte eos aduentus suus non fefellisset, sustinendos relicta, cum reliquis oppidũ improuiso adortus est. Iamq; portas oppidi effregerat, cum facto ab oppidanis concursu, recipere se coact' est, veritus, ne sui, pauci à multis, in quibus & pueri & mulieres bonã de domibus ac tectis operã nauare possent, opprimerẽtur. Plæriq; enim è Polonis prædæ cupidiores ad suburbana diripienda discurrerant. Boleslaus castigatis iis, quorum importuna prædæ cupiditate factũ erat, ne oppidum primo impetu caperetur, maiore deinde vi & omnibus copiis oppugnationem aggressus: vbi casso labore & vulneribus confici suos ab oppidanis strenue mœnia defendentibus animaduertit, direptis & incensis suburbanis, in Poloniam cum præda reuersus est: paucisq; diebus quieti datis, cum iisdẽ copiis inexpectatus in Pomeraniam rursus inuadit: Suatoborũ maritimæ oræ Ducẽ socium & cõsanguineum suum liberaturus. Nã is apud crudelẽ dominatum captus à suis, in vincula coniectus erat. Itaq; præmissis, qui Suatoborum repeterent, ipse non magno interiecto spacio cum exercitu subsequitur. Pomerani repentino hostium aduẽtu territi, Suatoborũ dimittunt, & ad Boleslai castra perducunt. Boleslaus Suatoboro admonito officij sui, & nõ optimæ erga se ante eũ diem fidei, statim reduxit exercitũ. Insequẽti anno rursus, missa cum Scarbimiro magistro militum aliquanta manu, Pomeraniam nemine prohibente depopulatus est. Nam ipse cum prædatoribus illis profectus non est: haud longe tamẽ à Pomeranorum finibus aberat. Reuertens è Pomerania Scarbimirus ad Principem cõtendit, ab equite quodam familiari suo ad nuptias pariter atq; dedicationẽ templi inuitatum. Adueniens maiore lætitia explet conuiuium. Inde Princeps hilarior, venatum

Nascitur Boleslao filius Vladislaus.

In Pomeranos expeditio.

se in

se in syluam cum centum non amplius equitibus è conuiuio proripuit. Ibi in Pomeranos, qui tunc forte raptim in Poloniam incursionem fecerant, sua damna compensaturi, cum incidisset: fugere turpe ratus, manus cum hoste, quamuis longe impar, conseruit: magnaque in eis strage edita, dum iterum atque iterum perrumpit hostile agmen, deficiente ex vulneribus equo ipsius, & vno de comitibus alium equum ipsi suppeditante, vix cum triginta, inter quos & Scarbimirus erat, saluus euasit, Pomeranis in stuporē versis, & persequi abeuntes non ausis. Sic temeritas Principis prosperum tamen euentū habuit. In ea pugna Scarbimirus valde consauciatus, dextrum etiam oculum amisit. Implet mox fama huius prælij atque periculi Principis omnem Poloniam, multa (vt fit) veris affingens. Concurrunt ad visendum primores: obiurgant Principem periculosæ temeritatis: orant, in posterum ne sese, remq; publicam in tantum discrimen præcipiter. Ille contra, reprehensionem facti sui, quod iam infectum fieri nequeat, in aliud tempus differendam esse censet: hostem vero, si vicem suam, cæsorumque fratrum doleant, secum statim vlciscantur, hortatur. Annuunt omnes, & mox domos ad arma capienda dilapsi, quantum quisque copiarum ex tempore contrahere poterat, contrahunt. Accientur ex fœdere Russorum auxilia: conducuntur etiam ex Vngaris mercenarij milites. Nunciatur interim Boleslao Suētopelcum Bohemorum Principem, qui pulso Boriuoio patruele, Bohemorum principatum illis diebus inuaserat, cum valida equitum peditumque manu expeditionem parare in Poloniam. Is siue suopte ingenio, siue ob receptum è fuga Boriuoium Polonis infensus, siue adeo à Sbigneo subornatus, incursionem in Boleslai ditionem, dum ille Pomeranico bello distinetur, facturus esse dicebatur. Distrahebatur ancipiti consilio Boleslaus, Pomeranosne prius vlciscereturan Bohemorum excursionem reprimeret. Tandē aduenientibus Russis & Vngaris, vtrumque bellum persequi statuit, & Scarbimirum quidem cū parte copiarum in Pomeranos mittit: ipse cum reliquis ad saltum Herciniū, qui Bohemiam terminat, Bohemis obuiam ire pergit. Verum ij cognito Boleslai occursu quieuerunt: nec eos tunc sibi lacessendos Boleslaus existimauit. Scarbimirus vastatis, vt mandatum erat, Pomeranotum finibus, nemine obuiam prodeunte, exercitum prēda onustum reduxit. Hoc etiam anno Boleslaus filia Suentoslaua auctus est: & cum Sbigneo fratre opera Suentopelci siue Stopolci Kiouiensium Principis, ad quem Sbigneus profugerat, in gratiam rediit.

Nascitur filia Boleslao Suentoslaua.

Pomeranieū bellum.

Sequenti anno maiore vi Pomeranis bellum fecit. Iam ij malorum pertæsi, & assiduis agrorum suorum vastationibus fracti, ad deditionem animis inclinabant, soli Dialogrodenses (ciuitas ea fuit Pomeranorum inprimis diues & populosa) ferociores, cæteros quoque à proposito auerterunt. Itaque in eos omnem belli molem confert: sed prius tamen missis cum legato duobus scutis, animos eorū tentat, albumne, quo PAX, an rubrum, quo BELLVM excidiumque significabatur, mallent. Superbius illi responsum dedere, ambobus scutis acceptis: sanguine Polonorum se sibi candidam victoriam pacemque paraturos. Itaque Boleslaus admotis ad mœnia Bialogrodi castris, actis vineis, & turribus celeriter excitatis, summa ope vrbem expugnare nititur: quatit murū aries: ipse Princeps periculi immemor, inter primos versari, nec deterreri multitudine telorum hostium, aut suorum circa se cadentium miserabili interitu, quin ad portam vrbis excindendam suis præiret.

Depel-

Depellūtur tandem summa Polonorum vi è propugnaculis hostes, Polonique liberius effractis portis, cæsisque vel summotis, qui in introitu vrbis repugnabant, in vrbem signa inferunt. Tunc demum Bialogrodenses abiectis armis clementiam victoris supplices implorant. Parci iubet inermibus Boleslaus, & receptui signo dato, ab excidio ac direptione vrbis abstinere milites iubet: euocatoque & obiurgato magistratu vrbis & omni multitudine, dat veniam victis. Hac victoria & victoriæ moderatione accepta, Colberga, Camenum, Vetenum, Cosminum, & aliquot præterea oppida Pomeranorum in potestatem Boleslai venere. Hoc etiam tempore Pomeranorum manus, siue ea prædabunda forte incursionem fecerat, siue intentis in vnum insidiis ad rem certam venerat, Spicimirum vicum improuiso inuasit. Secesserat eo tunc cum paruo comitatu Martinus Archiepiscopus Gnesnensis, pius & venerandus senex: atque is ad primum tumultum & aduentum hostilem, timore subministrante consilium ac vires, inter contignationem templi absconsus latuit: ministri vero & comites eius dilapsi partim euaserunt, partim in fuga ab hostibus capti sunt, inter quos erat Archidiaconus Gnesnensis. Eum Pomerani, qp & sacerdos, & splendide vestitus, & magna oris dignitate præditus esset, Archiepiscopum esse rati, spoliato raptim templo, secum abduxerunt. Ferunt, Pomeranos omnes, quicunque Archidiaconum & sacra templi vasa attigissent, domum reuersos, cum liberis, coniugibus, propinquis, atque domesticis familiis, vel comitiali morbo correptos, ad parietes & saxa sese allisisse, vel in amentiam versos partim mutuis cædib' cōcidisse, partim dentibus & vnguibus in seipsos sæuiisse. Quo malo perculsi, causaq; mali notata, Archidiaconum cum sacris vasis & omni instrumento templi Spicimirien sis conquisito, domum remiserunt. Addunt Dlugossus & Vincentius, ex eo tempore Pomeranos religionem Christianam suscepisse: quibus adstipulatur Albertus Krantzius, qui & ipse Pomeranos Boleslai huius Principis opera Christianos factos esse scribit, tametsi paulo posterius.

Pomerani Christiani facti.

Posthæc Bohemicum, & ex eo Germanicum exarsit bellum in Polonia, ex huiusmodi causa. Henrico quarto Imperatore capto, & in carcerem coniecto, ac deinde angore animi confecto libere iam Henricus filius eius tenebat habenas imperij: inferebatq; is bellū Vngaris, ob violatos milites, qui ex vniuerso orbe Christiano ad Asiaticam contra Saracenos & Turcas expeditionem, & recuperandam Hierosolymam per Vngariam proficiscebantur, & Almum Colomanni Regis fratrem exulem reducebat. Ad quod bellum Bohemos etiam vtpote tributarios Romani Imperij secum in exercitu ducebat. Hac tanta belli mole territus Vngarorum Rex Colomannus Geisæ filius à Boleslao colloquium petiit. Loco dieque constituto conueniunt Principes in Scepusiensi territorio: societatem inter se ineunt: communes amicos, communes hostes sibi fore promittunt: fœdus, quo firmum perenneq; sit, noua affinitate sanciunt: Colomannus enim Iuditham Boleslai filiam Stephano filio suo natu maiori despōdit: Scepusiense territorium, quod Polonicæ ditionis erat, in dotem datum, ex eo tempore in potestatem Vngarorum venit. Veniebat iam Henricus Imperator cum valido exercitu contra Vngaros, Almum Colomanni Regis fratrem natu minorem secum ducens. Ibi Boleslaus Vngaris, quemadmodum conuenerat, auxilia mittit: ipse cum non contemnendis aliis copiis in Bohemiam inuadit, Boriuoium & Sobeslaum Suatopolci Bohemorum Principis fratres patrueles, Colomanni Regis

Bohemicū bellum. 61

 sororis

sororis filios, exules in comitatu suo habens. Suatopelcus Henricum Imperatorem ad Vngaricum bellum cum auxiliaribus copiis sequens, Vasconi & Mutinæ proceribus summam rerum Bohemicarum commendauerat. Hi igitur Boleslao fines Bohemiæ ingredienti cum aliquanta suorum manu occurrunt: initoque prælio profligati Pragam se receperunt. Boleslaus vastata magna parte Bohemię, oppidisque aliquot captis ac direptis, incolumem ingentique præda ditatum reduxit exercitum. Suatopelcus de domestico periculo certior factus, egre impetrato ab Imperatore fremente, & Polonis iam tunc minante, commeatu, raptim cum suis in Bohemiam reuertit: cumque Polonos tum vlcisci procliue ipsi non esset, in suos iram conuertit, quasi eorum conniuentia ac proditione Bohemia vastata esset. In Vngaria nihil præclari gestum est à Polonis: sed rebus cum Cæsare & Almo fratre amice cõpositis, dimisit Colomannus auxilia.

Reuersum autem à Bohemica expeditione, Boleslaum duæ res aduersæ & molestæ excepere. Nam Sbislaua coniunx eius vitam cum morte commutarat: Pomerani autem Vsce arcem Gneuomiro Czarnicouiensi domino vel autore, vel adiutore, per deditionem interceperant, deceptis, qui in præsidio fuerant, cum falsum de Boleslai morte rumorem confinxissent, quasi is vi-
Pomeranicum bellũ. ctus à Bohemis, captusque, & Henrico Cæsari traditus esset. Itaq; omnibus rebus posthabitis Boleslaus, à Bohemica expeditione maximis iumentis recta in Pomeraniam cum paucis expeditis militibus contendit, reliquo exercitu dimisso, vt præda Bohemica exoneratus ad Pomeranorum fines sibi occurreret. Nec tamen expectauit, quoad is exercitus cõueniret: sed cum paucis illis, ita vt venerat rapida excursione, cædibus hominum & incendiis villarum hostium fines vastauit: non quo sic vlcisceretur eorum iniurias, sed magis vt incolumem se esse, & mox iustas pœnas de perfidis exacturum, ipsis ostenderet. Posteaquam vniuersus conuenit exercitus, Velenum oppugnat, nam id quoque recepto Gneuomiro defecerat, nec ita magno, vt Vsce, præsidio tenebatur. Erat in exercitu cum fratre Sbigneus: sed cum hostibus, qui aliquanta manu coacta, opportunitatem inuadendorum Polo-
Sbignei perfidia. norum obseruabant, eosque clam per internuncios de omnibus rebus & consiliis fratris certiores faciebat, & prodendi perdendique eius occasionem quærebat. Nocte quadam castris clam egressus persuadet Pomeranis, vt se duce castra Polonorum adoriantur: perfacile esse quamuis paucis multos inopinantes opprimere. Sequuntur Pomerani. Agebat forte in statione & excubiis Boleslaus, quod quidem crebro facere solebat, is re animaduersa, hostes cum tumultu & strepitu in castra irrumpentes, cum iis, qui in statione erent, à tergo adoritur: suos in castris subita re perculsos voce sublata animat: concidunt animis hostes, in insidias præcipitatos se esse rati: conciduntur & capiuntur vtrinque: pauci tegentibus eos tenebris effugiunt.
Sbigneus captus à fratre. Captus est & Sbigneus, detractaque galea agnitus & ad Boleslaum adductus, in sequentem diem asseruatus est. Orto die, refert rem Boleslaus ad castrense consilium. Ibi alius alio acerbiorem in Sbigneum dicit sen-
Iudicium de Sbigneo. tentiam: sed omnium acerbissimam Secechus Palatinus Cracouiensis, qui iam ab exilio reuerterat. Productus, & causam dicere iussus Sbigneus,
Sbigneus exilio mulctatus. cum se non explicaret, & re manifesta redargueretur, non morte tamen, quemadmodum censebant omnes, sed exilio à mitissimo fratre damnatus in Bohemiam abiit. Velenenses vigiliis, defendendæque arcis labore assi-

re assiduo fatigati, & desperato suorum auxilio arcem apertis portis dedunt. Introgressi milites, crebris Pomeranorũ defectionibus & immedicabili perfidia commoti, in omne genus hominum, nullo neque sexus, neque ætatis discrimine desæuierunt, nequicquam reuocante Boleslao, & victis parci iubente. Gneuomirus ad Principem viuus adductus, comminuto fustibus capite, iustas perfidiæ pœnas dedit. Boleslaus, cum per hyemem iam nil recte geri posset, reduxit, dimisitque exercitum.

Sequenti anno millesimo centesimo nono Germanicum bellum exarsit: *Germanicũ bellum.* breue quidem illud, sed prospero successu, magnaq; gloria Boleslai Principis & Polonorum gestum. Henricus enim Cæsar adiutos à Polonis Vngaros, & vexatos retractosq; è suis castris Bohemos ipse per se indigne ferẽs, magis etiam à Bohemis contra Polonos incitabatur. Solicitabatur & à Sbigneo exule magnis policitationibus, eaq; spe implebat, vt per Sbigneum Poloniam oẽm nullo negocio in potestatem suam redacturum se esse crederet. Affirmabat enim Sbigneus, primo eius aduentu certatim Polonos ad se defecturos esse. Igitur initio æstatis Poloniæ partem quæ nunc Marchiæ Brandeburgensis ac Silesię nomen habet, ingreditur: captis quibusdã oppidis exercitum ad Glogouiam duxit. Iam eo Boleslaꝰ partem copiarũ præmiserat, quæ hostẽ transitu Oderæ fluuij prohiberent, dum ipse Russorum & Vngarorum auxilia expectat. Verum Cæsar inuento vado, haud ita procul à Glogouia transducit exercitũ ad nonum calendas Septembris, peneq; Polonos vltra Oderam statiua habentes oppressit: paucos quidem milites in agris vagantes, & magnã agrestium pecudumq; prædam cepit. Reliqua militum manus partim in oppidum se recepit, partim fuga dissipata est. Magna vi oppugnatur oppidum, *Glogouia oppugnata & strenue defensa.* frequẽs quidem ea tempestate, sed non munitissimum. Oppidani veriti, ne capto per vim oppido, extrema quæq; ab irato hoste paterentur, quinq; dierum inducias petũt: quibus nisi succursum sibi esset, deditionẽ promittunt; obsides dant primorum ciuium liberos: ad Boleslaum Principem mittunt, quãto in discrimine sit oppidũ & quid cum hoste cõstituerint, exponunt: orant, celeriter sibi vt opem ferat. Collaudat ille eorum consilium: affuturum se esse mature pollicetur. Quod ni adfuerit ad constitutum cum hoste tẽpus, sustinere eos porro impetum hostium iubet: ni faciant, deleturum se eos post discessum Cæsaris iurat. Malint ergo paucorũ obsidum iacturam facere, quã vniuersi perire. Valuit apud Glogouienses plus fides & auctoritas Principis, quam priuata pietas: Itaq; biduo, quod de induciis erat reliquum, ad sustinẽdam vim hostium omni ope sese comparant, turres & mœnia quassata reficiunt, lapidum & aliorum telorum maximam vim in turres cõgerunt. Adueniente quinta die, promissam deditionem Cęsar poscit: vbi mutatos oppidanorum animos videt, iratus corona oppugnat oppidum, obsidesq; palliis (quæ sunt asseres cõpacti, qui milites mœnibus succedentes tegunt, & à missilibus defendũt) alligari, & ad mœnia obuerti iubet, vt dum suis oppidanorum misericordia parcit, facilius & liberius mœnia subeant milites. Sed nihilomin' oppidani omne telorũ genus in suos iuxta ac in hostes congerunt: qui propius ad mœnia accesserant, aut scalis admotis muros iam scandebant, eos contis deturbant, lapidibus obruunt, pice & aqua feruenti perfundunt, præcipitesque agunt. Cæsar hostium siue pertinaciam, siue constantiam, admiratus, & suorum vulnera ac pericula miseratus, receptui canere iussit. Sic eo die & succedentibus aliquot deinceps frustra tentata oppugnatio

est. Nec voluit postea Cæsar suos periculo obiicere. Permultos enim fortes viros, Bauaros, Saxones, & Bohemos vna illa oppugnatione amiserat. Non recessit tamen ab oppugnatione Glogouiæ Cæsar. Iam Boleslaus expectata auxilia acceperat, validorq; de suo milite copias habebat: itaq; propius hostē accedit: nec tamen pugnandi copiam, quamuis flagitantibus suis faciebat, sed è latebris & insidiis hostilem exercitum carpebat, pabulatores & alia quauis de causa castris egressos per submissos milites excipiebat, & trucidabat: sæpius intempesta nocte cum clamore & clangore tubarum hostium castris adequitabat, excubias aut opprimebat, aut è stationibus depellebat: interdiu quoque nonnunquam prandentes aut quiescentes tumultuarie adoriri, persequenti hosti cedere, recipientem sese rursus persequi, celeritate equorum suorum, & hostilium tarditate, grauique armatura fretus. Itaque neq; oppugnandi oppidum, neq; reficiendi se, neq; quiescendi spacium hosti dabat. Exurebat etiam circumiacentes villas, obsidebat itinera, ita vt integras legiones pabulatum mittere hostes, & longius commeatum petere necesse haberent: sæpeque reuertentibus præda excutiebatur. Celebre his rebus erat Boleslai nomen inter hostes, totaq; castra laudes & virtutes eius, compositis etiam ad id carminibus, personabant: ita vt Cæsar capitali pœna, ne id fieret, sancire cogeretur, veritus, ne ea res formidine ac desperatione animos militum suorum deiiceret. Angebatur autem ancipiti malo Cæsar, obsesso quam obsidenti similior. Et infectis quidem rebus ab obsidione discedere turpe, manere autem diutius in loco periculosum ducebat: ne non mutantem castra exercitum & pestis, & fames, & peruigilia propter crebros Polonorum insultus conficerent. Tandem Boleslaus ratus Cæsarem non satis auspicati belli iam pertæsum, simul quod hyems instabat, faciliorem placidioremque fore: legatos ad eum de pace misit. Edit ille pacis conditiones, vt Sbigneus in principatum suum restituatur, & vt Poloni tributarij sint Romano imperio. Duræ videbantur legatis hæ conditiones, neque existimabant, Principem eas accepturum esse. Ibi Cæsar ambitiose admodum & arroganter, ostendens legatis thesaurum, quem ingentem habebat: Hic, inquit, Polonos perdomabit. Erat legationis princeps Scarbicus Comes ex ea gente, quæ insigne habet lineas iunctas in modum duorum trigonorum æqualium acutos angulos habentium, quorum Bases sursum versus pateant. Is Cæsaris inter antiam notās, annulo, quē digito gestabat, in thesaurū proiecto: aurum inquit, adiiciatur auro. Id scomma intellectum Cæsar gratias agendo excepit. Hab Danck/ inquiens, lingua Germanica. Inde familiæ id nomen māsit, vt Habdanci dicantur.

Legatio Boleslai ad Henricum Cæsarem.

Reuersi ad Boleslaum legati, mandata Cæsaris referunt, mirari ille confidentiam Cæsaris, & iniquitatem conditionum, quasi victor victis leges imponeret, ac non dubia adhuc esset martis alea. Itaque, quam non impetrabat pacem, vi & armis extorquere pergit, ac maioribus quam prius damnis hostem afficit: nullam ei dat lignandi, pabulandi, commeatus petendi, atque adeo è castris prodeundi facultatem. Quibus malis fatigati Germani, maioraque metuentes, alio transferre bellum statuunt, vt loci munitione, aura meliore, pabulatione, commeatuque laxiore vterentur. Simul autem elicere se Polonos ad decernendum de summa rei vniuersis copiis aliqua occasione posse sperabant. Soluta igitur Glogouiæ obsidione, ad interiora Poloniæ & Vratislauiam vrbem instructa acie contendunt. Inuadit à tergo, carpitque extre-

extremos hostium Boleslaus, turbat ordines, impedit iter: nec sustineri Polonorum impetus à paucis poterat, vulnerabantur hostes hastis cominus, eminus sagittis: cum illi conuersis signis ad prælium se expedirent. Poloni diuersi refugiebant, rursusque ex interuallo iter prosequentes adoriebantur. Oraban. Principem Poloni suum pleni fiduciæ, tota vt acie cum hoste dimicaret: satis sibi esse animorum, satis virium ad apertum certamen: defungi se cupere semel totius belli labore: indignum esse, vastari agros suos, expugnari arces & oppida se intuentibus. Quietos iubet esse Boleslaus, & ad omnia paratos: sibi curæ fore, quid facto opus sit. Cæsar magno cum labore & cæde suorum ægre in conspectum Vratislauiæ venit. Est circa Vratislauiam late patens planities: Boleslao locus is visus est peropportunus ad dimicationem prælij, & Polonis propter leuem armaturam & pernicitatem equorum, equitumque multitudinem, quam hostibus commodior. Itaque paucis milites cohortatus; Adesse tempus, quod dudū flagitassent: meminissent policitationum suarum: cogitarent in eo prælio imperium, salutem, & libertatem patriæ verti, viri, & maioribus suis digni esse pergerent: vastatos agros, incensos pagos, capta oppida, in seruitutem redactos agricolas vlciscerētur: gloriam denique maiorum suorum illustrarent. Deinde maiore quam alias, vi hostes à tergo & à lateribus lacessit. Conuertunt illi acies more solito, Polonos repulsuri. Non iam refugiebant Poloni: sed celeriter ad signa & ordines, ita vt iussi erant, concurrentes, præter opinionem hostium, pugnandi copiam fecere. Prælium fere exoriente sole initum durauit vsque ad meridiem. Et inclinabat quidem ad hostes victoria: reprimebantur enim Poloni equites graui illorum armatura, nec densas peditum phalanges perrumpere poterant, sed quasi in murum incurrebant, maiore suo quam hostium detrimento: iamque audacius illi vicissim signa inferebant: nutabant Poloni: verum Boleslaus omnia solicite prouidens, vbicunque deteriori loco rem suorum esse animaduertebat, accurrebat, & hortando, orando, subsidiarias copias submittendo iustaurabat pugnam. Tandem Polonorum ac Silesiorum virtute inclinauit ad Boleslaum victoria. Plurimi tunc vtrinque interfecti sunt, permulti viui in potestatem venere: atque ij honeste & liberaliter iussu Boleslai habiti & asseruati sunt. Multi etiam ex Polonis ceciderūt: longe plures (vt in nudis, aut certe leui armatura tectis euenire necesse erat) vulnerati sunt. Campus, vbi pugnatum erat, plenus cadauerum, acerbum & miserabile spectaculum exhibebat. Ac Poloni quidem conquisiti ac sepulti sunt. Germani insepulti canibus & volucribus esca iacuere. Inde cum eo tanta vis canum conuenisset, vt difficilem transitum præberet iter facientibus, caninus campus à Polonis atque Germanis locus ille dictus est: & in hodiernum vsq; diem vtraque lingua hoc nomen, is, qui ibi est vicus, retinet. Abest autem vno à Vratislauia milliari.

Boleslai cohortatio.

Victoria Boleslai de Cæsare.

Boleslaus tam insigni, tametsi non incruenta, victoria triumphans, quod hyems iam aderat, dimisit exercitum suum, auxiliares vero Russos & Vngaros pro meritis remuneratus, in hyberna distribuit. Clarius vero, quam antehac ea victoria Boleslai & Polonorum nomen apud Germanos factum est. Itaque cum Henricus Cæsar acceptam à Polonis ad caninum campum cladē vlcisci insequēti æstate pararet, minus alacres militum animos ad eam expeditionem habuit: & res Italicæ præterea eum ab illa cogitatione auertebant. Verebatur autem, ne se in Italiam profecto Poloni vicinam sibi Germaniam

infestis armis inuaderēt. Adhæc sciebat, multos nobiles & egregios tribunos militum, centuriones, turmarum & alarum præfectos, quorum præclara opera in illa Italica expeditione vti posset, captiuos à Polonis detineri, & pacē quidem cum Boleslao facere cupiebat: sed offerre eam vltro, quam dudum à se petitā negarat, turpe sibi ducebat. Ideoq; cōmunes ad extremū amicos subornauit, qui Boleslao persuaderēt, vt ipse eam à Cæsare peteret, ac de voluntate ipsius illi prolixe pollicerentur. Vicit animum suum Boleslaus, vt ipse ad Cæsarem Babenbergam splendido apparatu & comitatu proficisceretur. Adueniens comiter ac honorifice acceptꝰ est à Cæsare: ibi multis inter se sermonibus habitis, & causis offensarum & immicitiarū discussis atq; sublatis, pax inter ipsos facta est æquis conditionibus, nouaq; affinitate sempiterna amicitia inter ipsos Principes & posteros ipsorū sancitur ac stabilitur. Nā Boleslaus Henrici sororem Adleidam vxorem duxit, & filio suo Vladislao impuberi adhuc Christinam eiusdem Cæsaris filiam paruulam despōdit: captiuos omnes Cæsari liberaliter remisit, & ab eo vicissim oppida capta superiore bello recepit. Peractis autem magna celebritate & summa omnium lætitia nuptiis, datis & acceptis vltro citroq; magnis muneribus, auctо nobilibꝰ Germanis nouas nuptas deducētibus comitatu, Boleslaus in Poloniam reuertit.

Pax & affinitas inter Henricum Cæsarem & Boleslaum Principem.

Bohemicū bellum.

Post Germanicum bellū, Boriuoius oblatam Suatopelci fratris interitu, & Othonis ac Vladislai de Bohemiæ principatu contentione, occasionē non prætermittendam sibi esse ratus, quin Principatū, vnde à Suatopelco eiectus fuerat, repeteret, impetrat à Boleslao Polono auxilia: & confluentibus ad eū certatim proceribus & equitibus, paruo negocio Pragam caput Bohemiæ in suam rēdegit potestatem. Sed euocatus à Cæsare ad cognitionem ac disceptationem causæ pariter cum Vladislao fratre, qui impar viribus Cæsaris opem imploràrat, in vincula coniectus est: Vladislaus vero Bohemorum Princeps declaratus. Molestе autem ferens Boriuoij circumscriptionem Boleslaus Polonus, motusq; Sobeslai fratris eius, qui apud se adhuc exulabat, precibus, insequenti anno, cum Henricus Cæsar Romam ad suscipiendum diadema imperatorium profectus esset, in Bohemos duxit exercitum. Præmissis autem legatis postulat à Vladislao missionem Boriuoij, & vt se arbitro cōstitui de principatu inter fratres patiatur. Recusat Vladislaꝰ, & ad arcēdam vim Boleslai se cōparat. Itaque desperata pacificatione, Boleslaus Bohemiæ oram eam, quę cis Albim est, ferro ac incendiis vastauit: Bohemumq; sua defendētem cōmisso ad Cidlinam amnem prælio, profligatū in fugam vertit: & mox cum magna præda & spoliis hostium, propter anni tēpus in Poloniam se recepit, ad octauum enim Idus Octobris prælium factum erat.

Excursio Prutenorū & Pomeranorum in Massouiam.

Excurrerant tunc forte Pruteni & Pomerani prædabundi in Massouiam, vastatisq; raptim agris & pagis permultis, celeriter se cum præda domū recipiebāt: quos Præfectus Massouiæ Magnꝰ Comes, quem à Vratislauiensi præfectura amotum fuisse ante narratum est, tumultuaria manu collecta persecutus prima luce inopinantes, & post populationis laborē, largioresq; ex præda epulas altum dormientes adortus, ad internecionem oēs deleuit, nullo de suis desiderato. Hostes autē sexcenti interfecti sunt, capti mille ducenti. Cæteri, qui in proximas syluas diffugerant, sequentibus aliquot diebus ab agrestibus excepti ac trucidati sunt. Non satis autē pœnarum Prutenos ac Pomeranos dedisse ratus Boleslaus, æstate sequēti expeditionē in Pomeraniam suis indixit, exercitumque ad Crusphiciam conuenire iubet. Iam moueri castra debe-

Expeditio Boleslai in Pomeraniam.

debebant, & ecce clara die inspectāte omni exercitu, apparuisse fertur in culmine Basilicæ Crusuicensis formosus iuuenis, candida veste refulgens: cunctisq; stupentibus desiliit, & ante signa progressus est. Ibi vniuersus exercitus lætus eucstigio motis castris diuinitus oblatū ducē sequitur: vbi vero ad Naclum ventum est, iuuenis ille malum aureum, quod manu gestabat, aduersus oppidum proiecit ac subito disparuit. Oppugnatum est oppidum summa vi: qua oppugnatione oppidani perculsi, quindecim dierum inducias à Boleslao impetrant, ea lege, vt ni sibi interea succursum esset, dederent sese: à Prutenis autē & Pomeranis auxilia petunt. Ingentes iam Prutenorum ac Pomeranorum copiæ conuenerant, ac de ratione belli gerendi inter se consultabant. Fit fremitus totis castris ad primum nuncium Naclensium. Deinde inito consilio, respondent Naclensibus in tempore se affuturos, opemq; obsessis laturos. Amotis itaque equis, ne eorum hinnitu proderētur, per syluas, quæ à statiuis eorum ad Naclum vsque pertinebant, silenti agmine iter faciunt, vt incautos & inopinantes Polonos opprimerent. Nec sane inanis eorum conatus fuisset, si statim ex itinere castra Polonorum adorti essent. Dies erat Laurentio Martyri sacra, qua Poloni nil de hostibus suspicati, quod inducię cum oppidanis adhuc durabant, inermes diuinæ rei vacabant, & iam sacris peractis discedebant, cum subito conspicantur hostes, agmina è vicinis syluis explicantes. Conclamatur ad arma: tumultu ac trepidatione castra complentur. Perturbantur omnes non tam multitudine hostium, quam quod in puncto temporis omnia prouidenda & facienda erant. Sed hostium cunctatio Polonis colligendi sese, arma capiendi, & ordines explicandi spatium dedit. Nam posteaquam illi conspectos se à Polonis animaduertere, de prima spe deiecti, locum castris ceperunt, frontem & latera fudibus præustis & hastis transuersis in modum sepis munierunt. Difficilis quidem & periculosa propter sepes & fossas Polonis futura erat pugna: sed Boleslaus nuda esse hostium terga animaduertens Scarbimiro magistro militiæ negocium dat, vt cum ipse hostem à fronte adorsus in se conuertit, ille cum parte copiarum facto circuitu, à tergo in auersos impetum faciat. Quod vbi factum est, clamore cædeque à tergo orta, impelluntur ab extremis primi. Summa fit inter hostes trepidatio & confusio, perculsis instat etiam à fronte Boleslaus, perrumpit impedimenta: hostes vtrinq; circumuenti, cum vallo illo suo ac sæpe impediti, fugam expedire non possent, maxima strage concisi sunt, ita vt cæsorum numerus ad viginti septem millia peruenisse dicatur: lacubus etiam & paludibus multi hausti memorantur: capti fuere bis mille. Naclenses desperatis rebus suis deditionem fecere, eorumq; factū sex oppida alia secuta sunt. Quibus omnibus Boleslaus Suentopelcum præfecit, vnū de proceribus suis, hominem non tam opibus aut natalium splendore, quam virtute & scientia rei militaris clarum.

Exarsit deinde rursus Bohemicum bellum, à Boleslao quietis & ocij impatiente conflatum: cuius prætextus fuit Sobeslai in Polonia exulis restitutio, quem iam ante euocarat Vladislaus frater, cumque eo in gratiam redierat, Zatecensemque tractum ipsi attribuerat, matris precibus & lachrymis victus. Verum Sobeslaus aliquanto post, cum non satis placatum & beneuolum fratris animum erga se animaduerteret, & à Vascone intimo consiliario incitari eum in se, siue certo iudicio, siue falsa æmulorum delatione didicisset, per insidias eum interfecit, & fratrem ob id facinus iratū fugiens, in

Bohemicū bellum.

itinere

itinere captus, in custodia asseruatus est: vnde, cum negligentius asseruaretur, post vnum mensem elapsus, in Poloniam euasit. Huius ergo rogatu Boleslaus Polonorum Princeps, bellum in Bohemos iterum suscepit. Præmisit autem legatos ad Vladislaum postulans, vt cum Sobeslao fratre vltro in gratiam rediret, principatumque partiretur. Respondit Vladislaus: non ejectū à se esse Sobeslaum, neque vlla iniuria affectum: sed ipsum ingratum & immemorem benignitatis suæ, fidelissimum consiliarium suum indigne interfecisse, & conscientia sceleris profugisse. Exulare etiam apud se Sbigneum Boleslai fratrem: eum si Boleslaus in partem Principatus à patre attributum restituat, neque se recusaturum de Sobeslao. Boleslaus cum nil impetrasset, Bohemiam cum infesto exercitu ingreditur, obuia quæque vastat & exurit. Antequam cum Vladislai copiis congressus fuisset, re diuina facta, procuratoque sacris mysteriis exercitu à sacerdotibus Boleslaus diserta oratione milites ad cauendas insidias & ad reprimēdum hostium impetum, si quem in se reuertentes, locorum opportunitate, non viribus freti facerent, animauit. Primam & extremam aciem, ac latera quoque robore militum communit: in medio captiuos, impedimenta, ac infirmos milites collocat: ita quadrato agmine progreditur. Et iam fere ad exitum syluæ peruenerat, cum subito hostes dato signo è latebris prosiliunt, & tumultuosissime vndique in Polonos inuadunt. Sustinent Poloni impetum inuadentium saluis & integris ordinibus. Inprimis Boleslaus Dux hostem, qui forte ante alios pugnam ciebat, manu sua peremit: hinc proximum Derslaus pocillator: horum exemplo incēsus ardor cæterorum militum, hostem referre pedem coegit. Hic ergo Poloni victoria potiti, repetitaque è vestigio in Bohemiam excursione; incolumes cum ingenti præda in Poloniam reuerterunt. Sequenti anno cum parari rursus in se à Polonis expeditionem Vladislaus Bohemus accepisset, fractus animo, de pace legationem ad Boleslaum mittit, Sobeslao fratri partem principatus & obliuionem superiorum offensarum promittit: constitutoque loco ac tempore conueniunt Principes apud Nissam fluuium. Ibi pax inter fratres, & Ottonem Marchionem Morauiæ patruelem, quem Vladislaus paulo ante è carcere dimiserat, autore Boleslao certis conditionibus ac iureiurando vtrinque dato redintegrata est. Sobeslao Gradecensis tractus cum quinque castellis in Bohemia, in Morauia vero Olomucensis, cuius domini per illud ipsum tempus extincti erant, à Vladislao fratre concessus: datisque & acceptis vltro citroque muneribus, & conuentu soluto Principes discessere.

Prussicum bellum.

Hoc eodem anno millesimo centesimo decimo quarto Boleslaus hyberno tempore cum expeditis copiis Prussiam ingressus, vicos oppida, & pagos longe lateq; extenta populatione, ferro & igne vastauit, & nusquā prodeunte ad dimicationem hoste magnam prædam abegit: captiuos, quorum ingēs erat numerus, ad colendos agros in Polonia per diuersa loca distribuit: extantque etiam nonnulli pagi, ex eo tempore Prussorum nomen retinentes.

Sbigneus exul fratris gratiam implorat & impetrat.

Sbigneus reliqua spe, quam habebat in Bohemorum, & Pomeranorum armis, penitus abiecta, cum hos quidem debellatos à Boleslao accepisset, cum illis autem pacem factam esse sciret, Cæsaris vero affinitate potentiorem etiam Boleslaum esse iudicaret, fratris misericordiam & clementiam supplici legatione rursus tentat: agnoscit ac deprecatur culpam: fratris fidei ac potestati totum sese permittit: orat ne inops, egensque in exilio vitam finire cogatur,

gatur, vt paululum quid sibi in patria præ manu detur, vnde vitam sustentare possit: quicquid id fuerit, eo se contentum: & fratri, quem ipsi Deus & virtus ipsius dominum constituisset, obsequentem semper fore. Emolliit fregitque hæc legatio Boleslai animum, pronum suapte natura ad misericordiam: reuocatur Sbigneus, nequicquam reclamantibus proceribus. Veniens nil de fastu & vanitate sua remisit: sed quem legati supplicem ad pedes fratris prostraturum se esse polliciti fuerant, is cum tubis ac tympanis incedens, præferi sibi strictum gladium de more Principum iussit. Dissimulauit id quidem Boleslaus, & comem se fratri præbuit: sed tamen cœpit mox animū eius subire facti pœnitentia, quod insanabile cernebat ingenium Sbignei. Alebant eum igniculum in pectore Boleslai conceptum proceres, qui Sbigneo infensierant, & multis verbis ac suspicionibus odium eius inflammabant. Nunquam esse quieturum illum: eoque reditum impetrasse, vt quem aperta vi frustra tentatis multis, tollere de medio nequiuisset, dolo circumueniret. Anteuerti oportere scelus eius, si sibi liberisque suis Boleslaus consultū vellet. His dictis eo impellunt Principem mitissimum, vt de nece fratris quibusdam mandaret. Faciunt illi iussa: iurgio de industria aggressi Sbigneum, frustra implorantem fratris opem interfecerunt. Vehementer postea Boleslaum admissi facinoris, contaminatæque vna illa labe existimationis suæ pœnituit: multisque postea lachrymis, eleemosynis, & laboribus peregrinationum vltro susceptarum scelus id eluit. Non multo autem interiecto tempore, post patratum in Sbigneum facinus illud, Scarbimirum quoque Palatinum Cracouiensem virum magni ingenij & factiosum cepit, in carcerem cōiecit, excæcauit, senatu mouit, & abdicare se vtroque magistratu coegit: propterea quod is elatus rebus secundis, & bellis aliquot suo ductū prospere gestis omnia sibi arrogaret, ac de Principis laude virtuteque detraheret: eumq; propinquorum & beneficiariorum suorum multitudine, gratiaq; populari fretus contemneret: conuiciis & maledictis incesseret, iamque in apertam rebellionem euasurus esse videretur. Atque ex eo tempore Castellanus Cracouiensis, qui longe inferior fuerat, Palatino in Senatu Prælatus est. Hoc etiam anno, qui fuit à Christo nato millesimus centesimus decimus septimus, Boriuoius Bohemus, Henrico Imperatore ab Italica expeditione reuertente, è custodia dimissus, Boleslai opera & arbitrio Vladislao fratri reconciliatus est. Nec diu tamen firma fratrum gratia sterit, assentatoribus improbis, vt fit, alterum alteri suspectum & inuisum reddentibus. Itaque non multo post Boriuoius à Vladislao sibi metuens solum vertit, & ad Polonos primum, inde mox ad Vngaros se contulit, ibique diem vitæ clausit extremum.

Sbigneus interficitur.

Scarbimirus Palatinus Crac. excæcatus, & magistratu motus.

Sequenti anno millesimo centesimo decimo octauo Boleslaus pacatis domi rebus, statuerat Prutenos ac Pomeranos, fractos iam ac debellatos, ad extremum perdomare: verum imbres anni illius perpetui & ingens aquarum vis ac inundatio, quæ neque seri agros, neque meti passa est: (neq; id in Polonia modo, sed in vicinis quoq; regionibus) quiescere eum coegere. Præcesserat autem eos imbres tale prodigium, quod cœlum totas tres horas post occasum solis ardere visum est. Sedatis ventis & tempestatibus, quæ post imbres superiores vehementes ac diuturnæ fuere, bellum contra Prutenos ac Pomeranos persecutus est. Extremam autem vastitatem timentes Pruteni & Pomerani, iuuentutem omnem, opificumq; & agrestium multitudinem armarunt: & vltimam prælij fortunam tentaturi, Boleslao cum exercitu aduenienti

Inundatio aquarum & tempestates.

Bellum Pomeranicū.

nienti occurrerunt, viam ipſi ad interiora ditionum ſuarum corporibus ſuis præcluſuri. Nec ille quidem cunctatus eſt, quin mox cum hoſte, quamuis numeroſiore, manus conſereret. Pugnatum eſt à primis marte dubio: ibi enim robur omne exercitus ſui hoſtes collocauerant. Vbi cedere ij loco cœpere, immittit Boleslaus perculſis nouas aliquot cohortes, quæ mox totam aciem conuertere. Primis enim partim cæſis, partim perturbatis reliqua multitudo imbellis in fugam effuſa eſt. Parci iuſſit Boleslaꝰ fugientibus, ne regio cultoribus vacua prorſus redderetur: itaq; multo plures capti, quam cæſi: reliqui flore omni iuuẽtutis amiſſo, cũ oppidanis & munitionibus, & rebꝰ ſuis omnibꝰ Boleslao ſe dedidere. Reſtabat Suẽtopelcus Nacli præfectꝰ, q dominãdi cupiditate ductus, minus erat dicto audiens Boleslao, & cũ Pomeranis hoſtibus Polonorũ ſocietatem iniuerat. Cumq; veniam deſperaret, obſtinatius in rebellione permanebat, Naclumq; armis, propugnaculis & cõmeatu bene munierat. Motis igitur caſtris Boleslaus Naclũ obſidere cœpit, ad ſextũ idus Septembris. Ac tẽtabat Principis animũ Suentopelcus per internũcios, culpam deprecabatur, pecuniam & obſides pollicebatur. Sed ſurda hæc aure Boleslaus accipiebat, eo quod peſſimi exempli facinus nolebat impunitũ relinquere. Sed cũ paratiores quã initio crediderat, ad perferendã obſidionem hoſtes, oppugnationẽ autem oppidi, eo præſertim anni tẽpore, perdifficilem eſſe animaduerteret: fremeret vero exercitꝰ, ne hyberno quidem tẽpore militiæ vacationẽ ſibi concedi, nec ſolũ hoſtibus, verum etiam cũ frigore, procellis, & niuibus ſe cõflictari: tandẽ negatam diu veniam dat Suentopelco & Naclẽſibus: pecuniam & obſides imperat: fuitq; inter obſides Suẽtopelci filius. His actis, dimittit Boleslaꝰ exercitũ circa calẽd. Ian. Sed iterũ æſtate proxima, noua Suẽtopelci & Naclẽſium defectione permotus, adeo conſtanter vrbẽ eandem oppugnauit, vt oppidani, deſperatis rebus, vitã modo pacti, oppidũ & Suentopelcũ dedere cogerentur: quẽ Boleslaus mox perpetuo carceri mancipauit. Naclo recepto, cuncta Pomerania, teſte Dlugoſſo, in poteſtatẽ Polonorũ venit: religionemq; Chriſtianam bis ante ſuſceptã & bis rurſus repudiatã, tunc demũ autore Boleslao Polonorum Principe (vt Crantius teſtatur) tertium cum Varcislao duce recepit, & huc vſque retinet.

Suentopelcus rebellis Boleslao.

Pomerania iterior à Polonis ſubacta, & Chriſtiana facta.

Boleslaus pacata omni Pomerania, dimiſſoq; exercitu: reuerſus in Poloniam, ſequenti anno nuptias filio Vladislao, cum Chriſtina Hẽrici Imperatoris filia, qui tunc demum ambo puberes facti erant, maximo apparatu celebrauit: quibus Stephanus Rex Vngariæ Boleslai gener, & Ruſſorum quidã Duces interfuere. Interfuit & Boriuoius Bohemus: itemq; Iaroslaus Vladimirienſium Dux, affinis Boleslai, vterq; fuga ſibi ſalutem quærens. Exacto autem poſt eas nuptias anno, qui fuit milleſimus centeſimus vigeſimus ſecũdus, Adleida Boleslai vxor, poſt decem annorum ſterilitatem, filium Caſimirum peperit. Eodem quoque anno Volodor Præmislienſium Dux, cum ſæpe latrocinantium in morem prædas in Polonia ageret, nec deſiſteret admonitus à Polonis, apud Vyſſokie profligatus, captus, & ad Boleslaum adductꝰ decies mille pondo, ſiue vicies mille marcis argenti ſe redemit. Fuit etiam eodem anno magna caritas annonæ, arefactis ſegetibus perpetuo trium mẽſium vernorum æſtu ac ſiccitate.

Vladislai cum Chriſtina nuptia.

Caſimirus Boleslao naſcitur.

Inſequenti anno Vladislaus Bohemorum & Sobeslaus Morauorum Duces fratres germani, ad iurgia, teſtataſq; rurſus venere inimicitias, cum propter alias cauſas, tum propter Boriuoium tertium fratrẽ exulem: quinetiam coactis

Bohemicũ bellum.

coactis vtrinq; copiis prælium inter ſe cõmiſere. In quo victus Sobeslaus ad Cæſarẽ, atq; inde, cum nihil æqui ibi impetraret, ad Boleslaum in Poloniam rurſus confugit. Quem comiter quidem tunc Boleslaus accepit, & conſolatus eſt: ſed auxilium tamen diſtulit propter Ruſſicam expeditionẽ, quam Iaroslai affinis ſui cauſa ſuſceperat. Quam cũ proſequeretur, coniunxit ſe cum eo apud Præmisliam Colomannus Dux Vngariæ, qui & ipſe cum nõ contemnẽdis copiis reducendi Iaroslai cauſa veniebat: itemq; Volodor & Baſilius Præmislienſium Duces. Itaq; cõmunibus armis & conſiliis à Polonis, Vngaris, & Ruſſis illud bellũ gerebatur, breuique Belzum, Ciruenũ, & Vlodimiria arces, & quædam aliæ ignobiles munitiones vel expugnatę, vel deditę, in poteſtatẽ Iaroslai venere. Inde ad Kiouiam Ruſſorũ metropolim itum eſt. Præcedebat autẽ Iaroslaus exercitũ cum ſeptẽ millibus equitũ ab Vngaris & Polonis attributorũ: qui vbi Kiouiæ appropinquauit, obuium habuit ex vrbe hoſtilẽ exercitum pedeſtrẽ, cum quo conſerta pugna ſuperior eſſe videbatur. Sed ſummiſere ſuis oppidani ſubſidium: itaq; inſtauratũ eſt prælium. Iaroslaꝰ dũ inter primos pugnã ciet, confoſſo ab hoſtibus equo, in terrã excuſſus eſt. Acre circa eũ certamẽ fit: hinc Kiouienſibus opprimere, inde Polonis & Vngaris eum eripere ſatagẽtibus. Cedunt tñ Ruſſi, & in vrbẽ ſe recipiunt. Iaroſlaus ſaucius relatus, paucis diebus mortuus eſt. Nihilo tamen minus Vngarus & Polonus Kiouiam obſidere pergunt. Sed nõ multo poſt re infecta diſceſſere, pace data Kiouienſibus: orantibus Ruſſis, qui in caſtris Polonorũ militabant, & Andrea præfecto arcis Kiouienſis. Nã Princeps ipſe Vladimirus iam inde ab initio in vlteriorem Ruſſiam ſe receperat, neq; mœnibus, neq; fidei Kiouienſium ſeſe credens.

Bellum Ruſſicum.

Iterum anno milleſimo cẽteſimo vigeſimo quarto nõ ita multo poſt Volodor Præmislienſium Dux, immemor fœderũ & iurisiurãdi, quod Boleslao Kiouiæ dederat, miſſo Volodimiro filio cũ exercitu vicinam ſibi Poloniam præſidio vacuam cædibus & incendiis vaſtauit vſque ad Bieczum oppidum, ingentemq; pecudum, iumentorum, & hominum prædam abegit. Itaq; Boleslaus inſequenti æſtate bellum Volodoro intulit, eumq; prælio vicit, multis fortibus & inſignibus viris, partim in bello, partim in fuga trucidatis. Dux autem Volodor Haliciam fugit. Poſt victoriam Boleslaus liberius hoſtiles regiones depopulatus eſt, vicemque Ruſſis cum fœnore reddidit: citoque reduxit exercitum, nulla munitionum expugnatione tentata propter vrgentem hyemem, quæ ſæuiſſima ac diuturna eo anno fuit. Cracouia eo anno penitus conflagrauit: incertum, fortuitone incendio, an à Bohemis clam ſubornato propter receptum Sobeslaum exulem: cui Bohemiam eodem anno repetenti (eo quod Vladislaum fratrem, rerum in Bohemia tunc potientem, periculoſe ægrotare acceperat) Boleslaus pecuniam & milites liberaliter ſuppeditauit. Et redintegrata quidem eſt pax inter fratres, Suatana matre interueniente. Verum paucis illis diebus Vladislaus extremum clauſit diem, eique Sobeslaus in principatu Procerum & populi fauore ſucceſſit. Quod moleſte ferens Otto Marchio Morauiæ, cum ipſe Sobeslai viribus impar eſſet, Lotharij Cæſaris, qui Henrico quinto paulo ante defuncto ſucceſſerat, opem implorauit. Ac dedit quidem Lotharius Saxonibus ſuis negocium inſequenti anno, vt eum in Bohemorum principatũ inducerent: ſed is exercitus à Sobeslao profligatus eſt: vbi etiam Otto cecidit. Sobeslaus vero cũ Cęſare, cui tũc grauius à Cõrado Sueuorũ Duce, & ipſo ad imperium

Ruſſicum bellum iterum.

Ruſſi victi à Polonis.

aſpirante, bellum imminebat, in gratiam rediit, & impotẽtius dominari Bohemis cœpit: fratrum enim filios & proceres nõnullos in carcerem coniecit.

Ruſſorum excurſio in Poloniam.

Hoc ipſo anno Volodor Ruſſorum Præmisliensium Dux in medio belli apparatu vita deceſſit. Verum filij eius Volodimirus & Roſcislaus exercitum à patre cogi cœptum, nihilominus ad vaſtandos Polonorũ fines imp[illegible]ſerunt: ſed is pauculis pagis ad Vislocum flumen exuſtis cito ſe domum recepit: non plus habens animorum, quam ſui duces, qui ad eam expeditionem profecti non erãt. Quieuit à bellis eo anno & ſequentibus aliquot Boleslaus, cum plæræque omnes finitimæ gentes partim externis aliis, partim ciuilibus bellis diſtinerentur. Quietem igitur nactus Boleslaus, ad religionem cultumque diuinum animum adiecit. Nam Baſilicam Cracouienſem humilem etiamtum & neglectam, in auguſtiorem formam redegit, excitatis altius muris eius, ac duabus turribus ad latera adiunctis: ſupellectilem auream ac argenteam maiorem in modum auxit. Quin & collegium ſacerdotum ſiue Canonicorum eius Baſilicæ, viginti ad veterem numerum adiectis, amplificauit, eisq; certos pagos ipſe, Radoſſus vero Epiſcopus decimas attribuit. Auctus eſt deinde filio ſui nominis Boleslaus: cui quidem poſtea Criſpo à capillorum ſpecie cognomen fuit.

Boleslaus Criſpus natus.

Poſthæc Boleslaus, quamuis magnis in ornatum templorum, & in alimẽta ſacerdotum & egenorum impendiis & donationibus, iugique precatione & lachrymis, & aſpero tenuique victu ac cultu corporis, cilicio pro veſte vtens, & cinere ſeſe aſpergens, ægrotorumque mendicorum pedes ſubinde manibus ſuis abluens, admiſſum in Sbigneum fratrem facinus ſedulo expiaret, cum aliis ſatisfaceret, tamen ipſe ſibi non ſatisfaciebat, niſi & laborẽ longæ moleſtęque peregrinationis adiiceret. Itaque ſolenne Chriſtianis quadraginta dierum ieiunium, pane tantum & aqua guſtandis, cilicium inductus, cum exegiſſet, paucis ſacerdotibus & aliis piis hominibus comitatus, ad Ægidij tutelaris diui ſui ſepulchrum, peregrinationem priuati habitu ſuſcepit, atque id iter magna ex parte nudis pedibus confecit, nullum templum, nullum monaſterium, nullum egentium domicilium, neminem denique ſacerdotem aut mendicum præteriens, quin liberalitatis ac munificentiæ quippiam in eum depromeret. Quindecim dies apud diui ſepulchrum ieiuniis ac ſupplicationibus vacans, commoratus. cum in Poloniam reuertiſſet, & reliquum illius anni tempus quieti dediſſet, vere proximo in Vngariam ad D. Stephani ſepulchrum alteram peregrinationem inſtituit: eaque religioſe & pedeſtri item itinere obita, Gneſnam etiam adiit ad D. Adalberti reliquias paulo ante è tenebris in propatulum prolatas. His peractis, nõ ita multo poſt Caſimirum filium immatura morte defunctum amiſit, verum eum mœrorem mox Mieczislaus natus mitigauit, cui propter grauitatẽ morum ac prudentiam ſenis cognomen inditum eſt. Alius item ſequẽti anno milleſimo cẽteſimo trigeſimo ſecũdo natus eſt ei filius, qui aui materni & auunculi Cæſarũ nomine Hẽricus appellatus eſt. Poſt in Vngariam valido exercitu, & euocatis ex fœdere Ruſſorum auxiliis contendit, vt nepotes ſuos Stephani Regis exules filios cum matre reduceret. Nam hos Vngari mortuo Stephano Belam cæcum Regem creantes præterierant. Occurrit igitur Boleslao in Scepuſienſi territorio cum magnis Vngarorũ & Auſtriorum copiis Albertus Marchio ſuperioris Pannoniæ ſiue Auſtriæ, cum quo ſoror B[illegible]læ nupta Regi erat. Committitur durum prælium: tandem virtute & conſtantia Polonorum, ac

Peregrinatio Boleslai in Galliam,

&

in Vngariam.

Mieczislaus filius Boleslao natus.

Henricus Boleslai filius naſcitur.

In Vngariam expeditio Boleslai.

ducis

ducis ſolerti diligentia in fugam hoſtes acti ſunt. Ab Vngarico bello Bohemorum in Poloniam excurſione Boleslaus reuocatus deinceps eſt: Ruſſique nouas res moliri, & ad excutiendum iugum Polonorũ aſpirare cœperunt. Quæ res cum permanaſſet, ad Boleslaum, conturbauit eum illa alieno ſuo tẽpore cõſtituta rebellio: quod ad duo maxima bella, Vngaricum ſcilicet ac Bohemicum, tertium non minus ipſi accederet. Conuocat ſenatum, exponit de intempeſtiua Ruſſorum defectione: dicuntur ſententiæ: ibi inter alios proceres Petrus Vloſtouicius Comes Xianſenſis in eam ſententiam verba fecit, vt diceret: non maximo negocio naſcentem rebellionem opprimi poſſe, ſi caput eius rebellionis Iaropelcus amputetur: idque arte facilius eſſe factu, quam apertis armis: nec dedecere, ſi dolo perfidia vindicetur: ad eamque rem operam ſuam policetur: cætera quietos eſſe iubet. Inde paucis fidis comitibus, neq; tamen conſilij conſciis, aſſumptis, in Ruſſiam ad Iaropelcum proficiſcitur: exilium & fugam ſimulat: Boleslai crudelitatẽ in ſe, & iniurias graues incuſat: fugæ perfugium tutumque latibulum à Iaropelco, de cuius humanitate & virtute multa audierit, petit: addit multa de impotentia & ſæuitia Boleslai in omne genus hominũ, quibus rebus ſuis exoſus factus ſit. Pergratus fuit aduentus Petri Iaropelco, pergrata oratio: gaudebat diuinitus ſibi oblatum cõſilij ſui adſtipulatorem & adiutorem: multa de Boleslao, & ſtatu rerum Polonicarum quærit, nonnihil etiam de defectione ſua ſignificat. Accommodat Petrus reſponſa ſua ad illius voluntatem, approbabat conſilium. Quibus rebus fidem ſibi adſtruxit apud eum, & in intimam eius familiaritatem ſeſe inſinuauit. Itaque Iaropelcus communicato cum ſuis conſilio maturare rebellionem ſtatuit. Rus forte ſeceſſerat cum paruo comitatu: ſecutus erat & Petrus, qui obſeruata rei bene gerendæ occaſione, Iaropelcum cum paucis prandentem, ſigno ſuis comitibus dato, comprehẽdit, conſtringit, & equo impoſitum celeriter, diſpoſitis prius per loca equis & nauibus auehit, & incolumis ad Boleslaum perduxit. Collaudauit fidem, ſtudium & operam Petri Boleslaus, & amplis eum muneribus ornauit, Iaropelcum vero cuſtodiæ tradidit. Vnde intra vertentẽ annum, maximo auri & argenti pondere à Baſilico ſiue Vaſilco fratris ſui filio redemptus, ad principatum ſuum data Boleslao fide reuerſus eſt: in qua tamen fallenda patrio indulſit ingenio. Nam cum aperta vi imparem ſe eſſe Boleslao cerneret, ad dolos animum cõuertit, vt par pari referret. Vngarum quẽdam hominem non ignobilem, cæterum vafrum ac callidum ſubornauit, qui pro perfuga ob defenſas Stephani liberorũ partes ad Boleslaum delatus, captata occaſione, vel vitam illius peteret, vel inſigni aliqua clade Polonos afficeret. Is itaque Vngarus induſtria ſua & eloquentia, & bene aſſimulatis ad tempus officiis, ita ſe in amicitiam creduli Principis breui tempore inſinuauit, vt ad conſilia, quæ habebantur de Republica, adhiberetur, ac præfectura Vislicenſi donaretur: cumque Boleslaum regno abſentem, propter componẽdas res Bohemicas, apud Lotharium Cæſarem animaduertiſſet: commodam p[illegible]oditionis occaſionẽ nactus, celeri nuncio Iaropelcum aduocat, ac ad ſextum Idus Februarij ad Visliciam cum expeditis copiis adeſſe iubet. Certior igitur Vngarus de aduentu Ruſſorum factus, commigrare viciniam omnem cum liberis, vxoribus, ac facultatibus ſuis Visliciam iubet. Libenter facit iuſſa Nobilitas pariter & plebs, vt ſe ſuaque loco munito ab hoſtium armis defendat. Adſunt ad cõductum tempus Ruſſi: intromittuntur ab Vngaro clam in oppidum intempeſta nocte:

ingentem vulgi nullo neq; ſexus, neq; ætatis diſcrimine, aut miſericordia cędem edunt: oppidum ſuccendunt: nobiliores ac ditiores cum reliqua pręda, pecudum in modum curſim abigunt. Proditori Iaropelcus Princeps præmij loco linguam præcidit, oculos effodit, membraq; genitalia abſcidit. Sic ille perfidus dignam ſceleris ſui mercedem tulit. Oderunt enim fere proditorem Principes ac Reges, quamuis proditionem ament.

Ruſſicum bellum.

Reuerſus autē ex Germania Boleslaus, cum de Viſlicienſi excidio, & Iaropelci perfidia didiciſſet, ingentes aduerſus Ruſſos & Iaropelcum iras concipit: magnoq; non modo ex Nobilitate, verumetiam ex oppidanis & agreſtibus exercitu cōparato, Ruſſiam fremens, perinde ac leænæ vel vrſæ rapto fœtu ſolent, ingreditur. Cum autem nemo ipſi prodiret obuiam (nam Iaropelcus peccati ſimul ac virium ſuarum ſibi conſcius, procul in paludes & ſyluas ſeſe abdiderat) Vladimirienſi regione omni, & proximis quibuſq; crudeliſſime vaſtatis, cū ingenti pręda reuertit in Poloniam. Irritatus magis quam fractus ea ſuorū clade ac calamitate Iaropelcus, & cæteri Ruſſorū Principes, iterum de ratione belli cum Polonis gerēdi conſultabāt, in eamq; veniebāt ſententiam, vt dolis aggrederentur eos, quibus virtute pares non eſſent. Ad quā quidem rem optata eis ſeſe occaſio obtulit. Etenim Iaroslaus Halicienſium Dux; cp cum Polonis ſentire, ac cōſilia Ruſſorū prodere diceretur, principatu ab eis deiect⁹ in Poloniam ad Boleslaum cōfugit. Nec ambigebāt Ruſſi, eū à Polonis reductū, & ſe vltū iri: anteuertēdos & fallēdos ſibi eos eſſe iudicant, vt pacato agmine tāquam in trāquillis rebus venientes ex improuiſo opprimerent potius, quā aperta vi non ſine periculo graue bellū repellerēt. Halicienſes ſubornāt, vt ſimulato Principis, ſui deſiderio, à Boleslao petāt, vt eum primo quoq; tempore reducat: affirmēt, pœnitere Ruſſos. cp eum eieciſſent. Faciunt iuſſa Halicienſes, cadē pene cōfirmant Nobiles quidā Vngari Halicienſibus finitimi, ab iiſdem ad aſtruendam & perficiendā inſtitutam fraudē conducti & ſubmiſſi. Habuit fidē dictis Boleslaus (vt erat natura credulus & apertus.) Itaq; iuſto quidē, ſed minori tamē, quam pro belli magnitudine & clandeſtino apparatu Ruſſorum, exercitu, Iaroslaum reducit, nihil hoſtile ſuſpicatus. Appropinquanti Haliciæ primæ Vngarorū turmæ inſtructæ gratulabundæ occurrunt, & præterectæ Polonos, extremū agmen claudunt: ſubſecuti deinde Halicienſes, idē & ipſi faciunt. Suſpecta ea res eſſe Boleslao cœpit, accitoq; Vuſeborio Palatino Cracouienſi, & magiſtro militiæ, ſuſpicionē ſuam cōmunicat. Dum hęc illi inter ſe conferunt, ac de euitando periculo & inſidiis conſultant, ecce apparent procul à fronte inſtructæ Ruſſorū acies, quas Iaropelc⁹ citato curſu ducebat. Prępcipitatū ſe in inſidias, & in medio hoſtiū cōcluſum Boleslaus videbat: & quanquam lōge imparē ſe numero hoſtiū animaduertebat, tñ, qui ſemp ſolitus eſſet vincere, ſatius eſſe ducebat honeſte occūbere, quam fugiendo victoriam vltro hoſti cōcedere. Itaq; inſtructis pro tempore aciebus, ſignoq; dato, primus in imminentē à fronte hoſtē impetū facit: cōcurrunt infeſtæ acies: extollitur ad cœlos clamor virorū, clāgor tubarum, & ſtrepitus armorū. Contendunt Poloni de ſalute, Ruſſi de victoria. Iamq; res Polonorum veterani militis virtute & peritia meliori loco eſſe incipiebant: cum ſubito pertur batis ordinibus, & fugæ initio à Palatino quodā, cuius nomen nō memoratur, orto, ſequentibus cū, qui proximi ſteterāt, magna pars exercitus Polonici in fugam cōiecta eſt. Pugnabat nihilominus cum paucis, & iis quidem partim ſauciis, partim laſſis Boleslaus: & cum fugere

Palatini cuiuſdam fuga.

gere turpe ſibi duceret, nolebat tñ inultus mortē oppetere. Forte equus, cui inſidebat, multis vulneribus confectus, ac debilitatus concidit. Ibi miles quidam gregarius & obſcurus ſubleuatum eum equo ſuo impoſuit, &, vt patriæ magis quam gloriæ ſuæ rationē duceret, fugaq; melioribus ſe rebus ſeruaret orauit. Sic ille tūc quadragies ſepties victor Princeps (tot enim ſecundis prælijs dimicaſſe memoratur) nobiliſſimi viri fuga proditus, gregarij militis opera præſenti ſe morti eripuit. Reuerſus autē in Poloniam Palatino fugæ principi leporis pellem, colum, & fuſum dono miſit, meticuloſitatē eius & mulicbrem animum notans: qua ignominia ille ad voluntarium ſuſpendium adactus eſt: militem vero ſalutis ſuæ autorem inſignibus nobilitatis, luculēta pecunia & poſſeſſionibus remuneratus, etiam ad honores amplos ac magiſtratus euexit, poſteritatemq; eius omnē nobilitauit: deinde fiſcum ſuum in redemptionem captiuorum, qui permulti erant, effudit.

Et vehementer quidē angebatur animo Boleslaus, vt ſolent ij, qui perpetuo ſecundis rebus vſi, aduerſo aliquo caſu affliguntur, pudebatq; & pigebat eum ſuiipſius, quod tantæ illius cladis culpā in ſe agnoſcebat, quippe qui credulus nimium & incircumſpectus fuiſſet. Sed tñ de labe illa delenda, & vlciſcendis perfidis Ruſſis & Vngaris, ſedulo etiam atq; etiam cogitabat. Et quo liberius id faceret, cum Sobeslao Bohemorū Principe Cloſci conuentū egit, pacemq; fecit, arbitris vtriuſq; populi proceribus. Pudore autem ac dolore ſtimulantibus, conſpectum hominum & colloquia vitabat, quæ res ei maturabat mortē. Nam ex mœrore illo & anxietate animi in morbum incidit: qui ſenſim ingraueſcens omnem medicinā renuentem toto anno lecto affixum, magnopere debilitauit. Nec angorem ac morbū eius natus filius Caſimirus leuauit. Vbi mortē ſibi appropinquare ſenſit, cōuocatis proceribus, & quatuor filiis adſtantibus, de concordia apud eos verba fecit: partitusq; omnia, quæ tunc erant Polonicæ ditionis, inter quatuor filios, Principatum & ſummam rerum penes Vladislaum natu maximum conſtituit, cęteros eius autoritatem ſequi iuſſit. In partitione quintum filium Caſimirum, qui ſuperiori anno natus erat, præterierat: id cū Proceres obliuione feciſſe rati admonent, vt ne illum exortem patrimonij relinquat. Reſpondit Princeps: iam illi quoque portionem ſuam eſſe deſignatam. Admirantibus cunctis: nō aduertitis, inquit, in curru inter quatuor rotas quintam eam eſſe partem currus, cui homines inſident, & onera imponunt, quæ quidem à rotis ſuſtentantur atque portantur. Eum igitur locum inter quatuor fratres quintus obtinebit, illiſq, ſuo tempore ſuccedet. Diuinituſne id, quod futurum erat, præſciuerit, an, vt ſolent homines, inſtante morte, alienati mente diuinare, an vero diſcerpere in plures partes Principatum noluerit, dicere non habeo. Nec ita multo poſt ſacris Chriſtianorum myſteriis rite procuratus vita exceſſit, maximo totius Poloniæ deſiderio: cum regnaſſet poſt patrem triginta ſex annos, vixiſſet quinquaginta tres. Funus Ploſcum ſolenni pompa elatum, & iuxta patrem conditum eſt.

Polonorum fœdus cum Bohemis.

Caſimirus filius Boleslao natus.

Polonia diuiſa inter Boleslai filios.

Boleslai mors.

Fuit autem Boleslaus hic habitudine corporis ſatis firma, vegeta, & laborū patiente, colore fuſco, ſtatura mediocri: oſci carbūculus morb⁹ ab ineunte ętate diſtorſerat, atq; inde Criuouſt⁹ ſiue diſtortus cognominat⁹. Animo vero excelſo fuit & periculorū contēptor: iuſti & ęqui obſeruātiſſimus: ad irā, gratiam, miſericordiam ex æquo pronus: ad credendū perfacilis: ad beneficentiam & liberalitatem promptus: modeſtia & clementia ſingulari: laboris &

gloriæ

gloriæ cupidus: pacis artium non penitus expers, verum belli ſtudiis longe præſtantior, ad quæ à teneris (quod aiunt) vnguiculis toto animo ferebatur. Hinc omnem fere ſuum Principatum bella gerẽdo exegit: miles ſtrenuus & audax: dux prouidus, ſolers, animoſus, & felix, excepto illo vltimo Halicienſi prælio. Obiit autem anno Chriſti nati milleſimo centeſimo trigeſimo nono, cum eum Lotharius Imperator vno anno anteuertiſſet.

VLADISLAVS SECVNDVS, PRINCEPS.

Anno Chr. 1140. MOrtuo Boleslao, torpor quidam animos hominum occupauit, futurorum malorum omine, propter ſectionem regni, quam teſtamento Boleslai nuncupatam, filij eius flagitabant. Videbant enim omnes, ſe, qui dudum ſub vnius imperio florentes & formidabiles cunctis in circuitu vicinis populis fuiſſent, deinde diſcerptis viribus ac ſtudiis, quorumuis iniuriæ fore obnoxios. Neque enim diu concordiam inter fratres, conſtitutionemque paternam valere poſſe (cum infida fere ſit omnis regni ſocietas) neque contentos illos fore ſuis ſortibus, deguſtata ſemel regnandi dulcedine; ſed iniuſte aliena inter ſe mutuo appetituros & inuaſuros & vim atq; iniuriam inter ſe inuicẽ propulſaturos, ciuilibus tandem ac parricidialibus armis inter ſe cõcurſuros eſſe: quibus neceſſe eſſet tam amplam ac florẽtem dudum Rempublicam euerti. Itaque aliquandiu triſte ſilentium omnes tenuere, promiſcueque à fratrib⁹ imperabatur, donec ij diuerſa iubendo perturbare omnia cœpere. Tum demum conuentu apud Cracouiam acto, cum flagitatio fratrum, ſtudiaq; & factiones comparatæ, ad vnum deferri vniuerſam rerum ſummã non paterentur, nec rectius quicquam in mentem cuiquam veniret: neceſſario Boleslai conſtitutio approbatur, vt iuuenes certis ac definitis à patre finibus dominarentur: Principatus vero & ſumma belli, pacisque autoritas penes natu maximum eſſet. Partitione regni ſecundum deſcriptionem patris facta, Vladislao quidem natu maximo Cracouienſis, Siradienſis, & Lencicienſis tractus cum Sileſia obtigere: Boleslao, qui Criſpus appellatus eſt, Maſouia, Cuiauia, Culmenſis, ac Dobrinenſis tractus: Miecz ſlão Gneſnenſis, Poſnamenſis, Caliſſienſis & Pomerania: Henrico Sendomirienſis & Lublinenſis: Caſimirus vero infans exors, quemadmodum pater voluerat, à Vladislao curandus atque educandus ſuſceptus eſt. Ita ad ſuas quiſque ditiones, & quaſi ſatrapias diſceſſere, vt Vladislaum tamen Principem agnoſcerent, eiuſque maieſtatem comiter conſeruarent: qui iam ſextum & triceſimum agebat annum. Nam hæc anno Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimo acta ſunt.

Conuentus Cracouia.

Diuiſio Poloniæ.

Sileſia vexata à Bohemis.

Mutata itaque Reipublicæ forma, non diu vicinorum arma quieuere. Primus omnium Sobeslaus Bohemorum Dux, immemor fœderum, quæ cum Boleslao & vniuerſa Polonia iuriſiurãdi religione interpoſita icerat, nõdum exacto à morte Boleslai anno, Sileſiam infeſto exercitu longe lateque populatus eſt: nec ea præda, quamuis magna, contentus, ad ſubigendam omnem eam oram animum adiecit: ac, quo facilius id faciat, locum oportunum apud vicum Coſcenum inter lacus & paludes munitione & præſidio firmare adoritur. Sed hoc molientem vindicta diuina, iuſta violati fœderis & iuriſiurandi vltione percutit. Nam valida febre correptus, incœpto deſiſtere coactus eſt: relatusque Pragam non multo poſt inualeſcente morbo extinctus eſt. Ita bellum exoriens repente inter initia vnius morte ſedatum eſt. Vladislaus autem

tem acciſum, & mutilatum principatum moleſte ferens, ſibique erepta dueens ea, quæ fratribus patris voluntate, cunctæq; Poloniæ aſſenſu ceſſerant: acceptas iniurias vaſtationemque ditionis ſuæ vlciſci minime perrexit: ægrũque ſua ſponte eius animũ vxor Chriſtina, ſuperba, auara, & ambitioſa mulier, & quæ Polonos in porcorum loco habebat, Germanis ſuis impendio delectata, magis etiam inflammauit, quod eum præter mores, iuraq; gentium, ad quartam modo partem Principatus detruſum eſſe dictitaret, qui in vniuerſum Principatum patri, vtpote natu maximus, ſuccedere debuiſſet: ſe Cęſaris filiam, Cæſaris neptem, ex inclyta familia, cum ampliſſima dote in ſpem vniuerſi Principatus ipſi nupſiſſe: nunc vero ad exiguam ſortem cum liberis communibus redigi, qui quidem poſt patris mortem ad egeſtatem indignam ſuo genere, & ipſorum ordine, redituri eſſent. Patrem eius non tuliſſe vnum fratrem participem imperij: ipſum tres ferre. Quartum quoque, vbi adoleuerit, ſi ſapiat, portionem ſuam repetiturum eſſe. Summum illud ius & autoritatem monarchiæ vmbratilem eſſe: neminem ipſi obſecundaturũ. Quid ſi quis reliquorum fratrum ad ſummum illum Principatum adſpiret? quid ſi omnes inter ſe contra vnum conſpirent? tunc vero nullam ipſi fore ſpem ſalutis, niſi in fuga & exilio. Præſtare ergo anteuertere, quam anteuerti.

Vladislai ambitio.

Chriſtina maritum in fratres incitat.

Hæc eadem identidem iterando, querendo, lachrymando, fremendo, & obiurgando, tandem ad maturandum impium facinus virum impulit. Sed vt ſub honeſto prætextu lateret ſcelus: & quo facilius vel adiuuante, vel certe non aduerſante multitudine ſuorum, cogitata perficeret, Senatum conuocat. Queritur, pernicioſam eſſe Reipublicæ partitionem Principatus à patre ſuo inſtitutam, propterea quod multitudo Principum cum hoſtes ad inuadendum audaciores, tum ciues ad reſiſtendum infirmiores redderet, cuius “ rei aliquem iam guſtum paruo temporis ſpacio ipſi feciſſent, vexati impune “ à Bohemis; qui non modo commouere ſe, dum penes vnum patrem ſuum “ fuit imperium, auſi non eſſent, verum etiam pacis conditiones ab eo acce- “ piſſent. Neque vero diu quietam eſſe poſſe ab inteſtinis diſcordiis ac ciuili- “ bus bellis eam Rempublicam, quæ à pluribus exæquato dominatu, non cer- “ tis legibus, ſed arbitratu cuiuſque gubernetur. Nec diu maieſtatem vnius cu- “ iuſpiam ab iis conſeruari ſolere, qui non modo genere, ſed viribus etiam & “ potentia, vni illi pares eſſe ſentirent. Exemplo eſſe recenti pene hominum “ memoria Sbigneum, qui licet genere impar, tamen quod pater eum fratri ex “ iuſta vxore ſuſcepto exæquaſſet, tantis malis, cladibuſque Rempublicam in- “ uoluerit, vt eam euerſurus omnino fuerit, niſi iuſta fratris indignatio aliquã- “ do tamen eum è medio ſuſtuliſſet. Bohemos quoque & Ruſſos vicinos ſuos “ nullã aliam ob cauſam ciuilibus bellis inter ſe ad excidium pene collidi, quam “ quod in multos partita ſint eorum imperia. Quocirca vellent, iuberent, vt “ penes vnum ſe, quem primogeniti prærogatiua cæteris fratribus prætuliſſet, “ vere eſſet regnum. Attributurum ſe eſſe fratribus, aut definitos è fiſco ſuo “ reditus, aut vero agros nonnullos & territoria, in quibus illi vitam honeſte “ ſuſtentare queant, nec tamen calcitrãdi materiam aut occaſionem habeant. “ Multo eſſe præſtabilius, paucos quoſdam incommodo ac detrimento affici, “ quam vniuerſos perire. Senatores ſententias rogati, cum ſtupefacti rei nouitate aliquandiu ſilentium tenuiſſent, tandem omnes, paucis à Chriſtina ſubornatis exceptis, impium Principis conſilium deteſtari: orare, ne patris vltimam voluntatem irritam faciat, ne vniuerſæ Poloniæ cõſenſum aſpernetur:

Vladislai oratio in Senatu.

Reſponſum ad Vladislai orationẽ Senatus.

" ne leges naturę labefactet. Valde esse dissimile, quod de Sbigneo commemo-
" ratum sit: illum nothum fuisse, nec vllo more aut iure in partem Principa-
" tus admitti debuisse: hos legitima vxore, & quidem Cæsaris filia ortos, exor-
" tes paterni dominatus fieri recte non posse. Illum improbum, impudentem,
" & iam inde ab initio in patrem impium extitisse: hos liberalibus ingeniis, ho-
" nestissime educatos, summo esse pudore ac modestia: æquissimisque animis
" ferre & laturos porro esse maximi natu fratris principatum. Magis autē con-
" sultum esse Reipublicæ, si plurium ea consiliis & armis coniunctis defenda-
" tur, quam si ex vnius iudicio & propugnatione dependeat. Non posse com-
" mode vnum omnia prospicere, nec ad omnes Regni partes suis opem feren-
" tem pariter accurrere, nec omnia per se munia Principatus obire. Quod si vi-
" caria cuiusquam opera vtendum sit, magis fidum, magisque benevolentem
" esse fratri fratrem, quam extraneum.

His & aliis dictis propemodum ad sanitatem reuocata erat mēs Principis, nisi violentior vxoris amor, nocturnæque eius persuasiones ac blāditiæ, quæ plurimum apud vxorios viros valent, tantoque pestilentiores sunt, quanto plus potest is, quem superant, præcipitem eum egissent. Deliberato scelere, tributum siue subsidium pecuniarum fratribus & fraternis ditionibus primum imperat, vt eorum tentaret patientiam: & si renuerent, iustum haberet belli ipsis inferendi prætextum. Vbi paritum est, deinceps ad intercipienda, quæ eorum ditionis erant, animum conuertit, nec tamen Polonorum, quibus iam suspectus & exosus esse cœperat, quosque alienos à cupiditate sua esse nouerat, ministerio & militia vti ad eam rem ausus est: sed Russorum, quibus cum materno genere coniungebatur, auxilia clam acciet: cum his aperte iam in fraternas ditiones grassatur: edicit, ne cuiquam Poloni præter se obediant: cōtumaces aut vinculis, aut verberibus coercet, aut bonis mulctat. Nonnullas iam fratrum munitiones & oppida cum pagis adiacentibus, partim per Russos occuparat, partim in deditionem acceperat, ad florentiorem fortunā vel metu, vel (vt est vulgus fere nouarum rerum, nouorumq; dominorum auidum) leuitate deficientibus passim hominibus. Ibi iuuenes impio fratris proposito perspecto, quid faciant porro cum suis consultant. Animaduertunt à bello ciuili animos popularium suorum abhorrere: nec ipsi satis animorum ad vim fratris propulsandam habebant, propterea quod & virib' minus valebant, & quantum cuique fidendum esset, nesciebant. Itaq; ad misericordiam Procerum confugiunt, paternorum meritorum, paternæ volūtatis, publiciq; omnium ordinum consensus de partiendo imperio ipsos admonent, ipsorum fidei ac protectioni se suaq; commendant. Ad fratrē etiam proficiscuntur: & quoniam caput illorum consiliorum Christinam glotem suam esse senserant, ad mulieris pedes sese prosternunt, clementiam eius supplices implorant. Verum ea surdis auribus leuirorum preces accipiebat, & salutem Reipublicæ, quę omni necessitudini præponenda esset, caussificabatur.

Tributum à Vladislao fratribus imperatur.

Procerum alienatio à Vladislao Principe.

Cōmouit ea res multos ex primoribus, cum iuuenum misericordia, tum metu exorientis tyrannidis, cuius argumentum erat, q; Vladislaus externum militē in suos immittebat: tum auaræ importunæq; mulieris odio, quæ præter hāc in fratres mariti sui inclementiam, nouis etiam exactionibus animos multorum offenderat. Itaq; impensius iam & apertius nōnulli iuuenibus fauebant, in primis vero Vuseborius Palatinus Sendomirienſis & magister militiæ, ac Petrus Danus, Comes Scrinnenſis: quorū ille nōnunquam Russos ex in-

Exactiones nouæ instituuntur & munera honoraria.

ex insidiis paruis præliis fundebat: Petrus vero monendo Principem ab instituto auocabat: quæ res ei, si non exitiosa, calamitosa quidem certe fuit. Nā Vladislaus, vt omnibus de rebus cum vxore cōmunicabat, ita de Petri quoque consilio ac studio ipsi narrauit. Exeanduit subito in hominem iracunda mulier, alioqui etiam ipsi infensa, ex huiusmodi causa. Venatū forte Vladislaus Princeps, & Petrus hic in remotas syluas ierant: ibi totum diem inuestigandis & persequendis feris defatigati, ad vesperum ad focum constructa è cespite mensa, cum se pane ac ferina carne, & aqua fontana vtcunq; refecissent, & humi stratis penulis cubituri essent, Vladislaus domesticarum lauticiarum, & mollium stratorum recordatus, ioco Petrum appellans: mollius, inquit, nūc Petre vxor tua cum Abbate Scrinnensi cubat, quam nos. Petrus contra, vt iocum ioco retunderet: fortasse, inquit, & tua cum Dobesso. Erat autem Dobessus iuuenis ex equestri ordine non inelegans, quo familiarius Christina vtebatur. Tetigit id dictum Principis animum, & sermonibus quidem tunc, iocisque finem fecit: vultu vero ne postea quidem satis dissimulauit siue dolorem, siue solicitudinem: incertum, liberiori ne dicto Petri offensus, an de crimine vxoris ex verbis Petri, & superioris temporis coniecturis, quas non tam scrupulose ad eam diem notarat, suspiciones colligens. Christina vbi tristiorē cogitabūdumq; præter morem virum reuersum animaduertit, scisciatur caussam, dissimulat aliquandiu Vladislaus: ad extremū victus blanditiis vxoris, detegit ei vulnus animi sui. Inde grauiores ea in Petrum iras conceperat, occasionemq; vlciscendi eius quærebat: quam cum fortuna percōmodam attulisse videretur, in eo quod Petrus aperte cupiditati Principis aduersabatur, ibi vero instare violēta mulier apud maritū noctes diesque, vt Petrus è medio tolleretur. Eo viuo, nunquam animi compotem futurum Vladislaum. Subornat tandem Dobessum Christina, partim probri infamia irritatum, partim policitatione bonorū Petri illectum, vt eum quouis modo vel caperet vel interficeret. Nec est tamen ausus Dobessus hominē aperta vi aggredi: sed obseruabat tempus, quo per fraudē eum incautū opprimeret. Forte Petrus nuptias filiæ, quā Iaxæ Serborum Duci in matrimonium collocabat, Vratislauiæ insigni pompa ac celebritate apparabat: eo se Dobessus quoq; magno comitatu confert, securumq; & nil eiusmodi suspicantem Petrum solum forte conspicatus, dum ministri circa apparandas nuptias & hospites comiter accipiendos satagunt, correptum celeriter paratis & dispositis ad hoc equis asportat, & ad Principē adducit. Diu, quid eo faceret Vladislaus, animi dubius fuit. Reuerebatur hominis dignitatem, gratiamq; popularem: reminiscebatur, quo is honore apud patrem suum fuisset. Contra suggerebat Christina, si incolumis Petr' dimitteretur, acerbiorē eum capitalēq; hostē fore Principi iniuria illa exacerbatum. Vbi cūctari virū videt, minatur se ab eo discessuram, vbi impune probro prostitutæ pudicitiæ afficeretur. Vicit tandē perfecitq;, vt indicta causa Petro lingua præcideretur, & oculi effoderentur. Vixit tamen post eam calamitatem Petrus quinquēnium, & mortuus Vratislauiæ in S. Vincentij quod templum & monasterium ipse condiderat, honorifice sepultus est.

P. Dunini dolo Christina petitus.

Dunini calamitas.

Petro tam crudeliter excarnificato, minus ausi sunt Proceres voluntati tyranni aduersari: creuerunt tamen omnium in eum odia, quæ secundo fortunæ flatu occultata, postea assl; ctis rebus eius in apertum erupere. Minus deinceps is dissimulanter iam agere, & fratres ditionibus ipsorū pellere,

Vladislaus fratres violat cum Russis.

magnis Russorum fretus auxiliis, quibus Suatoslaus, Vsseuolodi Kiouiensium Principis filius, Izaslaus, & Vseuolodimirus Halicienſium Duces præfuere: iamq; Henricum Sendomiria, & Boleslaum Plosco, omniq, Masouia expulerat. Reſtabat Mieczislaus, ad quem cæteri fratres confugerant. Ad eos igitur Vladislaus in maiorem Poloniam cum exercitu magnis itineribus cõtendit, in celeritate plenam victoriæ ſpem reponens. Veniens Posnaniam, quæ ipſi portas clauſerat, cum primo impetu capere non potuiſſet, obſidione cinxit. Vaſtabant interim Russi agros liberioribus excurſionibus, exurebant vicos & pagos, captiuos viros ac mulieres in ſeruitutem abducebãt, diripiebant fana, vimque honeſtis puellis ac matronis inferebant, ne à pueris quidem abſtinebant. Quæ facinora indigna Iacobus Archiepiſcopus Gneſnenſis, venerabilis & pius ſenex, excelſique animi, cum vidiſſet, patriæ calamitoſam ſortem miſeratus, ſacro pontificum cultu & infula, quo auguſtiorẽ ſpeciem Principi exhiberet, indutus, & carpento in caſtra vſque ad ipſum Vladislai tentorium inuectus, comiter Principem nefarij cœpti admonet.

Cinile bellum inter fratres.

Oratio Archiepiſcopi Gneſnen. ad Vladislaum.

Negat eſſe boni Principis, patriam, à qua in lucem editus, educatus, & ad ſummum honorem euectus ſit, externis armis hoſtilem in modum impetere, vexare, ac diripere: negat eſſe Chriſtiani hominis fratres coniunctiſſimos
„ ac obſequentiſſimos, quos tuendos ſuſceperit, oppugnare: & non modo at-
„ tributis à patre & vniuerſa Republica ditionibus exuere, ſed vitam etiam &
„ ſanguinem eorum ſitire. Si homines non reuereretur: at Deum metueret, a-
„ cerrimum ſcelerum omnium, & maxime violatæ humanæ coniunctionis &
„ ſocietatis vltorem. Non commouit hæc Archiepiſcopi oratio Vladislaum, nec ab inſtituto deterruit. Quod cum vir pius animaduerteret, quaſi numine afflatus, è ſella aſſurgens: quando, inquit, humana ſimul ac diuina iura ſuperbe contemnis, & paterna mea monita obſtinate reſpuis, Dei omnipotentis, cuius vices gero, autoritate ſacris & Chriſtianorum hominum ſocietate tibi interdico, caputque tuum & omnium adiutorum tuorum diris deuoueo. Deinde multa in eum & exercitum eius execratus, recedebat. Forte dum imprudentius auriga carpentum conuertit, in columnam, quæ tentorium Principis ſuſtentabat, extremo axe impingens, mota loco columna, tẽtorium ſolo proſtrauit. Mali ominis ea res cunctis viſa eſt. Tenuit tamen iram Vladislaus, nec acerbius quicquam in Archiepiſcopum aut fecit, aut dixit: ita vt mirarentur omnes eius patientiam. Diligentius dein omnia ad expugnationẽ Poſnaniæ adminiſtrare perrexit Vladislaus, cum in caſtris nullus ſubeſſet hoſtilis metus, Ruſſique ſecurius agerent, quam ratio caſtrorum exigit: & vel ad prædas agendas quoquouerſus diſcurrebant, vel genialibus epulis & compotationibus, ludisque & luſibus indulgebant, vel his rebus grauati & fatigati altum ſtertebant: in ſtationibus rari, nec ij ſobrij excubabant. Deliteſcebant interea in abdito Boleslaus, Mieczislaus, & Henricus cum modico militum præſidio, occaſionem bene gerendæ rei captantes: ij poſtquam vel ex transfugis, vel è captiuis per inſidias, dum incautius pabulantur, exceptis, certo didicere de negligentia & ſecuritate hoſtium, ſilenti agmine ad caſtra propius accedunt. Oppidani è turribus procul ſuos conſpicati, nec ignari, quid in ſubiectis oppido caſtris ageretur, propoſito vexillo ſignum dant ſuis faciendi in hoſtem impetus tempeſtiui. Animaduertere id vexillum præter morem extenſum Russorum Duces, qui tunc forte cum Vladislao conuiuabantur: rogant, quidnam rei ſit, & quid ſibi velit vexillum illud?

Vladislaus diris deuouetur ab Archiepiſcopo.

illud? Reſpondet Vladislaus: deditionis ſignum eſſe, parcendum eſſe Russi cenſent ſupplicibus: negat Vladislaus vllum fore iis, qui tam obſtinate obſidionem ſuſtinuiſſent, miſericordiæ locum. Nec multo poſt exauditur ab extremis caſtris ingens clamor ac ſtrepitus, iam intra vallum, & in cæde verſantium hoſtium: erumpunt eodem tempore & oppidani, ac turribus cæteriſq; operibus & tuguriis militum, è ſtipula ſtramentiſque factis celeriter ignem ſubiiciunt. Fit trepidatio, diſcurritur totis caſtris, perculſis re ſubita & inopinata omnibus: nec quid agerent, aut quo ſe verterent, ac ne fugæ quidem conſilium explicantibus. Cæteri vel ad Ducum tentoria, vel ad ſternendos equos, vel ad efferenda, quæ quiſque chariſſima habebat, feſtinabant, vel attoniti denique amentium more huc atque illuc diſcurſabant. Ad extremum graſſante late vndique ferro & incendio, effundunt ſeſe caſtris qua quiſque exitum inueniebat. Fugientes vero partim trucidantur ab equitibus, partim in Vartam & Glouunam fluuios, qui non ita procul à caſtris erant, compulſi merguntur. Vladislaus cum Russis Ducibus, & paucis quibusdam euadens, effuſo curſu Cracouiam contendit. Inde quoque Russi, nudi pene ac inermes, & omnium rerum egeni domos ſeſe recepere. Direpta ſunt copioſa & opulenta Vladislai Russorumque caſtra. Annus, quo hæc acta ſunt, fuit à Chriſto nato millesimus centeſimus quadrageſimus quintus.

Vladislaus vincitur & fugatur à ſuis.

Magna fit ſtatim ea victoria rerum commutatio. Transibant omnes paſſim à victo ad victores, & augebant eorum exercitum: arces & munitiones interceptæ, in fidem & poteſtatem priſtinorum dominorum vltro redibant. Cæterum non contenti victores iuuenes eo, quod fratrem ſe oppugnantem profligaſſent, ſuaq; omnia recepiſſent, exterminare eum etiam viciſſim propriis ditionibus, & Principatu eiicere inſtituunt, rati, nunquam eum ad lanitatem & modeſtiam rediturum eſſe: ſed auxiliis Russorum fretum, bellum renouaturum. Itaque æſtate ſequenti cum validiore, quam fuerat initio exercitu Cracouiam contendunt. Quod cum Vladislao nunciatum eſſet, diffiſus munitioni arcis, ſuorumque ſtudiis & voluntatibus, fratrumque deſperata miſericordia, quippe quos ipſe ſupplices nulla dignatus eſſet, relicta Cracouiæ vxore, ac tribus filiis, per Sileſiam in Germaniam profugit, Conradi tertij Imperatoris, vxoris ſuæ ſobrini, opem imploraturus. Cracouienſes autem cum primum aduenientibus Boleslao, Mieczislao & Henrico portas clauſiſſent, cognita Principis longiore fuga, & conſenſu totius Poloniæ aperuere: nec multo poſt arx etiam deditur: in qua recipienda ſumma vſi ſunt iuuenes moderatione. Liberos & vxorem Vladislai quamuis infeſtam ſibi, & quæ origo omnium illorum malorum fuerat, ab omni iniuria ac contumelia iratorum militum atque procerum defenderunt: & cum omni ſupellectili in Germaniam, aut quo vellent, additis præſidij cauſa, qui abeuntes deduceret: dimiſerunt. Sic infelix Vladislaus, qui ſuaſu vxoris iniuſte aliena concupiuerat, ſua iuſte amiſit: & qui in ampliſſima fortuna, Principatuſque prærogatiua non acquieuerat, in exilio cum mala conſultrice vxore miſer contabuit. Obtinuit autem principatum Poloniæ Vladislaus non totos ſeptem annos. Sub ipſum Principatus eius initium Ianicus Vratislauienſis Epiſcopus, ac deinde Archiepiſcopus Gneſnenſis, Ianislaus dictus, & Clemens fratres germani equeſtri nati familia Griffonum, vt vulgo vocant, monaſterium Andreouienſe condiderunt: eique oppidum ipſum Andreouiam, & ſe-

Defectio Polonorum à Vladislao.

Vladislaus principatu pulſus in Germaniam fugit.

ptem pagos de bonis suis attribuerunt, atque in eo Cistercien sis sectę monachos à Bernardo abbate sancto cōditos, è Burgundia euocatos collocarunt.

BOLESLAVS QVARTVS CRISPVS, Princeps Poloniæ.

Anno Chr. 1146.

EXacto cum vxore & liberis Vladislao Principe, concordi fratrum iuxta ac Procerum, Nobilitatisque sententia ad Boleslaum, qui Vladislao natu proximus erat, Principatus & summa rerum defertur, & quæcunq; in ditione Vladislai fuerant: Casimirus etiam natu minimus frater, eius curæ cōmendatus est. Et moderate is clemēterque regnauit: fratres magna beneuolētia ac charitate cōplexus, beneficentia etiam & liberalitate maiorē in modum sibi deuinxit. Nonnulla enim bona & possessiones, quæ ipsius iuris fuerant, ipsis vltro donauit & edixit: eoq; summa ij fide, summoq; studio vicissim eum defenderunt, nihil neq; Russorum, neque Bohemorum, neq; Germanorum, ac Conradi Cæsaris minis deterriti, aut precibus emolliti. Instabat enim Vladislaus assiduo, tum apud Vladislaum Ducem Bohemorum, ad quem ea de re adierat, tum apud Cæsarem, vt eorum vel autoritate in paternum Principatum restitueretur, vel armis reduceretur. Solicitabat & Russos legationibus: sed hi nondum se satis è clade Posuanien si refocillarant, & nolebant consentientē Poloniam irritare. Cæsar vero & Bohemus prolixe promittebant: verum hic domesticis motibus, ille Asiatica expeditione, impediti, præstare commode promissa non potuere. Misit tamen Conradus Imperator legationem ad Boleslaum, & cæteros fratres, vt Vladislao ademptas ditiones & principatum sua sponte redderent, potius quam arma sua experirētur: neq; enim se recte & affini, & calamitoso ac supplici Principi deesse posse. Cui legationi Boleslaus Princeps de sententia fratrum ac Procerum ita respondit: Nulla à se fratribusque suis iniuria affectum esse Vladislaum, se neq; quicquam deprecantes impio bello ab eo petitos, & attributis à patre, & ab vniuersa Republica ditionibus & principatibus iam pene exutos, cum tamē pacem multis æquis conditionibus impetrare possent, vitā defendisse suam: illumq; omnis diuini & humani iuris violatorem, fratres insontes & obsequentes eiicientem, intolerabilemq; in gentē liberam dominatum vsurpantem, non tam ipsorum viribus, quam diuina vltione euidenter perculsum, fugientemq; magno vniuersæ Polonię consensu exilio sempiterno damnatū esse. Recipere eum talem, tamq; iuste consensu publico pulsum, neq; sibi utū esse, neq; Polonis expedire. Nec ergo Cæsar id à se postularet, neue ab inuitis extorquere pergeret, quod sine periculo, & sine magno Reipublicæ malo facere non posset. Esse quidem Cæsaris afflictis subuenire, sed iis demū, qui immerito afflicti essent; cæterū ad vim & iniuriam faciendam nemini opem eius patere debere: quippe qui ab innocentia contra scelus, ab officio contra improbitatē, à modestia contra audaciam, à iustitia contra iniustitiam, deniq; à pietate cōtra parricidium stare deberet. Esse Vladislaum affinē Cęsari, se vero cognatos etiam: auxilium se ab eo sperare non bellum expectare, cuius nullā neq; dedissent, neq; daturi essent occasionē. Habere se illi cū honorem, quē & cognato, & maximo Principi haberi par esset. Libēterq; in aliis rebus autoritati eius se obsecundaturos, in vna illa re id fieri non posse. Libentius se eā quouis capitali hoste, quam cum illo tali fratre in gratiam redituros esse, & quiduis potius passuros, quam commissuros, vt suo sibi iumento, q̄ dicitur, malam

Conradi Imp. legatio ad Polonos.

Boleslai Crispi responsum ad legationem Cæsaris.

malam rem adsciuisse, & Rempublicam, quæ in fidem suam confugerit, prodidisse videretur. Fregit ea responsio Cæsaris animum, ita vt multum de studio suo in Vladislaum deinceps remitteret: præsertim q̄ ad expeditionē Asiaticam tot' spectabat, quamuis à Proceribus suis & Bohemo, quos sedulo vna cum liberis & vxore prensabat Vladislaus, in Polonos incitaretur. Conradus vero Cæsar cum expeditionem illam suam maturasset, per Poloniam attestante Dlugosso statuit iter facere: q̄ & compendiosior ea via esset, & minus periculorū haberet: simul q̄ non diffideret, se Vladislaum cū fratribus corā reconciliaturū esse. Et acceptus quidē est à Boleslao, cæterisq; fratribus perquam honorifice & liberaliter, vna cū Vladislao Bohemorū Principe, omnique eius exercitu, sed de recōciliatione nil tunc aliud impetrauit, nisi q̄ pollicit' est Boleslaus cū fratribus, se, cū reuertisset ab illa expeditione Cæsar, q̄ is vellet, facturū esse. Sub Hyemē eiusdem anni duxit Boleslaus cū Henrico fratre exercitū in Russiam, Izaslai Kiouien sium Principis cōspiratione cęterorū Principum Principatu ciecti, precibus & muneribus inuitat': castrisq; apud Cemerinum positis, totā hyemem ibi cōsumpsit, & nulla re memorabili gesta propter ignauiam Izaslai, & non satis certam fidem Russorū, in Poloniam rediit. Izaslaus vero post discessionē auxiliorum, Lusci obsessus ab hostibus, pacem tandē ab eis impetrauit. ¶ Anno vno interiecto, reuersus ab expeditione Asiatica Cæsar, cū non magnū ibi operæ precium fecisset, magnamq; copiarū suarum partē partim prælio Turcico, partim dolo Emanuelis Constantinopolitani Imperatoris amisisset, bellū Polonis intulit, vt per vim Vladislaum exulē in principatū restitueret: cū Boleslaus, cęteriq; fratres promissorū admoniti tergiuersarentur, q̄ dicerēt, Vladislao reducto, se nouos motus, noua pericula, summamq; Reipublicæ perturbationē reformidare. Verū id bellū in speciem ingēs & formidabile Boleslai Principis humanitas & sapientia inter ipsa initia restinxit. Nā vt Cæsar cū validis Germanorū, Boemorū, & Morauorū copiis Poloniæ fines attigit, non destitit Boleslaus cū expeditis turmis, quas de suis tumultuarie coegerat, omnibus locis opportunis hostilia itinera, pabulationes, frumētationes, & aquationes, ex insidiis obseruare, & in incautos hostes impetū facere, interdūq; totum exercitū reficientem se, aut quiescentē subito tumultu, & ad castra adequitātis exercitus ostētatione exagitare ac perterrefacere. Illis vero ad arma cōclamantibus, ad impedita loca raptim se cū suis recipiebat, nec vnquam rē fortunę & dimicationi cōmittebat. Cū autem ad Oderā substitisset, & castra metat' esset Cęsar, eo q̄ aquæ ei' fluminis tūc forte excreuerāt, & Poloni vlteriores ripas obseruātes, difficilē traiectionē ipsi effecerant: simul autē è Germania noui quidā motus ipsi afferebātur, quibus ad rerū domesticarum curā reuocabatur: accepta fide Boleslai' in castra ad eum venit, factaq; publica audientia, Vladislai fratris facinora ac peccata omnia, in se, ac cæteros fratres, & in oēs ordines Reipublicæ Polonæ luculenter exposuit: necessariam expulsionē, iustamq; restituendi eius recusationem suam, & vniuersę Reip. excusauit: necessitudinē suam cum Cōrado maiorē, quam Vladislai commemorauit: studia & officia sua nonnulla in Cęsarē & Germanos modeste refricauit: ne cognatū & Christianum sanguinē sitirēt, neu se ad extrema adigerēt, orauit. Munera ēt non contēnenda Cęsari, & nōnullis Principib', maximēq; iis, quos gratia plurimū valere apud Cęsarē didicerat, priuatim misit. Ita poste ēte Boleslao, suadētibus primoribus, ad sua defendenda festinantibus militibus, ipso Cæsare ductū iri diutius opinione sua,

Conradi Cæsaris expeditio per Poloniam in Asiam.

Russicum bellum.

Conradus Imp. bellū Polonis infert.

Boleslaus ad Cæsarē in castra venit, & bellum sistit.

ſua bellum animaduertente, & ad componendas res domeſticas feſtinante, bellum illud ſtatim ſolutum eſt: dimiſſusque poſtridie exercitus, nequicquam reclamante Vladislao exule, ac Bohemorum Principe, non tam exulis rem agente, quam Polonis inimico. Pace cum Cæſare facta, aut verius bello in aliud tempus dilato, Boleslaus & Mieczislaus vxores duxere, ſorores germanas Vſeuolodimiri Halicienſium Principis filias: Boleslaus quidem Anaſtaſiam, Mieczislaus vero Eudoxiam: verum is, hac non multo poſt mortua, nondū exacto à primis nuptiis biennio, aliam duxit, Gertrudam Regis Vngarorum ſororem, Belæ cæci filiam. Cæterum Henricus cœlibem vitam ſecutus ad Hieroſolymitanam militiam cum nō contemnendo comitatu profectus eſt, Principatu ſuo Boleslai fratris fidei ac tutelæ cōmendato: cumque totum annum ibi commoratus, non vulgare virtutis ſuæ ſpecimen aduerſus barbaros Saracenos edidiſſet, ſoſpes reuerſus eſt, & in Zagoſce pago ad Nidam amnem parœciam ac domicilium Templariorum ſodalitati, quæ tunc bonam in Aſiatico bello Chriſtianis nauabat operam, condidit, & luculentis reditibus inſtruxit.

Boleslaus & Mieczislaus vxores ducunt.

Henricus Dux ad Hieroſolymitanam militiam profectus.

Vladislaus exul, quamuis deſiderio & ſpe ſua fruſtratus iterum atque iterum, pergebat tamen moleſtus eſſe Cæſari de reductione ſua: & commouebat quidem Cæſarem, cum aſſidua flagitatione & querimonia, tum aſpectu ipſo miſerabili, ac tantæ fortunæ commutatione: pudor etiam cum indignatione mixtus Cæſarem ſtimulabat, quod cōtemni & poſtulata, & minas ſuas, nec promiſſa præſtari à Polonis Principibus, maieſtate ſua indignum iudicaret. Sed tamen exulem reducere non potuit, partim aduerſa valetudine ac diuturno morbo impeditus, partim etiam propriis ac neceſſariis negociis, & nonnulla imperij perturbatione diſtentus. Verum quo leuius interea Vladiſlaus ferret exilium, poſſeſſiones ei quaſdam dedit vtendas fruendas, vnde ſe & vxorem liberoſq; ſuſtentaret: adiungit exiguas copias equitum peditumque, cum quibus ille crebris excurſionibus Vratislauienſium tractum, & viciniam illam omnem, extructis in confinio duabus arcibus Nemcio & Grothecio, quo ſe tuto recipiebat, infeſtauit. Non tulit hoc Boleslaus. Nam coacto exercitu ad prædatores illos perſequendos, & arces euertendas profectus eſt. Id vbi cognouit Vladislaus, munitis præſidio militum arcibus, in Germaniam ſe recepit, ſiue metu, ſiue auxiliorum petendorum gratia. Qui in in præſidiis relicti erant Germani ſiue Bohemi, ſuſtinuerunt aliquandiu impetum & obſidionem Polonorum: tandem deficiente annona, & morbis inualeſcentibus, ac deſperatis auxiliis, deditionem fecere. Nec ita multo poſt, nempe anno Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio Conradus Imperator mortuus eſt: cui Fridericus Barbaroſſa Friderici Sueuorum Ducis filius Cōrado patruo in imperio ſucceſſit, qui ſub initium petendo imperiali diademate, pacandiſque ſeu potius turbandis rebus Italiæ, ac Pontificibus Romanis arbitratu ſuo creandis ac deiiciendis occupatus fuit. Reuerſum in Germaniam, & conuentum totius Germaniæ Herbipoli agentē adit ſupplex Vladislaus, orat de reductione ſua: & quo magis eum ad miſericordiam flecteret, tres filios iuuenes pedibus propinqui Imperatoris admouit. Idem pro eo petiit Vladislaus Princeps Bohemorum, faſtum Polonorum & contemptum Cæſareæ maieſtatis exaggerās: idem plerique Germanorum Principes, quibus iam Vladislaus exul diuturna conſuetudine familiaris factus erat, quoſque ea de re prehenſauerat. Quamuis vero rebellarant Imperatori Mediolanenſes cum ſociis ſuis, tamen exoratus Imperator priorem in Polonos expeditionem decreuit: ac legatos quidem ſtatim ex comitiis illis ad Boleslaum Principem ac fratres eius miſit, qui ipſis, niſi reciperent Vladislaum, aut niſi ipſi tributum, quod fortaſſe pollicebatur Vladislaus, Imperatori Romano penderent, bellum denuncient; ipſe vero hyemem illam in apparatu belli conſumpſit. Reuerſi Cracouia legati, non diſſimile eius, quod Conrado olim datum erat, reſponſum retulerunt: cuius ea vis erat, vt quiduis potius paſſuri Poloni Principes, qui ea de re Cracouiam ad Boleslaum conuenerāt, quam aut tam immanem, ac turbulentum fratrem recepturi, aut tributum cuiquam daturi eſſe viderentur. Itaq; æſtate anni ſequentis milleſimi centeſimi quinquageſimi octaui Fridericus Imperator cum maximis Germanorum ac Bohemorum copiis per Saxoniam in Polonorum fines ingreditur, & ad vndecimum Calendas Septembris Oderam amnem, nemine prohibente, vado tranſiuit. Nam Poloni Principes, etſi non contemnendam & ipſi manum habebant, nuſquam tamen auſi ſunt aperte ſe tanto exercitui opponere: ſed munera inter ſe copiaſque partiti, quod equitatu abundarent, leuiq; armatura vterentur, partim in prædatores & pabulatores ex inſidiis vim faciebant: partim villas & oppida ſua, qua iter facturum eſſe Imperatorem ſuſpicabantur, ipſi comburebant: partim etiam munitiones deiiciebant, ita vt neque progredi recte Imperator propter pabuli ac commeatus inopiam, neque veſtigium ponere firmo aliquo & munito loco poſſet. Erant in magna difficultate res Germanorum: quippe quibus neque frumentum, neque pecudes ad veſcendum, neq; vinum aut cereuiſia ad bibendum ſuppeteret, omnia itinera Polonis obſidentibus. Itaq; inteſtinorum dolore laborari vulgo cœptum, quo morbo plurimi abſumpti ſunt: iamque non muſſitabant milites, ſed apertis conuiciis & maledictis Imperatorem inceſſebant, quod ab eo ad inauſpicatum bellū ob rem alienam educti eſſent. Quibus rebus permotus Fridericus Imperator, ſimul quod res Italicæ diſceſſu eius turbatæ, eum ad ſe reuocabant, de reducendo exercitu cogitare cœpit: ſed metuebat, ſi nulla pace facta retrocederet, vt ſatis tuto id facere poſſet: quod non dubitabat, Polonos terga reuertentium preſſuros, & aliquam Germaniæ oram dimiſſo à ſe exercitu viciſſim iuuaſuros ac deuaſtaturos eſſe: ſin pacis mentionem prior feciſſet, pro victo ſe habitum ac contemptum iri: vtrumque non ex dignitate Imperatoria fore. Etenim ex æquo turpe & ignominioſum eſt, eum, qui bellum alteri intulerit, aut pacem vltro offerre, aut rebus infectis retrocedere. Eum ſenſum Imperatoris cum probe calleret Bohemorū Princeps, ſiue iuſſus, ſiue pertæſus & ipſe belli, agit cum Polonis, vt de pace ad Imperatorem mittant, aut ipſi veniant: ſperare ſe, ac recipere, æquis conditionibus eam iri compoſitum. Amplectuntur Poloni eius conſilium, petita acceptaque fide ad hoſtem proficiſcuntur. Ibi multis vltro citroque habitis ſermonibus, pax tandē his legibus conſtituitur: Vt Vladislaus ad Sileſiæ modo dominatum reſtituatur, cæteris ſe abſtineat: & vt Boleslaus vna cum fratribus trecentos haſtatos equites Friderico Imperatori in auxilium ad Mediolanenſe ſiue Lombardicum bellum mittat. Et quo firmior hæc pax ſit, Adleidam Imperatoris ſororis filiam Mieczislaus tertiam vxorem duxit. Nā alteram, quæ fuit Vngara, haud ita multo ante amiſerat, ſuſceptis ex ea duobus filiis, Ottone & Stephano. Pace facta cum Polonis, deduxit Imperator exercitum, & anno ſequenti expeditionem in Italiam proſecutus eſt, Bohemorum

Vladislaus exul infeſtat Polonam.

Legatio Frid. Imperatoris ad Polonos.

Friderici Imp. in Poloniam expeditio.

Pax inter Imp. & Polonos.

Sileſia Vladulao attributa.

Mieczislaus tertiam vxorē duxit filiam ſororis Friderici Imp.

morum & Polonorum auxiliis adiutus. In ipso autem procinctu Vladislao Bohemorum Principi Ratisbonæ diadema imposuit, Regemque eum appellauit. Fames deinde Poloniam afflixit, frumento belli tempore partim nõ demesso, partim ab hostibus consumpto, partim vero à Polonis ipsis corrupto. Mortua est eo anno Anastasia Boleslai vxor ex dolore partus, cum Lescum alterũ filium peperisset: nam biennio ante Boleslaum pepererat. Duxit postea Boleslaus alteram vxorem Helenam Roscislai Præmislienſium Principis filiam, suasu fratrum, cum ad Adleidæ Mieczislai coniugis puerperium conueniſſent. Apparabat iam Vladislaus reditum in patriam opera & beneficio Friderici Imperatoris impetratum, post tredecim annorum exilium: verum in ipso apparatu extinctus, & Aldenburgi in Holsatia sepultus est: ita vt non irrita fuerit Archiepiscopi Gnesnensis deuotio, nec potuerint humani conatus diuinam sententiam, & iustã fratrum & patriæ violatoris vltionem immutare. Vixit autem Vladislaus quinquaginta quinque, præfuit Polonis non integros sex annos: liberos reliquit masculos tres, Boleslaum, Mieczislaum & Conradum, cui Lascongo propter gracilitatem crurum cognomen fuit: quem quidem Cõradus Imperator Fuldensi Abbati educandum dederat. Christina vero Vladislai vxor Aldenburgi in exilio consenuit, vitamq; cum morte ibidẽ commutauit. Filij non ausi absente Imperatore Silesiæ Principatum ex fœdere patri promissum repetere, quarto demum anno post mortem patris, nempe anno à Christo nato millesimo cẽtesimo sexagesimo tertio instante apud Boleslaum Friderico, cum is ab Italica expeditione capto Mediolano reuertisset, reuocati, Silesiam omnem, quæ continentibus syluis à reliqua Polonia dirimitur, vsq; ad Bohemorum Misnensiumq; fines, in ditionem suam acceperunt. ea quidem lege, vt maiestatem summi Principis Polonorum comiter conseruarent, neue patris tyrãnidem imitarẽtur. Vt autem omnis dissidiorum materia inter fratres deinceps tolleretur, patrui inter eos ditiones partiti sunt, ita vt Boleslao, qui Procerus siue Altus cognominatus est, Vratislauiensis tractus: Mieczislao Ratiboriensis & Opoliensis: Conrado vero Glogouiensis & Crosnensis obtingeret. Ex his Mieczislaus insano mulierculę cuiusdam amore captus, Opauiam ipsi iure sempiterno donauit.

Boleslaus alteram vxorem duxit.

Vladislaus moritur.

Christina mors.

Silesia Ducum origo.

Silesia diuisio.

Restitutis Vladislai filiis, sublatoque omni metu belli, Boleslaus Crispus Princeps Polonorum, ex fratrum & fratris filiorum, consiliiq; totius sententia, Prutenis, qui iam inde à Boleslai Criuousti morte à fide Principũ Poloniæ & à religione Christiana desciuerant, bellum fecit: traductoq; Ossam amnem exercitu, tripartito agmine ad interiora ipsorum penetrauit, ferro & incendiis omnia miscens, & magnas prædas agens. Ea vastatione moti Prutenorum primores, cum vires suas impares tãto bello sustinendo esse animaduerterent, quippe qui non plus decem millibus peditum, & sexdecim equitum facere possent, supplices à Boleslao pacem petunt, imperata se facturos policentur. Negat is pacem se eis daturum, ni stulta & vana multorum Deorum superstitione sese abdicent, & Christianam religionem populariter recipiant. Durius hoc Prutenis videbatur: sed tamen impendentibus malis adacti, accipiunt conditionem: demoliuntur fana & simulacra falsorum Deorum, vni vero Deo Christianorum deiecta ac desolata pridem instaurant: liberos post desertam religionem sibi natos, ritu Christianorum initiant, certatimque omnes nomina Christo dant, sed magis deuitandi præsentis periculi

Prussicum bellum.

Prutenireligionem Christianã recipiunt, & mox rursus abiiciunt.

culi metu, quam ex animo. Itaque deducto exercitu & amoto metu, rursus ad ingenium rediere. Vixdum circumacto anno, Pruteni in pristinam impietatem aperte relabũtur: ritus Christianos explodunt: sacerdotes eiiciunt: templa profanant. Veriti autem, ne extrema quæque pro his, quæ patrarant, paterentur, ad Boleslaum Principem legatos mittunt cum donis magni precij: profitentur se in eius fide permanere, cæteraque omnia iussu eius facturos esse, religionis modo Christianæ necessitatem vt sibi remitteret: multitudinem patrias & auitas religiones neutiquam velle, aut posse abiicere, & omnia prius malle perpeti, quam ab inueteratis tempore & consuetudine ritibus ad nouos transire. Leuius, quam decebat Christianum Principem, violatam & neglectam ab ipsis religionem ferre Boleslaus visus est, cum ijde fide erga ipsum sua nihil mutarent. Itaque sic tunc legatos eorum dimisit, vt factum eorum approbasse videretur, pluris faciens suam quam Dei maiestatem: siue adeo muneribus, quæ sapientum quoque mentibus caliginem offundunt, delinitus. Pruteni videntes impune sibi cessisse prima ausa, sublatis animis haud ita multo post exactores Principis propellunt: factaque manu valida è promiscua hominum multitudine, Culmensem tractum & Masouiam nec opinantibus Polonis ingressi, crudeliter vastarunt, ingentesque pecudum ac hominum prædas abegerunt. Qua de re certior factus Boleslaus, nihil sibi fecit reliqui ad celeritatem: quin cum paucis, quos circum se habebat, & quos proficiscens adiungere sibi potuit, militibus auxilio suis accurreret. Sed iam Pruteni abierant, nec eos longius ille cum paucis cursu defatigatis persequi ausus est. Verum fremens, & sibiipse ob superiorem conniuentiam displicens, tunc quidẽ ditionis suæ fines quali quali præsidio aduersus repentinas Prutenorum excursiones muniuit: cæterum anno sequenti millesimo cẽtesimo sexagesimo septimo, maiore vi & apparatu expeditionem in eos fecit. Aderant & fratres cum instructis suorum copiis. Pruteni sceleris & perfidiæ suæ sibi conscij desperabant veniam, nec satis virium ad sustinendos Polonos habere se iudicabant. Itaque in remotas syluas & inuias paludes se cum gregibus & armentis abdunt: nihilominus exquirunt, quomodo Polonos insidiis & dolis circumueniant. Erant apud Boleslaum in castris Pruteni quatuor perfugæ non ignobiles, qui sic iam probarant fidem suam Boleslao, vt iis ducibus & consultoribus in expeditione illa maxime vteretur: erant enim periti regionum & rerum Prussicarum. Eos Pruteni clam per certos homines, qui & ipsi transfugas se simularant, magnis donis, maioribus promissis ad proditionem pellexerunt: tempus & ratio proditionis constituitur. Magnam iam Prussiæ partem Poloni depopulati, ad syluestria quædam, palustria, & vliginosa loca peruenerant, quæ in speciem herbida ac compascua, limosos absessus & voragines occultabant. Circum hæc, vti conuenerat, latebat Prutenorum exercitus. Ibi transfugæ magnum numerum pecoris ad ea loca compulsum esse, magnamque multitudinem hominum cum rebus & facultatibus suis se recepisse affirmant, persuadentque Principi, ne prædam illam contemnat. Vbi primum agmen, quod Henricus Sendomirienſis Dux Boleslai frater ducebat, ægre aliquantum progressum esset, dictitantibus transfugis, perbreuem eam esse difficultatem: ibi signo dato subito Pruteni pedites vndique è latebris prosiliunt, & sagittas omnisque generis tela eminus in impeditos coniiciunt. Poloni neque progredi iam, aut consistere ex aduerso hostium, neq; regredi poterant, terra abs-

Prutenorũ defectio & excursio in Culmensem tractũ & Masouiam.

Polonorum expeditio cõtra Prutenos.

Poloni à Prutenis fusi.

ra abscedente, & equites ac pedites armatos absorbente. Erat miserabile spectaculum, cum Poloni sine ordinibus progressi, & inopinato hostium occursu aut impulsi, aut perterrefacti terga vertebant, seque inuicem proterebant & conculcabant. Multi ibi mortales cæsi, longe plures voraginibus absumpti sunt. Pauci per cæterorum corpora salui ad extremum agmen, quod firmiori loco substiterat, sese recepere. Ibi Henricus Dux inter primos pugnans fortiter occubuit: ibi omne pene robur Polonorum afflictum atque debilitatum est. Reliquas copias Boleslaus cum Miecislao fratre nihil cunctati in Poloniam tumultuarie reduxere, ne Henrici quidem fratris corpore recepto, aut perquisito. Pruteni mortuorum spoliis potiti, Diis ea suis, quibus victoriam illam acceptam referebant, consecrarunt.

Henricus Dux interfectus.

Sub finem eiusdem anni edixit comitia Cracouiam Boleslaus cum aliis de rebus, tum de Sendomirien si ditione, Henrico sine liberis extincto, quid fieri oporteret. Post longam consultationem placuit, vt Casimiro minimo de filiis Boleslai Criuousti, qui ad eam vsque diem exors patrimonij fuerat, principatus ille mandaretur: tametsi Sendomiria cum territorio & aliis quibusdam proximis oppidis consentiente Casimiro Boleslao concessa est, quoad viueret, quo commodius onera Principatus posset sustinere. Nec multo post duxit Casimirus vxorem Helenam Vseuolodi Bolzēsium Ducis filiam. Displicuerat id, quod factum erat de Sendomirien si ditione, filiis Vladislai: existimabantque ij, partem eius aliquam post patrui mortem agnationis iure ad se pertinere. Et iam ante alienioribus erāt animis à Boleslao patruo, quod is munitiones quasdam in Silesia, cum eam ipsis traderet, in potestate sua retinuisset. Residebant etiam in animis eorum iræ veteres, & dolor exilij, ereptique summi Principatus, & Cracouien sis ditionis, quæ vtraque hæreditario iure secundum patrem sibi arrogabant. Hęc omnia per commodam repetendi occasionem oblatam sibi esse arbitrabantur, quod inuisum esse offensione illa & re male gesta imperium Boleslai Proceribus ac equitibus plerisq; animaduertebant. Forte non deerant etiam, qui eos in spem recuperandi illa vel omnia, vel pleraque clam vocarent, & operam studiumque suum policerentur. Itaq; aperte querebantur de iniuriis Boleslai, arma bellumque ciuile non dissimulanter parabant: è Germania auxilia & mercenarios milites accersebant. Id vbi Boleslaus cognouit, virium suarum & offensionis popularis sibi conscius, ac veritus, ne latius incendium illud diffunderetur, per proceres & consiliarios communes de rebus componendis agit, iisdemque arbitris de summo quidem principatu, ac de Cracouien si, itemque Sendomirien si ditione postulata filiorum fratris modeste refutauit, quod Cracouien sem ditionem cum summo Principatu totius Poloniæ cōsensu coniunctam esse diceret: principatu autem iuste eiecto patre eorum, summa omnium voluntate ad se delatum, & alioqui illo è viuis sublato, ad se, qui illi esset natu proximus, iure attinere. Sendomirien sem vero ditionē recte fratri Casimiro datam, quem non oporteret exortem esse patrimonij, eamque fuisse mentem patris, vt is cæteris fratribus absque liberis decedentibus succederet. De Sendomirien si nonnihil se voluntate eius detraxisse, quo rectius onera ac dignitatem Principatus sustineret. Idem se fecisse in Silesia, cum fratribus cæteris, tum vniuerso Senatu assentiente. Sed tamen liberaliter se eis remittere & condonare, quæ ad eam vsq; diem in Silesia retinuisset, quo maiorem in se patrui benignitatem agnoscerent. Quo iuniorea illi essent, hoc impensius

Casimirus fit Dux Sendomirien sis.

Casimirus vxorem ducit.

Silesii Duces in Boleslaum Principem concitātur.

sius se, qui senior & vsu rerum peritior sit, rebus eorum consulere æquum esse, ne temeritate sua, aut prauis aliorum consiliis seducti, eant præcipites. Ita deliniti iuuenes Boleslai commoditate ac facilitate, Procerumque persuasione, cōquieuerunt, & nascens etiamdum pernicio sum bellum suppressum est.

Non cessarunt tamen seditio si quidam è Cracouien si ditione homines equestris ordinis res nouare. Etenim conspiratione facta, cuius capita fuere Iaxa & Suentoslaus, potentes & factio si homines, ad Casimirum Sendomirien sem Ducem, ætate & gratia populari florentem, summum Principatum deferebant: Boleslaum per osi, quod imbellem & ignauum ad obeunda Principatus munera esse dicerent: simul vt Miecislao, qui ętatis beneficio Boleslao succedere debebat, viam præcluderēt, de quo non bene sentiebāt. Et egit quidem ipsis gratias Casimirus de studio ac iudicio: verum Principatum delatum modeste recusauit: quod negaret suum esse, fratri maiori & optime de se merito principatum eripere, quem omni ope defensum & adiutum ire deberet. Illos quoque non æquum facere, qui tot annos moderato illius imperio vsi, ad extremum quasi vetulum canem eum expellerent: & quidem bene merentem, & ęquitate animi prudentiaque sua potius, quam armis exorientia bella amolientem. Nam cladem Prussicam, qua maxime offenderentur, non tam temeritate eius, quam diuino permissu acceptam esse. Neminem neque tam felicem esse, neque tam omnibus horis sapere, quin offendat aliquando: perturbari etiam interdum diuinitus consilia Principum, & bene consulta male cadere, propter peccata populi. Quod si deterius etiam aliquāto Principatum administrasset, ferri tamen eum conueniret, propter patris Boleslai memoriam: in quem ingratissimi futuri essent, si progeniem eius tolerabiliter imperantem de principatu, quem ille maiorem in modum auxisset, deiicerent. Se quidem non modo non fore socium eius consilij & periurij, sed etiam summo conatu fratri coniunctissimo & beneficentissimo opitulaturum esse. Ita rursus glisc ens ciuile dissidium Casimiri grauitate & cōstantia sopitum est. Eodem tempore Vernerus Episcopus Plocen sis, equestri rosarum familia, integritate & vitæ sanctimonia clarus, à Boleslao viro potenti ac violento Castellano Visnen si, propterea quod eum in ius propter pagum Carscum ademptum vocasset, causamque obtinuisset, per Prutenos subornatos trucidatus est, cum quibus ei non modica consuetudo erat. Qua re cognita Archiepiscopus Gnesnen sis Petrus familia Sreniauius, qui Ianico non multo ante successerat, de consilio cæterorum Episcoporum toti provinciæ suæ sacris interdixit. Motus itaque & atrocitate facinoris, & interdicto Archiepiscopi Boleslaus comprehendi Boleslam, & ex vinculis causam dicere apud se, condemnatumque, in foro Gnesnen si, vbi hæc agebantur, extructo rogo cremari iussit. Verneri vero corpus Plosc um delatum honorifice sepultum est. Aliquot deinde annis, quibus vixit Boleslaus, quietæ fuerunt res in Polonia, nec memoratu dignū quicquam gestum est. Postea moritur Boleslaꝰ & Cracouię sepelitur anno Christi millesimo cēte simo septuage simo tertio, cum Poloniæ principatum annos viginti septē tenuisset, vixisset sex & quadraginta, relicto vno filio Lesco, cui Albi cognomen inditum est, maior enim natu Boleslaus paulo ante patrem obierat. Moriens tutelam filij Casimiro fratri commendauit, eumq; hæredem filio substituit. Supellectilem vero omnem inter eundem fratrem, filium, & vxorem partitus est.

Cracouien. Nobilitatis motus contra Boleslaum Principem.

Episcopus Plocen sis occisus à Boleslao.

Boleslaus vivus crematus.

Boleslai mors.

MIECSISLAVS SENEX.

Anno Chr. 1174. BOleslai Crispi funebribus exequiis peractis, cõuentus Cracouiæ à fratribus eius, fratrisq; Vladislai filiis & Proceribus cunctis, de creando nouo Principe instituitur. Et quanquam minoris Poloniæ procerum & equitum studia in Casimirum inclinabant; vicit tamen maior pars, quæ Mieczislaum, qui maiori Poloniæ præerat, vtpote natu maiorem, nequicquam prætercundum esse censebat. Verum is, qui puer ob grauitatem morum ac prudentiam Senis cognomen adeptus erat, suscepto Principatu prouecta iã ætate, spes hominũ fefellit. Nã consultore malo Henrico Kitlicio vtens, initio statim aspero & auaro dominatu hominũ voluntates offendit: noua onera, noua vectigalia, & varias exactiones Nobilibus iuxta ac plebeis imponẽs: & leuibus de causis, velut ob vrsum cæsum aut ceruum, captamq; dorcam, bonorum cõfiscatione mulctans. Solius enim tunc Principis in Polonia erant omnes vbique venationes. Adhæc, præfectos etiam suos & ministros aulicos in possessiones & facultates aliorum grassari aut iubebat, aut certe permittebat: nec afflictorum querimonias audiebat. Iudicia & alia munera publica quæstuose mandabat: ita vt mirum non esset, plura peccari ab huiusmodi magistratibus, quam ab ipso Principe. Vendebant enim ij libere, quæ ipsi emerant. Audiebantur vulgo suspiria, gemitus, & querelæ calamitosorum hominum: quibus permotus Gedeon Cracouiensis Episcopus, vir magni animi & constantiæ, Mieczislaum semotis arbitris adit: mixtisque cum grauitate blanditiis, orat & admonet placide, more maiorum vt regnet, contentus vsitatis vectigalibus & operis hominum: ne quid præterea à libero populo exigat, abhorrere enim vehementer animos popularium à nouis oneribus, quamuis leuibus. Magistratus rite atque ordine dignis hominibus mandet, neu quid iniuste aut crudeliter ab eis fieri patiatur: eius enim periculo omnes eius vicarios ac ministros peccare. Commemorabat nonnulla exempla domestica vetustiora atque recentia, quibus eum ab instituto deterrebat. Sed nil plane profecit, nisi quod eum sibi infensum reddidit, & ita dimissus est, vt sua curaret: illa ad ipsum nil pertinere: se suo arbitratu, non ad cuiusquam præscriptum gesturum esse Principatum.

Mieczislai asper dominatus.

Gedeon Episcopus Cracouiensis corripit Principem.

Mieczislai contumacia.

Tam superbe & procaciter reiectus Gedeon, haud remisit tamẽ solicitudinem subueniendi afflictæ patriæ, atque emendandi Principis: & cum apertis monitis suis præclusum esse aditum ad aures eius intelligeret, callide comminiscitur, quomodo suo eum sibi iudicio reuincat: Mulierem subornat, quæ sordido ac miserabili habitu assumpto, vbi in conspectum Principis venit, lamentabili voce & eiulatu ementito opem eius implorat. Motus eius lachrymis & importuno clamore Mieczislaus, accitam quid queratur, quidue sibi velit, rogat. Illa gregẽ se ouium numerosum habuisse, & filio commendasse, illum porro mediastinis pascendum commisisse: eorum negligentia gregem à lupis dilaniatum, seque ad extremam inopiam inde redactam esse: rogare, vt, cuius culpa damnum datum esset, ab eo præstaretur. Citati mediastini, qui pariter subornati venerant, negant sua negligentia damnum datum esse, verum adolescentis, qui priuignus, non filius esset eius mulieris, culpa, Eum enim venationi deditum, feros canes alere, qui soluti, partim ipsi gregem laniarint, partim disiectum ac dissipatum lupis in prædam dederint. Eum igitur damnum præstare oportere: se neque canes

Commentũ sapiens.

canes abigere, neque dispersis ouibus succurrere potuisse. Aderat & adolescens, crimenque in mediastinos referebat: se præsidio gregi canes alere. Neque tamen satis illorum dicta refellebat. Cognita causa Mieczislaus, cum nonnihil cogitasset, condemnat matri siue nouercæ adolescentem damni illati: approbantque, qui tum aderant Senatores, Principis iudicium. Ibi tum Gedeon: iuste, inquit, & sapienter iudicasti Princeps inclyte. Adolescens certe maternæ calamitatis & laniati gregis culpam sustinet, quippe qui eiusmodi canes apud gregem habuerit, qui non modo præsidio gregi aduersus lupos non fuerunt, verum ipsi eum vel concerpserunt, vel certe dissiparunt, quo magis luporum morsibus esset obnoxius. Verum tunc demum iusti & veri iudicis functus eris officiò, si iudicatum ipse facias, & quæ in alios statuis, primus in te ipse præstes. In te ipse nunc iustam tulisti sententiam: te ipse condemnasti. Tu filius es huius amplissimæ & florentissimæ dudum Reipublicæ matris tuæ: sed tu te priuignum dici mauis (tametsi non tam tua hæc culpa est, quam aliorum) te illa in lucem editum, ac tenere educatum ad hoc honoris fastigium extulit: tibi gregem suum, seque ipsam curandam ac tuendam commendauit: tu porro gregem eum nummariis iudicibus ac magistratibus tradis: tu feros canes, hoc est, crudeles exactores & præfectos facultatibus & sanguine innocentium hominum saginas: quorum cupiditate cæca & asperitate fit, tenuiores vt à potentioribus, perinde quasi à lupis impune diripiantur & opprimantur. Hæc damna omnia ac incommoda Reipublicæ tibi præstanda sunt, quemadmodum ipse iudicasti, si non humano, at diuino certe iudicio: quod nemo, quamuis magnus, quamuis potens, quamuis sapiens recusare potest, aut effugere. Resipisce igitur, & miseram sordidamque matrem, afflictam Rempublicam, quam florentem accepisti, respice: ne eas perditum quam seruare debes. Si præstare præterita non vis, aut non potes, at in posterum ne quid loci querelis hominum relinquas. Ita autem existimato, per me tibi nunc vniuersam Rempublicam, ad genua tua accidentem supplicare. Quod si preces eius repudias, illa quidem fortasse diuinitus salutem & præsidium nacta fuerit: at tu vltorem Deum experiere, seueriorem fortasse, quam cognominis tuus Rex Mieczislaus, quam Boleslaus eius nominis secundus, maiores tui: quam Vladislaus frater: quam denique omnes, quicunque vsquam auare & crudeliter dominati sunt, quandoquidem eorum exemplis atque exitu non commoueris. Incensus hac oratione Episcopi Mieczislaus, fremens è Senatu se proripuit: multa Gedeoni, multa cæteris Senatoribus, qui Gedeonis dicta approbare videbantur, minitans, & plusculum iræ & odio suo indulgens, grauior etiam deinceps hominibus esse pergit.

Gedeonis oratio ad Principem liberæ.

Forte autem in maiorem Poloniam proficiscebatur: eam occasionem nacti Primores, cum auctam etiam esse monendo acerbitatem Principis viderent, & minas ac sæuitiam eius cum animis suis reputarent, conueniunt certo loco, & secreto inter se de salute sua & Reipublicę cõsultant. Princeps Gedeon amouẽdum esse Principatu Mieczislaum tam pręfractum & imporẽter dominantem censet. Eius sententiam sequuntur cæteri, sed vnus oẽs premebat scrupulus, quem ei successorẽ darent. Ibi Stephanus Palatinus Cracouiensis Casimirum Sendomiriensem Ducem nominat: grauitatẽ ei⁹, humanitatem, facilitatẽ, iustitiam, solertiam, vigilantiam, & animi moderationem prædi-

Proceres de Principe consultatio.

Casimiri Ducis laus.

prædicat, iudicium, ac diligentiam in mandandis iudiciis ac magistratibus, liberalitatem in remunerandis recte factis, seueritatem in puniendis sceleribus & flagitiis etiam suorum ministrorum inprimis laudat. Quam sit fratri dissimilis, vel vno eius facto posse cognosci. Accidisse aliquando, vt cum aulico quodam suo Ioanne Gonario alea luderet animi oblectandi gratia. Incensum vtrumque vincendi studio, in profundam noctem ludum produxisse: pertæsos deinde ludi & vigiliarum, vno iactu summam reliqui lusisse: vincentemque Casimirum, & quod lucratus erat argentum non modicum auferentem, palma manus in faciem à Conario ictum esse: illumque noctis beneficio elapsum, postridie inuentum, & ad Casimirum adductum. Clamantibus autem cunctis, eum capitis pœnam commeruisse, qui Principis maiestatem minuisset: minime gentium, inquit Casimirus, eum occidi oportere, qui dolore grandis iacturæ incogitans deliquisset, & cum fortunam, à qua damno affectus erat, vlcisci non posset, in se fortunæ alumnum commotus esset. Se magis in culpa esse, qui conditionis suæ ac dignitatis oblitus, eum ad ludendum prouocasset. Non modo igitur se eum absoluere, verum etiam ipsi gratias agere, quod se ictu illo admonuisset, ne quid indignum Principe in se admitteret, neu se ludo, aut vlli rei leui ac inhonestæ deinceps daret. Sic igitur illum Principem, seueriorem in sese, quam in alios iudicem, homini, à quo læsus erat, omnium iudiciis damnato, indulsisse: quin & argentum omne, quod ludo quæsierat, ipsi reddidisse. Ad eum igitur deferendum esse Principatum: eum iure & more Mieczislao succedere debere: eum fama virtutum suarum & gratia plurimum valere apud omnes ordines, ita vt ei nihil negocij futurum sit, vim Mieczislai, si is Principatum repetat, repellere. Si recusset, consensu suo & autoritate Reipublicæ, cuius ipsi personam sustineant, vel inuitum cogendum esse, vt causam publicam suscipiat. Huic sententiæ cum omnes assensi essent, indidem ad Casimirum recta contenderũt, eum recusantem, & pietatem suam, ætatisq; fraternæ prærogatiuam causantem, & repudiatum à se prius eundem Principatum commemorantem, excipiunt illi & refellunt, quod dicerent, longe diuersam esse rationem huius tẽporis à superiori: quod tunc quidem priuatorũ quorundam consilio ac conspiratione delatum Principatum non sine iusta sugillatione violati officij in optime de se meritum & iuste imperantem fratrem Boleslaum, accepturus fuerit. Nunc vero Mieczislai mores ac tyrannidem publice perosis omnibus, nec diutius tolerare valentibus, à publico cõsilio eum rogari, vt afflictæ & oppressæ patriæ subueniat. Si persistat recusando, videat, ne ingratus & impius in patriam iudicetur, neue ea aliunde opem sibi petere necesse habeat. His atque aliis dictis vix tandem eum, vt postulatis suis annuerent, impulerunt. Sic Mieczislaus, cum non multum supra quatuor annos aspere & impotẽter dominatus esset, absens Principatu deiectus est, anno post Christum natum millesimo centesimo septuagesimo septimo.

Casimirus ad Principatum vocatur.

Mieczislaus principatu deijcitur.

CASIMIRVS PRINCEPS.

Anno Chr. 1178.

CAsimirus fratre amoto ad ineundum Principatum, & redigendum in suam ditionem Cracouiensem tractum, qui Principatui peculiariter attributus erat, paruo comitatu profectus est, ne non accitus, sed velut inuasor alieni, venire videretur. Venienti magna cum lætitia & gratulatione obuiam prodiit ingens omnis generis multitudo, liberatorem ac seruatorem eum

eum salutans. Pulsus & exclusus omni suo dominatu Mieczislaus Ratiboriam cum coniuge ac liberis se recipit. Inde ad Fridericum Imperatorem affinem suum profectus, cum frustra opem eius imploraſſet, propterea quod & Italicis rebus distinebatur, & in Asiam expeditionem parabat: reuersus & omni auxilio destitutus, ad fratris misericordiam per internuncios confugit. Nec sane durum se & inexorabilem Casimirus fratri calamitoso & supplici, & summo Principatu sese abdicanti, suamque modo portionem petenti, præbuit. Indignum enim iudicabat, fratrem nil male vnquam de se meritum exulare & egere, à filio natu maximo Ottone omnibus fortunis exutum, qui Procerum quorundam fauore & ope maiorem etiam Poloniam, quæ in fide Mieczislai adhuc erat, occupatis nonnullis arcibus ac munitionibus, ipsi eripuit, missisque ad Casimirum legatis in potestate eius se fore, & imperata facturum recepit: iratus patri, quod is præcipua quæque ditionis suæ natu minoribus filiis è tertia vxore susceptis destinabat. Cuius exemplum Pomerani quoque proceres secuti in Casimiri fidem se contulerunt. Cõmouit Casimirum ingens illa in fratre fortunæ mutatio, & inconstans rerum humanarum conditio. Itaque ad Senatum de reuocando Mieczislao, & ad dominatum suum restituendo refert. Grauiter Senatus, & non obscuro murmure eam Principis orationem excepit: petitoque seorsim ab ipso colloquendi & consultandi spacio, obiurgat Principem, quod priuatum officium publicæ saluti ac tranquillitati anteferret, præsentemque pestem optime de se merenti patriæ, ac sibiipsi quoque vellet accersere. Nunquam illum quieturum, neque vllam recuperandi summi Principatus occasionem prætermissurum esse: nihil de moribus & crudelitate sua mutaturum, eiectionis suæ recordatione. Desineret itaque restitutionis illius mẽtionem facere, aut ipse quoq; sibi ab infensa Mieczislao multitudine caueret. Hoc responso Senatus deterritus Casimirus, gratias agere singulis de tam constanti erga se voluntate, neque quicquam deinceps aperte de reuocando Mieczislao mouere: clam tamen, vincente misericordia & pietate, impensius ipsi fauere, & vt sibi aliqua ratione prospiceret, monere: non aduersante se id facturum esse. Habebat Mieczislaus filiam nuptam cum Mesciugo satrapa in Pomerania, qui florebat opibus & gratia populari inter Pomeranos. Eius igitur opera reconciliatis sibi Pomeranis, & collecta aliquãta manu, inopinantibus omnibus Gnesnam intercepit, non ignaro, sed conniuente Casimiro: nec cunctatus, complures alias munitiones partim vi, partim per deditionem capit. Quibus rebus consternatus Otto, petita & impetrata venia, patris potestati sese omniaque permisit. Sic Mieczislaus post biennium rursus omni dominatu maioris Poloniæ à patre attributo potitus est. Casimirus vero initio statim Principatus sui vectigalia illa & labores, cæteraque onera, quibus instituendis & exigendis Mieczislaus offenderat, sustulit: iudicia correxit: magistratuum licẽtiam coercuit: infinitamque potestatem circumscripsit: prauos quosdam & barbaricos Procerum ac Nobilium mores, quibus ij tam suos quam aliorum subditos opprimebãt, in comitiis apud Lenciciam habitis anno Christi millesimo centesimo octuagesimo omnino sustulit. Inoleuerũt enim superiorũ Principũ negligentia & cõniuentia, vt iter facientes quotiescunq; & vbiq; collibitũ esset, agros & prata rusticorum & oppidanorum depascerentur, ac non modo pabulum, sed etiam victum omnem ipsis imperarent, siue adeo ipsi effractis horreis ac cellis per vim auferrent: neque contenti, quantum libuisset,

Mieczislaus senex à filio pulsus.

Pomerani ad Casimirũ à Mieczislao deficiunt.

Mieczislaus Pomeranorum ope ditionẽ suam recuperat.

Otto patri reconciliatus.

Comitia Lenciciæ.

buisset, absumpsisse, reliquum etiam malitiose profundebant, dissipabant, & corrũpebant, iumenta è pascuis & stabulis, atq; etiam iuncta curribus & aratris vtenda, vel potius ad cursum abutenda abducebãt: eaq; vel defatigata & enecta dimittebant, vel, si forte placuisset, retinebant & vsurpabant. In possessiones & facultates morientium Episcoporum ac cæterorum sacerdotum inuadebant, easq; crudeliter diripiebant. Quin & prefecti Principis idem faciebant, & Principis horrea, prædia, & fiscũ bonis, cultus diuini administris & egẽtibus dedicatis, augebant: Domesticos quoq; motus quosdã per ea tẽpora excitatos optimus Princeps placide & sine bello composuit, ita vt nulla non pars Reipublicæ curata, ac melius, quam dudum, constituta esse videretur. Obtinebãt Silesiam, certis ac distinctis finibus Vladislai filij. Ex his Mieczislaus sorte sua non contentus, Vratislauiam Boleslao ademerat: verum Casimirus inter eos pacẽ fecit, & Boleslao quidem Vratislauiam restituit: Mieczislao vero, quo æquiori animo conquiesceret, Osuiecimense territorium de suo largitus est: filiumq; tunc ei natum è sacro fonte suscepit, ac de suo nomine Casimirum appellauit.

Anno deinceps Christi millesimo cẽtesimo octuagesimo secundo ad Haliciam duxit exercitum, vt Mieczislaum Ducem sororis suæ filium, quasi nothum à fratribus pulsum, reduceret. Molestè ferebant eam expeditionem plerique Proceres, fortassis recordatione cladis apud illud oppidum Boleslao Criuousto rerum potiente, acceptæ: mussitabantque, se ad externum & iniustum bellum procul domo educi. Hæc Casimirus, cum ad eum perferrẽtur, dissimulauit, & in proposito perstitit. *Halicienſe bellum.* Ad Haliciam ventum erat, cum nunciatur, Vseuolodum Belzensium, & Volodimirum Mescislai exulis fratrem Halicienſium Duces cum magnis copiis appropinquare. Tunc vero aperte Poloni fremere, & queri, se plane prodi hostibus. Russi contra alacres, & pleni bonæ spei ex responsis sagarum & magorum, quibus ea gens apprime dedita est, prospera omnia suis pollicentium, conuiciis Polonos *Oratio Casimiri ad milites.* lacessebant. Nihil his commotus Casimirus, paucis milites ad præliandum cohortatur. Eosdem esse hostes, quos ipsi cum alias sæpe, tum superioribus aliquot annis apud Posnaniam fratribus suis ducibus, pauci multos vi-
» cissent: alacritatem illam incõsultæ temeritatis, conuicia vero mulierositatis esse argumentum. Ipsi, qui se viros semper præstitissent, manu ferroq;
» maledictas linguas vlciscerentur, seque indignos esse illis maledictis, dignos maioribus suis Russiæ domitoribus ostenderent: & manibus partim
» patrum, partim propinquorum suorum, qui iis ipsis in locis dolo ac proditione victi cecidissent, sanguine perfidorũ Russorum parentarent. His animatos in aciem educit, ac sinistro quidem cornu Nicolaum Palatinum Cracouiensem ducem exercitus præficit, ipse vero dextrum administrat. Nec mora, signis canere iussis, pugnandi copiam facit. Explicant & Russi acies suas, concurritur infestis armis & animis, ac durum prælium committitur. Premebantur Poloni in sinistro cornu à sagittariis, nec iam suos satis seruabant ordines. Ibi Casimirus re intellecta subsidium suis laborantibus submittit, & inclinatam aciem vix restituit. Reprimuntur feroces Russi, & mox mutata fortuna pedem referre incipiunt. Instant Poloni acrius *Casimiri victoria de Russis.* turbatis ac terga dantibus: & cohortati se mutuo in fugam eos coniiciunt. Quo animaduerso cæteri, qui dextrum Polonorum cornu adhuc sustinebant, terga vertunt & ipsi: persequuntur Poloni, maiorem longe in fugientibus

tibus stragem edunt, permultos viuos capiunt: duces hostium commutando equos euasere. Deinde reuersi castra opulenta diripiunt: Halicienses mox deditionem fecere. Quibus Casimirus Mescislaum Ducem præfecit, accepto ab eo iureiurando, quod semper in fide & clientela Principum Poloniæ futurus esset.

Dum hæc in Russia geruntur, Mieczislaus senex, iam ante ad omnem recuperandi summi Principatus occasionem intentus, & multa sæpe apud suos de Casimiro fratre questus, conatusque clam Procerum animos ab eo alienare, tunc vero ablente Casimiro magis etiam curam & cogitationem suam omnem in id intendit: Lescum Boleslai fratris filium blanditiis captabat, Ziramque Comitem, qui curator & consiliarius Lesco à Casimiro datus Masouiam & Cuiauiam omnem gubernabat, muneribus & ingentibus promissis induxit, vt ipse à Lesco, qui lento morbo consumebatur, hæres scriberetur, tutorque reiecto Casimiro nuncuparetur. Videbat enim, permultum rebus ac viribus suis accessurum esse, si Masouiam & Cuiauiam sibi adiunxisset. Et expugnata quidem est adolescentis constantia curatoris persuasione, quod is verebatur, ne paulo post à curatione illa Mieczislai autoritate amoueretur. Asseuerabat enim Mieczislaus, conueniisse sibi secreto cum Casimiro fratre, vt ipse pro interuerso principatu ius succedendi Lesco haberet. Igitur cum à Russica expeditione Masouij & Cuiauij reuertissent, iurant omnes in verba Mieczislai, Lesco iubente. Id cum accepisset Casimirus, ferebat æquo animo, & quauis ratione quam armis fratrem & alterius fratris filium sanare, iusque suum recuperare malebat. Et cito sane mansuetudini & lenitati eius fortuna respondit. Nam vt Mieczislaus curationem Lesci, ac dominatus eius administrationem adiit, amouit veteres magistratus & præfectos in Masouia & Cuiauia, nouosque arbitratu suo instituit, ac pro domino, non curatore se gerere cœpit. Molestè ferebat Lescus, negligi se, viuentemque dominatu suo pene excludi: Zira vero autoritate sua excidisse se, & in contemptũ venisse animaduertebat. Vtrunq; pœnitebat præcipitis consilij, quo se ab optimo Principe Casimiro alienassent, & vltimam patris voluntatem temere immutassent. Itaque optimum factu rati, male cõsulta emendare, ad Casimirum proficiscuntur: fatentur peccatum: excusant imprudenter verius, quam malitiose factum: deceptos se esse à Mieczislao, quod ei credidissent affirmanti, ita sibi cum Casimiro constitutum esse, vt ipse Lesco hæres fieret, procidunt, errati veniam petunt, orantque lachrymantes, vt se in gratiam fidemque recipiat. Ignoscit Casimirus supplicibus, comiter prius castigatis, & quod resipuissent, collaudatis, inde Lescum amplexus, exosculatus, & ampliter muneratus dimittit, & ad sua recipienda reuerti iubet. Atque ita ille fecit, & vix biennium postea vixit. Cum autem diuturno morbo exhaustus, destitui se viribus sentiret, Casimirum ad se accersiit, & se viuente Masouiæ & Cuiauiæ possessionem adire iussit, ne quid postea Mieczislaus turbaret. Mortuus Plosci à Casimiro honorifice sepultus est. Ex eo tempore Masouia semper, Cuiauia etiam aliquandiu deinceps in ditione Casimiri permansit. Ægre successionem illam Casimiri tulit Mieczislaus, quod diceret, iure se quoque è semisse fratris filio hæredem esse: sed tamen gratiam & potentiam Casimiri reueritus quieuit.

Mieczislaus Masouia & Cuiauia arte potitur.

Casimirus Masouiam & Cuiauiam sua potestatis facit.

Lescus moritur.

Anno deinde post Christũ natum millesimo cẽtesimo octuagesimo quin-

Bellum Russicum.

to bellum Russicum, ex eoque natum Vngaricum Casimirum excepit, ex huiusmodi causa. Mescislaus ad Halicienſem principatum à Casimiro reductus, vix exacto triennio propter impotentem dominatum, & quod in Polonos, quos circum se præsidij causa habebat, propensior erat, parum suis fidens, veneno sublatus est: reuocatusque Volodimirus ex Vngaria, quo se ex aduerso illo Halicienſi prælio receperat. Atque is, quod audierat, Romanum Vladimirienſium Ducem fratris sui filium à Casimiro Polonorum Principe missum Haliciam contendere, commeatum, auxilia, & reductionem à Bela Rege Vngarorum petiit. Sed non modo non impetrauit, sed etiam in vincula coniectus est: missusque celeriter cum non contemnenda manu à Bela Andreas filius, qui Haliciam in suam potestatem redigeret. Venienti Andreæ magno cum plausu Halicienſes portas arcis aperiunt, rati, eum Volodimiri, non suam rem agere: præsertim affirmante illo, Vlodimirum ponere se sequi. Occupata arce, profitetur, id, quod erat, non Volodimiro, sed sibi dominatum se quæsiuisse. Deinde iurare omnes in verba sua cogit. Renuentes aut cunctantes modo capit, cæteros arce excludit, magistratibus amouet, ac per suos Vngaros omnia administrat. Cæterum Volodimirus tam aperte circumscriptus à Bela, cum biennium fere in custodia asseruatus esset, corruptis custodibus effugit, iisdemque comitibus Haliciam peruenit: sed arce tamen potiri non potuit, tenentibus eam ac defendentibus Vngaris. Confluxere mox ad eum Russi, cum quibus viciniam omnem latrociniis infestare cœpit, ingentesque prædas hominum, pecudum, & iumentorum etiam è Præmislienſi tractu, qui tunc Polonis parebat, egit. Non tulit id Casimirus, verum misso cũ expeditis copiis Palatino Cracouienſi, prædatores illos persecutus, in remotiores syluas ac montes propulit. Cum vero in angusto res suas positas esse Volodimirus secum perpenderet, iamque non tam de recipienda Halicia, quã de salute sua cogeretur esse solicitus, damnabat ipse consilium suum, quod Russos & Polonos, à quibus auxilium sperare debuerat, parui compendij causa in se prouocasset. Respicere deinde ad Casimiri clementiam cœpit: ad quem cum petita per internuncios fide venisset, facile non modo veniam, sed etiam auxilium impetrauit, dato iureiurando, se in fide & potestate Polonorum semper fore. Mittitur ad eum reducendum cum valido exercitu Palatinus Cracouienſis: coniungunt se cum Polonis Russi, coronaque Haliciam obsident, fossisque & castellis muniunt, ne quid ad obsessos importaretur, quos nouerant breui difficili annona vsuros esse. Alacres initio obsidionem atque omnia incommoda ferebant Vngari, qui arcẽ tuebantur, quod propediem Belam Regem cum magnis copiis ad liberandum filium affore sperabant. Sed cum is moraretur, nec iam alimenta obsessis supperterent, deditionem fecere, pacti cum Palatino, vt ipsis vna cum rebus suis saluis discedere liceret. Magnam ea victoria & restitutione Volodimiri laudem apud exteros & maxime apud Russos Casimirus adeptus est: quod, quẽ Bela hospitem violarat, ipse hostem deuicto & ejecto Regis Vngarię filio, in paternam sedem collocasset.

Vngaricum bellum.

At Bela non ferens contumeliam obsessi & ejecti filij, ereptęque Haliciæ, querebatur violata à Casimiro fœdera, quæ Vngari cum Polonis à multo tẽpore sanxissent. Et iustum quidem in Polonos bellum maiore vi moliebatur: tunc autem misso, quem ad manum habebat, exercitu, Poloniæ fines depopulatus est. Idem fecerunt Poloni vicissim in Vngaria: Vastabantur vtrinque agri,

agri, exurebantur villæ, diripiebantur vici & oppida, miseri agricolæ & mercatores in seruitutem abducebantur, greges & armenta abigebantur. Grauiter id ferre Poloni, fremere contra Principem, violatam ab eo cum Vngaris pacem & amicitiam querebantur, exuscitatumque minime necessarium bellum perfidi hostis gratia, quem non adiutum ac restitutũ. sed supplicio propter vexatam Poloniam affectum esse oportuerit. Ne Vngaris quidem bellum illud placebat, distinebantur enim ij tunc bello Dalmatico cum Venetis gerendo. Agitur de pace per proceres vtriusque gentis: quę cum difficilius coiret, quod vtrique ab alteris iniuria se affectos esse asseuerarent, tandem triennes inducię fiunt, vt interim de pace per ocium constitueretur.

Inducię cũ Vngaris.

Collegerat permultum odij Casimirus apud plerosque proceres ac equites illa Volodimiri restitutione, & bello Vngarico. Igitur cum is forte in Russiam controuersiarum quarundam de finibus inter Vsenolodum Belsenſium, & Romanum Vladimirienſium Duces componendarum causa profectus esset, celeriter conspirarunt contra eum Proceres. Mieczislaum accersunt ad recipiendum amissum pridem principatũ: & quo magis in eum studia populi inclinent, fingunt Casimirum in Russia veneno extinctũ esse. Accurrit propere Mieczislaus, recipitur à proceribus, præfectis, & cætera multitudine: Cracouiam venienti portæ vrbis aperiuntur: arcis vero aditu arcetur à Fulcone Episcopo, ac Nicolao Palatino fratribus, qui à conspiratione illa alieni, firmo eam militum ac clientum suorum præsidio tenebant. Quo viso, aliam ex aduerso illius arcem in oppido excitauit Mieczislaus è robore, Bochnæ item aliam, de quarum munitionibus aduersariorũ & Casimiri conatus reprimeret. At Casimirus certior factus de defectione suorum, auxilia Volodimiro, Romano, & Vsenolodo imperat, ipsosque proficiscí secum iubet: præterea quantum potest voluntariorem & mercenariorum militum cogit. Cum his copiis Cracouiam contendit: coniungit se cum eo Nicolaus Palatinus cum non contemnenda manu: Miecz'slaus, vbi appropinquare Casimirum cum valido exercitu cognouit, Boleslaum filium cum Henrico Kitlicio, qui ipsi cum aliorum consiliariorum, tum repetendi Principatus semper autor fuerat, in præsidio nouæ arcis relinquit: ipse in maiorem Poloniam maioris exercitus comparandi causa, magnis itineribus contendit. Verum antequam ille veniret suis suppetias, Casimirus summa ope adnisus, nouam arcem vel expugnauit vel per deditionem accepit, & exussit: fratris filio & plerisque omnibus aduersæ partis militibus non modo vitam & libertatem concessit, sed etiam ampla munera largitus est. Qua indulgẽtia & clementia sua ita sibi cum omnium, tum imprimis Mieczislai fratris animum deuinxit, vt nunquam is deinceps, quoad vixit Casimirus, de repetẽdo Principatu cogitarit. Cæterum Kitlicius, cum culpam illius belli solus sustineret, supplicioque se destinatum esse intelligeret, in penetralia primarij templi q̃ Trinitatis appellatur, Cracouiæ se abdiderat. Sed Russis victoriæ fiducia, & innata auaritia ad diripiendum templum irruentibus, in turbam se immiscuit, vt ignotus effugeret. Verum tumultu Russorum interuentu Casimiri sedato, Kitlicius in turba agnitus & comprehensus, Romano Duci à Casimiro traditus est in exilium deportandus. Russi præmiis affecti, domos remissi sunt. Cum Vngaris deinde certa pax constituta, & Principum ipsorum congressu confirmata, ea lege vt vtrinque obliteratis iniuriis, & condonatis inuicem offensis Rex Vngarorum Halicienſi ditione & Russia omni se absti-

Mieczislaus senex à minoris. Polonis ad principatũ reuocatur.

Casimirus principatũ recuperat auxilio Russorum.

79

Pax & cõgressus Vngari cum Polono.

neret: communes amicos, communesq; hostes Vngari & Poloni haberent: ad extremum Proceres & Principes ipsi donis inter se certarunt, conuētumque amice soluerunt.

Prussicum bellum.

Pacatis domi rebus, Casimirus Prutenis bellum intulit, vt cladem sub Boleslao Crispo acceptam, fratrisque Henrici mortem vlciscereturr, & gentem barbaram atq; rebellem domaret. Vbi ad fines Prutenorum ventum est, cautius exercitū ducere Casimirus, instructaq; acie, & exploratis itineribus progredi, pabulatum & frumentatum non nisi cum armatorum præsidio mittere: omnia deniq; circumspicere, ne quid detrimenti per insidias à vafro hoste acciperet. Nec sane irrita fuit ea cura & diligentia: obseruabant enim Polonos ex insidiis Pruteni, ad omnem occasionem bene gerendæ rei attenti. Sed in irritum ipsis cadebāt omnes conatus & doli. Poloni quacunq; proficiscebantur, incendiis ac cædibus omnia vastabant, nec vlli ætati, aut sexui parcebant, iusta ira & memoria cæsorum suorum animos omnium extimulante.

Pax Prutenis data.

Quibus malis victi Pruteni pacem supplices à Casimiro petunt: superiorum annorum tributa persoluerunt: imperata omnia in posterum se facturos sancte promiserunt: obsides centum dederunt primorum filios: captiuos Polonos dimiserunt: signa superiori bello de Polonis capta reddiderunt. Nam ad religionem Christianam, quam abiecerant, reduci se passi non sunt.

Deducto è Prussia exercitu, bellis omnibus, vel armis, vel benignitate, sapientia, & felicitate Casimiri extinctis, pacis artibus, hoc est, arcibus & oppidis instaurandis, moribusque & legibus ciuium emendandis reliquum ætatis tempus Casimirus transmittere cogitabat: & magnam sibi virtutis ac sapientiæ opinionem apud exteros iuxta atque suos conciliauerat: ita vt felix & admirabilis, & omnibus suis charus deinceps regnaturus esse videretur, cum subitus eum casus humi prostrauit. A Pontifice maximo Lucio eius nominis tertio reliquias Floriani martyris impetrauit, & in suburbano Cracouiæ septentrionali (quod post in formam oppidi redactum, nunc Clepatia dicitur) extructo splendido templo collocauit, idque templum preciosa supellectili dotauit. Porro diem martyris memorię sacrum, qui ad quartum nonas Maij anniuersarius institutus est, totum rei diuinæ in æde eiusdem diui Floriani impendit, largas in egenos & afflictos effundens eleemosynas. Quod fere omnibus festis diebus facere consueuerat, neque temere eos lusibus & conuiuiis contaminabat. Insequenti die grande conuiuium instruxit: Proceres omnes, qui tunc aderant, inuitauit. Feruente conuiuio, exhilaratis conuiuis, & multa de præteritis bellis ac periculis inter se conferentibus, ac Principis res gestas, & felicitatem celebrantibus, ipse nonnulla de immortalitate animi in medium proposuit. Deinde hausto mediocri poculo subito concidit, & paucis horis animam exhalauit. Subitusne morbus cū inuaserit, an venenum à muliercula, quam deperibat, præparatum hauserit, incertum est, nam & hoc sermone hominum diuulgatum est. Nec sane immunis & incorruptus ab illicitis amoribus & adulteriis vixisse fertur. Cætera moderatus, candidus, frugi, & abstinēs, seuerus iuxta & clemens, bello paceque clarus, & laude dignus princeps. In fratres vero, & fratrum filios ita pius & indulgens, vt multa detrimenta, incommoda, & pericula eorum gratia subiret. Diuini cultus perquam studiosus, multa ad ornatum templorum contulit. Monasterium Sulcouiense in Gnesnensi Diœcesi Cistercienſi sodalitati, antequam summum Principatum adeptus esset, condidit & locupletauit. In Principatu vero & Floriano martyri ædem & Collegium instituit, & Coprounicense monasterium eidem Cistercienſi sodalitati excitauit. Regnauit autem Casimirus annos septendecim propemodū, vixit sex & quinquaginta: reliquitque filios duos impuberes, Lescum (cui Albo à capillorum colore cognomen inditum) & Conradum: & filiam Adleidam, quæ decimoseptimo post patrem anno mortua est, cum caste religioseque vixisset. Nam Boleslaum puerum admodum viperæ morsu extinctum viuēs Casimirus amisit. Fuit autem is annus, quo mortuus est Casimirus post Christū natum millesimus centesimus nonagesimus quartus. Quarto vero post mortē die in Basilica Cracouiensi sepultus est, magna vxoris, filiorū, atq; omnium ordinum comploratione.

Casimirus moritur.

Casimiri mores & studia.

LESCVS ALBVS CVM MATRE, *Ethnarcha Poloniæ.*

FVnebribus iustis Casimiro peractis ibidem Cracouiæ, vt frequentes proceres atq; equites ad funus Casimiri cōuenerant, comitia instituunt. Ibi dies aliquot variis studiis ac sentētiis certatum est. Et Fulco quidem Episcopus Cracouiensis, qui Gedeoni successit, ob memoriam Casimiri meritorū, censebat ad filium eius Lescum natu maiorem deferendum esse Principatū, & quidem priusquam Mieczisla senex, aut Vladislai filij moliri aliquid possent. Alij contra periculosum esse asserebant, puero tanti imperij habenas committere: cauendum esse, ne hæreditarium principatum facerent, quem liberis suffragiis, cui vellent, mandare more maiorum possent. Quod si valere quicquam deberet sanguis & successio, Mieczislaum senem vnum de filiis Boleslai Criuoſti superesse: ei deberi Principatum cæteris fratribus extinctis, iure & more gentium. Sin crudelem & impotentem eius dominatum pristinum perhorrescerent, esse proximos gradu Silesiæ Duces Vladislai Principis filios. Ex his Mieczislaum Opoliensem & Ratiborienſem Ducem, & vicinum sibi esse, & armis prudentiaque multum valere. Eum, si Princeps renunciatus sit, & Mieczislai senis conatus, quem verisimile sit, nō esse quieturum, reprimere, & tributarios principes & populos, si qui forte ad res nouas aspirent, in officio posse cōtinere. Non iniquis auribus ea accepta est sententia: vicissetque adeo, ni Fulco eam refellisset, quod diceret. referendam esse hancce gratiam optimo Principi Casimiro, ne eius filij posthabeantur. Potentiores autem eos esse paternis meritis, clientelis, amicitiis, ac dominatu hæreditario, quam vtrunque Mieczislaum. Nam quod ætatem eorum & infirmitatem consilij quis caussificetur, nihil esse. Esse iam pubertati propinquum Lescum: nec obstare quicquam, quin ei, dum adolescit, curatores & moderatores consiliorum de Senatu dentur. Assentiuntur tandem Fulconi omnes, & Lescum Album Principem renunciant. Sed interim, dum is adolescit, Proceres penes matrem eius Helenam imperium omne & summi Principis autoritatem esse iubent, ea quidem lege, ne quid illa sine consilio Episcopi & Palatini Cracouiensis, qui curatores puero ac gubernatores dati sunt, faceret. Ibi Nicolaus Palatinus facta audientia, gratias agit cunctis de gratitudine erga defunctum Casimirum, ac de studio erga filium eius Lescum, primusque in verba eius iurat: & quoniam se cum fratre curatorem eius esse voluissent, eiusce modi iusiurandum

Anno Chr. 1195.

Comitia Cracouiæ de creando principe.

Lescus Princeps creatur.

randum ab omnibus exigit. Protinus igitur iurant cuncti, semper se Lesco Principi fideles & obsequentes fore. Hæc vbi Mieczislao seni, ita vtacta erant, nunciata sunt, maiorem in modum excanduit, non solum quod præteritus esset, sed quod temporis etiam puncto excluſus, ne adesse sibi in comitiis posset. Itaque comparare ipse arma ad persequēdam iniuriam: & suos, atq; etiam Silesios irritare, quod ad creandum cōmunem Principem, quem communi totius Poloniæ iudicio eligi, & creari oporteret, neque vocati, neque expectati essent. Collecto itaq; exercitu maximo, magna celeritate Cracouiam contendit, sperans terrore solo exercitus, absque vlla prælij dimicatione se aduersarios, & Principatum ipsum in potestatem suam redacturum esse. Sed eum spes fefellit. Nam Palatinus Cracouiensis cognito hostili aduentu, non contemnendas etiam & ipse copias collegit; & Romanus Vladimirienſium Dux euocatus, non paruam Russorum manum in auxilium Lesci adduxit. Iam in Cracouiensis oræ fines Mieczislaus senex inuaserat, & ad Mosgauam amnem septimo à Cracouia milliario statiua habebat, cū hostes adesse prius propemodum vidit, quam audiuit. Nondum ei Silesiorum auxilia conuenerant: id cum scirent aduersarij, anteuertendum sibi esse prælio existimarunt, dum pares hostibus esse possent; quibus vniuersis, si se coniungerent, impares futuri erant. Itaque instruunt acies, & pugnandi copiam faciunt. Nihil cunctatus Miecz slaus educit & ipse suos: concurritur infestis animis: magno ardore vtrinque pugnatur: cerneres miserabile spectaculum amicorum, affinium, gentilium, propinquorum, & fratrum, deuoto odio, nullaque misericordia aut respectu pietatis inter se confligentium: cadebant multi vtrinque: nemo referebat pedem: & magis ferre quisq; hostem, quam declinare ictum studebat. Boleslaus Mieczislai senis filius inter primos fortiter pugnans, in conspectu patris hasta traiectus occubuit. Romanus pluribus vulneribus acceptis, Russis suis partim cæsis, partim dissectis, prælio excessit semianimis. Mieczislaus ipse sauciatus, cum sese, quisnam esset, detracta casside prodidisset, supplexque veniam peteret, seruatus, & exacie clam eductus, fuga sibi consuluit. Nec multo post superuenere Mieczislaus & Iaroslaus Silesij Duces recentibus cum copiis: ad quos se recollegere dispersi exercitus maiorum Polonorum, fixisque signis quasi victores haud longe à loco certaminis consedere, cum ij, qui ex aduerso erant, perterriti ac diffugientes, pugnandi copiam facturi non esse viderentur. Sed non tuleruntij intempestiuam Silesiorum exultationem, cum ignominia sua coniunctam: verum celeriter à Gouoricio Palatino Sendomirienſi, cuius agmen in subsidiis superiori prælio collocatum erat integrius, recollecti, & in ordines redacti in aciem processere. Nec Silesij pugnam detrectarunt. Certatum est collatis signis, ab his quidem, vt rem sua mora perditam restituerent: ab illis vero, vt victoriam partam retinerent. Cum ingens vtrinque cædes fieret, Gouoricius ab hostibus captus est. Quo facto minores Poloni perturbati terga vertere: sed nox tamen fugientes texit. Postero die Silesij, cum Mieczislaum senem saucium lectica domum referri cognouissent, nec vsque adeo fractos minores Polonos esse animaduerterent, quin ij recollectis animis & viribus prælium instaurare possent: trophæis erectis, & abductis captiuis domum reuerterunt. Quieuerunt post aliquandiu tam Silesij, quam Mieczislaus senex, cum quod non satis prospere primi conatus ipsis cesserant, tum quod Cracouiensibus & sociis eorum neque animos, neque vires, neque constantiam

Mieczislaus aspirat rursus ad principatum.

Bellum ciuile inter Polonos.

Prælium ad Mosgauam.

tiam ad defendendum Lesci principatum deesse intelligebant. Dum hoc in statu est Polonia, venit à Pontifice Cœlestino eius nominis tertio legatus in Poloniam Petrus diaconus Cardinalis cognomento Capuanus: habitisque Synodis cum alia quædam, quæ aduersa religioni Christianæ & constitutionibus ecclesiasticis in vtroque ordine inoleuerant, correxit, tum sacerdotibus iniunxit, vt concubinas & vxores, quibus tunc passim libere vtebantur, à se abdicarent.

Anno millesimo centesimo nonagesimo octauo Volodimirus Halicienſium Dux mortuus, nouæ expeditionis occasionem Polonis præbuit. Ambiebant dominatum Halicienſem nonnulli Russorum Duces, & in his facile Princeps Romanus Vladimirienſium suo quodam iure sibi eum deposcebat, quod & Volodimiri fratris filius esset, & bene meritum de Polonis & Lesco Principe ciuili illo bello se esse diceret. Abhorrebant autem Halicienses ab Romano, crudelitatis eius metu. Itaque decreuit Senatus, vt Romanum Nicolaus Palatinus cum exercitu in Halicienſem principatum induceret. Ibi Lescus orare, vt sibi cum exercitu illo proficisci liceret. Pertæsum se iam esse mollis & ociosæ vitæ, quam hactenus inter cœtus muliebres apud matrem exegisset. Cupere se deinceps armatum inter armatos viros versari, & quæ Principis essent munera, vsu condiscere. Si adhuc nequiret alium, tamen eum se vsum in exercitu præstiturum, quem signa sua præstarent. Quod si non impetraret, tamen vel cum vno comite castra se secuturum esse. Itaque approbante Senatu & indolem dignam Principe, & neutiquam degenerem à maioribus ipsius certatim extollente, cum exercitu proficiscitur, Palatini Cracouiensis custodiæ commendatus. Vbi in Halicienſem agrum ventum est, occurrunt Halicienses armati & instructi: præsenserant enim Romano se addictum iri. Excipiunt Poloni eorum impetum, & minimo negocio in fugam eos coniiciunt. Pulsi fusique veniam petunt, auri & argenti, gemmarum, vestium, & equorum magnam vim Lesco policentur, si ipse eos in ditione sua teneat, nec Romanum ipsis dominum imponat. Posteaquam non impetrarunt, imperata se omnia facturos promiserunt: portas arcis aperuerunt, iussique Romano sacramentum publice dixerunt. Is porro Lesco Poloniæ Principi fidē suam obstrinxit. His peractis, dimissoque exercitu Lescus Cracouiam rediit.

MIECZISLAVS SENEX ITERVM.

Anno Chr. 1199.

Mieczislaus vero senex quamuis post Mosgauiense prælium ad male tē- tata prius arma segnior factus esset: animo tamen haudquaquā conquiescebat, neque cogitationem recuperandi iniusti sibi præcepti, quemadmodum ipse existimabat, principatus deponebat. Sed cum aperta vi peruenire se ad eum posse diffideret, ad dolos cōuersus est. Ac primum quidem Cuiauiensem oram, quæ in potestate Casimiri liberorum erat, ditioni suæ finitimam fraude quarto, postquam ad Mosgauam male pugnauerat, anno intercepit. Quod facinus eius cum armis vindicatum non esset, propter ætatem puerorum, ac dissensionem Palatinorum Cracouiensis & Sendomiriensis (quæ ab æmulatione & obtrectatione orta, eo vsque progressa est, vt Gouoricius Palatinus Sendomiriensis solum vertere cogeretur) maiora deinde moliri Mieczislaus cœpit. Episcopum Cracouiensem & Palatinum fratrem eius, donis & ingentibus policitationibus ad proditionem solicitat. Quod vbi

Cuiauia subacta à Mieczislao sene.

Mieczislai conatus.

vbi non succesſit, muliebrem ſexum credulum ac deceptioni propter infirmitatem conſilij obnoxium, blandis dolis adoritur. Ad Helenam Leſci matrem, penes quam tunc erat ſumma rerum, allegat: negat Leſcum rite Principem creatum eſſe, neque ſe inuito certum ſtabilemque Principatum obtineri poſſe, quem ipſe bis ſibi præreptum omni ratione repetiturus & vindicaturus eſſet. Non deeſſe ſibi conſilia, non vires domeſticas, non auxilia externa. Leſcum vero puerum eſſe, curatores eius inuidia laborare, bonam Nobilitatis partem clam ſecum ſentire, Senatum in duas factiones diuiſum inter ſe diſſidere. Hæc omnia pro ſe, & contra puerum facere. Nuper id adeo rem ipſam declaraſſe, cum Cuiauienſem terram impune occupaſſet. Verum ſi ſibi ea Principatum concedat, redditurum ſe eſſe filiis eius Cuiauiam, cincturumque ipſos militari Balthco, & in filiorum locum adoptaturum, certoſque ſibi ſucceſſores in Principatu ipſos deſignaturum. Et ſane ſenem ſe eſſe, nec diu viuere & regnare poſſe: interim dum Leſcus aptus fieret Principatui, rectius ac conuenientius eum à ſe, qui tamen de regia ſtirpe, & patruus Leſci eſſet, quam ab alienis, ac ſeruis ſuis adminiſtrari poſſe. Dedignari Nobiles æqualium dominatum, ſe & cæteros Duces à Ducibus ortos, & Regibus oriundos minime laturos inferioris ordinis hominum imperium: atque ita principatum Leſci vna cum ditionibus paternis in diſcrimen venturum eſſe. Eius rei non obſcurum argumentum eſſe Gouoricij cum Nicolao Palatino Cracouienſi diſſenſionem. His inducta & perſuaſa credula mulier, nequicquam aduerſantibus curatoribus ac cæteris proceribus, annuit Mieczislai poſtulatis, modo vt is iurisiurandi religione promiſſa ſtabiliat. Quod ille cum ſe facturum recepiſſet, condicta die, quæ diui Bartholomæi memoriæ conſecrata eſt, Cracouiam cum ſplendido procerũ ſuorum comitatu veniens, haud grauatim fecit. Iurarunt & Proceres vtriuſque partis, ſe ea omnia, quemadmodum pacta conuenta eſſent, rata firmaq; habituros eſſe. Ita rurſus Mieczislaus Principatu potitus eſt: Helena vero cum filiis Sendomiriam commigrauit. Nec multo poſt Gouoricius amicorum literis reuocatus, quod iam nil commune cum Nicolao habiturus eſſet, è Bohemia rediit.

Mieczislaus principatu potitur.

Hoc anno, qui fuit à Chriſto nato milleſimus ducenteſimus, ad quintum nonas Maij terræmotus vehemens meridiano tempore excitatus, aliquot diebus conſequentibus permulta ædificia in Polonia, & in vicinia eius conquaſſauit: quæ res inaudita propemodũ in his regionibus prodigij loco habita eſt. Annum totũ nequicquam Helena Mieczislaum ſenem literis ac legationibus crebris de promiſſis admonuerat, nunc aduerſam valetudinem cauſantem, ad extremum ipſa eum Cracouiæ adit, eadem illa, quæ in pactis conuenerant coram orat & flagitat. Blandis ille eam verbis & policitationibus ducebat: inſtare illa importunius, fidemque datam requirere & iurisiurandi religionem violatam queri. Ibi ille nihil iam diſſimulans: iniquis pactis & iureiurando contra ius gentium atque ipſius naturæ exacto ſe non teneri: habere ſe iure gentium & naturæ certos ſuos hæredes, ex iuſta vxore ſuſceptos filios, & quidem iam adultos, ac maturos Principatui: eos pactis vllis aut priuilegio à ſucceſſione ſibi debita excludi nefas eſſe: & adultis filiis præteritis, alienis pueris tantum principatum tradi non oportere. Ita dimiſſa atque reiecta Helena, ingenti animi ſui dolore damnare ipſa credulitatem ſuam & præceps conſilium: ſero Procerum conſulta,

Terræmotus.

Mieczislaus promiſſa non ſeruat.

conſulta, quibus in tempore non obtemperaſſet, probare. Neque tamen ſolicitudinem pro filiis remiſit. Reuerſa Sendomiriam, dimiſſis circum proceres Cracouienſes, quorum prius conſilia contempſerat, & apud quos gratam Caſimiri mariti ſui memoriam reſidere iudicabat, literis atq; nunciis, de iniuria ac perfidia Mieczislai queritur: eorum fidem implorat: Caſimiri merita publice priuatimq; extantia commemorat: liberorum eius pupillorum ſolitudinem, & indignam deiectionem Mieczislai fraude & ſua ſtultitia factam deplorat. Quæ à ſe male conſulta eſſent, ab eis corrigi petit, quippe qui iureiurando ſuo ſe inauſpicatis illis pactis cum Mieczislao ſtaturos eſſe promiſiſſent. Promiſſa etiam non leuia addit: adhæc odium Mieczislai exaggerat. Et offenderat is iam ſane non leuiter animos procerum & equitum, propterea quod nonnullos poſſeſſionibus certis & antiquis deturbarat, eaſq; ſuis quibuſdam è maiori Polonia aſſeclis & miniſtris donarat: & quod eiſdem magiſtratus mandabat, indigenas præteriens.

Mieczislai odium.

LESCVS ALBVS CVM MATRE iterum.

ITaque quaſi ſublato ſigno pleriq; omnes Proceres Cracouienſes in Mieczislaum conſpirarunt: quorum Princeps Nicolaus Palatinus Cracouienſis idoneam abſente tunc forte Mieczislao occaſionem nactus, Cracouiam occupauit, Helenamque cũ Leſco filio celeriter accerſitos intromiſit: reliquas deinde arces ac munitiones Cracouienſis ditionis nullo negocio recepit, cedẽtibus vltro, qui eas pro Mieczislao tenebant, cum totius Cracouienſis cõuentus conſenſum & conſpirationem viderent. Hoc anno Boleslaus procerus ſiue Altus Dux Vratislauienſium, amiſſis intra breue ſpacium temporis quatuor filiis mortuus, ſolum Henricum Barbatum hæredem reliquit. Hic pro Benedictinis monachis Ciſtercienſes in Lubenſi monaſterio collocauit, de Portenſi monaſterio euocatos: qui delicatorum malorũ genus, quæ etiãnum deporta ſiue daporta vocantur, in Polonia propagauit. Filius vero eius de quatuor natu maximus Iaroslaus Epiſcopus Vratislauienſis Niſſam cũ territorio à patre ſibi datam Vratislauienſi Epiſcopæ ſempiterno iure adiunxit. Tertium deiectus Principatu Mieczislaus, non deſtitit tamen rurſus ad eum adſpirare: nec eum conatus fefellit, & quidem iiſdem, quibus prius, artibus graſſantem. Helenã enim iterum blanditiis atque dolis aggreditur: affirmat, nõ per ſe ſtetiſſe, quominus pactis ſatisfaceret: verũ per Proceres Cracouienſes, & inprimis per Nicolaum Palatinũ. Eos nõ ſiuiſſe ſe promiſſa implere: eamque eiectionis ſuæ cauſam eſſe, quod obnoxius contra eorum ſententiam filios Caſimiri fratris adoptare pertẽderet. Se paratum eſſe fidem ſuam liberare, & abſq; vlla procraſtinatione Cuiauienſem tractum ipſi & filiis eius redditurũ. De cæteris quoq;, quæ in pactis eſſent, quibus illa vellet modis & monimentis cauturum eſſe. His cum eam emolliſſet, monet; vt clam Proceribus omnia faciat: Nicolaum autẽ ante omnia à ſe amoueat & relegęt, ſi ſibi liberisq; bene conſultum velit: illum ſeditioſum eſſe hominẽ, & pro libidine ſua Principes inſtituere ac deſtituere, vt ipſe alieno nomine dominetur. Probe enim intelligebat Mieczislaus, vnũ illum, cuius autoritatẽ reliquus cõuentus Cracouienſis ſequebatur, ſibi ad recuperãdum Principatũ obſtare. Nec difficulter perſuaſit mulieri omnia timẽti, & omnia credẽti. Nec deerant inuidi quidam & maleuoli, qui muliebrem animum in Nicolaum magis ac magis irritabãt.

Leſcus Cracouia potitur.

Daporta poma.

Helena à Mieczislao decepta.

Neque Gouoricium Palatinum Sendomirienſem tantam vlciſcendi inimici occaſionem neglexiſſe credibile eſt.

Factus autem certior de mulieris conſilio Nicolaus, adit ad Helenam & filios eius, merita ſua & ſtudium in illos commemorat: orat, ne ſe, famam, caputque ſuum æmulis & inimicis ſuis prodant: quos quidem inimicos cepiſſet, dum ipſis fidelis eſſe ſtudet, dumque caput ſuum pro eorum ſalute & imperio multis periculis obiicit. Non priuato cuiuſquam odio ſe oppugnari, ſed velut obſtantem vafris Mieczislai conatibus, & Caſimiri optimi ac bene de ſe meriti Principis filiorum partes enixius defendentem, ſumma cum cõtumelia remoueri: propterea, quod ſe incolumi circumſcribi illi, & à Principatu excludi non poſſent. Vbi vidit, non commoueri precibus implacabilem mulierem, Poſnaniam ad Mieczislaum quamuis infenſum ſibi contendit, ſaluti & incolumitati ſuæ proſpecturus, ſimul & inimicos ingratamque mulierem vlturus. Exiſtimabat autem, non ingratam Mieczislao tranſitionem ſuam fore Nicolaus: quippe qui ſciret, quantum in ſe vno momenti eſſet ad conſequendum & obtinendum Principatum. Nec eum ſpes fefellit. Ab eo igitur veniam præteritarum offenſionum petit, & in poſterum eiſtudium ſuum defert: qua fide erga Caſimirum & liberos eius eouſque fuiſſet, eadem ſe erga ipſum fore, quantumq; dudum obfuiſſet, tantum breui profuturum. Accepit eum comiter & hõnorifice Mieczislaus, benigneq; & liberaliter habitum, & magnis promiſſis oneratum dimiſit: ac per eum nullo negocio Cracouienſem omnem regionem in poteſtatem ſuam redegit. Tanta erat autoritate & gratia apud omnes ordines Nicolaus.

MIECZISLAVS SENEX TERTIVM.

Anno Chr. 1202.

ATque inde iam aperte profiteri Helenæ Mieczislaus, ſe pactis & iureiurando non teneri, quod non ipſius conceſſione aut ex pacto, ſed Nicolai opera Principatum adeptus eſſet. Nec ſatis habuit, non reddere fratris filiis Cuiauienſem tractum: quin & Vislicenſe territorium, & tria præterea caſtella de Sendomirienſi ditione ipſis ademit: ſua illa eſſe, & ad Principatum pertinere aſſeuerans. Hæc agentem, ac de redintegratione vniuerſi principatus ac regni Poloniæ cogitantem, mors inopinata oppreſſit, ſexuageſimum tertium vitæ annum agẽtem anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſecundo. Sepultus eſt Caliſſiæ in templo Pauli Apoſtoli memoriæ dicato, quod ipſe cõdiderat, & collegio Canonicorum inſtituto ornauerat. Verum oppido in alium locum poſtea translato, ſepulchrum eius ſub dio relictum eſt. Contulit autem is & alibi non parum ad amplificandum cultum diuinum. Nam Landenſe & Vangrouecenſe monaſteria, & alia quædam, tum & ptochodochium ſiue hoſpitale recipiendis & ſuſtentandis egenis Poſnaniæ ad D. Michaelis extruxit & locupletauit, eiuſque curam hoſpitalariis fratribus Hieroſolymitanis mandauit. Reliquit autem Mieczislaus ſenex hæredes, Ottonem & Vladislaum filios, nam cæteri iam obierant. Quin & Otto non multo poſt patrem ſecutus eſt, relicto Vladislao item filio impubere: cui Sputatori poſtea propter crebræ ſpuitionis vitium cognomen fuit. Cuius tutelam Vladislaus patruus, qui Magnus & Laſconogus etiam à gracilitate crurum dictus eſt, aliquandiu geſſit.

Mieczislaus pactorum immemor.

Mieczislaus moritur.

VLA-

VLADISLAVS LASCONOGVS.

Anno Chr. 1203.

MIeczislao ſene defuncto, in Leſcum Album rurſus vniuerſi fere conuentus Cracouienſis ſtudia prona erãt, negabantq; locum eſſe creando Principi viuente Leſco, qui iuſtus Princeps omnium eſſet ſuffragiis creatus, ſed fraude doloque Mieczislai bis Principatu ſummotus eſſet. Aduerſabatur huic ſententiæ Nicolaus Palatin⁹ cum Fulcone fratre Epiſcopo, quorum magna tunc erat autoritas & potentia propter ſplendorem familiæ, magnaſque neceſſitudines & clientelas, ita vt perdifficile eſſet in cõuentu quippiam iis inuitis ſtatuere. Erat autem Nicolaus infenſus Helenæ Leſci matri ob ſuperiorem iniuriam. Adhæc ſciebat, Gouoricium, cum quo capitales gerebat inimicitias, principem in conſilio atque in amicitia Leſci & Helenæ locum obtinere. Ceſſere tamen & ipſi conſentienti multitudini: illud vero peruicere, vt ea demum lege Leſcus Principatum reciperet, ſi Gouoricium Palatinum Sendomirienſem relegaret. Miſſi ad Leſcum legati, mandata conuentus exponunt. Dubius animi Leſcus ob adiectam de Gouoricio conditionem, quid faceret, deliberat. Stultum aut certe damnoſum eſſe videbatur, Principatum vltro obſatum recuſare, & ſubeſſe alteri malle, omnibus cum præeſſe poſſet. Sed eiicere per ſummam iniuriam charũ ſibi fidumque conſiliarium, ac de ſe bene merentem nolebat, indignumque iudicabat, tam duras & iniuſtas leges ſibi dici. Cunctantem Gouoricius vltro hortatur, ne ſua cauſa tanta commoda negligat: male ſibi ſuisque poſteris eum conſulturum eſſe, ſi propter ſe vnum ſeniculum, & pauculos, atque eos incertos dies vitæ ſuæ, in aliam familiam transferri principatum ſinat. Libenter ſe pro eius commodis ac honore in exilium abiturum, pro quo vitam quoque ponere deberet atque cu peret. Felix ac ſempiterna poſteritatis memoria glorioſum illud ſuum exilium fore, ſuſceptum pro dignitate & amplitudine optimi principis. Commouit Leſcum ea Gouoricij oratio, & inſignis beneuolentia cum animi magnitudine coniuncta, in eam quidem partem, vt is illico negaret, tanti ſe facere Principatum, vt eius adipiſcendi gratia tam fidum cõſiliarium proderet, immerentemque magiſtratu ſimul & patria eiiceret. Principatum quidem duplici nomine ad ſe pertinere, quod & hæres Caſimiri eſſet, & à conuentu pridem electus atque expetitus, nunquam ſe eo abdicaſſet. Verum tyrannicam illam vocem: Si ius violandum ſit, regnandi cauſa violandum eſſe, non placere ſibi, qui iuſto & legitimo imperio ſuos regere, à patre & maioribus ſuis didiciſſet. Proinde alium ſibi Cracouienſes proceres iſtis legibus quærerent, ſe in paterna ſua ditione acquieturum eſſe potius, quam per ſcelus Principatu potiturum.

Cognita Leſci ſententia, denuo conſultatur in conuentu Cracouienſi de Principatu. Diſplicebat multis acerbitas decreti ſuperioris de relegãdo Gouoricio: admirabantur Leſci virtutem, & excelſum vereque regium ſpiritum, qui carere Principatu mallet, quam inſontem conſiliarium iniuria afficere. Nicolao ſuccenſebant: neq; tamen mutare decretum illud poterant, refragante eo, & reſponſum Leſci quaſi ſuperbum & plenũ contemptus cauillante. Nam quo clarius dederat Leſcus propenſæ in Gouoricium voluntatis documentum, eo magis potentiam eius Nicolaus reformidabat, ſummoque ſtudio contendebat, vt cuiuis potius, quam Leſco Principatus mandaretur: perfecitque tandem, vt Vladislaus Laſconogus Mieczislai ſenis filius, quaſi

Vladislaus Laſconogus princeps renunciatur.

iustus hæres, absens Princeps renunciaretur. Missi ad eum legati, vix, vt oblatum Principatum susciperet, ei persuaserunt: nec aliter tamen, quam si Lescus eum omnino repudiasset. Itaq; ad Lescum mittit: postulata Cracouiensis conuentus, & quid ipse responderit, exponit: negat se prorsus quidquam aduersus Lesci sententiam facturum, ad quem longe ante delatum esse Principatum sciret: neque se tam cupidum esse, vt principatus causa ius sanguinis violaret. Respondet Lescus: ea lege, quæ sibi à Cracouiensibus Proceribus diceretur, Principatum se accipere noluisse, nolleq;: nec aduersus animi sui sententiam facturum esse Vladislaum, si eum delatum accipiat. Hoc vbi responsum à Lesco Vladislaus accepit, tum demum postulatis Cracouiensium legatorum annuit, & Cracouiam profectus Principatum iniit: magnaq; facilitate, humanitate, iustitia, atque liberalitate studia & voluntates hominum adiungere sibi cœpit.

At Romanus Vladimirienſium & Halicienſium Dux immemor iurisiurandi sui, inaudita crudelitate Nobilitatem fere omnem Halicienſem, nullo non supplicij genere vsus, extirpauerat: dictum illud subinde vsurpans, Melle neminem, nisi interfectis apibus, secure vesci posse. Interfectorum autem & proscriptorum, ac metu tyrannidis diffugientium bona confiscarat, magnasq; diuitias conflarat: vnde potens effectus, finitimis quoq; ducibus erat formidabilis, ita vt nõnullos sibi faceret tributarios, & alios eiiceret, alios instituere. His rebus elatus, vbi Lescũ Principatu excidisse accepit, contemnere animi eius angustiam, vt ipse interpretabatur, & ætatẽ: maioraque moliri cœpit. Ac primum clandestinis excursionibus in Lesci ditionem sibi finitimam, deinde negociatorum Polonorum, in Russia rationes habentium, direptione, patientiam Lesci tentauit. Mox legatis eius amice res repetentibus, durius ac superbius respondit, ac Lublinensem tractum vltro à Lesco & Conrado popos̃cit mercedis nomine, ob stipendia facta aduersus Mieczislaum, & ob detrimenta in prælio Mosgauiensi accepta. Sed cum postulata ei⁹ Lescus & Conradus refutassent, quod dicerent, desertori, & ei qui ex acie profugisset, nil se debere: accensus ira, aperte iam Lublinensem oram latrocinio & populatione agrorũ infestabat. Cohibebãt vero Sendomirienses liberiores eius excursiones, & ex eius ditionibus vicissim prædas agebãt. Maiore deinde vi Roman⁹ bellum gerere instituit: coactoq; valido exercitu Poloniæ fines ingreditur, toti Poloniæ atq; adeo religioni Latinæ (sic enim Rusſi eos, qui principatũ Romani Pontificis agnoscunt, appellant) exitium superbe minitans, ad interiora Poloniæ contendit, immaniter & contumelioſe in oẽm sexum, ætatem, statumq;, & maxime in sacerdotes, atq; etiam in innoxia tecta sæuiens. Transmissoq; partim nauibus, partim vado flumine Vistula, apud Zauichostum oppidum, in ripa Vistulæ castra locat, altero à Sendomiria milliario. Ibi cognouit Polonos appropinquare: neque tamen credebat pugnandi copiam facturos esse. Vbi vero Polonos instructis acieb⁹ adesse videt, consternari ac trepidare cœpit, quod imparato sibi præter opinionem dimicandũ esset. Neque recte explicare ordines poterat, Polonis perpetuo cursu & magna cum vociferatione irruentib⁹, cum ira & indignitas belli à socio ac tributario duce, ac de quo Lescus optime esset meritus, illati, animos ipsis adderet. Præerat autem Polonis Christinus Gosdouius Palatinus Plocensis, vir acer & rei militaris peritus. Nam Lescus & Conradus adoleſcẽtes aberant de consilij sentẽtia, cum aliquanta manu præsidij causa, eminus euentũ prælij expe-

Russicum bellum.

Prælium ad Zauichostum.

ctantes, vt si qui durior casus exercitum afflixisset, recipere se commode ad tutiora loca possent. Romanus vero in acie inter primos versabatur, strenui ducis fungens officio, ne manus quidem à Polonis abstinẽs. Feruente aliquandiu pugna, & multis vtrinque cadentibus, cum Polonis ira virtusq; suffragarentur, hostes vero abundarent multitudine, & Dux ipse cohortatione eos animaret, debilitatos confirmaret, & pedem referre incipientes sisteret, conspicati id Poloni, globo facto impetum in eum faciunt. Nec segnius ille resistit, donec strage suorum, confossoque multis vulneribus equo, fugæ præsidium mandare coactus est, equam cæsam nactus: qua vectus, cum Vistulam iam tranasset, immixtus multitudini suorum fugientium à Polonis instantibus in turba interfectus est. Exercitus autem hostilis partim pugnans, partim fugiens, ad internecionem fere deletus est. Fuit autem hic dies, quo apud Zauichostum pugnatum est, ad tredecimum calendas Iulij, ann⁹ vero à Christo nato milleſimus ducẽteſimus quintus. Per hoc tempus Lithuani gens fera, syluestris, & obscura Russorum agros prædis agendis infestare cœpere. A quibus cruento prælio victi, subera, restes, & fasces frõdeos, quibus ea gens in balneis sudorem prouocare solet, tributi nomine deinceps pendere iussi sunt.

Russi victi à Polonis.

LESCVS ALBVS TERTIVM.

MAgnam è Russica victoria virtutis & felicitatis opinionem Lescus apud suos pariter atque exteros consecutus est, eoque maius sibi desiderium in animis Cracouiensis conuentus accendit. Summis eum laudibus passim omnes efferebant, Vladislaumque suum præ eo contemnebant. Patrum etiam vtriusque merita inter se comparabant: & reiectum à se temere & iniuste optimi Principis Casimiri optimum filium dolebant. Forte autem per id tempus, nondum circumacto anno à Zauichostensi prælio, Nicolaus Palatinus Cracouiensis vita defunctus est. Itaque summoto iam eo obice, qui solus Lesco ad Principatum obstiterat, summo consensu conspirant, vt excluso Vladislao, Lescum veluti iustum Principem accersant. Acto conuentu, cui & Fulco Episcopus interfuit, legatos cum decreto ad Lescum mittunt. Nec ille, cum vniuersi conuentus consensum videret, cunctatus est, quin postulatis eorum annueret. Cracouiam igitur veniens Principatum nemine repugnante recepit. Nam Vladislaus vir modestus, & quietis amans, cognito consensu conuentus, cessit, ac Posnaniam se recepit, nec vlla re postea Lesco molestus fuit. Annus, quo hæc acta sunt, fuit post Christum natum milleſimus ducenteſimus sextus. Insequenti anno Fulco siue Pelca Cracouiensis Episcopus Palatini frater vita excessit: qui sibi & successoribus suis prærogatiuam loci & suffragij secũdum Archiepiscopum in Gnesnensi prouincia, ab Innocẽtio tertio Pontifice maximo impetrauit. Cui successit Magister Vincentius Cadlubcus Præpositus Sendomirienſis, vir pius & doctus, qui primus Polonorum historiam gentis suæ conscripsit. In Russia deinde Lescus Princeps per legatos res quasdam vario marte gessit, siue excursionibus eius gentis in Poloniam prouocatus, siue ad ferendam Colomanno Regis Vngarorum filio opem inuitatus, siue vtrumq;.

Anno Chr. 1206.

Lescus ad principatũ accersitur.

Anno à Christo nato 1211. Cometes decem & octo diebus mensis Maij, coma in Orientem obuersa apparuit, futurorum malorum, quæ statim Poloniam vtramque afflixerunt, prodigium: cuius & illa non minima causa fuit,

Cometa.

fuit, quod Russi anno sequenti millesimo ducentesimo duodecimo nouum dirumque hostem nacti sunt, qui vires eorum deinceps penitus attriuit, & multas alias Christiani orbis gentes magnis calamitatibus & cladibus inuoluit, ac pene funditus euertit. Tartari enim gens Scythica, siue à fluuio, siue à multitudine nomen habens, cum ante vltra Caspium mare, & intra Imaum montem ad orientem solem obscuri ignotique Græcis iuxta ac Latinis habitassent, circa annum Christi millesimum ducentesimum secundum, vel secundum alios millesimum cẽtesimum octuagesimum octauum finibus suis egressi, deuicto & interfecto Indorum Rege, cui seruierant, Asiam pene omnem victores longe lateq; peruagati, & Rha siue Volga flumine transmisso ad Occidentem progressi, vicinis Russorum Polouciis, campestria ad Tanaim & Mæotim paludem loca habitantibus, bellum intulerunt: ac commisso prælio, victores Tartari magna strage Poloucios & Russos, qui in communi periculo Polouciis opem tulerant, fudere & fugauere. Munitiones deinde Polouciorum expugnatæ: ipsi deleti, & omnis illa circa Tanaim & Mæotim ora cũ Taurica Chersoneso à Tartaris habitari cœpta. Deinde Russi debellati & subacti sunt, ita vt non modo tributa eis penderent, & iussa facerẽt, sed etiam seruis ante suis Lithuanis prædæ essent.

Tartari Polouciis bellum inferunt.

Nullum deinde Lescus, quoad vixit, bellum gessit, pace & ocio impensius delectatus. In pace vero iuste, clementer, & moderate Principatum administrauit: ædificia partim collapsa instaurauit, partim noua excitauit. Odibat autem cunctas regiones ditioni suæ subiectas, causasq; & controuersias hominum omnibus in locis ipse per se cognoscebat & iudicabat: in fontes, & maxime in calumniatores animaduertebat: oppressos à potentiorum iniuriis vindicabat. Pomeraniæ, quæ longius non sine incommodo à Principe ius petebat, Suentopelcum præfecit, & amplissimam potestatem ac iurisdictionem, etiam in Palatinos (qui tum duo erant, Gedanensis & Succensis) & in cæteros magistratus ipsi concessit. De reditibus autem Pomeraniæ mille pondo siue marcas argenti quotannis fisco Principis Polonorum vt penderet constituit, & iureiurando in sua, posterorumque suorum Principum Poloniæ verba eum adegit. Masouiam vero & Cuiauiam de consilij conuentusque sententia Conrado fratri minori in sortem patrimonij concessit, comitiis eam potissimum ob rem Sendomiriæ habitis. Deinde duodetrigesimum agens annum, rogatu Procerum vxorem duxit Grimislavam Iaroslai Russorum Ducis filiam anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo. Ex qua anno sequenti millesimo ducentesimo vigesimo primo Boleslaum, qui postea Pudicus appellatus est, deinde filiam Salomeam suscepit. Pacatis vero rebus omnibus tantum sub hoc Principe in Polonis religionis amplificandæ studium vigebat, vt eo potissimum inter se certarent. Nam Henricus Barbatus Vratislauiensium Dux, Heduigis vxoris suæ (Bertholdi Ducis Morauiæ & Carinthiæ filiæ) fœminæ piæ ac religiosæ rogatu Trebnicense monasterium tertio à Vratislauia milliario maximis sumptibus exædificauit, & puellis Cistercienſis sectę attribuit. Addixit autem Heduigis, indulgente viro, illi monasterio oppidum ipsum Trebniciam & complures pagos suos dotales, ita vt in mille hominum alimenta reditus eius sufficturus esse videretur. Quod exemplum secutus Nicolaus Henrichouius, vir nobilis & locuples, qui Henrico Barbato à secretis fuit, & ipse patrimonium suum omne Cistercienſibus monachis, assentiente Henrico Barbato donauit: extructoque eis monasterio in

Lescus fratri Masouia & Cuiauia cessit.

Lescus ducit vxorẽ.

Boleslaus Pudicus Lesco nascitur.

Religionis amplificãdæ ardor.

rio in pago suo Henrichouo, ipse quoque ibi religionẽ professus vitam peregit. Mieczislaus quoque Vladislai filius Dux Opolienſis & Ratiborienſis Ribnicense monasterium Præmonstratensis sectæ puellis condidit ac donauit: & Vincentius Cracouienſis Episcopus, cum Basilicæ Cracouienſi multa contulisset, Episcopatu se abdicauit, nequicquam aduersante Principe, ac dissuadente collegio sacerdotum. Huic successit Iuo Sauli filius, qui Romam profectus, Dominici Calaguritani (qui tunc nouæ sodalitatis & sectæ, quam à studio concionandi Prædicatorum vocant, autor florebat) doctrinam vitamque admiratus, Iacicum siue Iacintum gentilem suum de territorio Opolienſi, Canonicum Cracouienſem, & tres alios de comitibus suis, à Dominico vitæ illius institutum edoctos atque professos, Cracouiam reduxit, nouæque sodalitati primarium in vrbe templum, quod Trinitatis nomine appellatur, attribuit, & copiosam supellectilem templo dicauit: Parœciam vero inde ad templum Virgini matri Dei Mariæ dicatum, ob id tunc à se cõstructum, transtulit. Complura deinde eidem sodalitati cœnobia in Polonia condita sunt. Idem Iuo Cacicense etiam monasterium Cistercienſibus monachis condidit: nec multo post Mogilam supra Vistulam vno à Cracouia milliario, locum à Vendæ Principis tumulo dictum, id transtulit, & magnifice locupletauit. Ptochodochium quoque, siue hospitale egenis, & morbo ac senio debilitatis Cracouiæ extruxit ac dotauit, illud templi Spiritus sancti à se erecto adiecit. Henricus etiam Archiepiscopus Gnesnenſis, Theodorici Ducis Bernenſis ex Eudoxia Polona filius, bonam & ipse in hoc pietatis studio nauauit operam. Perfecit enim diligentia & autoritate sua, vt Principis atque omnium Ducum, Procerumque Polonorum consensu, & vniuersi cõuentus constitutione, ecclesiasticus ordo omnis cum adscriptitiis etiam ac subditis suis ab omnium secularium iudicum, etiam Ducum, atq; ipsius summi Principis iurisdictione liber esset, ita vt ne per exceptionem vllam quidẽ, aut reconuentionem pertrahi ad vllum ciuile forum possent. Eamq; constitutionem Pontificis Maximi & sedis Apostolicæ autoritate confirmauit. Sacerdotes vero omnes ex decreto Synodi à se conuocatæ, vxores & concubinas, quas retinebant adhuc plerique, post edictum legati Pontificij, abdicare coegit, iureiurãdo ab eis exacto. Hic etiam obtinuit à sede Apostolica Archiepiscopis Gnesnenſibus perpetuæ legationis munus. Mortuo deinde anno Christi millesimo ducẽtesimo decimonono, cum decem & nouem annis ecclesiæ illi præfuisset, Vincentius successit. Biennio post densi ac continentes per totam æstatem imbres, ingenti aquarum inundatione vehementer Poloniam afflixere: plurimos pagos ac vicos euertere atque abripuere: segetes hybernas vastauere; vernam sementem fieri passi non sunt. Consecuta mox est hyems acris & horrida. Inde fames & pestis postea totum triennium sæuientes, maximam vim iumentorum atque hominum absumpsere. In his tantis malis Iuonis Episcopi beneficentia egentibus passim exposita, permultis saluti fuit.

Inundatio, imbres in Polonia.

Fames & pestis.

Concesserat Lescus Conrado fratri Masouiæ, Cuiauiæ, ac Dobrini dominatum. Sed quoniam is iuuenis admodum erat, & ocio, desidiæ, voluptatibusque deditus, Christini Palatini Plocensis arbitrio pleraque omnia administrabat. Et recte is sane se gerere, domi scelera seuere coercere, foris Prutenis & Lithuanis, finitimis formidabilis esse, ita vt vulgo iam ab exteris magnus Masouiæ Palatinus vocitaretur. Inuidere ipsi eam gloriam & autorita-

tem multi, atqui in his Ioannes Czapla Scholasticus Plocensis, & Cancellarius Ducis cæteris impensius. Itaque is sedulo Cristino apud Conradum obtrectabat, & inuidiam odiumq; omni ratione conflabat. Admonebat crebro Conradum Cristinus officij sui: & cum remissiorem & nequiorē indies fieri animaduerteret, in frequenti quoq; Senatu forte acrius obiurgaret. Eam igitur occasionē exoptatam æmuli eius cupide arripuere, iratumq; sua sponte Cristino Conradum magis etiam irritarunt, multis falsis criminibus in eum cōfictis, & inprimis, quod is ad dominatum Masouiæ aspiraret, ac Conradi vitæ insidiaretur. His incitatus Conradus, Cristinum in vincula coniecit, deinde excæcauit, postremo necauit, liberosque eius proscripsit: optime merentem pessime remuneratus.

Cristinus Palatinus Plocensis à Conrado Duce necatur.

Cæterum non impune hoc scelus Conradus abstulit. Nam vbi sublatum de medio Cristinum Pruteni accepere, resumptis animis in ditionem Conradi incursarunt, & Culmensis tractus magnam partem Palatini eius loci, cū is puellæ cuiusdam Prussicæ amore captus esset, proditione in potestatē suam redegerunt. In Masouiam vero progressi, maximis eam affecere incommodis, ferro & igni longe lateq; grassantes, ita vt Ploscum etiam oppidum Masouiæ caput exurerent. Quibus malis adactus Conradus, cum Prutenorū excursionibus cohibendis per se ipse par non esset, cruce signatos in auxilium contra Prutenos Christiani monachi sectæ Cisterciensis opera vndequaq; euocauit. Inter quos facile Principes erant Henricus Dux Silesiæ, Vratislauiensisq; & Lubussensis Episcopi, & multi è nobilitate Polonica: quorū ope cum Culmensem & Lubauiensem tractū in potestatē suam redegisset, Christianum ibi primum Episcopum instituit, quo per eum barbari ad religionē Christianam adducerentur. Id anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo secundo actum est. Nec tamen ab illo cruce signato exercitu perdomari Pruteni potuerunt. Itaq; Conradus inito consilio, & missa ad Albertum Archiepiscopum Rigensem legatione, sodales siue fratres militiam Christi professos, qui rubrū ensem cum cruce in pallio insutum gestant, è Liuonia euocauit. Verum ij quoq; vno prælio, quod biduo durasse memoratur, obtriti à Prutenis, ac deleti sunt; ita vt quinque solum euaderent. Dum hæc ita gerūtur, Lesco Principi nouus hostis exortus est, ex huiusmodi causa. Suppetias is Conrado fratri contra Prutenos miserat, siue ipse iuerat. In eo exercitu & bello Ioannes gente Gryphius equestri loco natus, & nonnulli alij, quorum nomina non memorantur, cum aliter, quam ipsis & eorum genere dignum erat, se gessissent, cæteriq; fuga eorum proditi occubuissent, reuersi ignominia notati, & magistratibus à Lesco amoti sunt. Permoleste tulit eam notam familiæ suæ inustam Marcus Palatinus Cracouiensis (nam & ipse Gryphius erat) itemque Andreas Magister & Canonicus Cracouiensis, præfati Ioannis frater. Itaque cum clam contra Principem cum cæteris suæ factionis conspirassent, Marcus Palatinus ad Henricum Barbatum profectus, persuasit homini, vt ad Principatum iure optimo ad se pertinentem, quippe qui natu maximus tunc esset in familia Boleslai Criuousti, sibi vendicandum adspiraret: operam ad id studiumque suum, & maximæ partis procerum equitumque Cracouiensis conuentus, quibus exosus sit Lesci dominatus, prolixe ipsi deferens. Henricus (vt est ingenium hominum, quoad opes, honores, & eminentiam insatiabile, & facile sperat, creditque, quod optat) passus est sibi persuaderi à Palatino, quem gratia & autoritate plurimum

Pruteni Culmēsem tractum suæ potestatis faciunt, & Massouiam vastant.

Cructferi in Prutenos euocati.

Henricus Barbatus ad principatum interuortendum concitatur.

mum valere apud suos nouerat. Itaque facta de suis manu satis valida, spei plenus, frustra reclamante vxore Heduigi, Cracouiam contendit. Non latuere Lescum molimina Marci, & apparatus Henrici Ducis. Igitur exercitum, quantum potest maximum, contra comparat, & à Conrado fratre auxilia accersit. Iam ad Dlubnam amnem vno à Cracouia milliario Henricus cum suis copiis peruenerat, cum de apparatu & exercitu Lesci maiore quam suo, cognoscit, & maiorem longe, quam Marcus pollicitabatur, difficultatem adipiscendi Principatus reperit. Nec ausus rem prælij periculo committere, ad Lescum misit, tempus, locumque, & modum colloquij petens. Non abnuit Lescus pacis & ipse amans. Conuenitur vtrinque pari numero procerum & stipatorum, erecto inter castra tentorio. Ibi multis vltro citroque sermonibus habitis, tandem Iuonis Episcopi opera maxime pax componitur inter Duces. Henricus iure suo, si quid haberet ad principatum, sese abdicat. Vtrique vero, nunquam se alterorum bonis & possessionibus inhiaturum, sed commoda honoremque alterorum inuicem curaturos defensurosque esse paciscuntur. Inuitatus deinde Cracouiam à Lesco Henricus, octo dies splendide & honorifice acceptus & habitus, qui hostis venerat, amicissim' discessit. Marco Palatino, verisimile est, Lescum Henrici interceſſione reconciliatū esse. Nam post Lesci mortem, in eo conuentu, qui de eligendo Principe nouus habitus est, interfuit, & vxori filioq; Lesci non defuit.

Barbati expeditio in Cracouiensem principatum.

Pax & fœdus inter principis cognatos.

Circa id tempus maior quoque Polonia non immunis fuit ab intestinis dissidiis & ciuilibus bellis. Vladislaus enim Sputator, Ottonis filius, nōdum egressus ex ephebis, dimitti ex tutela à patruo Vladislao Lasconogo, & partiri cū eo dominatū flatigabat. Cum nō impetraret, coacta clam aliquāta manu, Calissiam arcem intercepit. Qua de re certior factus Lasconogus celeriter cum tumultuariis copiis accurrit, arcem obsidet, non instructam ad longam obsidionem perferendam. Quintumdecimum diem iam durabat obsidio, cū commeatus obsessos deficere cœpit. Quocirca, qui in præsidio erant, vitam & incolumitatē pacti, arcē Lasconogo dedidere. Vladisla' vero Sputator per noctem cum septem tantum comitibus effugit, & ad Lescum Principē Cracouiam, deinde in Vngariam se recepit ad Andream Regem, à quo benigne acceptus, nouē ferme annos apud eum metu patrui exulauit. Posthēc Vladislaus idē Sputator societate & affinitate clam per internuncios cū Suētopelco Pomeraniæ præfecto inita, quod filiam eius Helenam vxorē ducebat monachi habitu clam in Poloniam rediit, & Suētopelci ope Vsce arcē munitissimā intercepit, indeq; subiectas ac vicinas oras vexare cœpit: pdia patrui, & Mogilnense monasterium diripuit: complures nobiles, qui cum Lasconogo sentiebāt, interfecit. Hęc vbi accepit Lasconogus, validū ex omni dominatu suo conscribit exercitum: arcē Vsce difficilē expugnatu obsidione cingit, castella pluribus in locis extruit: vnde dispositi in stationibus milites obseruarent, ne quid ad obsessos importaretur, neue iterū Sputator manus suas effugeret. Vbi hac nō proficit, diuturna obsidione & fame ad deditionē obsessos ad gerestatuit. Cumq; ad medium mensis Iulij à primo vere duraret obsidio, nec obsessi è munitione prodirent, negligentius omnia cœpere agi in exercitu. Rari, atque ij inermes fere, & ebrij in stationibus apparere. In castris etiam pauci ac dissoluti obuersari. Hoc animaduerso, hi qui obsidebantur, alere etiam ipsi data opera simulato metu obsidentium negligētiam. Die quadā cum infre-

Vladislaus Sputator Calissiam intercipit.

infrequentes admodum ſtationes & infrequentia caſtra ſuperne conſpexiſſet Sputator, celeriter conſtructis in arce ordinibus, cohortatuſque paucis milites, apertis portis erumpit, deiectaque nullo negocio ſtatione hoſtium, ad caſtra curriculo contendit: ibi permagnam in inermibus, & inopinata re perturbatis ſtragem edidit, donec Laſconogus retractis & animatis ſuis, globoq; facto, in cæde exultantes repreſſit, & in arcem compulit. Quo incõmodo conſternatus poſtero die obſidionem ſoluit. Diſcedentem Sputator magna iam fiducia ſuarum virium ſecutus eſt, & multi ad eum à Laſconogo accepta fama prælij deficiebant. Poſnania quoq; & Caliſſia primaria oppida nõ grauate ſeſe ei venienti dedidere.

Suentopelci ambitio.

His tam ſecundis generi ſui rebus Suẽtopelcus Pomeranorum præfectus, cum alioqui magnis opibus & facultatibus terra marique partis & gratia populari tumeret, inſolentior factus, à Leſco Principe magnopere contendit, vt ſe Ducis Pomeranię nomine & honore dignaretur, & ſempiternum id ſibi poſteriſque ſuis eſſe iuberet: vt ij tamẽ ſummo Polonorum Principi obtemperarent. Conceſſiſſe id auum eius Criuouſtum Boleslaum in inferiore Pomerania & Caſſubia Boguslao gentili ſuo. Refutauit poſtulata Suentopelci Leſcus: qua repulſa ille accenſus, ad defectionem ſpectare cœpit, neque penſionem annuam de more Leſco miſit. Leſcus igitur cum conſilium eius non modo hominum ſermonibus, ſed etiam reipſa deprehendiſſet, communicato cum Henrico Barbato conſilio, Ganſauam, quæ villa eſt Tremeſnenſis monaſterij prope Znenam in maiori Polonia ſita, vniuerſæ Poloniæ comitia ad tertium idus Nouembris, quæ dies D. Martini ſancti Epiſcopi memoriæ dicata eſt, indicit, quaſi de Republica, ac de componendis inteſtinis Ducum maioris Poloniæ diſſidiis: reuera autem, vt Suentopelcum prætextu comitiorum euocatum, ſine armis & bello opprimeret. Subolfecit id Suentopelcus, & vltro in Principem inſidias intendit vna cum Vladislao genero ſuo, quod eius quoque iuxta ac ſuam rem agi diceret, & ad ſpem ſummi Principatus adipiſcendi eum incitaret. Conuenere ad prẽſtitutum locum atq; diem Leſcus Princeps, Henricus Barbatus, Conradus, Vladislai duo, Laſconogus & Sputator Duces, magnuſque Procerum numerus. Suẽtopelcus ſolus moras nectebat, miſſisque ſubinde per ſpeciem excuſandæ ſuæ moræ hominibus, ſtatum omnem comitiorum cognoſcebat, & occaſionem peragendi cogitati facinoris captabat. Cum triduo de pace inter Vladislaos tractatum eſſet, ac Suentopelci aduentus requireretur, propterea quod totius conuentus ſententiæ eo inclinabant, vt ipſe & Pomerani maioribus Polonis damnis cum Sputatore illatis ſatisfaceret, quartaque dies comitiorum curandis corporibus data eſſet: ad balneum ſe Leſcus & Henricus contulere. Ibi Suentopelcus cum expedita ſuorum manu adeſt, prope enim delituerat, & opportunitatem rei peragendæ didicerat: & in diuerſoria ac tentoria proxima irrumpens obuios quoſque, rei nouitate attonitos, facile aut remouet, aut obtruncat. Leſcum quærit, ad balneum, vbi eum eſſe acceperat, contendit. Interim exaudito tumultu certior factus de hoſtili aduentu Suentopelci exilit, & equum nactus cum paucis fugere cœpit. Fugientem Suentopelcus cum plerisq; ſuis perſequitur: illum vnum ſe petere potiſſimum, in vno illo capite omnia ſibi eſſe poſita dictitans. Vbi effugere Leſcus inſequentium ſe manus non potuit, conuerſo equo & reuocatis fugæ comitibus, cum aliquandiu multis & bene armatis nudus pene cum paucis reſtitiſſet, fortiter dimicans

Suentopelci defectio.

Comitia apud Ganſauam.

cans ad Martincouum pagũ occubuit. Henricus quoque ętate grauis aliquot vulneribus debilitatus ac proſtratus in balneo, cum eſſet à Peregrino Weiſſemburgio, vno de aulico ipſius comitatu, corporis ſui obiectu protectus, ſemianimis relictus eſt. Percuſſores rati vtrumque exanimem, diſceſſere, & recolligendi ſe ſpacium Henrico conceſſere: qui raptim furtimque Vratislauiam lectica delatus à ſuis, haud ita multo poſt ſanitati priſtinę reſtitutus, & poſteros Peregrini liberatoris ſui magnis muneribus & honoribus proſecutus eſt. Ex eo igitur tempore Suẽtopelcus pro Duce Pomeraniæ gerere ſe cœpit. Leſci vero corpus Cracouiam relatum, in Baſilica magna omnium complo-ratione ſepultum eſt. Regnauit autem Leſcus à morte patris annos triginta tres propemodum, cum puer admodum ad Principatum euectus eſſet: ſed in his triginta tribus annis Mieczislaus quidem duos fere, Vladislaus vero filius eius tres annos, quibus ſummoto Leſco Principatum obtinuere, ſibi vendicant. Annus, quo hæc acta ſunt, fuit à Chriſto nato milleſimus ducẽteſimus vigeſimus ſextus.

Leſcus à Suentopelco interfectus.

Suentopelcus Dux Pomeraniæ citerioris.

Per hoc tempus Prutenis Maſouiam vehementer vexantibus & vaſtantibus, inops conſilij Conradus Dux, habito conuentu ſuorum, tandem Chriſtiano Epiſcopo ſuggerente, fratres Teutonicos, & ipſos piam contra barbaros militiam ſub titulo S. Mariæ profeſſos (qui paulo ante à Saracenis è Syria eiecti fuerant) per eum ipſum Chriſtianum Roma acciuit, Culmenſemque tractum, & quicquid eſt inter Viſtulam, Mocram, atque Deruanciam flumina, eis tradidit, his legibus: vt contra Prutenos ſedulo, & ſummis viribus bellum gererent. Vbi vero eos domuiſſent, Culmenſem quidem ditionẽ redderent: cætera vero quæcunque de barbaris cepiſſent, arbitrio bonorum virorum ex æquo ſecum, ſeu cum poſteris ſuis partirentur: Polonis ne quam vim aut iniuriam facerent, neue hoſtes ipſorum receptarent, aut vllo fauore proſequerentur: contra barbaros autem & à religione Chriſtiana alienos, vt ipſis, cum opus fuerit, præſto eſſent. Si quid horum transgrederentur, pœnę, quæ contra ingratos eſt ex iure gentium, ſubiacerent, hoc eſt, beneficia accepta amitterent. Hæc ita inter Conradum & Crucigeros, quorum tunc Hermannus de Salcza ſummus magiſter erat, conuenere, & à Gregorio nono Pontifice maximo approbata & confirmata ſunt. Atque hæc fere anno Chriſti milleſimo ducenteſimo vigeſimo octauo acciderunt. Sic ergo Cruciferi Maſouiorum & Polonorum defendendorum, ac Pruſſiæ barbaris eripiendæ prouinciam ſuſcepere: breuique tempore Maſouiis adiuuantibus, & volũtariis multis vndiq; pietatis ergo accurrentibus Prutenorum excurſiones repreſſere, & exiguo tempore magna in illis oris incrementa fecere: arceſq; & vrbes non ignobiles paucis annis muniere.

Teutonicorum fratrũ ordo.

Culmenſis tractus Crucigeris conceſſus iure hoſpitij.

Pacta Conradi cum Crucigeris.

BOLESLAVS QVARTVS PVDICVS.

LEſco è medio ſublato, placuit Proceribus deferre Principatum filio eius Boleslao: ſed cum puer admodum eſſet, nec dum aptus adminiſtrando per ſe Principatui, de eius tutela, ac de ſumma rerũ nil conſtitui publico conſilio potuit, cum Proceres inter ſe diſſentirent, & nonnulli Conrado Leſci fratri fauerent, iureque patruum pupilli tutorem eſſe debere aſſeuerarent: alij vero, quorum maior pars erat, vna cum Grimislaua Boleslai matre, & Marco Cracouienſi atq; Pacoslao Sendomirienſi Palatinis, profligatos Conradi

Anno Chr. 1226.

De tutela Boleslai & principatus adminiſtratione controuerſia.

radi mores perosi, ſequitiamque reformidantes, ad Henricum Barbatum Ducem Vratislauienſium tutelam pueri, & adminiſtrationem Principat' deferrent. Neq, vero illi liberis comitiorum ſuffragiis rem permiſere, ſed armis ac per vim, quaſi oblatam fortuito prædam, dominatum pro ſe vterq; vſurpare aggreſſi ſunt. Itaq; cõparatis vterq; magnis viribus, in Cracouienſem ditionem inuaſere. Et arcem quidem Cracouienſem Grimislauia cum liberis obtinebat. Henricus vero maiore, quam Conradus celeritate vſus, & Procerũ fauore fretus, duas ex tempore munitiones nouas excitauit, alteram prope Scalam oppidum in colle, quem Prandnicus amnis alluit: alteram ad Miedzibozum: eaſque validis militum præſidiis muniuit, vt inde aduerſariorum conatus retunderet, tractumq; illum omnem in poteſtate ſua teneret, nec facile intercludi à ſua ditione poſſet. Porro Conradus re cum Cruciferis conſtituta, omnia ſibi in eo poſita eſſe exiſtimabat, ſi nouas munitiones & præſidia Henrici deiiceret, quod eorum fiducia Cracouienſes ſibi reſiſterẽt. Itaque ad Scalenſem munitionem oppugnandam contendit. Occurrit ei Henricus: durum prælium committitur. In quo multis vtrinq; cadentibus, Præmislus quoq; Conradi filius inter primos pugnans interficitur. Quo aduerſo caſu fractus Conradus receptui canere iuſſit, atque pro victo abiit. Nec multo poſt ad alteram munitionem duxit, quaſi mutaturus cum loco fortunam, & acceptam ignominiam deleturus. Verum ibi quoque, cum eum Henricus conſecutus eſſet, apud Vrociriſſum pagum eodẽ, quo prius, ac deteriore etiam euẽtu pugnauit. Henricus debellatum eum iam credens, & q̃ hyems inſtabat, vt tẽpori agricolæ ſementem facere poſſent, dimiſit exercitum, ipſeq; ſine vllo metu cum paucis comitibus in Cracouienſi tractu verſabatur. De quo certior factus Conradus, improuiſus cum expedita manu aduolat, Henricumq; in Spitcouienſi villa rei diuinæ vacantẽ capit, & in Maſouiam abducit. Hoc poſteaquam Henrici filius Henricus accepit, raptim, quantũ poteſt, maximum conſcribit exercitum, ad patrem liberandũ. At Heduigis pia, quæ conſilium illud mariti de principatu adipiſcendo non probarat, tunc quoq; dubios euentus belli ſecum reputans, & ſanguinis Chriſtiani atque cognati profuſionem, belliq; calamitates perhorreſcens, iuncto curru in Maſouiam ad Conradum, expeditionem filij anteuertens, excurrit, ac oriens belli parricidialis incendium ſapientia ſua reſtinxit. Eius enim precibus & ſuaſu motus & placatus Conradus, Hẽricum & cæteros captiuos omnes dimiſit, duaſq; neptes ex Henrico filio, filiis ſuis Caſimiro & Boleslao vxores deſponsit. Henricus autem tutela Boleslai, & adminiſtratione Principatus, iureiurando interpoſito, ſe abdicauit. Exinde Conradus fruſtra renitente Grimislaua Boleslai nomine Principatum in minori Polonia adminiſtrare cœpit.

Bellum ciuile inter Henricum & Conradum Duces.

Conradus bis victus ab Henrico.

Henricus Barbatus à Conrado miſſam audiens capitur.

Affinitas inter Sileſios & Maſouios Duces.

In maiori vero Polonia per id tempus res nõ adeo quietæ fuere. Nam Vladislaus Laſconogus poſt ſolutam illam Vſcenſis arcis obſidionem, coadunatis nouis copiis ac vicinorum auxiliis, recuperare amiſſa, & vlciſci fratris filium ſtatuit. Nec ille quamuis inferior tunc viribus, quippe qui ſoceri auxilia dimiſiſſet, ad reſiſtendũ patruo ſegnior occurrit, ſuperioriſq; tẽporis ſucceſſu confiſus, temere magis, quam animoſe pugnandi copiam fecit: commiſſoq; prælio fuſus, viuus in patrui poteſtatem venit. Verum aliquãto poſt, cuſtodũ fauore lapſus, ad Suentopelcum ſocerũ profugit. Quẽ non modo armis & copiis inſtruxit Suentopelcus, verum etiam ipſe proſecutus eſt. Ad primum

In maiore Polonia motus.

mum autem eorum aduentum Laſconogus, ſuis diffiſus, quos propenſiores in Sputatorem eſſe animaduertebat, non tentata belli fortuna ceſſit, & Ratiboriam ad Caſimirum Ducẽ ſe recepit. Vbi cum in quartum annum exulaſſet, multiq; è maiori Polonia, quos vel Sputatoris tædium cœperat, vel æs alienum, ſceleriſq; conſcientia, & iudiciorum metus premebat, ad eum conueniſſent, aut per internuncios ſua ei ſtudia ſignificaſſent, magna ſpe rurſus ad recuperandum dominatum aſpirare cœpit. Sed eum fortuna in ipſo curſu deſtituit. Verum vbi fruſtra duos menſes in obſidione Gneſnæ contriuit, neque quiſquam omnino per id tempus ad eum deſciuit, ac Vladislaum Sputatorem cum Suentopelco, magniſque copiis aduentare nunciatum eſt, ſoluta obſidione mœſtus abiit: nec multo poſt mœrore confectus Srodæ vitam cum morte commutauit, & in Lubinenſi monaſterio, vel ſecundum alios Ratiboriæ ſepultus eſt, vir propter mores fœdos ac libidines ſuis exoſus. Nullos autem reliquit liberos: itaque eius morte vniuerſa maior Polonia in ditionem Vladislai Sputatoris recidit. Sputator vero Dei benignitati ſucceſſus ſuos acceptos referens, vt aliquod grati animi ſignum in propagando cultu diuino æderet, Olobocenſe monaſterium Ciſtercienſibus Virginibus condidit, ac locupletauit. Donauit item eccleſias Gneſnenſem & Poſnanienſem, & oppida pagoſque earum, etiam quos in poſterum eccleſiæ illi acquiſituræ eſſent, vacatione omnium laborum ac munerum, & immunitate penſionum, quæ Principibus Ducibuſque præſtantur. Fecit etiam idem Vladislaus poteſtatem Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Epiſcopo Poſnanienſi monetam cudendi, & venandi in ſyluis ac bonis eccleſiarum ſuarum, quod antea nemini præter Principem licebat. Crobiam quoque amplum & locupletem pagum Sulcouiam prius dictum, nunc oppidum, Poſnanienſi Epiſcopo donauit. Quæ quidem largitiones inuidiam ipſi, iniuſtus vero & ſuperbus dominatus odium etiam apud pleroſque omnes Proceres cõflarunt, ita vt in eius expulſionẽ coniurarent, & Henrico Barbato, quẽ propter Gnſauienſem proditionem & vulnera hoſtẽ Vladislao eſſe ſenſerãt, accito, ſe dominatumq; oẽm dederent. Nec auſus eſt Vladislaus Henrico cum valido exercitu venienti ſeſe opponere, diffiſus viribus ſuis, & voluntatibus militum. Sed Bninoq; Sremo arcibus, quæ non ſatis munitæ eſſent, cremiatis, Gneſna vero firmo præſidio munita, ad Suentopelcum ſocerum confugit. Henricus vero munitionibus pleriſq; omnibus & oppidis facile potitus, Bninum quoq; & Sremum refecit, & præſidia oportunis locis impoſuit, eiſque Boriuoium nepotem ſuum ex filia Adleida Dipoldi Marchionis Moraviæ filium præfecit. Ipſe reliquas copias domum reduxit, domeſticone aliquo bello reuocatus, an vindicãdæ tutelæ Boleslai pueri, & adminiſtrationis Principatus gratia, non conſtat. Vindicauit quidem certe vtrumq;, priuſquam ad ſubiuganda reliqua, quæ in fide Vladislai perſtiterant, reuerteretur. Nam vt Conradus Dux Maſouiæ, concedẽte & abdicante ſe Henrico, pro tutore ac Principe ſe gerere cœpit, Iuo Epiſcopus Cracouienſis, ſiue Henrici voluntate, ſiue ſua ſponte, & odio metuq; Conradi, cui aduerſatus erat ſedulo, profectus ad Pontificem Maximum Gregorium eius nominis nonum, cum quo adoleſcens in Academia Pariſienſi coiunctẽ & familiariter vixerat, relaxationẽ per vim exacti iurisiurandi Henrico impetrarat. Proximus iam pubertati erat Boleslaus, & à Conrado patruo alienus, in Henricum prono ſtudio pariter cum matre ferebatur: ſiue adeo ſui iam iuris eſſe cupiebat. Hæc vbi

Vladislaus Laſconogus moritur.

Polonia maior ad Henricum Barbatum deſciuit.

Minorũ Poloniæ motus.

non

Boleslaus Pudicus à Conrado captus, & elapsus.

non obscuris indiciis intellexit Conradus, Boleslaum vna cum matre per speciem colloquij euocatum capit: Cirscumque in Masouiam asportat, ac de necando puero cogitabat. Deinde mutata sententia, suasu Vladislai Sputatoris, & Marci Palatini Cracouiensis opera, in Secechouiense monasterium eos transtulit, ibique asseruari iussit. Ipse vero cum nonnullis Ducibus finitimis, & cum nouis hospitibus ac defensoribus Crucigeris expeditionem in Prussiam fecit, hostilemque regionem longe & late igni ferroque vastauit.

Prussia vastata à Masouiis & Crucigeris.

Dum autem Conradus bello eo distinetur, interim Boleslaus cum matre opera Abbatis Nicolai Franci, partim corruptis, partim inebriatis ac sopitis custodibus intempestæ noctis silētio dispositis clam equis effugit: Zauichostoq; & Sendomiria potitus, non ausus est tamen in sua ditione vsquam consistere, propterea quod præcipuis arcibus Masouios suos Conradus præfecerat: sed in Silesiam ad Henricum Barbatum profectus est. Venientem humanissime Henricus accepit, & consolatus est: comparabatq; exercitum, quo eum reduceret, Conradumq; eiiceret. At Cracouiensis conuentus ordines, cognita Boleslai fuga, & apparatu Henrici, non obscure illis fauere, & in Cōradum conspirare. Erat in Sendomirienſi ditione Boleslaus Cōradi filius, siue à patre ad Prussicum bellum proficiscente cum imperio, ne quid forte se absente nouaretur, relictus, siue tunc primum accepto de fuga Boleslai ac de motu Sendomirienſium ac Cracouiensium nuncio, aduolarat. Is igitur facta suorum manu, crudeliter in eos, quos aduersæ factionis esse didicerat, imo vero promiscue, nulloque amici vel inimici discrimine, cædibus & incendiis debacchabatur, & Visliciæ belli sede constituta, in Cracouiensem oram populabundus excurrebat. Venit tandem valido cum exercitu Henricus, Boleslaum secum ducens: ac decedentibus metu Masouiis, magno omnium ordinum consensu, atque alacritate susceptus est, & Cracouiensem, Sendomiriensem, ac Lublinensem oram omnem facile in suam redegit potestatem. Et quoniam per magnos sumptus fecerat, paternus autem Boleslai thesaurus à Conrado direptus erat, Cracouiensem quidem ditionem vna cū Principatu summo, permittente Boleslao, Henricus sibi retinuit: Sendomiriensem vero ac Lublinensem ei concessit. Cum autē is non satis tuto se in vicinia Conradi esse existimaret, Scalam Præginensem arcem cum suo territorio, in Cracouiensi tractu, ab Henrico, vbi cum matre vitam degeret, impetrauit, & quinquennium ferme ibi vsq; ad Henrici obitum exegit. Atque eo quidem anno millesimo ducentesimo trigesimo quarto Conradus à Prussica expeditione reuertens, satis habuit exortum domi inopinatum bellum propulsare. Siquidem Misnensis Marchio, cum ipse quoque piæ aduersus barbaros militiæ nomen dedisset. Ploscum arcem Conradi interceperat, incertum, cupiditatene ductus, an iniuria prouocatus. Sed eū Conradus cum filiis mox eiecit, multis de exercitu eius cæsis, multisque cum Basilica, in quam confugerant, crematis.

Henrici Barbati in minorem Poloniam expeditio.

Conradi expeditio in oram Cracouiensem.

Insequenti vero æstate anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo quinto Conradus in Henricum arma mouit, & proceres Cracouiensis ac Sendomirienses nequicquam ad defectionem solicitauit. Cum vero omnes à se alienos esse animaduerteret, admouens exercitum propius Cracouiam, Scarbimirienſe & Prandocinense templa, & monasterium Andreouiense communiuit, præsidiisque firmauit. Deinde Cracouiam oppugnare adortus,

Cracouia obsidetur.

tus, in radice montis, cui arx imposita est, & ad mœnia vrbis castrametatus est: templumque diui Andreæ, quod tunc suburbanum erat, castelli loco cōmuniuit, primus Polonorum ausus cōsecrata Deo templa impiis armis profanare. Habebat quidem Henricus magnas copias, sed tamen vniuersæ dimicationis discrimini rem non committebat, facilius & minori incommodo bellum ducendo debellari posse Conradum existimans, propterea quod sibi domi bellum gerēti rerū omnium copia suppetebat. Hosti vero longius frumentari & pabulari, aut domo supportare commeatum non sine periculo necesse erat, cum subinde dispositæ à se turmæ ex insidiis in pabulatores & frumentarios impetum facerent. Qui vero in præsidio Cracouiæ erant, omnes oppugnātium conatus frustrabantur. Itaque Conradus his difficultatibus implicatus, vastatis agris, incensis pagis & villis, non modico etiam vicissim detrimento accepto, in Masouiam redit. Agi deinde à proceribus de pace cœptum, conuentumq;, vt Henricus iuxta ac Conradus tutela ac Principatus gubernatione se abdicarent, ac Boleslai iam pubescenti arbitrio permitterent, vtrum ipse sibi curatorem sumeret. Facta potestate è vestigio is patruo præterito Henricum sibi delegit. Molestе id tulit Conradus, verum tamen præsidia ex pacto deduxit, & desponsas pridem filiis suis Henrici neptes. Constantiam quidem natu maiori Boleslao, Gertrudim vero Casimiro vxores accepit, partitus inter eos, ac tertium Ziemouitum, dominatū suum, quibus quisque finibus post se dominaretur, ne quid dissidij se defuncto inter eos oriretur. Ipse vero, quoad vixit, nihilominus omnia administrauit. Hoc tempore Casimirus Dux Opolienſium & Ratiborienſium Mieczislai filius vita excessit, & Mieczislaum ac Vladislaum filios ex Venceslaua vxore susceptos reliquit. Quorum Mieczislaus cum Iuditham Conradi filiam vxorem duxisset, sine liberis decedens fratrem habuit successorem.

Pax inter Duces.

Facta pace cum Conrado, Henricus quamuis Principis Cracouiensis, ac Ducis Sendomirienſis titulo abstineret, tamen suo nutu eas regiones gubernabat, ac magnam redituum partem non inuito Boleslao accipiebat, vt sumptus in bellum factos compensaret. Et recte vtiliterque multa de consilij sententia constituit: leges quasdam malas sustulit: meliores nonnullas sanxit: immunitates ecclesiarum confirmauit: magistratus bonis viris mandauit: in maleficos ac calumniatores seuere animaduertit. Opatouiam oppidum cum sexdecim pagis, amotis inde tēplariis, in quorum ditione fuerat, Lubussensi Episcopo iure sempiterno adiunxit & addixit, Boleslao assentiente. Quin & in Silesia Borcum oppidū cum territorio, & in maiore Polonia postea Casimiriam cum quatuordecim pagis ac decimis eidem Episcopo donauit. Dum Henricus de tutela Boleslai & Principatu cum Conrado belligeratur, Boriuoius, qui ab eo cum præsidiis in maiori Polonia relictus erat, cœpit abuti potestate sua. Etenim cum fines bonorum Episcopi Posnanienſis inuaderet, nec aliis iniuriis abstineret, ac Paulus Episcopus Posnanienſis ex condicto Sremum ad eum venisset, vt certorum hominum arbitrio iis de rebus cum eo transigeret, captus ab eo, & in vinculis habitus est. Verum non impune hoc ei cessit. Episcopus enim cum forte euasisset, è cœtu Christianorum eum eiecit, & Vladislaus Sputator cum prædatoria manu, qua agros aduersariorum & oppida vexabat, noctu à custodibus in arcem Sremensem intromissus, ipsum cum pluribus militibus, qui ad primum tumultum non diffugerant, obtruncauit, arcemque, ne receptaculum deinde hostibus esset, exci-

Leges malæ ab Henrico abrogatæ.

Henrici expeditio in maiorem Poloniam.

sit. Henricus cognitis iis, quæ in maiore Polonia gerebantur, à Cracouiensibus rebus eo conuersus, vt Vladislaum reprimeret, neque vllam ei munitionem, ex qua bellum renouare posset, reliquam faceret, exercitum conscribit, & ad Gnesnam, quæ adhuc Vladislai præsidio tenebatur, ducit. Materia fere & roboribus arx Gnesnensis munita erat antiquitus, sed egregie tamen à militibus Vladislai defendebatur: multique oppugnantium, cum sub mœnia successissent, saxis atque aliis telis, aut contis etiam superne icti cadebant. Quibus incommodis permotus Henricus, & ad Silesiæ suæ ditionis res componendas reuocatus, soluit obsidionem: & ad extremas ditionis suæ Silesiacæ oras contendens, in itinere apud Crosnam grauiter ægrotare cœpit, nec multo post rite sacris mysteriis procuratus, diem clausit extremum, anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo octauo: & in Trebnicensi monasterio ab Henrico filio, cui Pio cognomen datum est, honorifice est sepultus.

Henricus Barbatus moritur.

Mieczislaus Dux à muribus absumptus.

Sub illud tempus Mieczislaus siue Miesco, propter capitis intemperiem Gossisco cognominatus, Conradi Ducis filius, cui pater Cuiauiam concesserat, cum inopum, pupillorum, ac viduarum bona iniuste diriperet, indeque quodam tempore conuiuium multis inuitatis præberet, ab ingenti multitudine murium impetitus, & frustra naui fugiens, muribus fugientem etiam per aquas persequentibus, miserabiliter periisse dicitur: exemplo futurus posteris; ne se rapinis, iniuriis, ac sanguine miserorum hominum saginent. Defuncto Henrico Barbato, adspirare rursus Vladislaus ad amissum dominatum cœpit. Sed abhorrentibus ab eo voluntatibus omnium, præter paucos, & Henrico Henrici Barbati filio fauentibus, fidemque suam obligantibus, mœrore ac dolore animi in grauem morbum incidit, cum apud socerum Suentopelcum in Pomerania esset, pauciſque diebus moritur, relictis Præmislo ac Boleslao postea Pio dicto filiis. Corpus eius Posnaniam delatum permittēte Henrico Pio in Basilica (nam ita mandauerat moriens) sepultum est. Post eius mortem Naclensis & Vscensis arx cum territoriis suis in fide filiorum eius permansere: Gnesna vero deditione facta in potestatem Henrici Pij venit, Cæterum Conradus Masouiæ Dux, Henrici morte rursus in spem Boleslai opprimendi erectus, vexare ditiones eius clandestinis latrociniis, ac mox etiam apertis excursionibus cœpit. Ad cuius conatus reprimendos Boleslaus, vt externa quoque sibi auxilia adiungeret, ad Belam quartum Vngarorum Regem legatos misit: noua cum eo fœdera icit, siue adeo antiqua firmauit: filiam eius Cunegundim, puellam moribus & vitæ sanctimonia nobilem anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo nono vxorem duxit: cui dos fuit quadraginta millium marcarum. Tali autem coniuge beatus Boleslaus, tamen primis nuptiarum diebus eam non attigit. Inde confirmata postea mutuo consensu religione, ambo perpetuo vouere continentiam. Hinc Boleslao Pudico cognomen inditum. Post hæc fœdera ac nuptias Conradus Boleslaum bello lacessere ausus non est. Verum Bydgostiam arcem, quæ ciuili bello inter ipsum & Henricum bello vigente, à Suentopelco Pomeranorum Duce intercepta erat, in potestatem suam redegit. Nec tamen quieuit Suentopelcus, quin postea tumultuaria excursione Inouladislauiam oppidum, complureſque pagos circumcirca ferro & igni depopulatus est.

Vladislaus Sputator moritur.

Boleslaus Pudicus vxorem ducit.

Fœdus & affinitas Boleslai cum Bela Rege Vng.

Porro

Prutenorū vires fracta à Cruciferis & Germanis.

Porro à Prutenis quietior iam erat Conradus. Nam ij Cruciferorum, ac voluntariorum quorundam principum Germanorum ac Pomeranorum armis fracti, & in angustum redacti erant. Cæterum domi non perinde tranquillas res habuit. Atque id, quicquid erat mali, sua sibi temeritate ac furore præcipiti, falsa suspicione inflammato, accersiuit. Profectus erat Casimirus filius eius Vratislauiam, vt sponsam & affines suos viseret: captusque consuetudine sponsæ, diutius ibi, nequicquam reuocante patre, commoratus est. Suspecta ea res Conrado, vt est fere suspicax ac solicita tyrannis, esse cœpit, verito, ne quod filius cum Henrico socero contra se ac cæteros fratres consilium iniret. Neque enim adhuc Henrico, quamuis reconciliato, ac duplici affinitate secum coniuncto fidebat. Erat cum Casimiro Ioannes Czapla Vladislauiensis & Plocensis Scholasticus, ac ducalis Cancellarius, custos & moderator adolescenti à patre datus. Eum igitur Conradus quasi conscium, siue adeo autorem consiliorum filij literis reuocauit, captumque causa non cognita in carcerem coniecit, ac mox quæstionibus subiectum, eodem furore in patibulum egit. Cuius cadauer cum Dominicani fratres (quos Ploscum Conradus ante aliquot annos condito eis monasterio induxerat) deposuissent, ac Christiano ritu funus deducerent: Agathia Conradi vxor mariti furori suffragata, ereptum, & in plaustro duobus bobus contumeliæ causa vectum, noua furca ad id ex tempore ad monasterium Dominicanorum ex aduerso Basilicæ erecta, iterum appendi iussit. Nec tamen deterriti sunt Dominicani, quin iterum id deponerent, ac honorifice sepelirent. In quo quidem euidenter diuina iusticia apparuit, sceleſta tyranni manu ad vltionem patrati prius à Czapla illo sceleris vsa, eo quod is iniustæ ac nefariæ Cristini Palatini Plocensis necis autor, aut sanè incentor fuerat. Hoc Conradi facinus Andreas Plocensis Episcopus Marci Palatini Cracouiensis filius vindicare ausus non est, ne quid & ipse à tyranno pateretur. Cæterum Petrus Archiepiscopus Gnesnensis re cognita, maiore animo vniuersæ Plocensi diœcesi sacris interdixit. Quamobrem exanduit quidem primum Conradus, verum post ad se reuersus, agnouit culpam, & Lenciciam ad Archiepiscopum, vt ille iusserat, venit: de admisso scelere Archiepiscopi arbitratu satisfecit: Louiciam villam cum circumiacentibus syluis Archiepiscopo iure sempiterno donauit, ea quidem lege, vt is Plocensis Canonicus semper esset, & libram siue marcam auri Duci Masouiæ eorum bonorum nomine quorannis penderet. Vladislauiensi item & Plocensi ecclesiis idem Conradus multa largitus est: atque ita Archiepiscopus interdictum suum relaxauit, & Conradus Dux à delegatis Pontificis Maximi Gregorij noni Episcopo Vratislauiensi, & Scholastico Cracouiensi à crimine absolutus est, cum ea, quæ Archiepiscopo, & Vladislauiensi ac Plocensi Episcopis receperat ac donarat, vna cum filiis suis confirmasset. Id adeo millesimo ducentesimo quadragesimo Christi anno actum est. Circa hæc tempora Boleslaus Pudicus, matris precibus adductus, cœnobium Cracouiæ fratribus D Francisci Assisinatis, nouo tunc instituto viuentibus, Praga accitis, condidit.

Ioan. Czapa Scholasticus Plocensis suspenditur.

Interdictū Archiepiscopi in Plocensi ditione.

Hoc eodem anno Tartari Russia peruastata, ac maxima ex parte subiugata Lublinensem oram Russiæ finitimam magno impetu inuaserunt: exustaque arce Lublinensi, omnem illam regionem vsque ad Vistulam lon-

Tartari Poloniam vastant.

ge lateque depopulati, Zauichoſtum etiam arcem in ripa Viſtulæ ſitam incenderunt: indeque in Ruſſiam reuerſi, depoſita tuto loco præda, quam ingentem abegerant & aſportarant, curriculo in Poloniam hyberno tempore reuerſi ſunt: tranſmiſſoque Viſtula flumine glacie concreto, Sendomiriam expugnauere: Copriunicenſe monaſterium diripuere: vtrobiq; præter ciues magnam agreſtium ac nobilium multitudinem, quæ illuc confugerant, vna cum monachis interfecere: progreſſique longius nemine prohibente, per Visliciam, Scarbimiriam vſque peruenere. Inde vero in capite quadrageſimæ anni ſequentis omnis generis præda onuſti, ingentem etiam hominum vtriuſq; ſexus formā & ætate florentium multitudinē loris aſtrictam in morem pecudum præ ſe agentes reuertebantur. Continebat ſe Boleslaus Princeps Cracouiæ ſimul cum matre, nuſquam auſus tantæ hoſtium multitudini ſeſe opponere. Cæterum Vlodimirus Palatinus coacta aliquanta manu, inſecutus abeuntes, apud Turſcum pagum vno à Polanecio oppido milliario, ſtatiua habentes, ex improuiſo adortus eſt, & magnam in perturbatis & inopinata re perterritis initio ſtragem edidit. Verum poſtea Tartari animaduerſa Polonorum paucitate, facile multi paucos, & multa cæde fatigatos ſuperarunt, & cæſis nōnullis, reliquos in fugam verterunt. Interim dum pugnabant Tartari, captiui diſciſſis vinculis in proximas ſyluas effugerunt. Porro Tartari ſua ſtrage perculſi, metuenteſque, ne maioribus Polonorum copiis opprimerentur, raptim ac tumultuarie ſeſe recipientes, & ſaucios ægrotoſque abiicientes, prope Secechouum in magna ſylua, quæ Stremech dicitur, aliquot diebus delituere, vt inſequentes fallerent: inde poſtea in Ruſſiam rediere.

Tartari iterum bipartito agmine totā Poloniam peruaſtant.

Nec multo poſt auctis maiorem in modum copiis irarum pleni, in Poloniam reuertere, & cum apud Sēdomiriam biduo ſtatiua habuiſſent, quo plura populationibus complecterentur, bifariam diuiſi ſunt. Ac pars quidem Lencicienſem ac Cuiauienſem oram duce Kaidano vaſtarunt: cum reliquo vero exercitu Battus ſummus eorum dux Sendomirienſem tractum verſus Camionam fluuium & Ilzam arcem & oppidum Epiſcopi Cracouienſis infeſtauit. At Proceres & equites Cracouienſes ac Sendomirienſes, non ferentes, chariſſimam patriam ſe inſpectantibus tam crudeliter vaſtari: parentes, vxores, & liberos ſuos dulciſſimos omni genere contumeliæ affectos, vel miſerabiliter trucidari, vel in fœdam ſeruitutem abduci: villas atque penates incendi: templa cædibus, libidinibus ac ſanguine ſacerdotum pollui. Hæc inquam non ferentes, ſimul autem conflictu Turſcenſi animati, facta manu,

Polonorum clades à Tartaris accepta.

Tartaris apud Chmielnicum pagum non longe à Szidlouia oppido occurrunt, eo quidem propoſito, vt vel corporibus ſuis viam ipſis ad vlteriora obſtruerent. Tartari vbi de aduentu Polonorum cognouerunt, duas acies inſtruunt, quarum altera magno cū clamore in Polonos aduenientes procurrens prælium commiſit: altera in ſubſidiis erat, vt laborantibus ſuis opem ferret. Pugnatum eſt horis aliquot acriter: ad extremum Tartari multis fortibus viris amiſſis, cedentes ad ſubſidiariam aciem ſeſe recepere, Polonis acriter inſtantibus & debellatum eſſe credentibus. Ibi vero denuo inſtauratur prælium. Tartari integri ac recentes feſſis ac ſauciis ſuccedunt, Poloni primo ſucceſſu freti, extremum conatum faciunt, vt aut plena victoria potiantur, aut vero honeſte pro patria mortem oppetant. Tandem amiſſis ducibus ac fortiſſimis quibuſque militibus ad paucos redacti, terga dedere, & itinerum noti-

notitia, ſyluiſque tecti euaſere. Factum eſt autem hoc prælium decima octaua die Martij.

Boleslai Pudici fuga.

Continebat ſe per id tempus Boleslaus Pudicus cum matre & coniuge ſua Cunegūdi in arce Cracouienſi: ſed accepto nuncio de clade ſuorum, in Vngariam cum familia & ſupellectili, raptim collectis ſarcinis, ad ſocerum profugit. Principis exemplo plurimi, ditiores præſertim, partim in Vngariam, partim in Germaniam diffugerunt: tenuiores vero in ſyluas, montes, & paludes ſeſe abdiderunt. Porro Tartari poſt Chmielicenſem victoriam ad Cracouiam contendunt, & cum vacuam defenſoribus reperiſſent, flammis in tecta ſæuierunt. Templum tamen D. Andreæ duabus turribus munitum, quod extra oppidum erat, ab egenis ac debilibus, qui in id ſe receperant, interfectis ſuperne compluribus barbaris, qui propius acceſſerant, defenſum eſt.

Sileſia à Tartaris vaſtatur.

Poſt in Sileſiam ingreſſi, cum diſiectos Oderæ pontes reperiſſent, compactis ex tempore ratibus, apud Ratiboriam flumen traiecerunt. Seruabat ripam vlteriorem Miecziſlaus Dux Ratiborienſium cum parua manu. Is igitur in eos, qui primi amnem tranſmiſerant, facto impetu, magnam in eis ſtragem edidit: ſed reliquo exercitu celeriter nauigando pariter & natando (valent enim ea re ipſi iuxta ac equi ipſorum) ſuperueniente ceſſit, ac Ligniciam ad Henricum Pium, qui ibi cogebat exercitum, ſe recepit, cumque eo ſe coniunxit. Tartari vero continuato curſu ad Vratiſlauiam metropolim oræ illius feſtinarunt, quam incenſam repererunt. Oppidani namque cognito aduentu barbarorum munitioni oppidi diffiſi, ſupellectili ſua & commeatu in arcem comportato id reliquerant: milites vero, qui in arcis præſidio erant, ne ciuitas hoſtibus prædæ vel receptaculo eſſet, hanc incenderant. Quam ob rem indignati Tartari arcem obſederunt. Sed fruſtra conſumptis diebus aliquot, cum obſeſſi ad longiorem etiam obſidionem perferendam non imparati eſſe viderentur, irrito cœpto inde ſimiles fugientibus abierunt, ac

Tartari Ligniciam contēdunt.

Ligniciam, vbi Henricum Ducem cum magnis copiis & auxiliis eſſe cognouerant, contenderunt, auctis viribus ſuorū aduentu, qui ante in Lencicienſem & Cuiauienſem tractum excurſionem fecerant.

Henrici Ducis exercitus.

At Henricus, aduentu hoſtium cognito, obuiam eis progreditur, procurato ſacris myſteriis exercitu, eo quidem animo, vt aut vinceret, aut fortiter pro aris & focis, aut pro populo ſuo dimicans occumberet. Quinque autem agminibus exercitus eius cōſtabat. In primo erant cruce ſignati ex variis gentibus, Pontificis Maximi autoritate & cohortatione poſt cladem ſuperioris anni collecti: cum quibus ordinati erant foſſores ex metallis Goldbergenſibus: cui agmini præerat Boleslaus Dipoldi Marchionis Morauię filius. In ſecundo erant maiores Poloni & Cracouienſes nonnulli, quos ducebat Suislaus Vlodimiri Palatini Cracouienſis frater. In tertio erat Miecziſlaus Dux Ratiborienſis & Opolienſis cum ſuis copiis. Quartum tenebat Pompo Magiſter Pruſſiæ cum ſuis Cruciferis. In extremo ipſe Henricus cum flore militiæ Sileſiacæ & Polonicæ, & mercenariis externis. Sub Legnicia igitur ad Niſſam amnem, in planicie ſpacioſa, quæ bonus campus dicitur, concurrunt acies, primique cruce ſignati (nam id ab Henrico impetrarant) pugnam ineunt, & primos barbarorum præcurſores facile fundunt. Verum illis ſiue pulſis, ſiue de induſtria cedentibus, (etenim fugiendo pugnare genti maxime vſitatum eſt) primum illud agmen cruce ſignatorum, productum longius à ſuis, & à multitudine barbarorum circundatum, denſo imbre ſagitta-

Prælium cū Tartaris ad Ligniciam.

gittarum obruitur, ita vt pauci inde euaderent: magna siquidem ex parte nudi erãt, tametsi ne loricæ quidem, aut thoraces, aut galeæ satis vim Tartaricarum sagittarum sustinent. Ibi & Boleslaus Dux inter primos pugnãs cecidit. Succedit alterum agmen ex duobus iunctum, cui Dux Opolienſis & Sulislaus præerant. Atque id facto impetu in hostes in cæde primorum exultantes, magnam stragem edidit, cum balistarij contra sagittarios eorum constitissent. Quod animaduertentes Tartari, duo item agmina suis laborantibus succursura submittunt. Nec tamen segnius Silesij cum Polonis pugnam cient, donec quispiam de exercitu Tartarorum eques à latere Polonis ex improuiso apparens, Polonica lingua, vt fugerent, vociferatus, eos conturbauit, & in fugam conuertit, initio fugæ orto à Mieczislao Opolienſi, qui vocem illam amici esse, saluti suorum consulentis, quasi iam reliqua agmina à barbaris deleta essent, credidit. Ibi Henricus nil suorum strage fugaque deterritus, extremo agmine cum Cruciferis coniuncto, fugientes insequentium Tartarorum impetum excipit: instauratoq; prælio, Tartaros vicissim premit. Succurrit & Battus vehementer debilitatis. Certatur vtrinq; totis viribus pro victoria: exæquata rursus aliquandiu pugna, tandem Henrici res virtute militum meliori loco esse cœperant. Erat in extremo illo agmine inter cætera signa vexillũ insigne, cuius pictura X literæ figurã præ se ferebat: in cuspide vero imago erat tetra, nigraq; capitis humani barbati. Id igitur vexillũ cum signifer vehemẽtius quateret, fumũ ac nebulam densissimã & fœtidissimã exhalabat. Ea nebula non modo aspectũ barbarorũ nostris adimebat, verũ etiam odore teterrimo eos enecabat: totumq; adeo exercitũ nostrorũ nouitate ac miraculo rei stupefactũ perturbauit. Incantationib⁹ id quibusdã Tartari effecerat: quibus iuxta ac ariolationibus ac diuinationibus cæteris cum alias, tum in bello plurimũ vtuntur. Tunc vero barbari, vbi nostros trepidare senserunt, cohortati se inuicem, impressionem in eos faciunt, perturbatisq; ordinibus magnã cædem faciunt: in qua Pompa Magister Crucigerorũ cum fortissimis quibusq; suorũ occubuit. Diffugiunt cæteri exacie, præter eos, qui circa Ducẽ erant. Nam is turpe ratus fugere, nõ inultus mori volebat. Ad extremum tamen, cum aliquandiu fortiter pugnans hostium vim sustinuisset, persuaderi sibi passus est, vt se meliorib⁹ seruaret rebus: perruptisq; hostilibus cuneis, quatuor tantum comitantibus, nempe Sulislao, Clemente Palatino Glogouiensi, & Conrado Conradi, & Iohanne Iuani filiis, nobilissimis ac fortissimis viris, iam periculũ euasurus esse videbatur, cũ subito fortuna conatum eius destituit. Equus enim, cui insidebat, multis vulneribus in prælio acceptis debilitatus concidit. Et quanquam Ioannes alium ipsi à cubiculario eius petitum submini strat, tamen dum insequentes & obuios barbaros ferro summouet, & in prementem se maxime Tartarũ sublato brachio gladium vibrat, ab alio quodam hasta sub ascella ictus, moribũdus de equo defluxit. Ibi barbari inconditum clamorẽ attollunt, deductumque per manus Henricũ ad alterum balistæ iactum, capite plectunt, & cadauer nudum detractis armis ac vestimentis relinquunt. Tres quoq; illi, qui eũ fugientem comitati sunt, pugnantes cecidere. Nam Ioannes impositio in alium equum Duce, ferro per medios hostes viam sibi ac Duci patefaciens saucius cum duob⁹ ministris vix euasit. Tantus autẽ in eo prælio interfectorum Christianorum numerus fuit, vt singulis singulę auriculæ à Tartaris præciſę, nouem ingentes saccos explerent. Post hanc deinde pugnam, Tartari Ratiborien-

Silesiorum & Polonorum fuga.

Henrici cædes.

Stragis magnitudo.

borienſem oram repetita excursione vastarunt, ibique octo dies commorati in Morauiam inuadunt: quam cum nemine prohibente, & Venceslao Rege in Bohemia delitescente, amplius vno mense vsq; ad Austriæ & Bohemiæ fines crudeliter diuexauissent, in Vngariam superatis montibus & syluis pertenerunt. At Henrici corpus post discessum Tartarorũ inter cadauera, sex digitorum in pede læuo argumẽto Anna coniugis indicante inuentum, cum alijs nobilioribus Vratislauiam deductum, & in diui Iacobi, quod monasterium Franciscanis ipse inchoauerat, Anna vero vxor postea consummauit, honorifice sepultum est. Cæterum Heduigis mater, quæ monasterij Trebnicenſis munitioni diffisa, Crosnam vna cum grege monacharum & Anna nuru, sub aduentum Tartarorum se receperat, nihil nuncio cladis atque interfecti filij commota est. Quin monachas & nurum lamentantes, ac pectora plangẽtes comiter cõsolata, minime deiecto vultu gratias egit Deo, quod eius munere talem filium peperisset, cuius ipsa viuentis pietatem summam in se experta semper esset, quique ad extremum pro religione & populo suo vitam alacer proiecisset.

Henrico Pio cæso, Boleslao Pudico nusquam comparente, oppidis, pagis, vicisq; ad vastitatem redactis, Nobilitas Cracouiensis & Sendomirienſis deteriora etiam timens, quod sine Principe ac magistratibus esset, inito consilio, Boleslao Caluo Henrici P. j filio natu maximo Principatum detulit. Atque is Princeps factus, statim Magistratus creauit: plerique enim tempestate illa Tartarica desiderati erant, Clementemque Rusiecium Sulislai filium Palatinum Cracouiensem creauit. Quod cum accepisset Conradus Dux Masouiæ, permoleste tulit, alienum sibi Casimiri Principis filio, Lesci Albi fratri, in Principatu prælatum esse. Itaque colloquium à Suentopelco Pomeranorum Duce petiit, fœdus cum eo percussit, auxiliaque ab eo contra Boleslaum Caluum impetrauit. Nam ipse Suentopelcus negauit ad id bellum se posse proficisci, aliis curis & occupationibus distentum. Interim dum Conradus in apparatu belli occupatus est, Tartari ex Vngaria per Scepusiensem tractum excursione rursus facta in Poloniam, Cracouiam inexpectati aduolarunt: direptaque vrbe, ac maiore quam prius cæde hominum facta, cum ingenti præda in Vngariam per Osuiecimense territorium citi reuersi, atque ibi tres annos commorati sunt. Conradus vero Dux, omnibus ad bellum comparatis, accitisque Pomeranorum auxiliis, in Sendomirienſem, ac deinde in Cracouiensem tractum duxit exercitum: & facile munitiones oẽs opera Zegotæ gente Toporij, eiusque familiæ, & clientum, dedentibus se vltro omnibus, in suam redegit potestatem. Cæterum Clemens Palatinus Cracouiensis, & alij, qui cum Boleslao sentiebant, cum impares essent conatibus Conradi reprimendis, Scalensem arcem valido præsidio tenuerunt. Nec eos Conradus oppugnare tunc adortus est, sed Cracouiam veniens arcem muniuit, constitutisq; rebus in Masouiam rediit. Aduenit mox Boleslaus Caluus cum exercitu suo, & Germanis mercede conductis, recuperaturus ereptum Principatum. Cum autem Cracouiensem arcem expugnare niteretur, recognita, superuenit iterum Conradus cum maioribus copiis, cum quibus Caluus congredi non ausus in Silesiam se recepit. At Conradus Scalam admouit exercitum. Territus Clemens Palatinus destitutum se ope Boleslai cernens, petita impetrataque à Conrado venia arcem ei dedidit.

Boleslaus Caluus vocatur ad principatum.

Tartari Poloniam rursus populantur.

Conradus Dux Masouiæ principatum inuadit.

Poti-

Asperiori dominatu Cracouienses à se alienat.

Potitus iam omni Principatu Conradus, cum belli sumptibus exhaustus esset, grauia mox vectigalia & exactiones non modo oppidanis & agrestibus, sed etiam equestri & sacerdotali ordini imposuit: ac ne ocio ad res nouandas inuitarentur, in reficiendis veteribus & extruendis nouis munitionibus acerbe vulgus exercere cœpit. Quæ post tantas calamitates à Tartaris illatas, famemque grauem, cum pergrauia & intolerabilia omnibus viderentur, magnum odium Conrado conflarunt. Redierat is forte in Masouiam. Ibi Proceres Cracouienses clam de eiiciendo ipso consilia ineunt: nonnullos conscios, qui Boleslaum Pudicum perquirerent, dimittunt. Atque is de voluntate & studio suorum certior factus, reditum parabat, ac de Vngaris auxiliarem manum cogebat. Porro Cõradus, cum alienatos à se esse Cracouienses & Sendomirienses conuentus animos accepisset, ac de consilio reuocandi Boleslai Pudici, & eiiciendi sui sensisset, propere accurrit cum non contemnendo comitatu suorum: dissimulatoque consilio, comitia apud Scarbimiriam indixit. Ad quæ cum frequentes proceres & equites conueniissent, capiuntur quidam ex eis nobiliores, qui contra Conradum sentire videbantur, & in Masouiam vincti abducuntur. Cæterum Clemens Palatinus cautior, & aduẽtum Conradi celerem, comitiaque illa æstate media præter morem indicta suspecta habens, cum fratribus & aliis nonnullis ad Boleslaum Pudicum, qui in Pienina arce in Vngariæ finibus ad eum diem latuerat, profugit. Nec tam multo post illi, qui in Masouiam abducti erant, fractis compedibus, intempesta nocte cum euasissent, omnem suorum multitudinem palam contra Conradum concitabant. Eorum reditu cognito, Clemens Palatinus confestim aduolat, & facta manu coniunctisque viribus Cracouiam in suam potestatem redigunt, eiecto Conradi præsidio. Subsequitur Boleslaus Pudicus cum coniuge, cui venienti ingens multitudo hominum omnis ordinis, ætatis, ac sexus exultans ac gratulabunda obuiam sese effudit, & mox nouum iusiurandum Principi proceres dicunt. Quo consensu permoti, qui arces & munitiones pro Conrado tenebant, Boleslao eas reddiderunt.

Boleslaus Pudicus reuocatur.

Conradus comitia Scarbimiria indicit.

Pudicus principatũ recuperat.

Factus autem certior Conradus de defectione minorum Polonorum, ac de reditu Boleslai Pudici, magnis itineribus Cracouiam accurrit, cumque videret Boleslaum Cracouiensis arcis munitione (neque enim spacium cogẽdi exercitus habuit) sese cũ presidio continere, obsidere eũ cœpit: & q̃ longius ductam iri obsidionem, neque satis virium se ad bellum in hostico gerẽdum habere sentiebat, tẽplis D. Andreæ, & D. Georgij, quod ex aduerso arcis in eodem colle situm, tunc extra munitionem arcis erat, castellorum loco vallis & fossis communitis, commẽdataque cura exercitus & obsidionis Boguthæ equiti Cracouiensi, secum sentienti, in Masouiam ad maiores copias mox adducendas recessit. Nec mora, Bogutha mutata fide, de templis præsidia deduxit, obsidionemque soluit. At Conradus conscripto maiore exercitui, accitis etiam in auxilium Præmislo Posnaniensi, & Mieczislao Opoliensi Ducibus, Lituanisque item & Iazygibus, tractum Sendomirienſem populabundus ingreditur. Nec Boleslaus cõmittendum sibi esse existimauit, quin sua defenderet. Itaque magna celeritate, quantum potest, exercitum comparauit, in quo erant & Vngari: & ad Suchodolum pagum Conrado occurrẽs, quamuis esset viribus longe inferior, tamen pugnandi copiam fecit. Et fauit sane iustiori causæ Deus, hominumq; preces pro Boleslao passim supplicantium

Conradus bellum infert Boleslao Pudico.

Pugna ad Suchodolum.

tium exaudiuit. Commisso enim prælio, numerosus ille Conradi exercitus cum ducibus suis à Boleslao fusus & in fugam actus est: victorque moderate victoria vsus, neque fugientes longius persecutus est, & saucios benigne recreauit, & captiuos dimisit. Cuius quidem moderationis fructum mox consecutus est. Nam reliqui de Nobilitate Sendomirienſi, qui Conradi partes ad eam diem pertinacius tutati erant, statim in potestatem Boleslai venere. Boleslaus itaque recuperatis omnibus, quæ absens amiserat, Cracouiam reuertens ingenti omnium gratulatione exceptus est.

Boleslai victoria ac moderatio.

Nec in maiore Polonia post Tartaricum bellum quietæ res fuere. Nam post interfectum Henricum Pium à Tartaris, cum Boleslaus Caluus filius eius natu maximus dominatum suscepisset, grauis Nobilitati, & cæteræ multitudini esse cœpit, atque externos indigenis, Germanos Polonis, & quidem infimos optimatibus præferebat: in hos perparcus & restrictus, in illos munificus & liberalis, ita vt honores quoque & magistratus eis mandaret. Male hæc res Polonorum proceres habebat. Itaque questi inter se de fastu Ducis, & contemptu sui, celeriter contra eum conspirarunt, & conuentu apud Posnaniam acto, Præmislũm & Boleslaum Vladislai Sputatoris filios, bonæ indolis iuuenes, accient, abdicatoque Caluo, duces eos sibi constituunt. Commorabantur autem ij in arce Vscensi, quam de patrimonio solam habebant reliquam. Naclum enim Suentopelcus auus maternus eis per fraudem ademerat. Venientibus iis traduntur arces & munitiones, vna excepta, cui Præmentæ nomen, cuius præfectus in fide Boleslai Calui perstabat: quam tamen haud ita multo post Nobilitas expugnauit. Tulit eam iniuriam & cõtumeliam non iniquo animo Caluus, suadente auia Heduigi, quæ & antea maritum, & posterius filium ab eo dominatu frustra auocauerat, & tunc nepoti, ne iniuste iustis hæredibus olim ereptum retineret, aut repeteret, persuasit. Quin is posteriori tempore affinitatem etiam cum Præmislo contraxit, collocata ei in matrimonio sorore sua Elisabetha, vna de quinque: sed id post mortem Heduigis actum est. Vix enim vno anno ea postea vixit, altero post filium defuncta: qui fuit à Christo nato milleſimus ducẽteſimus quadrageſimus tertius, septima idus Octobris, & sepulta Trebnicij.

Maiorum Polonorum defectio à Boleslao Caluo.

Boleslaus Caluus suis exosus.

Cruciferi quoque eodem tempore, cum Pomponi apud Legnicium interfecto, Henricum de Vida Magistrum suffecissent, nõ modo Prussiam bello quæsitam, sed etiam ea, quæ initio à Conrado Duce acceperant, pene amiserunt Suentopelci fraude, & mox aperto bello. Qui, Prutenis à Crucigeris iam ope multorum Germaniæ principum in angustiam redactis, magnaque ex parte debellatis, succeſſibus Crucigerorum inuidens, simul & sibi dominatuique suo metuens, Prutenos clam partim ad bellum, partim ad defectionem & rebellionẽ solicitauit & impulit. Conradus autem Dux Masouiæ post Suchodolienſem cladem de vlciscendo Boleslao Pudico sedulo cogitabat: & cum imparem se eius viribus videret, Lithuanos & Iazygas finitimos in eum concitauit. Qui ilico in Sendomirienſem oram sibi proximam tunc vsque ad Vistulam inundarunt, & magnam iumentorum ac hominum prædam è Lucouienſi & Secechouienſi territorio abegerunt. Nec aberat Conradus cum suis, cæde & incendiis in obuia quæque sæuiens. Coegit & Boleslaus exercitum, quantum angustia temporis patiebatur, querelis ac lachrymis suorum fatigatus, & aduersus Conradum duxit, sua defensurus, & illatum bellum propulsaturus: commissaque ad Iaroſſinum pagum pugna, vincitur, & mul-

Suentopelci bellum aduersus Cruciferos.

Lithuanorum & Iazygum in Poloniam excursio.

Poleslaus victus & fugatus à Conrado.

multis cæsis captísque fugit ex acie. Ingens inde trepidatio Sendomirienſem Nobilitatẽ inuaſit: quocirca metu conſtricta & præſenti periculo, deſperato Boleslai Principis auxilio, Conrado ſe dedidit. Et parci quidem tunc iuſſit Conradus cæteris omnibus: ſolas Epiſcopi Cracouienſis poſſeſſiones, quod in Boleslai fide permanebat, crudeliter diripuit ac incendit. Hac iniuria commotus Prendota Epiſcopus, Conradum velut inuaſorem eccleſiaſticorum bonorum, & ſacrilegium autoritate ſua pontificia publice diris deuouit. Quam rem Archiepiſcopus Gneſnenſis Fulco cum vniuerſa ſynodo ea de cauſa conuocata, comprobauit. Muniuit autem poſtea Conradus arces quaſdam in Sendomirienſi tractu: verum eas non multo poſt Boleslaus, deiectis eius præſidiis, recepit, cum Conradus curſim in Maſouiam, excurſione Prutenorum excitus diſceſſiſſet. Nec diu moratus, repulſis Prutenis, expeditionem aduerſus Boleslaum renouauit vna cum Caſimiro filio, & Mieczislao genero Duce Opolienſi, atque in Cracouienſem oram duxit exercitum. Contrinebat ſe Boleslaus in arce Cracouienſi, non auſus iterum prælio rem committere. Itaque è regione arcis Conradus caſtra metatus eſt, quo loco Rudaua amnis Viſtulæ miſcetur: eumque locum foſſis, aggeribus, caſtelliſque muniuit. Et quod obſidio longior fore videbatur, vno à Cracouia milliario ſupra Viſtulam nouam arcem munit, in eo colle, in quo monaſterium Tinecenſe ſitum eſt. Aliam item apud Lelouiam oppidum, decimo à Cracouia milliario. Sed cum nihil obſidione proficeret, Lelouienſi arce Mieczislao genero ſuo commẽdata, Tinecenſi præſidio ſuo bene munita in Maſouiam reuertit. Poſt cuius diſceſſum Boleslaus Tinecẽſem arcem in ſuam redegit poteſtatem: quo cognito, ij quoque, qui in caſtris ad Cracouiam relicti erant, deceſſere, veriti, ne & ipſi expugnarẽtur. Et paucis diebꝰ illis Mieczislao mortuo, Lelouienſis quoq; arx Boleslao dedita eſt. Ita paruo negocio omnes Conradi conatus, labores, ac ſumptus in irritum tunc receciderunt. Necita multo poſt Conradus extremum vitæ clauſit diem, relictis tribꝰ filiis ſuperſtitibus, Boleslao, Caſimiro, & Ziemouito, anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Cum autem Boleslaus paucis diebus patrem ſecutus eſſet, Caſimirus nõ acquieſcens in Lencicienſi & Cuiauienſi dominatu, quem ipſi viuens pater attribuerat, Siradiam, Spicimirũ, & Roſpram arces inuaſit, & fratrem Ziemouitum cum vxore Gertrudi captum in vincula coniecit.

Conradi expeditio contra Pudicum.

Conradus moritur.

Boleslai Pudici ſtudium.

Boleslaus vero Pudicus à morte Conradi pacem nactus, collapſa & vaſtata bello inſtaurare, deprauataque corrigere inſtituit, magnamque manſuetudinis & probitatis laudem etiam apud exteros adeptus eſt. Qui ſtatus rerũ minoris Poloniæ hoc fuit admirabilior, quod non modo cætera Polonia, verumetiam tota pene Europa bellis tunc ardebat. Nec in maiori Polonia & Sileſia quietæ res tunc fuere. Belli vero principium illud fuit Sileſia. Hẽricus Pius à Tartaris interfectus ex Anna vxore Ottocari primi Regis Bohemiæ filia quatuor reliquit filios, Boleslaum Caluum, Henricum, Cõradum, & Vladislaum. Ex his duo natu minimi ab Heduigi auia ſacerdotio deſtinati, & in Italiam miſſi literis nauabant operam, & Conrado quidem Bambergenſis Epiſcopa, Vladislao vero Archiepiſcopa Salisburgenſis promiſſa erat. Itaque reliqui duo fratres de matris & conſilij ſentẽtia dominatum paternum in Sileſia inter ſe partiti ſunt, ita vt Boleslao Caluo Vratislauienſis, Henrico vero Legnicenſis tractus ſorte obtingeret: & ne duo illi minores omnino exhæredes

Sileſiæ diuiſio.

des eſſent, Conradus quidem Henrico in Lignicenſi, Vladislaus in Vratislauienſi Boleslao cõſors accederet. Verum paulo poſt Boleslaus cupiditate ductus, quod Lignicenſem portionem potiorem eſſe iudicaret, Conradumque fratrem, qui in ea conſors Hẽrico factus erat, iam hypodiaconum, portionẽ ſuam petiturum nõ eſſe exiſtimaret, repudiato Vratislauienſi dominatu, Legnicenſem vſurpauit, Henrico vero Vratislauienſem conceſſit. Atque hic fomes poſtea ciuilium bellorum inter ipſos fuit. Tunc autem Boleslaus Caluus pœnitentia ductus, quod maioris Poloniæ dominatum à Præmislo & Boleslao Vladislai Sputatoris filijs præripi ſibi ſuadente auia paſſus eſſet, ad recuperandum eum adſpirare cœpit, arcemque nouam Copaniciam ſupra Oderam in finibus ditionis Præmisli muniebat. Ad eam igitur munitionem prohibendam Præmislus & Boleslaus fratres copias comparabant. Sed proceribus vtriuſque partis interuenientibus, pax inter affines Duces conſtituta eſt, his quidem legibus, vt Præmislus Boleslao Caluo Santocum, Medireczum, & Zbanſinum (quam arcem non ita pridem condiderat) daret: ille vero nouam munitionem demoliretur. Nec multo poſt Barnimus Caſſubiorum Dux Santocum ſibi vendicare, & cum exercitu oppugnare adortus eſt. Et facile quidem paucis arcem defendentibus expugnaſſet, ni propere ei Præmislus ſuccurriſſet. Mox Boleslaus quoque Caluus ad ferendam ſuis opem accurrit. Quorum amborum vires metuens Barnimus, ab obſidione receſſit. Boleslaus autem vt Præmislo gratiam referret, Santocum ei reddidit. Sub id tempus Caſimirus Dux Lencicienſis & Cuiauienſis, vt cum alterius iniuria dominatum ſuum amplificaret, Landenſe territorium in Caliſſienſi tractu inuaſit, monaſteriumque eiuſdem nominis ſupra Vartam fluuium ſitum præſidio firmauit. Verum id Boleslaus Dux Caliſſienſis deiecto Caſimiri præſidio mox recepit: disiectiſque propugnaculis monachis reſtituit. Porro Caſimirus qui aliena appetiuerat, non modicum ſuorum detrimentum tunc accepit. Suentopelcus enim quietis impatiens, violatis fœderibus, quæ cum Caſimiro & Cruciferis icerat, cum ſubito cum Prutenis in Cruciferorum ditionem irrupiſſet, multoſque mortales apud Golubum incautos oppreſſiſſet, in Cuiauiam quoque impetum fecit, quo luculentiore præda Prutenos ſibi deuinciret, ſuorumque inopiam releuaret. Venerat his temporibus Iacobus Leodienſis Archidiaconus, legatus ab Innocentio Pontifice Maximo, cum ad res Polonicas componendas, tum vt Pontifici à Friderico Imperatore vehemẽter afflicto aliquid ſubſidij corrogaret ac corraderet. Itaque conuocata Vratislauiam Epiſcoporum ſynodo, impetrauit, vt quinta pars redituum eccleſiaſticorum ex tota Polonia in triennium ei decerneretur. Relaxauit autem tunc Polonis partem ieiunij eius, quod eſt ſolẽne cunctis Chriſtianis ante Paſcha. Nam cum id totis nouem hebdomadis veteri Pontificum inſtituto vulgo ſeruarent, indulſit, vt eſſet deinceps hebdomadarum ſex & dimidiæ.

Diſſidium inter fratres.

Suentopelcus Culmẽſem & Cuiauienſem terram infeſtat.

Ieiunij quadrageſimalis moderatio.

Per eadem tempora Sileſia Boleslao Caluo autore & incentore ciuilibus bellis ardebat. Nam cum Conradus refutato ſacerdotio à Boleslao fratre præter ſpem eius portionem Lignicenſis dominatus ſibi deſtinatam repeteret, Vladislaus vero Archiepiſcopus factus, partem ſuam in Vratislauienſi non peteret, Boleslaus ad Vratislauienſem, quem prius contempſerat, redire velle cœpit. Negante Hẽrico, exercitum è Germania accitum coegit, ac Vratislauienſem ditionem armis & flammis infeſtauit: Nouoforo oppi-

Sileſia motus & bellum inter fratres.

do cum templo & hominibus incenſo Vratislauiam contendit, quæ nouis tunc mœnibus muniebatur, & tamen trimeſtrem Boleslai obſidionem ſuſtinuit, obſidentesque crebris eruptionibus exagitatos re infecta diſcedere coegit, cum Henricus impar fraternis viribus ad prælij dimicationem prodire non eſſet auſus. Rediit mox Boleslaus cum maioribus copiis, & fruſtra tentata iterum Vratislauiæ expugnatione, vaſtatis longe lateque agris & pagis, cũ munitiones Henrici præſidiis tenerentur ac defenderentur, reduxit exercitum triſtior, quod duabus expeditionibus ſumptuoſis, nullum tantis ſumptibus dignum operæprecium feciſſet. Sed tamen tertiam deinde adiecit, & cum ne ea quidem ex ipſius animi ſententia ceſſiſſet, nec haberet, vnde ſtipendia debita mercenariis militibus diſſolueret, infeſtare ij latrociniis ditionem eius cœpere: inde odiſſe eum iam ſui, ac deſerere. Qua re adactus, ſupellectilem omnem ſuam in ſtipendia militum diſtraxit: & cum ne ſic quidem ipſis ſatisfaceret, arces eis quaſdam ac poſſeſſiones hypothecæ nomine habẽdas dedit. Deniq; Lubuſſenſe territorium Brandeburgenſibus Marchionibus Ioanni & Ottoni oppignorauit, quod ex eo tempore in Marchionum poteſtatem venit. Cum autem Boleslaus Caluus inops, egenſq;, & à ſuis exoſus, nec ſatis compos mentis oberraret, ab Henrici militibus exceptus, & Vratislauiam adductus fratris miſericordia ſtatim dimiſſus eſt. Nec illa tamen lenitate ac manſuetudine fraterna cupiditas & feritas Boleslai victa eſt: quin is Ligniciam reuerſus, noua aduerſus fratres conſilia cum externis militibus (cum ſuos à ſe alieniores eſſe animduerteret) agitabat: neque Conrado portionem ipſius, quemadmodum receperat Vratislauiæ, reddebat: & cum pecunia indigeret, Sittauiam & Gorlicium oppida ſuis quibuſdam hominibus oppignorauit. Quibus rebus magis etiam alienatis ab ipſo animis omnium, Croſnenſe territorium & arx cum aliis finitimis ad Conradum abeo defecit. Sed cum is parari ſibi à Boleslao fratre inſidias comperiſſet, neque ſatis virium ad reſiſtendum ei ſe habere, ac in Henrico quoque parum ſibi ſpei reliquum eſſe cerneret, ad Præmislum Poſnanienſem & Caliſſienſem Ducem profugit. Quem benigne Præmislus accepit, & bene ſperare iuſſo, ſororem ſuam Salomeam ipſi deſpondit: nuptiiſque Poſnaniæ celebratis, ad Hẽricum & Boleslaum legationem miſit, poſtulans, vt ij Conrado fratri iuſtam partem patrimonij concederent. At Henricus quidem negauit à ſe repetendam eſſe Conradi portionem, ſed à Boleſlao, cum quo acturum ſe ea de re policitus eſt. Boleslaus vero durius reſpondit: Conradum ſacris initiatum, iure omni patrimonij repetendi excidiſſe. Quocirca Præmislaus cum exercitu ſuo fratriſque Boleslai Lignicenſem tractum ingreditur, Conradum ſecum ducens, & magna celeritate arcẽ Bythomiam, ſiue in veteribus ruinis, ſiue alio quodam oportuno loco ſupra Oderam non procul à Glogouia excitauit: & turribus, aggeribus, & foſſis muniuit, turmaſque aliquot & cohortes Conrado attribuit, cum quibus ille finitimas oras Boleslao Caluo ſubiectas tam diu vexaret, quoad ius ſuum ab ipſo conſequeretur. Et [illegible] quidem diebus debellatum erat, ſi ad extremum fortuna Conradi exeptis reſpondiſſet. Boleslaus enim Caluus, dum incautius forte aduerſariorum copias ac nouam munitionem ſpeculatur, comprehẽſus ab aduerſariis in ſtatione excubantibus, & in cuſtodia à Conrado habitus, ad quaſuis iniquas conditiones adduci potuit, niſi corruptis cuſtodibus euaſiſſet.

Cæterum in minore Polonia cum pacatum iam principatum Boleslaus Pudicus obtineret, anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, ſalis metalla apud Bochnam pagum, quod iam oppidum eſt, quinto à Cracouia milliario inuẽta ſunt: vnde vberes Principi reditus acceſſere. Cunegundis vero vxoris Boleslai pietati ac ſanctimoniæ beneficium id nõ modo Polonis, ſed etiam finitimis populis perutile, acceptum refertur. Hoc eodem tempore D. Stanislaus Epiſcopus quondam Cracouienſis, ſatagẽte Boleslao Principe, & Epiſcopo Cracouienſi Prendota ab Innocentio quarto Pontifice ſummo de ampliſſimi collegij ſententia, re diligentiſſime examinata, in numerum Sanctorum relatus eſt, centeſimo demum & quinto ac ſeptuageſimo poſt mortem anno, qui fuit à Chriſto nato milleſimus ducenteſimus quinquageſimus tertius. Anno vno celebritatem illam præceſſit ingẽs aquarũ inundatio in tota fere Polonia ex perpetuis imbribus, ab Aprili menſe vſque ad viceſimam quintam Iulij delapſis, ita vt campi, agri, ſyluæq; nauigabiles eſſent. In Maſouia vero præterea Lithuani Viſnenſem oram deuaſtarunt. Tertio deinde anno Lublinenſem quoque tractum depopulati ſunt, & arcem ligneam etiam tunc incenderunt. Erat autem tũc Lithuanorum Dux Mendocus ſiue Mindacus, qui Cruciferorum armis debilitatus & attritus, anno Chriſti milleſimo ducẽteſimo quinquageſimo ſecũdo religioni Chriſtianæ initiari cum ſuis aſſenſus eſt, & Samagitenſem, Veiſenſem, Curonienſem, & Iazygum ſiue Poleſſenſem tractum donaturum ſe eſſe Cruciferis promiſerat, vt imminenti ab ipſis exitio ſeſe eriperet. Quorum etiam opera regium nomen à Pontifice maximo adeptus eſt, & à Rigenſi Archiepiſcopo, & Culmenſi Epiſcopo ſolenni ritu diademate cinctus. Verum non multo poſt ſtabilitis rebus ſuis, neque Cruciferis promiſſa præſtitit, & religione abiecta ad ſua idola reſiliit, & ex finitimis Chriſtianorum regionibus prædas agebat, vt tunc è Lublinenſi, poſt ex aliis. Aberat autem forte tunc Boleslaus Pudicus Morauica expeditione occupatus, cuius hæc fuit cauſa. Poſt interfectum Auſtriæ Ducem Fridericum, Præmislus ſiue Ottocarus Venceslai Luſci Regis Bohemorum frater, vel ſecundum quoſdam filius, Auſtria potitus erat, ducta in matrimonium ſorore Friderici Margarita iam anu, quæ prius Henrico Friderici Imperatoris filio nupta erat. At Styriam quoque idem Ottocarus ſibi adiunxerat, quod eo facilius fuit factu, quod imperium in Germania tunc vacabat poſt mortem Friderici. Huic igitur Ottocaro cum Bela Rex Vngariæ bellum facere vellet, & virium ad id non ſatis haberet, Boleslaum generum Principem Poloniæ in auxilium euocauit. Nec ita multo ante Venceslaus Rex poſt Mieczislai Ratiborienſium & Opolienſium Ducis mortem, cum is nullos reliquiſſet liberos, Opauiam occuparat & Nicolao filio notho ſuo tradiderat. Quocirca Boleslaus, vt in gratiam ſoceri manum Bohemorum diſtineret, Opauiamque Polonis rurſus adiungeret, in Opauienſem oram, & in Morauiam cum exercitu ingreſſus, ferro & incendiis eam longe lateque vaſtauit, magnamque prædam abegit: nec tamen Opauia potitus eſt. Ne Bela quidem operæ precij quicquam fecit: quin à Morauis fuſus fugatuſq; eſſe fertur. Hac igitur expeditione Morauica occupato Boleslao, liberior fuit excurſio Lithuanis in Poloniam.

In Sileſia vero Conradus ditiones fratrum ex arce Bythonienſi armis infeſtabat, quem quo expeditius adiuuaret Præmislus ſocer, cum Boleslao fratre, quem iniuria affectum, in carcerem etiam quaſi inſidiatorem coniecerat, in gratiam à Fulcone Archiepiſcopo reductus eſt, ac denuo dominatum cum

Salinæ Bochnenſes.

Inundatio.

Lithuanorum excurſio in Maſouiam & Poloniam.

Morauica expeditio.

Poloniæ maioris diuiſio noua.

cum eo partitus, Gnesnam, Calissiam, Rudam seu Velunum, Pysdros, Srodam, Bninum, Biechouiam, Gizum, & Pobiedisços ei concessit. Posnaniam cum cæteris munitionibus ac territoriis ipse retinuit. His ita transactis, in Vratislauiensem regionem duxit exercitum, & omnem eam oram, quæ est circa Olesniciam, Syczouiam, Trebniciam, & Cerequiciam oppida, vsq; ad Vidauam amnem, deinde & vltra Oderam vadato flumine depopulatus est, eo q; Henricus Dux Vratislauiensis neq; ipse partem patrimonij Conrado reddebat, neque ad repetendam eam à Boleslao fratre opem ei ferebat. Pax deinde ac concordia inter Silesios fratres, Episcopi Vratislauiensis & aliorũ procerum interuentu componitur, ac Glogouiensis dominatus Conrado à Boleslao Caluo, quanquam inuito, conceditur: Conradus obsides & captiuos dimittit: aliis item, qui prius ex pacto dimissi erant, æstimationes capitum remittit. Mendocus Dux Lithuaniæ abiecta religione Christiana, infestior indies Christianis vicinis erat, coactoq; è suis Lithuanis & Prutenis idem sentientibus valido exercitu, in quo triginta millium armatorum censebantur, Masouiam oẽm crudeliter vastauit, caputq; gentis Plocensem arcem defensoribus vacuam incendit, & ingenti hominũ atq; iumentorum præda domũ remissa, in Cruciferorũ ditionem eodẽ furore inuasit: eaq; peragrata exustaque, homines quidem captos immanitate barbarica trucidauit, cæterã vero prædam permagnam abegit. Cruciferi non ausi obuiam prodire tantæ multitudini, munitionibus tunc sese continuere.

Regis Bohemiæ & aliorum Principum expeditio in Prussiam.

Postea vero anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto aduenientibus Ottocaro Rege Bohemorum, Marchionibus Brandeburgẽsi & Morauiæ, Duce Austriæ, Pragensi, Olomucensi, & Ermelensi siue Varmiensi Episcopis, cũ magnis copiis, magnaque item multitudine crucis militiam professa, aucti viribus & animis, vicissim Prutenis bellum inferunt, & illis ad prælij dimicationem nusquam prodeuntibus, ferro & igni in obuia quæque desæuiunt. Quibus malis adacti Sambienses, in potestatem Cruciferorum venere, religionemq; Christianam suscepere. Suẽtopelcus vero quietis impatiens nouum excitauit bellum. Etenim misso eiam cum expedita manu filio, quem obsidem pace facta à Prutenis receperat, Naclum arcem Præmisli nepotis sui, consciо & adiuuante vno de custodibus, pecunia corrupto, noctu iterum intercepit. Quod vbi Præmislo nunciatum est, quantum potest, cogit exercitum. Mittunt ei auxilia Duces alij Polonorum, tanquam ad restinguendum commune incendium: cum quibus ad Naclum contendit Præmislus. Cumque arx situ atque arte munitissima egregie à Pomeranis defenderetur, ac difficilis esset eius expugnatio, aliam è regione eius ad occidẽtem solem summa celeritate excitauit, eique importato copioso commeatu præsidium imposuit, quantum sufficiebat ad vexandos, & quasi in obsidione continendos hostes, qui in præsidio antiquæ arcis erant. Quo facto dimisit reliquum exercitum. Fiebant autem crebræ vtrinque ex arcibus eruptiones, & conflictus marte vario. Alteram deinde Præmislus cum Boleslao fratre & Casimiro fecit expeditionem in Pomeranos, & omissa Nacli expugnatione, noctu silẽti agmine ad Racianzum arcem Pomeraniæ, in quam se magna multitudo Pomeranorum cum facultatibus suis propter bellum contulerat, contendit: eamque antelucano tempore aduenies incendio consumsit. Post cuius discessum Suentopelcus cum exercitu non contemnendo, hostibus ex noua arce obsistere non ausis, in Naclum perrupit, & cõmeatu importato, suos laborantes victus inopia confirmauit. Deinde omnem conatũ ad nouam arcem vel capiendam, vel euertendam conuertit, sed irrito cœpto post recessit. Videns autem Suẽtopelcus, difficulter se Naclum retinere posse, ad pacem cum Præmislo faciendam inclinari animo cœpit. Nec difficulter ea Popone vno de Cruciferis, qui Suentopelcum & Præmislum materno sanguine attingebat, interueniente coiuit. Conuentu enim apud Xynam acto, Suentopelcus per sententiam Poponis ex compromisso latam Præmislo Naclum reddidit: Præmislus vero Suentopelco pro impendiis & Racianzi demolitione quingentas marcas argenti certis pensionibus exoluturum se esse, nouem obsidibus nobilibus datis, cauit; & exoluit postea. Captiui vtrinque dimissi. Pax perpetua mutuo iureiurando firmata est, ita vt neuter alterius ditionem vnquam inuaderet. Nec toto ab ea pace facta anno circumacto, Præmislus triginta sex annos natus, pridie nonas Iunij immatura morte extinctus, Posnaniæque sepultus est. Mitissimus sui temporis princeps, & supra ætatem prudens: iustitia autem & animi moderatione in iudicando tanta, vt eius iudicium victus atque victor ex æquo probarent. Ebrium aut iratum eum nemo vidit. Vsque adeo vero addictus fuit religioni & cultui diuino, vt per tempus quadragenarij ieiunij cilicina veste super nudum corpus, & vino diluto admodum, aut insipidiore ceruisia vteretur. Nocturnis temporibus cum dormire putabatur, prolixæ precationi vacabat. Ouanscense monasterium Cistercienſis sectæ puellis ad Vartham fluuium condidit: Srodecense vero Dominicanorum Posnaniam transtulit. Gnesnense etiam Xenodochium siue hospitale sepulchri Christi militibus contulit & commendauit, Præpositoque Miechouiensi subiecit. Præter multas autem alias pias largitiones, Gnesnensi quidem ecclesiæ Cirnelinum pagum, Posnaniensi vero Bucum donauit, non sine inuidia & offensione procerum. Reliquit autem Præmislus quatuor filias, ex Elisabetha vxore susceptas, & filium posthumum post quartum mensem natum, cui paternum nomen inditum est.

Sambia à Crucigeris subacta, & ad religionem Christianam adacta.

Naclum à Suentopelco intercepũ.

Pax inter Suentopelcũ & Præmislum.

Præmisli mors & laudes.

Præmislus posthumus nascitur.

Eodem anno millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo Iacicus siue Iacintus post exhaustos multos labores in Polonia & Russia pro religione Christiana, mortem cum vita commutauit ad decimum octauum Calendas Septembris. Non omnino tunc Silesia ab intestinis motibus immunis erat. Etenim Boleslaus Caluus, cum dolore amissæ Glogouiæ percitus, tum bello superiori exhaustus, vt iram simul & cupiditatem suam expleret, Episcopum Vratislauiensem cum duobus Canonicis ruri captum, & vestibus exutum in carcerem abduxit, à quibus postulabat decem millia marcarum. Quæ cum non penderent, coniecit eos in tetrum carcerem compedibus constrictos. Qua re cognita, Archiepiscopus Gnesnensis Boleslaum diris deuouit: Vratislauiensi vero omni diœcesi sacris interdixit. Quas diras cum Boleslaus negligeret, & nihilomagis dimitteret captos, Pontificem Maximum Alexandrum quartum certiorem ea de re fecit, & quid porro fieri oporteret, rogauit. Rescripsit Pontifex Archiepiscopo, vt Poloniam omnem ad arma contra Boleslaum sumenda crucis militia promulgata vna cum cæteris Episcopis concitaret. In eandem sententiam Magdeburgensi quoq; Archiepiscopo de cõcitandis Germanis scripsit. Sed interea Episcop⁹ pertæsus diri carceris, duobus millibus marcarum, & cõmutatione decima-

Silesiaci motus.

rum

rum manipularium in pecuniarias per totam diœcesim suam vna cum Præpositо & Canonico se redemit. Neque vero vno illo scelere contentus Boleslaus fuit. Nam Præmislo, cuius ope Conradus gener nitebatur, mortuo, Cõradum quoque fratrem per fraudem capere', & Glogouia exuere adortus est. Sed hoc non itidem succesſit Certior enim factus Conradus de insidiis fratris, cum Lignicium ab eo dolose ad cõuiuium vocaretur, cum expedita manu profectus est, ac reliquis in sylua propinqua Lignicio latere iussis, cum paucis expeditioribꝰ veniens, à Boleslao simulati officij causa obuiam prodeunte in arcem deducitur. Vbi conspicit loca superiora ab armatis teneri, anteuertit meditatum fratris facinus, captumque eum metu perculsis omnibus asportauit, & in custodia habitum aliquandiu, atque ea, quam ab Episcopi Vratislauiensi emunxerat, pecunia mulctatum postea dimisit. Sic Boleslaus laqueo, quem alteri tetenderat, ipse se implicauit.

Terræmotus.

Anno sequenti milleſimo ducẽteſimo quinquageſimo octauo terræ motus vehemens Poloniam concussit, & animos hominum propter rei raritatem non metu tantum, sed etiam religione impleuit, velut magnorum malorum, quæ mox consecuta sunt, prodigium. Nam & ciuilibus bellis mox agitata, & barbarorum excursionibus afflicta est. Ciuilium autem bellorum Casimirus Dux Siradienſis, Lencicienſis, & Cuiauienſis causa fuit: cuius inexplebilis cupiditas eousque progressa est, vt Ziemouito fratre in vincula cõiecto, Siradiensem tractum, cuius hæreditas secundum Boleslaum fratrem iure ad vtrumque pertinere debebat, solus occuparet: Landense territorium, vnde prius à Boleslao Pio Duce Calisſienſi depulsus erat, iterum inuaderet: Racianzum item Episcopo Vladislauienſi auferret, quod tamen post reddidit, cum ei litem intendisset Episcopus. Lelouiense territorium Boleslao Pudico adimeret, munita arce in colle supra oppidum. His igitur de causis primus omnium Boleslaus Pius in eum arma sumpsit, inita societate cum Varcislao Cassubiorum Duce, quod is Suentopelco, cuius gener tunc Casimirus factus erat, propter iniurias quasdam infensus esset. Obtinebat Boleslaus etiam Posnanienſem satrapiam, vtpote tutor liberorum fratris defuncti. Itaque conscripto ex omni maiore Polonia magno exercitu, coniunctisq; cum Varcislao viribus, Cuiauiam vastabundus ingreditur, Inouladislauiamque arcem obsidione cinxit: cui, sicut & cæteris munitionibus, Casimirus, cum non haberet exercitum, metuebat. Itaque legatione ad Boleslaum missa bellum deprecatur: Landense territorium redditurum se ipsi promittit, arcemque, quam in eo præsidij causa communierat, demoliturum. Secutus eius fidem Boleslaus, obsidionem soluit, exercitumque dimisit. Sed Casimirus nõ modo non præstitit Boleslao, quæ receperat, verum etiam Calisſienſem tractum vicissim insequenti anno depopulatus est, cum de clade Varcislai, cui Boleslaus ex fœdere auxilia miserat, in Pomerania cognouisset. Proficiscebatur tunc Boleslaus Calissia Posnaniam, cum de Casimiri excursione nuncium accepit. Protinus igitur cum solo aulico suo comitatu reuertens, triginta tantum equitibus in itinere collectis, & agrestibus, quos hostes damno affecerant, sequentibus, in sylua, cui Soleciæ nomẽ est, hostilem exercitum, magnoque animo impetum in eum facit, extremisque perturbatis, & primos impellentibus, & omnibus maiores multo, quam erant insequentium se, copias (propterea quod sylua longiorem prospectum adimebat, clamantium vero sonitum ampliorem reddebat) esse credentibus, vniuersum agmen in

Polonia ciuilib. bellis agitatur.

fugam

fugam agit, prædam excutit, plurimosque ex hostibus captiuos abducit. Nec tamen clade hac affectus Casimirus acquieuit, sed non ita multo post Pacossum oppidum Boleslai capit, arcemque in eo munit: vnde Calisſienſem oram liberius infestabat. Ibi tunc Boleslaus Pudicus & Ziemouitus Casimiri frater, vt & Boleslao Pio subuenirent, & suo quoque nomine Casimirum vlciscerentur, coniunctis cum Boleslao Pio viribus, Lencicienſem tractũ crudeliter vastant, arcem ædificant, & commeatu copioso implent, ac Ziemouito commendant. Fractus hisce incommodis Casimirus, inducias duorum mẽsium petit, æqua omnia se esse facturum promittit iureiurando dato. Sed elusis Ducibus, amotoque præsenti periculo, non seruauit fidem. Itaque insequenti anno Boleslaus Pius in Cuiauiam duxit exercitum. Deprecante vero Casimiro, non prius deduxit, quam ille arce Landenſi & Pacosso præsidia deduceret. Quod quidem Casimirus extrema pene adactus necessitate fecit, cum alio quodam infortunio maximo mulctatus esset. Nam duo filij eius, Lescus cognomento Niger, & Ziemomyslus è priore matrimonio susceptі, veneno, vt aiebant, à nouerca appetiti, vel potius iusta Dei vindicta incitati, Siradienſem & Lẽcicienſem ditionem absente patre, Proceribus cum omni Nobilitate fauentibus, occuparunt: & Lescus quidem Siradienſem, Ziemomyslus vero Lencicienſem obtinuit. Ita qui aliena iniuste appetebat, sua turpiter amisit. Atq; hi tunc sane ciuiles motus in Polonia inter propinquos, agnatos, fratres, parentes, ac liberos extiterunt.

Dum autem hi sic inter se bellum gerunt, ecce Tartarorum ingens vis Nogaio & Celebuga ducibus, in Poloniam sese per Russiam mẽse Decembri effudit, Russis ipsis adiutoribus atque ductoribus. Flumina tunc iam glacie concreta erant: itaque summa celeritate vsi, & Lublinenſem oram, quam à Lithuanis vastatam superiori tempore Daniel Russorũ Rex, arce Lublinenſi intercepta, ac turri rotunda præsidioque firmata vsurparat, prætergressi, in Sendomirienſem impetum faciunt, & plurimos mortales incautos opprimunt: monasterium Zauichostense, quod Boleslaus Pudicus nuper condiderat, & viginti quinque pagis dotatum puellis D. Franciſci vitæ institutum professis attribuerat, diripiant, itemque id, quod in Lyssecio siue caluo mõte situm est: Sendomirienſe oppidum incendunt, arcem nullo respirandi otio defensoribus dato, die noctеque oppugnant, verum nullo operæ precio: nam à multis ea gnauiter defendebatur. Ibi Russorum Duces Leo & Romanus Danielis filij, & Basiliscus frater, qui in castris Tartarorum erant, primo per internuncios, deinde per se ipsi cum Petro præfecto arcis agunt, vt, si se, arcemque seruatum ire velit, ad Tartarorum Duces in castra veniat, & imperata se facturum profeſſus, paruo se, arcemque, & omnem multitudinem redimat. Fidem dant, nil in ea re fore periculi, se hæc ita confecturos esse. Credidit præfectus, Russos Christiani sanguinis misericordia commotos, quemadmodum præse ferebant, illa suadere & recipere. Itaque præfectus cũ fratre suo, & primoribꝰ ex Nobilitate ad castra hostium, quem ad modũ conuenerat, proficiscitur. Duces barbarorum, vt erat edoctus à Russis, adorat, de salute sua & arcis supplex agit. Barbari autem, vt sunt fallaciſſimi, in supplices impetum faciunt, spoliatos & verberatos immaniter obtruncant, & confestim sublato clamore, effuso cursu in arcem, nihil tunc eiusmodi expectantibus defensoribus, inuchũtur, in cædeq; hominũ, omnibus perterritis & latebras quærentibus, promiscue grassantur. Matronas tantum & puellas formo-

Tartari Poloniam vastant.

stores ad contumeliam & explendam libidinē (vt est gens libidinosissima) adseruarunt. Defessi autem cædendo, reliquum vulgus hominum gregatim in Istulam impulerunt. Tanta vero cædes in arce tunc facta esse dicitur, vt sanguis cæsorum ad Vistulam vsq; defluueret. Incensa arce, barbari nulla mora interiecta versus Cracouiam Russis Ducibus itineris contendunt, & vrbem defensoribus vacuam incendunt, valetudinarios & mendicos trucidant. Nam Boleslaus princeps, nuncio de Sēdomiria capta accepto, in Vngariam cum vxore profugerat: cætera hominum multitudo partim in syluas se abdiderat, partim munitionibus arcium sese defendebat. Tartari vero cædibus & incendiis vsque ad Bythomiam in Opoliensem tractū impune prouecti, post alterū siue adeo tertium mensem præda onusti in Russiam reuerterunt. Annus, quo hæc gesta sunt, fuit post Christum natum millesimus ducentesimus sexagesimus.

Cracouia iterum à Tartaris incensa.

Boleslaus fugit in Vngariam.

Circa hæc tempora Daniel Romani Ducis filius, aduersæ factionis Ducibus vel domitis, vel in suam sentētiam adductis, magnam potentiam & monarchiam fere in Russis Australibus vsurpabat: & quo maiorem sibi autoritatem compararet, legatione ad Opissonem legatum Apostolicum in Poloniam missa, cum promitteret, se cum vniuersa gente sua ad Romanæ ecclesiæ societatē accessurum, ac Christianas regiones aduersus Tartaros, qui iam ingentem formidinem omnibus principibus Christianis incusserant, defensurum, nomen ac diadema regium sibi ac posteris suis impetrauit. Verum consecutus id, quod concupierat, fidem & iurisiurandi religionem violauit: & in pristinum errorem relapsus, non modo non defendit à barbaris Christianos, verumetiam cum Tartaris pariter infestauit, mox etiam cum Lithuanis. Nam cum eis Suarmonem sororis filium cum magna manu ad populandam Masouiam misit. Qui celeritate vsi, Ziemouitum Ducem cum Conrado filio & aulico comitatu in Iassouusco prædio secure rusticantem cepere. Ac Ziemouitum quidem Suarno barbarica crudelitate interfecit; Conradum vero Mindacus, cui cesserat, seruauit, & pecunia redemptum postea dimisit. His patratis, Masouiam pene omnem Duce orbam Russi cum Lithuanis populabundi peragrarunt. Miseratus autem acerbam illam cladem Masouiæ Boleslaus Dux Calissiensis, & precibus Gertrudis Ziemouiti vxoris exoratus, venit cum exercitu in Masouiam, copiosum commeatum & fabros secum ducens, releuataque populi calamitate & inopia, & arce Plocensi, quæ ab hostibus exusta fuerat, refecta, ac bene munita discessit. Reuertuntur deinde æstate sequenti Lithuani in Masouiam, & non respondente eorum cupiditati ac spei præda, longius progressi Louicienſe territorium ferro & incendiis vastarunt. Graues iam admodum non modo Masouiæ, sed & Boleslai Pudici ditionibus Lithuani esse cœperant, ni diuinitus auxilium affulsisset. Intestini enim eorum motus respirandi spacium Boleslao Pudico dederunt. Mindacus enim à Stroinato fratris filio per insidias dormiens cum filiis interfectus est, & Srtoinatus dominatu Lithuaniæ potitus. Nec mitior is futurus erat in Christianos: mox enim initio principatus sui Masouiam depopulatus est: captaque Orsimouia arce, mares quidem puberes trucidauit, impuberes vero cremauit. Sed cito scelerum suorum pœnas dedit. Nam à Voisalco Mindaci interfecti filio superstite, qui monasticæ vitæ institutum apud Russos professus erat, venationi vacans captus, excruciatus, & necatus est. Nec ita multo post Voi-

Russorum perfidia.

Masouia à Russis vastata.

Mindacus Lithuanorum Rex interficitur.

salcus Lithuanorum dominatu potitus, à Leone Danielis Russorum Regis filio per dolum interfectus est. Dum hæc ita turbantur in Lithuania, non putauit Boleslaus Pudicus prætermittendam sibi esse illam occasionem, quin Iazygas finitimos & infestos regionibus suis vlciscetur. Itaque duxit in eos exercitum. Qui fortiter dimicantes & Conato etiam Duce amisso pedem non referentes, ad internecionem vsq; cæsi sunt, adeo vt ex eo tēpore nomen quoque Iazygum pene deletum sit. Regione eorum deinde potitus Boleslaus, exiguas gentis reliquias Christianam religionem suscipere capitali pœna in contumaces sancita coegit, & ne regio vasta & inculta maneret, colonias eo deduxit. Ab Vrbano autem quarto Pontifice Maximo impetrauit mandatum ad Archiepiscopum Gnesnensem, vt nouum genti præficeret Episcopum. Nunc sane tractus ille est in diœcesi Lucensi siue Lucæorienſi: quæ Episcopa Ludouici Regis studio & opera posterius condita est. Annus hic fuit post Christum natum millesimus ducentesimus sexagesimus quartus, quo post apparitionem cometæ trimestrem pestis acerba in pecora & pecudes in Polonia grassata est. In Prussia vero Cruciferi, aduersa fortuna vsi, pene deleti sunt à Prutenis.

Iazyges à Pudico victi ac pene deleti.

Cruciferi à Prutenis afflicti.

Insequenti anno Russi Duce Suarnone magna vi in Sendomirienſem oram populabundi inuasere: sed à proceribus Sendomirienſibus cum Nobilitate & agrestibus præter opinionem occurrentibus insigni clade profligati, in turpem fugam acti sunt. Irritatus autem vehementius, quam solebat, Boleslaus excursionibus Russorum, & Ziemouiti cædem vltum ire cupiens, anno sequenti expeditionem in Russiam suis indicit. Summa rerum & administratio belli Petro Palatino Cracouienſi commissa. Boleslaus enim ipse ad eam expeditionem profectus non est: verum precationibus ac supplicationibus cum Cunegundi vxore vacans, exercitus sui curam & protectionem Deo commendabat. Petrus itaque exercitu suscepto, hostilem regionem ingressus prudēter & accurate omnia agere, instructis ordinibus caute progredi, speculatores quoquouersus dimittere, castris loca opportuna capere, excubias in oēs partes seruare, neque pabulatores, frumentatores, & lignatores absq; firmo armorū præsidio castris emittere, nō ignorans, cū vafro hoste sibi rem esse. Non multū in hosticum progressis Polonis apud Pietam campū, occurrit Suarno Dux Russorum, ingentes Russorum & Tartarorum in auxilium euocatorum copias ducens, nec longe à Polonis castrametatus est. Sequenti die, qui erat decimus nonus Iunij, quod eo die prospere contra eosdem Russos ad Zauichostum ante complures annos dimicatum erat, educit suos in aciem Petrus, diei illius victoriæq; admonitos. Nec detrectat pugnā Suarno. Eminus quidē primū Poloni balistis, hostes arcubus pugnabant. Sed quoniam eo pugnādi genere meliore loco erat res hostium, expeditiori genere armorū plures de Polonis vulnerātium, magno mox impetu Poloni in hostiles acies inuehuntur, & cominus hastis ac gladiis rem gerunt. * superiore loco Polonorū res esse cœpit. Referunt pedem hostes, instāt Poloni. Vniuersa acies hostiū conuertit, & mutuo sese impellit & impedit. Cædūt Poloni terga fugientiū, & plurimos abiectis armis viuos capiunt, & plena potiūtur victoria. Ea vero clade vires & animi Russorū ita fracti sunt, vt permultis deinceps annis nil hostile cōtra Polonos molirētur. Porro Boleslaus abunde cōtentus, repressisse ea victoria feroces Russos, ipse quoq; quieuit, benign⁹ &

Russicum bellum.

Russi & Tartari à Polonis profligati.

mitis princeps: cuius cũ vxore precibus à Deo impetrata illa victoria existimata est, magis quam humanis viribus parta, de tanta scilicet hostium multitudine, vt quadruplo ea Polonos excederet.

Casimirus Cuiauien. Dux moritur.

Anno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo octauo Casimirus Cuiauiensis, Lancicien sis, & Siradiensis Dux obiit, qui moriens Lescum Nigrum filium Siradiensem ditionem retinere passus est, vt ab eo fuerat occupata: reliquas vero Ziemomyslo, cui Suentopelci filiam Salomeam desponderat, cum tribus aliis, videlicet Casimiro, Vladislao Loctico, & Ziemouito ex altero matrimonio susceptis partiendos reliquit. Suentopelcus etiam Pomeranorum citeriorum Dux eodem anno mortuus est ætate decrepita, relictis quatuor filiis, Mestuino siue Mesciugo, Varcislao, Samborio, & Ratiborio. Quibus moriens præcepit, vt à bello Cruciferis inferẽdo, quoad possent, abstinerent: Polonos vero Duces omni beneuolentia sibi deuincirẽt. Quorum illi præceptorum immemores, magnis se postea calamitatibus implicarunt. Porro anno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo nono Ziemomyslus Casimiri filius Vladislauiensem dominatum adeptus, despicatui suos habere cœpit: cum Cruciferis, apud quos ab ineunte ætate educatus erat, familiarius viuere, eorum arbitratu omnia agere, & consiliis niti. Quibus rebus offensa Nobilitas, mussitare primum, deinde apertius fremere: ad extremum, eo non mutante mores, ad Boleslaum Calissiensium Ducem defecit. Qui iam Bydgostia supra Bredam fluuium sita, Theodorici Prussi proditione, qui post susceptam religionem Christianam à Casimiro Ziemomysli patre ei arci præfect' fuit, potitus erat. Exorauit postea Boleslaum Ziemomyslus, vt sua sibi redderet, donato ei territorio Crusuicien si, placataq; Nobilitate, quod reciperet, nihil sibi commune dein fore cum Cruciferis.

Suentopelcus Dux Pomeraniæ obiit.

Bellum Brandeburgicum.

Hoc eodem anno bellum inter Boleslaum Ducem Calissiensem, & Marchiones Brandeburgenses recruduit ex huiusmodi causa. Otto Marchio Cõradi frater cupiens Santocense territorium in potestatem suam redigere, arcem Sulentiam inter Lubussum & Medireciam, comportata celeritẽr domo materia extruxit, & argilla extrinsecus, ne incendio esset obnoxia, contexit. Id vbi Boleslaus accepit, ratus id quod erat, non de nihilo arcem illam in cõfinibus Poloniæ munitam esse, tamen quia in suo solo eam Otto munierat, oppugnatione quidem eius abstinuit, ne prior fœdus rupisse argueretur: cęterum Medireciam ipse vicissim fossis & ligneis propugnaculis munire cœpit. Necdum perfecta erat munitio, cum Otto cum expedita manu aduolans oppidum diripit & incendit: arce tentata potiri non potuit. Certior earum rerum factus Boleslaus, hostem discedẽtem cum expeditis, quos ad manum subito habere potuit, persequitur: & cum cõsequi eum intra fines suæ ditionis non posset, Lubussense territorium per circuitum vastauit, deinde ad Sulentiam arcem expugnandam reuertitur. Quo aduerso, milites facta è scutis & clypeis testudine, munitionem subeunt, dimotaque securibus argilla, ignem subiiciunt: qui subministratis alimentis mox arcem omnem corripuit, ac cum præsidiariis pariter absumpsit. Ita tunc Boleslaus Ottonem vltus, reduxit exercitum. Sequentis autẽ anni initio, cum Boleslaus Calissiensis Cracouiam, vt viseret Boleslaum Pudicum, profectus esset, non prætermisit eam occasionem Otto, sed magna celeritate vsus quamuis hyberno tẽpore, Santocensem arcem ligneis propugnaculis, vallis, fossis, commeatu, & præsidio muniuit. Reuertens autem Boleslaus, vbi pacta cum Conrado inita ex professo

fesso temerata esse comperit, ipse quoque Drenum instaurauit, & intra octiduum munitionem perfecit, impositoque præsidio discessit. Sed aliquanto post, cum Poloni negligentius, vt solent, arcem custodirent, à Santocensi præsidio noctu ea intercepta, & Ottoni tradita est.

Portenta & prodigia.

Multa eo anno portenta & prodigia in Polonia extiterunt. In Cracouiensi quidem regione honesta quædam matrona Margarita Virboslai Comitis vxor triginta sex pueros viuos vno partu edidit vicesima die mensis Ianuarij. Calissiæ intra octauam diem natalis Christi natus est vitulus cum duobus caninis capitibus ac dentibus, & septem pedibus vitulinis: capitum autem maius quidem antrorsum in suo loco: minus vero retrorsum ad caudam situm erat. Ab eius cadauere canes & volucres abhorruere. In Silesia vero apud Michalouum pagum, & inter Oderam ac Nissam fluuios, triduo sanguinem pluisse dicitur. Præcedente quoque anno ferebantur visæ esse in aere armatorum acies inter se concurrere. Æstas eius anni tota fere continentibus pluuiis, & insolita aquarum inundatione non modo segetibus, sed etiam pecudibus & iumentis, pagisque, & oppidis plurimum incommodi attulit. Hæc cum ingentem terrorem animis hominum incussissent, supplicationibus ac sacrificiis publice procurata sunt. Secuta sunt autem cum externa quædã aduersa Polonis bella, tum domestici motus.

Inundatio insolita.

Insequenti anno Christi millesimo ducẽtesimo septuagesimo primo, Boleslaus Calissiensis Santoci occupatione atque Dreni ereptione irritatus, coactis magnis copiis, & auxiliis Cuiauiensium & Ziemomysli adiutus, bellum fecit Marchionibus Brandeburgensibus: & cum illi ad prælij dimicationem non descenderent, munitionibus sese defendentes, vastato Santocensi agro, ad Soldinum duxit, & scalis admotis oppidũ cepit, diripuit, & incendit, magnamque prædam abegit. Reuersus Crusuicense territorium Ziemomyslo pro nauata opera reddidit, arcem demolitus. At in Silesia Boleslaus Caluus Conradum fratrem parum abfuit, quin caperet Boleslauiæ securum. Sed tamen effugit is, de hostili aduentu fratris in ipso articulo factus certior. Oppido autem Boleslaus potitus est.

Brãdeburgicum bellũ iterum.

Sequenti deinde anno bellum, quod à Boleslao Calissiensi cum Marchionibus Brandeburgensibus gerebatur, in Pomeraniam translatum est ex huiusmodi causa. Post Suentopelci mortem bellum ciuile inter filios eius Mesciugum & Varcislaum exortũ est. In eo cum firmiores essent partes Mesciugi, Varcislaus ab eo captus, & paulo post è carcere elapsus, Conradi Marchionis Brandeburgensis implorauit opem, remunerationem iustam policitus. Accepit conditionem Conradus. Cum autem pignoris loco Gedanum ei tradidisset Varcislaus, paucis diebus illis in ipso apparatu belli mortem obiit. Repetit à Conrado Gedanum Mesciugus: negat ille se redditurum, ni sibi sumptus in bellum facti, quos permagno æstimabat, exoluantur. Cum autẽ imparem se viribus illius esse Mesciugus sciret, misit legationẽ ad Boleslaum Calissiensem, à quo impetrat, vt secum aduersus communes hostes arma cõiungat. Duxit igitur exercitum in Pomeraniam Boleslaus, iunctisque cum Mesciugo copiis ad arcem Gedanensem admouit: qua capta, nihil negocij futurum erat in potiundo oppido. Tentata deditione, & pulsata machinis arce nullo operæprecio, nona deinde die factis testudinibus ex asseribus, Poloni audacius succedunt sub ipsa mœnia & propugnacula: & alij quidem cõuellunt & rescindunt munitionem, vtpote ligneam: ignem alij subiiciunt,

Inter Suentopelci filios dissidium.

Bellum cõtra Marchionem in Pomerania.

alij ſcalis admotis mœnia ſcandunt, arceque potiuntur. Arce capta, mox oppidani deditionem fecere. Boleslaus domum reuerſus quatuor menſium ſpacio militibus ad quietem dato, rurſus contra Marchiones expeditionem fecit, eique Præmislum iuuenem fratris filium, decimum ſextum annum agentem, præfecit, adiunctis, quorum conſilio faceret omnia, Palatino Poſnanienſi & Caſtellano Caliſſienſi, rei militaris peritis. Dreno præterito vaſtatur longe lateque hoſtilis regio, quę cis Oderam eſt, Strelce arx haud ita pridem à Conrado condita expugnatur diripitur, & exuritur. Sæuitur in homines, agros, & tecta, nonnullis tamen, Præmislo deprecante, vita conceditur. Abigitur ingens præda, cum qua reuertens Præmislus, cum apud Velenũ exercitũ dimitteret, cognoſcit, Drenum arcem paruo hoſtium præſidio teneri: Caſſubioſq;, qui in caſtris eius militauerant, domũ abeuntes nauigio, primã portã arcis incendiſſe. Reuocatis igitur ex itinere militibus, ad Drenum cõtendit, & præſidiariis deditionem facientibus, arcem recepit, præſidioq; cõmuniuit. Dedititios vero liberos dimiſit, datis, qui eos deducerent, ne quam vim à Polonis paterentur. Hæc tunc rudimenta militiæ Præmisli fuere. Sex deinde totis annis vtrinque ab armis ceſſatum eſt.

Expeditio Polonorum in Marchiam.

Interea vero minor Polonia quaſi vicinitudine quadam bellis ardere cœpit, autore Paulo Epiſcopo Cracouienſi, gẽte Polucoſio, qui Prendotæ nortuo à collegio ſacerdotũ electº ſucceſſit. Is enim ſuæ dignitatis immemor, cũ totus voluptatibus, venationi, & libidini deditus, ac ſubditis ſuis grauis, aduerſus Principẽ vero Boleslaum contumax eſſet, nec precibus & monitis tũ Principis, tum collegij ſui flecteretur, & præterea monacha quadã, de Scalẽſi monaſterio educta, pro concubina abuteretur, in Cunouienſi prædio degẽs, ab Ottone & Zegota iuuenibus, equeſtri Topororũ familia ortis, captus, ac Siradiam deportatus, à Leſco Nigro in honeſta cuſtodia menſem vnum ſeruatus erat. Boleslai Pudici, quemadmodum exitus rei cõprobauit, vel iuſſu, vel permiſſu. Sed cũ Archiepiſcopus Gneſuenſis omni prouinciæ ſuæ ſacris eam ob rem interdixiſſet, cõuiciis & maledictis populi exagitatus Boleslaus, dimitti eum iuſſerat, & in gratiam cum eo redierat, cum ducenta pondo argenti ipſi appendiſſet. Nec tamen conquieſcebat Epiſcopus, verum in hoc erat totus, vt Boleslaum vlciſceretur. Domi itaq; factioſorum hominũ animos in Principem concitabat, inprimis vero eorum, qui cũ ſua turpiter prodegiſſent, & ad inopiam redacti, aut etiam ære alieno oppreſſi eſſent, alienis inhiabant, aut qui ob latrocinia, & alia ſcelera pœnas metuebant, ſiue adeo multati iam erant, aut etiam in paee cupiditatibus ſuis minus cõmode ſatisfaciebãt. Incenſis igitur plurimorum animis, nec occaſio cogitata perficiendi defuit. Erant inter Præmislum Regem Bohemorum & Boleslaum Pudicũ inimicitiæ propter ſurreptam Polonis à Bohemo Opauiam, & propter adiutum à Boleslao Belam Regem Vngarorum cõtra Bohemos. Ac facta eſt quidem pax inter Ottocarum & Belam paulo ante mortem ſuam. Sed Stephanus filiº eius ſuſcepto paterno regno bellum redintegrauit, quod vt maiori vi gereret, ad Boleslaum affinem Cracouiam venerat. & cum eo fœdus paternum renouarat, moxq; magnis incõmodis Bohemos affecerat. Quibus adductus Bohemus, vt Polonorũ auxilia Vngaro detraheret, cum Boleslao de Opauia trãsigere ſtatuit. Nec abhorrebat à pace Boleslaus. Idcirco anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio ad conſtitutum tempus Opauiam is profectus erat, & cum Bohemo conuentum agebat. Hoc tẽpus nacti coniura-

Cõſpiratio minorum Polonorum contra Principem.

Boleslai Pudici contentus cum Bohemo.

iurati, maturant defectionem illam aduerſus Boleslaum, offenſionis cauſam prætexentes, q; is ſe inſciis, nec de conuentus ſententia Leſcum Nigrũ Ducem Siradienſem propinquum ſuum hæredem nuncupaſſet. Erant & aliæ quædam cauſæ, quæ bonos etiam viros non paucos infenſiores Boleslao reddiderant: nimirũ quod is negligentia aut indulgentia quadam calumnias in iudiciis regnare patiebatur, quibº implicati ſimpliciores, multi mulctas graues expendere cogebantur, multi patrimoniis exuebantur. Adhæc oneroſus erat Nobilitati propter crebras venationes, eo quod & canes Principis alere, & equos atq; ſubuectiones ipſi præbere omnibus paſſim, quacunque iter faciebat, neceſſe erat. His igitur de cauſis plures infenſi erant Boleslao, ſperabantq; mutatione principis defunctum ſe iri illis malis. Itaq; conuenticulo habito, ad Vladislaum Ducem Opolienſium mittunt, principatumq; ei deferunt. Non renuebat ille oblatum principatum, ſed conuentum illum oẽm ad ſe Opoliam venire iubet, vt ibi ea res iureiurando & literarum monumẽtis confirmaretur. Faciunt illi iuſſa, & frequentes Opoliam proficiſcuntur. Nihil horum latebat Boleslaum. Itaq; ſoluto conuentu Opauienſi, rebus infectis, & induciis tantum in viginti annos cũ Præmislo factis, feſtinus ad ſedanda domeſtica mala reuertitur, & proficiſcentes Opoliam aduerſarios incompoſitos & inopinantes cum aulico ſuo procerumq; comitatu, ad Bogucinum pagum altera die menſis Iunij adoritur. Nec illis animus ad defendendum ſe defuit: committitur atrox pugna, nemine referente pedem. Ad extremum Boleslao ceſſit victoria, ſed non incruenta tamen. Oppreſſa coniuratiõne, paucis diebus Lithuani in Lublinenſem oram excurſionẽ fecere, magnamq; prędã nemine prohibente auexere. Nam vires minoris Poloniæ Bogucienſi illo prælio vehementer attritæ erant. Nec tamen inulta Lithuanis excurſio illa fuit: nam dum illi Lublinenſem oram populantur, Poleſſienſis eorũ ditio, & Pruſſia viciſſim à Maſouiis & Cuiauiis vaſtata eſt. Boleslaus vero Pudicus iratus Vladislao Duci Opolienſium, quod ſuis nouas res molientibus fauiſſet, exercitu conſcripto Opolienſem & Ratiborienſem oram oẽm infeſto agmine depopulatus eſt, ita vt ſuburbana quoq; primariorum oppidorum exureret: nec Vladislaum tamen elicere ad pugnam potuit. Maius vtrinque in ſequentẽ annum bellum parabatur: contrahebantur auxilia: mercenariis ſtipendia pronunciabantur. Sed gliſcens bellum Boleslai Caliſſienſis opera conſopitum eſt.

Poloni minores ad Ducem Opolienſem deficiunt.

Polonorum cum Bohemo inducia.

Victoria Pudici contra defectores.

Sileſiacum bellum.

Nihil antẽ illo, & proximo deinde anno memorabile vſquam in Polonia geſtũ eſt, præter cõtracta & conciliata quędã Ducum matrimonia, & duo illa portenta, quæ in Cracouienſi territorio extitiſſe memorantur. Nã puer quiſpiam dentatus eodem, quo natus eſt, die diſtincte & articulate locutus eſt, donec religioni Chriſtianæ initiatus, & dentes & ſermonis vſum amiſit. Aliº vero ſemeſtris Cracouię prolocutus, Tartaros aduẽturos, & Polonorũ capita præciſuros eſſe prædixit, quod poſt duodecimum annum euenit. Non libet autem hoc miraculum ſilentio præterire, quod illo tempore multis teſtibus accidit. Homo quidam ſplendidus equeſtris ordinis, ſed violentus & rapax, & ſuis iuxta ac alienis grauis, cũ grauiter ægrotaret, admonitus crebro à religioſis quibuſdam viris, vt ad Dei clemẽtiam confugiens, animæ ſuæ ſaluti conſuleret: negauit ſibi veniæ locũ relictum eſſe. Iam enim diuino iudicio traditum ſe eſſe dæmonum poteſtati aiebat. Illico audiuntur à circumſtantibus vehemẽtium verberum & percuſſionum ſtrepitus: apparent in corpore

Portenta.

ægroti

ægroti fœdi liuores & vibices, ita vt omnes obstupescerent. Inter hæc ille infelix nullam vocem, nullumque gemitum edens, infelicem animam exhalauit. Annus tunc agebatur millesimus ducentesimus septuagesimus sextus.

Silesiaci motus.

Post id tempus Silesia rursus intestinis dissidiis exagitari cœpit, materiam subministrante inuidia. Grauiter ferebant & Duces, & Proceres, Crosnam, Prinum, & Greifensteinum Conradi culpa in externorum iurisdictionem recidisse. Sed neque Conradus ipse, neque frater eius Boleslaus, obærati ambo, redimere oppignorata poterant. Nam decem millia aureorum Archiepiscopo Magdeburgensi exoluenda erant. Abundabat autem pecunia Henricus Vratislauiensis Probus, Henrici tertij fratris eorum filius quæ eo puero à curatoribus ex ampliori dominatu collecta erat. Itaque suasu procerũ suorum redemit is territoria illa, quod ipsi inuidiam apud patruos conflauit. Acerbior tamen erat Boleslaus Caluus, qui anno proximo Henricum adolescentem rusticantem forte in villa sua captum abduxit, causam prætexens, q hæreditas relicta à Vladislao Archiepiscopo, non minus ad ipsum & Conradum fratrem, quam ad Henricum pertineret: quod tamen erat expresse cõtra vetera pacta primæ diuisionis. Charus erat suis Henricus propter probitatem, à qua etiam cognomen adeptus est. Quocirca de liberando eo consilia ineunt, exercitum comparant: à cæteris etiam ducibus Boleslao Pudico, Boleslao Calissiensi, Præmislo Posnanensi, & Vladislao Opolensi indignitate rei motis, auxilia impetrant. Displicebat & Conrado Glogouiensi Boleslai fratris facinus in alterius fratris filium perpetratum. Itaque misit & ipse Vratislauiensibus auxilia contra fratrem. Verum Boleslaus explorato Vratislauiensium apparatu, magna celeritate militẽ ex Germania magnum conduxit, & prior in Vratislauiensem oram impetum fecit. Educunt & Vratislauienses suas copias, & obuiam Boleslao prodeunt. Magno ardore committitur prælium inter Scorolcium & Procianum, & neutris referentibus pedem aliquandiu, tandem Boleslaus Caluus cõspecta suorum strage, vno tantum comitatus milite, clam se ex acie subduxit. Sed filius eius Henricus natu maximus, animose pugnam restituit, & tandem victoria quamuis cruenta potitus est. Captus est in eo prælio Præmislus Dux Posnanensis, natus ex sorore Boleslai. Clade hac perculsi Vratislauienses, Ottocari Regis Bohemorũ opem implorant, ab eoque petunt, vt aut autoritate, aut armis apud Boleslaum Caluum nepotem ex sorore suum, dimissionem sui principis impetraret: & vt eum facilius flecterent, ditionẽ Glocensem ad tempora vitæ ipsi tradiderunt, ea lege, vt ea post obitum Ottocari in Henrici ducis sui potestatem recideret. Itaque Ottocarus, qui distinebatur aliis bellis, pacem fecit inter Boleslaum & Henricum: sed iniquam, nempe, vt Henricus Boleslao patruo Strigoniam, Nouoforum, Strozam, Greiffenbergum, & alia quædam oppidula iure sempiterno daret. Accepit tamen eas conditiones Henricus, vt se & Præmislum vinculis liberaret. Verum non diu fruebatur ista lætitia Boleslaus, obiit enim anno millesimo ducentesimo septuagesimo octauo princeps iniustus & sæuus.

Silesiorum bellum intestinum.

Eodem anno Lithuani cum Prutenis peruastata Masouia, Culmensique, & Cuiauiensi tractu, Lencicienſem quoque crudeliter depopulati, ingentem prædam abegerunt, in qua quadraginta millia hominum fuisse memorantur. Tunc quoque prodigium apparuit circa Cracouiam; etenim nocte media, in qua initium noui anni est, cælum clara & non iniucunda luce ad breue

breue tempus resplenduit, Principis mortem, quod re postea comprobatum est, portendens. Memoratur autem & spectrum quoddam tunc in eodẽ Cracouiensi tractu apparuisse: lacum enim quendam peramplum infestatione dæmonum, piscationibus & vsibus hominum exemptum fuisse. Ad eum hyberna glacie concretum vicinos cum sacerdotibus vexilla, cruces, & reliquias sacras, quibus vis dæmonum propulsaretur, ferentibus, piscandi gratia conuenisse. Immisso autem reti, primo quidem tractu, contendentibus piscatoribus, tres piscículos, altero nihil nisi rete conuolutum, tertio deniq; monstrum horrendum caprino capite, & in speciem ignis ardẽtibus oculis extractum esse. Territis autem ac diffugientibus cunctis, spectrum illud sub glaciem se immersisse, ac toto lacu discursans, terribilem strepitum ac sonitum edidisse: afflatosq; ab eo nõnullos homines fœda vlcera retulisse. Resumpsit æstate sequenti Boleslaus Calissiensis cum Præmislo fratris filio expeditionẽ aduersus Marchiones Brãdeburgenses ob Santocum, auctus Pomeranorum auxiliis. Vastanti autem illi hostilem regionem cis Oderam occurrit Otto Longus Marchio cum non contemnendis copiis, commissoque prælio funditur & fugatur, vtpote viribus inferior: ac deinde intra munitiones arcium sese cõtinuit. Boleslaus vero omnem oram cis Oderam victor peruagatus ac depopulatus, dimisit exercitum, & intra anni decursum febri extinctus est, tribus filiabus relictis, quarum tutelam Præmislo mandauit. Consecutus est eum sub finem eiusdem anni millesimi ducentesimi septuagesimi noni ad quartum idus Decembris Boleslaus Pudicus Dux Cracouiensis ac Sendomirienſis, & Cracouiæ apud diui Francisci, q monasterium ipse condiderat, sepultus est: benignus & religiosus princeps, ac in egentes cultumq; Dei, ac ministros eius munificus. Cuius illa extant in Cracouiensem Episcopam & ecclesiam memorabilia beneficia, diplomatibus eius consignata, quibus cunctos sacri ordinis homines, eorumque adscriptitios omni prorsus onere seruitutis & pensionis Duci debitæ, etiam telonij, liberauit, atque ab omni suorum iudicum & magistratuum, suaq; ipsius iurisdictione exemit. Episcopum autem Cracouiensem omnino ducali iure in bonis suis esse iussit, modo vt semel quotannis Principem hospitio acciperet, subuectionesque ipsi vt præberet, quando ipsi vsuuenerit per episcopalia prædia iter facere. Condidit etiam ac dotauit Crizanouicense monasterium supra Nidam amnem, Præmonstratensibus virginibus: Cracouiæ item apud sancti Marci, ordinis mẽdicantium, qui vocatur de pœnitentia beatorum martyrum. Ciuitatem vero Cracouiensem iure Saxonico siue Magdeburgensi, quod etiam Sredense & Teutonicum vocant, stabiliuit. Regnauit autem Boleslaus hic, seu vixit potius post mortem patris quinquaginta duos annos. Mortem eius Cunegundis vxor, virgo etiam tum, moderate tulit: quin gratias egit Deo, quod se coniugij vinculo tandem liberasset. Ac mox vna cum sorore Iolenta, quæ post mortem mariti Boleslai Calissiensis Ducis ad eam se contulerat, distractis, & in vsus egenorum distributis cunctis facultatibus suis, diui Francisci professioni & instituto vitæ sese addixit, & veterem Sandeciam nequicquam refragantibus proceribus commigrauit, ibiq; reliquum tempus vitæ in monasterio à se & marito suo condito peregit.

Spectrum.

Bellum Brandeburgicum.

Boleslaus Pius Dux Calisiensis moritur.

Boleslaus Pudicus obijt.

LESCVS NIGER ETHNARCHA Poloniæ.

Anno Chr. 1279.

BOleslao Pudico in principatu Cracouiensi & Sendomirien si succeſſit Leſcus Niger ex fratre ipſius patruele ortus, quem ipſi ſibi Bolesla⁹ ſucceſſorem deſignarat. Nec tunc ſane quiſpiam ipſi aduerſatus eſt, bello à Ruſſis ingruente, cuius metus locum ac ſpacium contentionibus & nouandis rebus nō dabat. Nam Leo princeps in Ruſſorum Ducibus, Danielis filius, poſt Boleslai mortem media hyeme in Lublinenſem oram cum ingenti Ruſſorum, Tartarorum, ac Lithuanorum exercitu innaſcrat: eaq; peruaſtata, Sendomirienſem quoque tractum ferro & igni vaſtabat. Sed eum Varſius Caſtellanus Cracouienſis, & Palatini duo Cracouienſis ac Sendomirienſis tertia die Februarij apud Goslice pagum cum parua manu temere quidem, ſed tamen euentu proſpero repreſſerunt, atque in fugam egerunt. Cæſa feruntur eo prælio hoſtium ad octo millia, capta duo. Nōn contentus autem ea victoria Leſcus, intra paucos dies maiores coegit copias, ita vt ad triginta equitū, peditum vero duo millia peruenirēt, & in Ruſſiam duxit, vt Leonem vlciſceretur, qui, nondum reſumpto è ſuperiori clade animo, in penitiora Ruſſiæ ſe recepit. Quocirca impune Leſcus hoſtilem regionem ad Leopolim vſq;, quæ arx cum oppido ab iſto ipſo Leone condita nomen ſumpſiſſe videtur, peruagatus, ingentem prædam abegit, in qua ad quatuor millia hominum fuiſſe, cæſa vero ad quinque millia feruntur. Sequēti deinde anno milleſimo ducēteſimo octuageſimo primo Leſcus contra Henricum quartum Ducem Vratislauienſem cognomento Probum, tunc non reſpondentē nomini ſuo, expeditionē inſtituit ex hac cauſa. Henricus is Boleslai Calui patrui fraude per iniuriam bonis quibuſdam mulctatus, vlturus veteres iniurias, ſub ſpecie amicitiæ ad ſe Præmiſlum Poſnanienſem, Henricum Lignicenſem, & Henricū Glogouiēſem Duces patrueles ſuos Bariciam euocatos, ac nihil hoſtile timentes ceperat, ac Vratislauiam deportatos aſſeruabat, vt aliquid viciſſim abeis iniuſtis pactis emungeret. Indigne id ferre Leſcus, qui vocatus & ipſe vna cū cæteris Ducibus Polonorū, excuſatione quadā vſus non venerat: ac Præmisli vicē maxime dolens, armis illum vindicare decreuit, orantibus maioribus Polonis, & auxilia pariter cū Meſciugo Pomerano policentibus. Itaque coadunato exercitu, & auxiliaribus illis maioribus Polonis & Pomeranis ad conditum locū conuenientibus, triplici agmine Vratislauienſem Hērici ditionē aggreſſus, acerbe eā diuexauit, ad ipſa vſq; mœnia vrbis Nectū principes captiui dimiſſi ſunt. Peruaſtata omni ora Vratislauienſi, & abacta ingenti præda Leſcus auxiliares dimiſit, & ſuas copias domum reduxit. Duces vero capti pertæſi carceris arbitratu Henrici ſe redemere. Ac Præmislus quidem Rudenſe ſeu Velunenſe territorium ipſi conceſſit: Lignicenſis vero & Glogouienſis quinquennio ſeipſi cū triginta haſtatis militaturos eſſe dato iureiurando receperunt, obſidibuſq; cauerunt. Per idem tempus Pruteni Cruciferorum ditionem vehementer afflixerunt, & longe lateq; ferro & igni graſſati, Chriſtiburgum, Clementiam, Zantirum, Mariæuerderū, & Grudentum arces de ipſis ceperunt ac diruerunt.

Leo Ruſſorum Dux.

Excurſio Ruſſorum, Tartarorū, & Lithuanorum in Poloniam.

Ruſſi cum barbaris à Polonis cæſi.

Leſcus Ruſſiam peruagatur.

Leſcus contra Henricum Probū expeditionem inſtituit.

Leſcus Vratislauienſ. ditionē diuexat.

Pruteni multa de Crucigeris ceperunt.

Lithuanorum in Lublinenſem oram excurſio.

Inſequenti anno Lithuani cum Iazygū reliquiis ſubita excurſione Lublinēſem regionē tripartito agmine crudeliter depopulati ſunt. Iura tūc de more Leſcus reddebat Cracouiæ, cū de barborum excurſione certior factus eſt. Itaq;

Itaq; omiſſis rebus omnibus, arma corripere his, qui circū ſe, quīq; in itinere erant, equitibus, & ſe ſequi iuſſis, magnis itineribus in Lublinēſem oram peruenit. Sed hoſtes iā præda onuſti receſſerant. Itaq; angebatur animo, quod ſibi hoſtē vlciſci, ſuoſq;, qui captiui abducebantur, vindicare procliue nō eſſet. Neq; enim cum parua manu longe maiorem hoſtium multitudinem per ignotos ſibi, illis vero notiſſimos, ſyluarum & paludū tramites abeuntes perſequi audebat. In hoc æſtu animi cum eum ex labore itineris fatigatum ſopor inuaſiſſet, expergefactus deinde, poſtero die lætus, ab Archangelo Dei Michaele in ſomnis confirmatum ſe, & ſponſione certæ victoriæ perſequi barbaros iuſſum eſſe, pro cōcione militari expoſuit. Quo ſermone animatis militibus, & impedimentis cum cōmeatu pone ſe ſequi iuſſis, ipſe cū expeditis arma tantum, & aliquot dierum cibaria ferentibus, recētibus abeuntium hoſtium veſtigiis inſiſtit, & inter Naruam & Nemenum flumina tertiadecima die Octobris eos conſequitur. Neq; enim belli præda impediti, iter celerius facere potuere. Perculſi ſunt inopinato Polonorum aduentu barbari: ſed tamen arma cito expediunt, auctoribus maxime Iazygibus, qui ſumma erant audacia. In eos inuehuntur Poloni vna & ſimplici acie, quod & locus ſyluis cinctus, anguſtus, & exiguæ copiæ, quippe quæ ſex millia equitum vix continerent, diducere manum in plures acies non ſinebant. Nec ſegniter & barbari primos Polonorum impetus excepere: ſed in pugnam intentos, captiui ſigna ſuorum conſpicati, fortuito oblatis telis à tergo adoriuntur: inermes quoque & fœminæ clamore ſublato ſuos animabant, hoſtibuſque terrorem incutiebant: quin & canes, quos ſecum ducebant barbari, & qui dudum lætiore vlulatu aduenientibus Polonis gratulari viſi ſunt, ſæuis morſib⁹ barbaros impetebant. Itaque ancipiti malo perturbati, effuſa fuga proximas ſyluas petunt. Inſtat fugientibus Leſcus: inſtant & captiui mutuo ſeſe cohortantes, dolore & ira extimulante. Nox tandem perſequendi finem fecit. In eo prælio reliquiæ Iazygum, quæ pertinacius Polonis reſtiterant, & à ſuſcepta religione defecerant, ad internecionem deletæ ſunt. De Lithuanis quoque, qui quatuordecim millia bellatorum expleuiſſe dicebantur, non multi ſane euaſerunt: complures enim, qui euaſerant, partim pudore, partim timore ſuorū, mortem ſibi conſciuere. Leſcus recuperata omni præda, & cumulata etiam hoſtium cæſorum ſpoliis, victor in Poloniam reuerſus, Lublini templū, monumentum victoriæ ſuæ, condidit ac diui Michaelis, quem in ſomnis victoriam ſibi policentem viderat, memoriæ dicauit.

Leſci Nigri victoria de Lithuanis inſignis.

Pace per circuitum ab externis hoſtibus parta ciuiles motus Leſcum exceperunt. Sendomirienſis enim cōuentus Ioanne Palatino & Criſtino Caſtellano eius oræ auctoribus, cū quibus & Paulus Epiſcopus Cracouienſis ſentire dicebatur, ab eo defecit, & Cōrado Maſouiæ Duci accito ſe munitioneſq; ſuas ſubdidit: nec vinci beneficiis ac ſecūdis rebus Leſci potuit, vt conceptū in eum iam inde ab initio odium deponeret. Verum Leſcus hoc ſic abire paſſus non eſt. Nam coacto tumultuario exercitu, de Cracouienſi ditione & aulico ſuo comitatu, in Sendomirienſem oram contra Conradum profectus eſt. At ille de aduentu Leſci certior factus, cum ſe non ſatis crederet Sendomirienſibus, & paruam ipſe manum ſecum adduxiſſet, in Maſouiam celeriter ſe recepit, promittens confeſtim ſe cum maioribus copiis reuerſurum. At Leſcus magna animi moderatione vſus, proceres autores defectionis, deſtitutos à Conrado, facile ſibi recōciliauit: per quos conuentum oēm vna cum

Sendomirienſes à Leſco deficiunt.

Conradus in Maſouiam fugit.

cum munitionibus in potestatem suam redegit, gliscensq; ciuile bellum oppressit. Laboratum est fame eo & sequenti anno in Polonia, vsque adeo, vt multi de plebe cum vxoribus ac liberis præsens malum euitaturi, in Vngariam & Russiam commigrarent. Sed vtrobique pro salute acerbiori calamitate per gentium illarum immanitatem & perfidiam operti sunt. A Russis quidem tributi nomine Tartaris in seruitutem traditi: ab Vngaris vero Cumanis barbaris venundati. Per hoc tempus Philippus Episcopus Firmanus legatus Pontificis ex Vngaria venit Cracouiam. Inde in Prussiam contendit, controuersiamque inter Mesciugum Pomeranorum Ducem ac Cruciferos diremit.

Fames in Polonia.

Legati Pōtificij in Poloniam & Prussiam aduentus.

Sequenti anno millesimo ducentesimo octuagesimo tertio mense Octobri rursus Lithuani per Lucouiense territorium in Sēdomirienſem tractum improuisi excurrerunt, & magnis incommodis & calamitatibus illum affecerunt, Nobilitas enim in arces proximas diffugerat. Exercebat tunc Lescus iudicia Cracouię: quam primum vero de barbarorum excursione cognouit, correptis celeriter armis concurrente ad se Nobilitate, cæterisque sine mora sequi iussis, nocturnis pariter ac diurnis itineribus hos insequitur. Concurrentibus omnibus, vbi nō longe se ab hostibus abesse sensit, aduocatis in cōcionem militibus, graui oratione eos in hostem animat, vt viri esse pergerēt, & coniugibus ac liberis suauissimis, propinquis, atque etiam agricolis suis, » qui in fœdam seruitutem à barbaris abducebantur, subuenirent. Cæsos se- » nes ac pueros, vastatos agros, incensas villas & oppida, direpta fana, violata » sacra grauiter vlciscerentur, & insignem suam, patriæque communis igno- » miniam, vel cum vitæ suæ discrimine vindicarent. Honestissimum esse pro » patria, pro aris & focis dimicantem occumbere. Gloriæ quam vitæ bonos » fortesque viros cupidiores esse debere. Non prouenire autem solidam glo- » riam sine magnis periculis. Irent ergo alacres, cæsisque suis eorum sanguine » parentarent, & captiuos opem suam lachrymis & eiulatibus implorantes li- » berarent. Et quo meliore spe ac fiducia diuini auxilij Dei cōtemptorem hostem adorirentur, confessione eos peccata expiare, & sacrosancta eucharistia communire se iubet. Præsensere aduentum Polonorum barbari, & anni superioris fortunam reformidantes, in proximas syluas se subducunt, ibique de salute sua consultant. Relictis itaque in syluis cum paruo imbecillium & ægrotorum præsidio sarcinis, captiuisque arctius colligatis, ne sibi rursus à tergo negocium facerent, magno impetu & cum clamore incondito in Polonos feruntur. Perturbauit nonnihil Polonos primus eorum aspectus, propterea quod præter omnem expectationem ad se contendere eos videbant, quos fugere crediderant: sed tamen cohortante duce, & instruente acies, cito animos resumpsere. Duas is incursantibus hostibus acies obiecit, quarum alteri Cracouiensis, alteri Sendomirienſis Palatinatus præerat. Ipse in omnes partes oculos & totum corpus circumferre, ac solicite circumspicere, quid quaque in parte gereretur, & sicubi laborantes suos conspiceret, vt mox subsidia submitteret. Nec diu primus ille barbarorum impetus viguit: sed virtute Polonorum, quasi firmo muro obiecto, statim refractus est, & in fugam actus. In Paulum Episcopum Lescus Lithuanicarum illarum excursionum, ac item defectionis Sendomirienſis conuentus culpam conferebat: habebat enim Paulus magnas necessitudines & clientelas in tractu Sendomirienſi, & cum barbaris amicitias & affinitates coniunxerat. Lesco vero iam inde ab initio

Lithuani à Lesco victi.

Lescus ad milites sermo.

initio propter captiuitatem suam infensus erat, ita vt verisimile esset, vtrumque ab ipso concitatum esse, quo magis Lescum inuisum apud omnes, suisquenque damnis & publica indignitate acuente redderet. Itaque captus is est iterum à satellitibus Lesci, & Siradiam deportatus: dimissusq; deinde maiorem immunitatem bonorum suorum ecclesiasticorum à Lesco accepit.

Paulus Episcopus turbator captus.

Anno millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, Hēricus Probus Dux Vratislauienſium Calissienſem arcem proditione Sandiuoij præfecti traditam Præmislo eripuit, oppidum enim paulo ante fortuito incendio cōflagrarat. Quam arcem tertio post anno Poloni maiores vi expugnatā in Præmisli potestatem redegerunt. Neque eam tunc Henricus armis vindicauit, sed dolos versābat in pectore: ad quos ita factus erat, vt ne à sacris quidem rebus & sacerdotibus manus abstineret, dum nimia opū cupiditate flagrat. Thomæ enim Episcopo Vratislauienſi, & vniuerso ordini ecclesiastico ei⁹ diœceseos permagnā vim pecunię imperauit prēter ius & morem in bellū: quæ cum ipsi esset negata, conuertit arma in Episcopum, & ipsi oppida, quæcunque possidebat, ademit. Torsit in illum ob hoc facinus fulmen excommunicationis Archiepiscopus Gnesnenſis Iacobus Suinca, Vratislauiæ & omnibus locis, quæ in ditione Henrici erant, sacris interdixit. Cui decreto paritum est ab omnibus, præter Franciscanos monachos, pluris facientes emolumenta sua ac fauorē Ducis, quam disciplinam ecclesiasticam. Quæ res maioris crudelitatis Henrico causa fuit: irritatus enim Episcopum & sacerdotes omnes ditionibus suis eiecit. Episcopus mœrens Ratiboriam se contulit, vbi à Casimiro Duce perbenigne & honorifice accept⁹ & habitus est. Quo factum est, vt æquiore animo exilium illud suum in quintum vsq; annum ferret. Henricus vero cum Casimiro literis & legationib⁹ expostulauit, quod inimico suo receptum præberet: minasque adiecit, ni eum pelleret. Quæ cum à Casimiro contemnerentur, coegit exercitum, & Ratiboriam obsidione cinxit. Cum autem aliquot dies duraret obsidio, murmurare contra Episcopum & cæteros sacerdotes exules plebs à victu imparata cœpit, & præsertim ij, quorum bona in agris & villis diripiebantur, & qui ea formidabant, quæ victis captisque vrbibus ab irato hoste euenire solent. Qua re cognita, Episcopus collocutus cum suis, indignum esse, ait, vt sua & paucorum exulum causa, bene merita de se ciuitas periculum subeat, aut vllo afficiatur incommodo. Induit deinde sacras & pōtificales vestes, nonnullosq; de sacerdotibus, quemadmodum ad sacra peragenda sōlent, indui iubet, atque ita cum illis vrbe egressus, ad hostilia castra profectus est. Venientes eminus conspicatus Henricus, attonitus, de papilione exiliit, & obuiam procurrens ad pedes Episcopi sese abiecit, & culpam supplex deprecatus est. Episcopus benigne eum humo attollit, amplexatur, & exosculatur non sine lachrymis, veniamq; si eum factorū pœniteat, policetur. Deinde in proximā ædiculam diuo Nicolao dedicatam ingrediuntur: ibi semotis arbitris inter se in gratiam redeunt, cum Henricus redderet, quæcunq; Episcopo, Ecclesiis, & vniuerso ordini sacro ademerat. Quibus peractis, soluit obsidionem, & ab Archiepiscopo vinculo excōmunicationis liberatus, interdictumq; sublatum est.

Henricus Probus ecclesiastica bona ac decimas vsurpat.

Interdictū & dira in Henricum Archiepiscopi.

Episcopus cum sacerdotibus eiectus.

Transactio Henrici Ducis cum Episcopo.

Dum hæc ita geruntur in Silesia, nec in minore Polonia quietæ res fuere, turbante maxime Paulo Episcopo Cracouienſi, & omnium odia in Lescum Principem, quo captiuitatem suam vlcisceretur, inflammante. Quod malum eousque progressum est, vt iam non priuata paucorum conspiratione, sed

Polonia minor defecit à Lesco ad Conradū Masouium.

publico procerum ac nobilitatis consilio Conradus Cirnensium Masouiorum Dux ad suscipiendum principatum accerseretur. Cui cum exercitu venienti Varsius Castellanus, & Zegota Palatinus Cracouiensis, Ioannes Sendomirien sis Palatinus, & Cristinus Castellanus cum Paulo Episcopo, & maxima Nobilitatis multitudine ad Sendomiriam obuiam progressi sunt, & in verba eius iurarunt. Itaq; nullo negocio Cracouiensi & Sēdomirien si dominatu omni tunc potitus est. Sola restabat Cracouia, in qua se Lescus cū vxore continebat. Nec tamen explicabat rationem, quomodo eam in tanta contra se omnium conspiratione retineret. Nam & ij, qui ei fauebant, quique in comitatu eius aulico fuerant, ab eo se subducebant, veriti, ne sibi fraudi esset, à publico vniuersi conuentus cōsilio dissentire. Desertus ab omnibus, ad Cracouiensis ciuitatis, cuius studia non aliena à se esse animaduertebat, misericordiam confugit: eius fidei ac tutelæ arcem cōmendauit. Ipse in Vngariam ad Ladislaum Regē profugit. Suscipiunt arcis defensionem Cracouienses: & quia difficulter se arcem & vrbē pariter tutari posse existimabant, cum quod humiles erant vrbis muri, nec bene instructi propugnaculis, tum q; distracta multitudo imbecillior futura erat ad sustinēdam vim aduersariorū, qui iam appropinquare cum Conrado dicebātur, relicta vrbe cōmigrant in arcem cū vxoribus, liberis, ac facultatibus suis. Cognita Cracouiensium ciuium volūtate Proceres, mittunt ad eos, quorū autoritate deduci eos de sentētia posse credebant, & non modo impunitatem illius cœpti, sed etiam maiora à Cōrado quam à Lesco præmia ipsis policentur, si cōsensum vniuersi conuētus secuti, Cōrado se & arcē dedant: sin recusent, minas adiiciunt. Nihil neq; blāditiis deliniti, neq; minis territi Cracouienses ciues, respōdent legationi Procerum: Non licere sibi fidē & iusiurandum Lesco semel datā violare. Re integra in cōsilium illud se non esse adhibitos: ne nunc quidē ad id accessuros, cū eius rationē probabilem reddere non possent. Scirēt, quid agerent, se omnia charissima & vitam ipsam prius amittere, quam fidē frangere decreuisse. Hoc responso irritati Proceres, & multum frementes, ad Cracouiam castra admouent, cumq; perdifficilem sibi eius expugnationem scirent, vrbē vacuam incēdunt, vt vel sic ciuium pertinaciam, siue constantiam præsenti priuatorum cuiusq; malorum aspectu frangerent.

Impetrauerat Lescus à Ladislao Rege non contemnenda Vngarorum & Cumanorum auxilia, & cum iis iam aduentabat, eo quidem celerius, vt arci Cracouiensi subueniret. Id vbi didicit Conradus, occurrit ei cum exercitu, collatisq; signis apud Bogucice pagum ad Rabam fluuium vincitur, dissipatoq; longe maiori, quam Lescus habebat, exercitu, in Masouiam vsq; profugit, veritus, ne alienatis à se aduerso prælio voluntatibus eorum, à quibus accitus erat, in potestatem Lesci veniret. Sic euentus tunc ostendit, vter iustius arma sumpsisset. Lescus moderata vtens victoria, captiuos oēs dimisit: proceribus culpam deprecantibus veniam dedit. Cracouiensibus ciuibus gratias egit, vrbem fortius muniuit, eiusq; regimē Germanis solis, qui fidē ipsi præclare seruassent, proprium deinceps attribuit. Habitu quoq; & cultu corporis cum eis conformato quanti eos faceret, ostēdit. Hæc anno à nato Christo millesimo ducentesimo octuagesimo quinto gesta sunt. Quo etiā Boleslaus Plocensium Dux, Conradi frater, Russiam, siue adeo, quæ Russi in tractu Lublinensi & Polessensi de Polonis capta tenebant, repentina excursione populatus, cum præda onustus domū reuertisset, moxidem incommodum à Russis

Conradus à Lesco vincitur & fugatur.

Cracouia in Lesci fide permansit.

Cracouiæ regimen Germanis mandatū.

Massouij Russiam, & Russi Massouiam populantur.

à Russis acceptā damna vlciscentibus, in ditione sua vicissim pertulit. Insequenti vero anno Conradus Gostinino, quod in ditione Vladislai Loctici erat, per fraudem potitus est. Cum enim nonnullos de suis eo prodendæ arcis causa submisisset, Lithuanos deinde euocauit: quib⁹ ex improuiso aduentibus ij, qui subornati erāt, arcem prodiderunt. Captam illi ac direptā Conrado concesserunt, plus sexcētis hominibus ibi partim necatis, partim captis, quos cum reliqua præda abegerunt. Non tulit eam iniuriam Vladislaus, sed tumultuaria manu facta, silenti agmine ad Plosc um contendit, noctuque aggressus arcem, vigilibus cæsis, facile fit voti compos. Deinde Procerum vtriusque partis opera pax fit inter Duces, redditis inuicem, quas interceperant, arcibus, damnisque Vladislao persolutis. Nec tamen impune abiit Masouiis, alienæ rei manus admouisse: eodem enim anno ab iisdem Lithuanis, quos in Gostinense territorium immiserant, graui excursione vexati sunt, & Sochazouia, Plosc umq; arces negligentius custoditæ, captæ, & exustæ. Prussiam hoc anno nouo vermium genere per æstatem infestatā fuisse ferunt, qui caudis cancrorum præditi, quoscunque aculco pupugissent, intra tertium diem extinguebant.

Gostinum à Conrado surreptum Loctico.

Plosc um intercipitur à Loctico.

Pax inter Duces.

Lithuani Masouiam vexant.

Sequenti vero anno Lescus dissimulato proposito, per speciem Lithuanici belli Conrado bellū intulit. Vastarant Lithuani cum Prutenis Dobrinensem tractum, qui in ditione Ziemouiti erat: Dobrinumq; oppidum magna hominum strage edita diripuerant & incenderant, cum inexpectati die Dominico, vacante diuino cultui multitudine, irrupissent. Fratris igitur iniuriam vlcisci se velle cum simulasset Lescus, comparato cum de suis, tū de voluntariis cruce signatis nō paruo exercitu, in Masouiam deflexo itinere, obvia quæq; ferro & igni nemine resistente vastauit, & cum ingenti præda domum reuersus est. Atque ex eo tempore prior illa fortuna ab eo recessit, & secundæ res aduersis commutatæ sunt, ne impune ferret, Deum & homines fefellisse, & prætextu pietatis iræ suæ impensius indulsisse. Itaque & tunc, licet nemine persequente, complures tamen de suis in traiectu fluminum amisit, & mox ad finem eiusdem anni cunctæ eius ditiones longe lateque à Tartaris peruastatæ sunt, & ipse fuga in Vngariam consulere sibi coactus est. Nam Tartari fame domestica stimulati, per Russos & cum Russis, primum in Lublinensem oram, & in Masouiam delati, locustarum in modum eas regiones cædibus & incendiis nusquam abstinētes, depopulati sunt. Inde porrō diuertentes, Sendomirien sem tractum & nonnullam partem Siradien sis eadem crudelitate peruagati, frustra tentata Sendomiriæ expugnatione, Lysecen sis monasterij, quod sanctæ crucis dicitur, direptione, suasu Russorum penitus abstinuerunt, & ad Cracouiam pridie natalis Christi populabundi peruenerunt. In cuius oppugnatione cum nonnullos fortes viros amisissent, & Lescum Ducem cū vxore & primoribus in Vngariam profugisse didicissent, maiore licentia & furore in pagos & oppida vsq; ad Carpathum montem debacchati, tandemq; satiati cædibus ac præda, in Russiam reuerterunt. Tantam autem hominum prædam tūc abegisse dicuntur è Polonia, vt cum eam ad Vladimiriam recognoscerent, & partirentur inter se, vnum & viginti millia innuptarum puellarum censa esse dicantur, eas enim libidinis causa seruant maxime: proiectiores tum viros tum mulieres, itemque pueros paruos immaniter trucidant. Ne Russi quidem, quamuis socij ac tributarij, expertes malorum à barbaris fuere. Nam excessuri è Russia, vt est ma-

Dobrinum à Prutenis incensum.

Masouia Cirnensis vastatur à Lesco.

Tartaricū Russis vastant Poloniam.

est malitiosum genus hominum, & incantationum ac veneficiorum gnarũ, aquas omnes infecerunt, exectis captiuorum cæsorum cordibus, & præsentissimo veneno imbutis, & verubus subter aquas defixis. Vnde plurimi mortales postea ex aquæ venenatæ vsu immedicabilibus morbis correpti, miserabiliter extincti sunt, cum serius mali causa animaduersa esset. Nihil acerba illa cuncti dominatus sui vastitas animum Lesci emolliit: quin is reuersus ex Vngaria, in sequentem æstatem expeditionem contra Conradum Ducem Masouiæ rursus parare cœpit: sed cum segniorem ad eam esse cerneret Cracouiensem ac Sendomirien sem Nobilitatem, Palatino Siradiensi mandat, vt ipse cum Siradiensibus suis, qui minus calamitatis à Tartaris pertulerant, in Masouiam populabundus excurrat. Fecit iussa Palatinus. Et iam permultis vicis pagisque vastatis præda onustus reuertebatur, cum eum Conradus, qui ditionem suam siue ob imbecillitatem virium, siue ex industria vastari passus erat, cum valida equitum ac rusticanorum manu occultis itineribus secutus, vicesima quinta die Iunij in finibus Masouiæ adipiscitur, & securum incautũque exercitum ex improuiso adortus, non leui strage fudit ac dissipauit. Palatinus cum paucis fortiter dimicans occumbere, quam fugere maluit. Præda omni Conradus potitus est.

Massouia Cirnensis à Siradiensibus vastatur.

Siradienses fusi à Masouiis.

At Lescus his aduersis rebus & sugillationibus hominũ afflictus, ex mœrore & angore animi in morbum incidit, quo sensim tabescens, vltima demum die Septembris anni sequentis, qui fuit post Christum natum millesimus ducentesimus octuagesimus nonus, vitam cum morte commutauit, & in templo S. Trinitatis apud sodales Dominicanos honorifice sepultus est, bonus & moderatus princeps ac felix, si extrema cum primis contexuisset. Quod tamen improbitati & perfidiæ procerum magis, quam ipsi imputandum est. Donauit hic Episcopo Cracouiensi iure sempiterno decimam de omnibus metallis in cuiuscunque solo essent, intra ipsius diœcesim. Præcessit autem Lescum Ziemomyslus frater Dux Vladislauiensium, non toto biennio, relictis tribus filiis, Lesco, Præmislo, & Casimiro ex Salomea filia Suentopelci susceptis. Hoc anno Casimirus Opolien sium Dux Venceslao Bohemorum Regi & successoribus eius se cum dominatu ac liberis suis subdidit. Quod Henricus quoque Vratislauiensis aliquanto prius, viuente adhuc Ottocaro Rege, fecisse perhibetur.

Lescus Niger Princeps moritur.

INTERREGNVM.

Anno Chr. 1289.

LEsco Nigro sine liberis vita defuncto, Cracouiensis, Sendomirien sis, ac Siradiensis dominatus in medio erant, quos alius iure agnationis sibi vẽdicabat, alius gratia populari ambiebat, alius vi & potentia vsurpabat. Primus omnium Vladislaus Locticus Lesci mortui frater, eodem patre, sed alia matre prognatus, Siradien sem dominatum seiungentem se à reliquis, & vltro se ipsi subdentem occupauit. Verũ Cracouiensis & Sendomirien sis conuentus proceres & equites, comitiis apud Sendomiriam habitis, Paulo Episcopo autore & suasore, Boleslaum Ducem Plocensem, Conradi fratrem, Principem creauere, posthabito Cõrado, cui se bis antea viuente Lesco subiecerant, propterea quod is remissius & ignauius tunc agere visus oblatum sibi principatum non retinuisset, & quod ipsi postea, cum Lesco ditionem eius vastassent, veriti, ne memor esset acceptæ iniuriæ. Accitus igitur Boleslaus, possessionem principatus adit, Cracouiamque solenni pompa deducitur.

Boleslaus Plocensis ad principatum accitur.

tur. Nec multo post Henricus Dux Vratislauien sis omissa Bohemia, ad cui⁹ principatum procerum quorundam conspiratione contra Venceslaum inita inuitabatur, à Cracouien sibus ciuibus clam accersitus, cum iusto exercitu aduenit. Venienti ciues portas vrbis, quemadmodum conuenerat, aperuere. Ibi Boleslaus noua & inopinata re perculsus, quippe qui spe quieti principatus potiundi cum non magno, & ad celebritatem ac splendorem, quam ad bellum instructiore comitatu venerat, ex arce Cracouien si se proripuit, & nequicquam retinentibus proceribus, qui copias ad eiiciendum Henricum cogebant, iratus in Masouiam rediit, dictitans, se non ad bellum, sed ad pacatum principatum suscipiendum, accersitum venisse. Post discessum Boleslai, arx quoque Cracouien sis Henrico dedita est. Ibi tum proceres capto ex tempore & re præsenti consilio, legationem ad Henricum mittunt, leges quasdam ipsi, si apud se dominari vellet, præscribunt. Quas cum ille accepisset, Princeps renunciatus est. Nec tamen diuturna ei possessio Principatus fuit. Vladislaus enim Locticus, iam Siradien sis Dux, indignum ducens, alienum fratri suo Lesco successorem in Principatu quæsitum esse, exercitum cogit, à maioribus Polonis & Pomeranis auxilia impetrat. Casimirus quoq; frater Dux Lencicien sis, & Conradus ac Boleslaus Masouij cum suis per se ipsi eum adiuuabant. Quibus omnibus copiis coadunatis, Cracouiam primo vere contendit, ad deiiciendum Henrici præsidium, qui in Silesiam, relicto Cracouiæ præsidio, redierat.

Henricus Vratislauiensis Cracouia potitur.

Boleslaus Masouius principatũ deserit.

Locticus petit principatum armis.

Factus autem certior de consilio & apparatu bellico Vladislai, cum ipse ęgrotaret, Henricum Lignicensem, & Præmislum Sprotauien sem patrueles suos, & Boleslaum Opolien sem Ducem cũ expeditis copiis Cracouiam mittit. Quorum aduentu cognito, Vladislaus ad Seueriam oppidum ad quartũ Calendas Martias eis occurrit, & prælio commisso, multis vtrinque cadentibus, ad extremum Vladislao cessit victoria. Præmislus Conradi Glogouien sis Ducis filius, adolescens admodum interfectus, Boleslaus Opolien sis saucius captus est. Victor Cracouiam profectus, cum proceres & equites plærique omnes in fidem eius venirent, apertis portis receptus, omnium consensu & acclamatione Princeps renunciatus est. Sed hic item non diu possessionem Principatus retinuit. Henricus enim Vratislauien sis non deiectus clade priori, præsertim quod ciues nonnulli Cracouien ses clanculum spem eius alerent, nouum rursus exercitum Cracouiam cum Henrico Lignicien si (ipse enim adhuc decumbebat ægrotus) transmittit. Qui latenter profectus, & nihil ad celeritatem sibi reliqui faciens, cum nocte intempesta ad Cracouiam accessisset, in vrbem à conscii recipitur. Clamore sublato à Silesiis, vt fieri solet capta vrbe, tumultuatur tota ciuitas: nox ac tenebræ incerta omnia, & longe quam erant, formidabiliora reddebant. Locticus, cum inopinato tumultu perterritus, & neque numerum, neque genus hostium exploratum haberet, proditionem metuens, ad Francis canos fratres se recepit, vbi suos passim per vicos & plateas cædi, ac se quæri didicit, sumpto monachi habitu de muro à Franciscanis demissus euasit. Qui vero partium eius fuerant in vrbe, reperti ab hostibus partim necati, partim capti, & bona eorum direpta sunt. Cuius calamitatis ne Paulus quidem Episcopus expers fuit, quod impẽsius Vladislao fauisset. Deinde in agros & villas procerum & equitum qui defectionis ad Locticum capita esse existimabãtur, ferro & igni sæuitum est. Quibus malis adacti cæteri, certatim in potestatem redierunt Henrici, qui

Silesiorum expeditio contra Locticum.

Locticus princeps renunciatus.

Cracouia proditione ab Henrico recepta.

Henrici Principatus recuperatus.

consecuto Principatu paulo post veneno à suis propinato, vt creditum est, mortuus est anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo sine liberis.

Hērici Probi mors.

Veniens autem Vratislauiam Henricus Lignicensis post mortem Henrici Probi, multorum ciuium & procerum ac militū fauore, vrbe, & arce, ac dominatu denique omni Vratislauiensi potitus est, elapso per fugam Conrado patruo, Glogouiensium Duce, quem defunctus Dux in eo Dominatu heredem testamento instituerat. Nam Cracouiensem & Sendomiriensem ditionem Præmislo Duci maioris Poloniæ legauit. Quem per idem tēpus Mesciugus etiam Dux Pomeranorum fratribus siue iam extinctis, siue iusta vindicta præteritis, successorem sibi designauit, & mox Pomeranos in verba eius adegit, & intra quartum annum mortuus, vacuam ipse Pomeraniæ possessionē reliquit. Morte atq; testamento Henrici cognito, vrbs & arx Cracouiensis Præmislo seruatur. Sendomiriensem vero dominatum Vladislaus retinebat, ac de recuperando etiam Cracouiensi cogitabat, cum noua & inopinata res obiecta rationes eius omnes conturbauit. Etenim Gryphina Lesci Nigri, vxor, siue pertæsa belli ciuilis, siue, ne dotalibus bonis à victore eiiceretur, verita, missis clam legatis ad Venceslaum sororis suæ filium, Bohemorum Ducem, donauit ei Cracouiensem ac Sendomiriensem dominatum, quem sibi à Lesco marito donatum esse, confictis diplomatis affirmabat.

Henricus Lignicensis Vratislauiæ potitur.

Gryphina donat principatum Venceslao Bohemo.

Non recusauit quamuis cassam donationem Venceslaus, cupidus proferendi imperij Itaq; anno sequenti millesimo ducentesimo nonagesimo primo, cum ipse motibus quibusdam domesticis, & morte soceri Rudolphi Imperatoris, ac noui Cęsaris electione impediretur, Tobiam Pragēsem Episcopum cum exercitu in Poloniam possessionis adeundæ gratia misit. Cui Præmislus, ne duplici bello pariter se implicaret, & vt exorientem Vladislai Loctici potentiam, quam suspectam habere cœperat, validiori hoste ipsi obiecto, reprimeret, deducto præsidio suo, Cracouiam Bohemis tradit. Hinc omnis tractus Cracouiensis in potestatem eorum venit. Ad Sendomiriensem deinde animos adiiciunt, ac Vislicia primū per deditionē potiuntur, deinde Oblecomum arcem prope Vistulā situm vi capiunt. Sēdomiriam vero oppugnare adorti, à Loctico cæsis captisq; plurimis, ignominiose repulsi sunt. Itaque inde reuertentes, relicto ad tuendas munitiones & maxime Cracouiam forti præsidio, & abducta secum Gryphina, ne sentētiam suam de donatione mutaret, in Bohemiam se receperunt. Ibi Locticus re apud Sendomiriam fœliciter gesta erectus, munitiones aduersariorū armis aggreditur & expugnat. Visliciam deiecto hostium præsidio recipit, inde ad Cracouiam progressus, oēm circumcirca regionem vastat ac diripit. Nec tantum animorū & virium habebant Bohemi, vt liberiores Loctici excursiones reprimerēt. Itaq; in Bohemiam ad Venceslaum mittunt, vt sibi subueniat. Mittit ille eis rursus Tobiam Episcopū mediocri manu, vt eos vtcunq; cōfirmaret, & vel inducias cū Loctico bellū suspenderet, si cohibere eum nequiret. Sed is, cum neq; viribꝰ Loctico parem se esse cerneret, neq; ferocem animum eius flecteret, mox in Bohemiam rebus infectis rediit. Cum autē vexare Cracouiensem oram Vladislaus Locticus non intermitteret, crebris suorū nunciis & querelis excitus Venceslaus, ipse per se sequenti anno expeditionē in Poloniam fecit, Ottone Lōgo Marchione Brādeburgensi tutore aliquādo suo in auxilium euocato. Hi ergo Duces iunctis copiis per Opoliensem tractū, post medium mensem Augustū Cracouiam aduenerunt, & accepti honorificētissime, aliquot septimanis

Bohemorū in Poloniam expeditio.

A Sendomiria repulsi.

Locticus Vislicia potitur, & Cracouien. oram infestat.

Bohemi expeditio in Poloniam cum Marchione Brādeburgico.

manis ibi de ratione belli cum Loctico gerendi consultarunt, cum ille quiesceret interim, & hostium consilia captaret. Tandem in Siradiensem eius ditionem impetum faciunt, eamq; liberiore excursione depopulā·ur. Habebat quidem exercitum Vladislaus, sed nusquam tū ad vniuersę rei dimicationem veniebat: verum ex insidiis hostē vexabat, & sæpe quiescentes, & corpora curantes, quam tumultuosissime ad castra obequitans exagitabat, pabulatores, frumentatores, ac lignatores è latebris subito prosiliens excipiebat, vt ij postea nusquam è castris absq; forti equitum peditumq; præsidio prodire auderent, & in castris excubias nocturnas duplicarent. Ita eis terrorem Locticus incusserat. Quare non diu morati, oppido Siradiensi exusto, arce vero, in palustri loco sita, ne tentata quidem, Cracouiam, atq; inde mox domos suas reuerterunt gloriabūdi, quasi magnū operæ precium fecissent, q̄ pagos aliquot & oppidum, neq; manu, neq; situ munitum incēdissent. Nec ita multo ante Lithuani Duce Vithene per syluas Masouiæ cōniuente Boleslao Duce ꝓfecti, in Cuiauiam impetū fecerunt: ac Brestense territorium depopulati, magnā prædam abegerunt. Annus hic millesimus ducentesimus nonagesimꝰ secundus post Christū natum insignis est etiam morte Cunegundis vxoris Boleslai Pudici, sanctæ ac religiosæ fœminæ. Quam consecutus est improbꝰ Episcopus Cracouiensis Paulus, qui cum aliis studiis minime dignis Episcopo, tum venationi sic fuit deditus, vt venatorem, q̄ feram imprudens è cassibus repulerat, venabulo transfigeret. Successor ipsi datus est Procopius Præpositus Sendomiriensis, & Canonicus Cracouiensis, quem Dlugossus Gryphinæ propinquum, ac Lesci Nigri Cancellarium fuisse memorat.

Siradiensis ditio vastatur.

Lithuani Cuiauiam populātur.

Cunegundis princeps moritur.

Pauli Episcopi mors.

At in Silesia per eadem tempora Conradus Dux Glogouiensis bellum aduersus Henricū Lignicensem animo versabat, ob interuersum Vratislauiensem dominatū: cumq; imparē se illi esse virib⁹ intelligeret, incautū dolis circumuenire studebat, & clādestinis nocturnisq; excursionibus atq; latrociniis ditiones eius vexabat. Deinde fratrē germanum Hērici Poleslaum Suidnicēsem Ducē, felicitati fratris inuidentem, in societatē belli asciuit. Videns autē Henricus, bellum à Cōrado patruo contra se magno studio comparari, cum non paruam Vratislauiensis conuentus partē illi fauere non esset nescius, ad eundem fratrem Boleslaum mittit oratum, vt arma secum aduersus Conradum cōiungat, ignarus pactorū, quæ ille prius cum Cōrado pepigisset. Caussificatur Boleslaus tenuitatē facultatum suarum. Tandem acceptis ab Hērico duobus territoriis, Iauorienſi & Stregonienſi, iusiurā dum dat, se ipsi nō defuturum. Vbi tēpus expeditionis faciendæ aduenit, admonitus pacti ab Hērico Boleslaus, moras nectere, & nunc hoc, nunc illud caussari. Dat ei rursus Henricus tria oppida, Reichenbachium, Francosteinum, & Strelam. Nihilo tamen ille magis fidem promissis præstitit. Porro Conradus cum animaduertisset, non optima fide secum agere Boleslaum, à quo sperarat, dolo captum iri Henricum, quemadmodum conuenerat, Luticum vnum de aulicis intimis Henrici, gēte Habdancum, donis & promissis ad proditionē heri induxit. Erat hic Luticus magnis ab eo beneficiis affectus: sed patrem eius Pacoslaum gratia & fauore principis insolescētem Henricus capite plecti iusserat, quod is homicidij reus, crimen, frustra dissuadente ipso iudice, gloriabūdus fateretur. Lenierat tamen eum Lutici dolorem Henricus postea, collatis in eum plurimis beneficiis. Et ille iure cæsum patrem professus, iureiurā do dato persuaserat Henrico, ne quid ob eam rem de fide sua dubitaret. Hæc non

Silesiaci motus.

ignota Conrado erant. Itaque cum faces Lutici animo subderet, ac male curatum vulnus refricaret, effecit, vt apud eum plus valeret vetus dolor, quam tot recentia beneficia. Forte in balneo ad Oderam haud longe ab arce Vratislauiensi corpus curabat Henricus, aduolat eo Luticus cum armatis, Henricumque nil tale suspicantem, nudum pene è balneo extrahit, ac vili palliolo tectum, equoque impositum, continuato nocte dieque cursu ad Conradum asportat. Inde vinctus Glogouiam perductus, in angustum vas ferreum includitur, cuius erat ea angustia, vt nec stare, nec sedere, nec iacere etiam exporrectus posset: erantque in eo solum duo foramina, alterum, quo cibum sumeret, alterum, quo aluum purgaret. In eo sex totos menses asseruatus est, ita vt ex illuuie totus vermibus & vlceribus scateret. His malis victus tandem, numeratis Conrado triginta millibus marcarum pecuniæ, datisque Namislouiensi, Beroltouiensi, Olsnensi, Cruciborgensi, Bitinensi, Cunstadiensi, Rosenbergensi, Boleslauiensi, & Hainouiensi territoriis dimittitur. Nec tamen postea conualuit Henricus: sed tertio deinde anno morbo lento consumptus est, relictis tribus filiis, Boleslao, Henrico, & Vladislao.

Crudelitatis exemplum.

Locticus ditionem Cracouien. infestat.

In minore autem Polonia posteaquam Venceslaus Bohemus vastata Siradiensi ora recessit, vt cum Adolpho Cæsare, qui Rodolpho successerat, affinitatem cõtraheret, Vladislaus Locticus rursum subiectam illi ditionem Cracouiensem infestabat, & magnis incommodis præsidiarios Bohemos vastationem agrorum prohibere volentes afficiebat. Verum Tartarica rabies Sẽdomirienſem oram crudeliter depopulata, vires eius debilitauit. Hoc eodem anno millesimo ducentesimo nonagesimo tertio accidit. Insequenti vero Vithenen Lithuanorum Dux, quamuis magna strage paulo ante in Prussia fusus à Cruciferis, & vix fuga elapsus, cum mille octingentis equitibus clam per Masouiam traductis, ex inopinato Lencicienſem tractum inuasit. Oppidum Lencicienſe ac templum propter celebritatem quampiam plenum hominibus diripuit & incendit, agrosque vastauit. Reuertentem cum præda Casimirus Dux Loctici frater cum tumultuaria manu prope Sochazouiam vadato Bsuram amne, consecutus est, collatisque signis magnam in barbaris stragem edidit. Sed ad extremum in confertissimos hostes audacius prouectus & interfectus, victoriam hosti concessit. Nam Ducis casu conspecto, cæteri terga vertere. Tantam vero prædam hominum abduxere tunc barbari, vt viginti capita singulis cederent. Successit autem Casimiro sine liberis defuncto in Lencicienſi dominatu Vladislaus frater. Eodem anno Conradus Dux Masouiæ Cirnensis morte absumptus, cũ nullos haberet liberos, Boleslaum fratrem hæredem reliquit. Nec multo post Cruciferi Visnam arcem in Masouia expugnarunt & exusserunt, quod ea receptaculum esset Lithuanis, excursiones in ipsorum ditiones, & in Poloniam facientibus, cum Boleslaus crebro à Cruciferis, ne id fieri pateretur, frustra esset admonitus. Magnus enim ei fuit cum Lithuanis vsus, ita vt vxorem quoq; inde haberet Troidem Ducis filiam.

Lithuani Lencicien. oram vastant.

Conradus Masouiæ Dux obiit.

PRÆMISLVS REX.

Anno Chr. 1295.

INtermisso apud Polonos ducentis quindecim annis regno, Proceres pertæsi malorum sub tot principibus, ad regnum & vnius dominatum respicere cœpere. Cui rei tempus etiam ipsum optatam occasionem afferebat. Etenim Præmislus Præmisli primi filius posthumus, vir acer, & ad res magnas gerendas factus, maiorem Poloniam solus obtinebat. In Marchia Brandeburgensi, & in Pomerania præclarum virtutis specimen superiori tempore dederat. Pomeraniæ accessione auctus, Henricique Vratislauiensis testamẽto Cracouiensium ac Sendomirienſium Princeps nuncupatus erat. His opibus fretus, facile sperabatur Præmislus & externa bella à Poloniæ ceruicibus depulsurus esse, & cæteros Duces ad officium reducturus, & cum dignitate regia nomen laturus. Etiam Cracouiensium animi à Bohemo alieniores facti erant. Igitur anno post Christum natum millesimo ducẽtesimo nonagesimo quinto indictis Gnesnam comitiis Præmislus Rex creatur, tricesimum octauum annum agens, & mox vicesima sexta die Iunij solenni ritu inunctus, diadema regium à Iacobo Suinka Archiepiscopo Gnesnensi accepit. Suscepto autem regno, mox cogitationes suas omnes eo cœpit intendere, vt Poloniam vniuersam pacaret, & in concordiam pristinam, vnumque corpus redigeret. Ac primum omnium, offensos ob præsumptum à se regnum cæterorum Ducum animos blandis legationibus demulcere, & ad restinguenda mutua odia, ac dissidia intestina componẽda cohortari instituit. Deinde externis bellis fodandis tollendisque manum admouit, quo facilius laxatæ exhaustæque suorum vires reficerentur & coalescerent. Et quoniam Cruciferorum in Prussia vicinitatem suspectam habebat, molirique eos nonnihil de adipiscendo Gedano, eosq; ad Pomeraniæ totius dominatum aspirare sensérat, munire Gedanum orsus est.

Præmislus creatur Rex Gnesnæ.

Cruciferorũ vicinitas suspecta.

Præmislus Gedanum munit.

Tam præclaros autem conatus eius mors immatura præcidit septimo vel octauo regni suscepti mense. Mortis eius autores Marchiones Brandeburgẽses fuisse existimantur: qui veteribus odiis incitati, ac potentiam vicini & inimici principis, noui regni & Pomeraniæ accessione auctam veriti, ac de Santocensi territorio Polonis pridem surrepto metuentes, cum eum per dolum de medio tollere statuissent, locum & tempus ad peragendum facinus idoneum nacti sunt, cum ille fessum Reipublicæ curis ac negociis animum apud Rogosnum Polonicum in vicinia Marchię Brandeburgensis ralaxaret, quod continentes ei loco syluæ iucundas venationes præbebant, tempore etiam ad id inuitante, quo vulgo more ex prisca bacchanalium superstitione deducto, maiori licentia genio indulgetur. Vt igitur eum ibi securum & incautum opprimerent, Otto Longus Marchio Elector, cum Ottone altero, & Ioanne Conradi fratris filiis, ex Constantia Præmisli sorore susceptis, & valida suorũ manu nocturno itinere per syluas & auia profecto, diluculo eius diei, quo Christiani anniuersario ritu cinere capitibus aspergendo præteritorum flagitiorum abdicationem & vitæ mutationem profitentur, armatis locum circumdant, rati, omnibus, qui circum Regem erant, longa vigilia & crapula pridiana sopitis, nil sibi negotij fore in peragendo scelere. Expergefactus tamen primo tumultu Præmislus, nec subita & inopinata re consternatus, cum paucis, qui euigilarant, in hostes ad se venientes, nesciens quinam, quamque multi essent, insiluit: & multis strenui fortisque viri operibus in eos editis, cũ vnus omnium telis cominus eminusque peteretur, obrutus cecidit; cum regnasset menses septem, dies vndecim, vixisset annos triginta octo, menses tres, dies viginti quatuor. Ibi diffugiunt Poloni. Attollunt semianimem Regem Brandeburgenses, & equo imponunt, vt eum secum abducerent. Sed cũ agitationem nullã ferre posse videretur, pugionibus immaniter confossum reliquere. Volunt nonnulli, Zarembas quosdã & Nalencios cædis Præmisli,

Præmislus insidiis Marchionum Brãdeburgenſ. sublatus.

si non adiutores, conscios quidem certe fuisse, quod seueriorem eum vindicem scelerum, & inhonestas parandæ rei familiaris rationes refrenãtem ferre non possent: manisseq; patrati sceleris notam in his familiis, vt neque rubris vestibus vti, neq; inter equestres homines in acie consistere eis liceret, vsque ad id prælium, quo Casimirus secundus Rex cũ Russis conflixit. Corpus Premisli Posnaniam relatum, in Basilica cum maioribus eius conditum est. Reliquit vnicam filiam Rixam nomine materno dictam, decem annos natam. *Premisli filia Rixa.* Cõdidit Xenodochium siue hospitale in suburbano Calissiensi, Posnanię vero cœnobium puellis sodalitij Dominicani.

VLADISLAVS LOCTICVS
Rex designatus.

Anno Chr. 1296. SVblato per dolum Præmislo Rege, ad nonum calendas Maij, qui dies D. Alberti memoriæ apud Polonos dicatus est, Proceres cum Nobilitate & Pomeranis de nouo Rege creando frequentes Posnaniam conuenerunt. Iniecta quidem est à nonnullis Rixæ filiæ Præmisli mentio: sed metus belli, quod à Marchionibus, atque etiam à Cruciferis impendere videbatur, viro forti potius, & potenti, quam imbelli puellæ regnum mandare suadebat. Vladislaus ergo Locticus inter Duces Polonos potissimum idoneus visus est, quippe qui & bellis compluribus gestis acer, ac peritus rei militaris esset, & non parum roboris domesticis suis opibus ad teneras adhuc noui regni vires esset adiecturus, cum Siradiensem, Lenciciensem, ac Sendomiriensem tractum omnem, & Cuiauiensis magnam partem ditione teneret. & Cuiauiensium Ducum fratrum germanorum fauor & auxilia non defutura ipsi esse *Vladislaus Locticus Rex creatur.* crederentur. Quare magno consensu cum Regem creant, & in verba noui Regis omnes iurant. Distulit tamen is, incertum, qua de causa, solennem coronationis ritum, nec Regis nomen, sed hæredis regni Poloniæ nomen vsurpauit. Profectus autem in Pomeraniam è maiore Polonia, susceptus est summo cum honore ab omnibus, etiam à Lesco Ziemomysli fratris filio. qui mox à Præmisli morte Pomeraniam occupare nixus est, Gedanumque iam tunc obtinebat. Hoc amoto, ne quid absente se turbaret, secumque abducto, Voislaum quendam Pomeranum nobilem Pomeraniæ præfecit.

Sequenti deinde anno in minorem Poloniam se contulit, & Bohemorum præsidia, fautoresque crebris excursionibus vexauit: tametsi præter munitiones, quas præsidiis Bohemi tenebant, haud fere quisquam in fide ipsorum permanebat. Fauebant Silesij ferme Bohemis, & in cæteras Poloniæ oras aditum eis præbebant, Vladislaum vero Regem aspernabantur. Itaque in eos *Locticus Silesiis bellum infert.* tunc expeditionem fecit Locticus, Silesiamq; longe & late depopulatus, luculentam prædã nemine prohibente auexit: siquidem dissidebant ipsi inter *Dissidia Ducum Silesia.* se Silesij Boleslaus enim Suidnicẽsium Dux susceptа tutela liberorũ Henrici fratris Ducis Vratislauiensium & Lignicẽsium, moliebatur bellum aduersus Conradũ patruum Glogouiensium Ducem, quod is Henricũ fratrem suum fœdo tetroque carcere ad mortem adegisset, magnaque par.. bonorum mulctasset. Verum gliscens bellum inter ipsa initia sopitum est inter agnatos, veritos, ne inter se belligerantes tertio prædæ essent. Nec diu post pacificationem illam cum Boleslao Conradus Glogouiensis superstes fuit: à *Conradus Glogouiensis moritur.* quo collegium sacerdotum ope Thomæ Episcopi Vratislauiensis accedente Glo-

te Glogouiæ institutum est. Secutus est eum Boleslaus, qui primus subditis suis exactiones inauditas ante eum diem in Polonia imposuit, Nobilitatemque ex censu pro magnitudine possessionum & redituum descripto militare iussit, cum viritim antea militaret. Reliquit autem filios Bernardum Suidnicensem, Henricum laurouiensem, & Boleslaum Monsterbergensem Duces. Conradus vero Glogouiensis Henricum & Conradum filios reliquit: Quorum Henricus quidem patri successit, Conradus vero gibbosus Stinauiensis Dux, Præpositus Vratislauiensis fuit. Vocatus autem ad Archiepiscopatum Salisburgensem, ab Henrico fratre illustri comitatu instructus, dimissus est, cumque in itinere Viennæ deficeret lagena ceruisiæ suæ Stinauiensis, flagitauit ibi aliam, & cum non inueniret, sciscitatus de Salisburga, accepit, ibi nullum esse vsum cereuisiæ, sed hauriri vina generosa. Ibi bonus ille Silesius non passus est auelli sese à suo dolio patrio. sed aperte contestatus est, malle se episcopatum, quam ceruisiam deserere. Offensus agresti hoc facto fratris Henricus, eum tanquam hominem parum sanæ mentis Glogouiæ inclusit in turrim arcis. Vnde suorum vi & ope liberatus, paruo tẽpore vixit. Atq; ita vnicus Dux vniuersi ducatus Glogouiensis relictus est.

Post hanc vero Silesiacam expeditionem Locticus in maiorem Poloniam cum copiis profectus, quieti se & ocio, voluptatibusque dedit: quæ res ei perniciosa fuit nõ immerito. Milites enim in bellis rapto viuere assueti, ne in pace quidem ab iniuriis ac vexationibus tenuiorum & ecclesiasticorum bonorum direptionibus, ingenuarumq; matronarum ac virginum stupris sibi tẽperabant. Eam licentiam ille non modo non coercebat, sed indulgentia magis etiam alebat. Cætera quoq; boni ac vigilãtis principis munera negligẽtius obibat, mulierc[illegible]arum amoribus irretitus, ita vt externi quoque & finitimi Saxones pleraſq; Poloniæ oras impune latrociniis infestarent. Quibus de rebus cũ frustra admonitus ac reprehẽsus esset aliquoties ab Andrea Episcopo Posnanienſi, toti diœcesi suæ sacris ab eo interdictum est. Deinde conuentu apud Posnaniam habito, regnum ipsi tunc absenti forte, & in minorem Poloniam profecto, post tertium annum abrogatum est, Henricoque Glogouiensi, qui id ambiebat, & aliis suæ stirpis Ducibus præteritis, ad Venceslaum Bohemorum Regem delatum, quod retineret is etiam tunc munitiones quasdam in tractu Cracouiensi, nemoque potentior hostis obiici Loctico posset. Id autem anno Christi nati milleſimo trecentesimo factum est. Quo anno Romæ iubileus imitatione Hebræorum à Bonifacio octauo Pontifice Maximo primus institutus est. Per hæc tempora Lithuani cũ reliquiis Prutenorum assiduis excursionibus Cruciferos in Prussia & Liuonia affligebant. *Venceslaus Bohemus Polonus expetitus.*

VENCESLAVS BOHEMORVM REX.

Anno Chr. 1300. ACcitus splendida legatione Venceslaus, adfuit sine mora, Gnesnæque de more à Iacobo Archiepiscopo inunctus, ac regio diademate cinctus est, & mox Posnaniam profectus, Procerum suasu duxit Rixam siue Elisabetham, Præmisli Regis defuncti filiam, quo magis eius coniugio regnum apud Polonos stabiliret. Deinde dimissis quoquouersum copiis, omnia, quæ dudum in ditione Vladislai fuerant, in potestatem suam redigit. Dum hæc ita geruntur, Russi tempus aduenisse rati, quo tanquam in vacuam finitimæ sibi Poloniæ possessionem impune possent inuadere, dum *Venceslaus Rex coronatur Gnesnæ, & Rixam vxorẽ ducit. Vl. Locticus spoliatus omnibus bonis.*

dum Locticus desertus fere à suis, de retinendo, siue adeo recuperando regno laborat: Venceslaus vero nouus Rex stabiliendo eo, & redigendis domi in potestatem suam iis, qui imperium eius adhuc detrectabãt, occupatus est, magnis copiis Sendomirienſem tractum infestarunt: & longe lateque peruagati, capta & incensa arce Corcinensi, quæ lignea etiam tunc erat, raptim cũ ingenti præda domum se receperunt, prius fere quam ad Venceslaum Regem de excursione eorum nuncius perferretur. Per idem tempus Lithuani Dobrinum depopulati sunt. Malebat autem Venceslaus tũc Locticum persequi, quam Russos vlcisci. Verum ille cautus & callidus, nusquam pedem figere, nemini se credere, omnes habere suspectos, in syluis & locis solis latitare, locumque subinde mutare, famem cœliq; inclementiam patienter ferre, & Procerum animos clam pertentare. Quos vbi partim alienos à se esse, partim arma Bohemorum, & Poloniæ totius consensum metuere, decretũque comitiorum præuaricari nolle animaduertit, & patrimonio quoque omni à Bohemo spoliatus est, abiecta spe recuperandi regni & insidias aduersariorum declinans, in Vngariam profugit. Inde porro Romam priuato habitu profectus, facinora sua duriore pœnitentia expiauit. Deinde reuersus in Vngariam, Amedæi Palatini Vngariæ hospitio vsus est annis aliquot, occasionem expectans, qua regnum ereptum repeteret.

Russi Sendomirienſ. tractum vastant.

Locticus in Vngariam fugit, & peregrinatur.

At Venceslaus Rex subactis omnibus, quæ in Loctici ditione fuerãt, Gostinium quoque & Ploscum adortus est: sed re infecta, agris tantum vastatis, è Masouia sese recepit. Constitutis autem rebus suis in Polonia, relictisque præfectis Bohemis, penes quos rerum summa esset, in minore quidem Polonia Nicolao Duce Opauiensi, in maiore vero Fricio Silesio, in Cuiauia vero Tassa Vissemburgio, in Bohemiam rediit, nec post id tempus Poloniam vsquam aspexit. Fuerunt autem eo regnante quietæ res in tota Polonia, præter, quod minores Poloni cum vetusta Lublini ereptione, tum noua in Sendomirienſem oram excursione irritati, vltro expeditionem aduersus Russos susceperunt. Cuius non ignari Russi, magnum & ipsi coegerunt exercitum, Lithuanorum ac Tartarorum auxilia sibi adiunxerunt, & apud Lublinum Polonis aduenientibus occurrentes, pugnandi copiam fecerunt, freti multitudine sua. Nec Poloni quamuis longe pauciores pugnã detrectarunt, & summa ope adnixi, victos hostes in fugam egerunt præcipites. Magna tunc ea strages Russorum & barbarorum fuit, fuissetque maior, ni propinqua arx Lublinẽsis receptum eis præbuisset: tametsi ne munitio quidem satis eos tutata est. Obsessi enim à Polonis, cum eruptionem tentare ausi non essent, fame inualescente, deditionem fecere. Ita Lublinensis arx post septimum & quinquagesimum forte annum, posteaquam à Russis capta erat, à Polonis recepta est.

Gostinum & Ploscum à Bohemis oppugnatur.

Minores Poloni expeditionem contra Russos suscipiunt.

Russi victi à Polonis.

Cœpit deinde noua spes recuperãdi regni affulgere Vladislao Loctico, cũ Polonis iam exosa esse inciperet Bohemorum superbia & auaritia, & Venceslaus Vngarico bello se implicasset pro Venceslao filio. Harum rerũ cum non ignarus esset Locticus, arripuit oblatam occasionem, & Amedei hospitis ope adiutus, in Poloniam cum aliquanta manu Vngarorum contendit: aduenienſque arcem Pelcisca Visliciæ imminentem occupat. Mox Bohemorum præsidium Vislicia fauẽtibus ciuibus deturbat: deinde Lelouiam arcem in suam potestatem redigit. Vnde victoria omnis vi & metu adacta, ad eum deficiebat, & copias eius augebat. Adiuuit autem & fortuna conatum eius

Locticus regnum repetit.

Nam

Nam Venceslaus non ita multo post, vt forte Vngarorum perfidiam perosus, ex Vngaria filium repudiato regno reduxerat, Pragæ morbo correptus, lẽta tabe absumptus est, nono Calendas Iulij anno à Christo nato millesimo trecentesimo quinto. Eius morte cognita, res Locticialiquanto meliore loco esse cœperunt. Nec magno is negocio agrestium fere opera Sendomirienſem tractum omnem, deiectis vndique Bohemorum præsidiis recepit. Tunc vero primores cum pleraque omni Nobilitate Cracouiensis ac Sendomirienſis conuentus fortunam secuti, cum Vladislao se coniungunt, & ad subigẽdas Cracouiensis oræ munitiones Ducem eum sequuntur. Venienti cum exercitu Cracouienſes ciues Alberto aduocato autore portas vrbis aperuere. Nec morati Bohemi arcem quoque dedidere, cũ tardius ipsis subueniret iunior Venceslaus (qui patri hæres in Bohemia successerat) & victus ac commeatus inopia pressi, longiorem obsidionem sustinere non possent. Fecit tandem anno sequenti Venceslaus iunior expeditionem in Poloniam, regni paterni repetendi causa, cuius iam titulum vsurparat. Sed antequam Poloniæ fines attingeret, Olomucij meridiano tempore in cubiculo quiescens interfectus est, a suis ne, an subornatis ab Alberto Imperatore percussoribus, ne tum quidem in recenti scelere certo sciri potuit. Ab eo tempore Bohemi externos Reges & principes habere cœperunt.

Venceslaus Rex moritur Pragæ.

Locticus recepit Cracouiam.

Venceslai iunioris in Poloniam expeditio.

Idem trucidatus Olomucij est.

VLADISLAVS LOCTICVS iterum Rex.

MOrte Venceslai vulgata apud Polonos, tũc vero Bohemi, qui iam ante alienatas esse à se Polonorũ voluntates persensérant, sibi prospicere, ac de præsidiis vndique decedere. Poloni vero, quos ad eum diem metus Bohemorum continuerat, in potestatem Vladislai veniunt: & actis Cracouiæ comitiis, magno omnium conuentuum consensu Locticus iterum Rex creatur. Posnanienses modo & Calissienses aberãt, quod abhorrerent ab imperio Vladislai Locticiprístinorũ flagitiorum & iniuriarum eius memores, & veriti, ne is grauius in se animaduerteret, quod eum prius eiecissent. Itaq; à cætera Polonia sese tunc ij segregarunt, ac Henrico Duci Glogouiensi Cõradi filio, quod ex sorore Præmisli natus erat, subdiderunt. Quod quidem dissidium in causa fuit, quo minus tunc Vladislaus coronaretur, cum diadema ac reliqua regni insignia Gnesnæ de more asseruarentur, & Archiepiscopus, sine quo non fit coronatio, in ditione Henrici esset. Tametsi vacua tunc fuit rursus annis aliquot sedes metropolitica post obitum Iacobi Suincæ Archiepiscopi Gnesnensis, propter diuturnam Cardinalium dissensionem in creando Põtifice Maximo post Benedictum vndecimum. Fecit autẽ bellum Hẽrico Locticus: sed illo nusquam in dimicationem prodeunte, vastatis per æstatem aduersariorum agris, villis, & oppidis, in Pomeraniam cum nõnullis Polonorum proceribus descendit, & Gedani ab vniuerso Pomeranorum conuentu iusiurandum accepit, quod in potestate eius futuri semper essent. Præfecit autem toti Pomeraniæ Præmislum & Casimirum Duces Ziemomysli fratris filios: Gedano excepto, quod pariter cum arce Bogussæ iudicis Pomeraniæ fidei commendauit.

Anno Chr. 1305.

Vl. Locticus iterum Rex creatur.

Maiores Poloni Hẽrico Glogouiensi se subiiciunt.

Locticus Henrico Glogo. bellum facit.

Dum autem Locticus Gedani commoratur, Lithuani silenti agmine per syluas progressi, in maiorem Poloniam excursionem fecere, Calissiam & Stauissinum oppida incendere, & omnem circumcirca regionem vastauere, ingentem-

Lithuani maiorem Poloniam vastant.

gentemque prædam dissimulantibus Masouiis, & qui Loctico parebant, abegerunt. Eodem anno, qui fuit millesimus trecentesimus sextus, octaua die Maij Basilica Cracouiensis & arx tota, quæ lignea tunc erat, penitus conflagrauit: quæ dirutis veteribus muris, in eam, quam nunc obtinet, formam & amplitudinem post decimum quartum annum reædificata est à Nankero Episcopo, nobili Silesio, qui Iohanni successit, conferente in eam rem pecuniam non modo Episcopo & Collegio, sed etiam vniuerso ordine Ecclesiastico, qui est in diœcesi Cracouiensi: adhæc semestribus fructibus omnium sacerdotiorum, quæcunque per illud tempus vacare contigit, eum in vsum conuersis. Non diu vero pacatam tenuit Pomeraniam Locticus, auctor enim nouorum motuum fuit Petrus Cancellarius Pomeraniæ, Palatini Gedanensis filius, qui quanto plus possidebat, tanto maiori cupiditate & ambitione flagrabat: & cum repulsam à Loctico de quibusdam postulatis passus esset, consilium capit nefarium prodendæ Marchionibus Brandeburgensibus patriæ, patre, si non impulsore, certe non inscio. Nec difficile hoc ipsi erat peragere, cum & dignitas inter Pomeranos maxima esset eius familiæ, & nouem arces in potestate sua haberet. Sed proditis re nondum matura eius consiliis aduolat Vladislaus, captumque Petrum Cracouiam abduxit: quem tamen non multo post à fratribus eius exoratus dimisit, cum ij se obsides fore pro fratre obtulissent: atque ij quoque, cum negligentius asseruarentur, breui euaserunt. Acciti itaque ab iis Ioannes & Voldemarus Marchiones, cum exercitu Pomeraniam ingressi sunt, statimque omnes pleraſque eius regionis munitiones partim per deditionem accepere, partim expugnauere, adiuuante Petro cum fratribus, necessariis, & clientibus.

Pomeraniæ Marchionibus prodita.

Ad Gedanum deinde castra admota sunt: & oppidani quidem, cum magna iam ex parte Teutones essent, & cum Teutonibus plurima haberent commercia, Saxonibus portas vrbis aperuerant. Arcem tenebat Boguſsa iudex Pomeraniæ cum Nobilitate, quæ se perfidia Petri non contaminarat: is veritus, ne obsessi extrema pati cogerentur, neue aut molestia diuturnæ obsidionis fracti, aut largitione corrupti, hosti arcem dederent, cum Nemira maximis itineribus ad Vladislaum Lodicum commendata aliis arce excurrit, repertumque Sendomiriæ, de statu rerum Pomeraniæ, ac de periculo Gedanensis arcis edocet, opemque eius implorat. Pollicetur Vladislaus, breui se eis affuturum esse auxilio: sed quia tardius id fore iudicabat Boguſsa, quam præsens necessitas postulabat, si tunc primum indici vniuersæ Poloniæ expeditio in Pomeraniam deberet, præsertim æstate iam declinante, suggerit Vladislao, vt Cruciferorum opera ad defendendam arcem vteretur, tantisper, dum ipse commode bellum aduersus Saxones comparare posset. Approbat consilium Vladislaus, extemplo Boguſsa cum regiis mandatis ad Magistrum Cruciferorum proficiscitur. Prolixe illi omnia policiti, constituerunt cum Boguſsa, vt dimidiam arcem ipsi tenerent, & annum vnum suis sumptibus defenderent, deinceps vero post exactum annum, quæcunque impendia facerent, vt ea Vladislao expensa referrent, nec prius arce decederent, quam exoluta illa sibi essent: damnorum vero, si qua acciperent, nulla ratio duceretur. His igitur conditionibus in arcem recepti, magnam vim commeatus secum importarunt: ac munera cum Pomeranis, quemadmodum conuenerat, partiti, non habebant satis defen-

Gedanenses dedunt se Marchionibus.

Gedanensis arcis defensio Cruciferis cõmendata.

dere munitionem, verum crebris etiam eruptionibus hostem lacessebant, ita vt is in oppidum se recipere cogeretur, & ad extremum instante hyeme obsidionem solueret, relictoque in oppido aliquanto præsidio discederet. Verum id quoque non ita multo post expugnatum, & præsidium interfectum est, ac de autoribus defectionis sumptũ suppli. ium. Et iam non magnopere opus erat adiutoribus ac defensoribus Cruciferis: sed tamẽ alebant ij metum Pomeranorum, & subinde plures armati in arcem submittebantur. Cum autem superiores iam se esse Pomeranis animaduerterent, ferocius sese gerere, ac sæpe cum illis rixari: Ad extremum apertius totam sibi arcem vendicarunt, & primores nobilitatis Pomeranicæ, ipsumque præfectum arcis in carcerem compegerunt. Qua necessitate adactus Boguſsa hæc pacta cum iis iniuit, nimirum, vt totam arcem ipsis concederet, ita tamen, vt eam Vladislao ad primam eius postulationem redderent, cum is impensas belli ipsis exoluisset.

Gedanum receptum.

Crucigeri arcem Gedanen. sua potestatis faciunt.

Qua re ad Vladislaum Cracouiam perlata, cœpit eum pœnitere consilij de acciendis contra Saxones Cruciferis. Videbat enim se lupis, quod dicitur, oues commisisse, & non sublatum, sed duplicatum sibi esse bellum, duosque se pro vno hostes cepisse. Ac tunc demum recordabatur, adhuc Præmislo regnante Cruciferos ad interuertendum Gedanum adspirasse: nec multo dissimili cupiditate, quamuis dissimili arte, Michalouiensem ditionem vsurpasse. Acceperant eam hypothecæ nomine à Lesco Duce Cuiauiæ, datis ei mutuo trecentis marcis Torunienſibus, quibus ille se in bello Vngarico à Venceslao Bohemorum Rege captum redimebat. Conuenerat autem Cruciferis cum Lesco, vt si is intra triennium pecuniam illam non redderet, propria iure sempiterno Cruciferorum fieret ea ditio. Et offerebat quidem eis Lescus cum fratribus pecuniam intra cõstitutum tempus, non acceptarunt tamen eam illi, degustata semel possessionis & vtilitatis dulcedine, iam hoc, iam illud caussificãtes, donec aliquanto post Lescus necessitate adductus, acceptis insuper ab eis ducentis sexaginta duabus marcis, dominatu illo, & iure suo omni sese abdicauit. Hęc tunc secũ de Cruciferis Vladislaus Locticus reputabat: nec tamen spem penitus omnẽ de fide eorum abiiciebat. Existimabat enim, quamuis literis & legationibus nihil apud eos proficeret, tamen si ipse in colloquium cum eis veniret, facile autoritate sua ad æquas conditiones rem perduci posse. Alebant illi hanc spem eius blandis responsis, quo maiore vi ac diuturnitate temporis Gedani possessionem sibi stabilirent. Tandem constituto loco ac tempore conueniunt Rex & Magister Crucifererorum Henricus ad pagum Graiouice in tractu Cuiauiensi cum primoribus vterque suis. Ibi Vladislaus exorsus longa oratione cum Magistro de occupatæ arcis iniuria expostulat: beneficia maiorum suorum in ordinem Cruciferorum commemorat, pro quibus aliter ij gratiam sibi referãt, quam gratis bonisq; viris dignum sit. Atq; vt ingrati, iniusti, ac impij esse vellent, fidem certe & pacta conuenta, quæ ne barbari quidem temere violarent, seruare eos debuisse. Adhæc Magister nihil beneficiorũ & ingratitudinis, perfidiæque exprobratione cõmotus, placide & modeste respondet: Se, quicquid fecerit, bono Vladislai fecisse. Metuentẽ enim, ne Pomeranorum insolentia suorumq; impatientia res in malum maius erumperet, excedere Pomeranos arce iussisse, quam retinere ipsi per se nõ possent. Paratum autẽ se esse eã reddere si impẽdia sibi persoluerentur. Æquum eum Vladislaus postulare affir-

Pacta Cruciferorum cum Duce Cuiauiæ.

Vl. Loctius eius cum Cruciferis expostulat.

mat, & edere impendiorum summam iubet. Ibi ille conceptum animo dolum detegens, centies mille marcas latorum siue Bohemicorum grossorum poscit. Negare Vladislaus iustam esse eam æstimationem, bonorumque virorum arbitrio in ea stare velle. Recusare id Magister, & quantum edidisset, poscere. Ingens tunc ea summa fuit in magna annonæ vilitate. Itaque re infecta, & irritatis magis animis disceditur.

Cruciferi omnem iam Pomeraniam animo complexi, maiore vi bellum comparabant. Augebat autem eis spem potiundæ eius, quod sciebant, Vladislaum ciuili aduersus Henricum bello de maioris Poloniæ possessione distineri: Lithuanos quoq; non modo aduersariorum, sed etiam ipsius Vladislai ditiones infestos. Ipsi vero Cruciferi contra Lithuanos prosperiore fortuna bellum gerebant. Temporis igitur opportunitate sibi vtendum rati anno Christi millesimo trecentesimo decimo, magnas è Germanis suis copias cõducunt: cum Marchionibus Brandeburgensibus fœdus iciunt, ea lege, vt ij retinerent, quicquid superiore bello in Pomerania occupassent: Gedanũ vero Dersauiam, & Suece, munitiones in ripa Vistulæ sitas sibi bello quærendas concederent. Deinde vero Cruciferi ad Gedanense oppidum, quod in potestate Vladislai erat, & à Pomeranica Nobilitate defendebatur, castra admouẽt, eo potissimum tempore, quo plurima hominum multitudo eo vndique ad anniuersarias nundinas confluxerat, hoc est, primis Augusti mensis diebus. Idque eo maxime consilio fecere, vt ex direptione opulenti oppidi, & mercatorum ac Nobilitatis, quæ facultates suas eo importarat, pecuniam in stipendia militum, & in cæteros vsus belli conquirerent. Defendebatur quidem oppidum strenue, plurimumque negocij in expugnando eo habituri esse videbãtur Cruciferi, ni proditio interuenisset. Etenim nocte quadam hostes à ciuibus quibusdam Teutonici generis aperta porta intromissi, oppidum ceperunt, ingentemque cædem hominum omnis generis ediderunt, vt eo crudelitatis exemplo reliquos à defensione cæterarum munitionũ deterrerent. Nec in vlla cuiusquam munitionis expugnatione plus Polonici sanguinis effusum esse proditur ab vllis barbaris, quam tunc à religiosis istiis, & Polonorum beneficiariis effusum sit.

Pomerania bello petita à Cruciferis.

Gedanum Cruciferis proditum.

Gedano potiti, ad Dersauiam ducunt exercitum, neque tamen interim populationibus & incendiis pagorum & villarum, hominumque cædibus abstinent. Præerat ei arci Casimirus Dux, cui cum Præmislo fratre Pomeraniã à Vladislao commendata fuit. Is igitur de aduentu hostium certior factus, ad castra eorum proficiscitur, quod non parua ei erat cum Cruciferis & Magistro consuetudo: sperabat enim, eos sua causa susceptum bellum deposituros esse, propterea quod meminerat, prolixe eos sibi fratrique suo de benuolentia sua policeri. Admissus in conspectum Magistri & Commendatorum, quorum erga se fratremque beneuolentiam ac policitationes commemorat, eorum hortatu se administrationem Pomeraniæ suscepisse: nihil vnquam hostile, sed bonam vicinitatem & auxilium ab iis sperare iussos. Orat deinde, vt pollicitationum suarum memores esse velint, exercitumq; deducant. Si quid ipse fraterue suus, aut Pomeranorum quisquam, aut patruus denique suus Vladislaus in eum, vel in ordinem Cruciferorum deliquisset, cumulate satisfacturos esse. Superbe ei Magister respondit, fassus ea, quæ ille commemorat: verum eo id se fecisse, quod ipsos, quam potentiorem quempiam vicinum habere mallet, Nunc se, quam illos, Pomeraniam obtinere malle:

Casimirus Dux supplex Cruciferis.

Magister superbe respondet.

malle: sibi se esse amiciorem, quam ipsis. Verum eam tamen se eis gratiam facere, vt eis præsidium deducere, & res suas saluas auferre liceat: aut si id nollent, se suaque defenderent. His dictis mensam apponi iubet, inuitat hominem comitesque eius comiter. Dum illi prandent, interim exercitus Cruciferorum obsidione arcem cinxit. Peracto prandio, cum Casimirus nihil æqui à Magistro impetraret, & in arcem cum suis reuerti vellet, videt aditum obsessum ab hostibus. Mittit ad Magistrum, qui eum admoneant, præter ius gentium id sibi factum videri, quod interim, dum ipse de pace agit, arx obsessa sit, & ipse ab ea excludatur. Respondet Magister, errasse Casimirum, qui existimarit, se cum tanto exercitu ad quietem somnumque capiendum eo venisse, vllumque tempus vacuum à rebus gerendis intermissurum esse, donec Pomeraniam in suam redigat potestatem. Si sibi ille auscultare vellet, arcem sibi, deducto præsidio, rebusq; exportatis, traderet. Ibi Casimirus cum sciret, arcem non satis munitam esse aduersus tantam vim hostium, neque commeatu instructam, consilium cepit necessarium dedendæ arcis, saluisque rebus & hominibus ad Præmislum fratrem in Succensem arcem se contulit.

At Cruciferi Dersauia incensa vlterius progressi, Choiniciam, Nouum, & alia quædam oppida partim per deditionem acceperunt, partim expugnata exusserunt. Deinde ad Succe castra mouerunt, quæ vna arx erat reliqua in Pomerania, natura ac teque bene munita, & ad ferendam obsidionem instructa, quod in eã se Præmislus & Casimirus Duces, & Pomeranica Nobilitas omnis, quæ superarat, cum copiis & facultatibus suis contulissent. Quod cum intelligerent Cruciferi, maiore cura ad expugnationem eius animos intendere cœperunt, excitatisque machinis aliquot, mœnia arcis, quæ lignea erant, quatere instituerunt, ac duobus patibulis è regione arcis positis, exitium obsessis, ni arcem dederent, minabantur. Quo vero maiorem terrorem eis incuterẽt, quotidie aliquot homines rusticanos captos appendebant. Nihil tamen Cruciferorum illa crudelitas, minæque eorum, qui in præsidio erant, animos à defendenda arce & obsidione perferenda retardabat. Itaque Cruciferi cum animaduerterent, sedendo se tempus terere, & aperta vi nil proficere, ad dolos se conuertunt, & Andream Cedrouicium auro corrumpunt, vt sibi arcem proderet. Is igitur nocte quadam chordis catapultarum & balistarum, quibus Poloni maxime hostium vim eminus reprimebãt, succisis, ad Cruciferos transfugit, & quid egerit, exponit. Itaq; postero die Cruciferi magna fiducia turres, quas excitarant, ad mœnia arcis propius peruoluunt ab ea parte, quæ interrupto fluminis ambitu liberiorem præbebat aditum. Poloni cum summouere hostem, solito ferocius vrgentem oppugnationem, vellent, reperiunt balistas & catapultas redditas esse inutiles. Re noua perculsi, tãdem oblatis fortuito telis, extremum conatum faciunt, & partim contis mœnia scandentes hostes detrudunt: partim saxis deiectis audacius succedentes obruunt, ita vt receptui canere Magister cogeretur. At Poloni periculo illius diei admoniti, ac veriti, ne grauius in se à Cruciferis capta arce consuleretur, misso caduceatore inducias menstruas à Cruciferis impetrarunt, deditionem pacti, ni sibi intra id tempus subueniretur. Vladislaum de omnibus certiorem faciunt, &, nisi celeriter sibi opem ferat, actum esse de se, ac de arce docent. At ille, cum domi quietas res non haberet, Andream Rospirensem Castellanum cum aliquãta manu in auxilium Pomeranis profici-

Dirsauia incensa & alia oppida capta.

ficiſci iubet, vt bellum modo duceret. Verum is negligentius agens, neq; auſus per hoſtilem exercitum in arcem perrumpere, priuſquam cõſpexiſſet hoſtem, retro abiit.

Finitis induciis, cum nulla ſpes auxilij obſeſſis oſtentaretur, poſt ſeptuageſimum obſidionis diem excedũt arce Præmislus & Caſimirus Duces cum præfecto arcis & omni præſidio, armis & facultatibus ſuis, & ad Vladislaum profecti, humaniſſime ab eo recreati ſunt. Ita tunc Suecenſem arcem, ſimul & omnem Pomeraniam Vladislaus Locticus amiſit, dum de maiore Polonia ſibi adiungenda ſolicitus eſt. Etenim ceperat iam maiores Polonos Henrici tædium, quod contemni ſe ab eo, & iura inſtitutaque maiorum ſuorum violari viderent. Itaque conuentu Gneſnæ habito, deſerto Henrico, in Vladislai fidem & poteſtatem reuenerant. Quod cum accepiſſet Henricus, Ioannem Biberſteinium cum exercitu ad reuocandos ad officium Polonos miſit. Cui venienti Poſnaniam ciues portas vrbis aperuere, præſidiumq; munita Baſilica accepere. A quo in Prælatos & Canonicos, domoſq; eorũ ſæuitum eſt quum Vladislao ſentirent. Ad cætera vero ſubigenda pergẽti Biberſteino, Dobrogoſtius Szamotuli' Thomislai Palatini Poſnanienſis filius gẽte Nalencius cum Polonis occurrit, initoq; prelio multis vtrinq; cæſis, ad extremum victoria potitus eſt. Inde præſidium Sileſiorum Poſnania eiectum: in ciues, quod Henrico fauerant, & occaſionem malorum, quibus ſacerdotes affecti ſunt, præbuiſſe videbantur, ea pœna ſancita, ne liberi eorũ in collegia Baſilicarum cooptarentur, reciperenturue. Nec ita multo poſt Hẽricus domi à Boleslao Duce Vratislauienſium, Henrici quinti filio, bello laceſſitus & profligatus, ex mœrore, cum ægrotaſſet, quinto idus Decembris mortuus eſt, relictis filiis quatuor: qui ſic inter ſe partiti ſunt patrimonium, vt Henrico Saganenſis, Conrado Olsnicenſis, Ioanni Stinauienſis, Præmislo vero natu minimo Glogouienſis dominatus cederet. Atq; ex eo tempore maiorem Poloniam pacatam tenuit Vladislaus Locticus, ſuſcepitque eodẽ anno Caſimirum filium ex Heduigi vxore natum pridie calendas Maij. Inopia quoque & fame, ex imbribus & inundatione aquarum orta, laboratum eſt eo anno in Polonia, & nonnullis aliis regionibus.

Pomerania à Crucife ris ſubacta.

Maiores Poloni in fidem Lo- ctici ve- niunt.

Sileſij à Po- lonis eiecti.

Henricus à Boleslao victus mo- ritur.

Caſimirus naſcitur Vl. Loctico.

Subacta omni Pomerania, non depoſuere tamen ſolicitudinem Cruciferi, veriti, ne bello à Polonis ea conſtitutis domi rebus repeteretur. Quocirca vt ſibi poſſeſſionem eius ſtabilirent, colloquium à Vladislao Magiſter Carolus, qui Henrico ſucceſſerat, petiuit. Nec renuit Vladislaus, ſperans pactis aliquibus (quod malebat quam armis) recuperare ſe à Cruciferis amiſſam Pomeraniam poſſe. Itaque anno ſequenti præſtituto die apud Breſtam Cuiauienſem conueniunt. Ibi Magiſter grauiter à Vladislao accuſatus, paucis ad excuſationem facti ſui dictis, magnis precibus ab eo, principibuſque Polonis contendit, vt Pomeraniam ſibi & ordini ſuo iure ſempiterno concederent, certam auri & argenti ſummam, & Neſſouiam arcem cum Orlouo & Murinouo pagis viciſſim à ſe acciperent. Adhæc quadraginta haſtatorum auxilium ad quæuis bella Polonis contra quemuis hoſtem Cruciferorum ſtipendiis militatura promittit. Addit etiam, peramplum monaſterium, quibuſcunque monachis vellet Vladislaus, pro ſalute eius maiorumque eius conditurum ſe eſſe. Offenſus hac oratione Magiſtri Vladislaus, quod irrideri etiam ſe vltro ab eo exiſtimabat, indignabundus & minitabundus diſceſſit. Magiſter vero repulſam paſſus, vt aliquem tamen duntaxat in

Vladislai Regis cum Cruciferis Breſtæ Cõuentus.

xat in ſpeciem iuſtum titulum ſceleri ſuo prætexeret, à Marchionibus Brandeburgenſibus Ioanne, & patruo, tutoreque eius Voldemaro decies millies marcis latorum groſſorum eandem Pomeraniam, de cuius inuaſione eos dudum depulerat, emit, eamque emptionem ab Henrico Cæſare ſibi & ordini ſuo cõfirmari curauit. Nec diſſimili ſcelere Liuonienſes quoq; Cruciferi eodem fere tempore Rigam vrbem atq; territorium Rigenſe Archiepiſcopo, à quo ante cẽtum & quatuor annos ſimili de cauſa in Liuoniam inducti erant, per ſummam iniuriam eripuere. Qua de re cum Romę lis plus octoginta annis ducta eſſet, tãdem Bonifacius nonus Rigam ordini Cruciferorum quindecim millibus aureorũ acceptis addixit. Per idem fere tempus Templariorum ordo, potens & ipſe, per vniuerſum orbem Chriſtianũ, quaſi dato à Põtifice ſigno è Viennenſi concilio, deletus eſt, ob nefanda quædam ſcelera, & prauas de religione opiniones, bonaq; eorum Rhodenſibus D. Ioannis militibus attributa.

Crucigeri emunt Po- meraniam à Marchio- nibus.

Quo minus autem ſtatim Cruciferos Vladislaus vlciſceretur, ſuaque ab iis erepta recuperaret, motibus quibuſdam ciuilibus, & Cracouienſis ciuitatis defectione impeditus eſt. Nam dum is cæteras Poloniæ regiones, à Cuiauienſi illo colloquio digreſſus, viſit, ciues Cracouienſes, Alberto aduocato autore, Boleslao Opolienſium Duci ſeſe ſubiecerunt, accitumque in vrbem receperunt: & ad capiendam arcem, quæ in fide Vladislai permanebat, aduocati domum in ipſis mœnibus vrbis prope portam, quæ à diuo Nicolao nomen habet, eminentem, pro arce Boleslaus cum ſuis occupauerat. Qua de re certior factus Vladiſla', nihil ſibi reliqui ad celeritatem fecit, quin manu facta ad ciiciendum inuaſorem contenderet. Legatos tamen ad Boleslaum præmiſit, qui de tam inſigni iniuria cum eo expoſtularent, monerentque eum, vt ſua ſponte excedere, quam arma ſua experiri mallet. Paruit monitis Boleslai Vladislaus, cum non ignoraret, eum magnis copiis ſubſequi, deductoque de domo aduocati præſidio, vrbe exceſſit. Quem aduocatus & nonnulli alij ciues, qui defectionis capita fuerũt, ſecuti, in Sileſia deinceps & in Bohemia exularunt. Profugorum bona Vladislaus adueniens in fiſcum ſuum redegit: aduocatiæ reditus peramplos è molis, macellis, atque tabernis ademit: primarios quoſdã ciues, vt exemplo ſuo terrori aliis deinceps eſſent, diris ſuppliciis affecit. Ciuitati ius omne creandi ſenatus abſtulit, & in Palatinum trãſtulit, vt vel ita ſuperbiam ac rebellionem ciuium in poſterum reprimeret. Inſimulatus eſt etiam Ioannes Muſcata Epiſcopus Cracouienſis conſcius fuiſſe defectionis illius, quod eo facilius creditum eſt, quod eſſet Sileſius. Itaq; multis poſt incommodis eſt affectus à Vladislao, captum quoq; & in cuſtodia ſeruatum referunt. Biecenſe quidem territorium ei non reddidit Vladislaus, quemadmodum promiſerat, ſed ex eo tempore id in Regum poteſtate manſit. Nec ita multo poſt Boleslaus Opolienſis è vita exceſſit. Maſouiæ quoque Dux Boleslaus eodem anno nempe milleſimo trecenteſimo decimo tertio mortuus, Ziemouitum & Troidenum filios è Lithuana vxore ſuſceptos, & Venceslaum è Bohema hæredes reliquit. Quieuit tunc annis aliquot, incertum qua de cauſa, Vladislaus, nec ad vindicandam Pomeraniam animum adiecit, niſi forte fames in cauſa fuit, quæ anno milleſimo trecẽteſimo decimo quinto, ac deinde vno anno interiecto, iterum duob' annis tã acerbe Poloniam oẽm afflixit, vt nullo quãuis fœdo edulij genere, ac ne cadaueribus

Cracouienſes deficiunt ad Bo- leslaum Ducem Opolienſem.

Cracouia à Loctico recuperata.

Boleslaus Opolienſis moritur.

Fames horrenda & peſtis in Po- lonia.

ueribus quidem humanis vulgo abstineretur, ac si Dlugosso credendum est, parentes in liberos, & hi vicissim in illos sæuirent, quam famem dira pestis consecuta est.

Cruciferorum in Ecclesiasticos iniquitas.

At Cruciferi augescente indies cupiditate sitis, ne sacris quidem ac Deo dicatis bonis iniustas manus abstinuere: sed vt antea Culmensem ecclesiam occuparant, & à Gnesnensis Archiepiscopi iurisdictione abstractam, Rigensi subiecerant: ita tunc in Pomerania possessiones ac prædia Ecclesiarum inuasere, decimas è suis arationibus sacerdotibus omnino denegarunt: ex agricolarum vero in pecuniarias pensiones commutarunt, atque ita diminuerunt, vt ex manso siue iugero quaterni tantum grossi penderentur. Quibus rebus factum est, vt derelictui haberentur, ac deinde maligne à Cruciferis supprimerentur multa sacerdotia. Inique hæc tulere Archiepiscopus Gnesnensis, & Vladislauiensis ac Posnanensis Episcopi, qui decimas è Pomerania capiebant, itemque Ioannes Plocensis, cui etiam ex territorio Michalouiensi decima negabatur. Et cum hoc quidem Magister Carolus transegit ea lege, vt septem annis immune esset id territorium à pensione decimæ, post eos vero nonaginta marcas Torunenses Episcopus decimæ nomine quotannis acciperet. Cæteri vero cum tenaciores essent iuris sui, Magistrum, Commendatores, & cæteros Cruciferos publice in templis execrabantur, & locis quibusdam sacris interdixere. Verum contemnebant eam disciplinam Cruciferi, prætextu prouocationis ad Pontificem summum. Qua re adducti Episcopi, communicato cum Vladislao consilio, Vladislauiensem Episcopum, in cuius diœcesi est pleraque omnis Pomerania, ad Ioannem eius nominis vicesimum secundum Pontificem miserunt, vt non modo de ecclesiasticis bonis ac decimis, sed etiam de erepta per summam iniuriam Pomerania, Regis & vniuersæ Poloniæ nomine contra Cruciferos actionem instituerent: simul autem vt Vladislao diadema & nomen regium impetraret, existimabant enim, inauspicato id sibi Præmislum iniussu Pontificis assumpsisse, quod non ignorarent, interdictum esse ea re nomini Polono post cædem D. Stanislai.

Cruciferi excommunicati.

Polonorum ad Pp. legatio.

Corona à Pp. petita Polonis.

Non latuit consilium Polonorum Cruciferos, &, ne id procederet, omni ope enitendum sibi esse existimarunt. Itaque miserunt & ipsi ad Pontificem, qui Polonorum conatibus obsisterent, litemque, quantum possent, ducerēt. Regnabat tunc apud Bohemos Ioannes Henrici Imperatoris filius, qui etiam Polonorum Regis nomen quasi hæreditarium sibi vendicabat. Eum igitur etiā promissis & munerib⁹ induxere Cruciferi, vt Vladislao negocium facesseret: &, ne regnum ei decerneretur, summa ope apud Pontificem intercederet. Ad quas res perficiendas, cum opus haberent grandi pecunia Cruciferi, tributum toti Pomeraniæ imperarunt, binos grossos in marcas, vnde triginta millia marcarum redacta esse dicuntur: adhæc eiectas naufragio merces in mari lege Rhodia vsurpare cœperunt. Quibus rebus factum est, vt toto ferme quadriennio, nihil aliud impetraret Gerardus à Pontifice, quam vt cognitio causæ inter Polonos & Cruciferos, Archiepiscopo Gnesnēsi, Posnanensi Episcopo & Abbati Mogilnensi delegaretur. Quod vero ad regnum attinet, vt non impediret Pontifex, quo minus Poloni iure suo vterentur (nam aperte Vladislao regnum decernere noluit, ne Ioannem Bohemorum, & socerum eius Philippum Francorum Reges offenderet:) secreto tamen voluntatis suæ significationem Gerardo dedit, eamque Gerardus lite-

Cruciferi tributum Pomeranis imperant.

Iudices delegati à Pp. inter Polonos & Crucigeros.

literis suis Regi descripsit: ipse vero Auinione, vbi tunc degebat Pontifex manssit, suam cum Cruciferis litem persequens. Cum igitur sententiam Pontificis, non tam rescripto ipsius, quam literis Gerardi perspectam haberet Vladislaus, atque proceres Poloni, comitiis Cracouiam indictis ad vicesimam diem Ianuarij mensis, Vladislaus cum coniuge Heduigi in Basilica Cracouiensi tunc primum instaurata & consummata, ab Archiepiscopo & cæteris Episcopis ritu solenni coronatur anno Christi millesimo trecēteſimo vigesimo. Atque ex eo tempore ius coronandi Reges, atque ipsa regni insignia Gnesna Cracouiam propter amplitudinem, splendoremque vrbis, & plurimas commoditates translata sunt. Nec multo post Vladislaus Elisabetham filiam Carolo Vng rorū Regi bis viduo in matrimonium collocauit, & Budam ad sponsum cum splendido comitatu misit. Intendit deinde animum ad purgandam Poloniam furtis & latrociniis, & ad persequendam litem contra Cruciferos: verum detrectarunt ij iudicium delegatorum, apud Brestam Cuiauiensem ius dicentium. Sed tamen refutata appellatione, cum causam suam Vladislaus plurimorum fide dignorum sacri pariter & profani ordinis hominum testimoniis luculente probasset, damnati sunt: & Pomeraniam Regi reddere, ac centum quinquaginta millia marcarum pecuniæ pro perceptis fructibus, aliaque triginta millia in litem expensa numerare iussi. Cum autem non parerent rei iudicatæ, anathemate icti sunt, ita vt nusquam iis præsentibus sacra fieri liceret. Per id autē tempus Lithuani impune Dobrinum rursus, & Masouiam depopulati sunt.

Vladislaus Loticus cū vxore coronatur.

Elisabetha filia Vladislai nupsit Carolo Regi Vng.

Cruciferi à delegatis Pontificis damnātur & excommunicantur.

Dum hæc ita geruntur in Polonia & Pomerania, Silesia ciuilibus atque adeo parricidialibus Ducum suorum bellis exagitata & labefactata est: & ad extremum libertate partim vendita, partim per vim aut fraudem amissa, Bohemorum iugum accepit, magno Reipublicæ detrimento, nec minori suo malo ac dedecore. Autor eorum malorum Boleslaus natu maximus filius Henrici quinti Ducis Vratislauiensium & Lignicensium fuit: cuius auaritia, maximam dedit Ioanni Boemorum Regi vel dolo interuertendæ, vel per vim subigendæ Silesiæ occasionem. Cum enim iam adoleuisset Boleslaus, & amoto à tutela Boleslao patruo Duce Suidnicensium, per se ipse paternum dominatū administraret, dilapidare paterna bona cœpit. Qua re offensi cæteri fratres, cum & ipsi iam adolescerent, maturius patrimonij partitionem efflagitarunt. Tres partes pro numero fratrum factæ, Vratislauiensis, Lignicensis, & Bregensis. Quæ cum inæquales essent, placuit, vt cui Bregensis, quæ minima erat, sors obtigisset, ei cæteri certam pecuniam annumerarent. Lignicēsis quidem triginta duo millia marcarum, Vratislauiensis vero octo & quadraginta. Non tentata sortitione, Bregensem vltro Boleslaus accepit, illectus pecunia, qua in sumptus quotidianos indigebat. Reliquis vero duobus sortitis, Hērico quidem Vratislauiensi, Vladislao vero, qui iam hypodiaconus erat, Lignicensis obuenit. Qui cum præsenti pecunia, quam fratri Boleslao ex pacto debebant, carerēt, Henricus quidem à suis hominibus mutuam accepit & exoluit. Vladislaus vero Boleslao Legnicense territorium cum oppido hypothecæ nomine tradidit. Quam ob rem cum tenui fortuna esset, malo vsus consilio, vexare & suam, & Boleslai ditionem latrociniis & populationibus instituit, vt Boleslaum ad remittendam sibi pecuniam, reddendamque Ligniciam adigeret. At ille abundans viribus, cum fratris conatus improbos aliquoties repressisset, ad extremum eum cepit, & in vincula cōiecit.

Silesiorum Ducum bella intestina.

Silesia interuersa à Bohemis causa.

Diuisio dominat⁹ inter fratres.

Vladislaus latrocinatur.

Deinde proceribus interuenientibus cum eo pacificatus est ea conditione, vt quingentas ei marcas quotannis ex omni ditione Lignicensi penderet. Quibus pactis, quamuis iureiurando firmatis, non diu stetit Vladislaus: verum infestare rursus latrociniis cœpit Boleslai ditionem ex Hornisperga arce cuiusdam Nobilis. Dumque incautius prædas agit in Bregensi ditione, à rusticis captus cum viginti sociis, & ad Boleslaum ductus, iterum ab eo in carcerem coniectus est. Vbi cum annum vnum asseruaretur, in furorem actus est: dimissusque postea misericordia fratris, egens, vagusque, nec satis compos mentis vixit: & in Masouiam profectus, Boleslai eius oræ Ducis filiam vxorem duxit. Conrado deinde Olsnicensium Duci bellum fecit Boleslaus Bregensis, quod in eius ditione ferme erant oppida ea, quæ auus ipsius Conradus Dux Glogouiensium ab Henrico patre suo iniquis pactis extorserat: cumque regionem omnem Olesnicensem peruastasset, eo adegit Cõradum, vt is facto fœdere Namislouiam, Berolthouiam, Cruceburgũ, Bycinam, & Cuncestadiam oppida sibi traderet: vicissim autẽ ipse ei Boleslaus, misertus egestatis eius, Volauiam & Lubensum donauit. Neq; tamẽ hæ tantæ accessiones inopiam Boleslai releuarunt: sed cũ omnia tanquam in barathrũ quoddam, aut in pertusum dolium caderent, homo sumptuosus ac prodigus tm̃ es alienum cõtraxit, vt Nimcense territorium Bernardo Suidnicensium Duci, Hainouiam vero & Goldbergam Vratislauiensibus oppignoraret. Aliud deinde cepit parandarum opum consilium. Nam ab Henrico fratre, q̃ is nullos masculos haberet liberos, contendit, vt sibi Vratislauiensem dominatũ concederet, Lignicensem vero à se acciperet. Quod cum negatum esset, facile æger sua spõte animus eius à Ioanne Bohemorum Rege in deteriorem partem impulsus est. Parebant iam Opoliensium, Ratiboriensium, Teschinensium, & Bythomiensium Duces Bohemis, à Venceslao Rege blanditiis & muneribus allecti. Emerat & Closcum Ioannes Rex à Boleslao Mõsterbergensium Duce: vnde cũ proximas Silesiæ oras latrociniis infestaret, eo rem perduxit, vt Francosteinum quoque à Nicolao filio Boleslai paruo emeret. Ad Glogouiam deinde cum animũ adiecisset, fauentibus ciuibus magna iam ex parte Germanis, neque Præmislum eorum Ducem vel blanditiis, vel precio ad se pellici, ac ne vi quidem perpelli posse animaduerteret, veneno cũ sustulerat. Cumque ipsi Henricus & Ioannes fratres pariter successissent, & Conrado tertio fratri Stinauiam concessissent, paruo negocio Rex à Ioanne, qui conscius fortassis necis fraternæ fuit, dimidium Glogouię pecunia numerata acceperat, & mox corrupto Henrici præfecto, reliquum etiam in suam redegerat potestatem. Tametsi recepit aliquãto post paternam portionẽ Henricus, Henrici huius filius à Carolo Bohemorum Rege, nam ipse Henricus senior non diu calamitati superstes fuit. Hæc ergo cum haberet iam in Silesia Ioannes Rex, totiusq; regionis sibi adiungendæ magna cupiditate flagraret, Boleslaiq, Bregensis ac Lignicensis auaritiam & egestatem suis fraudibus maxime opportunam esse iudicaret, magnis donis ac policitationibus eum ad inferendum Henrico Vratislauiensium Duci bellum perpulit. Quare clandestinis primũ incursionibus Boleslaus Vratislauiensem oram latrocinantium in morẽ vexauit, deinde apertis viribus infestare adortus est. Agebat hoc quidẽ Rex Ioannes, vt fratrum dissidiis res suas in Silesia stabiliret, commissosq; inter se vt facilius opprimeret: aut vero alteri ferẽdo opem, & illũ sibi obnoxium faceret, & alterũ subiugaret: sed cum prima hæc spes fefellit, Henricus enim

Vladislaus à fratre Boleslao in carcerem coniectus.

Boleslaus prodigus.

Præmislus Glogouiensis veneno sublatus.

Glogouiam Bohemus sui iuris facit.

Bellum inter fratres.

enim, cum fratris iniurias & populationes partim ferendo, partim arcendo cohibere tũ satis non posset, ad Vladislai Regis Polonorũ auxilium confugit, eiusq; fidei se ac dominatũ suum oẽm tradidit. Ac facile sane Vladislaus Boleslai conatus fregit, metuq; proprij periculi eũ compescuit. Quo facto, vir bonus Henricum sua sibi habere iussit, vt sorores nubiles elocaret.

Henricus Vratislauiensis ad Vladislai Regis Polon. auxilium confugit.

Id vbi cognouit Ioannes Rex, qui iam de Vratislauia propemodum desperarat, noua spe erectus, dolis sibi agendum esse duxit. Henricum per speciem arduorum & arcanorum negociorum ad se accitum, & perquam honorifice acceptum, blanditijs, liberalitate, precio, ingentibus promissis, & odio denique inimici fratris tandem induxit, vt sibi Vratislauiensi dominatu cederet: Closcumque, quoad viueret, vtendum fruendum à se acciperet, adiutoribus ad eam rem Henrico persuadendam vsus proceribus & ciuibus Vratislauiensibus, quorum consiliis Henricus vtebatur, pecunia corruptis. Ita Vratislauia potius Ioannes, non multo post Hainouiense & Goltbergense territoria, quæ Vratislauienses hypothecæ nomine à Boleslao Duce possidebãt, per iniuriam eis ademit, condignamq; nauatæ sibi ab ipsis in adipiscẽdo dominatu operæ gratiam retulit. Expostulauit cum eo de prærepta Vratislauia Boleslaus, fœdusque & iusiurandum, quod sibi mutuo dederant, ne quid alter contra alterum moliretur vnquam, in memoriam reuocauit: cõmemorauit etiam sua merita ac beneficia, quod eum difficillimo eius tẽpore ejectũ à Bohemis omni ope adiuuisset. Sed tãtum profecit, vt Ioannes propinquiorẽ se sibi, quam illi esse responderet, atq; ad eius quoq; ditiones per fas & nefas in potestatem suam redigendas animum adiiceret. Ad quam rem non defuit ei, quasi diuina quadam virgula oblata occasio. Vladislaus enim tertius Boleslai frater, qui exclusus dominatu Lignicensi in Masouia vxorem duxerat, dissipata dote, reuertens in Silesiam, Lignicam Ioanni vendere se velle ostendit, literasq; Lignicẽsium exhibuit, quibus se illi ad Vladislaum iure pertinere, & in potestate Regis Bohemiæ libenter fore significabant. Deliberãdi spacium Ioannes cepit, interim Boleslaum ad se accersit, &, quæ secum Vladislaus egerit, ipsi exponit, & literas Lignicensium commonstrat. Addit deinde: si Lignicam ipse retinere velit, in sua & Bohemorum fide semper se fore profiteatur: ni faciat, & Legnicam, & cætera omnia amissurum. Quo metu perculsus ille, imperata fecit, eo redactus inopiæ, vt filios quoque ad extremũ Vratislauiensibus mercatoribus oppignoraret. Sed cum vxorem, quæ Regis Bohemiæ soror fuit, amisisset, & alteram bene dotatam Cracouia duxisset, releuatus aliquantulum, ipse quidem Bregam secessit: filiis vero Venceslao & Ludouico Lignicensem dominatum, ingenti ære alieno grauatum concessit. Verũ post Lignicensis conuẽtus collata in commune pecunia, omne id exoluit. Posthæc reliqui quoq; Duces Silesiorũ, nempe Glogouiensis, Saganensis, Olsnicensis, Stinauiensis, & Falckenbergẽsis vltro in ditionem Bohemorum concessere, & partim timore potentiæ Ioannis, partim inuidia Vladislai Loctici Regis Poloniæ libertatem suam Bohemis prodidere. Solus Bernardus Suidnicensis Dux, gener Vladislai Regis, & post eum filius eius vnicus Boleslaus in fide ac societate Polonorum permansere.

Ioannes Rex Boh. dolo Vratislauia potitur.

Lignicium in clientelã Bohemorũ venit.

Silesij Duces reliqui Bohemo se permittũt.

Bernhardus Dux Suidnicens. in fide Polonorum permansit.

Cæterum Vladislaus Rex tot tantisq; difficultatibus semel implicitus erat, vt singulis explicãdis vix par esse posset. Nam solicitum eum faciebat erepta à Cruciferis Pomerania, & auulsa à Bohemis Silesia, postremo crebræ Lithuanorũ in Poloniam excursiones intendere eum animũ ad externa illa bella nõ

sinebant. Itaque incertus consilij deliberat, quid faceret, & quo se primum verteret. Videbat, Cruciferos non modo non acquiescere in Pomerania, sed Dobrinensi quoque tractui inhiare, quem redactum pene in solitudinem à Lithuanis, ipse nuper à Vladislao Duce Ziemouiti fratris filio acceperat, concessa ei, quoad viueret, Lencicia. Animaduertebat ita coniunctos esse cũ Cruciferis Bohemos, vt ab eorum societate auelli non possent, præsertim cũ Silesia in ditionem suam redacta nuper inescati, in spem totius Poloniæ occupandæ per eos venirent. Vterq; per se satis validus & potens hostis erat, nec tamen alter lacessi poterat, quin cum vtroque dimicatio futura esset. Iam Brandeburgenses quoque lingua & fœdere cum Cruciferis coniuncti, non defuturi ipsis esse videbantur: & alioqui imminebant ipsi quoque Poloniæ per omnem occasionem, & qua vi qua fraude fines eius carpebant. Intento autem in hæc bella Regi, vel prodẽda erat Polonia Lithuanorum populationibus, vel certe relinquendo ad excursiones eorum arcendas præsidio militũ distinendæ, minuendæque vires, quæ ne integre quidem aduersus illos hostes admodum sufficiebant: assiduis enim excursionibus iam has, iam illas oras Poloniæ Lithuani vexabant. Ac per illud ipsum tempus etiam Pultouscum Episcopi Plocensis oppidum, ac centum triginta pagos in Masouia diripuerant & incenderant. Neque vero facile ij domari poterant, cum neque foris dimicandi copiam facerent, sed rapta præda fugerẽt: & domi fluminum obiectu, syluarumque & paludum latebris, ac denique incultarum solitudinum vastitate tuti essent: ita vt si quis bellum eis inferret, ei non magis cum hoste fugaci & insidioso, quam cum viarum difficultatibus, cum intemperie cœli, & cum fame conflictandum esset. Itaque quod erat reliquum, placuit tentare, si forte ij mitigari vlla ratione, & in societatem pertrahi possent. Ad quam rem perficiendam nonnullam ei spem faciebat, quod communes sibi cum illis hostes Cruciferos esse nouerat: assidua namque bella Cruciferi cum Lithuanis varia fortuna gerebant. Quam sententiam cum frequens senatus comprobasset, mittuntur ad Gediminum Principem gentis siue magnum Ducem legati, qui fœdus cum eo feriant, & filiam eius Casimiro Regis filio vxorem petant, nec dotem aliam ab egeno principe, quam captiuorum omnium Polonici generis missionem postulent. Non grauate Gediminus legatorum postulatis annuit: initaque cum Polonis societate, sine longa procrastinatione sponsam tum eis misit: quæ ingentibus omnis conditionis, sexusque, & ætatis captiuorum cateruis comitata, adducta Cracouiam, religionemq; Christianam à Nanckero Episcopo edocta, sacroque lauacro initiata, Annæ nomen accepit, & ritu solenni Casimiro decimum sextum annum agenti nupsit Anno Christi millesimo trecentesimo vigesimo quinto. Atque ex eo tempore pleraque omnis Polonia, magna ex parte vastata & inculta superioribus bellis & populationibus barbarorum, populosior & cultior esse cœpit, dimissis ac deductis quoquouersus agricolis, qui ex captiuitate redierant.

Dobrino Rex Vladislaus ponitur.

Bohemorũ cum Cruciferis societas.

Lithuani Poloniam vexant.

Gediminus magn Dux Lithuaniæ icit fœdus cum Polonis.

Casimirus Regis filius vxorem ducit filiam Gediminj.

Pace & societate cum Lithuanis constituta, maiore iam fiducia studioque in Crucifericum bellum Vladislaus Rex cœpit incumbere, primumque Masouios & Brandeburgenses, qui vtrique fœderati erant Cruciferis, ab eorum societate auellere, ac proprij periculi intuitu, ne illis auxilia mitterent, deterrere instituit. Quocirca misso in Masouiam exercitu è Cracouiensi ac Sendomirienſi equitatu comparato, ferro & igni eam longe lateque vastauit, & oppi-

Poloni Masouiam populantur.

oppidum Plocense incendit. Sequẽti deinde anno maioribus copiis coactis, per se ipse in Marchiam Brandeburgensem expeditionem fecit, magna Lithuanorum & Russorum auxilia secum habens: & ad Francofordiam vsque cum infesto exercitu progressus, cum nemo contra prodiret, munitionum quidem oppugnationibus abstinuit, populationes vero in omnes partes exerceri iussit: incensisque plurimis pagis ac vicis, magnum captiuorum numerum & cæteram prædam ingentem abegit. Crudelius in bello se gessere barbari, & magnam hostium cædem fecerunt, matronas ac virgines contumeliose constuprarunt, delubra atque templa passim profanarunt, diripuerunt, & incenderunt. Memoratur autem ea in expeditione præclarum Monachæ cuiusdam facinus, quæ capta à Lithuano quopiam, cum ad stuprum traheretur, rogauit eum, ne sibi vim faceret: mercedis autem loco promisit, se eum edocturam esse, qui corpus eius vulnerari nullo vnquam ferro posset. Quod cum discere ille percuperet, iugulum ei puella præbuit, vt in se eius rei periculum faceret. Credulus ille stricto gladio caput eius amputauit. Sic illa barbari libidinem eluſit, stuprumque honesta morte euasit. Dimissi Lithuani, per Masouiam prædabundi domum reuertere. Sequenti item anno Lithuani in Marchiam excursionem fecere, & cum cædibus atque incendiis in obuia quæque desæuiissent, prædam raptim abegere. Cruciferi vero cũ Venceslao Masouiorum Duce facto impetu in Cuiauiam, Couale arcem cepe-runt & incenderunt.

Expeditio Vladislai Regis cum Lithuanis in Marchiam Brandeburg.

Lithuani Masouiam vastant.

Lithuanorũ in Marchiam excursio

Non putauit sibi diutius differendum esse bellum in Cruciferos Vladislaus, qui ne Pontificis quidem auctoritate, vt Pomeraniam sibi redderent, commouebantur: quin etiam veteres iniurias nouis cumulabant. Itaq; in sequentem annum millesimum trecentesimum vigesimum octauum expeditionem toti Poloniæ in Cruciferos indicit. A Carolo Rege Vngarorum genero suo non contemnenda auxilia impetrat, & à Lithuanis item ac Russis finitimis. Cum quibus omnibus copiis hostium fines ingressus, Culmensem tractum omnem vsque ad Ossam fluuium cædibus & populationibus peruastauit: nec tamen elicere hostes in aciem è munitionibus, in quas se abdiderant, potuit. Munitionum vero oppugnatione prorsus abstinuit, quod & bene munitæ erant, & rudes tunc adhuc & imperiti oppugnationum Poloni erant. Dimisit deinde auxiliarios: suis vero præcepit, vt Masouiam infestarent. Quod cum factum esset, non multo post excurrerunt vicissim Cruciferi cum Masouiis in Cuiauiam: quo cum propere Poloni accurrissent, collatis signis funduntur hostes, & Masouij quidem cum Duce suo Venceslao diffugerunt: Crucigeri vero fortiter dimicãtes ad internecionem vna cum Commendatore Torunienſi cæsi sunt.

Bellum Prussicum.

Cruciferi & Masouij à Polonis vincti.

Insequenti anno millesimo trecentesimo vigesimo nono Ioannes Rex Bohemorum à Cruciferis in auxilium vocatus cum grandi exercitu vere ineunte in Prussiam aduenit, & cum Cruciferis se coniunxit. Arx inde Dobrinensis diu & acriter oppugnata, deditionem tandem fecit dedente præfecto Paulo Spicimirio Palatino Lencicienſi, eiectisq; Polonis Cruciferorum præsidio concedente Bohemo munita est. Motis deinde ex Dobrino castris, trãsmissoque Vistula flumine, Vladislauiam adorti, primo impetu ceperunt, & exusserunt. Cechocinense quoque territorium, quod in ditione Episcopi erat, abstulere. Erat autem tunc Episcopus Vladislauiensis Matthias Golanczeuius gente Toporus, qui Gerardo Auinione mortuo à Pontifice Maximo

Ioan. Rex Bohem. in Prussiam cum exercitu venit.

suffectus fuit: de cuius prodigioso ortu illud memoratur, matrem eius duodecim filios vno partu edidisse: verũ ex ijs vnum illum vixisse, reliquis mox, vt nati erant, mortuis. Masouiam deinde Crucigeri cũ Bohemis ingressi, crudeliter eam depopulantes, eo adegere Ducem gentis, Venceslaum forte, vt se Ioanni quasi iusto Polonorum Regi subiiceret. Dum autẽ iusti videri, quam esse malunt Cruciferi, ne iniuste ac per vim Pomeraniam vsurpasse dicerentur, perfecerunt precibus ac precio apud Ioannem Regẽ, vt sibi Pomeraniam iure sempiterno donaret. Dobrinum quoq; idem ipse Ioannes quatuor millibus & octingentis sexagenis Pragensibus eisdẽ Cruciferis se vendidisse cõsignatis literis testatur, ea quidem lege, vt eos priuilegio põtificio à pensione decimarũ ex eo territorio liberet: nec aliter pacem faciat cũ Vladislao, quam si is, & Ziemouiti fratris eius filius omni iure terræ Dobrinẽsis sese abdicarit. His peractis ingruente hyeme reduxit Ioannes exercitum, & stulta vanitate de subactis, & ad religionem adactis barbaris triumphauit.

Masouia Plocensis in ditionẽ Bohem. Regis venit.

Pomerania Crucigeris à Rege Bohem. donata.

Æstate vero sequenti millesimi trecentesimi trigesimi anni matureſcentibus segetibus cõuenit rursus magnus Germanorum & Bohemorum militũ mercenariorum numerus ad Cruciferos: cum quibus copiis illi facto impetu in oras finitimas Poloniæ, Vissegradum Cuiauiense, & Naclum arces vi, sed non sine magna strage suorum cepere & exussere. Nam Radeouia cremata erat, ne capta receptaculum esset hostibus ad excursiones. Apud Racianzum Episcopi Vladislauiensis arcem diutius morati sunt, & multos fortes viros in oppugnatione arcis eius amiserunt, quod à multis nauiter ea defendebatur. Ad extremum tamẽ ea quoque potiti sunt, adempto puteo, qui solus aquam suppeditauerat: magnamque ibi in omne genus hominum crudelitatem exercuere. Tandem vbi aduentare Vladislaum Regem cum magnis copiis, & Vngarorum, Austriorum, ac Lithuanorum, auxiliis Cruciferi accepere, omissa oppugnatione alienorum, ad sua defendenda redierunt. Posteaquam autem hostium fines Vladislaus attigit, exerceri longe lateque populationes in tractu Culmensi iussit, nec vllum crudelitatis genus ab iratis omissum est. In transmittendo Dreuancia flumine aliquantum difficultatis fuit, nam vada eius fluminis ripasque Cruciferi caudicibus ac sudibus per longum spacium impedierant: ipsique in vlteriore ripa castra metati, transire Polonos prohibebant. Rex facta ibi aliquot dierum mora, inuentoque vado liberiore ad moletrinam Lubiciam, cum animaduerteret, quo se cunque ipse verteret, hostem sibi occurrere, delectas aliquot turmas occulte prope id vadum reliquit: ipse cum cætero omni exercitu aduerso ab eo loco itinere, versus Brodniciam ire pergit: Consequuntur hostes, nihil de fraude suspicati. Ibi Poloni è latebris prorumpentes, vadum præsidio vacuum superant, fumoque signum dant suis. Quo viso, Rex citato agmine retro, vnde profectus erat, reuertitur, & fluuium traiicit. Grauioribus vtebantur equis hostes, itaque non potuere tempori ad vadum Polonis occurrere, aduentantiumq; vim ij, qui primi de Polonis transmiserant, fortiter sustinuere, donec omnis exercitus traiicit, & ad ordines rediit. Cruciferi inopinata re perculsi, cessere Polonis pugnandi copiam facientibus, dilapsique in munitiones sese recepere. Ibi vero Poloni effuse agros pagosque hostiles vastarunt, villas, vicos, & suburbana munitiorum oppidorum exusserunt. Deinde præmissa in Poloniam præda omni, Dobrinensem oram ingressi sunt, & arce Dobrinensi tentata, cum eam egregie tutantibus Cruciferis capere non

Cruciferorum cum Bohemis altera in Poloniam expeditio.

Vladislaus Rex cum exercitu in Prussiam ingressus.

non possent, rẽ infecta redeuntes, quicquid erat reliquum in Culmensi tractu vsque ad Ossam amnem, ferro & igni ablumpsere: Prussia vltra Ossam, quæ iam Cruciferis parebat, reliqua erat: quam cum Poloni intactam dimissuri non esse viderentur, tunc demum Magister cum primoribus Crucifero-rum, qui Grudenti erant, de pace vel induciis cum Vladislao Rege agere cœperunt. Induciæ in annum factæ, ea conditione, vt Dobrinensem arcem atque tractum, & Bydgostiam Cruciferi Regi Vladislao mox redderent. De Pomerania vero Carolus Vngarorum & Ioannes Bohemorum Reges arbitri delecti.

Inducia inter Polonos & Cruciferos.

Rebus ita cum Cruciferis constitutis, reduxit Vladislaus exercitum, auxiliaque dimisit. Liberati præsenti metu Cruciferi, minus iam pacem cupere, nec Bohemum ad arbitrandum de Pomerania, sicut conuenerant, adducere, cum Carolus Vngarus rogatu Vladislai præsto esset. Paruo deinde momento, vt fit, ad renouandum in sequentem annum millesimum trecentesimum trigesimum primum bellum impulsi sunt. Comitia Vladislaus Rex ætatis initio apud Chencinum habuit: in his cum alia nonnulla de republica salubriter de amplissimi consilij sententia constituit, tum quod graue sibi & periculosum bellum cum Cruciferis impendere non ignorabat, ætatemque suam ingraueſcentem, & vires magnis laboribus & aduersis rebus attritas & afflictas considerabat, Casimirum filium vnum & viginti annos natum maiori Poloniæ toti præfecit, vt fama nominis eius non tam facile se Bohemi & Saxones commouerent: adhæc vt in tuto is esset, si quid sibi aduersi in bello Prussico accideret. Grauiter tulit Vincentius Szamotulius Palatinus Posnanienſis, præfecturam illam sibi ademptam esse, ignominiæ loco id ducens. Itaque ira & metu pessimis consultoribus vsus, clam ad Magistrum Mariæburgum profectus est, expositis aduentus sui causis, molienti sua si pro nte bellum aduersus Polonos facile persuasit, vt in maiorem Poloniam expeditas copias mitteret, quod ibi non modo magna præda potiri, sed & munitiones pleraſque & Casimirum Regis filium sua suorumque opera facile in potestatem possent redigere. Præfecti copiarum Crucifericarum de sententia Szamotulij omnia facere iussi sunt: qui traiecta apud Toruniam Vistula, parum abfuit, quin Brestam & Inouladislauiam ex improuiso caperent, ni citato cursu, armorumque & vexillorum forma proditi ab ipsis vsque portis concursu Polonorum cum ignominia ducentis amissis repulsi essent. Nec eis tunc vacabat oppugnationi oppidorum insistere, ad aliud longe maius facinus profectis: cuius peragendi spem omnem in celeritate, Polonorumque securitate ponebant. Itaque magnis & occultis itineribus in maiorem Poloniam perueniunt, & capta primo impetu exustaque Slupcia, Posnanienſis Episcopi oppido, continuato itinere Pyſdros cõtendunt, in quo oppido Casimirũ esse didicerãt, magnoq; impetu adorti oppidũ non munitum, facile eo potiuntur. Sed euentus eorũ spei non respõdit: paulo enim ante Casimirus de aduẽtu hostium factus certior cũ paucis comitibus oppido se eiecerat, & in proximã syluam receperat. Quãobrem irati Crucigeri ac dolore amissæ prædæ, cui⁹ causa maxime venerãt, incensi, omni crudelitate in oppidanos desæuierũt, direptumq; oppidũ cũ templis, & sacris iuxta ac pfanis rebus omnib⁹ exusserũt. Deinde viciniãm omnem cis & trans Vartam ferro & igni depopulati sunt, atq; inde cũ magna præda retro abiere. Probauit ea expeditione Szamotulius fidẽ suam Crucife-

Comitia Chencini.

Casimirus Regis filius Præfectus maiori Poloniæ.

Vinc. Szamotulius ad Cruciferos transfugit.

Expeditio Cruciferorum in maiorem Poloniam.

Casimiri fuga.

ris. Itaque & tunc honorifice pro nauata opera muneratus est, & maioribus promissis oneratus, in maiore precio deinceps apud eos esse cœpit, sic vt eius arbitrio multa in eo bello gererentur.

Cruciferi rursus Poloniam vexant, & oppida quadam diripiunt.

Cum autem maior militum numerus ex inferiore etiam Germania, & è Liuonia ad eos confluxisset, rursus eadem æstate vexare Poloniam, qua parte intacta adhuc eorum populationibus erat, statuunt: eo scilicet adacturi Polonos cladibus domesticis, vt sibi ius omne in Pomerania atq; aliquid etiam præterea lubentes concederent, pacemq; redimerent. Profecti igitur cõposito & pacato agmine per Cuiauiam, quod eam reuertentes suæ ditionis facere destinabant, in Lencicien sem tractum insultum faciunt, arcem vi capiunt & incendunt, pagos & oppida crudeliter vastant. Deinde in Calissien sem oram iter flectunt: qua omni peruastata, oppido tamen potiti non sunt, non sine cæde inde reiecti. Vbi cum quinque dies commorati, Ioannem Bohemorum Regẽ frustra exspectassent, progressi longius populando, Gnesnã, Znenam, Naclum, Srodam, Podebiscos, Clecicum, Costrinum oppida diripuerunt, ac circumcirca pagos exusserunt, ne templis quidem ac monasteriis, sacrisque rebus manus abstinentes. Reliquias tamen diui Adalberti cupide quæsitas, sed occultatas à ministris templi, non inuenere. In Siradien sem tractum deinde impetum fecerunt, & pari celeritate vniuersum percurrentes, ferro & igni cuncta vastarunt. Quo incendio Siradia, Vnouia, Vartha, Stauus, S. hadecum oppida pleraque cum arcibus conflagrarunt. Siradien si tract vastato, rursus ad Calissiam expugnandam reuertere, sed amissis nonnullis militibus, post paucos dies re infecta d scessere, est enim permunitum id oppidum, non tam arte quidem, quam situ & natura loci, nempe à Prosna flumine latius, vt in magna planicie, restagnante ambitum. Hinc Coninense oppidum & territorium vastarunt.

Porro Vladislaus Rex non longe cum suis copiis aberat, sed nusquam certo loco pedem figebat, nec audebat prælio rem committere: non ignarus, quantum esset robur Germanicarum phalangum & cataphractorum equitum. Discruciabatur autem summopere, videns patriam charissimam tam immaniter vastari, flagrantes circumquaque pagos & oppida, & innumerabilem pene hominum omnis generis & ordinis multitudinẽ partim cęsam, partim captam. Augebat dolorem eius, quod neque opem vllam rebus suis tã calamitosis afferre, neque hostem vlcisci procliue sibi esse arbitrabatur. Cum igitur animum in omnes partes versasset, neque opem vllam rebus suis tam calamitosis afferre potuisset: vna tandem via rei expediendæ ipsa se ostendit, nimirum, vt Szamotulium sibi recõciliaret, ciusque proditione, vel circumueniret hostes, vel consilia eorum perturbaret: intelligebat enim, quantum in eo momenti Cruciferi ponerent. Itaq; secreto per internuncios eum hortatur, vt afflictæ ac pene perditæ patriæ misereatur, impunitatẽ admissi pollicens. Nec male ipsi hoc consilium cecidit. Subiit enim animum Szamotulij patrati sceleris pœnitentia, cum reputaret secum diligentius, quantam infamię sempiternam notam nomini suo familiæque inustam ad posteros esset transmissurus. Itaque proditionis maculam obliterare, & recenti beneficio priorem iniuriam obscurare statuit: constitutoque tempore, nocte quadam per speciem exploratoris è castris Cruciferorum egressus, ad Regem venit, veniam supplex petiit, & impetrauit. Deinde Regem ad conferendas cũ hoste manus animat: docet, in tanta multitudine plurimam esse fecem hominum

Szamotulius reconciliatur Regi.

num inermium & imbellium. Sibi vero eas partes sumit, vt hostem ab omni suspicione prælij auersum fallat ac deinde intentum in pugnam, à tergo cum suis adortus noua re perturbet. His ita constitutis, in castra Crucigerorum reuertitur, nihil à Polonis periculi ipsis esse renunciat: Regem pauidum, & conscium virium suarum non diutius exercitum tenere statuisse. Quod vbi accepere Cruciferi, sublata spe prælij, cum satis iam debacchati in Polonia essent, & ingentem prædam vix traherent, adhæc imbribus & frigoribus autumnalibus vrgerentur, reuerti in Prussiam incipiunt. Et quoniam præda grauibus & impeditis lentius progredi necesse erat, Ottonẽ Brunsdorffium Commendatorem magnum, & Ruthenum Plauium cum expeditiori parte copiarum ad expugnandam Brestiam ex itinere præmittunt. Iam extremum agmen ad Plosce siue Plouce pagum prope Radeouiam peruenerat, vbi late patens est planicies, ita vt oportunior is locus ad prælium esset Polonis equitatu maxime valentibus quam hosti, cum subito illucescente die ij, qui extremas seruabant excubias, renunciant in castra Polonorum exercitum adesse: Non creditum est narrantibus, Szamotulio maxime omnia sibi exploratiora esse affirmante, donec strepitus aduentantium, & hinnitus equorum exaudiri cœptus est: nam conspectum densa nebula adimebat: & tamen non credebant, Polonos rem vniuersæ dimicationi commissuros: sed tantum abeuntium iter solis adequitationibus & particularibus certaminibus impedituros. Vbi vero aciem ad dimicandum instructam cum signis adesse sensere, tũ demũ tumultuari, & ad arma conclamare primores: perturbari re noua multitudo rætera, cum vix armandi se spacium haberent, qui pridiana crapula & ebrietate grauati & sopiti, classico expergefacti erant, & semisomnes, quidnam rei esset, alius alium percontarentur.

Instructis tandem vtcunq; primis ordinibus in aciem prodeunt, cateniscque per baltheos primorum & antesignanorum militum immissis, ordines & phalangem colligant, ne perrumpi & perturbari ab equitibus Polonis possent. Rex, quia nebula caliginosa incerta omnia reddiderat, parumper impetum suorum inhibuit, dum ea resideret, atque interim graui oratione ad pugnam milites incitauit: quæ huiusmodi fuisse fertur. Non vos latet, milites, cum quibus nobis hostibus res sit, nempe, qui beneficiarij sunt maiorum nostrorum, acciti in hæc loca, vt eis auxilio essent contra vicinos Prutenos. Nunc ij ingrati pro summis beneficiis parricidialia arma in nos conuertere. Pomeraniam nobis surripuere verius, quam eripuere, itemque Cuiauiam pene omnem, reliquæ etiam inhiant. Neque hoc satis illis est. Cernitis iam omnem fere Poloniam crudeliter ab eis vastatam, populatos agros, incensos pagos, euersa oppida, aratores vestros necatos, parentes, coniuges, liberosq; vestros dulcissimos vel cæsos, vel in fœdam seruitutem abstractos. Quid ego commemorem profanata ac direpta templa ac monasteria? abreptas ab ipsis aris ad stupra incesta monachas? respersa sanguine & innocentium hominũ & sacerdotum, qui pro vestra salute & incolumitate huius regni sacra faciebant, venerandi Christi Iesu mysteria? Hæc vos pati potestis milites? tam ferrei estis, vt vos vestrarum coniugum, sororum & filiarum ad stupra trucium Crucigerorum asseruatarum non misereat? tam duri, vt non paruorum liberorum & fratrum vestrorum misera conditione commoueamini, quos Germani milites cauponibus, laniis, coquis, & meretricibus in intima Germania in perpetuam seruitutem addicent? At sacra quidem tam indigne &

Vladislai Regis ad milites oratio.

» contumelioſe attrectata ferre non debetis, acrius & promptius pro his ſem-
» per maiores veſtri, quam pro liberis & coniugibus, nedum pro facultatibus
» ſuis dimicarunt. Quid vero? creditis hoſtes malis noſtris iam ſatiatos, aut
» modum vllum cupiditati & crudelitati ſuæ poſituros eſſe? Non facient pro-
» fecto, niſi vos ſedibus veſtris omnino propulerint, aut ſanguinem veſtrum
» prorſus exſorbuerint, nomenque extirparint. Sed ne ego virtuti veſtræ dif-
» fidere videar, qui vos tam diligenter in hoſtem tam trucem incitare inſti-
» tuerim: quaſi vero non per me ſteterit hactenus, ne cum eo manus conſe-
» reretis. Fateor equidem, ad hanc vſque diem obſtitiſſe me ſedulo vobis præ-
» lium flagitantibus, & vel hoſtium, vel, ſi ita ſors tuliſſet, veſtro ipſorum ſan-
» guine patriæ flagrantis incendia reſtinguere cupientibus. Sed melioribus
» rebus & minori diſcrimini vos ſeruaui milites: neque enim ſemper aperto
» marte bella gerenda eſſe exiſtimo: arte doloque vtendum, vbi impar ſis vi-
» ribus. Plurimum etiam momenti habet temporum & locorum opportu-
» nitas. Ita ſæpe maximos hoſtium exercitus à paucioribus noſtris fuſos pro-
» fligatoſque reperiet, qui veterum reminiſci volet. Nunc ita nobis inſtructa
» exped. taque ſunt omnia, vt diuina iuſtitia, quæ procul dubio fauebit iuſtio-
» ri cauſæ, & veſtra virtute fretus, confidam in manibus nos habere victo-
» riam, daturoſque nobis ilico perfidos & impios hoſtes condignas ſcelerum
» & audaciæ ſuæ pœnas. Primum enim certum exploratumque habeo, multi-
» tudine eos nobis præſtare, non viribus: quanquam ne multitudine quidem
» iam ſuperant, nuper enim florem ipſum exercitus ſui ad ſubigendam reliquã
» Cuiauiam præmiſerunt. Fex fere imbellis cum captiuis, ſarcinis, & impedi-
» mentis manſit: neque par illis nobiſcum dimicatio eſt: illi enim mercede cõ-
» ducti fere, & alienum bellum belligerantes, & multorum ſcelerum ſibi con-
» ſcij, minus ſtudij, minuſque animorum ad prælium afferent: Vos pro iis re-
» bus, quæcunque homini ſunt chariſſimæ, & pro patria ipſa iuſta & pia arma
» ſumpſiſtis. Tum autem ſecuri hi dudum, & ſoluta omni diſciplina militari,
» re noua & inexpectata conturbantur. Auditis enim clamorem illum diſſonũ
» & inæqualem, timoris argumentum: aſpicitis curſitationem trepidationem-
» que ad ſigna concurrentium, imo potius fugam circumſpectantium. Poſtre-
» mo ita nobis conſtitutum eſt, vt eos in pugnam intentos, ſi modo primum
» veſtrum impetum ſuſtinebũt, alius & inopinatus hoſtis à tergo inuadat. Vin-
» centius Szamotulius is eſt, Palatinus quondam Poſnanienſis, cuius ope & cõ-
» ſilio inprimis nituntur. Is namq; iuſtas iras veſtras hoſtium capitibus placa-
» re, & nouis meritis infamiam priorẽ delere decreuit. Agite ergo milites, im-
» pigri & alacres pugnam capeſſite, totq; millia captiuorum fratrum, liberorũ,
» coniugum & aratorum etiam veſtrorum vindicate: cæſos vlciſcimini, fumã-
» teſque adhuc pagos & vicos veſtros inuiſo cruore reſpergite, imperium & li-
» bertatem veſtram defendite: quæ vtraque in diſcrimen veniunt, ſi quid for-
» te, quod omen Deus auertat, titubaueritis. Deniq; Deum piorum adiutorẽ,
» & ſcelerum ac flagitiorum, contaminatorumque ſacrorum ſuorum » & reli-
» gionis ſanctæ vltorem inuocate.

Hæc elocutus, vbi alacres & incitatis animis pugnã poſcentes cõſpexit, & iam nebula reſidere cœperat, canere ſigna iuſſit. Prima de quinque aulicorũ acies, quæ erat firmiſſima magno impetu & infeſtis animis in hoſtes inuehi-
Prælium. tur. Excipiunt illi, qui contra conſtiterant, nõ impigre. Deinde cæteræ acies cõcurrunt, præter ſubſidiarias. Pugnatur vtrinq; ſumma contentione, neq; quiſ-

quiſquam pedem referebat, ſed magis quiſque ferire hoſtem, quam ictũ declinare ſtudebat. Adeſt omnibus locis Rex ſuos animans, & feſſis integros ſummittens, ipſe indefeſſus, quamuis ſenili corpore. Feruеſcente autẽ prælio, cũ Szamotulius adhuc nuſquam appareret, ſubuereri iam Rex cœperat, neque quẽ is dolum necteret: Circumſpiciebant & milites, memores promiſſorũ Regis: cum ille à tergo hoſtium ſublato clamore cum ſuis impetum in extremos auerſos, quemadmodum conuenerat, fecit. Ibi vero turbari illi noua re perculſi, primo quoq; exaudito poſt ſe clamore ac tumultu reſpicere, & ſciſcitari inter ſe, quidnam eſſet. Inſtãt Poloni acrius reſpectãtibus, & remiſſius pugnantibus: iamq; cæſis ducibus, totas acies ancipiti prælio perterrefactas conuertunt. Fit longe maior fugientium ſtrages, quam quæ dudum pugnãtium fuerat: adeo namq; dolori, iracundiæq; Poloni indulgebant, vt neminẽ viuum ſeruarent. Et iam plena victoria potiti eſſe videbantur, cum ecce longo interuallo, vtpote diſcuſſis iam prorſus nebulis, nouas copias hoſtium effuſo curſu aduenire adſpiciunt. Erant autem ij, qui ad Breſtiam capiendam præmiſſi erant: qui certiores facti de Polonorum aduentu, ſuppetias laturi ſuis accurrebant. Ibi Vladislaus captiuis aliquot nobilioribus cum præſidio retro amandatis, & paucis cohortatus milites, ne labori ſuccumberent, neu ſibi partam victoriam eripi ſinerent, mox in venientes impetum facit, ne quod eis clade ſuorum conterritis, & fugientium multitudine inter ordines ſeſe immiſcente perturbatis, colligendi ſeſe ſpacium daret. Nec par ſuperiori prælium illud fuit, non enim vim Polonorum recenti victoria ferocium hoſtes ſuſtinuere. Itaque paruo negocio vertuntur in fugam. Nec tamen multi euadere potuere, graui armatura & longo curſu defatigatis equis pariter & militibus, alioqui laboris etiam impatientibus. Cæſa ferun tur his duobus prælijs hoſtium ſupra viginti millia, de Polonis quingenti, vel ſecundum alios, triginta tantum de promiſcua multitudine, ac de nobilioribus duodecim cecidere. Tam paruo tam inſignis victoria Polonis conſtitit. Caſtra hoſtium opulenta capta & direpta ſunt. Poloni captiui ſoluti, vbi ingens fuit inter fratres, coniuges, parentes, & liberos mutuo ſibi quaſi poſtliminio redditos gratulatio. Dies, quo hæc geſta ſunt, fuit viceſimus ſeptimus Septembris. Et quoniam ad veſperam fere pugnatum erat, reliquum diei illius, & nox ſequens, curandis, & reficiendis corporibus data eſt. Poſtero die cæſorum numerus recognitus, & ſpolia lecta ſunt. Vbi Rex obequitans, forte conſpicatus eſt vnum de ſuis, hominem equeſtris ordinis, multis vulneribus debilitatum, reſupinato corpore iacentem, & ilia per vulnus effluentia manibus cohibentem, conuerſuſque ad comites, quam magnus hic eſt, inquit, huius viri cruciatus. Reſpondit ille: maiorem eſſe eius, qui in eodem pago malum vicinum habeat, qualem ipſe expertus ſit. Rex contra, bono, inquit, animo es: iſthoc ego te malo liberabo, ſi vixeris: & ſublatus curatuſque, totum pagum amoto malo vicino regia munificentia adeptus eſt, inſuper præclarum virtũtis teſtimonium cõſecutus ad poſteros tranſmiſit, vt ſtemma eius familiæ, quæ tres haſtæ in modum ſtellæ tranſuerſæ ſunt, ielitorum, hoc eſt, ilium nomine appelletur, cum pri' Kozlierogi ab hirci cornibus diceretur. Fuit autẽ is Florianus cognomẽto Sziri. Szamotulius quoque ob nauatam bene operam non modo impunitate donatus, ſed etiam abrogata infamia, priſtino honori reſtitutus eſt. Verum non impune tñ ei ceſſit hoſtes in patriam induxiſſe. Inſequenti enim an-

Cruciferi vincuntur.

Pugnare-paratur.

Strages Cruciferorum.

Szamotulius priſtino honori reſtitutus.

Szamotulius interficitur.

no conſpiratione nonnullorum equitum, quos ira & dolor amiſſarũ rerum chariſſimarum in eum ſtimulabat, interfectus eſt.

Bohemorũ expeditio in Poloniam.

Statuerat quidem Rex curſum illius victoriæ mox perſequi, ſed eum Bohemi cum Sileſiis ab ea cogitatione auerterunt. Qui cum primum cladis ſociorum nuncium acceperunt, rati Vladislaum poſt victoriam illam in Pomeraniam, & in Cruciferorum ditionem ducturum eſſe exercitum, cũ ſubitariis copiis in maiorem Poloniam fecerunt inſultum, Poſnaniamque obſidere cœperunt, vt auerſo Rege Vladislao Crucigeri reſpirare poſſent. Quod cum accepiſſet Vladislaus, mutato conſilio, ad propulſandum nouum bellum cum vniuerſo exercitu contendit. Nec tamen hoſtem adeptus eſt, nam is cognito Vladislai aduentu in Sileſiam prępropere ſe recepit: nec eum tunc Vladislaus Rex perſecutus eſt, quod & hyems iam inſtabat, & quies danda erat militibus, vt vires in ſequentem annum refocillarent. Ferunt quidem, è Bohemis & Sileſiis apud Poſnaniam cecidiſſe ſupra ſeptingentos, præter foſſores, qui in cuniculis opus faciebant. Tentata eſt deinde pax inter Vladislaum & Crucigeros Carolo & Ioanne Regibus arbitris: quæ tamen non conuenit, Crucigeris Pomeraniam nõ reddentibus. Et paulo poſt ij, cum è Germania nouis copiis aucti eſſent, Cuiauiam quatuordecim diebus ad finẽ Nouẽbris populabundi infeſtarunt. Nec multo poſt initio noui anni, nil morati aſperitatem hyemis, iterum, ſed maiore apparatu, in eandem Cuiauiam ingreſſi, Brẽſtam obſederunt, rati, fame ſe oppidanos ad deditionem compulſuros. Sed cum fruſtra tres fere mẽſes in obſidione inſumpſiſſent, ea die, qua vniuerſus Chriſtianus orbis ſalutarem Chriſti mortem anniuerſario ritu recolit, ſumma vi oppidum oppugnant. Nec ſegnius Poloni defendunt: verum quatriduano labore defatigati, tandem quinto die oppidum dedunt. Crucigeri impoſito ibi præſidio, ad Inouladislauiam caſtra mouerunt, eamq; mox dedentibus oppidanis acceptam, præſidio itidem munierunt. Progreſſi vlterius, Gnieucouiam arcem oppugnant, in qua erat Caſimirus Dux Vladislai Regis fratris filius. Is igitur pactus cum hoſte, vt ſibi ſuiſque res ſuas aſportare liceret, ipſe inſpectantibus & permittentibus Cruciferis arcem incendit, & cũ miſerabili illo ſuo Cuiauienſis Nobilitatis comitatu ad Vladislaum Regem profectus eſt. Ignobiliora deinde oppida Cruciferi facile in poteſtatem ſuam redegere. Pacoſſum arcem Albertus Coſcielecius Palatinus Breſtenſis egregie tutatus eſt, & non paruis incommodis hoſtes affecit, Vt autem Cuiauienſis ac Dobrinenſis oræ poſſeſſionem ſibi ſtabilirent Cruciferi, demoliti Breſtiam veterem, munitiore eam loco condiderunt, & arces quaſdam eo in tractu cocto latere munierunt. Nam Vladislaus maturas ſegetes, & Vngarorum auxilia expectauit. Quæ cum conueniſſent, per Maſouiam in Culmenſem tractum infeſtum duxit exercitum, & hoſtibus prælij ſuperioris euentu pauidis, & pugnam detrectantibus, vaſtare eorum regionem longe lateque cœpit. Excitus autem quoquouerſus collucentibus pagorum & vicorum ſuorum incendiis, cædibuſque agreſtium Magiſter, decernere pralio cum Rege cupiebat: ſed Commendatores temeritatem eius reprehenderunt. Itaque meliore conſilio vſus, caduceatorem ad Regem miſit: & cum æquas cõditiones pacis accepturum ſe eſſe reciperet, facile à credulo Rege annuas induciasimpetrauit.

Cruciferi Cuiauiam vaſtant.

Poloni Culmenſem oram vexant.

Inducia inter Polonos & Crucigeros.

Polonorũ in Sileſiam expeditio.

Quibus conſtitutis Rex, ne nihil tantis copiis & ſumptibus dignum egiſſe videretur, atque Sileſios, qui ſuperiori anno Poloniæ arma intentarant, vlciſce-

ciſceretur, in Sileſiam copias duxit: ac nemine pugnandi copiam faciente, quinquaginta & amplius munitiones hoſtium cepit ac incendit. Coſtenum oppidum cum arce, inter ſtagna & paludes ſitum, quod valido hoſtium præſidio tenebatur, obſidione cinxit. Irridebant Polonorum obſidionem ij, qui erant in præſidio, ſi ſi viribus ſuis & ſitu arcis. Itaque motus hac indignitate Caſimirus Regis filius, audacius cum ea manu, quam circum ſe habebat, ad mœnia progreſſus, vi expugnare munitionem adortus eſt. Quod conſpicatus reliquus exercitus, Ducem ſecutus, non prius oppugnare arcem deſtitit, quam ea per vim potitus eſt. Quo facto mox oppidani ſeſe dedidere. Sæuitum eſt autem in præſidiarios atrocius, quod non pauci de Polonis in expugnatione ceciderant. Atque ex eo tempore Coſtenum rurſus in poteſtate Polonorum eſt. Extremum id operum Vladislai Regis fuit: reuerſus enim ab eo bello Cracouiam, donatiſque ac dimiſſis auxiliariis, languere cœpit, ac ſenſim inualeſcente morbo, vbi imminere ſibi mortem ſenſit, ſacris procuratus myſteriis, Caſimirum filium Proceribus aſſidentibus languida voce commendauit, vtque eum poſt ſe Regem crearent, rogauit. Ipſum vero ad colẽdam iuſtitiam & clementiam in ſuos, & ad perſequendos bello ingratos Cruciferos, recuperandaque ea, quæ illi à regno ſuo abſtraxerunt, adhortatus eſt. Poſthæc ad ſextum idus Martias, qui menſis ſenibus exitialis eſſe ſolet, anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo tertio mortuus, & in Baſilica Cracouienſi ad lævam aræ maximæ ſepultus eſt. Fertur corpus eius pluribus poſt mortem diebus inſepultum, dum ſolennes exequiæ parantur, nihil putredinis aut fœtoris contraxiſſe. Regnauit autem ab eo tempore, quo diademate cinctus eſt, annis tredecim & paulo amplius, Princeps ſingulari patientia & mãſuetudine animi præſtans, & adeuntibus perfacilis: ſtatura per breui, cæterum manu promptus: virtute vero tanta, & animi magnitudine vſque ad decrepitam ætatem varia fortuna exercita, vt cum maximis Regibus recte comparari poſſit: ac eo quidem magis, quo tutius & mutilatius regnum accepit.

Vladislaus Loctícus Rex moritur.

CASIMIRVS SECVNDVS, COGNOMENTO magnus Rex.

IVſtis funebribus Vladislao rite peractis habita ſunt comitia Cracouiæ de creando nouo Rege. Introducti legati Caroli Regis Vngarorum, petierunt, vt Caſimiro regnum poſt patrem mandaretur. Et facile ij, quod poſtulabant, impetrarunt, cum alioqui etiam omnium procerum atque equitum voluntates eodem declinarent. De vxore noui Regis ſcrupulus iniectus eſt: negabat enim Heduigis Caſimiri mater, ſe Regina ſuperſtite eam coronari debere: tamen exorata à filio ceſſit, atque vt iniectum ſcrupulum prorſus demeret, Sandeciam antiquam ſecedens, D. Franciſci inſtitutum vitæ profeſſa eſt. Itaq; Caſimirus vna cum vxore Anna vigeſimaquinta die Aprilis in Baſilica Cracouienſi ab Ianislao Archiepiſcopo ſolenni ritu inunctus diadema accepit. Datus eſt autẽ ei iuuenilium conſiliorum moderator Ioannes Maſtinius Caſtellanus Cracouienſis, vir grauis & prudens, & Reipublicę amans. Et quoniam videbat Caſimirus, omnem pene Poloniam Cruciferorum armis atque domeſticis latrociniis, quæ patre regnante impunitate increbuerant, attritam, domeſticis malis prius quam externis manus admouit. Ac cũ Cruciferis quidem inducias fecit, per quas perpetua pax Vngarorum & Bohemo-

Anno Chr. 1333. Comitia Cracouiæ.

Caſimirus cum vxore coronatur.

Inducia cum Cruciferis.

hemorum Regibus arbitris componeretur. Adiectum in pactis, vt Magister Cruciferorum Brestam oppidum Ziemouito Duci Masouiorum Cirnensium, aut Mathiæ Vladislauiensi Episcopo tenendum concederet, qui id pace firmata Casimiro traderent: sin minus coisset pax, Magistro redderent. Verũ in eo Magister fidem non seruauit: nihilo tamẽ minus mansere induciæ, quibus durantibus diligenter vbique prædones & infestatores publicarũ viarum perquisiti, exquisitisq; suppliciis affecti sunt. Neq; quicquam præterea memorabile eo & sequenti anno in Polonia gestum est, nisi quod vigesima tertia die Aprilis intra annum à coronatione Regis ingens nix decidit: quę cum quinque dies durasset, præter omnium expectationem singularem fertilitatem agris attulit.

Locustarũ vis ingens in Polonia.

Insequenti vero anno millesimo trecentesimo trigesimo quinto tanta vis locustarum peruagata est, vt volantes solis aspectum hominibus adimerent: humi vero stratæ equorum vngulas altitudine superarent: quæ depastæ matureſcentes segetes angustiorem annonam fecere. Nouembri vero mense eiusdem anni pax inter Casimirum ac Cruciferos arbitrio Caroli & Ioannis Regum Vissegradi in Vngaria facta est, iniquior Casimiro, quam Crucigeris. Accepit tamen eam pacem Casimirus, plus, quam dignum erat, quietis & ocij cupidus. Fuit autem in conditionibus, vt Cruciferi Pomeraniam siue Pomerellam concedente Rege retinerent, atque etiam Niessouiensem arcem in Cuiauia supra Vistulam: Regi vero Dobrinensem & Cuiauiam relinquerent, ne ea quidem portione excluſa, quæ ad Casimirum Ducem Ziemouiti filium pertinebat, ac decem millia florenorum pro damnis datis annumerarent. Profugis autem vtriusque partis, vt liceret ad possessiones derelictas reuerti, vel eas vendere arbitratu suo. Impendia damnaque vtrinque compensata. Non steterunt tamen his pactis Cruciferi, quamuis approbasset Casimirus sententiam Regum ex compromisso latam, nisi etiam diferte vna cum Senatu, Nobilitate, ac Ciuitatibus, diplomatis & iureiurando dato Pomeraniam, Culmensem, ac Michalouiensem tractum à se & posteris suis prorsus abdicaret. Quod cum ille ad Senatum & comitia retulisset, omnibus indigna res visa, post tam iniquum arbitrium nouas etiam durioresque pacis leges ab hoste, perinde atque à victore sibi ferri. Itaque bellum malle, quam tam iniquam & ignominiosam pacem. Placuit tamen non inferre bellum, sed si inferatur, propulsare, atque ad Pontificem Maximum Benedictum duodecimum, primo quoque tempore de vi ac iniuriis Cruciferorum propter religionem ad eius iurisdictionem pertinentium referre. Legatus ad eam recuperandam missus Ioannes Grotus Slupecius Episcopus Cracouiensis, qui nequicquam impedientibus negotium aduersariis, magna cura ac diligentia tandem perfecit apud Pontificem vt is Galardum Nitulensem Præpositum, & Petrum Geruasium Anicien sem Canonicũ legatos ac iudices ea de re in Poloniam & Prussiam mitteret, qui Poloniæ Regi Cuiauiam ac Dobrinum reddi, ac decem millia florenorum adiudicata numerari à Cruciferis curarent: de cæteris vero controuersiis cognoscerent. Crucigeri vero, vt prætextũ aliquem iniuriæ, & neq; arbitrorũ decreto, neq; Põtificis mandatis parẽdi haberent, perfecerũt apud Ludouicum Imperatorẽ, cui tunc neq; cũ Regibus, neq; cum Põtifice conueniebat, vt is Magistro Theodorico & vniuerso ordini grauissima pœna adicta interdiceret, ne cuiusquã præcepto quicquã de iis terris, quas ab imperio haberẽt, cuiquam cõcedant,

Pax inter Polonos & Cruciferos.

Legatio Casimiri Regis ad Pp.

Delegati Pp. de controuersiis Polonorum cum Cruciferis.

cedant, neue apud vllos iudices de iis disceptẽt, præter assensum suum. Cũ autẽ iudices à Põtifice delegati Varsauiæ cognoscẽdæ causæ aliquandiu operam dedissent, refutata friuola detrectatione ac prouocatione Crucifererorũ, anno Christi 1339. adiudicarunt Casimiro ac Polonis Pomerellã, Cuiauiam, Dobrinẽsem, Culmensem, ac Michalouiensem ditionẽ: Cruciferos autẽ ad centũ nonaginta quatuor millia & quingẽtas marcas Polonicas ℔ damnis datis, itemq; ad mille sexcẽtas marcas impensarũ nomine cõdemnarunt: adhæc vt tẽpla ac monasteria in Polonia superiore bello direpta & exusta instaurarent. Cumq; iudicata nõ facerent, anathemate deuoti sunt, ac sacris interdictũ omnibus locis, quæ in ditione eorũ essent, & ad quæ quispiam eorũ peruenisset. Interim annis aliquot quietæ res fuerunt in Polonia, nisi ℭ Lithuani crebris excursionib⁹ Masouiam quãuis affinitate Ducum sibi cõiunctam depopulati sunt: tametsi non oẽs illæ excursiones prospere eis cesserunt. Nã anno millesimo trecẽtesimo trigesimo septimo cũ direptis Ciechanouia & Pultouia oppidis, cũ copiosa præda incõposito agmine, vt solent, reuerterẽtur, ingruẽtibus ex inopinato Masouiis, cũ trepidi mutuo se in traiectu Naruæ fluminis impellerent & impedirẽt, plurimos de suis partim cæsos, partim impetu & altitudine fluminis absorptos, & prædam omnem amisere.

Decretum cõtra Cruciferos.

Lithuani Masouiam vastarunt.

Lithuani fusi.

Quid interim Casimirus Rex egerit, non constat: credibile tamen est, eũ studia pacis, ad quæ factus erat, coluisse, arces & oppida muniuisse, leges partim nouas condidisse, partim veteres emendasse, iudiciorum rationẽ correxisse: huius enim Regis ea sunt maxime opera in Polonia, quæ certe vno atq; altero anno perfecta non sunt. Cũ vero nullos ex Anna vxore mares liberos susciperet, præter vnã filiam, successorẽ sibi in regno designauit, indictis ad eam rẽ comitiis, Cracouiam ad octauum diem Maij anno Christi millesimo trecẽtesimo trigesimo nono. Vbi re in consultationẽ Senat⁹ posita, quamuis alij Ziemouitũ, alij Ianussium Duces Masouiorũ, alij vero Vladislaum Opolienſem mallẽt, quod oẽs hi è vetusta Regũ Poloniæ prosapia oriundi essent: peruicit tamen Casimirus, vt omnium sententiæ in Carolum Regem Vngarorum sororium suum, & filios eius inclinarẽt, refutatis aliorum, qui dissenserant, sententiis: quod diceret, Silesios quidem defectione ad Bohemos indignos sese eo honore reddidisse: è Masouiis autem nil dignitatis atq; amplitudinis regno accessurum esse, cum ij stipendiarij, socij & vasalli Polonorum sint. In neutris vero satis fore virium ac præsidij contra hostes. Porro Caroli filios Ludouicum & Stephanum præclaræ indolis iuuenes matre Polona ortos, ac tanti Regis filios amplificaturos esse regni maiestatem: nec eis defuturas esse Vngarorum opes, siue ad defendendos, siue ad proferendos fines Poloniæ. Re confecta ex animi sententia, conuentuq; dimisso, mox Vissegradũ in Vngariam ad Carolum se contulit Casimirus cum splendido comitatu. Ibi fœdera inter vicinos duos populos renouata & cõfirmata sunt, & pacta quædam cum Rege ac regiis filiis de sententia totius conuentus Polonici inita. Eodem anno Casimirus vxorem Annam amisit, mulierem lusibus & chorcis supra modum deditam.

Casimirus successorem sibi designat Vngarum.

Fœdera & pacta inter Vngaros & Polonos.

Anna Regina moritur.

Sequentem annum Russia meridionalis subacta, ac in prouinciæ formam redacta insignem facit. Fuerat ea quidem olim in ditione Regum ac Principum Polonorum Boleslaorum maxime armis subiugata: sed cum suos tamẽ Duces indulgẽtia Polonorũ haberet, pedetentim deinde iugum excussit, eo potissimum tẽpore, quo Polonica Respublica multis dominatib⁹ discerpta,

Russia Meridionalis subacta à Casimiro Rege.

mox

mox etiam ciuilibus bellis concussa, ac euersa propemodum, neque spacium, neque vires ad coercendos rebelles Russos habuit. Ad extremum paulo ante, cum mascula progenies Danielis Regis liberorum, quorum summa erat in Russis autoritas ac potentia, defecisset: Lubartus Gedimini Lithuanorũ Ducis filius, cum Vladimirienſium Ducis filiam vxorem duxisset, omni eo tractu Russiæ, qui Lithuanis finitimus est, Russis Ducibus, quorum propter multitudinem ac discordias extenuatæ erant vires, vel deuictis, vel in deditionem acceptis potitus est. Nam cætera Russia, quæ ab Halicia & Leopoli in Poloniam vergit, in Boleslai Masouiorum Ducis ditionem concessit, quod ei Maria matre Russa edito, legitima secundum auunculos successio deberi videretur. Nec tamen hic dominatus diuturnus ei mansit. Offensi enim Russi eius intemperantia, & sororum, vxorum, filiarumque stupris, siue grauioribus exactionibus, siue ob magistratus externis mandatos, seu deniq; propter diuersitatem religionis, veneno eum de medio sustulere.

Boleslaus Masouiæ Dux Russorum.

Boleslaus veneno sublatus.

Quod cum accepisset Casimirus Rex, ratus venisse tempus, quo Russiam maiorum suorum negligentia amissam facile posset in potestatem suam redigere, subitario exercitu de aulico suo procerumque comitatu coadunato stipatus, mense Aprili magnis itineribus in Russiam contendit, Leopolimque caput gentis circumsedit. Nec longum tempus intercessit, cum sese, arcemq; superiorem & inferiorem, atque oppidum Russi dedidere: illud vnum pacti, vt retinere sibi veteres religionis ritus liceret. Ingens vis auri & argenti gemmarum, preciosarum vestium, & reliquæ supellectilis, vetusta Russorum Ducum gaza, in iis arcibus reperta est: in qua insignes erant duæ cruces aureæ plurimis ac preciosis gemmis distinctæ, quarum altera portionem ligni, in quo Christus pependit, inclusam habuit, quæ extat etiamnum in Basilica Cracouiensi: itemque duo diademata cum sella, & veste auro gemmisque rigente. Quam gazam Casimirus reuertens in Poloniam secum asportauit, & arces ipsas, vtpote ligneas, concremauit, ne earum fiducia Russi rebellarent, cum ipsi distrahere in præsidia earum copias suas exiguas non satis tutum sibi esse existimaret. Tantisper autem commoratus Cracouiæ, dum ex omni Polonia indicta expeditione vniuersali copiæ ad certum locum conueniunt, rursus cum iis copiis ad subigendam reliquam Russiam reuertitur, instante iam messe: nulloque negocio Præmislia, Sanoco, Halicia, Treboulia, Lubassouia, Tustano, cæterisque omnibus eius oræ munitionibus potitur, ita vt ad Cremeneciam vsque arma circumferret. Atque his ita gestis Rex cõuentu Russorum habito, in formam prouinciæ Russiam à se subactam redegit, Palatinos, Castellanos, Præfectos, iudices & alios magistratus Polonorum more instituit, Russosque eodem cum Polonis iure esse iussit. Neque deinceps consilio publico ea pars Russiæ à Polonis desciuit. Per hoc tempus Lithuani rursus Masouiam depopulati sunt. Ianislaus vero Archiepiscopus Gnesnensis extrema senectute defunctus successorem accepit Iaroslaum Scotnicium. Nankerus quoque Vratislauiensis Episcopus veneno, vt creditum est, extinctus Prædislaum Pogorzelium successorẽ accepit. Reuersus à Russico bello Casimirus, cum luctum annuum post mortem Heduigis matris expleuisset, vxorem alteram duxit Adelcidam Henrici Ferrei Hessorum Landgrauij filiam cum dote duum millium sexagenarum Pragensium promissa. Quæ cum esset deformior, mox eam despicatui habuit,

Casimiri expeditio in Russiam.

Russi exequati cum Polonis iure & prærogatiuis.

Casimirus ducit alteram vxorem.

buit, & concubinarum illecebris & amoribus captus segregatam à se in Zarnouicensem arcem relegauit, quo maiore licentia libidinibus indulgeret.

Anno sequenti millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, ad funus Caroli Regis cohonestandum, consolandamque sororem in Vngariam profectus, mox ad voluptates & libidines suas rediit: quæ quidem sic animum eius emollierunt ac dementarunt, vt paternorum præceptorum dignitatisq; suæ oblitus iniquas pacis conditiones à Cruciferis acciperet potius, quam erepta ab his bello repeteret. Ad quod quidem gerendum satis virium, præsertim accessione Russiæ habere videbatur. Lite enim cum eis ad extremũ perducta, cum ij diris deuoti, nil tamen autoritate pontificia mouerentur, vt iudicata facerent, facile Casimirus concessit petentibus, vt iure omni, quodcunque ipsi à maioribus suis haberent in Pomerania, Culmensi, & Michalouiensi ditione, sese posterosque suos iureiurando intrepositio, & literarũ monumentis consignatis abdicaret, ac de sigillo etiam, quo diplomata regia signantur, Pomeraniæ nomen eraderet, Cuiauiam ac Dobrinensem ditionem ab eis reciperet. Itaque constituto cum Magistro Cruciferorum congressu Inouladislauię ad vigesimum secundũ diem mensis Iulij comitia quoque suis indixit. Vbi abdicatio illa promulgata, Calissiæ vero non modo Regis, sed etiam Ziemouiti Visnensium, Ziemouiti Cirnensium, ac Boleslai Plocensium Masouiorum Ducum, procerum quorundam Polonorum, & primariarum ciuitatum, nempe Cracouiensis, Posnanensis, Sendomiriensis, Sandecensis, Calissiensis, Vladislauiensis, ac Brestensis diplomatis consignata est. Episcopi neq; vt signarent, neq; vt approbarent, adduci vlla ratione potuere. Annus, quo hac acta sunt, fuit millesimus trecentesimus quadragesimus tertius.

Casimirus R. in Vngariam se recipit ad funus Caroli R. cohonestandum.

Casimiri R. transactio cum Cruciferis.

Tam damnosa pace facta, recuperataque Cuiauiæ ac Dobrini possessione, Casimirus reliquo eiusdem æstatis & autumni tempore, Henrico Saganensium Duci magnis viribus bellum intulit, veritus, ne Ioãnes Boemorum Rex suppetias ei veniret. Causa belli fuit, vt recuperaret Vschouiense seu Fraustadiense territorium, ab Henrico Duce Glogouiensi huius Henrici auo interceptum, & à maiori Polonia auulsum. Vbi ad oppidum ventum est, quassatis aliquot diebus deiectisque muris, captum id est, nequicquam defendentibus Silesiis. Inde progressus Stinauiam cepit ac diruit, agrumque circumiacentem depopulatus est. Inde porro ad Saganum cum duceret exercitum, Henricus Dux supplici legatione ad eum missa, ac deinde in castra ipse cum fratribus suis venire iussus, pacem æquissimis legibus impetrauit, Fraustadiensis tantum territorij iure omni & vendicatione à se abdicata. Ita bellum illud paucis diebus solutum est. Collocauit autem eodem anno Casimirus Rex filiam suam Elisabetham è priore vxore susceptam in matrimonium Boguslao Duci Pomeraniæ, societatemque cum eo & fratribus eius Barnimo ac Varcislao iniit his legibus, vt mutuam sibi opem ferrent contra quosuis hostes, nominatim autem contra Cruciferos, quoties opus esset, cum quadringentis galeatis, eosque intra mensem, ex quo essent admoniti, mitterent, vel ipsi adducerent: ac in sua quidem ditione vtrique auxiliaribus commeatũ & pabulum suppeditarent, in hostico autem sibi quisque prospiceret: munitiones ab hostibus recuperatæ, vt redderentur ei, cui adempræ fuissent. Quæ vero ad neutros prius pertinuissent, captæ inter socios diuiderentur, aut dato alteri dimidio precio, ab altero retinerentur. Hoc tunc primum fœdus

Casimiri R. ex editio in Silesiam.

Pax cum Saganensi Duce Henrico.

Elisabetha filia Casimiri R. Duci Pomeran. elocata.

Fœdus Casimiri R. cũ Ducibus Pomeraniæ.

Pomeranorum Ducum cum Polonis fuit, non minus metu Cruciferorum, quam affinitate conciliatum. Dos autem puellæ fuit viginti millia sexagenarum Pragensium, præter cæteram supellectilem peramplam sane & splendidam. Vicissim autem Boguslaus duum millium sexagenarum prouentus annuos nouæ nuptæ promisit. Nuptiæ Posnaniæ sub finem Februarij sequētis anni magna pompa celebratæ sunt. Quo quidem anno magna vis locustarū ex Vngaria coorta, & mox ingentes Tartarorum copiæ in Russiam & Poloniam inundauere, à Dastone, quem Rex Præmisliæ præfecerat, & Daniele Ostrogio, ac nōnullis aliis Russis res nouas molientibus euocatæ. Nam ij nacti tempus, quo Rex Casimirus longissime aberat, Cruciferorum colloquiis, Silesiaco bello, & filiæ nuptiis occupat', missis clam legatis, admonuere Tartarorum Principem, ne tributariam sibi Russiam à Polonis occupari pateretur: non defuturam ipsi fidem suam. Habebāt autem ij inuisum Polonorum imperium, eum quod non libenter fere externis parent homines, tum quod sectæ ritibusq; suis, ne callide sensim abolerentur, metuebant. Videbāt enim multos de suis ad Romanam ecclesiam se transferre, pluresq; indies honoribus & aliis præmiis à Rege ostentatis inuitari. Ab his igitur exciti Tartari & adiuti, obiter transcursa Russia, in Poloniam magna vi contendunt. De quorum aduentu cum tempori Casimirus à suis è Russia certior factus esset, coacto celeriter exercitu, in Sendomirienſem tractum obuiam eis profectus, positis in ripa Vistulæ statiuis, transitu fluminis arcere eos satis habuit, nō ausus cum longe maioribus copiis manus conserere. Eminus modo hinc balistis, illinc arcubus velitatum est: in qua velitatione Albertus Palatinus Sendomirienſis sagitta ictus cecidit. Tartari vero frustra tentato multis in locis transitu Vistulæ magno cum tumultu populabūdi, & ferro atq; igni obuia quæq; vastantes, per Lublinenſem tractum retro abiere, nec arcem Lublinenſem aliquot diebus oppugnatam expugnare potuere.

Tartarorū excursio in Poloniam & Russiam.

Insequenti anno millesimo trecentesimo quadragesimo quinto intulit Ioannes Boemorum Rex bellum Poloniæ Saganenſi, vt videtur, bello prouocatus, ac tanto quidem ardore animi, vt quamuis senio laboribusq; confectus esset, ac alterum quoq; oculum iam amisisset, tum deniq; se libenter moriturum affirmaret, cū Cracouiæ muros manu victrice palpasset: sed fortuna votis suis non respōdente turpiter à Polonis fusus, & in fugam actus est. Palma rei bene gestæ Prēdotæ Galcæ Odrouanzo data: itaq; magnis præmiis & militari baltheo à Casimiro is ornatus est. Ioannes ipse Rex paulo post in bello Anglico in Gallia interfectus occubuit. Annus, quo hęc acta sunt, fuit post Christum natum millesimus trecentesimus quadragesimus quintus. Nil postea memorabile in Polonia gestum esse proditur, præter leges in comitiis Visliciensibus scriptas: quibus Palatinorum & iudicum infinita potestas certis cancellis coercita est, vt non ex moribus aut libidine sua, sed è scripto iure deinceps iudicarent. Certæ enim mercedes eis, & aliis ministris iudiciorum constitutæ sunt, vt ne quid præterea à litigantibus exigeretur, mulctæque, quas iudices arbitratu suo dicebant & exigebant, definitæ. Adhæc sublatus mos barbarus iurisiurandi cōceptis verbis dandi, in quo si quis verbo lapsus esset, atque adeo si titubasset, causa quantumuis iusta cadebat. Anno millesimo trecētesimo quadragesimo sexto Casimirus nouum oppidum Cracouiæ iunctum condidit, & de suo nomine Casimiriam appellauit, cum antea Bauolus pagus diceretur.

Ioannes Rex Bohem. bellum facit Polonis.

Leges Casimiri Regis.

Iurisiurandi mos barbarus sublatus.

Anno

Anno deinde millesimo trecentesimo quadragesimo nono fecit Casimirus Rex expeditionem in Russiam, vt eam quoque partem eius, quam Lubartus & Keistutus vsurpabant, regno suo adiiceret: magnaq; felicitate vsus, vna æstate expugnatis arcibus, Lusco, Vladimiria, Bresta, & Chelma, ac cæteris in deditionē acceptis, Volyniam oēm, Belsensemq; ac Brestēsem tractū in suam potestatē redegit: Russos Duces deditionē facientes retinere sua iussit, primariis modo munitionib' Polonos præfecit. Et quo certior quietiorque ipsi esset Russiæ possessio, cū Ludouico Rege Vngarorū assentiente etiā Stephano fratre Ludouici trāsegit, ac cōtra Cruciferos societatē iniit: atque eundē Ludouicum certum sibi successorē in Polonia designauit, si ipse sine masculis liberis decederet. Misit autē tunc Ludouicus Rex matrem suam in Poloniam, vt suo nomine iusiurandū à Polonis exigeret. Reuersus autem ex Russia Casimirus, & secundis rebus laudibusq; hominū insolescens, de libidinibus nihil omnino remisit, sed palam concubinas Opoczni atq; Cressouiæ alebat: & cū à Bozēta Episcopo Cracouiensi, qui nō adeo pridē Petro Falconio ante annū Auinione mortuo successerat, officij sui admoneret, non modo nō resipuit, sed etiam ipsi subiectos homines in territorio Sendomirienſi per Ottonē Pilecium Palatinū ac Præfectum Sēdomirienſem eius loci indebitis tributis atq; laboribus vexauit. Porro cū de his reb' Episcopi Poloni Pōtifici summo indicassent, isq; moneri eum suo nomine vellet: Martinus cognomēto Bariczkæ vnus de vicariis Basilicæ Cracouiensis, qui solus id facere ausus est, in profluentē Vistulæ demergi ab eo iussus est: verum non diu scelus id diuina maiestas inultū esse siuit: Nā & Rex diris deuotus est ab Episcopo, & pestis acerba, quæ epidemia Græcis dicitur, duobus illis annis Poloniam omnem peruasit, tanta vi grassata, vt pagos atq; oppida hominibus vacua redderet. Increbuere tūc per vniuersum fere Christianū orbem greges virorum pariter ac mulierū, nudis vmbilico tenus corporibus obambulantium, & flagellantium sese, diuinamq; clemētiam miserabilibus vocibus implorātium, vexillis præeuntibus. Itaq; in Poloniam quoque tunc venere ex Vngaria: sed cū ea religio siue superstitio à flagitiis ac prauis dogmatibus non penitus immunis esse deprehenderetur, pœnis coercita & extincta est. Neq; tamen hic tunc malorum finis Poloniæ fuit. Quin vbi pestis conquieuit, Lithuani ob ereptam Russiam irritati, crebris excursionibus Sendomirienſem tractū pene omnem vastarunt, & Russiæ eam partem, quam dudum Lubarto Casimirus eripuerat, Russis fidem mutantibus, ac præsidia Polonorum eiicientibus, in potestatem suam redegerunt. Vladimiria, Bolzo, Chelma & Bresta, quam arcem Casimirus cocto latere munierat, per deditionem potiti. Inde ad Leopolim excurrētes, cum vtramq; arcem nouis muris ac præsidio Polonorum munitam esse cognouissent, non tentata oppugnatione, circumiacentem oram omnem ferro & igni fœde vastarunt.

Expeditio Casimiri R. in Russiam.

Casimiri R. cum Ludouico Rege Vng. de Russia trāsactio.

Ludouicus Rex Polon. designatus.

Lithuani Sendomirienſem orā populantur.

Russi à Polonis deficiunt ad Lithuanos.

His tot tantisq; detrimentis excitus tandem Casimirus anno Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo primo comparatis magnis copiis vna cum Ludouico Vngarorum Rege in Russiam rursus expeditionem fecit, viisque leui prælio Lithuanis, ac Duce eorum Lubarto capto, arcem tractūque omnem Vladimirienſem recepit, exercitumque dimisit hyeme appetēte. Infestarunt deinde iidē Lithuani Sendomirienſem orā vsque ad Zauichostū: nec deerāt de Polonis, qui se barbaris duces ad vastandā patriam præbērēt, inter quos insignes erant Petrus Psonca, & Otto Scecarouicius, qui loco-

Bellum Russicum.

Lithuani Sendomirienſem oram infestarūt.

rum & rerum periti clam excursiones Lithuanorum dirigebant, & Polonorum consilia ipsis prodebant, ac sicubi cauendæ essent insidiæ, prænonebãt. Forte autem accidit, vt Petrus à barbaris in interiorem Poloniam excurrere destinantibus ad exploranda vada Vistulæ præmitteretur: inuentum vadum infixis in alueo fluuij prælongis stipitibus notauit, & cum renunciasset Lithuanis, rediit. Paulo post cum piscatores ad eum locum nauiculis aduecti animaduertissent, id quod erat, suspicati, euulsos stipites non longe in profundiori ac vorticoso flumine infixerunt. Nocte intempesta Lithuani, quo facilius Polonos fallerent, & incautos trans flumen opprimerent, ad Vistulam venientes, secundum signa monstrante Petro traiicere incipiunt, & non pauci, qui in flumen primi se præcipitarant, eius altitudine & vorticibus absorpti vna cum equis perierunt. Id vbi duces animaduertere, dolum subesse rati, Petrum vti proditorem in ripa capite plexerunt: maioresque insidias veriti, interdiu latitantes nocturnis itineribus recesserunt. Tartari quoque per idem tempus ab Olgerdo euocati Russiam inferiorem, quæ Podolia dicitur, quæ & ipsa in Casimiri Regis ditione iam erat, depopulati sunt. His tot ac tantis calamitatibus admonitus Casimirus, tandem admissum in sacerdote necando scelus lachrymis & austeriore vita expiare instituit, missoque Albrico Cancellario Dobrinensi absolutus à Clemente sexto Pontifice maximo, & societati Ecclesiasticæ reconciliatus est. Simul autem impetrauit vt sibi decima decimarum ab vniuerso ordine ecclesiastico totius Poloniæ quadriennio in subsidium aduersus barbaros Lithuanos ac Tartaros conferretur. Restituit autem tũc Casimirus ecclesiæ Cracouiensi immunitatẽ ademptam, cũ quæ ad adscriptitios eius & agrestes pertinebat, tũ quæ ad cõuectionem & venditionẽ decimarum, rapinasque coercẽdas: adhæc possessiones & prædia Radlouensia, Vssuensia, cæteraque in regione submontana, quæ per vim occuparat, Episcopo reddidit. Condidit etiam complura templa, Sendomiriense, Visliciense, Sidlouiense, Stobnicense, Zagoscense, & Gargouiense. Extat in archiuo regio cõspiratio siue confœderatio Nobilitatis maioris Poloniæ contra quemlibet hominem, excepto Rege, anno Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo facta & conscripta, atque vno & viginti signis consignata, à qua excluduntur furti & latrocinij publici rei. Vnde autem nata sit, & quid sibi voluerit, quoue pertinuerit ea conspiratio, non liquet, nisi quod iniuriis forte & asperitate præfecti regij expressa esse videri potest. Inde quietæ res domi forisque complures annos fuere. Cæterum Prussiam Lithuani crebris excursionibus infestarunt. Per quod tempus Polonia pacis artibus magna cura studioque Regis efflоruit, ac non exigua ciuilitatis & elegantiæ incrementa accepit. Anno Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, cum Martius, Aprilis, & Maius vltra medium verno ac pene æstiuo calore ad calamos & aristas segetes perduxissent, coorto derepente acri frigore & gelu, nix duos cubitos alta terram operuit, & in sextum vsque diem durauit. Qua soluta postea, cum corruptas esse segetes omnes existimarent, tanta præter spem vbertas frugum, quanta vix vnquam alias fuit.

Tartari Podoliam populantur.

Templa à Casimiro condita.

Cõfœderatio Nobilitatis maioris Poloniæ.

Nix & gelu post medium Maium.

Anno domini millesimo trecẽtesimo quinquagesimo quinto missi ad Lodouicum Regem Vngarorum legati nomine totius Poloniæ, retulerunt diploma eius, quo is recipit, nunquam se, neque posteros suos vllum tributũ, aut exactionẽm vlli ordini Polonorum, neque sacro, neque equestri imperatu-

Ludouici Regis Vngariæ gium Polonis datum.

raturos, neque iter facientes oneri cuiquam omnino futuros. Præterea damna ac detrimẽta in expeditionibus, quæ fiunt vltra fines regni, accepta militantibus exoluturos. Hæc sunt, quæ ordini Nobilium Rex Ludouicus ante regnum initum concessit. Accessit eodem anno Masouia ad societatem cæteræ Poloniæ, Ziemouito Duce iis pactis in regni Regisque potestatem se submittente, vt totius quidem Masouiæ dominatum ipse obtineret, verum non hæreditario iure, sed regia munificentia, & in feudum se eum habere, Regisque maiestatem se cum posteris suis comiter conseruaturum, & contra quosuis hostes barbaros iuxta ac Christianos auxilio Polonis semper affuturum, neque cum vllo fœdus vllum inconsulto Rege sanciturum, solenni ritu ac iureiurando profiteretur. Acta sunt hæc Califfij ad sextũ Calendas Ianuarij anno Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto. His autem peractis, Casimirus cum Poloniam ac Russiam partim bellis superioribus & excursionibus barbarorum, partim pestilentia exinanitam, minus cultam, minusque populosam esse cerneret, Teutonici generis hominibus siue accitis, siue vltro venientibus agros attribuit, quorum non exiguæ reliquiæ in submontana & Vngaris finitima regione, & Russia in hodiernum vsque diem manent, eorumque cura & opera Polonia frequentari, & cultior esse pagis & oppidis cœpit. Sunt enim frugaliores ac diligentiores in re paranda ac tuenda, quam Poloni, & lautius habitant. Fuit in eos, & in cæteros oppidanos & agrestes propẽsior ac indulgentior Casimirus: nec eos grauioribus laboribus, vel exactionibus aut vllis iniuriis præfectorum suorum, siue adeo Procerũ ac Nobilitatis premi passus est, animaduertendo in eos, qui aliquid eiusmodi ausi essent, ita vt vulgo rusticorum siue plebeiorũ Rex vocaretur. Non solum autem Germanos iure suo Saxonico siue Magdeburgẽsi vti permisit, sed suis quoq; Polonis Nobilitate excepta id indulsit.

Masouia Poloniæ redintegrata.

Masouij in Regis Polon. clientela.

Germani incolæ Poloniæ.

Casimirus Rex Plebeiorum vocatus.

Quoniam vero ab iis iudiciis ad Magdeburgense tribunal prouocabatur, non sine quadam ignominia Polonorum, & magno sumptu ac dispendio litigantium, sustulit eam prouocationem Casimirus, & in arce Cracouiensi supremum ac prouinciale iudicium Teutonicum cõstituit, ad quod prouocationes omnes ab inferioribus iudicibus ex tota Polonia minore fierent. Cui quidem iudicio præsidet peritus eius iuris aduocatus cum septem scabinis, (Sic enim appellari cum quæsitorem cum iudicibus vsitatum est) quos magnus procurator arcis legit de certis oppidis & pagis. Ab eo quoque iudicio ad Regem prouocatio est. Sunt autem eæ ciuitates, Cracouia, Sandecia, Bochna, Velicia, Casimiria & Ilcussum. Habent autem supra memorati iudices septem cum quęsitore suo ab eodem Casimiro immunitatem omnium onerum atque exactionum regiarum, neque iudicari à quoquam nisi à Rege, aut peculiariter delegatis ab eo iudicibus possunt. Ita tunc Casimirus populosiorem cultioremque externis colonis Poloniam reddidit, & ne ij cum indignitate sua ac totius Reipublicæ ius aliunde petere necesse haberẽt, prouidit. Coercuit etiam succrescentia rursus latrocinia, Matthiæ Borcouicij Palatini Posnanensis supplicio. Is enim cum prædones clam receptaret, quos punire debuit, consuetudine turpis lucri captus, ducem se ipsis deinde præbuit. Quæ res cum ad Regem crebris querimoniis hominum perferretur, nec ille tamen, quamuis admonitus, ab incœpto desisteret, captus est Califfiæ, cum eo forte ad Regem venisset, & in Olstinensem arcem deportatus, in tetro & obscuro carcere inedia vitam finiuit. Cuius mortẽ cum Ioan-

Iudicij Teutonici supremi institutio Cracouiæ.

nes frater vlciſci velle diceretur, iuſſu Regis interfectus eſt. Bona eorũ cõfiſcata. Filius vero Mathiæ profugus, cum ex Marchia Brandeburgẽſi in Polonos mercatores & equites poſtea graſſaretur, quodam tempore in oppido Roſrazouo ab agreſtibus trucidatus pœnas dedit. Fuere, vt habet Dlugoſſus, qui exiſtimarent, cauſam tam dirę mortis Palatino fuiſſe, quod de ſtupro Reginę inſimulatus eſſet: ſed quænam Regina ea fuerit, non memorat Dlugoſſus. Secunda quidem Adleida ſiue Heduigis, cum quindecim annis in Zarnouecio caſtello quaſi relegata vixiſſet, ad extremum biennio ante hanc Palatini necem à patre nemine prohibente domum reducta eſt, & paulo poſt è viuis exceſſit. Nec diu cunctatus Caſimirus, tertiam duxit vxorem, Heduigin Henrici Glogouienſis Ducis filiam, poſt cuius nuptias anno ſequenti milleſimo trecẽteſimo quinquageſimo octauo ſupplicium illud de Palatino Poſnanienſi eſſe ſumptum Dlugoſſus tradit.

Regina Heduigis moritur.

Caſimirus tertiam vxorem ducit.

Inſequenti anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo nono controuerſiæ quædam de iure decimarum, de iurisdictione eccleſiaſticorum iudicum, de viſitationibus & exactionibus Archidiaconorum, Præpoſitorum, & Paroecorum, de nouis paroeciis inſtituendis, de moderatione immunitatis clericorum, ac de ſemeſtribus vacantium paroeciarum reditibus, qui iam inde à Nankero Epiſcopo in inſtaurationem Baſilicæ Cracouienſis vſurpabãtur, inter Bozentam Epiſcopum Cracouienſem, & Nobilitatem Cracouienſis ac Sendomirienſis conuentus exortæ, interueniente Rege & Iaroslao cognomento Bogoria Gneſnenſi Archiepiſcopo ſublatæ ſunt: & Lublinenſis, Lucouienſis, & Secechouienſis territorij homines propter vaſtitatẽ ex Tartarorum ac Lithuanorũ crebris incurſionibus immunitate decimarũ ſpacio triginta annorum donatæ. Statimq; illis ipſis diebus Caſimirus ignominioſam fecit expeditionem in Valachiam huiuſmodi de cauſa. Mortuo Stephano Voiewoda ſiue Palatino Valachorum, duo filij eius Stephanus ac Petrus de principatu contendebant. Petro quamuis natu minori, tamen propter liberalem indolem ac morum ſuauitatem plures fauebant. Et acceperat is etiam ab Vngaris auxilia: itaque nullo negocio dominatum occupauit. Excluſus dominatu Stephanus, ſimul & inſidias fratris metuens, in Poloniam cum nõnullis ſuæ factionis Valachis, ad Caſimirũ Regem profugit: & cũ ſe in poteſtate & clientela eius fore policeretur, facile ab eo impetrauit, vt ſe ad paternũ dominatum vi & armis reduceret. Itaq; Caſimirus conſcriptum è minore Polonia ac Ruſſia exercitum non contemnendum initio menſis Iulij in Valachiam cum legatis & Stephano miſit. Nec male Polonis ea ſuccedebat expeditio principio: in velitationibus enim & particularibus certaminibus fere ſuperiores euadebant. Petrus vbi ſe imparem eſſe animaduertit eorum viribus, ad dolum ſe conuertit: & quo facilius incautos falleret, clam per internuncios cum exulibus redit in gratiam. Superanda erat Polonis interiorem Valachiam ingreſſuris ſylua denſa & impedita, quæ Ploniny à ſolli ſterilitate vocatur. Eam Petrus cum ſuis inſedit, & qua Poloni iter facturi erant, arbores ſuccidit, ita vt truncis tamen vtcunque hærerent. Vbi Poloni indaginem illam ingreſſi ſunt, ibi coorti ex inſidiis Valachi arbores ſucciſas vi impellunt, ab extremis orſis, ita vt cæteri mutuo ſeſe impellerent. Qua ruina Poloni ſic obruti ſunt, vt, qui obtriti & extincti non ſunt, viui tamen fere, debilitatis ac colliſis membris in hoſtium poteſtatem venirent. Pauci de extremo agmine ſalui euaſere. Capta ſunt in eo conflictu

Expeditio Valachica eiuſque cauſa.

Poloni à Valachis trucidati.

ſtructu tria vexilla magna, Cracouienſium, Sendomirienſium, ac Leopolienſium: ſigna minora militaria ſeu gentilitia nouem, Topororum, Leliuiorum, Liſſorum, Rauiorum, Gryphiorum, Srenauiorum, Habdanoorum, Polucoſarum, & Stremeniorum. Caſimirus clade hac ad ſe perlata mœſtus, ac de proditione exulum queſtus, de redimendis captiuis ad hoſtem miſit, & facile impetrauit. Cladem Valachicam alia non minor domeſtica poſt vnum annum conſecuta eſt peſtilentia: quæ cum late per Poloniam ſex menſibus ſerperet, in oppidis atque pagis dimidiam ferme partem hominum abſumpſit. Cracouiæ quidem viginti millia mortuorum cenſa ſunt: magis tamen ea in locupletes ac nobiles, quam in vulgus graſſata eſt. Cruciferi vero ope Ludouici Marchionis Brandeburgenſis Lithuaniam tribus excurſionibus vehementer tunc afflixerunt, Keiſtutumque Ducem Gedimini filium ceperunt. Sed is commutatione captiuorum liberatus eſt, nec multo poſt iterum ac tertium captus, cuſtodias fruſtratus euaſit.

Lithuania à Cruciferis vaſtata.

Anno ſequenti, qui fuit milleſimus trecenteſimus ſexageſimus primus, Caſimirus Rex miſſis Auinionem ad Vrbanum Pontificem maximum oratoribus, impetrauit, vt in Ruſſia cathedra metropolitica Leopoli erigeretur, primuſque Criſtinus homo equeſtris ordinis à Gneſnenſi Archiepiſcopo præſente Rege conſecratus eſt. Præterea repullulans rurſus inter Epiſcopum Cracouienſem & Regem, ſacrumque & ciuilem ordinem controuerſia de iure decimarum & interdictorum, eodem anno arbitrio Iaroslai Archiepiſcopi Gneſnenſis, qui tunc forte Cracouienſem diœceſin viſitabat, ex compromiſſo ſedata eſt.

Inſequens annus milleſimus trecenteſimus ſexageſimus ſecundus annonæ penuria & fame apud Polonos & vicinos populos inſignis eſt: quæ tamen Regis beneficentia ac ſolertia non ſine magno Reipublicæ fructu mitigata eſt. Erat enim in prædiis regiis atque horreis ingens vis frumenti è ſuperiorum annorum vbertate reliqua: idque frumentum Rex externis quidem ac ditioribus ſuis iuſto precio vendi iuſſit: plebs vero egena partim commutatione rerum frumentum accipiebat, partim opus faciendo merebat. Quo quidem tempore complures arces & oppida muris, vallis, ac foſſis munita ſunt: piſcinæ, aggeres, & aquæductus multis in locis facti. Redegit autem & pecuniam non modicam Caſimirus è frumento vendito: quæ ſplendori eius anno ſequenti non minimum ſuffragata eſt in nuptiis neptis, filiæ Boguslai Ducis Pomeraniæ, quam Carolus quartus Imperator vxorem duxit, Ioanne quodam Franciſcano id procurante, qui ab Vrbano Pontifice ad componendas inter Carolum Imperatorem & Ludouicum Vngariæ Regem generum Caroli inimicitias, atq; adeo maximum iam vtrinq; oriens bellũ ſopiendum miſſus fuerat. Et iam Ludouicus Caſimirum, cum Ruſſorum ac Tartarorum auxiliis, & per eum Valdemarum Danorum Regem Boguslai propinquum in ſocietatem belli pertraxerat: Carolus vero Bohemiam, Morauiam, & Germaniam omnem ad arma concitabat. Sed Ioannis Franciſcani prudentia, qui impigre iam ad Carolum, iam ad Ludouicum & Caſimirum recurrebat, non modo pacem inter inimicos Reges, verum etiam affinitatem confecit. Nuptiis igitur dictus locus Cracouiæ ad liberalia, quod carniſpriuium vulgo vocãt: quo cõuenere inuitati à Caſimiro Reges, Ludouicus Vngarorũ, Valdemarus Gothorum ſiue Danorũ, & Petrus Cypriorũ, Ponto

Fames in Polonia.

Munitio arcium & oppidorum.

Inimicitiæ inter Carolum Imp. & Ludouicũ R. Vng.

Pax & affinitas inter Reges.

Regum & Principum Cracouiæ conuentus ad nuptias Caſimiri neptis Elisabetha.

Pōto & aduerſo Iſtro in Valachiam, & inde terreſtri itinere per Ruſſiam Cracouiam aduectus: Duces præterea, Otto Bauarorum, Ziemouitus Maſouiorum, Boleslaus Suidnicenſium, Vladislaus Oppolienſium, & Boguslaus cũ filia ſponſa. Ad extremum venit Carolus cum ſplendido comitatu: eique venienti omnes principes ac Reges cum Caſimiro Cracouia ad vnum miliare obuiam profecti, & non modicum ſpacium pedibus progreſſi, quod idem facere Imperatorem cognouerant, amice inter ſe conſalutarunt. Cum autem vrbi appropinquaret Carolus Imperator, ſponſam cum patre & magna puellarum ac matronarum caterua obuiam habuit: deductuſq; cum ingenti pompa Cracouiam in arce, Caſimiro petente, diuertit: cæteris in vrbe hoſpitia diſtributa. Omnes autem hi principes aduenientes in extremis Poloniæ finibus Caſimiri iuſſu comiter & perhumane accepti ac deducti, liberaliter & magnifice habiti ſunt, durantibus vſque in viceſimum diem nuptiis & conuiuiis. Et cum abunde omnia ad nutum ſuppeditarentur hoſpitibus regiorum procuratorum ac diſpenſatorum prouidentia, tamen ne quid magnificentiæ deſideraretur, magna dolia in foro vrbis collocata ſunt, alia vini, alia auenæ plena, vnde ſumerent, quantum quiſque vellet. Præerat autem procuratoribus Verincus Germanus, conſul Cracouienſis, quem Rex Caſimirus propter ſingularem induſtriam ac dexteritatem in rebus agendis theſauro ſuo præfecerat. Is cum eſſet ditiſſimus, non habuit ſatis nuptias illas regio nomine quam ſplendidiſſime adminiſtrare, ſed vt ſua quoque magnificentia Poloniæ ſplendorem adderet, Imperatori, Regibus, Ducibus & proceribus eorum domi ſuæ cõuiuium magnifico apparatu dedit, & ampla munera omnibus largitus eſt, inprimis autem Regi ſuo Caſimiro, ita vt, quæ ei donauit, plus centum millibus florenorum æſtimata eſſe dicantur.

Nuptiarũ apparatus.

Nuptiis rite peractis, & fœdere ſempiterno inter Reges icto, & miſſis inter ſe vltro citroque ampliſſimis muneribus, domos quiſque ſuas diuerſi diſceſſerunt, ad fines vſque regni à Polonis proceribus deducti. Dedit autem Caſimirus ſororis filiæ in dotem centum millia florenorum. Quoniam autem habebat Caſimirus vxorem, & ex ea iam filiam vnam atque alteram ſuſceperat, remiſit ei Ludouicus ius ſuccedendi, ea conditione, ſi quem is poſt ſe filium relinqueret. Infeſtata eſt deinde hoc ipſo anno peſte populari Polonia. Sequentis vero anni hyems tam fuit aſpera & niuoſa, vt feras quoque beſtias in ſyluis ac volueres extingueret. Adiecit deinde Caſimirus animum ad recuperandam eam partem Ruſſiæ, quam ante tredecim aut quatuordecim annos defectione Ruſſorum magis quam vi Lithuanorum amiſerat: indictaque toti Poloniæ expeditione, cũ magnis copiis aduerſus Ruſſos ac Lithuanos profectus eſt. Cum autem Belſenſium fines primum attigiſſet, venit ad eum Georgius Dux eius oræ, & placato Rege imperata facere policitus impetrauit, vt ditionem illam ſuam retineret. Itaque ibi nil hoſtile fecere Poloni. Quin & Chelmenſem ditionem cum Chelma arce de Lithuanis captam Caſimirus ei adiecit: nam Lubarto petenti veniam dare noluit. In Volyniam deinde exercitum promouit, & cum nemo pugnandi copiam faceret, Luſcũ, Vladimiriam, & Oleſcum arces vi in deditionem ſuam redegit, cæteras per deditionem accepit. Atque ita Lubarto eiecto oram illam omnem ſubactam ac tributariam factam Alexandro Duci Gedimini nepoti addixit: & quo facilius eum in fide atque officio contineret, Luſcum & Vladimiriam ipſe retinuit, præſidiaque iis arcibus impoſuit. Et Alexander quidem in Caſimiri fide

Hyems aſpera & niuoſa.

fide perſtitit: Georgius vero ambigua fide aliquoties poſtea rebellionem tẽtauit. Porro Lithuani nunquam deinde, quoad vixit Caſimirus, neque Ruſſiam, neque Poloniam infeſtarunt, eo quod ſatis negocij habebãt cum Cruciferis, & quod præſidia contra eos opportunis locis Rex collocarat: Maſouiam ſemel Duce Keiſtuto impune depopulati ſunt, ad Pultouiam vſq; prouecti. Quo oppido direpto incenſoque, quippe quod munitum non eſſet, arx quoque cum plurimis mortalibus, qui in eam ſe cum facultatibus ſuis receperant, conflagrauit, barbaris materiam incendio ſubiicientibus.

Maſouia à Lithuanis vexatur.

Neque memorabile vllum Caſimiri Regis factum poſt ſubactam Ruſſiam quatuor illis annis, quibus poſtea vixit, memoratur, niſi quod cũ Petro Lubuſſenſi Epiſcopo, quem bonis quibuſdam ſpoliarat, tranſegit, ea lege, vt Epiſcopus Lubuſſenſis, quæ antiquitus intra fines regni Polonici iam inde à tempore Hẽrici Barbati Ducis habebat, retineret, Regem autem dominum ac patronum ſuum agnoſceret: item quod idem Rex magna parte Poloniæ peragrata in Pruſſiam ſe contulit cum pacato comitatu, videndi Mariæburgi, aliarumque arcium & oppidorum gratia, quæ Cruciferi frequentia, permunita, ac bene conſtituta habuere, vt ad eorum exemplum Poloniam etiam magis cultam redderet. Vbi perhumane ac honorifice à Cruciferis, quocunq; adiit, acceptus eſt. Quin & inimicitias cum Carolo Imperatore ſuſcepit, idque ſiue ſua ſponte & aliqua iniuria prouocatus, ſiue Ludouici Regis Vngarorum gratia: qui hoc ipſo tempore Carolo bellum indixiſſe, ac Moraſiam infeſtaſſe memoratur. Nec illud ſilentio prætereundum eſt, quod per hoc tempus metalla Bythonuenſia plumbi cum argento intermixto feracia euanuerunt, poſt interfectos crudeliter ab oppidanis publico conſilio duos ſacerdotes. Sub hoc ipſum tempus Boleslaus Dux Suidnicenſium & Iauorenſium mortuus, Carolum Imperatorem, & Regem Bohemorum affinem ſuum ex pacto hæredem reliquit. Ita tunc Sileſiæ quod reliquum fuerat, Bohemiæ regno adiectum eſt.

Rex in Pruſſiam proficiſcitur.

Caſimiri R. fœdus cum Ludouico contra Imp. Carolum.

Porro anno Chriſti milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo, cum hyemem Cracouiæ Caſimirus exegiſſet, vere appropinquante in maiorem Poloniam profectus, per æſtatem ibi commoratus eſt. Deinde autumno inde diſcedens in Sendomirienſi tractu, & in Ruſſia venationibus hybernum tempus dare decreuerat: iamque Prædboriam peruenerat, cum eum grauis caſus afflixit. Forte enim ad ſextum idus Septembris venatum in proximas ſyluas fruſtra diſſuadentibus nonnullis profectus erat: vbi cum cupidius ceruum fugientem impedito loco, & inter vepres perſequitur, labente magno cum impetu equo, quo vehebatur, vehementer homo ſenex & carnoſus conquaſſatus eſt, ita vt febre exagitaretur. Relatus autem Prædboriam, & cito Medicorum ope releuatus, Sendomiriam contendit. Vbi cum ſpretis Medicorum præſcriptis intemperantius viueret, & pyris, maliſque, ac cæteris fructibus, quos locus ille producit eximios, ſeſe ingurgitaret, balneiſque nimium vteretur, in febrim recidit. Neque tamen tam acris ea fuit, quin rheda vehi poſſet, Medicis Cracouiam proficiſci ſuadentibus, quod ibi faciliorem eſſe medicationem dicerent. Itaque Sendomiria Chrobranos profectus, cum ex agitatione itineris grauiore æſtu vrgeretur, frigidam præter medicorum ſententiam bibit, atque inde maiores flammas concepit. Quibus Medicorum arte mitigatis, lectica in Copriunicenſe monaſterium delatus ſuccollantibus aulicis, octo dies ibi quieuit: releuatuſque aliquantulum, iter inſtitutum proſecutus

Caſus Caſimiri.

125

est. Offieci autē cum alterius de medicis Matthæi permissu mulsam bibisset, rursum deterius habere cœpit: sed tamen Corcinum, atque inde post aliquot dies pridie Calendas Nouembris Cracouiam delatus languebat magis. Quærit deinde ex medicis, num iam Cracouiam peruenissent, tacite eos admonēs promissorum, quibus ei Cracouiæ certam quodammodo sanitatē erant policiti. Deinde eos rogat, vt vere ac libere sibi dicerent, an de vita sua desperarent; Sed iis, vt fit, bonam spem ostentantibus, nihilominus cum destitui se viribus animaduerteret, accito Episcopo Cracouiensi Floriano, ac Vladislao Duce Opoliensi sororis suæ nepote, quem Ludouicus Rex Vngarorum illis ipsis diebus ad visendum eum miserat, itemque nonnullis aliis de cœtu sacro basilicæ Cracouiensis, adhęc & aulicis ministris suis, in Christiana religione vti Christianum decet, mori se professus est, testamentumque condidit, quo multa multis cum satellitibus, tum nothis filiis suis, plurima Casimiro Pomeranorum Duci largitus est: quædam etiam Gnesnensi & Posnaniensi Basilicis: Cracouiensi vero crucem illam insignem, quam Leopoli deportarat, cum inclusa portione ligni crucis Christi. Duabus vero filiabus è tertia vxore susceptis, stragulam vestem omnem, ac dimidium aureæ, argenteæ, & gemmeæ supellectilis: reliquum autem eiusdem supellectilis matri earum vxori suæ legauit. His rite peractis, sacris mysteriis de more procuratus nonis Nouembris vitā cum morte commutauit, ac tertia die post in Basilica Cracouiensi ad dextram aræ maximæ honorifice sepultus est, vbi extat eius adhuc monumentum cum imagine sculpta in marmore.

Casimiri Regis mors.

Regnauit autem Casimirus annos triginta septem, vixit sexaginta: pacis quam belli artibus & operibus clarior: vnde etiam Magni cognomētum solus hic inter Polonos principes, non tam virtute bellica ex victoriis meruisse videtur, quam operibus magnificis, & plurimarum arcium & oppidorum munitione, & quod omnium summorum pariter & infimorum hominum erga se beneuolentiam iisdem, quibus collegerat, virtutibus, hoc est, iustitia, facilitate, humanitate, elegantia, & clementia ad extremum retinuit. Etenim ad gloriam quidem plus valent bellicæ virtutes, præsens vero hominū beneuolētia lenioribus his virtutibus facilius cōparatur. Magis illas fere homines admirantur, sed has gratiore memoria prosequuntur. Tametsi bellicæ quoque gloriæ non expers fuit cum alibi, tum in Russia maxime, quam à maioribus suis amissam maiore fœlicitate, quam sudore recuperauit. Quidam à corporis habitu & statura Magni cognomen ei datum esse volunt. Hic inextricabiles iudiciorū laqueos resecuit: leges barbaras & iniquas, quoad tunc potuit, vel sustulit, vel correxit: adeuntibus facilis & comis: querimonias etiam infimorum benigne ac patienter audiuit: tenuiores à potentiorum vi & iniuria vindicauit, sic vt æquior plebi, quam Nobilitati esse videretur: captos ab hostibus suos promiscue redemit: ne cuiquam oneri esset, cauit: seueritate non nisi necessario vsus est: Poloniam superiorum temporum bellis & aliis calamitatibus vastam & infrequentem populosiorem reddidit, & ad melior ē cultum redegit; maxime indulgentia in agrestes, ac Germanorum coloniis deducendis. Arcium vero & oppidorum in Polonia plerorumque omnium munitiones, ac templa lateritia, eius sunt opera, & monasteria itidem aliqua: quibus omnibus amplam & luculentam supellectilem ad cultum diuinum accommodatam attribuit. In summa, publica Regis huius acta & opera pleraque omnia laude digna sunt, ac eo quidem magis, quod dissimilem habuit

Casimiri Regis virtutes & facta insignia.

successorem. Cæterum domestica vita impurior fuit, in cibo potuque intēperans: in libidines vero ita proiectus, vt præter greges cōcubinarum Bohemam quandam Rochiczanam captus eius pulchritudine, in loco iustę vxoris haberet, promissa ei conceptis verbis (cum aliter potiri ea non posset) fide matrimonij, interueniente Abbate Tinecensi thyara ornato, quem mulier Episcopum Cracouiensem esse credidit. Sed eam deinde, cum caluam & scabiosam esse comperisset, eiecit, & Iudęæ cuiusdam Esteræ consuetudine vsus est, cuius opera Iudæi magnas prærogatiuas in Polonia à Rege adepti sunt, cū nouas, tum quas ipsis olim Boleslaus Dux Calissiensis in sua ditione concesserat. Quamuis autem tam libidinosus ipse esset, tamen continētes sacerdotes singulari clementia prosecutus est. Quod si industria dexteritateque etiam prædi ti essent, multum eis vtebatur: & quamuis plebeij & obscuro loco nati essent, nobilibus eos non modo exæquabat, sed etiam anteponebat. Statura procera fuit & corpulentus, capillo denso & crispo, promissa barba, voce sonora, sed balbus aliquantulum. Per hoc tempus Cruciferi Prussici & Liuonici mutuis populationibus ac munitionum euersionibus inter se certabant, nonnunquam etiam ad manus veniebant, & quidem marte vario.

Vita Casimiri.

(∴)

Finis libri tertij.

HISTORIÆ POLONICÆ Liber Quartus.

PROOEMIVM.

HACTENVS à Lecho regnarunt in Polonia principes & Reges indigenæ, Venceslao Bohemo excepto, qui per modicũ temporis ſpacium rei Polonæ præfuit, extinctus paulo poſt cum filio, in quo deſit ſtirps Regum Bohemiæ, cognomine. Poſtea vero Caſimiro Magno ſine liberis maſculis defuncto, ad exteros Poloniæ regnũ peruenit, vtpote Ludouicum Vngarum Caſimiri Regis ex ſorore nepotem, & generũ eius Iagellonem Lithuaniæ Principem, cuius poſteritas ad hæc tempora rem Polonam feliciter adminiſtrauit.

LVDOVICVS VNGARORVM & Polonorum Rex.

Anno Chr. 1370.

DERTIOR factus de graui morbo, ac mox, etiam de morte Caſimiri Regis Ziemouitus Dux Maſſouiorum à Ioanne filio, quem hac de cauſa miniſterio Regis addixerat, ilico Ploſcum, Rauam, Viſſegradum, Goſtinum, & Sochazouiam arces in ſuam redegit poteſtatem, dedentibus eas vltro præfectis, cum quod ſciebant, ex pactis conuentis eas Ziemouito deberi, tum quod muneribus ac policitationibus ab eo corrupti erant. In vtraque etiam Polonia, & in Ruſſia poſt vulgatam mortem Regis noui quidam motus exciti ſunt à finitimis. Ex alia vero parte Lubarthus Lithuanus cum Keiſtuto fratre & expeditis copiis Vladimirienſem arcem in Volynia, poſteaquam primo impetu capere non potuit, circumſedit & acceptam valido præſidio firmauit. Inde in Lublinenſem ac Sendomirienſem tractum excurſionem fecere iidem barbari, magnaſque prædas egere, ac inter alia Lyſſecenſe ſiue calui montis monaſterium diripuere. Cæterum Ludouicus Rex Vngarorum, quem Caſimirus multo ante ſucceſſorem ſibi deſignarat, licet mox de morte auunculi certior factus eſſet: tamen continuit ſe domi, & quorſum Polonorum conſilia vergerent, expectabat. Verebatur enim, ne ij mutata ſententia alij regnum mã-

Excurſio Lithuanorum in Polonia.

raniæ Dux nepos ex filia. Erant etiam Cuiauienſium ac Maſouiorum Duces propinqui & neceſſarij. Matrem tamen ſuam Ludouicus Caſimiri Regis ſororem celeriter in Poloniam præmiſit. Nec ita multo poſt venerunt ad eum Viſſegradum è comitiis Polonorum oratores, Florianus Epiſcopus Cracouienſis, & Ioannes Strelcius Cancellarius regni, rogantes, vt primo quoque tempore in Poloniam veniret, regnumque deſtinatum ſuſciperet. Audita illa legatione, aliquandiu, quid faceret, deliberauit: cunctãti vero cum & Poloni orando, & Vngari proceres ſuadendo inſtarent, tandẽ reſpondit: Non ſatis intelligere, neque hos, quid ſuadeant: neque illos quid petant. E neutrorum enim re id fore, ſicuti ne duobus quidem gregibus expediat vnum habere paſtorem. Satis & abunde eſſe negocij vni populo præeſſe. Duas reſpublicas vix vlla ratione ſine alterutrius ſiue adeo vtriuſque malo & incommodo ab vno adminiſtrari poſſe. Ita tunc Ludouicus. Sed tãdem victus precibus oratorum annuit.

Legatio Polonorum ad Ludouicum.

Venientem Proceres Poloni cum frequenti Nobilitate ad Sandeciam obuiam progreſſi excepere, & Cracouiam deduxere. Ibi rurſus armatæ ciuitatis occurſu honorifice conſalutatus eſt. De coronatione deinde noui Regis ab Archiepiſcopo & maioribus Polonis ſcrupulus iniectus, quod ij contendebant, vt ea Gneſnæ more veteri fieret: ſed Ludouicus proximorum Regum Vladislai aui & Caſimiri auunculi exemplum ea in re ſecuturum ſe eſſe dixit. Quo reſponſo ſedatis maioribus Polonis decimo ſeptimo die Nouembris à Iaroslao Archiepiſcopo Gneſnẽſi in Baſilica Cracouienſi diadema ſolenni ritu accepit. Nec tamen deſiderium Caſimiri defuncti Regis ex animis hominum euuſi: Rex nouus, imo plus etiam accendit, cum non modo diſſimilis eſſet Caſimiri, ſed ne adiri quidem à Polonis ſine interprete poſſet: quin res quoque Polonicas negligere, ac parui facere videretur, ac non modo non intenderet animum ad recuperanda ea, quæ ſuperiori tempore à Polonia auulſa erant, verum etiam enormem donationem adiiceret, qua Vladislao Duci Opolienſi Vngariæ Palatino Oſtreſſouienſem ac Vielunenſem tractum omnem, item que Olſtinenſe, Crepicenſe, & Bobolicenſe territoria in tractu Cracouienſi, adhæc Breſnicenſe in Siradienſi ditione donauit. Exequias deinde magnificas & ſumptuoſas auunculo mortuo apparauit: vbi permultum argenti facti Baſilicæ Cracouienſi oblatum atque donatum eſt, & infinita pene hominum multitudo lachrymis, planctu, & eiulatu deſiderium defuncti Regis teſtata eſt: præſertim quod cum eo ſucceſſione Regum ſuorum vetuſtam à Piaſto vſq; propagatam extinctam eſſe cerneret, regnũque ad externum Regem perueniſſe, qui longe abfuturus eſſet. Quod cum Ludouicus animaduertiſſet, veritus, ne quam filiæ Caſimiri nouandarum rerum occaſionem Polonis darent, ablegauit eas in Vngariam & conſtituto ibi iudicio, perfecit, vt non ex iuſta vxore natæ, atq; exhæredes pronunciarentur. Vt vero poſtulatis maiorum Polonorum ſatisfaceret, in maiorem Poloniam poſt paucos dies profectus eſt, & biduum, Gneſnæ commoratus, paratum ſibi in Gneſnenſi Baſilica ſolium aſcendere noluit, affirmans, neq; ſibi, neque Polonis id decorum fore, vt coronationem Cracouiæ peractam quaſi in dubium reuocaret. Deinde Cracouiam reuerſus, cum animos Polonorũ vexatione, violatione & rapinis Vngarorum offendiſſet, Transalpinorum Valachorum Palatini ſiue principis defectione excitus, mox in Vngariam rediit, omni gubernatione Poloniæ matri Eliſabethæ commiſſa. Quo

Ludouici Regis in Poloniam aduentus.

Ludouicus coronatus Cracouiæ.

Exequiæ Caſimiro Regi factæ.

Caſimiri filiæ relegatæ & exhæredatæ.

Eliſabetha Regina adminiſtratio regni commiſſa.

facto, cum duobus exercitibus Transalpinam Moldauiam ingressus, alterum quidem in syluis circumuentum ab hostibus amisit, cum altero victor defectores in suam redegit potestatem: & ne tam facile ij deinceps rebellarēt, Seuerinum oppidum instaurauit, præsidioq; firmauit.

Interim Elisabetha mater eius in Polonia muliebri vsa consilio iuuenes & imperitos homines in senatum allegit, complureſque bonos ac graues viros magistratibus mouit, & nihili homines atque assentatores eis suffecit. Ac inter alios inprimis Prædislaus Goluchouius Palatinus Calissiensis vir moderatus ac magnanimus præfectura maioris Poloniæ motus, eique Otto Pilecius successor datus esse memoratur. Quam rem ægre tulerunt maiores Poloni, & parere Ottoni detrectabant, propterea quod nullas is habebat possessiones in maiori Polonia, atque ita contra leges præfecturam obtinebat. Sed tamen homo splendidus ac liberalis, vt quemque de Nobilitate factiosum, & sibi maxime aduersarium esse nouerat, ita os eius comitate ac munificentia sua primum obstruxit: sic aliquanto patientius deinde imperium eius ferri cœptum. Sed cum ora illa Poloniæ finitimorum latrociniis infestaretur, neq; Otto domesticis opibus, quas ibi nullas habebat, compescere ea posset, & Nobilitas vulgo eius odio militiam detrectaret, cessit inuidiæ, & præfectura se abdicauit. Cui Sendiuoius Subinius indigena successor datus est. Neque is tamen satis prædonum vim & furta coercuit. Pestilens hic, itemque sequens annus Polonis fuit. Prodigium etiam insigne Posnaniæ accidit: Basilica enim cum adhærente sibi turre dextra de cœlo tacta est, ita vt perrupto culmine & angulo turris, parua fissura facta in fornice, in sacellum regium fulmen penetraret, ac cæteris rebus intactis, solas Præmisli Regis & Rixæ vxoris eius imagines confringeret.

Ziemouitus diris deuotus, quod non coerceret bonorum ecclesiastico rum inuasores.

Insequens annus nil fere memorabile habet, præter quædam de Iaroslao Archiepiscopo, nēpe quod is Ziemouitum Massouiæ Ducem ecclesiastico interdicto perculit, eoque adegit, vt duorum pagorum donatione ipsi satisfaceret, pro eo, quod bona eius ecclesiastica in Masouia iubente vel certe conniuente Ziemouito latrocinio infestata ac vexata sunt. Nec multo post senio confectus & oculis captus Iaroslaus, cum supra triginta annos Archiepiscopus fuisset, Nicolao Cossutouio Præposito Gnesnensi propinquo suo Archiepiscopam concedere statuerat. Sed cum is improuide sine regia commendatione & Collegij Gnesnensis consensu Auinionē ad Gregorium vndecimum Pontificē ea de re se contulisset, infecto negocio inanis rediit. Neque tamen Iaroslaus dimittendæ Archiepiscopæ cogitationem deposuit, sed Ioannem Strelcium cognomēto Suchyuilcum sororis filium sibi successorē legit: verum is quoq; plusculum negocij in conficienda re habuit, palam cōmendante, & clam impediente eius causam Ludouico apud Pontificem. Ad extremum tamen noua Regis commendatione & collegij approbatione adiutus, voti compos factus est. Iaroslaus vero Pomeranicis & Opatouiensibus possessionibus ac decimis in ora Calissiensi indulgentia Pontificis ad vsum suum retētis, in Landense monasterium secessit, ac biennium fere ibi exegit. Deinde pertæsus monasterij Calissiam commigrauit, vbi intra vertētem annum vita excessit. Permultum hic Archiepiscopatū amplificauit, & ornauit. Nam Louicium, Opatouicum, Vneouiam, & Camenum arces cōdidit: aulas quoq; Archiepiscopales, Gnesnæ, Lenciciæ, Velum, & Calissiæ construxit. Louicienses reditus primus ita auxit, vt cum antea census duas marças nō excederet, tunc ad octingentas peruenirent. Ædificauit etiam templa Gnesnæ, Calissiæ, Curelouiæ, Opatoueci, & Vneouiæ, vbi etiam collegium sacerdotū instituit, ac monasterium Benedictinis condidit, ac Tinecensis Abbatis iurisdictioni id subdidit. Memorabile de eo illud refertur, quod cum iuuenis adhuc Bononiensis Academiæ Rector esset, autoritate sua Bononia transtulerit Academiam propter Anglum quendam scholasticū à magistratu vrbis capite plexum, nec prius eam restituit, donec pro cæde Angli satisfactum est. Fertur autem mandasse moriens idem Iaroslaus, vt cadauer suum non ostio, sed pertuso pariete in Basilicam sepeliendum inferretur, quod non rite, neq; ordine Archiepiscopum se factum esse diceret.

Iaroslaus Archiepiscopus abdicat se Archiepiscopa.

Iaroslaus moritur.

Per hoc tēpus Ludouicus Rex cum Carolo Imperatore in gratiam rediit, ac filiam suam natu maiorē Mariam filio eius Sigismundo è quarta vxore suscepto, paruulo etiamnum despondit, & in aula sua ipsum educauit. Cū enim duas filias, duoq; regna haberet Ludouicus, vtrique filiæ viuens cupiebat prospicere, ita vt altera apud Vngaros regnaret, apud Polonos altera. Ac apud Vngaros quidē iam vni prospexisse videbatur: de altera autē solicito fortuna siue consilium talē occasionem obtulit. Poscebat is Polonos vectigal, q̄ regium & Poradline, quasi rastrale, dicitur, duodenos grossos latos, & singulos modios siliginis & auenæ in mansos, quemadmodū antiquitus pēdi solitum erat. Negabāt proceres sacri pariter & politici ordinis, quod ab eo Poloniam immunem factā esse liberalitate Casimiri dicerent: ille vero admonitus à nōnullis promissam modo, nō etiam datā esse à Casimiro immunitatē illam arguebat, cum, quoad vixerit, id vectigal solutū sit. Tandē eo rem deduxit per internuncios, vt, si alterutram de filiabus suis regnare deinceps apud se Poloni iussuros se esse reciperent, binos tantū grossos quotannis deinceps in mānsum penderent, quibus Regem agnoscerent: à reliquis pensionibus & oneribus, quæ Regibus ac Ducibus antiquitus debebantur, cuncta Nobilitas ac subiecti homines perpetuam vacationem & immunitatem haberent, prętquam, si Rex nouam arcem conderet, aut veterem tempore belli reficeret, tunc vt Nobilitatis subditi cum regiis opus facerent. Accepere conditionē Poloni. Atq; inde in hodiernum vsque tēpus manet vectigal hoc Regi: tametsi Episcopi tunc id suos agricolas pendere passi non sunt, defendētes mordicus Boleslai Pudici & Casimiri remissionem. Illa quoque in pactis fuere, ne Rex magistratum siue honorem vllum perpetuum supprimeret, ne externo cuiquam conferret, ac ne præfecturam quidem arcis cuiusquam aut oppidi, quæ iurisdictionem adiunctam habeat, imo ne indigenæ quidem illustri Ducum genere orto. Hæc ita tunc conuenere Cassouiæ anno post Christum natum millesimo trecentesimo septuagesimo quarto.

Ludouicus R. filiam suum Sigismundo Caroli Imp. filio despondet.

Ludouici R. altera filia Regina Polonis destinata.

Polonorum Nobilium Libertas.

Secuti sunt deinceps noui motus in Polonia, quos paulo altius repetito principio persequi placet. Ziemomyslus Vladislai Loctici frater tres filios moriens reliquit, qui sic patrimonium inter se partiti sunt, vt Præmislo Bydgostia cederet, Lesco Inouladislauia, Casimiro Gnieucouia. Ex his solus Casimirus liberos reliquit, Elisabetham & Vladislaum cognomento Album. Atque Elisabetham quidem cum Caroli Regis Vngariæ coniunx Vladislai Loctici filia educandam suscepisset, Stephano Bosnensium Regulo in matrimonium collocauit, de qua Elisabetha item filia nata est, quæ secunda Ludouici vxor fuit. Vladislaus vero cum patri & Præmislo patruo concedente Rege Casimiro successisset, causamque de vi & alieno agro vsurpato quo-

Ducum Cuiauiensium propago.

Ludouici R. secunda vxor.

Vladislai Ducis Cuiauiæ actæ.

to quodam tempore apud eundem Regem dicere iussus esset, furore percitus temere Bydgostiam repudiauit: nec eam post vllis precibus recuperare à Casimiro potuit. Postea Gnieucouiam quoque acceptis mille florenis Regi concessit, ac peregre profectus cum permulta loca peruagatus esset, tandem Cistercium veniens monachus factus est: nec multo post mutato consilio, Diuione in Burgundia Benedictinorum sectæ se addixit, ac complures ibi annos commoratus, sororis Casimirique Regis liberalitate sustentatus est.

Vladislaus fit Monachus.

Cum igitur proceres quosdam de maioribus Polonis nouarum rerum cupidos pœnitentia Regis externi & absentis, muliebrisque dominationis cepisset, communicato clam inter se consilio, legationem ad acciendum Diuione Vladislaum misere, quod nemo eo propinquior Casimiro ac Vladislao Regibus agnatus viueret: ac facile is, vt erat leuis, in spem ac cupiditatem regni adipiscendi adductus est. Quoniam autem iam diaconus erat, Auinionem ad Pontificem summum obtinendæ indulgentiæ siue dispensationis causa contendit, legatis Basileæ se expectare iussis. Et quamuis nil à Pontifice impetrasset, tamen Basileam, atque inde legatorum suasu dimissis eis, in Vngariam dissimulato proposito ad affinem Regem profectus est: apud quem Reginæ propinquæ suæ, magnis precibus perfecit, vt ad Pontificem pro se legationem mitteret, quo sibi mutato ordine possessiones & principatum obtinere liceret, sed repulsam etiam tum passus, clam se cum quatuor tantum comitibus ex Vngaria subduxit, ac veniens Inouladislauiam arcem ex improuiso occupauit, & oppidanos mox accitos in verba sua iurare iussit. Inde Gnieucouiam, eadem celeritate vsus, & Zlotoriam quoq; eodem die per deditionem accepit, cum necem Præfecto sub arcem abducto minaretur, ni ea sibi dederetur. Ita tribus arcibus vna die potitus, cum voluntarij multi ad eũ concurrerent, sumpta maiore fiducia postero die Sarleium arcem oppugnare adortus, tertio die in potestatem suam redegit.

Vladislaus monachus accersitur ad regnum.

Res nouas molitur in Polonia.

Hæc ad Sendiuoium Subinium Præfectum maioris Poloniæ cum perlata essent, celeriter Ludouicum Regem de statu rerum Cuiauienſium certiorem facit, simulque cum non contemnenda manu ad reprimendos Vladislai conatus contendit. Obsessa primum Inouladislauia, cum nihil esset spei in Vladislao, deditionem fecit. Qua re permot⁹ Vladislaus, simul & ab iis, qui cum eo se coniunxerant, desertus, reliquas quoque arces reddidit, promittente ei Sendiuoio clementiam ac munificentiam Regis. Qua diutius expectata cum frustraretur, ac inopia premeretur, rursus eadem, quæ prius, moliri instituit: & quo facilius Zlotoria potiretur, ad præfectum eius loci Scripinium senem ebriosum fallendum subornat piscatores, qui eum allato Torunia vino inebriarent. Eo vino somnoque sepulto ac sopito pariter & custodibus, nocte intempesta missa à Vladislao manus, scalis admotis arcem, custodes, præfectumque cepit. Hinc rursus magnus egentium, ære alieno oppressorum. ac facinorosorũ hominum concursus ad Vladislaum factus est, & cum aliquanta peditum equitumque manu Racianzum arcem Episcopi capere nixus est, sed repulsus ab iis, qui in arce erant, Gnieucouiam oppugnauit, ac fauentibus oppidanis arcem incendit, præfectumque arcis Gerhardum Sloneuium in potestatem suam redegit. Infestabat autẽ Vladislaus ex arce Zlotoriensi maiorem Poloniam latrociniis, vsque adeo, vt Sendiuoius solus cum maioribus Polonis cum reprimere non posset. Itaque etiam Ioannes Cmitha Præfectus Siradiensis cum Nobilitate Siradiensi ad restinguendum gliscens

scens incendium profectus est, & coniunctis cum Præfecto Brestensi copiis, Vladislao apud Gnieucouiam occurrit, consertoque prælio facile eum fudit ac fugauit. Nactus autem nauiculam Vladislaus, fugiens Vistulam traiecit, & in Zlotoriensem arcem se recepit. Ac quamuis Sendiuoius præsidium militum in munitione Iaroslai Sluzeuij ad arcẽdas excursiones eius collocasset, agebat ille tamen nihilominus prædas ex vicinia. Quare maiore vi Sendiuoius contra eum bellum gerere instituit, maioribus Polonis cunctis & Cuiauiis arma sumere iussis, accitoque etiam in auxilium Casimiro Stetinensium Duce. Ab his copiis Vladislaus in arce Zlotoriensi oppugnatus ac circumsessus aliquandiu, non modo sustinuit obsidionem, verum etiam non leuibus incommodis ac detrimentis obsidentes se afficiebat. Nocturno enim tempore expeditos milites ex arce nauigiis emittebat, qui præteruecti silentio castra obsidentium, non modo eos, qui longius è castris egressi erant, excipiebant, sed etiam extrema statiua infestabant: quin machinis etiam quibusdam artificiosis oppugnationi intentos ex arce vulnerabant ac summouebant. Earum vero machinarum opifices & administri erant duo molitores, quorum alter Zlotoriam Vladislao prodiderat, alter Hanco Brestensis moletrinæ hæres, captus superiori tempore à Vladislao. Cum autẽ hic ipse Hanco exitum illius belli & obsidionis, quam diu sustineri non posse propter cõmeatus penuriam videbat, secum reputaret, metuens, ne fraudi sibi esset hostes patrię iuuisse, consilium cepit prodendæ arcis: sed re coniecturis quibusdam deprehensa, subiectus quæstionibus, rationem & ordinem omnem meditatæ proditionis aperuit. Quibus rebus exploratis, emisit Vladislaus Hanconis generum ad hostes cum mandatis Hanconis de proditione. Lætus ea re Sendiuoius, cum gloriam captæ arcis solus obtinere cuperet, Casimirum Ducem cæterosq; Proceres cõsilium suum celauit: ipse vero intempesta nocte, quemadmodum constitutum erat, cum expedita suorum manu sine vllo strepitu ad arcem accessit, patefactaque porta, cum iam viginti sex milites immisisset, antequam ipse cũ cæteris ingressus est, milites Vladislai, qui hæc superne clam obseruabant, celeriter cratem portæ impendentem deiecere: cuius pondere & clauis prominentibus insignes duo equites oppressi sunt, subitoq; illustrata ignibus arce, viginti sex illi, qui primi ingressi erant, saxis & iaculis vndique coniectis obruti sunt. Ita in insidias præcipitatus Sendiuoius tot fortibus viris amissis tristis & confusus in castra rediit. Illucescente vero die fremens ob acceptam ignominiam totis viribus arcem oppugnauit vsque ad vesperam, nec tamen eam capere potuit. In ea oppugnatione Casimirus Dux Pomeranorum saxo per cassidem ictus in capite, non diu postea vixit. Postero die cum Vladislaus de retinenda arce desperasset, crematis palam ante arcem molitore ac genero eius, itemque iis, quorum opera arcem interceperat, deditionem fecit, & ad Regem in Vngariam missus decem millia florenorum ab eo pro Gnieucouiensi territorio accepit. Adhæc abbatia quadam opulenta in Vngaria donatus est: in qua aliquantisper commoratus, Diuionem reuersurus, in itinere Argentinæ obiit, & Diuionem deportatus, ibi sepultus est. At illi, qui eum ad res nouandas in Polonia adiuuerunt, partim voluntarium sibiipsi exilium indixere, partim carcere ac bonorum confiscatione damnati pœnas dedere.

Vladislaus Dux vitæ.

Vladislai Ducis exitus.

Pertæsa Polonorum motuum Elisabetha Ludouici Regis mater excesserat Polonia, & peramplos reditus in Dalmatia de Venetis dudum recepta à filio

Elisabetha Regina Polonia abit.

filio acceperat: sed non ita multo post pœnitentia ducta, indulgente eodē in Poloniam rediit. Venienti cum magno ac splēdido comitatu Proceres Poloni Cracouienses atq; Sēdomirienses apud Sandeciam gratulabundi obuiam prodierunt: simulq; renunciarunt, compertum se habere ab exploratoribus suis, Lithuanos de inuadenda vastandaq; Polonia consilium iniuisse. At illa muliebri leuitate quietos & securos esse eos iussit, filiura enim suum tam lōgis grauibusq; manibus præditū esse, vt ad solum nomen eius non modo Lithuani, sed & cunctæ in circuitu nationes contremiscant. Haud mora, Lithuani cū valida manu è Lithuania & Russia coacta, Ducib' Keistuto, Iagillone, Vitoldo, Lubarto, & Georgio, percurso magnis ac clandestinis itineribus propter vastitatē Lublinensi tractu, quicquid loci in Sēdomirienst tractu est inter Sanum & Vistulā, populabundi & vastabundi magna celeritate peruagati sunt, ita vt permulti de nobilioribus quoq; & locupletioribus vel in fuga, vel in domibus suis incauti à barbaris opprimerētur. Itaq; permagna ea barbarorum præda fuit, quam integram nihil vsquam hostile passi abegere. Elisabetha vero Regina, quamuis à Proceribus de Lithuanorū excursione admonita, de lusibus & choreis, quibus mulier octogenaria nimium indulgebat, nihil vtiq; remittebat, donec eam præsentius aliud malum perculit. Vngari namq; qui cum Regina venerant, domestica cōsuetudine fœnum atq; auenam, cum Cracouiam siue ad mercatum, siue ad priuatū cuiusquam vsum importaretur, passim diripiebant. Id Prædborius Brezius nobilis adolescens, ne ipse quoque pateretur, familiam suam armatam ante domū suam, quę ad portam vrbis Casimirienſem sita erat, obseruare iussit: ibi cum Vngari in fœnum, quod aduehebatur, impetum facerent, Prædborij vero ministri prohiberēt, iurgium atq; prælium inter Vngaros ac Polonos ortū est. Quod cum concursu vtrinq; suis opem ferentibus atrocius fieret, missus à Regina ad sedandum tumultū Ioannes Cmitha Præfectus Cracouiensis, sagitta Vngarica in turba collo ictus, ex equo decidens expirauit. Ibi familiares eius dolore prope furentes, facto vndique concursu in Vngaros coorti, magnā cædem fecere, non eorum tantum, qui se in tumultu illo obtulerant, sed eorum quoque, qui in hospitiis & diuersoriis inuenti sunt. Cētum & sexaginta Vngari eo die trucidati feruntur: atque ij modo salui fuerunt, qui in arcem effugere potuere. Triduo deinde arx clausa, & ab armatis obsessa fuit. Annus, quo hæc acta sunt, fuit post Christū natum millesimus trecētesimus septuagesimus sextus. Elisabetha igitur paruo interiecto tempore mœsta in Vngariam reuersa est, Petro Cmithæ Ioannis filio in solatium necis paternæ præfecto Lencicienſibus dato.

Exeursio Lithuanorum in Poloniam.

Vngarorū violentia & rapacitas.

Vngarorū cædes Cracouia.

Sequenti anno Ludouicus nouos præfectos in Polonia de sentētia matris instituit, & excursionibus Lithuanorum in Poloniam, & Belsensium Ducis defectione motus, bellū contra eos parabat, indicta toti Poloniæ expeditione. Omnibus itaq; ad Sēdomiriam cōuenire iussis, ipse cum non cōtemnenda Vngarorū manu transmisso Carpatho, per Sanocum recta Sendomiriam profectus est. Vbi cōuentu habito, recensitisq; copiis, cū abundaret viribus & multitudine: partem exercitus cum Sendiuoio ad recipiendam Chelmam misit: ipse vero cum reliquo ad Belsum castra mouit. Ac Sēdiuoius quidē intra octauum diem Chelma potit', Graboueciam quoq;, Grodlū, & Seuoluſsum munitiones cepit: deinde ad Regē Belsum adhuc obsidentē reuertit, erat enim arx ea natura loci permunita. Itaq; fame Rex præsidiarios ad deditionem

Bellum Russicum.

tionem cōpellere decreuerat, nisi Keistutus Dux Lithuanorū ex hoste pacificator factus, ad castra Regis veniens, pacē certis legibus impetrasset. Quibus expletis, Ludouicus Rex Georgij blāditiis ac policitationibus delinitus, non modo Belsum ei reddidit, sed etiam Lubassouiam & centū marcas annuas in stipēdium è salinis Bochnēsibus adiecit, accepto ab eo iureiurādo, quod in fide atq; clientela Polonorū semper futurus esset. Fortassis autē & illud adiumento fuit Georgio ac Lithuanis, q̄ orto inter Vngaros ac Polonos iurgio, ac Petro Szaffranecio in faciem ab Vngaro quopiam vulnerato, ad seditionē & cędem mutuam res spectare cœperat. Itaq; Petri quidem dolorem Rex donato ei territorio cum arce Pieskouaskala mitigauit: exercitū vero, ne quod maius malum irritatis vtrinq; animis excitaretur, statim dimisit. Cum autem Regi fertile solum Russiæ placuisset, missa Auinionem ad Gregorium vndecimum Pontificem Maximum legatione, effecit, vt duæ ibi cathedræ episcopales, nimirum Præmisliæ ac Vladimiriæ, Haliciæ vero Archiepiscopalis, quę postea Leopolim translata est, episcopatu Cameneciam translato, instituerētur. Cæterum quoniam propensiore erat animo Ludouicus in Vngaros, quā in Polonos, Vngaris adiungere Russiam instituit, Polonis, à quibus subacta erat, ademptā. Obtinebat in ea nonnullas præfecturas & ampla territoria Vladislaus Dux Opolienſium Ludouici beneficentia iure hæreditario donata, ita vt iam Dux Russorum vulgo appellaretur, & ipse hunc titulum vsurparet. Quo facilius igitur Ludouicus id, quod cogitabat, perficeret, dedit Vladislao Dobrinensem ditionē, ac Bydgostiensem, itēq; Inouladislauiam, Gnieuouiam, Zlotoriam, & Sarleium, quæ à Vladislao Albo Duce redemerat. Et ea quidem lege hæc ei dedit, vt sacramēto adactus in clientela Regum Polonorum semper esset, & ad solos masculos hæredes ea transmitteret. Russicas autem præfecturas ab eo recepit, & Vngaris eas attribuit.

Georgius Dux Russorum Regi se & Belzum dedit.

Iurgium inter Polonos & Vngaros.

Episcopa in Russia condita.

Ludouicus R Vngaris Russiam attribuit.

Vladislaus Dux Russiæ.

Suspecta & molesta ea res de Russia Polonis fuit: sed mussantur fere Principum iniuriæ. Nec sane tunc in prōptu erat, quid ea re facerent absente Rege, aut quo malo voluntati eius refragarentur: quin alia magis præsentia mala eos à sensu illius, quod in diem differebatur, auertebant. Increbuerant latrocinia: creuerat audacia perditorum hominum: debilior prædæ erat potētiori: vis, non ius valebat: iudicia vel silebant penitus, vel potentiorum iniuriæ contra tenuiores suffragabantur, propterea quod nemo vnus vindex legum, scelerumq; vltor erat, quem cæteri omnes reuererentur. Hæc publica quidem mala, sed cum plurimorum priuato dolore coniuncta, tolerabilius illud videri faciebant, quod ad neminem priuatum pertinebat. Itaque de præfecturis Russiæ patienter tunc latum: de domesticis vero incommodis crebris literis ac nunciis, & querimoniis multorum cum Rege actum. Quibus ille commotus, cum ipse non veniret in Poloniam, quod negaret auram Polonicam se ferre posse, Vladislaum, Opolienſem Ducem pro se gubernatorem & vicarium misit. Et erat id quidem non ingratum plebi ac tenuioribus, verum Nobilitas cum proceribus, duobus conuentibus, altero Vislicię, altero vero Gnesnæ actis, negarunt se homini, quem ipsi sibi principem non constituissent, parituros esse, propterea quod id contra leges & instituta maiorum suorum esset. Atque cum his mandatis legati de primoribus è comitiis ad Regem missi, facile effecerunt, vt is Vladislaum reuocaret. Verebatur enim, ne Poloni ea offensa ad res nouas incitarentur.

Vladislaus Opolienſis Dux gubernator Poloniæ.

Conuentus Vislicię & Gnesnæ.

Legatio Polonorum ad Regem.

Interim autem dum hæc ita fiunt, vectigal, raſtrale ſuperius appellatum, & quod ad duos groſſos à Ludouico redactum eſt, dimidium ei⁹, quod antiquitus pendebatur, iuſſu Regis ab eccleſiaſticorũ agrorum cultoribus exigi cœptũ eſt, hoc eſt, ſeni groſſi, & ſinguli modij ſiliginis & auenæ in mãſos: negantibus exactoribus regiis, gratiam illam, quæ Nobilitati facta ſit, etiam eccleſiaſtico ordini factam eſſe. Quocirca Ioannes Archiepiſcopus Gneſnenſis

Synodus Caliſſia.

ſynodũ Caliſſiam cõuocauit, vnde legati, in Vngariam miſſi Florianus Epiſcopus Cracouienſis, ac Dobrogoſtius Decanus, impetrarunt, vt eodẽ iure, quod ad illud vectigal attinet, cum Nobilitatis bonis eccleſiarum bona conferentur. Hæc vſq; ad annũ Chriſti milleſimum trecẽteſimum ſeptuageſimũ octauum octo annis regnãte Ludouico in Polonia acta ſunt. Per quod tẽpus

Cruciferorum cũ Lithuanis bellum.

Lithuani & Cruciferi mutuis ſe excurſionibus & cladibus vehementer afflixerũt: & Carolus Imperator extremo anni tempore vitam cum morte commutauit, relicto ſibi filio natu maiore Vẽceslao ſucceſſore cũ in Bohemia, tũ in Germania. Hoc eodem autẽ anno & ſequẽtibus aliquot non vſquequaq; tranquillę res fuerunt in maiori Polonia. Quanquam publico conſilio nullũ bellũ geſtũ eſt, ſed priuatis conſiliis ac latrociniis propemodũ à Polonis finitimi populi, tũ ab illis Poloni infeſtati. & vis vi vltro citroq; propulſata eſt.

Bombarda inuenta.

Per hoc tempus circa annum Chriſti milleſimũ trecenteſimum octuageſimũ machinam æneam, quam à ſono terribili bõbardam vocant, certiſſimo vitæ ac virtutis humanę exitio Germanus homo apud Venetos excogitauit.

Eliſabetha ſenior Regina obiit.

Inſequens annus Eliſabethæ ſenioris Reginæ matris Ludouici Regis, & Ziemouiti Maſouiorum Ducis morte inſignis eſt. Ac Ziemouitus quidem moriens duos filios Ioannem & Ziemouitum è priore vxore Nicolai Opauienſium Ducis filiæ ſuſceptos hęredes reliquit: ex altero autẽ matrimonio Zambicenſium Ducis filiæ Henricum & duas filias ſuſceperat. Cæterum Ludouicus Rex matre defuncta, cum aſſiduis Polonorũ querelis fatigaretur, vt Reipublicæ Polonæ conſtituendæ, iudiciorumq; aliquam rationẽ iniret: Budam

Polonorum comitia Buda.

eis cõmitia indixit ad medium quadrageſimæ. Erat res noua, multaq; ſecum ferebat incommoda: frequentes tamen eo proceres profecti ſunt, frequentiores multi, quos priuatæ iniuriæ factaq; ſpes iudicij regij excitarat. Multa ibi variaq; de adminiſtratione Reipublicæ, abſente Rege, ac de ſumma iudiciorum iactata. Ad extremum de ſententia Regis paucis approbantibus ſumma rerum Polonicarum iudiciorumq; tribus, nempe Zauiſſæ Curoſiancio

Triumuiri in Polonia.

Epiſcopo Cracouienſi, qui non ita pridem Floriano mortuo ſucceſſerat, & Dobeslao Caſtellano Cracouienſi Zauiſſæ fratri, & Sẽdiuoio Subinio Palatino Caliſſienſi, & præfecto Cracouienſi mandata. Iudicia vero ibi nulla exercuit Ludouicus, ſed ad vicarios illos ſuos ſiue triumuiros reiecit. Adhæc fecit poteſtatem Epiſcopo omnium magiſtratuum & honorum, quicunq; vacaturi eſſent, (exceptis Caſtellania & Palatinatu Cracouienſi) in Polonia conferendorum. Ita conuentus ille ſolutus eſt, & calamitoſi homines ſpe iuris ſui obtinendi fruſtrati, mœſti domos reuertere. Triumuiri vero illi in Poloniam reuerſi, audierunt quidem compluribus in locis magno hominum concurſu querimonias, ſed nuſquam ius dixerunt, omnibus Caliſſiam ſe ſequi iuſſis, q⁹ eo Zauiſſam Epiſcopũ, ſine quo iudicare nolebant, venturum eſſe ſperabãt. Nam is profectus nõ erat cum cæteris, ſed Archidiaconũ Cracouienſem Cãcellarium ſuum pro ſe miſerat. Quo reſponſo accepto, omnis illa querẽtium multitudo maledictis inceſſens Regem atque triumuiros, dilapſa eſt.

Vexa-

Vexata ſunt eo anno in Polonia nõnullis in locis bona eccleſiaſtica. Nam Vladislaus quidẽ Dux Opolienſium vetuit in Dobrinẽſi tractu decimas dari Epiſcopo Plocẽſi. Inſuper de agricolis eiuſdẽ Epiſcopi quaternos & vicenos groſſos in manſos exegit. Sed anathemate perculſus à Dobeslao Epiſcopo, interueniente Archiepiſcopo Gneſnenſe, & Epiſcopo Vladislauienſe, in arce Zlotorienſi cum eo in gratiam rediit, ac de omnibus iniuriis ſatisfecit. In maiore vero Polonia, cum Domaratus præfectus eius oręiuſſu regio expeditionem contra Bartholomæum Coſminium qui etiam Chotelius nuncupatus eſt, viciniam omnem latrociniis ex Odolanouia arce ſua infeſtantẽ feciſſet, crudeliter admodum vulgus militum in bona Gneſnenſis & Lubuſſenſis eccleſiarum debacchatũ eſt. Bartholomæo vero petenti pax his conditionibus data, vt Regi arcem territoriumq; omne redderet: æſtimationem vero eius, hoc eſt, decem & octo millia florenorum acciperet, deducta tamen inde ea pecunia, quæ Gallis mercatoribus, quorũ merces Bartholomæus diripuerat, numerari debuit. Nec multo poſt Vneouia arx Archiepiſcopi Gneſnenſis à Bernhardo Garbouio intercepta eſt. Præerat ei arci Pelca Bernhardi frater, Præpoſitus Curelouienſis, qui inuitatus ad cõuiuium à Petraſſio Malocha Præfecto Lencicienſi, rixa de venationibus quibuſdã cum Caſtellano Lẽcicienſi excitata, ab eo interfectus eſt. Sed ne Caſtellanus quidẽ fugiens, manus miniſtrorum Pelcæ euaſit. Cognita ergo cæde fratris Bernhardus arcem occupauit: & quo paratior eſſet ad ſuſtinendam vim & obſidionem, ſi qua alicunde afferretur, pecudes multas mactatas in arcem importauit, hominum quantum potuit in ſocietatem adſciuit, & cum his theſaurum Archiepiſcopi diripuit: nec prius arcem Archiepiſcopo reddidit, quam impunitatẽ facti ſimul ac theſauri direpti, Domarato Præfecto maioris Poloniæ, & quibuſdam aliis proceribus interuenientibus pactus eſt.

Inſequentem annum milleſimum trecenteſimum octuageſimum ſecundũ aliquot primorũ Epiſcoporum, & Regis mors, ſubſecutiq; motus nobilẽ faciunt. Primũ enim pridie idus Ianuarij Zauiſſa Epiſcopus Cracouienſis in prædio ſuo Dobrouoda, ſeu repẽtino morbo, ſeu de ſcala lapſus, cũ aceruum forte ad conſtuprãdam ruſticanã puellam aſcenderet, (variat enim fama) extinct⁹ eſt. Cuius funus cũ pompa militari à patre Dobeslao & fratre Creslao Caſtellano Sendomirienſi elatũ eſſet, ferũt noctu in Baſilica Cracouienſi, vbi ſepult⁹ eſt, exauditos eſſe ſtrepitus & hinnitus equorũ diſcurſantium, dæmonumq; voces vociferãtium: proficiſcamur meretricatũ. Inſtituit hic Epiſcopus in Baſilica Cracouiẽſi collegium quoddã ſacerdotum, quos mãſionarios vulgo vocãt, alioqui profanis negociis, ac voluptatib⁹ magis, quã diuinis rebus addictus. Præfuit eccleſiæ Cracouienſi annis duobus & dimidio. Succeſſit autẽ ei Ioannes Radlicius Regis medicus & Cancellarius Poloniæ, Ludouici Regis fauore adiut⁹. Zauiſſam poſt alterũ mẽſem Nicolaus Curnicius Poſnanienſis Epiſcop⁹ ſecutus eſt, carcinomate morbo in genitalibus mẽbris biennio, ac deinde febre quartana, & gutturis ac linguę exulceratione tanta, vt vſum ſermonis amitteret, affl ctus & extinctus, homo garrulus & contentioſus. Et intra paucos dies quoq; Archiepiſcopus Gneſnẽſis deceſſit, vir dexteritate ingenij, prudentiaq; cõmendatior vulgo dum priuatus vixit, quam in magiſtratu, præcipiti iracundia, in eccleſiaſticos homines dict⁹ ac factis cõtumelioſus, nec ſatis acer defenſor & vindex ſacerdotum ac bonorum eccleſiaſticorum. In agnatos plus æquo propenſus.

Epiſcopi Cracouienſis Zauiſſæ mors prodenda.

Porro Ziemouitus Plocensis Dux cum Archiepiscopum defunctum esse vita accepisset, facta manu pagos Archiepiscopales populat⁹ est, Louiciumq; obsedit. Legato autem Gnesnensis collegij, qui à suffragiis erat Archiepiscopo, causas belli sciscitanti respondit, ad se pertinere, vt bona Archiepiscopi, quæ à maioribus suis profecta essent, obtineret, dum cathedra illa vacat. Neque tamen id se postulaturum fuisse, si Louiciam Canonicus quispiam, & nō inimicus suus Derslaus Iuenius Castellanus Gnesnensis teneret. Quo respōso accepto, maturauit collegium noui Archiepiscopi electionem. Electus autem est Dobrogostius Nouiduorius, Cantor Gnesnēsis, ac diaconus Cracouiensis, quo postulante soluit Ziemouitus obsidionem. Sed tamen Archiepiscopam Dobrogostius tunc adeptus nō est, aduersante ipsi Ludouico Rege, quod eum Ziemouito, vt sibi in regno Poloniæ succederet, fauere Domarati Præfecti delatione accepisset. Cum autē Dobrogostius præter sententiam Regis Romam ad Pontificem summum vna cum Nicolao Posnanensi Episcopo designato profectus esset, Taruisij vterq; à Venetis à Ludouico Rege subornatis captus & detentus est aliquādiu. Bozenta vero regius procurator Cracouiæ ab Vrbano sexto Pōtifice Archiepiscopus renunciatus est. Posnanensis vero Episcopus Ioannes cognomento Cropidlo Boleslai Opolien-sium Ducis Vladislai fratris filius, adolescens admodum factus est.

Comitia Polonorum in Scepusio.

Sigismūdus Rex Polon. designatus.

Aduenit in Poloniam.

Ludouici Regis mors.

Eodem anno Ludouicus Rex cum languere se, ac sensim viribus destitui sentiret, vt viuens adhuc res filiarū stabiliret, indixit Polonis comitia sub finē Iulij Zuolenū siue Zolium in Scepusio. Quo cum frequens Senatus cōuenisset, successores sibi designat in regno Poloniæ Mariam filiam natu maiorem cum Sigismundo spōso eius Caroli Imperatoris filio, quartumdecimū tunc annum agente. In quorū verba Proceres Poloni iussu Regis statim iurarunt. Soluto conuentu Zolienſi, profectus est Sigismundus in Poloniam cum non contemnēda Vngarorum manu ad sedādos intestinos motus, & adeundā viuente adhuc socero possessionem. Interim Ludouicus Rex tertiadecima die Septembris Tirnauiæ, quo conuentum Vngaris edixerat, vitam finiuit. Quo nuncio accepto Sigismūdus Posnaniam se recepit. Ludouici vero funus Albam regiam, vbi Regum Vngarorū fere sepultura est, solenni pōpa elatum est. Regnauit autē Ludouicus apud Polonos duodecim annis, apud Vngaros vno & quadraginta, vixit sex & quinquaginta. Statura fuit mediocri, prominentibus oculis & labris, capillo barbaq; crispa, sereno vultu, humeris parum incuruis. Moribus ita tēperatis fuit, vt foris bella acriter gereret, domi placabilitate ac iustitia pacē coleret: vtrobiq; prudentia & animi moderatione singulari erat: in contumaces seuerus, in supplices clemēs, maleficio iuxta ac beneficio superari se non patiebatur: in doctos viros fuit propensior: nā & ipse studia bonarum literarū libenter coluit: nec fere quicquam inconsulta astrologia solitus erat auspicari. Pietatis autē atq; religionis ita fuit obseruās, vt nō in postremis duceret, Iudeos & Cumanos falsorū Deorum cultores ad Christianam religionē adducere. Quod in Cumanis quidem affecutus est: Iudæos autē, cum neq; minis, neq; præmiis propositis illis persuadere posset, oēs prosiliit. Plebis non minorē quam Nobilitatis curā gessit: itaq; nōnunquam dissimulato habitu vicos & oppida perlustrauit, vt cognosceret, quid de publicanis & exactoribus, iudicibus & magistratibus suis, ac de se deniq; vulgus hominum assentandi nescium sentiret, multaque ex huiusmodi sermonibus in se suisque castigauit.

Finis libri quarti.

HISTORIÆ POLONICÆ Liber Quintus.

INTERREGNVM.

Anno Chr. 1382. & 1383. Russia Lithuanis prodita à præfectis Vngaris.

DIVVLGATA morte Ludouici Regis, Vngari, qui Russiæ, pleraſque præfecturas obtinebant, Cremeneciam, Olescum, Grodlum, Lopatinum, & Rohatinum arces cum territoriis suis Lubarto Lucensium Duci, magna vi auri & argenti ab eo accepta, prodidere. Atque ex eo fere tempore Lithuani Volynensem oram sibi vsurpare cœperunt. In Polonia vero quum Sigismundus Marchio Rex iam esset designatus, non magna re magna facta est voluntatum mutatio. Noluit is Proceribus ac Nobilitate postulante, Domaratū à Præfectura maioris Poloniæ amouere: Quare conuentu apud Misleuiam habito, maiores Poloni mittunt legationem ad minores, vt ij conuētum secum pariter de statu Reipublicæ ac de nouo Rege apud Radomscū agere vellent. Obsecundatū est, lecti de Proceribus ac Nobilitate minoris Poloniæ constituto loco cum maioribus Polonis ad vicesimum quintum diem Nouembris conuenere, eoque inclinabant plurimorum sententiæ, vt Heduigim Ludouici natu minorem filiam Ziemouito Masouiorum Duci vxorē cum regno darent. Tuebantur Sigismundi partes Bozenta Archiepiscopus, ac Domaratus Præfectus maioris Poloniæ. Itaque res ad contētionem venerat. Tandem ita decretum est, vt memores pactorum cum Ludouico initorū, & iurisiurandi sui essent, neq; progeniem Ludouici à regno Poloniæ excluderent: verum eum de genere Ludouici Regem crearent, qui in Polonia præsens per seipsum regnum administraturus esset. Quo quidem tacite Sigismundus excludebatur, qui Vngariam simul obtinere cupiebat.

Comitia minorum Polonorū Visliciæ ad sextum diem Decembris habita.

Comitia nouo Regi eligendo.

Altera deinde comitia minorum Polonorū Visliciæ ad sextum diem Decembris habita: quo vicissim legati maiorum Polonorum venerunt. Venit & Sigismundus Marchio cum Bozenta Archiepiscopo, & Domarato Præfecto, ne deesset causæ suæ. Aduenerant autem & à Regina Elisabetha Oratores, Stephanus Agrienſis, & Ioannes Chanadienſis Episcopi, qui facta dicendi potestate, gratias egerunt Polonis, quod fidem datam Ludouico de filiabus eius seruarent: idemque deinceps vt facere pergerent, hortati sunt. Dein postularunt, ne sententiam præcipitarent, neu quem prorsus Regem sibi sumerent, donec à Regina matre de filiabus constitutum esset, vtram in Vngaria, vtram in Polonia regnare vellet.

Comitia Vsliciæ, ad quæ Sigismundus venit.

Oratores Elisabetha Regina.

Cupide hęc oratio à cōuentu audita est, & cum decreto Radomscēsis conuentus, & cū voluntate omnium fere cōgruebat: placuitq; alia comitia Siradiam ad vicesimā sextam diem Februarij anni sequentis indici, nequicquam depre-

deprecante Sigismundo, qui offenderat iam Polonorum animos, tum propter Domaratum, tum quod eiici Polonos, cum cibum sumpturus esset, patiebatur, & quod sacerdotium quoddam in Polonia, repudiatis Procerũ precibus, Boemo contulerat. Quocirca repulsam passus, Vislicia discedens Cracouiam diuertere voluit: sed eũ Dobeslaus Curosuancius, Castellanus Cracouiensis nõ intromisit. Ita acceptus à Polonis in Vngariam rediit: sumptus tamen ei de publico suppeditati sunt, quoad per Poloniam iter fecit.

Comitia Siradiæ.

Cum vero instaret tempus præstitutum comitiis, misit Elisabetha Regina Vesprimiensem Episcopum cum aliis duobus proceribus Vngaris Siradiam, qui Polonos de voluntate sua certiores facerent. Hi Reginæ mandato Proceres atq; Nobilitatem iurisiurandi religione, quo S. Mariæ natu maiori Ludouici filiæ, & Sigismundo sponso obstrinxerant, primum soluerunt: deinde, vt regnum ad Heduigim natu minorem decreto comitiorũ deferretur, postularunt: sed vt ea tamen, vbi ad proximum Paschæ in Poloniam deducta & coronata esset, triennio deinceps propter teneram & immaturam regno viroque ætatem in Vngaria apud matrem educaretur. Re in consultationem posita, variæ dictæ sunt sententiæ: & cum non contemnenda pars Senatus atque Nobilitatis ex maiore Polonia bello ciuili distenta abesset, placuit comitia ad vicesimã octauam diem Martij prorogari, & interim per legatos totius conuentus nomine de pace inter dissidentes agi. Frequentes rursus proceres atque equites Siradiam ad constitutam diem cõuenere & omnium pene sententiæ in Ziemouitum Masouiorum Ducem inclinatæ erant, vt ei cum Heduigis Ludouici Regis filiæ coniugio regnum mãdaretur. Cui fauebat & Bozenta Archiepiscopus: atque ei roganti, placeret ne regnum Ziemouito mãdari, magna acclamatione vniuersus conuentus assentiebatur. Sed vnus homo oratione sua mox omnium voluntates conuertit. Ioannes is Tencinius fuit Castellanus Voinicensis, qui impetrato silentio in hanc sententiam verba fecisse dicitur: Non equidem consensum istum & iudicia vestra reprehendo, Proceres: nec à Ziemouito alieno sum animo. Sed videte, ne quam infamiæ labem nomini nostro Polono aspergamus. Ego, si integra ea nobis res esset, liberaque prorsus suffragia, tamen de re tanta consultantibus amplius deliberandum esse censerem. Periculosa enim est in re qualibet inconsulta festinatio: & præceps consilium fere pœnitentia sequitur. Nunc vero cum mortui Regis Ludouici filiæ fidem nostram obstrinxerimus, perpendite cũ animis vestris diligẽtius, an ea præterita recte nobis Regem creare possimus. Equidem fallendi iurisiurandi nunquam vobis autor ero. Quod si quispiam est in hoc cœtu, qui religionem iurisiurandi, sanctissimum societatis humanæ vinculum, paruipendat, ab hoc mihi libere dissentire liceat. Neque enim ego ita sum institutus, vt aut homines fidem meam secutos mentiendo, aut Deum mentium inspectorem, quem volens scienſque iurisiurãdi testem adhibui, peierando, fallã. A vobis quoque Proceres, & à genere nostro talem mentem, seu verius amentiam Deus vt auertat, precor. Quid igitur faciemus? dicet aliquis. Ergone Rege orbi, mutuis cædibus & intestinis bellis peribimus? Procul hoc omen Deus auertat. Quid ergo? dicam, quod sentio. Differendam ego hanc de creando nouo Rege consultationem adhuc esse censeo. Adsunt hic oratores senioris Reginæ, quæ mandata siue adeo postulata ad nos attulerint, non ignoratis. His igitur ita respondendum esse iudico. Non mutare vos id, quod semel cum Ludouico Rege vestro iureiurando dato

Ioan. Tencinij oratio.

dato constituistis. Liberatos autem à Sigismundi Marchionis fide, libenter in Heduigi minore natu filia Ludouici fidem seruaturos esse. Sed quod Polonia tam diu orba Rege in maximo versetur discrimine, etiam atque etiam à Regina seniore petere, vt Heduigim filiam primo quoque tempore ad vos mittat, diadema ritu solenni suscepturam, & nupturam viro sibi nobisque grato, & cum eo regnum administraturam. Quod nisi illa ad proxime venturam Pentecosten desiderio nostro satisfecerit, tum demum testati, non per nos stare, quo minus pacta conuenta cum Ludouico seruentur, siue Ziemouitum, siue alium quempiam Regem creabimus. Neque enim eousque cunctantem, ne dicam, ludificantem nos Reginam expectare debemus, dũ funditus interimus.

Cunctis sententia Tencinij placuit. Igitur in eam itum, ac decretum factum est: in quo illud adiectũ est, vt Heduigis aduenies, si Regina esse vellet, reciperet, se de consilio Procerum nupturam, & in Polonia cum viro mãsuram, & summo studio annixuram esse, vt Vielunensem Dobrinensemque tractum, ac in Russia, quicquid Poloniæ detractum esset, recuperaret. Atque cum hoc responso oratores dimissi sunt, solutusque conuentus. Instante autem Pẽtecoste frequentes proceres & equites Sandeciam, qua Heduigin Reginam designatam venturam esse sperabant, honoris illius causa profecti sunt. Sed illa ad constitutum tempus non venit, cuius moram Palatinus Caliſſiensis, cum mandatis Elisabethæ veniens, excusauit: quod diceret, eam cupientem votis ipsorum satisfacere, Cassouiam vsque peruenisse, inde porro commode progredi non potuisse, imbrium vi & inundatione aquarum prohibitam. Orare autem, quod siue incommodo eorum fiat, vt ipsi Cassouiam ad se veniant, & melius atque certius præsentes cum præsente omnibus de rebus cõstituant. Efficax fuit oratio Palatini: quocirca cætera multitudine domos reuersa, primores de Senatu, nempe Dobeslaus Curosuancius Castellanus, Spitco Melstinius Palatinus Cracouiensis, Ioannes Tarnouius Sẽdomiriensis, Vincentius Kempius Posnanienſis, Sẽdiuoius Subinius Caliſſiensis Palatini, ac Domaratus Castellanus Posnanienſis & præfectus maioris Poloniæ Cassouiam profecti sunt. Ibi antiquato aliquãtulum decreto comitiorum Siradiensium, noua pacta cum Regina inita sunt: nimirum, vt ad tertium Idus Nouẽbris (quæ dies diui Martini Episcopi memorię sacra est) Heduigis in Poloniam veniret, ac de sententia ampliſſimi Senatus matrimonium iniret. Quod si ea postea, nullis liberis relictis, decederet, vt Maria soror cum sua posteritate ipsi in regno Polonorum succederet, viciſſimque idem ius esset Heduigi secundum Mariæ mortem in Vngaria. Ita sempiternum fœdus inter Polonos & Vngaros sancitum.

Comitiorum decretum.

Fœdus sempiternũ Vngarorũ cũ Polonis.

Interea Ziemouitus Masouiæ Dux exactis Siradiensium comitiorũ, & nõ obscuris plurimorum procerum studiis in magnam spem adipiscendi regni & coniugij Heduigis erectus, cum quingentis suis equitibus Archiepiscopo ac Bartholomæo Cosminio comitantibus Cracouiam contendit, eo cõsilio, vt Heduigim ex Vngaria venientem, si potiri coniugio eius aliter non posset, vi raperet. Nec eius aduentus cum tam insigni comitatu latere Cracouienses ciues potuit. Quapropter in vrbẽ intromissus non est, veritis ciuibus, ne per vim eam occuparet: sed in ædibus Prępositi diui Floriani diuertit. Nec ibi diu perstitit. Nam cum suspectum se esse Cracouiensibus intelligeret, veritus, ne qua in se eruptio ex vrbe fieret, postridie Çorcinum, quæ etiam noua ciuitas

appellatur, se recepit. Atque ibi quindecim dies Heduigis aduentum, ac deinde Cassouiensis cõuentus exitum præstolatus, in maiorem Poloniam præpropere abiit, vt maiorum Polonorum studia propensiora in se quam minorum retineret & augeret. Creditum est autem, aduentum Heduigis propter insidias Ziemouiti euitandas tam diu prorogatum fuisse. Ille vero posteaquã animaduertit, nihil se dolis proficere, ad apertam vim conuersus est: missoq; Palatino Plocensi cum expeditis copiis, pleraq; oẽs Cuiauiæ munitiones in suam redegit potestatem, Petrassio Malocha Præfecto, & Castellano Brestensi, qui Crusuiciæ præerat, fauentibus. Et quanquam iis propter non obscura studia in Ziemouitum Stiborius Moscicius successor dat⁹ erat ab Elisabetha, sero tamen is ex Vngaria venit, occupatis iam à Ziemouiti exercitu arcibus. A Brestensibus modo oppidanis crudelitatẽ Ziemouiti formidantibus receptus est: sed non multo post excedere oppido coactus, cũ à Masouiis circũsessus esset. Accepto per deditionẽ oppido, multi oppidani in carcerẽ coniecti, & bonis mulctati: Lencicia quoq; per eundem Petrassium in Ziemouiti potestatẽ venit. Igitur accessione Cuiauiæ & Lenciciæ auctus animo viribusque Ziemouitus, aperte iam regnũ sibi vẽdicare, indictisq; vniuersæ Poloniæ comitiis Siradiam ad decimum quintum diem Iunij cædes & incendia comminari iis, qui dicto audientes non essent. Aduenere Nicolaus Vladislauiensis & Stiborius Plocensis Episcopi, & Bozenta Archiepiscopus cum aliquanta maiorũ Polonorũ caterua. Ibi Ziemouitus ab Archiepiscopo Rex renuncia-tur, acclamantibus, qui aderant ex equestri ordine: coronabatur etiam, ni quidam graues viri dissuasissent.

Ziemouitui Cuiauiam sua potestatis facit.

Ziemouitus indicit Siradiæ comitia.

Rex Polo renunciatur.

Conuentu soluto, Ziemouitus Calissiam cum exercitu contendit, arcẽq; cum oppido obsedit. Ibi se coniunxit cum eo Cõradus Dux Olesnicensium, cum trecentis hastatis adueniens, Odolanouiam mercedis loco concedente Bartholomæo sibi pactus. Quin ipsi quoq; maiores Poloni per idem tempus rursus nouis motibus agitabãtur. Hæc cum ad minores Polonos, apud quos quieta erant omnia, & in Vngariam perferrentur, minores quidem Poloni fratrum vicem doluere, & indictis Cracouiam ad octauum calendas Augusti comitiis, exoratisq; Duce Ziemouito & Bozenta Archiepiscopo, vt ad ea comitia venirent, de pace totius Poloniæ & concordia ordinum cum eis diligẽter egere. Vix tandẽ inducias bimestres confecere. Tametsi perstitit nihilominus in obsidione Calissiæ Bartholomæus, magnisq; incommodis circumiacentes pagos & oppida contemptis induciis affecit, donec à Ziemouito veniente abscedere, & quiescere iussus est. In Cuiauia quoque præfecti & legati Ziemouiti aduersariorum bona nihilosecius vexabant.

Polonia maioris motus.

Comitia Cracouiæ.

Porro Elisabetha Regina Sigismundum Marchionem generum suum cũ duodecim millibus armatorum in Poloniam misit, ad coercẽdum Ziemouitum & factionem eius, pacandamque maiorem Poloniam, quæ nouis motibus agitabatur. Transmisso autem Sigismundus Carpatho monte, apud Sandeciam statiua habuit. Quo cum proceres Cracouienses & Sendomirienses, siue vltro, siue euocati ad eum conueniissent, disceptatum est, an Ziemouito bellũ inferri fas esset, quod alij negarẽt, violandas esse inducias, alij cõtra iam ab ipso priore violatas esse contenderent. Vicitque hæc posterior sententia. Quapropter sumpsere & ipsi cũ Vngaris cõtra turbatorem publicæ pacis arma. Per Radomiensem igitur oram pacato agmine in Masouiam pariter Poloni & Vngari Duce Sigismũdo ingressi sunt, & Ziemouito nusquã faciente pugnan-

Expeditio Vngarorũ aduersus Ziemouitũ.

pugnandi copiam, ditionẽ eius omnem crudeliter igni ferroq; vastarũt. Cæterum Ioannis fratris eius ditione abstinuere, propterea quod is quiescebat, nec temerabat pacta cũ Ludouico publice de regno inita. Peruastata Masouia Sigismundus, in Cuiauiam duxit exercitum & Brestam vndecim dies obsedit. Indutiæ deinde semestres cum Ziemouito vsq; ad Pascha factæ inter uentu Vladislai Opoliensium Ducis: à quo Domaratus, cum studium suum operamq; Sigismundo probare vellet, cum Saxonibus & Pomeranis mercenariis è Cuiauia prædas agens, apud Inouladislauiam non leue detrimentum acceperat, quod per ditionem eius ipso inuito Cuiauiam infestassет.

Masouia vastatur.

Sigismũdus Cuiauiam infestat.

Dum hæc ita geruntur turbanturque in Polonia, Lithuani occasionẽ bene gerendæ rei nacti, Iagellone Olgerdi filio Duce Masouiam inuasere: Drohicinum arcem, quam Ioannes Dux Masouiorum Keistuto Duci socero suo ciuili bello occupato, non ita multo ante vna cum Mielnico, Camenecia, & Surasso interuerterat, obsidione vallauere. Forte tunc aberat præfectus arcis Sassinus Magister curiæ; qui, vbi de periculo arcis, in qua nil ipse præsidij reliquerat, accepit, cum subitaria triginta hastatorum & sexaginta balistariorum manu accurrens, & facto cuneo per medios hostes in arcem perrumpens recept⁹ est à suis. Qua eius audacia Lithuani de spe potiundæ arcis deiecti, abire parabant. Interim Russi quidam, à quibus ora illa fere habitabatur, proditionẽ cum eis pacti, arcẽ incenderunt, & per funes in stationes hostium sese demiserunt. Lithuani arcem flagrantem summa vi oppugnarunt, ne quod spacium Polonis restinguendi incendij darent. Ita plurimi partim hausti incendio, partim hostilibus telis necati sunt. Præfectus vero cum paucis reliquis omni ope desperata viuus in potestatem hostium venit.

Lithuani Masouiam vastant.

Turbauerat vero Polonorum mentes Elisabetha Regina, quod Heduigin filiam ad constitutum tempus ipsis non mittebat. Itaq; frustra expectato Nouembri ac Decembri mense, post initium noui anni millesimi trecentesimi octuagesimi quarti Sendiuoius Subinius Palatinus Calissiensis & Præfectus Cracouiensis, de sententia Episcopi & aliorum procerum Cracouiensis conuentus cum nobilissimorum quorumque adolescentum comitatu ad Elisabetham Iaderam vsq; Dalmatiæ profectus, statum rerum Polonicarum, & postulata Procerum diligẽter exposuit: petiitq; ab ea vt quamprimũ Heduigim ad breue tẽpus in Poloniam mitteret, coronatam mox ipsi remissum iri polliceb atur, vt cũ ipsa esset, donec adolescеret. Quum vero moras Elisabetha necteret, & aliam ex alia excusationẽ quereret, ambiguisq; respõsis Sẽdiuoium duceret, exacerbatus ille, iram non obscure præ se ferre, velleq; discedere innuit. Quod vbi Regina animaduertit, verita, ne is, in cuius potestate erat Cracouia, reuersus turbas cieret, Ioannẽ Tarnouium Castellanum Sẽdomirien sem ad occupandam arcem Cracouiensem misit: Sendiuoium autẽ discedere vetuit. Non latuit Sendiuoium Reginæ consilium: itaq; vnum de comitibus fidelẽ curriculo mittit Cracouiam, qui Tarnouij aduentum anteuerteret, curaretq;, ne arx ipsi dederetur, etiamsi ipse extrema pateretur. Ipse vero clam sese Iadera euoluens, fere intra viginti quatuor horas sexaginta milliaria bene longa (vt sunt Vngarica) crebro mutando equos emensus, Cracouiam lassus peruenit, & proceres de omnibus rebus certiores fecit.

Send. Szubinius Iaderam ad Reginam proficiscitur.

Consilia Regina.

Indixerãt Lelouiam comitia minores Poloni ad secundã diem Martij: sed aduenіente Sendiuoio, Radomscum ea transtulere, vt maiores quoq; Poloni ad ea propinquitate loci inuitati venirẽt, & in cõmune de Republica cõsulerent.

Comitia Radomscis.

rent. Vbi cum multa de ſuperbia & fruſtratione Eliſabethæ, de ſedandis diſſidiis, ac de nouo Rege creando tractata eſſent, neq; tamen creatio noui Regis malorum finem allatura eſſe videretur, eo quod neque foris pacem ob violata pacta cum Ludouico inita, neque domi quietem in tantis animorum ac ſtudiorum diſſenſionibus habituros ſe eſſe iudicabant, tandem placuit, vt Reginæ animum adhuc leuiore legatione pertentarent, ſi forte legati humilitas, quę magnam offenſionem & alienationem animorum ſignificaret, pertinaciam Reginæ frangeret. Deinceps vero, ne quis omnino ad eam neque publice, neque priuatim proficiſceretur. Statuta Reginæ dies octaua Maij, vt Heduigim Cracouiæ tandem ſiſteret, ſi regnare eam in Polonia vellet. Ni faceret, aliter ſibi prouiſuros eſſe. Hæc vt ita rata manerēt, iureiurando ſe mutuo obſtringunt.

Miſſus eſt itaque cum his mandatis Prædislaus Vauelius, equeſtri familia non illuſtri: qui commouit Reginam, ita, vt Sigiſmundum generum ſuum, viris, equis, armiſque inſtructum, ad gubernādam Poloniam, tantiſper dum adoleſcat Heduigis, mitteret. Quod vbi apud Polonos proceres percrebuit, indignati ludibrio ſe eſſe fœminæ, eiuſque & Vngarorum arbitratu ſibi præfectos atque adeo dominos imponi, & Sigiſmundū peculiariter peroſi, exercitum contrahunt, & ad Sandeciam contēdunt: inde Lubouuliam ſiue Liblium, quæ tunc Vngariæ ditionis erat, legationem ad Sigiſmundum mittunt: monent, ne ſe inuitis in Poloniam veniat: ſi ſecus faciat, pro hoſte ſe eum habiturum eſſe. Itaque repreſſit gradum Sigiſmundus: ſed illud impetrauit à Polonis, vt nonnulli de primoribus ad ſe venirent, ac de rebus quibuſdam ſecum conſtituerent. Miſſi Spiteo Melſtinius, Sendiuoius Subinius, & Ioannes Tarnouius: à quibus illud modo impetrauit Sigiſmundus, vt aduentus Heduigis ad Pentecoſten vſque expectaretur. Author expectandi maxime Sendiuoius fuit, quod ei Sigiſmundus receperat, liberaturum ſe eſſe nobiles illos adoleſcentes, qui poſt fugam ipſius Iaderæ detenti in cuſtodia aſſeruabātur, qui fere propinqui erant Sendiuoij. Neque tamen præſtitit promiſſa Sigiſmundus propter motus fortaſſis illos Vngaricos, quibus agitabatur. Interim rurſus nō quieſcebat maior Polonia, certatumque eſt mutuis cædibus ac captiuitatibus inter proceres & equites. At vero Cracouienſes & Sēdomirienſes proceres ad octauum diem Maijſ, quemadmodum cōſtituerant conuentum rurſus egere apud Sandeciam, Heduigiſque aduentum præſtolabantur. Sed cum ea non veniret, placebat rurſus oratores mitti in Vngariam, ni Prædislaus Vaueliꝰ diſſuaſiſſet, quod diceret, aut ſe mendacij, aut conuentum omnem leuitatis argutum iri, ſi, cum conſtituiſſent, & Reginæ denunciaſſent, neminem ſe deinceps nec publice, nec priuatim ad eam proficiſci paſſuros eſſe, nouam legationem mitterent, contemptumque iri eam legationem. Itaq; placuit in commune, vt mittenda legatione pariter & creando Rege ad tempus adhuc ſuperſederent.

Sigiſmūdus in Poloniam venire prohibetur.

Maioris Poloniæ motus.

Conuentus Sandeciæ.

Sendiuoius vero Subinius, cuius animū inprimis angebat nobilium adoleſcentium detentio, priuatim in Vngariam profectus, perfecit tandem, vt Heduigis in Poloniam veniret. Comitati ſunt eam Demetrius tituli ſanctorū quatuor coronatorum Presbyter, Cardinalis, & Archiepiſcopus Strigonienſis, & Ioannes Chanadienſis Epiſcopus, & plures alij proceres Vngari. Ad cuius aduentus famam exciti Polonorum Proceres cum frequēti Nobilitate Cracouiam accurrere, & qui tempore aduenerant, venienti vſque ad fi-

Heduigis in Poloniam aduentus.

ad fines Vngarię obuiam profecti ſunt. Deducta Cracouiam honorifice cum perampla ac ſplendida aurea & argentea, & ſtragulæ veſtis ſupellectili, idibus Octobris (qui dies memoriæ diuæ Heduigis Lignicenſis apud Polonos feſtus eſt) Regina Poloniæ renunciata, & à Bozenta Archiepiſcopo ſolenni ritu inuncta & coronata eſt, magna omnium lætitia & fauſta acclamatione; regnique ampliſſimi adminiſtratio teneræ puellæ commiſſa. Lenitum erat in animis Polonorum Regis deſiderium, propter ſuaues & liberales mores Heduigis Reginæ, cum verecundia, modeſtia, prudentia, decentique ſuauitate coniunctos: quarum virtutum non vulgare condimentum erat, forma corporis eximia. Nec grauatim viri muliebri imperio pariturī eſſe videbātur, niſi ad domeſticas procerum diſſenſiones ſedandas, & externorum bellorum impendentium motus, parum auctoritatis & præſidij fore in puella iudicaſſent. Nec ſatis in tuto Reginæ pudor illa ætate, illaque forma, & neceſſaria cum viris conſuetudine ſine coniugio futurus erat. Adhæc poſteritati quoq; proſpiciendum erat. Itaq; noua cura procerum animos inceſſit, de adiungendo Reginæ marito, qui regiam dignitatem, molemque rerum maximarum recte ſuſtinere poſſet. Deſtinarat quidem Ludouicus Rex adhuc viuens generum ſibi & ſucceſſorem in Vngaria, ſiue in Polonia, Vilhelmum Auſtrię Ducem, quem puerum admodum in aula ſua educarat, promiſſo ei Heduigis filiæ matrimonio. Sed non magnopere Polonis placebat eum habere Regem, qui propter paternum principatum lōgo ſpacio & interiectu terrarum à Polonia diſtantem, longius aliquanto à regno abfuturus eſſet: nec multum opis princeps tenui fortuna & potentia domeſtica Poloniæ in rebus dubiis afferre poſſet.

Heduigis regina Pol. renunciatur & coronatur.

De Rege marito conſultatio.

Dum autem diutius de re tanta conſultatur, commodum aduenerunt ab Iagellone magno Duce Lithuanorum Oratores Skirgello & Boriſſus fratres Principis, perampla munera Heduigi Reginæ attulerunt: coniugium eius regnumque dotale Principi ſuo petiuerunt: multa magnaque pollicentes, quæ ad amplitudinem Reipublicæ Polonæ, & ad incrementum religionis Chriſtianæ pertinere videbantur. Non ſurdis auribus oratio illa à Proceribus Polonis audita eſt. Cæterum Heduigis abhorrebat à barbari matrimonio. Propoſitæ oratoribus cauſæ, quamobrem non impetrarent, quibus de rebus veniſſent: nimirum quod Chriſtianæ cum barbaro nuptæ eſſe non liceret, & quod pacta iam quædam cū Vilelmo Auſtriæ Duce de matrimonio prius interceſſiſſent, adiecta ducentorum millium florenorum pactione, ni pactis conuentis ſtatum eſſet. Ad hæc oratores reſponderunt. Quod ad religionem Chriſtianam attineret, Iagellonem cum cæteris fratribus Chriſtiana matre natum, iam inde ab ineunte ætate Chriſtiana religione imbutum, non alienum ab ea gerere animum, quamuis eius myſteriis de more initiatus non ſit. Illa vero ducenta millia ipſum etiam præſtaturum, ac ſi neceſſe ſit, exoluturū eſſe, theſauroſque ſuos omnes & maiorum ſuorum in Poloniam comportaturum, & Lithuaniam Poloniæ adiuncturum, vt eodem deinceps cum ea imperio cenſeatur. Permouebant hæc magnopere Polonorum animos: magna videbatur fore ad amplitudinem regni Lithuaniæ acceſſio: perutile non modo pacem, verum etiam auxilium eius gentis adiungere, cuius hoſtiles excurſiones, quibus magna pars Poloniæ ſuperiori tempore ad vaſtitatem redacta eſſet, perdifficulter cohiberentur: præclarum & glorioſum nomini Polono, ſi eius opera Lithuania religionem Chriſtianam ſuſciperet. Verum

Legatio Iagellonis ad Reginam & Polon. proceres.

Conditiones futuri matrimonij.

Oratores Lithuani in Vngariam profecti.

tamen nihil præter senioris Reginæ sententiam iis de rebus statuendum esse visum est, ad quam Heduigis etiam prouocabat, cum aliter Procerum postulationem recte refutare non posset. Itaque missi ad Elisabetham oratores in Vngariam, optatum responsum retulere. Respondit enim eis Elisabetha: si id Poloni ex re sua publica fore existimarent, nõ remoraturam se esse eorum commoda, neque religionis Christianæ incrementa præcisuram. Nec multo post in Croatiam cum altera filia tendens ab Horuato Bano è medio sublata est. Hoc responsum Elisabethæ quum in Poloniam relatum esset, de vniuersi conuentus sententia (in quo tamen pauci aderant ex maiori Polonia, siue quod Ziemouito fere fauebant, siue quod intestino bello distinebantur) Lithuani oratores dimissi, & Vulodicus Ogrodonecius, & Cristinus Ostroui', itemque Petrus Szafranecius, & Hincia Roscouicius, legati ad Iagellonem cum eis missi sunt, vt eum ad coniugium Heduigis & regnum Polonorũ vocarent, si is supra memoratas conditiones accepisset, iureiurandoque suo stabilisset: vna insuper adiecta, de recuperandis iis, quæ in eum diem à iurisdictione Polonorum Regum quoquo modo exciderant. Cum Ziemouito autem transegit Regina his conditionibus, vt is munitiones in Polonia sub interregno captas redderet: ac pro iis decem millia sexagenarum Pragensium ab ipsa acciperet. Cuiauiam autẽ hypothecæ nomine retineret, donec ea pecunia sibi numeraretur. Captiui vtrinq; dimitterentur liberi. De iniuriis intra inducias vltro citroq; illatis & acceptis, delecti vtrinq; arbitri arbitrarentur: pactum, quod de Lẽcicia cum Proceribus Polonis Ziemouitus iniuerat, esset irritum: deniq; Mogilnense monasterium idem Ziemouitus recuperaret, ac redderet.

Polonorum legati ad Iagellonem.

Regina pactacũ Ziemouito.

Vilhelmus Austriacus Cracouiam appulit.

Dum hæc ita fiunt, interim Vilhelmus Austriacus certior factus de statu rerum Polonicarum, ac de propensa Heduigis Reginæ erga se voluntate, eius ipsius nutu (vt creditum est) à Gnieuossio Daleuicio Succamerario Cracouiensi (cui se illa concredebat) admonitus, ne ipse sibi deesset, cum splendido comitatu & apparatu magnisq; diuitiis Cracouiam inopinat⁹ aduenit. Sed arcis ingressu Dobeslai Curosuancij Castellani Cracouiensis, & aliorũ Proceerum autoritate prohibitus in vrbe diuertit: conuenitq; cum eo identidem Heduigis Regina in cœnobio diui Francisci luce clara, aulico suo virorum ac puellarum comitatu stipata, choreisque indulsit: & in vrbe optatis nuptiis cum eo defungi tentasset, nisi Demetrius Goraius Thesaurarius regni ei dissuasisset. Intelligens autem Vilhelmus, palam sibi Polonos Proceres aduersari, simul de aduentu Iagellonis certior factus, post aliquantam moram clam se euolуit Cracouia, depositis apud Gnieuossium thesauris, quos secum apportarat. Vnde Gnieuossius postea multas amplasque possessiones sibi comparasse existimatus est, sed quæ tamen à liberis eius deinde turpiter distractæ & dilapidatæ sunt.

VLADISLAVS IAGELLO.

Anno Chr. 1386.

ADuentabat iam cum fratribus Iagello, & cũ magno comitatu Lithuanorum: sed ei Heduigis nupturam se non esse præ se ferebat, Vilhelmi amore capta, cui se à patre desponsam esse, eodemque lecto paruulam cum paruulo cubuisse asseuerabat. A Iagellone vero eo magis abhorrebat, q̃ eum breui statura, deformem, & barbaris moribus esse accepisset. Negabant Proceres, valere id matrimonium, quod inter impuberes contractũ esset. De Iagellone autem orabãt Reginam, vt maiorem Reipublicæ & religionis Christianæ propagandæ, quam suarum voluptatum rationẽ duceret. Vbi emollitus est muliebris animus, cum multiplici persuasione & precibus, tum legatione Zauissæ Olesnicij, qui ad contemplandam speciem moresque Iagellonis per speciem salutandi missus, vtraq; commodiora opinione in illo esse renũciarat, tum demũ pauci proceres ei obuiam profecti sunt, in quibus principem locum Spitco Melstinius Palatinus Cracouiensis obtinebat. Plures eum Cracouiæ cum Regina expectarunt. Aduenit autem Cracouiam Iagello duodecima die Februarij anno Christi millesimo trecentesimo octuagesimo sexto habens in comitatu suo cum alios Duces & proceres Lithuanos atque Russos, tum Borissum & Suidrigellonem fratres germanos, & Vitoldum patruelem. Iam enim eum sibi è Prussia reuocatum reconciliauerat, concesso ipsi Grodnensi dominatu, Brestia, Drohicinio, Mielnico, Bielsco, Surasso, Camenecia, & Volcouisco oppidis ac territoriis, pactus sibi fidẽ & obsequium eius. Aduenientis in thalamo Heduigin Reginam magna cum admiratione eximiæ formæ eius salutauit: postridie vero perampla ei dona cum Vitoldo, Borisso, & Suidrigellone misit. Priusquam autem cum Heduigi matrimonium iniret, vna cum fratribus & proceribus, atq; vniuerso comitatu suo (exceptis iis, qui iam apud Russos initiati erant) decimaquarta die mensis Februarij à Bozenta Archiepiscopo, & Ioanne Episcopo Cracouiensi sacro fonte ablutus, & Christianæ religioni initiatus, Vladislai nomen accepit: atque ita mox matrimonium cum Regina solenni ritu cõtraxit, Lithuaniamque omnem cum Samogitia, & ea parte Russiæ, quæ in ditione ipsius, fratrumque & patruelium eius erat, Poloniæ iure sempiterno adiunxit, & in vnum corpus redegit, iureiurando interposito, & obsidibus datis ipso Vitoldo, Michaele Duce Zaslauiensi, & Lubarto Duce Lucensi. Quarto autem die post inunctus ab Archiepiscopo diadema regium nouum suscepit. Nam vetus in Vngariam à Ludouico asportatum, nondum ad eam diem reportatum erat. Sequenti die in vrbem solennĩ pompa deductus, & in foro posito solio collocatus iusiurandum à Cracouiensibus & cæteris oppidanis de more accepit. Lithuani quoque & Russi Duces atque Proceres, qui tunc aderant, in verba Regis & Reginæ iurarunt: indultumq; est postea conuiuiis, chorcis & lusibus complures dies.

Iagello aduenit Cracouiam.

Baptisatus nomen Vladislai accepit.

Cum Heduigi matrimonium contrahit.

Vladisl. Iagello coronatur.

Per hos dies Magister Crucigerorum Prussicorum Cõradus Zolner, spreta inuitatione Regis & Reginæ, qua ad nuptias per Demetrium Goraium inuitatus erat, hostiliter in Lithuaniam vacuam tũc ducibus & militibus duplici agmine inuasit: & longe lateque eam depopulatus, Lucomliam arcem vi cepit, Andreamque Iagellonis fratrem, apud Russos religionem Christianam professum, quo autore & concitatore expeditionem illam susceperat, ei præfecit: cui se Polocenses quoq; dediderũt. Eodem vero tempore ex composito Russorum Smolensciorum Dux Suentoslaus Lithuaniam & ipse circum Vitepscum & Orsam vexauit, Mescislauiamque oppugnauit. Hæc vbi accepit Iagello, mox Skirgellonem & Vitoldum cum Lithuanis, & cum Polonis voluntariis in Lithuaniam misit: qui festinantes, cum Crucigerorum exercitum Lithuania excessisse didicissent, Lucomliam partim trucidato, partim ejecto Andreæ præsidio receperunt. Inde Mescislauiam profecti, nihilo maiori negocio oẽm eam oram in potestatem suam redegerũt, Suentoslaoq; interempto, filium ei⁹ Georgium iurare in verba Vladislai & Skirgellonis

Cruciferi Lithuaniam vexãt.

Suẽtoslaus Dux Smolensciorum Lithuaniam infestat.

Smolenscij à Polonis & Lithuanis subacti.

nis iussum, Smolensciis præfecerunt. Polosçum quoque recuperarunt, ac de auctoribus defectionis pœnas sumpserunt. Dedit & Andreas Dux postea temeritatis suæ pœnas, toto triennio in arce Chencinensi squalore carceris confectus.

Rex in maiorem Poloniam cũ Regina se recipit.

Cæterum Rex ipse Iagello, perfectis rite solennibus regni susceptí ceremoniis, ad pacandam maiorem Poloniam animum intendit: profectusque eo cum Heduigi Regina, & magno comitatu armatorum minorum Polonorum, Posnaniæ sacrum pascha peregit, & Grimaliorum atque Nalenciorum familias, capitalibus odiis inter se dissidentes, cum ducibus suis Domarato & Vincentio Palatino, in concordiam reduxit. Bona Ecclesiastica à quibuscunque per vim siue dolum occupata erant, iustis dominis restituit: Bartholomæum Cosminium, prædonicam exercentem, & venire ad se cõtumaciter & prætracte recusantem, proscripsit: Ioannem Venetium iudicem terrestrem Posnanienses tractus, qui propter iniusta iudicia, & scelera perpetrata cruenti dæmonis cognomen meruit, confiscatione bonorum & carcere puniuit. Quum autem Gnesnam veniisset Vladislaus, & commeatum siue stationem, vt vocant vulgo, à collegio eius basilicæ petiisset, nec impetrasset, fertur more barbarico oppignorasse facultates adscriptitiorum ecclesiæ. Verũ cum eam ob rẽ sacris ciuitati interdictũ esset à Nicolao Strosbergo Præposito & vicario Archiepiscopi, reprehensus à Regina Vladislaus, pignora capta reddi iussit. Ibi illa suspirans: Pignora quidem reddemus, inquit, agrestibus, cæterum lachrymas quis eis reddet. Sic tunc res maioris Poloniæ perturbatas admodum placide Vladislaus composuit. Autumnus totus cum æstate his rebus constitutendis datus. Hyeme & sub anni sequentis initium Vladislaus nouus Rex ingenti procerum atque equitum Polonorum caterua stipatus, vna cum Regina in Lithuaniam se contulit: Archiepiscopum Gnesnensem, & multos sacerdotes, ac pios homines secum ducens. Ziemouitus etiam & Ioannes Masouiorum, & Conradus Olsnicẽsium Duces eum comitati sunt.

Iudex iniustus punitus.

Conuentus Lithuanorum.

Conuentu Vilnam indicto ad initium quadragenarij ieiunij, cõuenerunt eo Skirgello Trocensium, Vitoldus Grodnensium, Volodimirus Kiouiensium, & Coributus Nouogrodensium Duces, fratres Principis, & infinita equitum plebisque multitudo. Ibi de religione Christiana populariter suscipienda, ac de exterminando cultu falsorum Deorum & omni superstitione diligenter actum, ipso Rege maximam ei rei nauante operam, non solũ hortando, ac orando, & præmiis inuitando, sed etiam docendo: quum Polonici sacerdotes linguæ imperiti essent, ipse autem Rusficam callens, Polonos loquentes intelligeret. Ægre gens barbara maiorum suorum religionem relinquebat: sed cum iussu Regis sacer ignis extinctus, templum araque eius diruta, & adytum (vnde oracula à sacerdote edebantur) euersum Vilnæ esset, necatique serpentes & succisi luci, quos pro diis colebant, nulla cuiusque læsione (quod præter opinionem barbarorum acciderat:) tum vero barbari vanitate sua agnita alacriores ad Principum suorũ religionem facti, & aliquot diebus capita religionis, quod Symbolum vocatur, & orationem Dominicam (pio Rege nullum laborem subterfugiente) edocti, Christianis mysteriis de more initiati sunt. Sed cum immensi laboris esset, singulos sacro fonte tingere, nobilioribus tantum hic honor habitus est: reliquum vero vulgus turmatim distributũ, aqua lustrali siue sacra à sacerdotibus consperſum est:

Regis studium religionis Christiana propaganda.

Lithuani baptisantur.

vnumque nomen cuique turmæ tam virorum, quam mulierum inditum. Plurimam ex his multitudinem Rex aduectis è Polonia pannis lancis & calceis vestiuit, cum ad eum diem gẽs illa conficiendarum earum rerum ignara esset, sed aduectitiis tantum nobiliores vterentur: nam vulgus agreste peronibus magna ex parte etiam nunc vtitur, & lineis vestibus, pelliceisque tunc vtebatur. Basilica deinde Vilnæ condita est, & reditibus amplis atque sacerdotiis locupletata, ac D. Stanislai memoriæ à Bozenta Archiepiscopo consecrata est, institutusq; in ea Episcopus Andreas Vassilo Polonus, qui Elisabethæ Reginæ à confessionibus fuerat. Septem præterea paroeciæ à Rege cõstitutæ & dotatæ sunt, quarum templis Regina plurimam supellectilem ad cultum diuinum accommodam largita est. Remissa deinde Regina in Poloniam Vladislaus Rex totum annum in Lithuania Christianæ religioni propagandæ vacauit: Dobrogostium Posnanienſem Episcopum, ad Vrbanum Pontificem allegauit, cique se dicto audientem fore solẽni Regum Christianorum more promisit. Postea Vitepscum & Polosçum profectus, nouos motus sedauit, sumptò de seditiosis supplicio. Inde Vilnam reuersus, Skirgellonem Trocensium Ducem fratrem suum pro se summæ rerum apud Lithuanos præfecit: legem condidit, ne Russis & catholicis matrimonium inter se contrahere liceret, nisi Russus, vel Russa à suis ad catholicos transiret: aliam item, qua bona ecclesiastica omni onere, labore, pensione & iurisdictione Principis & profanorum quorumuis liberauit. Sorori Alexandræ Ziemouito iuniori Masouio in matrimonium collocatæ magno apparatu nuptias fecit, Radomiensemque ditionem nouo affini in dotem promisit.

Skirgello à Rege præfectus Lithuaniæ.

Reuertens autem in Poloniam, per Russiam iter fecit: Creslaumque Curosuancium Castellanum Sendomirienſem Lusco præfecit: Leopoli Petrum Palatinum Moldauiæ siue Valachiæ cum proceribus ipsius, solenni iureiurando adactos, in fidem & clientelam accepit: quum ij ab Vngaris sub interregno defecissent. Nec diu post discessum Regis quietæ res fuerũt in Lithuania. Cum enim esset æmulatio inter Skirgellonem & Vitoldum, indignumq; duceret Vitoldus, excelsi animi vir, deteriori parere, nec stare promissis Regem, aut respondere spei meritisque suis animaduerteret, nec ignoraret etiam, Skirgelloni homini feroci viciſſim se suspectum esse, metuens eius insidias, Grodno & Brestia arcibus suis valido præsidio firmatis, in Masouiam ad Ioannem Ducem sororium suum cum Anna vxore profugit, inde ad Ziemouitum fratrem eius se contulit. Sed ab vtroque inhumanius tractatus, in Prussiam ad Cruciferos contendit: à quibus comiter acceptus & habitus est, quod ij per eum facile se Samogitia & Lithuania potituros esse sperarent. Interim Lithuania Cruciferorum Prussicorum pariter & Liuonum armis vexata est, & in duas factiones, quarum altera Vitoldo, altera Skirgelloni fauebat, diuisa intestinis dissidiis laborare cœpit. Veritus autem Vladislaus Rex, ne Vitoldus Vilna Russorum impensius ipsi fauentium proditione per ignauiam Skirgellonis potiretur, misit eo Nicolaum Moscorouium cum mediocri militum Polonorum præsidio & apparatu bellico, vt arcem vtramq; tueretur. Icerat quidẽ Vitoldus fœdus cum Cruciferis, & spe potiundæ Lithuaniæ ab eis onerabatur: sed cum suspectam eorum fidem, siue vana suspicione, siue coniecturis quibusdam habere cœpisset, clam sibi per internuncium Vladislaum Regem proditionem Russorum & Lithuanorum metuentem reconciliauit, & accepta ab eo spe adipiscendi principatus, in Lithuaniam in-

Lithuanorum Ducũ aissensio.

Vitoldus in Masouiam fugit, inde ad Cruciferos.

Lithuania vexatur à Cruciferis.

Vladisl. Regi reconciliatus Vitoldus in Lithuaniam reuertit.

scientibus Cruciferis reuertit, & in itinere trés arces eorum Samogitis confines, cum velut socius & amicus intromitteretur, cepit & exussit, praefectis & praesidiariis militibus Cruciferorum partim caesis, partim in seruitutem abductis, vt aliquo tamen cum munere ab hostibus ad suos rediret. Cum autem spem sibi datam à Rege diutius duci videret, consilium cepit Vilnæ per proditionem capiendæ. Verum fraude intempestiue detecta, spe frustratus, in Prussiam, reconciliatis sibi per literas & internuncios Cruciferis, sese recepit, indeque biennio Lithuaniam cum auxiliis eorum infestauit.

Vitoldus iterũ transit ad Cruciferos.

Lites & simultates inter Regẽ & Reginã.

At in Polonia lites & simultates inter Regem & Reginam, suspicionibus quibusdam ac susurronum delationibus excitatæ eousq; increuerant, vt nõ longe essent à dissidio, ni se Primores interposuissent. Conuenit tandem, vt delatores vtrinque ederentur. Editus est Gnieuossius Daleuicius Succamerarius Cracouiensis, qui optimam fœminam Heduigin Reginam clam apud maritum Regem probri insimularat, quod diceret, absente illo Vilhelmum Austriacum Cracouiam secreto venisse, & aliquot diebus cum Regina consueuisse. Qua de re satisfecit Regina Regi iureiurando: verum in Gnieuossium iudicium de infamia Visliciæ in conuentu Procerum institutum est: ibique accusatus & damnatus Gnieuossius, quum non probasset, quæ dixerat: nec dixisse se negare posset, ex decreto iudicij mentitum se esse clara voce & latratu subter scamnum edito professus est. Est autẽ ea grauissima apud Polonos & infamiæ plena mendacij retractatio, quæ fit publice latratu canino adiuncto. Ita sublata omni suspicione, amor cõiugalis est inter Regem & Reginam redintegratus.

Mendacij retractatio pœna apud Polonos.

Fecit deinde Vladislaus Rex anno Christi millesimo trecentesimo nonagesimo expeditionem in Lithuaniam, vt gliscens inter Lithuanos & Russos studio partium dissidium reprimeret, Vitoldiq; potentiam frangeret, atque excursiones arceret: cuius iuuandi gratia Cruciferi exercitum in Germania & aliis exteris oris comparabant. Tenebantur Vitoldi praesidiis arces Brestia, Camenecia Podlassensis, & Grodnum, è quibus crebræ fiebant in finitimas oras excursiones. Eas igitur arces primũ Rex in ditionem & potestatẽ suam redigere adortus, Brestam intra decimum diem occupauit, & Hinciam Rogouium Polonum cum praesidio ibi collocauit. Inde, cum Poloni milites impatientia frigoris (nam initio Februarij hæc agebantur,) & pabuli commeatusq; penuria missionem efflagitassent, cum aulico suo comitatu & paucis voluntariis ad Cameneciam castra mouit, captamque nullo negocio arcem Zindrami Mascouicij equitis Poloni fidei commendauit. Inde porro nihil paucitate suorum, ac dubia Lithuanorum ac Russorum fide deterritus, transmisso Nemeno fl. ad Grodnum castrametatus est. Ibi conuenere ad eum Skirgellonis, Volodimiri, & aliorum Lithuanorum ac Russorum Ducum, ac Procerum non contemnendæ copiæ. Coributhus vero Nouogrodensium Seuerianorum Dux, cum Russis de religione sentiens, pro se ipse cũ insigni equitatu in castra Regis fratris venit. His copiis Grodnum, cum non facile vi caperetur, obsessum est. Non latebant hæc Vitoldum, nec ignorabat is, Grodnenses diuturnam obsidionem ferre non posse. Protinus igitur cum non parua Cruciferorum manu in auxilium suis aduenit, ac cis Nemenum è regione arcis castris positis, nouam arcem in aggesto ex terra tumulo munire instituit. Verum nihil ea re obsessi releuabantur. Et iam inferior arx inspectante ipso expugnata erat. Igitur intermisso cœpto opere, Vitoldus ferream

Regis expeditio in Lithuaniam.

Vitoldus cum Cruciferis.

ream catenam nauibus deuectam per flumen ad arcem deligauit, eaque continuatis nauibus in flumine pontẽ iunxit, quo facilius laborantibus suis subueniret. Contra id opus regij milites ingẽtes pinus siue pinastros in ripa succisas, & in amnem deiectas secundo flumine implerunt, quæ impetu rapidi amnis celiter delatæ catenam perruperunt, nauesque nonnullas cum hominibus obluctantibus attriuerunt ac demerserunt. Ex quibus vnus quispiam Germanus in vlteriorem ripam ad regia castra, frustra inclamantibus suis, vt in vndis periret potius, quam in hostium potestatem veniret, enatauit. De quo rerum hostilium status omnis cognitus est. Insequenti autem nocte Vitoldus cum suis desperata defensione arcis fugienti similis discessit, & arx post quinquagesimum obsidionis diem in ditionem Regis venit. Nec sane multo leuior ea obsidio obsidentibus, quam obsessis fuit. Tanta enim commeatus pabulique penuria pressi sunt, vt vix ater panis (quali etiamnum vulgus Lithuanorum fere vtitur) militibus ad vescendum suppeteret: equis vero frondes arborum, ac vetus palea de rusticanis tuguriis detracta, ac per quatuordecim miliaria petita pabuli loco esset. Ab ea Grodni deditione Vladislaus Rex in maiorem Poloniam profectus est, in qua Varcislaus Pomeranorum Dux ritu ceremoniaque solenni iureiurando praestito in fidem & clientelam regni, ac in societatem contra Cruciferos à Rege receptus est.

Rex in maiorem Poloniam proficiscitur.

Interea vero, dum Rex expeditione Lithuanica occupatus fuit, fertur Heduigis Regina alterum de Polonis exercitum comparasse, & Iaroslauiam, Praemisliam, Grodecum, Haliciam, Trebouliam, superiorem Leopolim, & alias quasdam arces in Russia meridionali in potestatem suam redegisse, eiectis Silesiis & Vngaris, quorum fidei arces illæ à Ludouico Rege olim commendatæ erant. Maturescentibus autem segetibus, cum Lancaster Heinrici Regis Anglorum filius cum permagna Anglorum, Francorum, Germanorumque voluntariorum manu in Prussiam piæ contra barbaros militiæ opinione venisset, triplici agmine in Lithuaniam itum est, Vitoldi vindicandi restituendique praetextu, reuera autem, vt Lithuaniam sibi Cruciferi subiugarent. Ducebat autem vnum agmen Vitoldus, alterum Magister Crucifer orum Liuoniæ, tertium ipse dux belli Cõradus Valerodus Magister Prussię. Ad Caunam igitur initio eæ copiæ conuenere, inde ad Trocos peruentum, & mox ad ipsam Vilnam castra mota. Ibi regij hosti aduentãti, occurrere, cõmissoq; prælio terga dedere, multis fortibus viris amissis. Deinde arx Vilnẽsis inferior, quam Curuam vocant, vixdum obsessa à proditoribus Russis & Lithuanis succẽsa est. Ex quo incendio cum sese Corigello frater Regis subduceret, ab hostibus exceptus, & capite plexus est. Cætera multitudo omnis in ea arce partim absumpta incendio, partim ferro hostili crudeliter cæsa. Ad quatuordecim millia hominum ibi periisse existimantur. Superiorem arcem Poloni cum Moscorouio praefecto tenebant, nec aut clade suorum, & cõflagratione arcis inferioris, aut minis hostium & ostentatione capitis Corigellonis, ac ne acerrima quidẽ oppugnatione, qua pars muri non exigua deiecta erat, ad deditionem cõpelli poterant. Veriti autem proditionem ipsi inter se custodias, ac cætera defendendæ arcis munia, submotis Russis ac Lithuanis, partiti sunt. Loca deiecti muri vel humo simoq; opplebãt, vel coriis iumẽtorũ laxe prætendebant, & sic ictus bõbardarum eludebãt. Skirgello quoq; Re-

Cruciferi Lithuanis bellum inferunt.

Lithuani à Cruciferis fusi.

Strages Lithuanorum.

gis frater noctu fere cum suis Lithuanis & Russis erumpens, non paruis detrimentis & cladibus hostes afficiebat. Cum autem plus minus tres menses arx irrito labore obsessa & oppugnata esset, primis demum Octobris diebus hostes magna non modo profanarum, sed & sacrarum ædium vastitate, & inermium hominum infantumque cæde perpetrata, ab obsidione discessere. Non paucos tamē & ipsi fortes viros in ea obsidione desiderauere. De Ducibus autem hinc Narimūdus Iagellonis, illinc Totiuilus Vitoldi frater periere: hic quidem tormēto ex arce ictus, ille vero in singulari certamine victus, captus, & pedibus ex vlmo iussu Vitoldi suspensus, & sagittariorum spiculis confectus. Depopulatus est deinde finitimam Prussiæ Samogitiam Vitoldus cum Commēdatore Ragnetensi & præfecto Insterburgensi, quibus hoc negocij datum erat à Magistro. Quare Vladislaus Rex opem laturus afflictæ patriæ, mense Nouembri magnis comitatus copiis, commeatuque copioso in Lithuaniam venit, & nutantes Russorum ac Lithuanorum animos liberalitate & largitione maxime lanearum vestium confirmauit. Nec tamen ibi diu moratus submini strato opportuno commeatu, Ioannequc Olesnicio in Nicolai Moscorouij locū suffecto, in Poloniam est reuersus, cum nullo modo Moscorouium in ea præfectura diutius retinere potuisset: qui partim Skirgellonis, quē postea Rex Kiouiensi oræ præfecit, superbia offensus, partim ob hostium potentiam, partim ob fluxam incolarum fidem aliquid laude dignum se præstare non posse ratus magnopere se excusabat. Drohicinensem vero tractum cum Drohicino, Mielnico, & Bielsco arcibus Ioanni seniori Duci Masouiæ hæreditario iure donauit, pactus, vt is tractus, sicut ad Poloniam pertinebat, ita deinceps quoque pertineret. Idem autem eius nomine Dux Regi præstaret, quod alij Duces in Lithuania præstant. Hyeme postea Rex in Poloniam reuertit, ac milites in supplementum commeatum atq; arma Olesnicio in Lithuaniam transmisit.

Vladislai expeditio in Lithuaniam.

Vitoldus rursus ad Vilnam ducit exercitum.

Æstate sequenti rursus Vitoldus cum Cruciferis ad Vilnam duxit exercitum, spe proditionis ab iis, quibus exosus erat Skirgello (quem inde amotū esse nondum cognouerant) faciendæ inductus. Cognito vero aduentu hostium, Olesnicius oppidum, ne receptaculo esset hostibus, cremauit, septisque de viridi robore pluribus in locis extructis, aditum ad arces impediuit, & inuenientes hostes ad ædem diuæ virginis intra mœnia vi bis impetum fecit. Animaduersa Polonorum audacia, desperataque ob amotum Skirgellonem proditione, Vitoldus & Cruciferi paucis diebus soluerunt obsidionem, & nenihil egisse viderentur, reuertentes Vilcomiriam & Nouogrodecum castella supra Vilnam fl. vi cepere & incendere, interfectis Polonorum præsidiis. Duabus deinde aliis excursionibus eadem æstate Lithuaniam populati Medinicos & Velzanos in Samogitia exussere. Hyeme vero ad Caunam quæ regio præsidio tenebatur, profecti tres munitiones in circuitu excitarunt, Naugardum Metemburgum, & Ritteruerderum, ex quibus subiectam oram infestarūt. Porro Olesnicius, vt hostium conatus reprimeret, Alexandrum Viguntum Regis fratrem cum expeditis copiis ad expugnandas eas munitiones misit. Ceperat iam Vladislaum Regem eius belli satietas propter Polonicas occupationes, quibus distinebatur, & magnitudinem sumptuum. Cogebatur enim per omne id bellum frumento, leguminibus, & pecudibus submittendis non modo præsidiariorum, sed & totius gentis inopiam releuare, ne regio hostilibus excursionibus peruastata, & alioqui inculta tunc fere atq; ster-

Comeatus Lithuanis suppeditatus à Polonia.

ilis desereretur, & ab hostibus occupanda permitteretur. Itaque Henricum Ziemouiti Masouij filium, qui Plocensis Episcopus post Sciborij mortē designat⁹ erat, subornat, vt ad Vitoldum profectus clam de pace ageret. Sublatus erat veneno per eos dies Alexander Viguntus Regis frater, qui propter industriam ac dexteritatem in rebus agendis Regi charus fuerat. De cuius morte Vitoldus vulgo insimulatus est. Hoc igitur sine liberis extincto, facilius de pace inter Regem & Vitoldum conuenit, cum Rex ei magnum Ducatū posthabitis fratribus germanis superstitibus, policitus esset, cum quod illos ignauos, & venationibus modo ebrietatique deditos esse cerneret, tum vt se molestia belli Lithuanici & metu insidiarum Vitoldi liberaret. Hac igitur conditione Henricus Vitoldum Vladislao reconciliauit, & ipse iam hypodiaconus repudiato sacerdotio filiam Vitoldi Ringalam vxorem duxit. Sed paucis diebus veneno extinctus, temerati voti pœnas dedit.

Vitoldus Regi reconciliatus.

Vitoldus autem rebus suis cum Vladislao Rege ex animi sententia compositis, Cruciferos & Germanos mercatores in Rittervverdero castello secū commorantes comprehendit, & incenso castello vinctos in Lithuaniam abduxit. Veniens Vilnam Vitoldus cum captiuis, & non contemnenda præda parta de Cruciferis honorifice ab Olesnicio acceptus est. Quibus de rebus certior factus Rex ad finem mensis Iulij propere in Lithuaniam profectus, apud Ostrouum Vitoldum cum suo comitatu supplicem obuiam habuit, & clementer eum cōsolatus, cum Skirgellone in gratiam reduxit. Vbi Vilnam ventum est, ibi Rex Vitoldum amoto de præfectura Olesnicio, summæ rerum apud Lithuanos ac Russos præfecit, accepto ab eo iureiurando, quod in fide & clientela Polonorum semper futurus esset. Id anno Christi millesimo trecentesimo nonagesimo secundo actum est. Nec tamen concessus Vitoldo principatus pacem Lithuanis attulit. Nam Suidrigello & Skirgello indigne tulerunt, quod germani fratres Vitoldo patrueli à Rege posthabiti essent. Ac Suidrigello quidem cum minus animi & virium haberet, ad Cruciferos profugit, ac Lithuaniam cum eis vltro in Vitoldum incitatis, crebris populationibus diuexauit. Skirgello vero maiore animo & opibus præditus, ex æmulatione & iurgiis ad testatas cum Vitoldo inimicitias venit. Quorum malorum sedandorum causa Rex rursus cum Regina anno sequenti in Lithuaniam se contulit, Skirgellonem, adiecto ei Cremenecensi, Starodubensi, & Starotrocensi tractu, placauit. In posterum si quid noui diffidij inter eos ortum esset, conuenit, vt Reginæ arbitrio staretur. Ita rebus cōstitutis Lithuanicis Rex & Regina in Poloniam reuertere. Per hoc tempus Cruciferi incitante Suidrigellone Lithuaniam crebris excursionibus longe lateque vexarunt, munitiones etiam nonnullas ceperunt, & caput gentis Vilnam tentarunt, spe subornatæ per Russos monachos proditionis. Sed cum ab vno exipsis detecta esset proditio, sumptumque de consciis supplicium, Cruciferi re infecta recesserunt.

Redit in Lithuaniam.

Rex in Lithuaniam se confert.

Vitoldus M.D. Lithuanie creatus.

Suidrigello ad Cruciferos profugit.

Skirgelli cum Vitoldo inimicitia.

Lithuania à Cruciferis vexata.

Dum hæc ita aguntur in Lithuania, interea Rex & Regina studiis pacis occupati, muros arcis Cracouiensis qui humiles ad eam diem fuerant, altius excitarunt, præfectis vigilum, quos Burggrabios vocant, stipendia auxerunt, & vt singulos equites sagittarios in promptu semper haberent, iniunxerunt. In suburbano etiam Cracouiensi septentrionali, & in ora Clepardiæ oppidi monasterium tituli S. crucis inchoarunt, & in eo Slauos Benedictinæ sectæ Praga accitos, qui Slauica lingua sacris operarentur, collocarunt. Verum

Arx Cracouiensis firmata.

morte Reginæ intermissum, consummatum non est. Aliud iidem monasterium in eodem suburbano occiduo, titulo sanctæ Mariæ in arena Carmelitis sodalibus mendicantibus condiderunt. Psaltarum quoque siue Psalteristarum collegium in Basilica Cracouiensi iidem instituere, attributo eis de salinis solario.

Sigismundus Rex Vngar venit in Poloniam.

Venit per eadem tempora in Poloniam Sigismundus Vngariæ Rex visendæ Heduigis Reginæ causa: A qua dies aliquot Sandeciæ perhumane habitus, & post longos tractatus de rebus publicis & priuatis dimissus, in Vngariam reuertit. Mox bellum inter Regem & Vladislaum Opolienſem Ducem ortum. Causæ autem belli Regi hæ fuisse memorantur, vt se religione iurisiuraudi, quod initio regni sui dederat, de recuperandis iis ditionibus, quæ superiori tempore à Polonia auersæ erant, exolueret, & Vladislaum imperium detrectantem suum coerceret. Nam neque reddebat ille, quæ prodiga Ludouici Regis donatione acceperat: neque iusiurandum dabat, se in fide & potestate Polonorum iure feudi semper fore. Quinetiam superbe legatis regiis responderat, ac tumulis etiam compluribus excitatis ditiones illas suas ad Zitnum oppidum à reliqua Polonia disiunxerat. Adhæc Inouladislauiense, Tucholiense, atque Tusnense territoria Rege inconsulto Heduigi filiæ, quæ cum Alexandro Duce nupta fuit, donarat. Magistro autem & ordini Cruciferorum primum Zlotoriam sex millibus sexcentis triginta duobus aureis Vngaricis, mox totam Dobrinensem terram quinquaginta millibus oppignorauerat. Eius belli præter Regem quinque Senatores erant conscij, & quo molitio belli occultior fieret, Vladislaumque incautum facilius opprimeret, præmisit Rex Cristinum Ostrouium Castellanum Sendomirienſem cum parte copiarum aduersus Dobrinum, ipse cum reliquo exercitu, cum se Ostrouium subsequi simulasset, deflexo itinere ad Olstinum castra metatus, tertio die eam arcem expugnauit. Postea ad cæteras arces, partitus cum Spitcone Melstinio Palatino Cracouiensi copias, aduentu Ducum Masouiorum auctas, sine mora discurrit, ne quod perterritis recolligendi se spatium daret, intra septimum diem Crepicia, Vielunum, Ostressouia, Breznicia, Bobolice, & Grabouia in deditionem accepta. Vladislaus vero Dux, è Silesia regias ditiones infestauit, mercatorum Polonorum ad Vratislauienses nundinas proficiscentium merces & facultates cum curribus diripuit. His igitur irritatus Rex, in ditionem eius paternam cum exercitu impetum fecit, Castella quædam & oppida cepit, & Opoliam primarium eius oppidum cum duabus arcibus obsedit. Et implorauit quidem Vladislaus Dux Venceslai Imperatoris & Regis Bohemorum opem, sed non impetrauit, eo quod iserat is paulo ante fœdus cum Rege Polonorum. Sed reuera ignauia Venceslai in causa fuit, quod clienti opitulatus non est. Cum igitur in illo nihil esset spei, Vladislaus aliam rursus gerendi belli ingreditur rationem & Duce Olesnicensium Conrado, aliisque deprecatoribus ad Vladislaum Regem missis, pacem impetrauit his conditionibus, vt ablata mercatoribus Cracouiensibus bona restitueret: Rex vero Lublineciam & Strelce arces, aliaque oppida de ipso capta iure belli retineret: quæ mox Spitconi Melstinio vtenda fruenda dedit. Ille autem postea Premislo Duci Teschinensium mille marcis, vt tum ferebant modicum æstem-

Bellum cũ Duce Opolienſi.

Vladislaus Opolienſis Regi reconciliatus.

æstempora, ea oppignorauit. Hæc acciderunt milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſexto.

Insequenti anno Rex Vladislaus iratus Cruciferis, quod ij violato fœdere arma contra se sumpsissent, Dobrinumque infestis armis petiissent, simulque, quod Lithuaniam infestare non intermitterent, magnamque iam Samogitiæ partem occupassent, bello eos persequi cogitabat. Verum abhorrebant ab eo Procerum animi, quod non ignorabant, se vniuersam Germaniam in se concitaturos esse. Itaque re in consultationem posita, cum maxima pars Senatus quieta consilia magis probaret, placuit, vt conuentus cum Cruciferis iis de rebus Inouladislauiæ ageretur, ad eumque conuentum vt Regina modo cum Proceribus proficisceretur: verebantur enim, ne Rex dolore acceptarum in Lithuania iniuriarum exacerbatus, asperiore aliquo dicto intempestiuum bellum exuscitaret. Sed neque hac ipsa ratione æqui aliquid à Cruciferis impetrari potuit: qui nectere moras & excusationes, Polonorumque patientiam eludere, vt sibi diuturnitate temporis possessionem Dobrini firmarent. Ibi Regina reprehensa eorum auaritia, & fœderis ac iurisiurandi violatione, tum superiorum temporum ingratitudine, qua in patronos suos Polonos vsi erant, diserte quasi fatidico ore adiecit: se quidem viuente nihil eos aduersi pro illis ausis passuros esse, post mortem vero suam maximis cladibus suis illa omnia expiaturos. Ita tunc rebus infectis, neque certa pace, neque aperto bello Inouladislauia discessum est.

Consultatio de bello Cruciferis faciendo.

Hoc autem anno Vitoldus expeditionem in Tartaros suscepisse fertur: tribumque vnam Tartarorum, quam illi Ordam vocant, cum pueris & mulieribus abegisse, partem captiuorum Regi & Proceribus Polonis dono misisse, reliquos in Lithuania supra Vacam amnem prope Vilnam agris attributis collocasse. Qui ibi vsque in hodiernum diem manent, boni & diligentes patresfamilias, & virtutis priscæ, armorumque non immemores: ritus autem patrios Mahometicæ superstitionis adhuc seruant. Inescatus autem hac victoria Vitoldus, annum quidem vnum quieti, & comparandis maioribus copiis dedit. Quo anno Sigismundus Rex Vngariæ Cracouiam, siue visendi Regis ac Reginæ, siue res suas stabiliendi causa, magis etiam alienatis ab eo post cladem Nicopolensem animis Vngarorum, & non obscure nouas res molientibus, iterum venisse fertur. Et sane pepigit is tunc cum Vladislao Rege inducias ad annos sedecim.

Vitoldi expeditio contra Tartaros.

Tartari in Lithuania collocati.

Sigismũdus Rex Vngar. Cracouiam venit.

Sequenti vero anno milleſimo trecenteſimo nonagesimo nono Vitoldus nequicquam dissuadentibus Rege & Regina, alteram expeditionem fecit in Tartaros: ad quam permulti de Polonica & Germanica Nobilitate gloriæ cupidi nomina dederunt. Fuerunt autem in ea expeditione de Polonis maxime insignes: Raphael Tarnouius, Sendiuoius Ostrorogius, Dobrogostius Szamotulius, Ioannes Glouacius Palatinus Masouiæ, Ioannes Dambrouius, Varsius Michouius, Socha Plocẽsis Palatinus, Thomas Verincus, & deniq; Spitco Melstinius Palatinus Cracouiensis. Recẽsitis itaq; apud Krouiam copiis Vitoldus bonæ spei plenus, Scythiam cum infesto exercitu ingreditur. Imperabat tunc apud Tartaros Tamerlanes, humili quidem loco natus, verum scientia rei militaris, & felicitate eo potentiæ prouectus, vt duo-

Vitoldi expeditio altera in Tartaros.

vt duodecies centena millia hominum haberet in exercitu, ac Turcis profligatis, Imperatoreque eorum Baiazete capto, & in ferrea cauea feræ in modũ secum circumuectaret, & Iberia, Albania, Armenia, Persia, Mesopotamia, Asia, Ægyptoque incredibili celeritate vastatis, orbem terrarum terrore nominis sui impleret. Cum hoc Vitoldus congressus, multitudine barbarorum obrutus, fusus est. Cecidere de Polonis plurimi, nec inulti tamen: in his fratres Regis Andreas, & Demetrius Coributus, & alij nouem Duces Lithuani & Russi. Vitoldus cum Suidrigellone patruele, Ostrorogio, & Szamotulio, cum inclinari aciem suorum cerneret, pernici fuga euasit. Melstinius quum seu fuga, seu Ducis hostium indulgentia, cui virtutem & prudentiam suam inter colloquendum de pace probarat, saluus esse posset, inter confertissimos hostes honeste occumbere maluit, quemadmodum ipse optarat, & prædixerat Paulo Sciucouio, timorem ipsi & amorem venustæ vxoris exprobranti. Sciucouius vero ille dictis, quam factis fortior, primus propemodum fugam iniit. Nec diu Tamerlanes ei victoriæ superstes fuit, eo ipso anno extinctus. Porro Tartari continuantes cursum victoriæ, in Lithuaniam populabundi vsque ad Luscum excurrerunt. Kiouienses tamen tribus millibus rublorum (continet autem rublus centum grossos) oppidum & agrum suum redemerũt. Sub idem fere tempus Heduigis Regina filiam Elisabetham Bonifaciam primo partu enixa est: eique post tertium diem extinctæ, nec ipsa diu superstes fuit, & in læua parte Basilicæ Cracouiensis ante aram maximam sepulta est, elata magnificentissimo funere, multorum Regum & Pontificis maximi Bonifacij noni splendidis legationibus celebrato: tametsi non ad exequias, sed ad leuandam de sacro fonte prolem regiam, Rege ipso inuitante, eæ missę erant. Fuit autem Heduigis singulari pietate & sanctimonia vitæ prædita, ab omni fastu, leuitate, & iracundia aliena, ocij iuxta ac alienorum à suo flatu negociorum fugiens, tempus omne suum vel diuino cultu, vel lectione eorum, quæ ad pietatem moresque formandos pertinerent, vel denique audiendis & leuandis viduarum, pupillorum, & aliorum miserabilium hominum querimoniis impertiebat. Facultates suas, quas ampliss imas è paterna domo secum aduexerat, liberaliter in vsus egentium, in cultum diuinum, & in publicas vtilitates expendebat: ac præter ea, viuens aras duas in Basilica Cracouiensi dotauit. Pragæ domum amplam Lithuanis, qui honestis disciplinis operam darent, siue emit, siue condidit, possessioneque peramplas, vnde eis sumptus suppeditarentur, adiecit, quæ domus Reginæ vulgo dicitur. Moriens vero, quicquid habuit reliquum in supellectili, partim egenis dilargiendum, partim ad erigendam consummandamque Cracouiæ Academiam, quam Cazimirus Magnus Cazimiriæ inchoauerat, legauit, nũcupatis executoribus vltimæ voluntatis suæ, Petro Episcopo, & Ioanne Tencinio Castellano Cracouiensi. Donauit etiam Basilicæ Cracouiensi vestem ad sacra peragenda factam, margaritis & lapidibus pretiosis distinctam. Duo anni tempora, Quadragesimam & Aduentum Domini religiosa abstinentia & ieiunio semper coluit: delitias, pompas, & ostentationem diuitiarum ita contempsit, vt quum propinqua partui, regali cultu & magnificentia exornare cubiculum Regis absentis literis iuberetur, respondisse ei feratur: se pompam oẽm & inanem splendorem pridem abdicasse, nec inscium esse, sæpe mortem partui comitem esse. Tum autem rectius se vilitate & neglectu mundani fastus

Vitoldus à Tartaris fusus cæsis ducibus Regis fratrib.

Tartari Lithuaniam & Russiam populantur.

Heduigis Regina moritur.

Virtutes & laudes Regina.

stus diuinæ benignitati, quæ sterilitatis probrum à se amouerit, responsuram esse.

Iustis Reginæ peractis, Vladislaus Rex mœstissimus, ac de retinendo regno addubitans, quod non ignoraret, se externum vxoris nomine apud liberam gentem eousque regnasse, in Russiam secessit: cogitabatque vltro se regno abdicare, & ad paternum principatum reuerti potius, quam vt vi & armis cum ignominia pelleretur. Sed hæc eum cogitantem Proceres Poloni placide consolati confirmauerunt, quum ei sua studia in posterum quoque detulissent. Quod si quam id ei dubitationem faceret, quod alienus amissa vxore nil iam hæreditarij iuris in regno haberet, ostendebant ei rei remedium, quod ipsa etiam Heduigis Regina moriens indicasse ferebatur, nimirum vt Annam Vilhelmi Ciliæ Comitis filiam, cuius sororem iam Sigismundus Rex Vngarorum post Mariam in matrimonio habebat, secundam vxorem duceret. Eam enim iustam regni hæredem esse, propterea quod Casimiri Regis neptis esset. Placuit consilium Vladislao. Missi igitur oratores ad Hermannum patruum puellæ (nam pater iam obierat) Ioannes Obychouius Castellanus Sremensis, Hincia Rogouius, & Ioannes Ostrouicius, optata omnia retulere, simulque sponsam ad decimum sextum diem Iulij mensis anni sequentis Cracouiam adduxere. Et cum ea nullius linguæ præter Germanicam gnara esset, octo menses addiscendæ linguæ Polonicæ operam dedit, priusquam nuptiæ celebrarentur. Interea Rex in Lithuaniam profectus, pacta & fœdera cum Vitoldo & Lithuanis suo Polonorumque nomine renouauit: vbi promissum est, & literarum monumentis cautum, vt si Vitoldus sine liberis decederet, in Regis & regni potestatem reciderent omnia, quæcunque is possedisset vna cum magno Ducatu, excepta dimidia parte Nouogrodeci cum quatuor prædiis, quæ Sigismundo Vitoldi fratri cedere deberent, ea quidem lege, vt is tamen Regi & Regno sit subiectus: exceptis etiam bonis dotalibus Annæ vxoris Vitoldi, quæ post eius demum obitum ad Regem & Regnum redire deberent. Hæc anno Christi millesimo quadringentesimo primo acta esse literis ea de re tunc conscriptis & consignatis constat. Reuersus autem Rex è Lithuania, cum à nuptiis propter deformitatem sponsæ abhorreret, proceribus Polonis interuenientibus, mense Februario apud Bieczum oppidum cum Cilien sibus proceribus conuentum habuit, nouisq; pactis initis seu prioribus confirmatis, liberalibus dictis nuptias peregit: cui celebritati Reginæ mater Anna Casimiri Regis filia, & Vitoldus cum vxore interfuere.

Rex in Lithuaniam proficiscitur.

Pacta cum Vitoldo & Lithuanis renouata.

Regis secũda nuptia.

Per hæc ferme tempora Academia Cracouiensis ex testamento Heduigis Reginæ, & liberalitate Regis condita est: duæ domus siue collegia extructa, alterum Philosophis & Theologis in platea, quæ nunc diuæ Annæ nomine nuncupatur, alterum Iureconsultis & Medicis, qua ex vrbe ad arcem itur. Acciti Magistri & Doctores omnis generis è Pragensi Academia, censusque iis in perpetuum attributi à Rege è salinis & telonio, & adiũcta omnia sacerdotia ad ædem D. Floriani, præter Præposituram, vt vocant. Quietæ tunc res erant in Polonia, eoque florebant studia pacis. Neque memorabile quidquam gestum esse per hæc tempora memoratur: præter, quod perduellium quorundam vias publicas infestantium latrocinia tunc Rex Vladislaus coercuit, expugnata Sorsteno arce in Masouia, quæ illis receptaculo fuerat. Fuere autem prædonum illorum principes Grotus Slupecius, & Ioannes Rogala

Academia Cracouia erecta.

Latrocinia à Rege coercita.

Castellanus Vladislauiensis. Quorum hic quidem captus, multis annis carcerem pertulit, donec in Zauissij Nigri gratiam dimissus est: ille vero euasit, sed arx eius Konari in Sendomirienſi tractu diruta est. Latrocinādi vero occasionem Slupecio dederat prior proscriptio ob cædem Ioānis Ossolinij Castellani Vislicienſis, dum disceptant inter se de limitibus agri Præbendæ Sendomirienſis, quam filius Ossolinij obtinebat, patratam.

Valachia Palatini iurant Regi Vladislao.

Anno sequenti, qui fuit à nato Christo millesimus quadringētesimus tertius, Valachiæ Palatinus Alexander, & mox Romanus Petri filius, cum è potestate & vinculis Suidrigellonis à Rege liberatus esset, iurati vna cum consiliariis in verba Regis, se in potestate Regis atque Regni fore professi sunt. Romanus vero etiam societatem belli contra quosuis hostes, Prutenis & Lithuanis propter locorum intercapedinem exceptis, promisit. Boguslaum vero Pomeranorum Ducem Rex in aulam suam suscepit, octingentarum marcarum stipendium ipsi pollicitus, vt, quoties opus esset, cum centum hastatis sibi militaret. Porro Vilhelmus Marchio Misnenſis fœd⁹ & societatem cum eodem Rege pepigit, itemque Vngari proceres cum Polonis: quo cautum est, ne alteri contra alteros Regibus suis opitularentur. Ad Regem quoq; Vladislaum iidem post de pace ac fœdere oratores cum certis mādatis misere: Sed an inter eos conuenerit, non liquet. Ac ne illud quidem constat, quid his fœderibus causam præbuerit nisi forte odium Vngarorum, & perpetratum facinus in Regem suum Sigismundum. De quo magno studio Vladislaus liberando laborasse fertur, ita vt regnū quoque à proceribus Vngaris sibi oblatum contemneret: cum Sigismundus Rex in vinculis ab eisdem detentus, misericordia nobilis matronæ, cuius filiis in custodiam traditus erat, & opera Sciborij equitis Poloni, qui armis Polonorum & Bohemorum superiores Vngarię partes Polonię & Morauiæ finitimas in fide eius continuit, euasisset.

Fœdus Marchionis Misniæ cum Rege.

Vngarorū cum Polonis fœdus.

Smolenſcij subacti à Vitoldo.

Cæterum Vitoldus magnus Dux Lithuaniæ cum Smolenſciis rursus rebellibus bellum gerebat, fretusq; Polonorum auxiliis, arcem Smolenſcum, in quā ciues & nobiliores quiq; vxores, liberos, & fortunas suas contulerant, aliquādiu obsessam & oppugnatam amissis nō paucis Polonis cepit, magnasq; opes in ea repertas partim Vladislao Regi transmisit, partim militibus, vt quisque meritus erat, dilargitus est. Cæteras vero arces in deditionem accepit, & principatum omnem in formam prouinciæ redegit. Dux in Vngariam profugit, & in ministerio Sigismundi Regis vitam finiuit.

Cruciferi Lithuaniam vastāt.

Cum Cruciferis quoque Prussicis & Liuonicis bellum paruo tempore intermissum Suidrigellonis opera ipsi recruduerat. Nunquam is tamen hostibus ditionē suam infestantibus occurrere ausus est: verum Liuones cū prēda reuertentes vestigiis clam secutus, cum ij diuersi domos abiissent, agros eorū vicissim lōge lateq; vastauit, pagos vicosq; incendit, ac Dzuinam siue Dunaburgum oppidum munitū vi cepit ac diripuit: arcem vero oppido imminētem sibi subiecit, incensisq; arce pariter & oppido ingenti cum præda in Lithuaniam se recepit. Nec multo post rursus Lithuania hinc à Prussicis, illinc à Liuonicis Crucigeris vehemēter peruastata est, multiq; in seruitutē abacti, quos Vitoldus permutatione captiuorū liberauit. Vladislaus vero Rex, afflictæ patriæ vicem miseratus, Suidrigellonē fratrem exulē, qui Crucigeros cōcitabat, è Prussia reuocauit, magno ære alieno, quod ibi cōtraxerat, exoluto. Ac ne quod ei cū Vitoldo noui dissidij seminarium relinqueret, Podoliam ei quinq; millibus marcarū Pragensium à filiis Spitconis Melstinij redemptam

Suidrigello è Prussia reuocatus.

Ei Podolia à Rege concessa.

concessit: itemque Strium, & Zidaczouiam in Russia, Szidlouiam, Stobniciam, atq; Drugniam in Polonia: adhæc mille quadringentas marcas annuas è salinis adiecit. Nec tamen ea Regis liberalitas Suidrigellonis animū sanauit.

Conuentus Regis cum Cruciferis.

Conuentū postea Rex cū Prussicis Crucigeris apud Racianzum Episcopi Vladislauiensis oppidum ad Pentecosten anni sequentis habuit, vbi sic de pace cōuenit: vt Rex quinquaginta vel (secundū Dlugossum) quadraginta millia florenorū Cruciferis exolueret, Dobrinumq; & Zlotoriam reciperēt: sed vt ratas tamē Magistri donationes ac largitiones haberet, & pacta à Casimiro Magno cum eis conuenta rata esse iuberet. Deinde vt Nouogrodi magni dominatus Regi, Samogitia vero Cruciferis cederet: ipsi vero, vt omni iure, q̄ habebant in Lithuania, sese abdicarēt: nec paterentur hostilem aliquē exercitū per ditiones suas in Lithuaniam transire, neq; ipsi per eam sine permissu Regis copias suas ducerent: neq; receptarent proscriptos è Lithuania, ac ne profugos quidē propinquos Regis: deniq; vt liberam mercaturā ac societatē haberent inter se Lithuani atque Pruteni. His autem conditionibus implendis annuum tempus constitutum.

Pax & pacta cū Cruciferis.

Rex Toruniam petit, à Magistro inuitatus.

Sic necessaria magis, quam speciosa pace facta, Vladislaus Rex inuitatus à Magistro Toruniam cum magna Procerū parte diuertit, triduoq; ibi mansit, magnifice & splendide acceptus. Per quos dies simulacro equestris pugnæ inter Crucigeros & Polonos ædito, cū superiores illi fere essent in eo genere, ad extremum tñ Dobeslaus Olesnicius Polonus palmā & brabium obtinuit. Inde discedens in maiorē Poloniam diuertit, æstateq; ibi exacta, & particularibus conuentibus habitis (qui tunc primū haberi propter nouam rem cœperunt) Corcinum, quo comitia toti Poloniæ ad vndecimā Nouembris diem indixerat, venit, perfecitq; precario, vt sibi redimendi Dobrini causa agraria contributio noua omnium ordinū consensu extra ordinē decerneretur, nēpe deni grossi in mansum, ab agrestibus tantum & oppidanis cultum. Ex qua contributione cum ordinaria illa binorum grossorum, quæ rastralis nuncupatur, coniuncta, ad centum millia marcarū tunc redacta esse memorantur.

Comitia Corcini.

Agraria contributio decreta.

Vladislaus R. cū Venceslao Bohem. R. Vratislauiæ congreditur.

Vratislauiam deinde Rex splendido plus quam quinq; millium equitatu comitatus profectus est, cum Venceslao Rege Bohemorum, illo postulante, cōgressurus. Animaduertebat enim Venceslaus, se de summa rerum periclitari. Bis captus, & ab imperio amotus erat. Palam ab eo Sigismundus frater, vt sibi Bohemia cederet, contendebat, & non obscure ei fauebant Bohemi proceres. In gratiam etiam eius Dux Austriæ Morauiam infestare videbatur. Quo igitur obuiam iret conatibus aduersariorum Venceslaus, & regnū suum stabiliret, Regis Poloniæ amicitiam & societatem certo fœdere sibi adiungere satagebat. Itaq, aduenientem perhumane lauteque accepit, non sine admiratione opum eius: ita vt etiam Zbigneo Brezio Marescalco regni cum sexcentis equitibus antecedenti, Regem in eo comitatu adesse ratus, extra vrbem obuiam prodiisse dicatur. Octo diebus de fœdere inter consiliarios tractatum est, & eo res propemodum perducta erat, vt Bohemus Polono Silesiam omnem redderet, Polonus illi vicissim cum quadringentis hastatis equitibus, si quando res ita poscceret, præsto esset. Sed vel indigna res visa est Polonis proceribus, Bohemis esse obnoxios: vel certe Ioannes Zmiritius, consilio & autoritate præstans inter Bohemos, superueniens, rem infectam fecit.

Acta inter Polonos & Bohemos.

Dum hæc ita fiunt, nihilo tamen magis fida pax Polonis fuit à Crucife-

Ioannes Masouiæ Dux à Cruciferis captus.

ris. Etenim cum expedita manu clam in Masouiam ingressi, Ioannem Ducem Cirnensem nil hostile suspicantem, in prædio quodam cepere, & equo imposito, ac subter aluum equi pedes indigne colligatum, arce incensa, secum abduxere: haud multo post tamen à Rege de violato fœdere admoniti dimiserunt. Anno à Racianzensi conuentu circumacto, alter conuentus Gnieucouiæ à Rege & Cruciferis de perficienda pace inchoata habitus est. Ibi noua res à Cruciferis oblata, negocium omne irritum fecit. Postulabant ij, vt Rex Pomeraniæ nomen in inscriptionibus ac sigillis suis non vsurparet, quemadmodum cum Casimiro Rege multo ante conuenerat. Negabat ille, consiliariis dissuadentibus. Itaque Cruciferis Dobrinum non reddentibus infecta pace discessum est. Nec felicior euentus fuit alterius conuentus cum Vitoldo in Lithuania. Is enim cum ægre se aduersus potentiam & vim Crucigerorum defenderet, cessit ipsis Samogitia. Detrectabant quidem Crucigerorum imperium Samogitæ, & nocturnis incursionibus atque insidiis præsidium eorum affligebant, Vitoldumque obsecrabant, ne se immanibus Crucigeris proderet. Sed vincebat vtilitatem necessitas. Itaque iussu Principis obsides dedere Cruciferis. Quo facilius vero eos Cruciferi in officio continerent, tres arces in Samogitia condidere, duas supra Neuazam fl. tertiam vero in confluente Nemenis atque Dabrezæ.

Conuentus cum Cruciferis Gnieucouiæ.

Samogitia Cruciferis à Vitoldo concessa.

Suidrigello iterum ad Crucigeros profugit.

Podolia redacta in ditionem Polonorũ.

Profugerat iterum in Prussiam Suidrigello, spe totius Lithuaniæ per Crucigeros potiundæ: sed Podoliam nihilominus suis præsidiis tenebat. Itaque conuentu Gniecouiensi soluto, Rex eo profectus, omnem eam cum arcibus in deditionem recepit, orto à Camenecia ciuitate initio: præfecturamque eius oræ Petro Szaffranecio Polono mandauit. Ab Alexandro Valachorum Palatino, iam inde à duobus annis sibi addicto, eiusque consiliariis solenne iusiurandum quod in fide & clientela sua, Reginæ, & filiorum, & regni Poloniæ permansuri essent, ibidem accepit. Vitoldus vero pacem nactus à Crucigeris, eodem anno, qui fuit millesimus quadringentesimus sextus, transmisso Vgra fl. primam in Moscos expeditionem parat, siue proferendorum finium gratia, siue iniuria prouocatus à genero Duce gentis Basilio. Nec tamen illi ad pugnam elici potuere. Peruastata igitur longe lateque eorum regione, Vitoldus præda onustus in Lithuaniam rediit. Maiore is vi postea in id bellum anno vno intermissum incubuit, fretus maioribus Polonorum, quibus Zbigneus Brezius Marschalcus præfuit, viribus & Crucigerorum auxiliis: & vsque ad Occam fl. populabundus peruenit. Quo minus autem fluuium traiiceret, Suidrigellonis patruelis armis prohibitus est. Nam is seu leuitate quadam ingenij, siue inuidentia stimulatus, Branscо & Starodubo arcibus, quæ in Seueria Vladislai Regis beneficio obinebat, incensis, ad Basilium hostem Vitoldi transfugerat, bonamque illi nauabat operam, exercitum Vitoldi ex insidiis, & iniquis locis lacessendo. Petiit tamen nihilominus pacem à Vitoldo Basilius, & æquis conditionibus impetrauit. Qua constituta, Vitoldus celeriter equos permutando in Lithuaniam ad vxorem, vt erat in venerem pronus, contendit. Exercitus vero eius sine imperio & ordine ex Moscouia decedens, cum per vastata dudum à se, & ab ipsis etiam Moscis loca iter faceret, fame afflictus, & magnis incommodis propter cœli intemperiem in vliginoso solo affectus, & à Tartaris etiam, quos Moscus velut cliens patronos in auxilium acciuerat, à tergo & à lateribus incursantibus vehemẽter vexatus est. Verum ij tamen virtute Polonorum atque Cruciferorum pedestri

Vitoldi expeditio in Moscos.

Suidrigello Moscis contra Vitoldum adest.

Exercitus Lithuanicus à Mosco incõmodis affectus.

destri magis, quam equestri prælio victi pulsique sunt. Poloni amissis armis & equis reuertentes, liberalitate Regis abunde recreati sunt.

Moscicum Tartaris victi.

Per hoc tempus Iacobus Cobilenius, Nicolaus Chranstouius, & Andreas Tencinius de adulterio Reginæ à Rege insimulati sunt. Et Chranstouius quidem solum vertit, Cobilenius vero triennio in arce Leopoliensi asseruatus est: Tencinio, quod minus suspectus esset, nihil accidit. Obiurgatus autem Rex à Senatu de nimia credulitate, & probro Reginæ, iudicium in delatores instaurauit: vbi Clemens Moscorouius delator editus, publice & solenni ritu dicta sua retractauit, mendaciiq; seipsum damnauit. Porro in Lithuania post Moscicam illam expeditionem, qua vires Lithuanorum vehementer attritæ erant, Cruciferi nullum cupiditati suæ modum statuentes, nouas inimicitiarum atque belli causas quærere, neque iniuriis abstinere. Quibus rebus adductus Rex Vladislaus, cum ad pacem, quamuis iniquam, pronior, quam ad iustum bellum esset, conuentum cum Vlrico Iungingio Magistro Cruciferorum apud Caunam egit. Cæterum nihil æqui à Magistro ex mansuetudine Regis maiores spiritus sumente impetrare potuit, amice tamen missis vltro citroque muneribus discessum est, Cruciferis bellum, quod meditatum nondum maturauerant, dissimulantibus. Nec diuturna tamen ea dissimulatio fuit. Nam vt reuertit Rex in Poloniam, viginti naues frumento onustas è Cuiauiensibus horreis suis secundo flumine Vistula ad mare misit, vt inde porro aduerso Nemene in Lithuaniam ducerentur, subuenturus gẽti suæ, inopia ex malo frugum prouentu tunc laboranti. Eas naues Cruciferi intercepere. Missi ad eos repetitum res legati, Nicolaus Curouius Archiepiscopus Gnesnensis, Nicolaus Michalouius Sendomirienſis, Ianussius Tuliscouius Calissiensis, & Vincentius Granouius Naclensis Castellani, re infecta rediere, causificantibus Cruciferis, arma iis nauibus contra se barbaris supportata esse. Mox & alteram iniuriam adiecere. Etenim Lithuanos mercatores apud Ragnetam violarunt, merceſque eorum diripuerunt. Hac gemina iniuria irritatus Vitoldus, prior bello persequi Cruciferos adortus, Marschalcum clam cum expeditis copiis in Samogitiam misit, præsidia Cruciferorum, quæ erant cum Michaele Kochmeistero præfecto nouæ Marchiæ, vel cepit, vel interfecit, vel eiecit, & Samogitiam omnem iam inde ab initio à Cruciferorum imperio abhorrentem suæ potestatis fecit. Venere deinde sequenti anno millesimo quadringentesimo nono post Christum natũ Obornicos ad Regem legati Cruciferorum, questum de erepta Samogitia, capriſque, & cæsis ibi præsidiis suis: & cum bello sibi tantam iniuriam vlcisci necesse esset, eo quod res repetitæ à Vitoldo non redderentur, quærebant ij ex Rege, essetne illi opẽ laturus? Fluctuabat animo Rex, quid faceret: si decesset Vitoldo, Cruciferis eum atque patriam suam plane prodebat: sin opitularetur, omnem belli molem in se & Poloniam, commodiorem prædantibus & bellantibus, quam Samogitia est, attrahebat. Abhorrebant ab eo bello Poloni. Itaque ad comitia regni res integra reiecta, neque certi quicquam legatis tunc responsum. At illi elati superbia & impatientia, & protestati, non à se, verum à Rege violari fœdera minabundi discessere.

Conuentus Regis cum Cruciferis apud Caunam.

Naues Polonicæ cum frumento à Cruciferis intercepta.

Legati Regis ad Magistrũ Crucigerorum.

Samogitia à Vitoldo recepta.

Legati ad Regẽ Cruciferorum.

Comitia deinde Rex Lenciciæ ad decimum septimum diem Iulij habuit, indeque, quum omnia prius experiri, quam ad arma venire in commune placuisset, tres legati ad Magistrum missi, iidem, qui prius, vltimo excepto. Postulabant hi à Magistro, vt conuentu constituto amice cum Rege de omni-

Comitia Lencicia.

Legati ad Crucigeros

missi à Rege.

bus iniuriis transigeret, Regis enim, nõ Vitoldi, proprium & hæreditarium esse dominatũ Lithuaniæ. Excandescere Magister,& moram pati nolle,confestimq; arma se Lithuaniæ illaturum esse mina i. Ibi Archiepiscopus nõ ferens Magistri superbiam: desinas, inquit,nos bello terrere: Si arma cõtra Lithuanos ceperis,vicissim arma nostra domi tuæ senties. Quibus Magister statim subiecit: Bene se rem habere, quum sentẽtiam Regis teneat: caput se potius petiturũ, quam pedes, & culta magis, quam inculta.Ita tunc legati impatientia bellum approperatum est.Nec mora,dictis facta adiecit Magister. Dimissis enim legatis, ad medium Augusti mensis Dobrinum magna vi oppugnatum cepit atque incendit: Polonos, qui arcem defendebant,vna cũ præfecto arcis Iacobo Plominio,capitali pœna affecit.Inde Ripinum & Lipnum oppida primo impetu capta vastauit, magnaq; in oppidanos & agrestes crudelitate debacchatus, ne teneræ quidem ætati & muliebri sexui pepercit. Inde motis ad Bobrounicos castris arcem oppugnando in deditionem accepit: quamuis ea defendi diutius arte,præsidio & cõmeatu munita potuisset. Quare præfectus arcis Varcislaus Gotartouicius fœdum carcerẽ postea Regis decreto pertulit: cæteri vero, qui in præsidio fuerant, infamia notati. Zlotoria deinde acriter oppugnata, post octauum diem in potestatem Crucigerorum venit, cum magna pars defensorum ictu balistarum & bõbardarum trucidata esset: reliqui captiui abducti, cum de cõmutatione captiuorum postea cũ Vitoldo cõuenissent, tamen Cruciferorum perfidia, cum ij suos recepissent, dimissi non sunt. In Bydgostia expugnanda cum plusculum laboris sentirẽt, propterea quod arx ea munitior erat,per proditionem,corrupto Præfecti vicario, quem Burgrabium vocant, ea potiti sunt.

Superbum Magistri responsum

Magister in Poloniam irruit, & oppida non pauca incendit & diripit.

Rex vbi hæc crebris certisq; nunciis accepit, minime cessandum sibi rat⁹, expeditionẽ & ipse toti Poloniæ, Russiæ, & Lithuaniæ aduersus Crucigeros indixit. Minores Poloni cũ Russis ad Volboriam: maiores ad Lenciciam cõuenire iussi. Quod vbi factum est,recensito apud Radzieiouiam exercitu, ad Bydgostiam sub finem Septẽbris castra admouit, arcemq; obsedit: quæ post octauum diem à Polonis expugnata, & mox refecta, præsidioque firmata est, Magister vero ad Suece suos conuenire iusserat:quod vbi Rex cognouit,partem copiarum statim eo misit, pulsi dissipatique, qui primi de hostibus conuenerant, & castris exuti. Interea interuenere oratores Regis Bohemorũ Venceslai, bellumque induciis vtriusque partis cõsensu,vsque ad vicesimam quartam diem Iunij sequentis anni constitutis diremere, vt interim Venceslaus de tota controuersia inter dissidentes arbitraretur. Venceslaus vero, quum arbitrium inter dissidentes ex compromisso ad se delatum recepisset, vt erat homo nihili, & voluptatibus atq; ebrietati totus immersus,ne cognita quidem causa,de sententia Iodoci Marchionis Moraviæ,qui Vladislao infensus erat, propterea quod is æmulum suum Procopium contra se armis adiuuisset, ita pronunciauit, vt nullum prorsus neque iustititiæ, neq; æquitatis rationem duceret, & ineptissime,quæ extra controuersiam erãt adiungeret, vt Poloni non nisi ex occidentalibus oris Regem sibi deinceps peterent:Dobrinẽsem autem tractum vt ipse vno anno obtineret, atq; interim deliberaret, vtri parti eam adiudicaret. Quæ sententia cum Germanica lingua à scriba recitari inciperet, Poloni discessere, negantes, se Germanicæ concioni propter linguæ imperitiam interesse velle.

Expeditio Polonorum cõtra Crucigeros.

Arbitrium Regi Bohem. delatum.

Iniquum Venceslai Regis Boh. arbitrium.

Desperata igitur æqua pace, Vladislaus dimissis in omnes partes literis restibus

stibus alligatis, quæ ex eo restium nomen obtinent apud Polonos,expeditionem cunctæ Poloniæ indixit. Ne quid autem absente se Sigismundus turbaret, quemadmodum præ se ferebant, Ioannem Scecocinium Castellanũ Lublinensem & Præfectum Sandecensem,cum omni Sciricien sis & Biecẽsis orę Nobilitate ad tutandam illam oram ab Vngaris reliquit: Vitoldum & aulicũ suum comitatum,vt se ad bellum compararent,dimisit: militẽ mercenarium cum ductoribus ordinum atq; centurionibus, metandorũ castrorum & instruendarum acierum peritis è Bohemis atq; Morauis de sententia Zbignei Brezij Marschalci (aliis aduersantibus, & sumptuum magnitudinẽ, dubiamque externorum militũ fidem causantibus) acciuit: cũ Zbigneus diceret, victoribus quidẽ illis victos hostes stipẽdia pensuros esse: si vero victi forte essent, pro cæsis captisq; non fore, qui ea peterent: fidelẽ autem operã eos nauaturos esse in conspectu eorum, apud quos stipendia facerẽt,dimicantes,& infamiam ignauiæ siue perfidiæ ex disciplina militari metuentes.M sit tñ iterum Vladislaus Rex legationẽ ad Sigismundũ Regẽ, eumq; & fœderũ, & p- missi de tentãda pace inter se & Cruciferos admonuit. Et prolixe quidem ille promisit,se ad Cruciferos ea de causa profecturũ esse,sed mutata sentẽtia Nicolaum Garam Vngariæ,& Sciborium Polonũ Transsyluani Palatinos, atq; Georgium Gersdorfium Silesium legatos misit in Prussiam,non tã pacis tractandę,quã quadraginta millium florenorũ à Cruciferis emungendorũ causa.Benigneq; ij legati habiti à Vladislao,& in Prussiam vsq; eius iussu ac sumptibus deducti sunt.Nihilo tñ magis remittebat is institutam expeditionem. Erant in aula & ministerio Sigismũdi Regis Vngarorũ complures Poloni ordinis equestris, qui propter præclara merita sua non contemnẽdas facultates & possessiones in Vngaria, beneficẽtia ei⁹ Regis adepti erãt. Qui oẽs vbi Regẽ suum Vladislaum ad Prussicũ bellum proficisci, & Sigismundũ ad violandũ cum eo fœdus pronum esse senserũt,relictis possessionibus, & ingentibus Sigismundi pollicitationb⁹ repudiatis,memorabili exẽplo Vladislaum Regẽ secuti sunt.Nec male eis postea respondit Vladislái gratitudo & liberalitas.

Expeditio toti Poloniæ indicta.

Legatio R. Vladislai ad Sigismundum Vng. R.

Proficiscens itaq; Rex ad bellũ Prussicum, Nicolaum Curouium Archiepiscopũ Gnesnensem Cracouiæ cũ imperio reliquit, & quacunq; iter faciebat,profusa in egenos largitione vtebatur.Quum autẽ Slupiam,oppidũ Episcopi Vladislauiẽsis sub Lyssecensi monasterio sitũ peruenisset, biduo ibi cõmoratus diluculo ad ædem sacrã in excelso monte positã pedester ascẽdebat, nec nisi vesperi ad sumendũ cibum in oppidũ descendebat, quum totũ diem precationi flexis genibus in tẽplo vacasset. Iam induciæ cũ Cruciferis expirarant, Poloniq; equites,quos Rex de aulico suo comitatu ad præsidium Inouladislauiæ, Bræstiæ, & Bydgostiæ præmiserat, initium belli fecerant, incensis cõpluribus pagis in ripa Vistulæ,Magistro Cruciferorũ cum legatis Sigismũdi non sine perturbatione animi inspectante. Sed furore eius mitigato,legati decem dierum inducias, per quas de pace ageretur rursus confecerunt. Quæ quidem induciæ,tametsi nihil per eas de pace actum est,tamen ex re Polonorum fuere,quod nondũ copiæ ad cõstitutum locum conuenerant.Cum autẽ eæ apud Ciruenscen se monasterium conueniss nt,nauali ponte iuncto, qui multo ante ad eum vsum ingeniose apud Cozinicios saltus paratus erat, Vistulam cum impedimentis, curribus & bombardis transmisere, & in vlteriore ripa castra posuere. Eo Vitoldus cum Lithuanicis & Tartaricis copiis aduenit. Exactis decem dierum induciis, cum ne tentata quidem pax esset,

Archiepiscopus Poloniæ gubernator.

Poloni Prussiam infestant.

Ioan-

Ioannes Broglouius, quem Rex præsidio Bydgostiensi præfecerat, cum non contemnenda suorum manu, noctu in Suecense territorium ingressus, insidias opportuno loco posuit. Ipse vero postridie cum paucis circum arcem & oppidum populabundus hostes elicuit, & simulata fuga in insidias induxit, vbi à fronte & à tergo circumuenti omnes ad vnum partim cęsi, partim capti sunt. Quo cognito Cruciferi Hēricum Plauenium Commendatorē Suecensem cum præsidio tueri oram illam iusserunt.

Polonorum de Cruciferis victoria prima.

Venerunt deinde in castra Regis legati Sigismundi, & perspecta voluntate Regis, ad pacem æquis conditionibus componendam inclinata, ad Cruciferos reuerterunt. Fuerunt autem conditiones à Rege editæ, vt Cruciferi Dobrinensem ditionem sibi redderent, Samogitia abstinerēt: de damnis vero vt Sigismundus arbitraretur. Nec eas tamen Cruciferi accipiebant, indignum rati, ab hoste armato, ac ditiones suas infestante, huiusmodi conditiones accipere, quasi victoriam in manibus haberent. Cum autem nihil respōsi Rex ab Vngaricis legatis acciperet, misit ad eos Petrum Korsbocum equitem, vt de Cruciferorum sententia certior fieret. Re in consultationem Cruciferorum à Magistro posita, fremere omnes, & bellum quam pacem malle. Vnus ab omnibus Commendator Meuensis Comes Vendensis, animis & vsu rerum prudentior, dissentiebat, pacem suadens, & communem esse martem dubiumq; euentum belli dictitans. In quem Vernerus Tetinger Commendator Elbingensis grauius inuectus: Poteras, inquit, cum isthoc animo lomi manere, & ægrotorum fratrum curam gerere. At ille: ego, inquit, quæ ecta & vtilia iudico, in medium consulo; sed tamē si his aliter videbitur, ita ne Deo volente geram, vt genere meo dignum est: tu vide, ne sis dictis ferocior, quam factis fortior.

Pacis conditiones Cruciferis à Rege propositæ.

Cruciferi belli auidi.

Interea dum hæc fiunt, promouebat castra Vladislaus, & quodam tempore ex composito hostium aduentum nunciari iussit, vt inopinato tumultu negligentiam & securitatem suis excuteret. Cum autem ad Vcram amnem castra haberet (qui locus Masouiticæ quidem ditionis erat, sed eū tunc Cruciferi, datis Duci mutuo quinque millibus marcarum Pragensium, hypothecæ nomine obtinebant) ibi Lithuani & Tartari non secus, ac in hostes omnē crudelitatem, nulla neque sexus, neque ætatis miseratione exercuere. Qua de re grauiter reprehensus Rex à primoribus Polonorum, cum se ij omni cum Nobilitate Polonica tam impia castra deserturos esse minarentur, captiuos omnes solui iussit ac dimitti. Motis vero ex eo loco castris, cum primum hostium fines attigit, expandit acies in longe patenti planitie, acceptumq; manu sua vexillum maximum, (cuius insigne est alba aquila coronata hiante rostro & extensis alis) explicat, suspiransque & lachrymabundus ita fatur: Deus » optime maxime, non modo factorum atque dictorum, sed & cogitationum » omnium cognitor, tu mihi testis es locupletissimus, me inuitum cum Chri» stianis qualibus qualibus, Christianis tamen, ad hoc bellum descendere, ma» ximis & intolerabilibus Cruciferorum iniuriis prouocatum, & officio meo » adductum, vt populos abs te curæ & fidei meæ concreditos de rapacibus & » cruentis eorum manibus, & infandis contumeliis vindicem. Tu iosti, con» silia pacis me nunquam defugisse, & vel iniqua pace bellum iustum redimere » cupiuisse. Cæterum quando apud homines suæ cupiditati insatiabili, & irre» ligiosæ superbiæ modū nullum statuentes, mansuetudine & patientia vix pri» uato homini, nedum principi consentanea nihil proficio, tuæ iustitiæ fiducia,

Regis oratio ad Deum ante conflictum.

cia, iusta piaque arma sumpsi, tuisque auspiciis vexillum hoc nunc explico. « Tu quęso iustiori causæ faueto, & sanguinem Christianorum hominum, qui « immaniter hactenus à Cruciferis trucidati sunt, quosque hoc bellum vtrin- « que absumet, ab illis, qui causam dederunt, expetito. Hæc Rex, collachry- « mante omni exercitu. Idem fecere deinceps Vitoldus, & Masouij Duces, atq; Proceres tam Poloni, quam Lithuani. Poloni vero absterfis lachrymis, carmē patrium siue pæana diuæ virgini dicatum, cuius autorem Adalbertum Archiepiscopum ferunt, cecinere.

His peractis, quæsitus est, cui summa administratio totius belli secūdum Regem committeretur. Detrectantibus autem tantum onus maximo cum periculo coniunctum Bohemis & Morauis, qui scientia rei militaris præstare inprimis videbantur, ad Zindramum Mascouicium Ensiferum Cracouiensem munus id defertur. Erat is quidem statura parua, sed ingenti spiritu & ingenio, solertiaque non vulgari. Huic adiuncti cōsiliarij, Vitoldus, Cristinus Ostrouius Castellanus Cracouiensis, Ioannes Tarnouius Cracouiensis, Sendiuoius Ostrorogius Posnaniensis, Nicolaus Michalouius Sendomiriensis Palatini, Nicolaus Tramba Procancellarius, Zbigneus Brezius Marschalcus, & Petrus Szaffranecius Succamerarius Cracouiensis. His constitutis, ad Luterbergam hostile oppidum, quod iam Poloni succenderant, castra mota. Ibi res horrenda accidit, ac barbarico duorum Lithuanorum supplicio disciplina militaris in exercitu sancita est. Dira ac detestanda scelera Lithuani & Tartari in excursionibus & populationibus pagorum nihilominus patrabant, matronas & virgines constuprabant, infantes dissecabant, templa cum sacris diripiebant, & quodam loco hostiam, quæ in templis de more asseruatur, in terram abiecerant. Qua re commotus Rex, auctores sceleris perquiri iussit. Inuenti duo Lithuani, qui iussu Vitoldi ipsi sibi furcam excitarunt, & suis vterque manibus barbaro more sese suspenderunt, obiurgantes sese mutuo, ne sua cunctatione iram Principis in se accenderēt: quasi is atrocius etiam aliquid in eos posset statuere. Nec fere tale quippiam postea designatum est, territis cunctis duorum supplicio. A Luterburga deinde ad Curetnicum oppidum, quod cum arce superposita ad Rubicouum lacum situm est, haud procul à Dreuancia fl. castra mota. Vnde cum pabulatum nonnulli de Polonis excurrissent, quinquaginta equos hostium, qui in flumine adaquabantur, sessoribus deiectis cepere, & cum his reuertentes, eminus conspecti, cum speciem hostium aduentantium præbuissent, tumultum in castris conciuere. Verum mox is resedit, errore cognito. Quod ne deinceps accideret, edictum est publice Regis iussu, ne quis absque commeatu castris egrederetur, neue in castris tuba vteretur, præter vnum regium tubicinem.

Zindramus Mascouicius dux belli delectus.

Consilium Castrense.

Edictum Regis de disciplina militari.

In mouendis autem castris hæc ratio instituta, vt ad primum regij tubicinis cantum cuncti sese armarent: ad secundum equos sternerent & frenarēt: ad tertium vero vt Marschalcum cum regio vexillo minore præcedentem, compositi suo quisque ordine sequerentur. Omnia denique cautius & accuratius fieri cœpta, propterea quod non procul castra habebant Cruciferi, traiectu fluminis Polonos prohibituri, cuius vtramque ripam & alueum dēsis stipitibus & sudibus præfixis impedierant. Quibus rebus cognitis, Rex, ne suos in extruendo ponte fatigaret, ac dimicationi obiiceret, reflexo ad caput amnis per aspera & montosa loca itinere, prope Dzialdouiam oppidum

castra metatus est. Venit eo ad Regem Fridericus Repitius Silesius cum mā-
datis legatorum Sigismundi Regis: & quando frustra de pace apud Crucife-
ros tentatum esset, bellum Vladislao Sigismundi nomine in secreta Magi-
stri militiæ, & octo consiliariorum audientia literis Sigismundi exhibitis de-
nuntiauit. Soli autem Regi secretius in aurem insusurrauit, ne quid ea de-
nuntiatione terreretur: quadraginta enim millium aureorum à Cruciferis
emungendorum causa eam factam esse, animauitque eum, vt ne conserere
manus cum Cruciferis, quorum vires longe inferiores essent, reformidaret.
Dimissus cum eo responso, quo Vladislaus Sigismundo extremam pro com-
pluribus maximisque suis beneficiis ingratitudinem exprobrauit, & vltio-
nem diuinam in caput eius, qui prior fœdus rumpebat, imprecatus est. Vbi
in castra Cruciferorum rediit Fridericus, certiores eos fecit de regiis castris.
Crediderant enim ij, Polonos & Lithuanos subito pauore perculsos, fuga
dissipatos esse. Nec multo post ab exploratoribus nunciatum est, Polonos
Dambrounum (Germanis Gilgenburgum) oppidum frequens & opulen-
tum expugnasse, direptumque incendisse, & versus Mariæburgum iter ten-
dere. Quo nuncio accepto Cruciferi, ira perciti vociferari, indignissi-
mum facinus, impune ab his ditiones suas infestari, quibus ipsi prius Po-
meraniam atque Dobrinum eripuissent, & quorum regionem ferro & i-
gni quodam tempore longe lateque peruastassent: nec ferendum amplius,
quin de summa rerum cum Polonis primo quoque tempore decernerent.
Itaque in hostem se duci flagitabant. Neque Magister abnuit. Rex cum
altero quoque die apud Dambrounum expugnatum statiua habuisset, ca-
ptiuosque omnes, exceptis Cruciferis religionem professis, benigne relaxas-
set, prædaque & commeatu copioso exercitum ditasset: tertia die, hoc est,
decima quinta Iulij facto duum milliarium itinere, inter fruteta & nemo-
ra prope Gruneualdum & Tannebricum pagos castra posuit. Fuerat nox
præcedens tempestatibus inquieta, sed apud Cruciferorum castra longe in-
quietior, ita vt eorum tentoria disiiceret: mane autem vehementiores ven-
ti flare cœperant. Quam ob rem cum Rex non facta re diuina præter mo-
rem castra mouisset, apud Cruneualdum demum erecto tentorio rei sa-
cræ vacauit. Interim ei nunciatur ab exploratoribus certatim accurrenti-
bus, hostes adesse. Ad extremum veniens & ipse Vitoldus, nunciat ho-
stes in conspectu esse: ni maturetur, in imparatos impetum daturos: nec
tamen auelli Rex ab altaribus, donec sacra peragerentur, potuit. Et fuit sa-
ne res in periculo, si hostes aciebus Polonorum nondum instructis ilico si-
gna intulissent. Sed ne id facerent, diuinitus, vt creditum est, impediti sunt,
veriti, ne quid fraudis & insidiarum Poloni nemorum opportunitate occul-
tarent.

Sigismūdus Vngarius Regi affini bellum indicit.

Rex castra metatur prope Gruneualdum & Tannebricum.

Signa Polonorum ac Lithuanorum.

Interea commode à Zindramo & Vitoldo acies instructæ: læuum cornu
Poloni, dextrum Lithuani tenuere. Quinquaginta fuere signa Polonica, Li-
thuanica quadraginta. In prima acie robur totius exercitus & veterani mi-
lites collocati. Iamque pugnæ signum à Rege poscebatur, & singuli bini
ternique inter duas acies procurrentes, cum pari numero hostium manus
conferebant: & Rex iam peractis sacris armatus in aciem prodierat, quum
ex hostili acie duo caduceatores progressi, quod mandata ad Regem à Ma-
gistro ferre se significabant, intacti ad Regem deducti sunt. Hortaban-
tur autem Regem ij Magistri nomine, ne tam cunctanter & meticulose pu-

Caduceatores Cruciferorum gladios Regi afferunt à Magistro.

gnam

gnam iniret: & quo incunctantius id faceret, duos gladios strictos & cruen-
tos Regi & Vitoldo obtulere, vt vel iis aduersus Cruciferos vterentur. Ne
quam vero angustiarum ad explicandos ordines excusationem necterent,
neue inter nemora latitarent, concessurum ipsis esse Magistrum plus cam-
pestris spacij. Hæc tam superba mandata dum caduceatores exponunt, in-
terea Crucifericus exercitus, vt fidem dictis eorum præstaret, non modico
interuallo retrocessit. Rex placide & modeste caduceatoribus respondit.
Quamuis armorum satis habeat in exercitu, accipere se tamen in Dei no-
mine gladios, ab hoste contumeliæ causa missos: atque ita accipere, vt o-
men victoriæ, quam sibi armorum traditio portendat. Nunquam se qui-
dem à pace abhorruisse: sed quando bellum mallent Cruciferi, & sangui-
nem Christianum tantopere sitirent, sperare, mansuetudini suæ & iustiori
causæ diuinum auxilium affuturum, ac de illis dignas pœnas crudelitatis
& superbiæ expetiturum. Omnem autem eam rem vna cum electione cam-
pi se diuinæ sapientiæ & iustitiæ committere. Accepti gladij in ærario re-
gio in hanc vsque diem asseruantur. Mox Vladislaus paucis pro tempo-
re milites cohortatus, canere signa iussit, simulque exercitus omnis pa-
trium pæana cecinit. Editiore loco Cruciferi constiterant, inde cum duas
bombardas dato loco eiaculati essent, nec vllo tamen fere detrimento Po-
lonos affecissent, per decliue cum infestis signis decurrerunt. Commis-
sum vtrinque summa vi prælium, ita vt fragor sonitusque armorum pro-
cul exaudiretur. Iamque ad vnius ferme horæ spacium pugna durauerat,
& neutro tamen inclinabat victoria. Ibi Cruciferi animaduertentes, de-
bilius esse cornu dextrum Polonorum, in quo Lithuani, Russi, & Tarta-
ri armis, equis, & multitudine Polonis aliquanto inferiores, turmatim
instructi erant, cum aliquot alarum subsidiis maiorem in id impetum de-
dere, eo consilio, vt pulso eo, totis viribus læuum cornu, in quo pertina-
cius Poloni dimicabant, adorirentur. Nec vanus omnino conatus is fuit.
Statim enim res Polonorum ea in parte deteriore loco esse cœpit, Lithua-
nis, atque Tartaris sensim (dum cataphracti acrius vrgent) pedem referen-
tibus, & ad extremū, quum ad vnius iugeri spacium tamen vtcunque ho-
stium impetum sustinuissent, in fugam, nec quicquam reuocante Vitoldo,
effusis. Nec ij sisti vllo modo potuere, sed perpeti fuga plærique in Lithua-
niam contendentes, actum esse de vniuerso exercitu renunciarunt. So-
li Smolenscij Russi, qui sub tribus signis in eodem cornu constiterant, fœ-
ditatem fugæ detestati, eximiæ virtutis & fortitudinis laudem meruere, &
vna turma penitus deleta, duæ reliquæ cum Polonis in læuo cornu sese con-
iunxere. Alia iam erat ibi rerum facies: Poloni enim acerrime dimicantes,
vexillum regium, cuius signifer fuit Martinus Vurocimouicius Vexillifer
Cracouiensis, ab hostibus deiectum, summa vi connixi recuperarunt: ibi-
que primum inclinari cœpit hostilis acies. Instabant Poloni perturbatis: &
commodum leni pluuia delapsa, puluis, qui longiorem aspectum adimebat,
resederat. Adfuere quidem, sed post tempus ferme ij, qui Lithuanos à dex-
tro cornu pulsos longius persecuti erant: & ni confusi iam fuissent eorum
ordines, restituissent procul dubio pugnam. Verum ij quoque & fatigati, &
suorum perturbatione consternati, & sine ordine inuecti, non diu Polono-
rum impetum sustinuere.

Regis responsum modestum.

Prælium.

Erat extremum agmen Cruciferorum sub sedecim signis, quod nondum prælij fortunam tentauerat, in quo Magister, & primores Cruciferorum erant. Id vbi suorum fortunam cognouit, circumduci cœptum, vt à latere Polonos inuaderet. Forte in ea parte Rex cum globo suo & minori vexillo constiterat, euentum pugnæ expectans: ratusque: in se aciem illam dirigi, Zbigneum Olesnicium scribam in aciem ad suos misit, vt cohortes aliquot subsidiarias inde sibi adduceret. Verum is reiectus à Nicolao Kielbassa, negante id fieri commode posse, ne speciem fugientium exhiberent, & hostibus perculsis quidem, sed non deuictis terga obiicerent, retulit, nullum in acie cuiusquam imperium exaudiri. Ibi Rex cum experiri nihilominus martis fortunam cuperet, retentus est ab his, quorum fidei à toto exercitu commendatus erat, & vexillum minus, ne ex eo ibi esse agnosceretur, occultatum. Interim vero Lusatius quidam Dipoldus Kiekercius, miles strenuus, totũ corpus armis tectus, ex hostili acie procurrens, Regem & ipsum armis insignem infesta hasta petere videbatur. In eum & Rex vicissim hastam direxerat: sed Zbigneus Olesnicius inermis cum semifracta hasta præcurrens, vt vell suo periculo regium periculum auerteret, à latere vibrata hasta Dipoldum de equo deiecit: quem regij satellites interfecere. Præclarum & memorabile nobilis adolescentis facinus: quod Rex postea magnis donis & episcopa Cracouiensi remuneratus est, quum ille sacris initiari cogitans, baltheum militarem abiuisset. Iam Poloni totam hostilem aciem, seu quæ initio contra se constiterat, seu quæ actis in fugam Lithuanis posterius accesserat, ingenti strage fractam profligarant, cum illum forte cuneum sub sedecim signis procul aspexere: & primum quidem Lithuanos esse è fuga reuersos credidere. deinde cũ error Dobeslai Olesnicij opera & audacia discussus esset, signa in eum cuneum à Polonis illata sunt, & auctus is erat accessione non modica eorum, qui è profligata acie fuga eo delati sunt. Sed eadem ibi fortuna fuit: victi hostes non magno negocio. Cæsis enim primoribus, qui primi pugnam inierant, facile reliqua multitudo, cum nihil iam spei opisque vsquam cerneret, in fugam acta est. Fugientium terga Poloni prementes, eodem impetu castra iunctis carris atque curribus munita ceperunt, & plures ibi mortales contrucidarunt, ita vt inde torrens sanguinis longius profluxisse memoretur. Sed vinum id fuit, sanguine cæsorum tinctum. Nam cum Poloni captis castris ad prædam versi essent, & magnam vini copiam in castris delicatis Cruciferorũ reperissent, auidi eo se, vt qui æstu & labore diuturno & vulneribus cõfecti sitirent, ingurgitare cœperunt. Quare ne à continuanda victoria retraherẽtur, neu immoderatiore potu morbum contraherent, vinum inter cæsorum corpora profluens, sanguinis speciem præbuit. Neque vero longiore fuga multi hostium euasere. Nam fugientes quoquouersus Poloni persecuti ad aliquot milliaria partim ceciderunt, partim captiuos abegerunt. Cæsa feruntur hostium ea die quinquaginta millia, in quibus Magister & Commendatores omnes paucis exceptis, fuere: capta ad quatuordecim millia: signa militaria relata vnum & quinquaginta. Nec id mirum cuiquam videri debet. Nam ad centum quadraginta millia hostium fuisse, auctores habentur. Fere enim omnis Germania tũc autoribus Cruciferis in exitium Polonorũ conspirauerat. Silesiorum item & Pomeranorum Duces in consanguineorum ac progenitorum suorum perniciem deuoti, Cruciferos armis viriſque iuuerunt. Ex his Conradus Albus Olesnicensium, & Cazimirus Stetinensium Duces,

Cruciferi à Polonis victi.

Cæsorum & captiuorum numerus.

Cruciferorum copiæ.

Duces, qui soli per se ipsi cum auxiliis affuerant, viui capti, multi item alij illustres viri: castra opulẽta direpta, in quibus magna vis tædarum ad incendia Poloniæ, magna catenarum, funium, & compedum ad vinciendos Polonos comparatarum, malo dominorum suorum reperta.

Et sane Polonis non obscure diuinum auxilium in eo prælio adfuit. Nam præter Tartarorum, Russorum, & Lithuanorum stragem, quæ non parua fuit, de nobilioribus Polonis pauci cecidere, inter quos Iacubouius & Imbramus Zulicius maxime insignes fuere. Nonnihil fortasse momenti ad victoriam Polonis & Bohemi Morauique mercenarij, sed imprudentes, attulere. Nam ij cum vno vexillo, cuius signifer fuit Ioannes Zarnouius, siue metu, siue auro Cruciferorum corrupti, sub initium pugnæ secesserant. Eos in sylua conspicatus Nicolaus Tramba Vicecancellarius, cum ex acie iussu Regis in castra cum cætera imbelli turba reuerteretur, accurrit ad eos, & grauiter obiurgatos in aciem redire compulit, in ductorem suum Zarnouium culpam omnem referentes. Hi ergo reuertentes in aciem, speciem noui exercitus hostibus præbuere, terroremque addidere. Dum autem Poloni post victoriam pertinacius hostes fugientes persequuntur, Rex cum impedimentis subsecutus, non longe à loco prælij versus Mariæburgum fixit tentoria, & ad vesperum suos cum spoliis & magna captiuorum multitudine reuertentes, ingenti cum lætitia in castra recepit. Ibi defessa totius diei labore, æstu, & inedia corpora, cibo potuque, ac deinde somno curata sunt. Insequenti die sacris inprimis Deo solenni pompa peragendis, hymnisque iussu Regis vacatum est. Hinc cæsorum funeribus cura impensa, collectaq; Magistri & principum Cruciferorum (inter quos Comes Vendensis erat, qui ita, vt prædixerat, fortissime dimicans occubuit) corpora, & curribus imposita, Mariæburgum transmissa sunt à Rege. Relata deinde ad Regem capta signa, & captiui omnes exhibiti. Ac cæteri quidem omnes sponsione militari à Zbigneo Brezio Marschalco obligati, vt se ad diem D. Martini Cracouiæ sisterent, iussu Regis domos dimissi sunt, dato etiam pro cuiusque conditione viatico. Casimirus vero Stetinensium, & Conradus Olesnicensium Duces, ac cæteri, qui erant de Crucigerorum ordine, in Poloniam missi per arces asseruandi dispertiti sunt. De duobus saltem Marquardo Salisbachio Commendatore Brandeburgensi, & Sumbergio, nequicquam deprecante Rege, à Vitoldo supplicium sumptum: quod ij in colloquio quodam prope Caunam matri suæ probrum obiecissent, & tunc captiui nihil de fastu suo remisissent.

Pietas Regis.

Dimissus deinde in Poloniam veredarius cum nuncio victoriæ & literis, ad Archiepiscopum, Episcopos, ac præsides Academiæ & ciuitatis Cracouiensis, celeriter cunctam Poloniam immensa lætitia affecit. Quamobrem solennes supplicationes apud omnia templa habitæ, diesque iduum Iulij mẽsis tam insigni victoria memorabilis, quo diuisio Apostolorum Christi repręsentatur, inter festos relatus. Mouit deinde castra Rex, & cũ oppida quædam atque arces sibi subiecisset, repertamque copiosam supellectilem Crucigerorum in milites partitus esset, septimis demum castris ad Mariæburgum peruenit, & postridie oppidum expugnauit: parumque abfuit, quin eodem impetu arcem quoque caperet, Polonis refugientium è capto oppido terga prementibus. Arx deinde dispertito in terna castra exercitu obsideri à Polonis cœpta: quorum vna Poloni in superiore parte, altera Lithuani in infe-

riore, tertia vero inter vtrosq; interiecti ad meridiem Russi obtinebant: bombardisq; distributis, & nonnullis in templo oppidi, aliis in ea parte, vbi pons fuerat, trans flumen collocatis, vtrinq; quassata sunt mœnia.

Prussia fere omnis in deditionem accepta.

Dum hæc apud Mariæburgum geruntur, pleraque omnis Nobilitas Prussica, Culmensis, & Pomeranica, cum Episcopis quatuor, Culmensi, Varmiensi, Pomesaniensi, & Sambiensi, vltro in potestatem Regis venit: arces quoque & oppida in deditionem accepta, inprimis Gedanum, Elbinga, Torunia, Culma, Regiomontum, Grudentum, Gneuum, Brodnicia, Osterroda, Suece, Golubia, Dersauia, Stuma, Tucholia, & reliqua. Sed Elbingensium maxime studium in Polonos enituit, qui Vernerum Tetingerum Cõmendatorem suum ex arce, quo se ex prælio Gruneualdensi turpi fuga receperat, eiecerunt, arcemque Regi dediderunt. Eam vero Rex Ioannis Tarnouij Palatini Cracouiensis fidei commendauit. Nobilitatem vero omnem & oppidanos, quum in verba sua iurassent, suo sibi iure vtrumque ordinem viuere permisit. Oppida atque arces inter duces, proceres, & equites, ne Bohemis quidem præteritis, pro meritis cuiusque distribuit. Dum autem continuatur Mariæburgi obsidio, quadam die obsessi, cum negligentius stationes à Polonis seruari animaduerrissent, cum impetu erupere: verum mox accurrentibus Polonis non sine strage in arcem compulsi sunt, quos Poloni temere prouecti, vsque ad murum arcis persecuti sunt. Erat is ab ea parte ictu bombardarum labefactatus: itaque facile eum hostes in Polonos incautius succedentes impulerunt, eaque ruina non paucos oppresserunt.

Henr. Plauenij ad Regem oratio.

Petiit deinde, & impetrauit Henricus Plauenius à Rege colloquium, aduenies in castra cum fratre, & paucis Bohemis ac Silesiis, supplicis habitu, ita apud Regem verba fecisse perhibetur. Deuicti abs te Rex potentissime grauissimo prælio, & ad extremum fere deleti, nihil est, quod vel tua victricia arma incusemus, vel fortunæ succenseamus: penes nos ipsos huius cladis & omnium malorum, quæ cumulate nunc in nos inundarunt, culpa est. Nos iniuste tua appetiuimus, & diuexauimus, nos mansuetudinem & potentiam tuam contempsimus, nos denique te grauiter læsum, & tamen æquissimas pacis leges ferentem superbe aspernati sumus. Itaque iusta diuini numinis vindicta abs te tuoque exercitu perculsi & afflicti sumus. Sed satis iam abunde pœnarum tibi Deoque vltori dedimus, non modo exercitu nostro ad internecionem deleto, verumetiam ducibus & autoribus horum malorum extinctis. Iam agnito errore & culpa nostra, exiguæ miserorum Cruciferorum reliquiæ ad tuam clementiam confugimus, ne ad extremum nos excindas. Eiusdem est virtutis, Rex inclyte, parcere subiectis & debellare superbos. Nouimus te Christianum principem esse, & clementiæ magis atque bonitatis, quam fortitudinis laudem expetere. Quanquam, quæ fortitudinis laus esse potest, si prostratos ac iacentes proteras? Ne leones quidem atque vrsi id facere dicuntur. Quid tibi seu commodi, seu voluptatis nostrum adferet excidium? Multa, fateor, in te tuosque Lithuanos & Polonos peccauimus. Verum quo maior est culpa nostra, hoc illustrior erit clementia tua. Neque nos tamen tibi omnem victoriæ fructum eripimus, Pomeraniam, Culmensem, & Michalouiensem tractum, & si quid aliud de Polonis, siue bello, siue qua alia ratione quæsiuimus & vsurpauimus, tibi vt habeas, per nos licebit. Prussiam modo, quam olim maiores nostri, dum Masouiam atque Poloniam illo præmio inuitati defendunt, iustis armis & sanguine suo

ne suo barbaris eripuerunt, nobis concedas, te per salutaꝫ Christi Iesu mortem, & sanctissimæ matris eius Mariæ nomen, sub cuius signis militamus, rogamus & obsecramus.

Consultatio Polonorum.

Varie hæc oratio Plauenij à consilio regio excepta est. Flexerat enim nonnullos ad misericordiam religionis intuitu, & ipsa æquitate conditionum ac postulatorum, perpendentes secum fortunæ inconstãtiam, & rerum humanarum varietatem. Alij vero secundis rebus elati, præsentisque fortunæ cursum perpetuum sibi pollicentes, incumbendum esse perculsis, extirpandosq; omnes penitus ex illis oris: ne, quæ tunc necessitate cõcederent, mox resumptis viribus per vim & fraudem vsitatam repeterẽt. Et videbatur Mariæburgum, vbi tunc summa rerum erat, diuturnam obsidionem tolerare non posse. Vicitque hæc in Senatu sententia, in quam Zbigneus Brezius Marschalcus Plauenio à Rege respondere iussus: Accipere eum à victore conditiones pacis, non domo adferre debuisse, dixit: aut si adferret, non ea sane victoribus eum concedere oportere, quæ ipsorum & olim fuissent, & nunc denuo iure belli ac deditione facta essent: Mariæburgum potius, & quæ alia in potestate sua haberet, dederet, ac tunc demum clementiam victoris imploraret.

Responsum Plauenio datum.

Offensus hoc responso Plauenius, cum aliud instanti non redderetur: at ego, inquit, æquissimas vobis conditiones attulisse me arbitrabar. Sed quando aliter vobis & Regi vestro visum est, Mariæburgum, cæteraſq; munitiones, quas adhuc retinemus, Cruciferi prius, quam ego dedam, extrema quæque experiar. Et respiciet iam nos, vt spero, deinceps magis propitius Deus, siquidem iram & offensionem eius ruptione fœderis & superbia nostra contractam satis, vt opinor, expiauimus. His dictis, multa Deum rerum omnium inspectorem testatus in arcem se recepit. Neq; irritæ fortassis eæ Plauenij preces Deo fusæ sunt. Nam ex eo tempore minus prosperæ Polonis res esse, retroque relabi cœpere.

Plauenius masculè respondet.

Paucis diebus, quibus hæc acta sunt, statio Vielunẽsium pulsa, bombardæ deiectæ, & aliæ quædam parua incommoda accepta. Nec multo post Hermannus Liuonum Crucif.corum Magister clam cum quingentis militibus in Prussiam aduenit, occasionem bene gerendæ rei captans, qua quidem nõ difficulter per fraudem potitus est. Nam vt Rex de aduentu eius cognouit, Vitoldum cum suis, & cum duodecim vexillis Polonorum contra eum misit. In quem cum Vitoldus apud Passariam amnem vltra Hollandiam oppidum impetum facere vellet, ille ab armis ad dolos conuersus, colloquio Vitoldi secreto impetrato, persuasit ei, vt suam potius, quam Polonorum rem ageret, ac Samogitarum Sudorumque oras pactis secum & cum Cruciferis ineundis sibi pacaret ac stabiliret. Itaque eo autore Hermannus cætera manu apud Balgam & Brandeburgum relicta, cum quinquaginta equitibus ad Regem in castra, atque inde permittente Rege in arcem obsessam, quasi sequester deditionis, vel arbiter pacis peruenit: Plauenium & obsessos confirmauit, cum eos de animo Vitoldi certiores fecisset, ac de ratione persequendi, si opus sit, belli, & amissa recuperandi, cum eis constituisset. Quibus peractis, pace infecta discessit. Inde iam auctus animo Plauenius, nullam facere pacis mentionem: à Polonis vero factam ita accipere, vt, quas ipse prius cõditiones tulerat, abnueret. Vitoldus vero & ipse missionem à Rege flagitabat, & illum ad soluendam cœptam obsidionem inducebat. Verum hoc tamen non persuasit, illud partim precibus, partim odio,

Magister Liuonum suppetias fert Cruciferis.

Magistri Liuonici consilium vastrum.

multa

Vitoldus è castris discessit, & Duces Masouiæ.

multa caussificando, tandem impetrauit. Mox & Masouiorum Duces indulgente Rege discessere.

Interim dum hæc fiunt, parochus Gedanensis, senex admodum, quasi molestias obsidionis diutius ferre non posset, ex arce Mariæburgensi Polonis permittentibus, & nil fraudis subesse suspicantibus, ætatique & sacerdotio honorem habentibus, excessit, & inter supellectilem suam triginta millia aureorum nummum duplicium à Plauenio accepta secum exportauit, ac inter Gedanensem, Slochouiensem, & Suecensem Commendatores, vt ij mercenarium militem inde conducerent, distribuit. Sed lentius id erat, quam vt sustineri posset tam diu obsidio, quæ difficilis sane & molesta Bohemis mercenariis, propter frumenti penuriam dysenteria vulgo afflictis, incipiebat. Itaque ij priuato consilio per Ioannem Socolum Bohemum, & ipsum in castris regiis militantem de prodenda arce cum Rege constituerunt, incolumitatem & quadraginta millia florenorum pacti. Verum re ad Senatum relata, turpe visum Polonis, auro & proditione hostilium munitionum potiri victores dudum, & ferrum in manibus habentes. Ita reiecti Bohemi. Falso deinde rumore in castris regiis percrebuit, Sigismundum Cæsarem valido cum exercitu in Poloniam inuasisse: quo commoti Poloni missionem à Rege flagitabant, & suadebant id Regi complures proceres. At vero primores Nobilitatis Ciuitatumque Prussicarum & Pomeranicarum, quæ post victoriam Gruneualdensem ad Regem defecerant, sedulo dissuadebant, ac ne præcipuum illius victoriæ fructum Mariæburgi expugnationem omitteret, orabant. Ni faceret, omnia mox rursus Cruciferorum fore, quæ in potestatem eius dudum venissent: excusantique Regi inopiam pecuniæ in stipendium, suadebant, vt tributum sibi imperaret. Cum ille in nouo imperio, nouis dedititiis oneri esse nollet, fuere, qui suaderent, vt arces & oppida earum regionum mercenariis militibus debiti stipendij nomine pignori daret. Ne id quidem probauit, veritus, ne milites illi ciuibus graues essent, neu quæ siue ab his, siue ab illis proditio fieret. Itaque salutaribus repudiatis consiliis, quorũ autor præcipuus erat Nicolaus Tramba Procancellarius, non modo verbis, sed etiam lachrymis suadens, nequaquam cœpto desistendum esse, ad decimum tertium calendas Octobris incensis statiuis, & mediocri aulicorum comitum præsidio cum Andrea Brochocio, Stumæ ad infestandam oram Marięburgensem relicto, ab obsidione discessum est. Iucundum id fuit spectaculũ obsessis, qui eo inopiæ iam redacti fuerant, vt vix pauculos dies Henricus Plauenius arcis Cõmendator ab eis impetrauerit, ne sese, arcemque Regi dederent. Quominus autem lætus discessus ille discedentibus Polonis esset, non maxima res effecit: nempe quod equus regius, qui dudum alacriter hinniens adstiterat, dum Rex eum abiturus conscendit, subito exanimatus concidit: quæ res mali ominis vulgo est habita. Discedens autem Rex, Radinum arcem permunitam, in qua oppugnanda pars exercitus à prælio Gruneualdensi frustra tempus triuerat, in deditionem accepit, quum iam eam milites facto impetu, portaq; effracta, fere cepissent. Quindecim ibi Crucigeri insignes reperti, in Poloniam captiui abducti sunt: reliqua multitudo nihil aduersi passa. Arx Ioannis Socoli Bohemi fidei commendata: eoque mox Toruniæ, quo Regem secutus erat, veneno à ciue quodam Torunensi extincto, Dobeslao Ptichalæ, & Alberto Malscio pariter Rex custodiam eius manda-

Prutenorũ consilium fidele, & studium erga Regem Polon.

Obsidio Mariæburgen. soluta.

Radzinum per deditionem acceptum.

mandauit. Socoli vero paruos filios propter merita patris honeste & liberaliter educari Cracouiæ iussit.

Henr. Plauenius Cruciferorum Magister factus.

Non cessabat interim Henricus Plauenius, qui iam Magister Cruciferorum factus erat: sed vndique contrahebat exercitum, acceptis mutuis in stipendium centum millibus florenorum à ciuitate Gedanensi, quæ iam rursus in fidem Crucigerorum inclinarat, totidemque & insuper quindecim millibus à Venceslao Rege Bohemorum, cum ei bona Chomentouiensia, quæ Cruciferi in Bohemia habebant, hypothecæ nomine tradidissent. Et quæ prima manus è vicinioribus oris cõuenerat, ea Michaele Sternbergio archimagiro Aduocato nouæ Marchiæ duce Tucholiam arcem obsedit: nam oppidani primo aduentu hostium deditionem fecerunt. Nec souiæ tunc Rex erat, quum hæc ad eum perlata sunt, neque is expediebat, quomodo suis succurreret, vastationemq; ditionis suæ prohiberet. Centum modo, vel paulo plures hastatos de aulico suo comitatu & ipsos necessariam missionem flagitantes precibus promissisque adduxit, vt cum suis quisque ministris, quibus merebat, Tucholiam præsidij causa proficiscerentur, quibus Petrus Miedzuecius Magister militiæ præfectus est. Oportune autem Sendiuoius Ostrorogius Palatinus Posnanensis, & Dobrogostius Szamotulius Castellanus, & Martinus Labissinius Palatinus Brestensis, cum suis cohortibus sese coniunxere. Atque hæc manus omnis, seu quod aditu Tucholiæ intercluſa esset, seu qua alia de causa Coronouiæ (quod oppidum nec arte, nec natura munitũ haud longe abest à Tucholia) substitit. Cuiauiensem vero atque Dobrinensem Nobilitatem Rex Brodniciæ, Brestæ, Ripini, & Nacli in præsidiis esse iussit, ad tuendas eas munitiones, arcendasque hostium excursiones. Ipse Inouladislauiæ cum exiguo comitatu mansit, & quidem damnans consilium suum de soluta obsidione Mariæburgensi, dimissoque exercitu, cum alia super alia aduersa ipsi renunciarentur. Nam & Osterroda, Nideburgum, & Dzialdouia arces per eos dies ab hostibus receptæ sunt, & Stanislaus Charbinouius Sulimæus, ac Nicolaus Synouecius cum de præsidio Coronouiensi decessissent, aduenientes perterruerant Regem, quod dicerent, præsidium in magno esse periculo, siue vt honestam causam turpi facto suo praetexerent, siue vt eius consilium opemque implorarent. Erant enim in propinquo iam satis magnę vires hostium cum Michaele Sternbergio. Atque ij quidem, vt de aduentu & paucitate Polonorum cognouerunt, paucis ad obsidionem Tucholię relictis, raptim tanquam ad certam prædam Coronouiam contenderunt, vt Polonos nec opinantes opprimerent. Et sane aspirare initio conatibus eorum fortuna visa, tamen non ad extremum vsque respondit. Etenim cum exploratores Polonos incauti progressos excepissent, & ex his callide & constanter omnia eleuantibus exiguam modo promiscuæ & imperitæ multitudinis manum Coronouiæ coaceruatam esse didicissent, cõtemptim, turbatisque ordinibus ex equis delapsi, latrocinantium in morem impetum fecere in oppidum.

Oppida Prussiæ & arces à Cruciferis recipiuntur.

Poloni vbi adesse hostem sensere, & forte tum pranderent, tumultuarie correptis armis ad monasterium in crepidine montis supra Berdam amnem situm, intrepide sese recollegere, celeriterque aciem instruxere. Quod cum præter expectationem hostibus accidisset, curriculo ij sese ad equos suos recepere, atque his conscensis retrocessere: idque siue re inopinata perculsi, siue certo consilio, vt equites Polonos à peditum auxilio longius abducerent.

Et sane impigre Poloni equites pugnæ auidi recedentibus institere, audacius adequitando, iaculando, & cominus etiam feriendo, remorantes agmẽ, donec pedites consequerentur. Vbi ad Lanscum, qui pagus monachorum Curonouensium est, vno ab oppido milliario, non sine multis hostium vulneribus peruentum est, substitere Crucigeri in colle quodam editiori, & ordines instruxere. Ne Poloni quidem pugnandi moram fecere: erant enim vtrinque milites & numero, & virtute, & scientia rei militaris fere pares. Sed erat ascensus ad hostem ab ea parte, qua Poloni constiterant, arduus ac difficilis. Itaque ne simul cum hoste, & cum iniquitate loci dimicarent, circumuecti, leniori & accliuiori ascensu aciem aduersus collem erexerunt. Prius vero quam signa canerent, Conradus Nemcius Silesius, de cohorte Regis Sigismundi ex hostili agmine eques in medium procurrit, aliquem de Polonis ad singulare certamen prouocans. Incunctanter sese ipsi Ioannes Scicius obtulit: victus atque captus à Polono Silesius, non leue de euentu vniuersi prælij omen ac præiudicium suis vterque attulit. Confestimque sublato vtrinque clamore, signa collata. Aliquandiu pugna dubia fuit, nemine ex eo loco, quo primum constiterat, pedem referente. Itaque defatigatis vtrinque militibus, quasi ex composito pugna vtrinque intermissa, diuersi paululum retrocedunt, sauciosque summouent, vulnera alligant, commutant captiuos, sudorem sibi equisque ociose abstergunt. Quin & pocula inter se misisse memorantur, ita vt colludentium, non infestis odiis cõcurrentium agmina videri potuerint. Vbi aliquantisper respiratum est, signo dato redintegrãt prælium, non minore quam prius pertinacia. Vulnerãtur & cadunt vtrinq; multi: nec tamen in alterutram partem inclinat victoria. Rursus ergo consensu quodam mutuo cessatur & respiratur: refocillatisq;, sicut prius, viribus, adeo acriter concurritur obstinatis vtrinq; vel ad vincendum, vel ad moriendum animis. Ibi Ioannes Ostrouicius cognomẽto Nassianus adacto equo vexilliferum hostilem obtruncat, vexillumque, quo vno totus eorum exercitus itidem atq; Polonicus vtebatur, abripit: Qua re tandem hostium acies perturbari, ac deteriori loco esse cœpit. Institere Poloni acrius trepidãtibus. Ibi vero illi metu pudorem superante auersi fugam capessunt: premunt terga fugientium Poloni: nox tandem persequendi finem fecit. Cæsa feruntur eo prælio hostium ad octo millia: captorum numerus nõ memoratur: non exiguus tamen fuit.

Prælium ad Coronouiam.

Pugnæ intermissio semel atque iterum.

Cruciferi funduntur à Polonis.

Insignior hæc victoria superiore illa Gruneualdensi habita est, eo quod maiore contentione & labore parta est, & quod ita ea vires atque animi Crucigerorum fracti sunt, vt per multos annos postea nunquam auderent rem vniuersæ dimicationi committere. Parta est autem decima die Octobris. Sequenti die spolia à Polonis lecta humatique, qui ceciderant. Deinde motis castris Bydgostiæ prædam inter se partiti, Inouladislauiam ad Regem cum longo captiuorum ordine peruenere: Ibique omnibus à Rege gratiæ actæ, ac perampla munera data sunt iis, quorum illustriora merita esse constabat. Captiuos autem recreatos, & benigne consolatos, ac militari sponsione obligatos, vt se ad diem certum sisterent, dimisit excepto Michaele Sternbergio duce exercitus, quem aliquandiu postea in arce Chencinensi in vinculis habuit. Nihil tamen consternati animis ex ea clade ij, qui ad obsidionem Tucholiæ relicti erant, dolo etiam locum ex ea inuenere. Subornatis enim transfugis Polonis, & qui inter ipsos Polonicæ linguæ gnari erant,

ri erant, & pro captiuis eos ostentantes magna strage se deuicisse Polonos apud Coronouiam illis testificantibus mentiti, persuaserunt Ioanni Broglouio præfecto arcis ac præsidij, vt arcem sibi dederet. Augebatur enim indies Cruciferorum exercitus nouo milite mercenario, & à Tucholia in Poloniam excursionem facturus esse videbatur. Id ne accideret, celeri consilio prouidendum sibi esse Rex existimauit. Quocirca nouam expeditionem maiori Poloniæ indixit, nec segniter ea manus Bydgostiam, vt à Rege imperatum erat, conuenit. Inde porro eam cum cohorte Regis Petrus Szaffraneius Succamerarius Cracouiensis sub signis duodecim ad Tucholiam duxit: præmissisque sexcentis balistariis, qui prædas agendo, vastandoq; subiectam Tucholiæ oram, hostem elicerent, ipse cum reliquo exercitu opportuno loco in insidiis substitit. Simulatque conspexere equitatum Polonicum per agros palãtem hostes, contempta eius paucitate, cum pertinacius eum fugam simulantem insecuti essent, in paratas insidias præcipitati sunt. Quas cũ mature animaduertissent, pedem retulere. Ibi Poloni tardius, quam res postularet, signo dato, pauciores aduersus plures coorti ex insidiis, vsque ad portas oppidi fugientes persecuti sunt: & quoniam agilioribus equis vtebantur, multos ex illis partim interfecere, partim viuos cepere, ac castris hostium, quę ante oppidum posita erant, vacuis potiti sunt. Non pauci oppido, ne Poloni simul irruerẽt, exclusi, inconsiderate in vndas sese præcipitantes, mersi sunt. His ad vicesimam octauam diem Octobris gestis, captiuisq; ad Regem missis, exercitus omnis, præter aulicam cohortem, mox iniussu regio domos dilapsus est, propter tempus anni, cuius rei magis, quam bello gerendo, commodum. Captiuos Rex, accepta ab eis itidem atque ab aliis prius sponsione, dimisit.

Nouæ expeditio in Prussiam.

Cruciferi rursus profligati à Polonis.

His cladibus permotus Plauenius Magister Cruciferorum, non ausus denuo fortunam periclitari, in interiorem Prussiam reliquias profligati exercitus deduxit, ac Stumam arcem aliquandiu obsessam in deditionem accepit. Eam deditionem Morangi quoq; deditio secuta est. Inde ad Radinum castra mota, circumsessaque ea arx sex septimanis. Sed cum in spem Toruniæ Gedanique per deditionem recipiendi Magister veniisset, soluta obsidione, sauciisque, quorum non exiguus erat numerus, cum præsidio in oppido Radino relictis, ad recipiendas eas vrbes profectus est. Quo discedente, Poloni accitis celeriter his, qui erant in præsidio Brodniczię impetum fecere in oppidũ, expugnatumq; paruo negocio diripuere & incendere. Porro Torunienses & Gedanenses aduenientе Magistro cum exercitu miserunt ad Regem, vt sibi ex cõtinenti opem ferret, quod ipsi per se oppida sua defendere non possent. Cæterum cum præter opinionem eorum accidisset, vt Rex tẽpori se illis adfuturum esse promitteret, ac sine mora eo contenderet, rursus ei legationem obuiam misere Gnieucouiam, se iam necessitate adactos, deditionem cum Magistro pactos esse. Itaque Rex dimissis contra sententiam multorum legatis saluis, quod diceret, testatum se cunctis facere velle, non suam illis, sed illorum fidem sibi defuisse, Inouladislauiam se contulit. Magister acceptis in deditionem ciuitatibus Gedano & Torunia, arcem Torunensem nequicquam oppugnauit: nam ea strenue à præsidio regio defensa est. Rex postea Gnesnam ad sepulchrũ D. Adalberti, & Posnaniam ad ædem corporis Christi, votorũ, quæ ante prælium Gruneualdense nuncupauerat, exsoluendorum causa profectus, equestrem ordinẽ totius illius tractus denuo ad

Torunienses & Gedanẽses ad Cruciferos deficiunt.

expeditionem in Pomeraniam exciuit, eamq; omnem, omissa arcium & oppidorum oppugnatione, longe lateq; ferro & igne vastauit.

Sigism. Rex fines Poloniæ vastat.

Dum autem hæc in Prussia & Pomerania aguntur, interim Sigismundus Rex Vngarorum, vt Vladislaum à Cruciferico bello auerteret, promissisque (ob quæ quadraginta millia florenorum à Cruciferis acceperat) satisfaceret, Sciborium Transsyluaniæ Palatinum cum duodecim vexillis Bohemorum, Morauorum, & Austriorum (nam Vngari fœdera sibi cum Polonis constare causati sunt) ad vastandam submontanam Poloniam misit, cum iam Poloni, qui ad præsidium eius oræ relicti à Rege erant, hyeme ingruente domos dilapsi essent. Verum celeriter tamen ij ad primum nuncium cõcurrentes, hostem præda ex agro Sandecensi capta onustum, abeuntem persecuti sunt, & non procul à Bartfa siue Bardeouia adepti, magnoque impetu adorti, profligarunt. Hoc eodem anno sub exitum Nouembris memorabili rursus victoria de Liuonibus potiti sunt Poloni. Hermannus enim Liuonicorum Cruciferorum Magister validum ex Germania & Bohemia in Prussiam adduxerat exercitum, eoque apud Golubam relicto, ipse cum paucis equitibus Mariæburgum ad Cruciferos, vt cum illis de ratione belli consultaret, profectus erat. Id cum comperissent Poloni, qui Ripini & Bobrouunicis in præsidiis erant, ausi facinus audax, ductore Dobeslao Puchala, ad hostem viris armisq; longe superiorẽ contendere: insidiisque apto loco dispositis, pauci per agros palantes, sub Golubam sese ostendere. Eos hostes correptis armis auidius persecuti, locum insidiarum incaute præteruecti sunt: quos Puchala cum toto agmine à tergo adortus, perterritos & incomposite fugientes, vsque ad oppidum persecutus est. Oppidani, vbi id animaduertere, veriti, ne patentibus portis Poloni permixti suis in oppidum irrumperent, portas clauserunt. Ita excluſi oppido hostes, quum cæderẽtur passim in medio, proiectis armis supplices Polonis sese dediderũt, & quadruplo maior numerus captiuorũ, quam eorum, qui eos ceperant, fuisse proditur. Verum illi re inopinata perculsi, alium longe maiorem exercitum Polonorum in syluis latuisse credidẽrãt. Ripinum tandem captiui cum appulsi essent, ingenti cum dolore ac pudore errorem suum cognouerunt. Inde porro Brestam ad Regem trãsmissi, sub militari sponsione omnes dimissi sunt: Curoulensibus modo, quod fidei tenaces non essent, & iis, qui religionem professi erant, retentis.

Cruciferorum exercitus à Polonis fusus.

Conuentus inter Regẽ & Cruciferos habitus. Induciæ menstruæ.

Conuentus deinde inter Regem & Cruciferos habitus: verum in eo tamẽ de induciis non conuenit. Posterius autem cæ menstruæ tantum per Szaffranecium confectæ sunt. Quibus durantibus Rex propere in Poloniam excurrit, & apud Radosslice oppidum cum Regina congressus, exercitusque denuo ad expeditionem cunctis Polonis ad instaurandum cum Cruciferis bellum, post noui anni initium reuertit. Vitoldus quoque cum Lithuanicis auxiliis Vladislauiam ad eum venit, eiusque consilium de circumuallanda Torunia, vbi Magister & primores Cruciferorum erãt, spe pacis iniecta, mutauit, persuasitq;, vt in sylua quadam castra faceret. Interea de pace in insula Torunẽsi agi cœptum. Forte accidit, vt induciæ expirarent, & consensu mutuo in longius tempus prorogarentur. Sed eius rei ignarus Ioannes Broglouius præfectus Bydgostiensis, præsidij, cum permagnum numerum equorum hostilium apud Papouiam esse didicisset, traiecta cũ quadraginta modo equitibus Vistula, & facto impetu ex improuiso in antemurale Papouiense, equos ibi stabulantes abegit, & antemurale incendit. Qua re Toruniam subito nunciata, emissi

emissi sunt non pauci equites, qui eum persequerentur. Hoc animaduerso, Broglouius, cæteris cum equis captiuis præcedere, ac tranare Vistulam iussis, ipse cum duodecim modo equitibus persequẽtes se hostes sustinuit, non ausos sensim cedentem pertinacius sequi, metu insidiarum. Receptus deinde in naues paratas, nullo accepto incommodo flumen traiecit. Pax deinde victoribus, quam victis iniquior, instante maxime Vitoldo, proceribus vero Polonis Regi dissuadere non ausis, stabilita est: cuius hæc potissima fuere capita, vt Samogitiam Vitoldo & Regi, quoad viuerent, Cruciferi concederẽt, ducentaque millia florenorum Pragensis pecuniæ intra annum vertentem tribus pensionibus numerarent: Ziemouito autem Masouiorum Duci Zaucrense territorium redderẽt: Rex Cruciferis, quæ de ipsis bello ceperat, remitteret: Dobrinum sibi haberet, captiui omnes inuicem vt dimitterentur. De Dreno & Santoco, & aliis controuersiis seni viri vtrinque delecti arbitrarentur. Quod si inter eos non conueniret. Pontificis Maximi arbitrio staretur. Complexi sunt autem hoc fœdere, Rex quidem Duces Pomeranorum & Masouiorum: Magister vero Sigismundum Regem Vngarorum, si is vellet: interim autem, dum de eo non constat, nec ei Polonus bellum faceret. Hæc tam iniqua Polonis pax, stipulatione vtrinque interposita, cum Magister Henricus in castra Regis veniisset, firmata est, & mox captiui omnes sponsione soluti. Munera deinde inter Principes vltro citroque missa. Vitoldo autem ibi Rex, inconsulto Senatu Polonico, Podoliæ dominatum, amoto, à præfectura Petro Vlodeco Charbinouio, vtendum fruendum concessit, non sine magno Polonorum incommodo, dimissoque post exercitu in Poloniam rediit. Nec diu ibi moratus in Russiam contendit, cum Alexandro Palatino Valachorum iam prius fœderato & cliente suo nouam contra Sigismundum Regem Vngarorum societatem inijt: Sniatinumque & Colomeiam, arq; omnem tractum Pocuciensem ipsi pignori reliquit, acceptis ab eo mutuis mille rublis, siue ciclis argenti.

Pax & transactio cum Cruciferis.

Vitoldo Podolia concessa.

Rex in Russiam contẽdit.

Valacho Sniatinum & Colomeiam cũ Pocucia oppignorat.

Eodem vero anno Stephanus, cum Alexandro siue extincto, siue pulso in principatu successisset, missis ad Regem quatuor oratoribus, in fide & clientela ipsius itidem, vt maiores sui fuissent, se fore, & vbi accitus ab eo fuerit, venturum, solenne que iusiurandum daturum: neque repeciturum vnquam Pocuciam, sed præsentem cum præsenti Rege arbitratu ipsius de eo transacturum esse promisit. Per idem tempus opera Zauissij Nigri, apud Vngarorum iuxta ac Polonorum Regem gratiosi, effectum est, vt primores Poloni & Vngari simul apud nouam villam conuentum de pace inter Reges redintegranda agerent, sed ea non confecta octo mensium inducias tantum constituerunt, ea lege, vt Polonis cum Cruciferis pax rata maneret. Quod si eam Poloni nouo bello rupissent, illę quoque induciæ cum Sigismundo & Vngaris irritæ forent: si in Crucigeri priores id facerent, Sigismundus sese deinceps ab amicitia & societate eorum seiungeret.

Polonorum cum Vngaris conuenta & pacta.

His ita compositis, Rex per Cheimensem oram sub initium veris in Lithuaniam secessit. Ad Ioannẽ vero Pontificem, qui Alexandro quinto mortuo successit, oratores suos misit cum peramplis donis, nempe quatuor patinis, duobus crateribus magnis aureis, tribus vestibus Zobellinis & culcitra item ab altera parte è pantherarum, ab altera ex hermelinorum pellibus consuta: obedientiam ipsi suam delaturos, postulaturosque, vt Pontifex declararet, ipsum iuste bellum contra Cruciferos suscepisse, & quicquid rerum

Rex in Lithuaniam secedit.

Oratores Regis ad Pontificem donis.

sacrarum è templis Prussicis per id bellum ablatum esset, recte in Polonica tẽpla conuersum esse: dein, vt ipsi crucis militiam contra Tartaros concederet. Ac cætera quidem impetrata sunt: extremum hoc ne impetraretur, illud obstitit, quod eiusdem modi militia cõtra Ladislaum Regem Neapolitanorum ab ipso Pontifice promulgabatur, & obstabant Polonis Sigismundi Regis, & Cruciferorum oratores, veriti fortassis, ne contra se Rex vteretur illis militibus. Posthæc venit Rex Cracouiam, pedes religionis causa incedens, vexillaque & signa militaria vnum & quinquaginta de Cruciferis capta, ad sempiternam tam insignis victoriæ memoriam in Basilica suspendit: quæ in hunc vsque diem extant. Haud ita multo post inde discedens in Lithuaniam, partẽ hyemis in venationibus exegit.

Rex ex Lithuania Cracouiam venit.

Erneſto Austriaco Cymbarcã Masouiam in matrimonium dat.

Sequentis autem anni millesimi quadringẽtesimi duodecimi initio Cracouiam iter vertit, de aduentu Ernesti Ducis Austriæ certior factus, cum quo affinitatem iunxit, collocata ei in matrimonium Cimbarca Ziemouiti Masouiorum Ducis, & sororis suæ filia. Aduenerat & Venetorum legatio, quingentorum hastatorum stipendium Regi pollicens, si Sigismundo Vngarorum Regi bellum facere pergeret. Iam enim creatus erat Cæsar Sigismũdus; & facessebãt ei negocium Veneti in Dalmatia. Ipse vero à Ioanne Pontifice in Italiam, & ad liberandam de manu Ladislai Regis Neapolitani Romam, suscipiendumque diadema imperiale inuitatus: Forojuliam Venetorum ditionem infestabat. Auerti igitur eum Veneti ac distineri bello Polonico volebant. Sed nihil impetrarunt: cauebant enim proceres Poloni, ne vetusta cum Vngaris fœdera violarentur. Quod cum sensisset agi à Venetis Sigismundus, misit & ipse legatos ad Vladislaum de renouando fœdere, aut certe de conuentu & colloquio. Ægre conuentu ad certam diem Lubouuliam impetrato, prior Anna Regina Poloniæ eo profecta est, Barbaram sororem, quæ Sigismundo nupta erat, visum. Rex deinde, qui Sandeciæ substiterat, secutus, Boleslao Masouio & Sigismũdo Coributo patruele, ac multis proceribus Polonis deducentibus. Venienti Vladislao Sigismundus obuiam prodiit vna cum vxore vsque ad iugum montis, atq; ibi septem diebus tẽtata frustra inter proceres Regum pace, cum discedere iam Vladislaus vellet, ad secretum colloquium semotis prorsus arbitris, à Sigismundo inuitatus, blanditiis eius & ingentibus pollicitationibus expugnatus, tãdem homo minime malus, in gratiam cum eo, pactis iureiurando mutuo firmatis, rediit. Aduenere eo quoque legati Venetorũ, quod eis Vladislaus rogatu Sigismundi spem pacis æquissimis conditionibus faciendæ fecisset. Ac tentata quidem Vladislao interueniente, sed non confecta pax est, propterea quod nihil æqui Veneti attulissent, nec Sigismundo ereptam Dalmatiam reddidissent.

Venetorum legatio ad Regem.

Legatio Sigism. Regis ad Vladislaum Regẽ.

Conuentus Regum.

Pacta conuenta & societas inter Regis Vng. & Pol.

Tartarorũ legatio ad Regem Polonia.

Dum autem Vladislaus Budæ commoratur, venit forte eo ad eum splendida legatio Tartarorum cum muneribus, magna auxilia, si quando res ita posceret, ei pollicens. Honorifica erat hæc ei legatio apud exteros. Persuasit autem is legatis, vt eadem Sigismundo nunciarent. Quo ille ferocior factus, Venetos territabat. Dimissis legatis, ludis, ac deinde venationibus vacatum est, vbi cum Vladislaus bubalinis caseis recẽtibus sese replesset, ac deinde calido balneo vsus, in profluente Danubij diutius sese abluisset, febrim cõtraxit. Ab ea vero paucis diebus medicorũ opera releuatus, & amplissimis muneribus à Sigismundo donatus, per Morauiam atq; Teschinensem oram in Poloniam

loniam reuertit, quinto demum mẽse, postea quam Vngariam ingressus fuerat. Erant autem præcipua dona, quæ à Sigismundo acceperat, corona, sceptrum, & pomum aurea, Boleslai Chrobri gladius & insignia regni, quæ Elisabetha Ludouici Regis mater in Vngariam asportauerat, verita, ne Poloni mutata sententia alium sibi Regem crearent. Ea Rex Cracouiam ingrediens publice sibi præferri iussit. Nec diu moratus Cracouiæ, per Sẽdomirienſem, Lublinensem, & Chelmensem tractũ profectus, supra Bugum fl. prope Rubessouum oppidum cum Vitoldo de omnib⁹, quæ in Vngaria egerat, cõmunicauit. Dimisso deinde Vitoldo, Russiam Rex obibat: quo cũ legati à Sigismundo Rege ad eum venissent, octoginta millia florenorũ Pragẽsium ab eo mutua acceperat, dato ei in pignus Scepusiensi tractu cum tredecim oppidis, arce tamen excepta. Atque ex eo tempore Scepusium in ditione Polonorum est in hunc vsque diem. Russia peragrata, in Poloniam Rex se recepit, pauciſque diebus Nepolomiciæ exactis in Lithuaniam rursus concessit, & hyemem illam ibi exegit: quæ quidem prodigiose mitis fuisse memoratur, ita vt initio Februarij flores & olera in regione frigidissima existerent. Verno atq; æstiuo tempore Poloniam rursus fere omnem obiuit. Apud Grodlũ deinde supra Bugum amnem Polonorũ & Lithuanorũ conuentum habuit: ibi fœdera inter has duas nationes renouata: cõcessumq; ius nobilitatis Lithuanis, iis duntaxat, qui ritus ecclesiæ Romanæ seruarẽt: iisdẽ vt insignibus atq; prærogatiuis, quibus Polonica Nobilitas, vterẽtur, præterquam vt deinceps quoq; iussu magni Ducis arces conderẽt, vias publicas reficerẽt, tributaq; solita penderẽt. Senatum autẽ & magistrat⁹ more Polonorũ haberẽt. Honores vero & Magistrat⁹ ne alienis ab ecclesiæ Romanæ institutis mãdarentur. Ducem qñ vsus postularet, nõ nisi de sentẽtia Regis, & ampliſſimi Senat⁹ Polonorũ legerent: viciſſimq; Poloni, vt ne inscijs inconsultiſq; Duce & Senatu Lithuanico Regẽ sibi crearent: comitiis cõmunibus quoties opus esset, vt ea Lublinũ vel Parczouiam, vel alias, quo videretur, mutuo cõsensu indicerent: ordo item ecclesiasticus vt eodẽ iure, iisdemq; prærogatiuis, quibus in Polonia, frueretur. Hæc omnia Proceres Lithuani, libertatem & prærogatiuas, nobilitatis adepti, approbarunt ac literarum monumentis consignarunt.

Scepusium Regi Polonia oppignoratum.

Hyems mitissima.

Polonorum & Lithuanorum conuentus apud Grodnum.

Lithuanis prærogatiua & leges à Rege dãtur.

Soluto conuentu, quia pestilẽs autumnus erat in Polonia, in Lithuaniam Rex secessit. Inde porro in Samogitiam profectus, gentẽ eam, quæ nondũ falsorũ Deorum cultũ penitus abdicauerat, magno studio, magnaq; cura extinctis sacrisignibus, succisis lucis, necatisq; serpẽtibus & aliis sacris animalibus, ad religionem Christianam conuertit, nõ modo pij Regis, sed etiam doctoris & Apostoli fungens officio, suggerentibus sacerdotibus Polonis, quæ diceret, quæue faceret, cum ipsi barbaros loquẽtes non intelligerẽt, nec ab eis viciſſim intelligerentur. Episcopum apud Mednicos, attributis agris & reditib⁹, & paroecos duodecim (tot enim territoriis cõtinetur Samogitia) vt iidẽ Canonici Mednicẽses essent, instituit. Tunc autẽ Rex præfecto gẽti Kesgellone nobili Lithuano, & religionis curã inprimis in rudi populo gerere iusso, in Lithuaniam, atq; inde porro post anni sequentis millesimi quadringẽtesimi decimi quarti initium in Poloniam, & in Cuiauiam ad constitutum cum Cruciferis apud Slonscum conuentũ contendit. Iam summũ apud Crucigeros magistratũ Michael Sternbergius gerebat, amoto & in carcerẽ conjecto Hẽrico Plauenio, siue propter profusas largitiones, siue propter inuidiam, siue quod à Magistro ambitioso homine, quasi Polonis impensius faueret, insimula-

Samogitiæ ad religionẽ Christianã conuersæ.

Conuentus Regis cum Cruciferis.

mulatus esset: Quo comperto, Vlricus Henrici frater Commendator Gedanensis, metuens & ipse sibi, clam ad Regem profugit. Fugisset Henricus quoque è custodia, re clam per internuncios cum Rege composita, nisi eum Ioannes Cropidlo Vladislauiensis Episcopus, cum quo forte Rex ea de re secreto communicarat, prodidisset. Pace cum Cruciferis tentata, sed non confecta, causa vero tota à Strigonienſe Archiepiscopo delegato Sigismūdi Cæsaris iniquissime disceptata, cum Cruciferi iniuriis nullum modum statuerent, mercatoresque Posnanienses Gedani, direptis eorum mercibus crudeliter interfecissent, & per subornatos homines multa oppida ac pagos in Polonia incendissent, latrocinantiumque in morem è Dobrinensi & Polonia finitima prędas agerent, cumque ad extremū sub signis populabundi in Dobrinum excurrissent, ac subito pauore turbati diffugissent, nouam in eos expeditionem Rex Polonis, Russis, ac Lithuanis cunctis indixit.

Cruciferi Polonis iniurij.

Dum autem bellum id adornatur, ipse maiorem Poloniam percurrit. Forte tunc Petrus Vissus Episcopus Posnanienſis lento morbo confectus obiit: qui ni obiisset, restitutus fuisset autoritate Constantiensis Concilij in Cracouiensem Episcopam Alberto deiecto: sed profuit Alberto mors eius, vt facilius à Concilio Rege petente veniam impetraret. Tunc autem cum collegium Posnanienſe petiisset à Rege, vt sibi Episcopum arbitratu *suo legere* liceret, non abnuit is: soluſque in consilium sacerdotum ingressus, impetrauit, vt de quatuor à se editis (inter quos etiam fuit Alexander Masouiæ filius, è sorore sua natus) vnus legeretur Episcopus. Lectus ast absens magno omnium cōsensu Andreas Lascaris Goslauicius Decanus Cracouiensis, & Canonicus Posnanienſis, qui tūc forte legatus à Rege cum tribus aliis ad Sigismūdum Cazarem de causa Cruciferica profectus erat. Æque tamen is decreto collegij cum voluntate regia coniuncto assensus est, vir bonus, & non ignarus, quantum onus in se susciperet. Iam ingentes copiæ ex omni Polonia, Russia, Lithuania, & Masouia cum suis Ducibus Volboriam conuenerant: Tartarorum etiam non contemnenda auxilia Vitoldus adduxerat. Erat & mercenariorum militum ex Bohemis & Silesiis non exiguus numerus: quin & Silesiorum Duces exercitum regium auxerant. Itaque Rex non moratus diutius, in terram hostilem eum duxit, instructum inspectantibus legatis hostium, qui siue ad auertendum bellum, siue ad speculandum vires Polonorum venerant. Verum non ita magnum operæpreeium cum tantis copiis factum est. Oppida modo & castella quædam ignobilia, partim vi expugnata, partim in deditionem accepta, partim vacua dilapsis habitatoribus occupata, direpta, atque exusta.

Prussicum bellum.

Legatus Pp. ad Regem.

Inducia duum annorum.

Concilio Constant. causa Prussica disceptatio permissa.

Venit interim legatus Pontificis Ioannis trigesimi tertij Ioannes Lausanenſis Episcopus: qui impetrauit facile à Rege desidis & famelici belli (vulgo postea sic appellati) iam pertæsо, vt duorum annorum induciis cum Cruciferis constitutis, Constantiensis Concilij iudicio causam & controuersiam omnem suam cum Cruciferis permitteret. Itaque Rex dimisso exercitu reuersus in Poloniam, de Senatus amplissimi sententia legatos ad Concilium misit, Nicolaum Archiepiscopum Gnesnenſem, Ioannem Vladislauiensem, Iacobum Plocensem Episcopos, Andream Lascarem electum Posnanienſem, Ioannem Tulisconium Castellanum Calissiensem, & Zauissium Garbonium cognomento Nigrum. Pollicebatur autem Sigismundus, non defuturum se ibi esse causæ regiæ contra Cruciferos, eique vicissim rerum Vngaricarum

carum curam commendauit. Idem fecit Concilium illud, scriptis ea de re ad Regem literis. Ac fecit quidem Vladislaus amici officium: nam cum Turcæ ipso absente Vngariam infestarent, Bosnamque à Sigismundo prius recuperatam, ipsi iterum fusis profligatisque Vngaris eriperent, Vladislaus missa ad Turcas minaci legatione, sex annorum inducias inter eas gētes captiuis Vngaris proceribus liberatis confecit: pacem quoq; perpetuam conf. cisset, ni Pipo Florentinus Comes Themessiensis temere omnia turbasset, capto pro exploratore Gregorio Armenio Vladislai internuncio, qui Turcicæ legationi de pace venienti tutum ad Vngaros accessum præstructurus antecesserat.

Rex Vlad. curam gerit Vngariæ Sigism. absente.

Interea Vladislaus Rex Lithuaniam, Poloniam, & Russiam continētibus fere itineribus obiuit: & Sniatini quum esset in Russia ad Pentecosten anni sequentis, venit ad eum supplex Alexander Palatinus Valachorum magna & splendida Nobilitatis suæ caterua stipatus, & vexillo ad pedes eius proiecto, datoque conceptis verbis iureiurando, in fide atq; clientela eius & Polonorum se fore semper promisit. Venit & ab Imperatore, & Patriarcha, Constantinopolitanis legatio, frumentarium subsidium petens. Vehementer enim Turcæ Thraciam infestabant & premebant. Vladislaus itaque Rex inopia laborantibus Cōstantinopolitanis liberaliter opitulatus, in Cacybcio portu maris Pontici, qui in ditione Polonorum tunc erat, frumentum admensus est. Sniatino in Lithuaniam rursus diuertens, viginti millia marcarum Pragensium, quadraginta vestes zobellinas eximias, centum equos, totidemq; aureos pannos à Vitoldo dono accepit. Anno sequenti millesimo quadringentesimo decimo sexto cum Annam Reginam Cracouiæ mortuam sepelisset, rursus in Lithuaniam profectus, apud Velunam Samogitiæ cum Cruciferis Prussicis pariter & Liuonicis de regundis finibus Samogitiæ, ac de pace perpetua constituenda conuentum egit. Verum Cruciferis intolerabili fastu tumentibus, neque vllam æqui aut iniqui rationem ducentibus, re non perfecta discessum est. Augebat autem eis spiritus, vt creditum est, societas cum Tartaris inita, qua eos ad vastandos Russiæ fines excitarant. Nec multo post ingens vis Tartarorum duce Ediga in Kiouiensem tractum im prouiso effusa, ferro ignique omnia depopulata est: vrbem quoque ipsam Kiouiam diripuit ac diruit, quæ ex eo tempore splendorem pristinum nunquam recuperauit. Arce quidem summa vi oppugnata hostis potiri non potuit.

Palatinus Valachia iurat Regi Polonia.

Legatio Imp Constātinopol. ad Regē Vladislaum.

Anna Regina moritur.

Conuentus Lithuanorum cum Cruciferis.

Tartari Russiam vastant.

Rex pro eo, quod hostes bello persequi debuit, Sanoci nuptias celebrauit, indignas illa ætate, & nomine ac dignitate sua, ducta in matrimonium Elisabetha Pilecia, Ottonis Palatini quondam Sendomirienſis filia, vidua proiectæ iam ætatis, & complurium virorum thoros experta; quippe quæ virgo propter magnitudinem dotis à Morauo quodam rapta, eique aliquanto post ab alio quodam Morauo itidem erepta, & interfecto priore raptore, in loco iustæ vxoris habita, ad extremum Vincentio Granouio Castellano Naclensi, despondēte Spitcone Melstinio propinquo, nupserat. Siue autem intempestiuo amore & consuetudine eius mulieris captus, siue philtris etiam & magicis artibus dementatus Rex, eo se tam impari matrimonio implicauit, magnam certe nomini suo infamiam non modo apud suos, sed etiam apud exteros aspersit: ita vt Concilium quoq; ea fama, traducentibus Cruciferis, impleret. Rex inde Cracouiam indicto conuentu, Reginam quoque

Rex tertiam vxorē ducit.

eam ritu solenni fecit, nequicquam aduersantibus nonnullis Proceribus, & inprimis Sendiuoio Ostrorogo Palatino Posnanensi. Quoniam autem ea ab Archiepiscopo Leopolensi Ioanni Ressouio coronata erat, veritus Nicolaus Archiepiscopus Gnesnensis, qui tunc in Concilio Constantiensi erat, ne sibi successoribusque suis ea prærogatiua Reges & Reginas coronandi præriperetur, obtinuit apud Concilium, vt Archiepiscopus Gnesnensis deinceps Poloniæ primas sit. Prorogauit deinde Vladislaus Rex inducias cum Cruciferis in aliud biennium, Cæsare ac Rege Francorum Carolo petentibus. Et anno sequẽti, qui fuit millesimus quadringentesimus decimus octauus, rursus apud Velunum Samogitiæ cum Cruciferis de pace conuentum celebrauit, deductis secum primoribus Polonorũ. Vnde cum re infecta discessissent dimissisque proceribus, ipse cum paucis ad Vigros (syluæ id nomẽ est) venationi operam daret, parum abfuit, quin in Rastenburgensis Commendatoris insidias incideret. Sub idem tempus Vitoldus amissa paulo ante Anna vxore, alteram duxit Iulianam viduam, prioris materteram. Atq; id matrimonium incestum Ioannes Episcopus Vladislauiensis, qui etiam Regem forte in Lithuaniam secutus erat, præter disciplinam ecclesiasticam iunxit, cum Petrus Vilnensis, vt id faceret, nequaquam adduci posset.

Inducis cũ Cruciferis.

Lithuanorum conuẽtus cũ Cruciferis.

Insequenti anno, cum Rex in Poloniam reuertisset, venere ad eum legati Martini Pontificis Maximi, Iacobus Campius Spoletanus, & Fernandus Hispanus Lucensis Episcopi, de pace cum Cruciferis conficienda postulantes: qui comiter & liberaliter à Rege habiti, cognita eius volũtate ad pacem propensa, in Prussiam inde ad Cruciferos contenderunt. Qui corrupti muneribus, cum monumenta ad causam ipsorum pertinentia inspexissent, ac descripsissent (ad quam forte rem magis, quam ad pacem faciendam Crucigerorum rogatu & sumptibus venerant) Regis causam incognitam temere testimonio suo damnarunt. Qua de re grauiter postea Rex Pontifici questus est: qui fecit postea Regi potestatem producendi documenta causæ suæ. Dimissis autem legatis pontificiis Rex Cassouiam petiit, ad colloquium à Cæsare Sigismundo inuitatus: ibique blanditiis eius inductus, arbitrium eum tulit Cruciferis ex compromisso de contumeliis, damnis, & iniuriis, quas ab illis acceperat, reclamantibus, quos secum duxerat, Proceribus, & ad extremum vt certa tamen formula, certoque die id compromissum adstringeretur, suadentibus. Recusabant autem id compromissum Cruciferorum legati, qui tunc ibi aderant, siue adeo recusare se ex composito simulabant. Qua re Cæsar vehementer, vt videri volebat, irritatus, arma se cum Vladislao contra eos coniuncturum iureiurando interposito pollicitabatur. Qua de causa remittere ei Vladislaus pecuniam, quam mutuam dederat, Scepusiumque reddere mox cogitabat, ni Proceres, cum quibus ea de re communicarat, id ei dissuasissent.

Legatio Pp. ad Vladislaum Regẽ.

Regis congressus cum Sigism. Imper.

Compromissum Regis.

Soluto conuentu, Vladislaus Rex in Poloniam reuersus, magna cura bellum aduersus Cruciferos apparauit. Misit & Cæsar Episcopum Passauiensem, & Ioannem Comitem Hardeccium Cracouiam, vt in speciem arma, & cætera ad Prussicum bellum necessaria exercitui suo compararent: quibus laute à Rege sumptus suppeditati sunt. Cæterum ij, cum supra quadraginta dies Cracouiæ mansissent, vltrone an reuocati, non constat, in Vngariam ad Cæsarem redierunt. Reuersus est deinde ad Regem ex Vngaria Zbigneus Brezius

Legati Cæsarei ad Regem Vladislaum.

Brezius Marschalcus, qui ad deducenda à Cæsare auxilia relictus erat, vanitate Cæsaris perspecta. Lactatus inanibus Cæsaris promissis Vladislaus Rex, tamen institutam in Prussiam expeditionem non remisit, ne legatione quidem eius motus, qua ille ab eo postulabat, vt in aliud tempus id bellum reiiceretur. Iam copiæ omnes Volboriam conuenerant, indeque per Masouiam progressæ, ad fines hostium peruenerant, cum venit ad Regem in castra Bartholomæus Capra, Archiepiscopus Mediolanensis legatus à Cæsare, dirimendi eius belli causa. Pepigit is quidem rursus adiuuante maxime Vitoldo, & accedente Pontificis Maximi autoritate duorum annorum inducias, cum compromissi sui Regem admonuisset, & aliud ei ex aduerso respondens ipse à Cruciferis attulisset. Præfinita autem compromisso dies ad octauum idus Ianuarij. Itaque irritus tantus ille conatus atque apparatus belli fuit, non sine magno omnium fremitu, imprudentiam Regis in faciendo compromisso incusantium. Verum eam culpam Rex in Cancellarium transtulit: quam ob rem is magno omnium odio deflagrauit. Cum Erico autem Daniæ, Suetiæ, & Norvegiæ Regibus, ac Duce Pomeraniæ, eiusque consiliariis, publice à Vladislao & Vitoldo in castris tunc ictum est fœdus ac societas, cum contra alios vtriusq; partis hostes, tum nominatim contra Cruciferos: ea lege, vt etiamsi quis Principum ab eo fœdere vellet discedere, subditi tamen ipsius eo nihilominus tenerentur: ne tamen vteruis altero insciio, Cruciferis, vel cuiquam bellum omnino intentaret. Excepti sunt autem à Vladislao & Vitoldo Sigismundus Cæsar, & Venceslaus Rex Bohemorum, propter priora cum ipsis fœdera. Reuertens autem ex eo bello Vladislaus, per Cuiauiam in maiorem Poloniam diuertit. Posnania vero Srodam proficiscentem aduersus casus perculit. Nam sub vesperum, cum serenum esset cœlum, subito atris nubibus obductum est: vnde inter crebra fulgura ac tonitrua fulmen magno fragore decidens quadrigas carpento, quo Rex vehebatur, iunctas, duosque stipatores regios, & equos complures alios, vno ictu interfecit: aurigæ & sessoribus equorum nil aduersi euenit, nisi quod cubicularij vestis discerpta est. Rex cum aliquandiu exanimatus iacuisset, tandem respirauit, cætera sospes, præter quod surdaster paucos dies, & modico manus dextræ dolore affectus fuit.

Inducia duorum annorum inter Polonos & Crucigeros.

Rex fœdus icit cũ Daniæ & Suetiæ Regibus.

Sub illud tempus Ediga Princeps Tartarorum, missa legatione cum muneribus ad Vitoldum, fœdus cum eo iniit. Venit paulo post, prius tamen sibi aditu & colloquio impetrato, ad Vladislaum Sigismundus Cæsar Sandeciam, & cum animo esset distracto, vtrum Turcicum bellum prosequi, an Bohemiam post Venceslai fratris obitum, qui non ita pridem paralysi extinctus erat, Hussi religione & domestica seditione æstuantem recuperare debuisset: Vladislaus ei suasit, vt Bohemiam ante omnia potestatis suæ faceret, Hussique doctrinam vires sumentem opprimeret, & ad hæc peragenda auxilia illi pollicitus est. Qui Pragam cum exercitu veniens, cum non exiguam eladem à Taboritis, qui à castris nomen sumserunt, accepisset, castrisque exutus esset, Vratislauiam iter deflexit, quo se legatos Vladislai Regis & Cruciferorum sequi iusserat, vt ibi inter eos de controuersiis arbitrium perageret. Verum ipse ad extremam demum compromisso præfixam diem post initium noui anni eo venit. Veritus igitur, ne die præterita irritum esset compromissum, vt Cruciferis gratificaretur, causa non cognita

Fœdus Tartarici cũ Vitoldo.

Sigismund. Imp. cum Vladulao R. congressus.

Bohemici motus.

Decretum Sigism. Cæsaris ex cõpromisso.

gnita, neque disceptata, sententiam ex scheda, quam in pera paratam habebat, insertis quibusdam, quæ in controuersiam non venerant, recitauit, reclamantibus frustra legatis Vladislai, & fidem religionemque iudicis requirentibus. Quod quidem tam molestum legatis Polonicis fuerat, vt insalutato Cæsare & moderationem decreti pollicente actutum discederēt. Eo vero spectabat potissimum decretum illud Cæsaris, vt decreto Pontificis maximi delegatorū abolito, Caroli Vngariæ & Ioannis Bohemiæ Regum arbitrium, pactaque apud Toruniam inter Regem Poloniæ & Magistratum conuenta, rata essent.

Vladislai Regis & Vitoldi mādata ad Cæsarem.

Hæc vbi celeriter ad Vladislaum in Lithuania tunc venationibus cum Vitoldo vacantem perlata sunt, dolore & ira vterque ad lachrymas vsque exarsit. Mox communicato cum paucis consilio, Rex Zbigneum Olesnicium ad Cæsarem misit, qui ei beneficia sua plurima & maxima, & ipsius non modo ingratitudinem, summam iniustitiam, sed etiam perfidiam & periurium exprobraret, seque pariturum esse illi sententiæ negaret. Quod cum Olesnicius grauissimis verbis fecisset, simulque Nicolaus Cebulca subsecutus, Vitoldi nomine cum alia quædam acerbe in Cæsarem dixisset, tum fœdus & amicitiam olim cum eo constitutam repudiasset, ita commouerunt Cæsarem, vt eos, violato iure gentium, in profluentem demergere voluerit, nisi eum, qui proximi assidebant, Episcopi & Principes à tā præcipiti consilio auertissent. Sine responso autem ij dimissi sunt. Nec ita multo post Cæsar missis duobus legatis ad Regem, correcturum se esse pollicitus est, quod non malitiose, sed imprudenter Cruciferorum fraude circumuentus deliquisset. Verum ne in eo quidem seruauit fidem, cum Vladislaus Rex rursum Episcopum Cracouiensem, & Marschalcum ea de re ad eum misisset. Relata deinde ad Senatum, parendumne esset iniquo Cæsaris decreto, an eo spreto inferendū bellum Cruciferis, placuit ad tēpus quiescere & expectare, ecquam priores Cruciferi, non parendo decreto Cæsaris, iustam belli occasionem darent. Nec ea diu expectata est. Cum enim Cruciferi duodecim millia & quadringentos aureos nummos Regi decreto Cæsaris ad certam diem numerare deberent, nec satis auri parati haberent, legati regij Ioannes Koscielecius Palatinus Vladislauiensis, & Zbigneus Olesnicius Secretarius argentum, quod in supplementum auri dabatur, non acceperunt: dieque lapsa, testati, priores Cruciferos iudicatum non fecisse, discessere. Quæ res apprime grata & exoptata Regi, atque etiam Vitoldo accidit. Quietæ tamen aliquandiu postea res fuere inter Polonos & Lithuanos, atque Cruciferos. Cæterum domi in comitiis Lencicienſibus ad vicesimam quintam diem Iulij parum abfuit res à pernicioſa seditione & cæde. Infensa erat Elisabetha Regina Alberto Episcopo Cracouiensi, cum quod is matrimonium eius cum Rege imprimis improbabat: tum quod Iohanni filio, quem Granouio pepererat, diploma de Comitatu, quo is à Rege contra leges publicas ornatus erat, non signabat. Cum autem non ignoraret mulier, infiniti compromissi culpam à Rege reiici in Albertum Episcopum, Tulisconium Castellanum Calissiensem, & Brezium Marschalcum, quos etiam alienioribus forte à se animis esse sentiebat, mulier vindictæ cupida, vrgebat eam occasionem, Regem in eos assidue instigabat, & eo Regem propemodum perpulerat, vt Episcopo indicta causa Cancellarij munus abrogaret, in tres vero illos vt iudicium publicum in comitiis institueretur, perfecit. Et mortua quidem est Elisabetha ante diem comitiorū publica

Consultatio Polonorum.

Cruciferi non satis faciunt decreto Cæsaris.

Comitia Lencicia turbulenta.

Elisabetha Regina mors.

publica omnium ordinum (præterquam Regis ipsius) lætitia, quam splendidior vestitus omnium testatam faciebat. Iudicium tamen nihilominus in Episcopum & reliquos duos instauratum est. Ibi cū propinqui & clientes Petri Vissi veteris iniuriæ memores, frequentes Alberto insultarent, & Bartholomæus Vlodecus, cui Petri fratris filia nupta erat, causam aduersus Albertū dicens, acerbius in eum inuehereturnon tulerunt id Alberti fratres propinqui & clientes, quorum numerosa turba stipatus aduenerat. Crescebat iniuriis & conuitiis mutuis tumultus, & ab vtrisque ad arma sumenda, acciendosque socios ex arce in oppidum decurrebatur. Rex cum proceribus in penitius cubiculum se subduxit: & ni mox porta arcis clausa, ponsque sublatus esset, multū ibi sanguinis effusum fuisset. Repressa tandem est à proceribus gliscēs seditio, Rexq; reconciliatus reis, maxime Ioannis Tarnouij Palatini Cracouiensis opera.

Iudicium in Episcopū Cracouiensem & duos procares.

Rex reconciliatus Episcopo.

Consultatum deinde est de Republica, & inprimis de Bohemis, an eos petentes Rex in fidem suam reciperet: nam ij victo pulsoq; Sigismundo ad Vladislaum regnum deferre nunciabantur. Re diligentius in Senatu agitata, placuit, ne Rex regnum à Bohemis delatum reciperet, propter dogma Hussitarum, quod totam iam Bohemiam infecerat, & propter intestina gentis dissidia, factionesque diuersas, neue Sigismundum Cæsarem, ad quem iure hæreditario regnum illud spectabat, in se concitaret: nec aperte tamen id detrectaret, sed dubios legatos dimitteret, vt eo metu Sigismundus in officio contineretur. Soluto conuentu Lencicienſi, venere deinde Bohemorū legati, quibus quæstis de Sigismundi superbia & acerbitate, regnumq; Vladislao deferētibus, responsum est: Regem vicem eorum dolere, ipsum quoq; multis insignibus iniuriis à Sigismundo affectum, vt merito Bohemis pro tam propētis eorum in se studiis, auxilio aduersus eum esse deberet: sed quoniam res magna ac difficilis esset, quam postularent, nolle eum quicquam de ea sine Vitoldi fratris consilio statuere. Hoc responso accepto, pars legatorum in Lithuaniam ad Vitoldum profecta est: cæteris Nepolomiciæ manendi locus datus,, sumptusque suppeditati, ne in vrbe propter ipsorum præsentiam supersederi sacris necesse esset. Indictis deinde rursus comitiis Nepolomiciam ad vndecimam diem Nouembris, legati Bohemorum (iam enim & ij, qui ad Vitoldum ierant, reuersi erant) non præcisa aperte omni spe suscipiendi à Vladislao regni, dimissi sunt. Reuerterunt autem ij post sequentis anni initium, repertoq; Rege vna cum Vitoldo in Lithuania apud Mereciam, idem quod prius postularunt, adiicientes: si Vladislaus regnum illud abnueret, vt Vitoldus id capesseret. Diu eos Vitoldus suspensos tenuit, ostentata nonnulla spe, vel Sigismundi vlciscendi causa, se id non recusaturum. Tandemque ad decimum octauum calendas Septembris Lublini certum eis responsum Regis pariter ac Ducis nomine datum est, cuius ea fuit sententia: Licet ambo grauiter à Sigismundo læsi sint, non esse tamen sibi in animo improbitate cum eo certare. Scire se, Bohemiam iure ad Sigismundum pertinere: meminisse fœderum, quæ cum ipso sibi constent, quamuis non eadem fide vtrinque seruentur: religionem etiam sibi esse, apud hæreticos regnare. Honoris autem Bohemorum gratia se omni ratione curaturos esse, vt à Sigismundo & Pontifice in gratiam recipiantur.

Consultatio de suscipiendo regno Bohemiæ.

Bohemorū legatio ad Vladislaum Regem.

Comitia Nepolomiciam indicta.

Bohemorū legati iterum ad Regem.

Responsum Bohem. oratoribus datum.

Dimissa cum his mandatis Bohemorum legatione, misit Rex legatos ad Sigismundum Cæsarem Ioannem Tarnouium Palatinum Cracouiensem, &

Regis oratores ad Sigism. Cæsarem.

Zbigneum Oleſnicium Secretarium: qui commemoratis modeſte ſuperioribus Vladislai in eum beneficiis, illiuſque viciſſim in Vladislaum Regem iniuriis, perſtare tamen Vladislaum in amicitia, nec mutare fidem oſtenderent: peterentque ab illo, vt cum Bohemis in gratiam redire, eccleſięque reconciliare eos clementer vellet. Si ille pateretur, vtramq; rem Vladislao curę fore, & vel armis, ſi aliter nequiret, eos ad officium reducturum, & in ditionem eius, ſocietatemq; eccleſiæ catholicæ reducturũ eſſe: modo vt poſtea viciſſim Sigiſmundus cum ipſo contra Cruciferos ſecundũ pacta conuenta tãdem arma coniungeret. Eius autẽ rei præſtandæ pignus interim Sileſia in poteſtate Vladislai vt eſſet, tantiſper, quoad Sigiſmũdus fidẽ ſuam apud eum liberaſſet. Grata hæc fuit legatio Sigiſmundo, maioraq; is vltro Vladislao, quã quæ poſtulabãt legati, obtulit, nimirũ coniugium filiæ vnicæ ſuæ, cuius Vngaria & Bohemia hęreditaria regna futura eſſent, aut vero Agathę viduę, quę cũ Venceslao Rege fratre ſuo nupta fuiſſet, ſi magis cõpar cõiugium ipſi placeret. Adhuc enim impubes erat filia Sigiſmundi. Ei vero viduæ dotẽ fore Sileſiam, & centum millia florenorum. Hæc cum legati à Cæſare ad Regem retuliſſent, miſſus eſt deinde Zbigneus ad Vitoldum in Lithuaniam, vt cum eo rem oẽm communicaret. Res autem ipſa reiecta eſt ad comitia Nepolomicẽſia. Inde Zauiſſius Niger de ampliſſimi Senatus ſententia ad Sigiſmundũ de Agathæ matrimonio conficiendo ablegatus eſt. Qui cum Sigiſmundũ in expeditione Bohemica occupatum ſequeretur, eoq; ab Huſſitis profligato, in proximum oppidum Goram cum multis aliis ex acie ſeſe recepiſſet, oppido per proditionẽ ab Huſſitis capto, in poteſtatẽ ipſorum venit, Pragamq; ductus, per longum tempus in cuſtodia habitus eſt. Eius igitur captiuitas diuturna impedimento fuit, quo minus matrimonium illud perficeretur.

Sigiſmundi Cæſ. reſponſum.

Comitia Nepolomiciæ.

Dum hęc fiunt, Vladislaus Rex cum Friderico Marchione Brandeburgẽſi affinitatem iunxit, deſponſa filio eius natu maximo Friderico vnica filia ſua Heduigi: atque is, quam impubes etiam tum eſſet, in aula regia deinceps honeſte & liberaliter educatus eſt. Conuenerat enim inter affines aſſentiente Senatu Polonico, (nam Cracouiæ hæc agebantur, quo Fridericus ſenior ea de re aduenerat) vt, ſi Vladislaus nullos mares liberos ſuſciperet, regnum Poloniæ poſt eius mortem dotale Fridericus gener, etiam ſi ante nuptias moreretur ſponſa, acciperet: Marchiamque paternam ſuam ditionẽ, quæ à Polonia quondam auulſa eſſet, iure ſempiterno, quemadmodum Dlugoſſus prodit, eidem rurſus adiungeret. Si quas vero alias filias Rex relinqueret, eas Fridericus elocaret. Sin filium hæredem Rex relinqueret, centũ millium aureorum Vngaricorum puellæ dos eſſet, intra duos annos poſt cõſummatum matrimonium exoluenda: quæ tamẽ Heduigi defuncta ad Regem & Regnũ rediret, ſi Fridericus ex ea nullos liberos procrearet. Quod ſi Fridericus dote non accepta è viuis excederet, Heduigis tamen nihiloſecius, quoad viueret, in Marchia certorum prædiorum ac bonorum ducentis millibus aurcorum æſtimatorum vſumfructum haberet. Pollicebatur autẽ Fridericus pater Vladislao magna aduerſus Cruciferos auxilia, quoties opus eſſet. Verum ea cum ex pacto paulo poſt poſcerẽtur, negauit in eum annum ſe mittere poſſe, perſuaſitq; Regi, vt in ſequentem annum bellum Crucifericum differret, q̃ diceret, initurum ſe eſſe rationem, vt Cruciferi vltro imperata Regis facerẽt, & vel culinarium eius currum traherẽt. Acceſſit etiam ad prorogãdas induciæ Pontificis maximi authoritas, apud quẽ tunc cauſa inter Regẽ ac Cruciferos,

Pacta conuenta inter Regem & Marchionẽ Brãdeburg.

Inducię cũ Cruciferis.

Paulo

Paulo Vladimirio Cuſtode & Canonico Cracouienſi negocia Regis Romæ curante, diſceptabatur. Et venit quidẽ ſequentis anni, qui fuit à Chriſto millesimus quadringenteſimus vigeſimus ſecundus, initio legatus Põtificis Antonius Zenus iureconſultus, vir integer & incorruptus, ſiue ad cõponendas res inter diſſidentes Polonos & Cruciferos, ſiue ad cognoſcendã diligentius cauſam, & audienda vtriuſq; partis teſtimonia, deſcribendaque monimenta. Secutus autem is eſt Regem in Lithuaniam, vbi tunc inconſulto Senatu Polonico Rex quartas nuptias cum Zonca Ruſſa (cui poſtea Sophię nomẽ fuit) Andreę Kiouienſium Ducis & ſororis Vitoldi filia celebrabat. Id vero matrimonium ſine dote Vitoldus fruſtra reſiſtentibus Polonis, qui cũ Rege erant, conciliauit: vſus illa occaſione, quod Zauiſſio capto, nihil ad eam diem cum Cæſare conſtitutum erat.

Rex quartam ducit vxorem.

In Poloniam Rex reuerſus, popoſcit ordinem eccleſiaſticum quinq; millia florenorum, quę ei Pontifex ſummus exigenda conceſſerat. Verum ea de ſynodi ſententia negata ſunt, ne quid eiuſmodi in conſuetudinem veniret, & quod nullum tunc bellum Rex aduerſus Huſſitas gerebat: nam in eum vſum eam exactionem Pontifex indulſerat. Bellum deinde Regi cum Cruciferis præter omnem opinionem exarſit. Nauiter operam dabat cauſæ diiudicandæ Zenus legatus, & iam finis induciarum inter Regem ac Cruciferos appetebat. Egit ergo is cum vtriſque de protrahendis induciis, eoque rem perduxerat, neutris recuſantibus, vt eæ conuenirent, ni fraus Crucieferorum deprehenſa eſſet. Offenſus enim iniquitate Cæſaris Vitoldus, Sigiſmundum Coributhum fratrem cum non contemnendis Polonorum & Lithuanorum copiis in Bohemiam ad recipiendum ac defendendum aduerſus eum gentis illius regnum haud multo ante miſerat, ſi non annuente, certe non aduerſante Rege. Id cum ægerrime ferret Cæſar, Cruciferos ad inferendum Polonis bellum incitabat, &, vt facilius incautos fallerent ſuadebat, vt inducias non abnuerent, illa duntaxat conditione in pactis adiecta, vt eatenus eæ firmæ eſſent, quatenus ipſi quid aliud ſiue à Pontifice, ſiue à Cæſare in mandatis non haberent. Ea de re cum Cæſar aliquot hominibus habitu mendicorum ornatis literas ad Magiſtrum Cruciferorum perferendas dediſſet, vnæ ex his inter veſtes mendici cuiuſdam apud Coninum (quod maioris Poloniæ oppidum eſt) forte mortui inuentæ, dolum detexerunt. Itaque cum Cruciferi in iudiciis Pontificis, ſiue Cæſaris autoritatem diſerte exciperent, re infecta & arguta euidenter à Polonis Cruciferorum fraude, irritatiſque animis diſceſſum eſt, bellumque magna celeritate, & ingenti animorum ardore comparatum. Intra paucos dies cunctæ copiæ è Polonia, Ruſſia, & Lithuania, quo iuſſæ ſunt, conuenere. Interim autem Zenus cum cognitioni cauſæ apud Vratislauiam inſiſteret, mandato Pontificis importunitati Cæſaris conceſſo reuocatus eſt, ſuſpecta enim fides eius & integritas Cruciferis eſſe cœperat.

Bellum Pruſſicum.

Coributhus in Bohemiam cũ exercitu proficiſcitur.

Ingreſſus autem Rex hoſtilem terram, compoſito agmine, perinde ac ſi hoſtes in conſpectu eſſent, incedebat: & habebant ij ſane ſupra triginta millia equitum pariter ac peditum: commiſſurique erant rem vniuerſæ dimicationis diſcrimini, ne vaſtari ſua ſub oculis ſuis paterentur, niſi Conradus Nencius Sileſius, vir ſcientia rei militaris præſtans, temeritatem eorum, qui cum tanto exercitu pauci dimicare vellent, redarguiſſet. Erant enim ſupra centum millia bellatorum in caſtris regiis. Itaque

Cruci-

Cruciferi mutato consilio ad tuendas munitiones dilapsi sunt: relicta aliquãta manu ad prohibendum Polonis Deruanciæ amnis transitum. Sed ea facile à Polonis pulsa est, cæsis captisque compluribus. Circum castella deinde & oppida Poloni arma circumtulere: Frid cum siue Vanibreznum, & Golubum oppida cepere, diripuere, & incendere: præsidiarij omnes, qui supra quadringentos fuerunt, cum quindecim Cruciferis intercepti, & in vincula coniecti. Ibi dum Rex castra habebat, venit ad eum Corbauiensis Episcopus, legatus à Cæsare, petens, vt Coributhum è Bohemia reuocaret, Cruciferos ne bello vexaret. Si quid ij deliquissent, iure cum eis apud Cæsaris tribunal, cui illi subiecti essent ageret. Quod si iniquitate sententiæ Cæsaris offenderetur, Cæsarem, si quid eiuscemodi esset, correcturum esse. Si qua alia iniuria læsum se esse à Cæsare arbitraretur, Polonis & Vngaris Proceribus rem disceptandam secundum fœdera permitteret. Adhæc lic ei responsum est. Quod ad Cruciferos attineret, Regem satis perspectam habere fidẽ & æquitatem Cæsaris, pariturũ tamen eum fuisse eius decreto iniquissimo, nisi Cruciferi priores id contempsissent. Deinde productum quoque nihilominus inducias cum eis fuisse, si de eorum fraude ex literis Cæsaris interceptis non constitisset. Illud etiam quale esset, quod Cæsaris opera Antonij Zeni legati pontificij incorrupti viri iudicium intercepisset? Itaque oportere Regem armis sua repetere, quando aliter non possit. Coributhum non Regis iussu in Bohemia cum exercitu esse. Intulit mox Vitoldus, à se eum illuc missum esse, vt Cæsaris iniurias & violata fœdera vlciscereturi, futurumq; ibi esse deinceps & iam, vt intelligeret Cæsar, quos homines sub specie amicitiæ dolis falleret. Cum his responsis dimissus legatus.

Legatus Cæsaris ad Regẽ Vladislaum.

Responsum Regis.

Valachorũ auxilia ad bellũ Prussicum Regi missa.

Non intermittebant interea Poloni populabundi hostiles agros longe lateque dispersi infestare. Forte quadringenti Valachi expediti (totenim Palatinus Regi in auxilium miserat) sub Mariæburgo prædas agebant. In eos Cruciferi magno numero ex arce effusi, impetum fecerunt. Valachi, venientium cõtra se hostium multitudine aduersa, in proximam syluam se abdunt, ex equis desiliunt, non insueto genere pugnandi pedestres inter condensas arbores sese defensuri. Descendunt & Cruciferi, vt latitantes, quemadmodũ opinabantur, è latebris extraherent. Verum mox denso sagittarum imbre à Valachis obruti, cæsis captisque primis, fugam capessunt. In fuga quoque à persequentibus Valachis non paruam cladem accepere. Victores Valachi cũ præda & captiuis in castra pedem retulerunt. Alia quoque non minori clade per idem Cruciferi inter Orlouiam & Murinouiam pagos profligati sunt ab Andrea Brochouio præfecto Brestensi, qui erat cum Mathia Labissinio Brestensi, & Ioanne Coscielecio Inouladislauiensi, Palatinis, & cum omni Nobilitate Cuiauiensi, relictus à Rege ad præsidium eius oræ cum summo imperio, ne quid ibi à Cruciferis moueretur. Indignati autem Palatini, sibi eum prælatum esse, domos cum clientibus suis per speciem comparãdi commeatus recessérant. Perstitit in castris Brochouius, nihil ea discessione deterritus, diligentiusque agebat excubias quoquouersus dispositas. Erant in præsidio Nessouiæ octingẽti equites Cruciferorum: ij vt incautos Polonos opprimerent, silenti agmine circumuecti à tergo, vbi nullas rebãtur haberi excubias, noctu eos adorti sunt. Sed non fefellere tamen. Et primas quidem excubias securas oppressere: verũ à secundis ad tertias, & inde in castra clamor perlatus, Brochocium cũ suis exciuit. Armis raptim correptis, hosti sepia castrorum

Valachorũ victoria de Cruciferis.

rum conuellere iam incipienti intrepide occursum est, commissoque prælio (lucente forte luna) cessit Polonis victoria: dissipati fuga hostes, cum per ignota sibi loca, syluasque errarent, agrestibus prædæ fuere per subsequentes dies: magnusque fuit numerus captiuorum, in quibus Commendatoris Torunensis vicarius, ac duodecim Cruciferi fuerunt. Nam Commendator ipse fuga elapsus est. Rex Golubensi arce potitus, ad Coualouiam castra mouit, & in arcis illius oppugnatione nonnihil commodi accepit: nam oppidum ipsi Cruciferi succenderant. Captus cum paucis Dobrogostius Castellanus Camenecensis, per cuius incuriam Drahimum haud multo ante interceptũ erat à Germanis militibus in Prussiam euntibus: tametsi intra paucos dies arx ea à Polonis recuperata fuit, Pauli Vernici Germani opera; qui cum esset inter præsidiarios hostium, Polonos clam noctu cassibus venatoriis in arcem sustulit, à quibus mox præsidium hostile deiectum est. Omissa Couoloniæ oppugnatione, ad Toruniam Rex duxit. Forte didicerat ab exploratoribus, Cruciferos non contemnendas copias coegisse: quanquam non habebant ij in animo, aperto prælio cum Rege manus conserere, sed occasionem & opportunitatem rei bene gerendæ captabant. Contra hos ergo sedecim Polonorum totidemque Lithuanorum vexilla misit. Cęterum priusquam in conspectum ventum est, hostes, aduentu Polonorum cognito, fuga dilapsi sunt. Rex cum pestem Toruniæ grassari accepisset, contagionem metuens, mutato consilio, vastatis modo suburbanis, in Culmense territorium exercitum reduxit, vt id siue peruastaret, siue in potestatem suam redigeret.

Cruciferorum præsidiarij Nessouia fusi ab And. Brochocio.

Interim Cruciferi, & ipsi inauspicati belli pertæsi, & Nobilitatis oppidanorumq; suorum clamoribus ac querimoniis defatigati, legatos ad Regẽ de pace miserunt, quam nõ difficulter impetrarũt. Pacis leges supra Ossam fl. & apud Melnum lacum in castris conscriptæ, inter quas erant præcipue, vt Rex Galardi & Petri iudicum à Pontifice maximo delegatorum decretum: Cruciferorum vero Magistri Paulus Prussiæ, & Sigfridus Liuoniæ, pacta Torunensia, & Sigismundi Cæsaris decreta duo ex compromisso lata rescinderẽt: Samogitiam, Nessouiam, arce tamen ab ipsis diruta & materia asportata Rex haberet, itemque dimidium Istulæ, & nauli apud Toruniam: Cruciferis vero redderet, quicquid de iis tunc cepisset, iniuriæque vtrinque factæ oblitterarentur. Quod si vteruis bellum renouare vellet, vt subditis eorum impune liceret dominis suis nullam opem ferre. Hæc ita conuenta, non diu rata fuere. Nam discedente Rege non impleuerunt Cruciferi promissa, ita iubente Cæsare. Vnde cum irritatio animorum inter Principes maiores motus parturire videretur, Vngarorum proceres conuentum cum Polonis expetiuerunt, facileque impetrarunt, vt ad Kesmarcum oppidum delecti à Rege de sententia comitiorum secum conuenirent. Ibi constitutum, vt ad medium quadragesimæ anni sequentis ipsi inter se Cæsar & Rex conuenirent, & Proceribus Vngaris ac Polonis arbitris, quemadmodum erat in fœdere, de iniuriis mutuis disceptarent: Cruciferorum quoque legati cum luculentis mandatis vt adessent. Congressi deinde Cæsar & Rex ad præstitutam diem apud Staresolum, cum de iniuriis mutuis inter se audientibus Proceribus expostulassent, pacem inter se renouarunt: Cruciferi quoque pacta conuenta apud Melnũ lacum seruare iussi, dicto audientes fuerunt, & cõtrouersa quædam pactorum conuentorum capita, ad mercaturam & cõmercia pertinen-

Cruciferi pacem à Rege petũt & impetrant.

Vngarorũ & Polonorum proceru conuentus Kesmarci.

Sigismũdus Cæs. & Vladislaus R. congrediuntur.

Pax inter Cæsarem & Regem.

Coributhus reuocatur è Bohemia.

tia, conuentu cum Polonis apud Nieſſouiam inſtituto explicarunt. Reuocatus deinde eſt à Rege Coributhus è Bohemia, vbi non contemnendas vires habuerat, & autoritatem ſibi apud Bohemos præter Ziſcę factionem compararat. Reuerſus inde, cum Dobrinenſem dominatum à Polonis non obtineret, ſolicitabat animos multorum ad res nouas. Qua re ſibi magnũ odium apud Regem & Proceres conflauit. Miſſi deinde à Rege Zbigneus Oleſnicius Epiſcopus deſignatus Cracouienſis, Sendiuoius Oſtrorogius Palatinus, & Dobrogoſtius Szamotulius Caſtellanus Poſnanienſis, & Stanislaus Ciolcus Procancellarius, ad regundos fines cum Cruciferis in Samogitiam, certis ſirabile eo anno geſtum, niſi quod Proceres cum Nobilitate in comitiis Vartenſibus Rege abſente leges quaſdam condidere.

Fines conſtituuntur inter Pruſſiam & Samogitiam.

Comitia Varta Rege abſente.

Sophia Regina coronatur.

Inſequenti autem anno, qui fuit milleſimus quadringenteſimus vigeſimus quartus, duodecima Februarij Sophiæ Reginæ diadema ſolenni ritu impoſitum eſt. Quam celebritatem præter Polonos & Lithuanos Proceres, Sigiſmundus Cæſar cum Barbara vxore: Ericus Rex Danorum, qui tunc forte Hieroſolyma religionis ergo iter habebat, Branda Cardinalis cognomento Placentinus legatus põtificius, Iulianus Cæſarinus auditor cameræ Apoſtolicæ, qui poſtea Cardinalis fuit; Ludouicus Bauarorum, Ziemouitus, Vladislaus, & Alexander fratres Maſouiorum, ac non pauci Sileſiæ Duces, itemq; Torunenſis & Elbingenſis Commendatores nomine Magiſtri Cruciferorũ Pauli Ruſdorffij cohoneſtarunt. Vitoldus venire noluit, incertum, qua de cauſa infenſior Reginæ factus. Tentatum eſt in illo conuentu à Principibus de Heduigi Regis filia Boguslao Duci Pomeranię in matrimonium collocãda: cum Vladislaus Rex non obſcure alienum à Friderico Marchione, cuius filio ea deſponſa erat, animum præ ſe ferret, eo quod is auxilia nulla ex pacto ipſi ad bellum Crucifericum miſerat. Sed nihil tamẽ ea de re impetratum eſt, diſſuadentibus Regi Proceribus, fidemque rebus omnibus potiorem ducentibus. Diſſuaſit & Vitoldus abſens, apud quem tunc Fridericus iunior educabatur, cum res tota ad eum à Rege reiecta eſſet, Cæſarq; & Reges ad ipſum ea de re oratores ablegaſſent. Acceſſit etiam Pontificis autoritas poſtea, qui Friderieum è ſua familia Columnẽſi originem ducere profitebatur. Effectũ eſt autem in eodem conuentu, annuente maxime Cardinale, vt Rex Vladislaus Cæſari præter voluntarios, qui certatim crucis militiam à Pontifice promulgatam amplectebantur, quinq; millia equitum ad bellum contra Bohemos Huſſos promitteret. Acta & alia nonnulla in ſecretis colloquiis. Poſt decimumquintum tãdem diem Reges & Principes liberaliter ac magnifice habiti, ſuas quiſq; domos repetiuere. Vladislaus Rex Visliciam ſe contulit: ibi eum legatio Bohemorum conuenit, petens, vt quando ipſe, Vitolduſq; nollẽt, Coributhum ſibi Regem mitteret. Probauerat enim is priori expeditione Bohemis induſtriam virtutem, ac diligentiam ſuam. Non modo negatũ, ſed bellum quoq; denunciatum Bohemis, ni hæreſin abiicerent, & Romano Põtifici dicto audientes eſſent. Profectus eſt tamen iterum ad Bohemos Coributhus Rege inſcio, cum aliquanta facinoroſorũ & obæratorũ hominum manu, quæ ad eum confluxerat. Quam ob rem ſuſpicionem Cæſaris, multorumq; præterea vitare Vladislaus nõ potuit, quamuis promiſa equitũ auxilia duce Petro Miedziuecio Cæſari miſiſſet. Quin ea quoq; auxilia, cum per Moraviam iter facerent, & ſuſpecta ſe eſſe iis, quibus ſuppetas ibant, haud obſcu-

Principum conuentus Cracouiæ.

Rex Vladislaus alienus à Friderico Marchione.

Legatio Bohemorũ ad Regem appulit.

Coributhus ad Bohemos profectus.

obſcure animaduerterent, oppidiſq; excluderentur, verita, ne vbi opprimerentur, Olomucio in Poloniam ſubito reuertere. Hoc anno natus eſt Vladislaus filius pridie calendas Nouembris ingenti patris lætitia, & poſt quartũ demum menſem religioni Chriſtianæ ritu ſolenni initiatus, Vladislai nomẽ accepit. Adfuerunt autem ei ceremoniæ Pontificis Maximi, Cęſaris, Venetorum, & Mediolanenſium Ducum, ac nonnullorum aliorum principũ à Rege inuitatorum legati, cum amplis donis puerperæ allatis. Vitoldus vero argenteas cunas centum pondo puero miſit. Nihil præterea memoratu dignũ duobus illis annis, niſi quod peſtis ingens Poloniam & Lithuaniam peruagata eſt, ita vt Rex cum Regina & Vitoldo in ſyluis degere cogeretur. Vbi cũ vacaret venationi, caſu equi crus fregit, in quo curãdo menſes aliquot Craſniſtauiæ abſumpſit.

Regina ſeitur filium Vladislaum.

Anno vero milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſexto ad Pentecoſten comitia Lenciciæ habita ſunt: ad ea Rex per Maſouiam proficiſcẽs Ziemouitum ſeniorem Ducem in gratiam recepit, cum is ipſi primum per filios, deinde per ſe ipſe ſatisfeciſſet de eo, quod inſimulatus erat, quaſi in poteſtate Regis eſſe nollet. Poſtea in iiſdem comitiis à Rege res magna tentata, ſed nõ impetrata eſt, quum is promiſſa eam ob rem in ſuperioris anni comitiis Breſtenſibus facta nõ præſtaret. Promiſerat autem confirmaturũ & aucturũ ſe Nobilitatis libertatem & prærogatiuas, ſtationes eccleſiis & monaſteriis remiſſurum, Cuiauienſes autẽ auenę pẽſione liberaturum, ſi filium ſuum anno ſuperiore natum Regem poſt ſe deſignarent: conueneratq;, vt de iis rebus Rex in proximis comitiis diplomatis in ſingulos tractus ſeu Palatinatus datis, diligẽter caueret. Verũ is mutato ſuaſu Cæſaris conſilio, quum negaret id ſe facturum eſſe, conſurgens omnis Senatus, diploma ſuum, quo Regi de filio promittebat à Zbigneo Epiſcopo, cuius fidei concreditum erat, receptum, magno fremitu ac tumultu Rege inſpectante concerpſit. Sic re infecta conuentus ille ſolutus eſt. Alia tamen via Rex id, q̃ cupiebat poſtea perfecit, quum ſingulos Senatores priuatim, (quemadmodum Cæſar monuerat) prenſaſſet, & à ſingulis chirographa exegiſſet, itemq; à ciuitatibus & pleriſq; conuentibus Nobilitatis, præſertim Ruſſiæ & Podoliæ. Perpauci de proceribus reperti, qui maiorem Reipublicæ, quam priuatorum commodorum ſuorũ & gratiæ regiæ rationem ducerent. Natus eſt autẽ eo anno Regi alter filius Caſimirus, & intra annum vertentem mortuus.

Comitia Lenciciæ.

Ziemouitus Maſouius Regi reconciliatus.

Caſimirus filius Regi natus, & paulo poſt denatus eſt.

Porro Vitoldus conducto è Polonia magno numero mercenariorum militũ, fecit eodẽ anno expeditionẽ in Pſcouienſes Ruſſos, liberos tũc, poſt vero in ditionẽ Moſcorum redactos. Nec ea expeditio ſatis proſpera ei fuit initio, quippe quæ nulla iuſta de cauſa ſuſcepta eſſet, perẽnibus fere pluuiis madente humo, per ſe etiam vliginoſa, ita vt neq; progredi cõmode exercitus, neque pabulari poſſet. Ad extremum tñ Pſcouienſes magna vi auri & argẽti infecti pariter & ſignati pacẽ redemerunt. Vladislaus vero Rex per idẽ tẽpus de Nobilitate Ruſſica ditionis Poloniæ quinq; millia equitũ, duce Ioãne Cobilenio Præfecto Sanocẽſi in auxiliũ Sigiſmũdo Cęſari cõtra Turcas miſit, q̃ ad Brailouum vſq; (q̃ oppidũ in extremis Valachiæ & Moldauiæ Trãſalpinę finibus fuit) longũ iter emẽſi, duos mẽſes in eo loco cãpeſtri vna cũ Valachis, qui & ipſi ex fœdere iuſſu Regis præſto fuerãt, caſtra habuere, dum Caſarẽ vltra conſtitutum tẽpus expectãt. Vbi vero nõ venturum eſſe, Bohemicis rebus impeditum, intellexerunt, pacato agmine, quẽadmodum q̃ recti domo erãt,

Expeditio Vitoldi in Pſcouienſes Ruſſos.

Ruſſi & Valachi in auxilium Cæſari contra Turcas miſſi.

reuertere. Detrectabant nonnulli de Russis eam militiam, propterea quod quinæ marcæ in hastas ex Ludouici Regis sanctione ipsis non dabantur; eos Rex carcere diuturno coercuit, bonisque mulctauit. Sed remisit post omnibus mulctam rogatu procerum, aduocatiam modo Crosnensem retinuit.

Ziemouitus Masouius moritur.

Mortuus est eodem anno Ziemouitus Dux Masouiorum, relictis quatuor filiis, & quinque filiabus. Ac filij quidem sic inter se paternum dominatum partiti sunt, vt Ziemouito Rauensis, Vladislao Plocensis, Casimiro Belsensis ditio cederet: quartus Alexander exors patrimonij, sacris initiatus, Episcopus Tridentinus, & post Cardinalis presbyter fuit. De filiabus vero Cimbarca Ernesto Austriæ Duci nupsit, ex qua Fridericus tertius Imperator natus est. Eufemia Venceslao Teschinensium: Cunilia Boguslao Pomeranorum Duci: quarta Agathia Michaeli Duci, qui Sigismundi Vitoldi fratris filius fuit: quinta innupta obiit.

Insequens annus nulla fere alia re, quam probro Reginæ memorabilis est. Eius vero autor Vitoldus fuit, qui siue odio Reginæ, siue cupiditate regni, quam aperte postea præ se tulit, stimulatus, seu denique rumoribus hominũ vulgatis permotus, augente suspicionem in decrepita Regis ætate, tertio, q̃ instabat, Reginæ puerperio, cum omnibus minime mali Regis actionibus moderaretur, facile credulum hominem, vt in pudicitiam Reginæ inquireret, induxit. Captæ duæ puellæ pedissequę Reginæ, Catharina & Elisabetha, sorores Sciucouiæ, quæ omnium esse conscię existimabãtur, terrore tormẽtorum adhibito, confessæ sunt de libidinibus Reginæ, quod cum sex quibusdam amatoribus rem habuisset, sed verene, an falso, compertum non est. Regina vero non audita, plena mœroris ex tam insigni infamia, Cracouiam remissa est. Remittebatur in Lithuaniam asseruãda in custodia, ni Poloni Proceres, & inprimis Ioannes Tarnouius Palatinus Cracouiensis, cuius magna tunc erat autoritas, dissuasisset. Is enim, quum id à Rege clam agi ex apparatu curruum, & mox ipsius confessione cognouisset, percontatus est Regem: quid filiis ex ea natis facturus esset? quumque Rex secum eos fore, & in spem regni educatum iri, respondisset. Apage, inquit Tarnouius, tune Reges nobis relinquere vis, quos ipse, dum matrem eorum probro afficis, pro tuis liberis non agnoscis? Cæterum Senatus frequens eo rem perduxit, vt Regina se suo ipsi' & septem honestarum ac nobilium fœminarum iureiurãdo purgaret. Posthæc iudicium in Ioannem Strassum à Regina eflagitatũ est, quod is princeps hunc de ipsa rumorem apud Vitoldum & Germanos sparsisse diceretur. At is neque confessus, neque conuictus, cum se etiam decreto Petri Vidauij iudicis Siradiensis, cui Rex cognitionem eius causæ mandarat, iureiurando purgasset, & accusatores ad singulare certamen prouocaret, in carcerem tamen à Rege coniectus est Sendomiriæ: vbi parum abfuit, quin fumo & vapore prunarum illatarum enecaretur. Tunc autem paulo post Regina filium enixa est, cui Andreæ Casimiro nomen fuit: atq; ita posthæc Reginæ infamia conquieuit. Sed tamen res ea dissidij, quod deinceps inter Regem & Vitoldum accidit, seminarium fuit. Id vero dissidium gliscens Sigismundus Cæsar tertio deinde anno maleuolẽtia quadam ductus maxime inflammauit. Cum enim subolfecisset, subiratum esse Regi Vitoldum, conciliandum eum sibi esse existimauit, à cuius consiliis Regem totum pendere non ignorabat, vt vel committeret eos inter se, vel facilius ipse Regem abstutia alienum circumueniret. Itaque colloquium vtriusque expetiuit: ve-

Inquisitio in Reginæ pudicitiam.

Purgatio Reginæ.

Regi nascitur filius Andreas Casimirus.

Dissidium inter Regẽ & Vitoldum.

rum id Turcico bello implicatus, in tertium annum distulit. Duxit autem exercitum in Turcas sequenti anno millesimo quadringentesimo vigesimo octauo, quo Golubeciam arcem à Rasciano quodam Turcis, cum ipse eam emere nollet, paruo venditam recuperaret: siue adeo, quo belli Turcici prætextu cessationem suam à bello Bohemico Martino Pontifici id vrgenti excusaret. Sed priusquam ad congressum cum hostibus veniret, retro se transmisso raptim Danubio cum magna parte exercitus ad tutiora loca in Transsyluaniam recepit, proditis hosti reliquis, quos naues capere non potuere.

Hac fere tempestate Vitoldus fretus Polonis militibus, quos non paucos circa se habebat, partim voluntarios, partim stipendio proposito euocatos, Nouogrodensibus Russis, libero populo prætextu controuersorum finium bellum intulit: superataque præter spem eorum difficultate itineris, cum ad Oposcam castra faceret, supplicibus & ingẽtia dona adferentibus pacem dedit. Ex illo igitur inauspicato bello Turcico reuersus Cæsar Vladislaum Regem incusabat, quod is promissa sibi auxilia non misisset (quæ tamen ille superiori anno frustra miserat) & maiori in eum odio exardescens, vrgere cõsilium illud suum de adiungendo sibi Vitoldo colloquiumque efflagitare. Nec ægre id impetrauit. Dies dicta conuentui apud Luscum ad sextum diem Ianuarij sequentis anni. Cum autem conuenissent Luscum Cæsar cum coniuge sua, Rex, & Vitoldus, actum est aperta fronte de mutuis offensis, ac de Valachis maxime. Postulabat Cæsar ex formula fœderis, vt Valachiam secũ pariter subiugarent & partirentur: propterea quod nemini satis fida ea gens esset, & quod sibi ad Turcicum bellum dudum præsto non fuissent. Negabat Vladislaus, id se facturum passurumque esse: parere enim sibi Valachos antiquitus. Nam quod subsidio Cæsari non venissent, ipsius, non illorum esse culpam: venisse enim vna cum Russis, & expectasse frustra superiori anno. Et cessit quidem in ea re Vladislao Cæsar: cæterum secreto lõge alia cum Vitoldo egit. Societatem enim cum eo iniit, ac diadema ipsi regium pollicitus est, vt eum cum Vladislao Rege Poloniſque committeret. Non recusabat id quidem Vitoldus, homo ambitiosus & ingentis spiritus: at negabat, sibi inuito Vladislao Rege accipere licere. Itaque ad Vladislaum callide & blande affectata à Cæsare & vxore eius via, perfectum est, vt is cohonestandæ patriæ gratia non abnueret, si senatus Polonicus assentiatur.

Vitoldus Nouogrodensibus Russis bellũ infert.

Nouogrodenses pacẽ à Vitoldo redemerunt.

Conuentus Sigismundi Cæs. Vladislai, & Vitoldi Lusci.

Cæsaris pacta secreta cum Vitoldo.

Ad Senatum vero cum res relata esset, & præsens ipse Vitoldus hoc sibi concedi peteret, dicendisque sententiis, quo minus libere dicerentur, non optimo exemplo interesset, princeps senatus Albertus Iastrembiecius Archiepiscopus Gnesnensis longis verborum ambagibus vsus, nihil tamẽ certi statuebat. Post hunc Zbigneus Olesnicius Cracouiensis Episcopus grauissimis verbis Vitoldi præsentis consilium reprehendit: pactorum conuentorum, quæ Rex, quæque ipse cum Polonis sanctissimo iureiurando interposito olim firmassent, & quibus Lithuaniam Poloniæ adiunxissent, admonuit: « turpem esse prudẽti seni, & saturo gloriæ principi intempestiuam illam ambitionem, quæ magnas secum clades atq; calamitates Lithuanis iuxta ac Polonis importatura esset: cogitaret, venenatam esse illam offam, & exitiale munus, quod sibi à communi hoste Cæsare offerretur: non hoc illum agere, vt « honorẽ ipsi habeat, sed vt dissidium inter eum ac Vladislaum faciat: & quos « coniunctos nullo incõmodo possit afficere, disiunctis ac dissidentibus omne « malorum genus inuehat: reputet secum ingentia Polonorum & Vladislai be- «

Consultatio in senatu de regno Vitoldi.

» neficia, magis, quam recentes & insidiosas Cæsaris pollicitationes: illum nũ-
» quam fideliter, neq; cum ipso, neq; cum Vladislao amicitiam coluisse, pacta
» conuẽta toties irrita fecisse, sub specie beneuolentiæ, vel maxime semper no-
» cuisse: A Polonis vero Lithuanos omnium rerum egenos, & aduersus Cruci-
» feros ægre sese tuentes, in societatem receptos, & ad regnum posthabitis po-
» tentibus aliis Principibus vocatos: Polonorum armis atq; sanguine inexple-
» bilẽ Cruciferorum crudelitatẽ à ceruicibus eorum depulsam esse. Ipsum à V-
» ladislao prę germanis fratribus Principatum Lithuanorum adeptũ, regni et-
» iam administrandi moderatorem fore magis, quam participẽ adhiberi: vafrũ
» illud Cæsaris consilium multo ante sibi notum fuisse, at non se credidisse. Vi-
» toldum tanta prudentia præditum vnquam eo irreticũ iri: rediret ad se, neq;
» pateretur tot tantasq; res in eam diem à se præclare gestas, & sempiternã sui
» nominis memoriam aliena fraude cõraminari. Hæc elocutum excepit Ioan-
nes Tarnouius Palatinus Cracouiensis, grauiq; oratione & ipse rem illam, & conatum Vitoldi exaggerauit. Hos frequens Senatus magno consensu secutus est. Itaq; repulsam passus Vitoldus, iratus foras se proripuit, minitans, quã do sic ipsis videretur, alia id se via tamen assecuturum esse. Correptus deinde à Senatu, quod tam facilis & credulus, hostem suum in regno in perniciem suam, reiq; publicæ Polonæ grassari pateretur: ni sibi caueret, futurum esse, vt mellitis dolis eius caperetur.

Rex à Senatu correptus.

Haud mora, Proceres Lusco frequentes abeunt, quos Rex proxima nocte secutus est. Cæsar paucos dies cum Vitoldo cõmoratus, veritusq; nequem in se dolum Poloni offensi intenderent, propere in Vngariam rediit. Misit autẽ postea Vitoldus instinctu assentatorum suorum Gastoldum Palatinum Vilnensem, & Rombuldum Marschalcum oratores ad Regẽ & ad proceres Polonos, qui frequentes ad Regem Corcinum de impediendis Vitoldi consiliis conuenerant, fuitque hæc oratorum extrema oratio: Vitoldum volentibus nolentibus Polonis Regem fore. Ad eam legationem, qui responsum Vitoldo referrent, Zbigneus Episcopus Cracouiensis, & Nicolaus Michalouius Palatinus Sendomirienſis de senatu missi, cum eum fœderum & iurisiurandi sui, ac temerarij pernicioſique incepti admonuissent, ac, ni desisteret, Polonos armatos conatibus eius obuiam ituros asseuerarẽt, ille in Vladislaum Regem culpam reiecit, ab eo se detrectantem ad id impulsum esse. Non fore autem è dignitate sua, si rem semel institutã remitteret. Nec sane remisit, quin per internuncium promissum à Cæsare diligentius exigebat. incitãtibus maxime Cruciferis, qui nullam incommodandi Polonis occasionem etiam in pace prætermittebant, fœdusque & societatem fraudulentam cum Vitoldo inibant. Id vbi apud Polonos innotuit (nã & literæ, & nuncij aliquot intercepti erant) conuenere Proceres ad Regem Sendomiriam ad natalẽ D. Mariæ, decreta iterum legatio ad Vitoldum, cuius principes fuere Zbigneus Episcopus iterum, & Ioannes Tarnouius Palatinus Cracouiensis. His datũ in mãdatis, vt si aliter animum Vitoldi à proposito flectere nequeant, Polonorum regnum concedente Rege ad eum deferrent, vt, quando tantopere regnum appeteret, ab amicis id potius, quam ab hostibus acciperet. Vladislaus quidẽ non tã altos spiritus nactus, & pristinum ingenij vigorẽ ætate magis ac magis indies hebescentẽ, viresq; suas exhaustas sentiens, nõ grauate Vitoldo longe vegetiori regnũ concedebat, cuius iam ipse pertæsus erat: & filios paruos, regnoq; administrãdo inutiles adhuc habebat: ad quos tamen id, Vitoldo nul-

Cæsar in Vngariam rediit.

Vitoldi oratores ad Regem & ad proceres Polonos.

Polonorum ad Vitoldũ legatio.

Iterum legatio ad Vitoldum à Senatu Pol.

Polonia regnum Vitoldo offertur.

do nullos relinquente liberos, rediturũ esse haud ita multo post intelligebat: iam enim & Vitoldus octogesimũ annum excesserat. Huc accedebat nõ aliena à Vitoldo plerorũq; Procerum Polonorũ voluntas, munificentia eius cõciliata. Ipse quoq; Vladislaus Rex per multum tempus eius consiliis maxime in omni re nixus, ita eius autoritatem indulgentia sua apud Polonos auxerat, vt illum magis quam se colerent. Flexisset hæc talis oratio quamuis prefractũ Vitoldi animum, nisi Proceres quidam Poloni priuata cõpendia publicæ rei præferentes, vt largitiones eius in se assentando magis augerent, clam eum per internuncios hortati essent, vt persisteret in proposito: de quibus etiam cognouerat, priusquam legati aduenirent, quid ij afferrent. Itaq; respondit Vitoldus legatis: nolle se esse tam impudentem & impium, vt Vladislaum regno spoliaret: cæterum incepto per omnium gentium ac principum ora vulgato abscedere, turpe sibi & indecorum videri. Nihil se aduersus Regem & Polonos moliri, sed si quod bellum sibi ab eis inferatur, omni conatu propulsaturum. Dum autem aliquot dies ibi commorantur legati, allatus est Vitoldo à Cæsare draco affabre factus, pignus societatis, expetitumque iusiurandum de seruanda societate certis legibus. Ac draconem quidem pro hospitali munere, non pro pignore societatis accipere se respondit: iusiurandum vero nullum dedit, reueritus legatos regios, qui grauiter & seuere cum eo agebant: ac Zbigneus quidem longe quam collega liberius. Itaq; illũ amplis donis Vitoldus honorauit, siue ea beneuolentiorẽ sibi esse crederet, siue vt Zbigneo ægre faceret. Cum Zbigneo vero expostulauit, quod solus desiderio suo aduersaretur, Tarnouio collega non adeo aduersante. At Zbigneus perspectã habens fidem & integritatẽ Tarnouij respondit haud cunctanter: se quoq; ipsi assensurum esse, si Tarnouius assentiretur. Ita Vitoldum refellit vir excelsi animi & raræ integritatis: nec tamen ille cœpto destitit.

Responsum Vitoldi.

Legatio Cæsaris ad Vitoldum cum donis.

Dum hæc ita fiunt, constituere Poloni Proceres cum Vngaris, vt certo loco certoq; die simul conuenirent, ac de resarcienda Regum suorũ amicitia toties interrupta inter se tractarent. Verum neq; ad constitutam, neq; ad cõperendinatam diem Vngari adfuerunt. Omnia vero tentabat Rex, vt ne consilium Cæsaris de coronando Vitoldo procederet. Itaq; & ad Pontificem maximum questum ea de re misit: & frustra is vtrumq; missis literis ab instituto dehortari conatus est. Intelligens autem Vladislaus, quorsum Cæsaris & Vitoldi conatus ac molimina, & noua cum Cruciferis fœdera spectarent, anno sequenti, qui fuit millesimus quadringentesimus trigesimus, comitiis Iedlinam (pagus hic est in tractu Radomiensi, venationibus tantum nobilis) indictis, vt Polonorum voluntates beneficiis suis sibi liberisque suis obstringeret, regniq; successionem alteri de filiis stabiliret, veteres priorum Regum ac Principum donationes & immunitates confirmauit, permultaque equestri ordini, nonnulla etiam ecclesiastico, pauca oppidanæ rusticanæque plebi indulsit, ac de pensionibus & oneribus remisit. Quæ quidem his fere capitibus continentur: Honores & magistratus sacri iuxta ac profani vt non nisi indigenis in suo cuique tractu mandentur, neq; quicquam eorum cuipiam, priusquam vacet, promittatur. Arces & præfecturæ ne cuiquam ducali genere orto, neve externo cõmittantur. Ecclesiæ & monasteria cũ suis præsidibus vt pensionũ, quas stationes vocant, immunitatẽ prorsus habeant. Equites vt absq; vllo stipendio regni fines per se ipsi defendant: si extra fines ad bellum proficisci iubeantur, quinas marcas in hastam stipendium accipiant: quod

Conuentus Polonorum cum Vngaris.

Vitoldi cũ Crucigeris fœdus.

Comitia Iedlinæ.

Rex confirmat priorũ Regum immunitates, & nouas largitur.

quod si forte accepto eo, intra biennium non educantur, deinceps vt pro eo nihil debeant. Si prælium intra fines commissum sit, capti vt à Rege redimantur: extra fines vero etiam damna ac detrimenta exoluantur. Captiui hostes vt eorum sint serui, à quibus capti fuerint. Pro vnoquoque Rex, si velit, duos florenos ei, qui cepit, numeret. Monetam ne quam Rex, nisi de Senatus sententia, cudat. Equitum aratores & adscriptitij vt immunes sint ab omni frumenti iuxta ac pecuniæ pensione, procuratione, subuectione, & alio quouis onere Regi præstando, excepta rastrali pensione: & ab ea tamen sculteti siue aduocati, qui patroni sunt pagorum, & oppidani agros colẽtes, vt immunes sint, itemque hortulani, molitores & caupones, qui exiguos colunt agros. Nobilem indicta causa ne liceat præhendere, aut supplicio afficere, excepta causa furti, incendij, homicidij voluntarij, stupri virginum & matronarum, latrocinij, & iis qui vadimonium promittere nollent, aut non possent. Bona item ne Rex cuiquam Nobili absque iudicij autoritate auferat. Ad fines regundos recuperatores siue commissarios, qui in rem præsentem veniant, ne cuiquam neget. De controuersiis, si qui pendente lite amice inter sæ composuerint, vt ne mulctæ iudiciariæ ab eis exigantur, quæ vero mulctæ à litigãtibus debebuntur, vt ipse eas Rex per se, vel per procuratores suos exigat, neq; cuiquam exigendas donet. Actuarij siue notarij terrestres, vt ipsi per se adsint in omnibus iudiciis, nec vicariis, nisi necessaria causa impediti, vtantur: atq; eos vicarios, vt integræ famæ apud præsides iudicij edant. Russi vt eodem penitus iure sint cum Polonis, auenæ modo pensione Regi, quoad vixerit, salua. Cuiauienses quoque ac Dobrinenses post decem annos deinceps vt ab auenæ pensione liberi sint.

Poloni Regis filium sibi Regem designant.

Hæc tunc à Rege concessa publice, & literarum monumentis consignata: receptumque est ei vicissim de alterutro filio, vter aptior administrando regno fore videretur, Rege creando, & quum adoleuerit, prærogatiuasque atque beneficia superiorum Regum cunctis ordinibus publice data confirmauerit, coronando. Missi deinde ex iis comitiis legati ad Vitoldum, Zbigneus Episcopus tertiùm, & Nicolaus Michalouius iterum, qui ei pro Rege satisfacerent. Querebatur enim Vitoldus, traductum se esse ab eo apud Põtificem, & alios Principes Christianos. Dein vt fœderum eum admonerẽt iterum atque iterum, & ad sanam mentem reducerent. Rebellionem enim moliens, nouo sacramento Lithuaniam omnem adigebat, & arces finitinas Poloniæ munieba.

Regis & procerum ad Vitoldũ legatio.

Responsum Vitoldi.

His responsum à Vitoldo datum, quo ille præ se ferebat, non nouandarum, sed stabiliendarum rerum suarum causa ea se facere, ne incautus ab hostibus opprimeretur, ideo quod accepisset, petiuisse à Rege Bohemos, vt se per Poloniam in Prussiam & Lithuaniam exercitum ducere pateretur: ac de eo se præter morem à Rege celatum esse. Rex vbi nulla ratione Vitoldum de sententia dimoueri posse animaduertit, simulque maturari coronationem ad decimum sextum calendas Septembris didicit, negocium dat Ioanni Czarncouio Succamerario Posnanienſi, vt ad confinia Poloniæ & Marchiæ Brandeburgensis obseruaret, atque internuncios Cæsaris & Vitoldi per Prussiam vltro citroq; commeantes interciperet. Nec male successit Czarncouio negotium. Etenim Baptistam Cigallam iureconsultum Genuensem & Sigismundum Rothum Silesium à Cæsare ad Vitoldum proficiscentes cõprehendit, scripturasque ad Regem ab eis ablatas attulit. Missi autem ij erant, vt Vitoldo scrupulum omnem eximerent: qui dubitabat, an Cæsar siue Rex Roma-

Legati Cæsaris ad Viteldum.

Romanorum, qui Imperatorium diadema nondum adeptus est, potestatem habeat noui regni instituendi, simulque vt diplomata Cæsarea, quibus in Lithuania regnum constituebatur, & Vitoldus Rex creabatur, ipsi afferrent, ac diadema ad tempus allatum iri ab aliis legatis promitterent. Habebant & alia quædam mandata, de fœderibus ac societate Cruciferorum, aduersus Polonos.

His cognitis Rex Czarncouium splendide pro meritis remuneratum, & amplioribus pollicitationibus oneratum, ad præcludendas & obstruendas vias remisit. Propediem enim Germanorum, Vngarorum, & Bohemorum legationes splendidæ cum diademate à Cæsare ad Vitoldum profecturę erant. Cæterum cum Czarncouius propter aduersam valetudinem ei rei diutius vacare non posset, Nobilitas omnis maioris Poloniæ, Sendiuoio Ostrorogio Palatino & Præfecto, Dobrogostio Szamotulio Castellano Posnanienſi, & Iarando Bruzeuio Palatino Vladislauienſi ducibus, nemine iubente, quasi sublato signo armata, itinera & syluas ad Turagoram insedit, dimissis quoquo versus exploratoribus, vt, quocunque opus esset, etiam ad extremum Oceanum Germanicum cuncta accurreret, vel cum longe maioribus copiis pro patriæ tranquillitate & honore decertare parata. Iam Francofordiam ad Oderam legati Cæsaris prætergressi erant, quum obsideri vias omnes à Polonis acceperunt: & non ausi periculo sese committere, quum duos menses frustra expectassent, ad Cæsarem reuersi sunt. Non omisere tamen Poloni longiorem custodiam: quæ cum suspecta esset Cruciferis, suorum sibi consiliorum & conatuum conscius, misit Paulus Rusdorffius Magister perquisitum ab iis, hostesne eos, an amicos, ducere deberet? Responsum est: Nihil eius referre, si ipsi intra fines suos armati rerum suarum curam habeant. Si bellum illaturi sint, indicturos id esse prius.

Permoleste hæc tulit Vitoldus, vbi resciit: sed tamen dolorem apud hospites, ad celebritatem inuitatos, sedulo dissimulauit, & ad finem vsq; Septembris eos apud se retinuit. Fuerunt autem ii, duo Magistri Cruciferorum cum primoribus Commendatoribus: Moscorum, Tuerensium, & Odoiouiensium Russorum Duces, & principes Tartarorum. Cum ergo Vitoldus inuitis Vladislao Rege & Polonis voti se compotem fieri posse desperaret, arte sibi tentandum esse duxit, quod aperta vi peragere non poterat. Sciebat Regem Vladislaum nullo negocio exorari à se posse, si eum in Lithuaniam, cuius desiderio teneri eum nouerat, extraxisset. Itaque misso ad Regem legato præterita excusat, iam se omnem de regno cogitationem deposuisse ostentat, in Lithuaniam eum ad venationes inuitat. Cupiebat Rex ire in Lithuaniam, sed suspecta erat proceribus, qui cum eo Lublini tunc erant, Vitoldi inuitatio, tamque repentina mutatio. Quare mittuntur cum Rege cum alii proceres quidam, tum Zbigneus Episcopus, cuius neque prudentia facile circumscribi, neque integritas corrumpi, neque constantia frangi à Vitoldo posset: quemque Rex reuereretur, vt nequid præter sententiam eius faceret. Non ignorabat hæc Vitoldus: ideoque cum Regem & cæteros omnes, qui in comitatu eius erant, ab extremis finibus Lithuaniæ comiter & liberaliter acciperet, vnum Zbigneum negligebat. Vbi vero Vilnam peruentum est, instabat Regi Vitoldus, orando, ne sibi regium diadema inuideret. Negabat ille, licere id sibi concedere, Polonis reclamantibus: eaque de causa Zbigneum sibi in Lithuaniam proficiscenti, adiunctum esse comitem, qui omnibus neruis hunc

Hospites à Vitoldo ad celebritatem coronationis inuitati.

Vitoldi versutum consilium.

ipsius conatum impediret & reprimeret. Illum præhensandum, & quoquo modo expugnandum esse.

Vitoldus Zbigneum Episcopum prensat.

Allegat Vitoldus ad Zbigneum, qui eum orent suo nomine, & ingentibus promissis onerent, ne solus honori suo se opponat. Si deduci de sententia nequeat, vt existimationi tamen suæ vtcunq; consulat, & simulari momento temporis coronationem sinat. Acceptum diadema statim se depositurum esse. Si pertinacior ne hoc quidem concedat, pro hoste se illum habiturum esse, & manibus pedibusq; adnixurum, vt de episcopatu deiiciatur, quemadmodũ Petrus Vissus antea deiectus esset. Immotus ad hæc Zbigneus, renunciari Vitoldo iussit: Dignissimum eum sibi videri regio diademate, & summis quibusque honoribus: verum salutis fœderibus & iurisiurandi religione assequi id eũ non posse. Quocirca suadere se, desineret id affectare, quod ei non honorem, quemadmodum ipse putet, sed dedecus & infamiam sempiternam pariturum, Poloniæ vero & Lithuaniæ præsens exitium approperaturum esset. Ne erret, non honoris eius gratia id ei suadere Cæsarem & Cruciferos, deuotos non magis Polonorum quam Lithuanorum hostes: sed, vt duos coniunctissimos populos, qui coniuncti graues sibi essent, disiunctos commissosq; inter se, intestinis atq; ciuilibus propemodum bellis debilitent atq; deleant: idque Cæsarem vulgo iactare, dictitantem, se os in medium duorum canum coniecisse, ob quod ii ad mutuum vsq; interitum concertaturi sint. Poneret ergo Vitoldus seniculus, capulo iam proximus, nullos habens liberos, quibus regnum relinquat, modum intempestiuæ ambitioni: se quidem neque precibus emolliri, neque largitione corrumpi, neque minis deterreri posse, quo minus in hoc cupiditati eius aduersetur. Pluris apud se esse fidem, virtutem, & charitatem patriæ, quam fauorem, gratiam, & omnes thesauros Vitoldi. Mirari vero se magnopere, quod Petri Vissi, eiusque deiectionis mentionem faceret, quam sine sua Regisque infamia commemorare non posset: neque id se reformidare. Alia iam esse tempora, & minus turbulenta, minusque depranata, quam tunc erant, cœca plurium de Pontificatu maximo contendentium ambitione. Paratum autem se esse, non honoris modo, verum etiam vitæ discrimen adire pro patria, quæ tantam illam rem suæ fidei credidisset, neque falsurum esse vnquam eius expectationem. Atque ita quidem Zbigneus, non sine magna ipsius Vitoldi admiratione.

Zbignei responsum.

Morbus Vitoldi.

Inualescebat interim Vitoldi morbus, quem paulo ante siue ex angore animi, siue alia ex causa contraxerat, ita vt ipse desperatione vitæ suæ cogitationem omnem de regno abiiceret, & ad mortem, vti Christiano Principe dignum est, obeundam sese componeret. Rex vbi animaduertit, viuere eum diutius non posse, Zbigneum & cæteros Polonos proceres in Poloniam amãdauit, quod intelligebat, iis præsentibus Suidrigellonem fratrem, se Lithuanis Ducem, quemadmodum animo destinabat, præficere non posse. Discedens autem Zbigneus, cum rogaretur ab Iuliana Vitoldi vxore, vt supellectilem suam gazamque inde asportaret, ac superstiti sibi seruaret: si quid autem humanitus sibi acciderit, ad cultum diuinum eam conuerteret, assensus non est. Vitoldus vero, quum se viribus destitui sentiret, sacris procuratus, & vere Christianum se mori testatus, veniam superiorum admissorum à Vladislao petiuit, & Lithuanos ei commendauit, petens, vt acta donationesque suas ne rescinderet. Nec multo post apud Trocos spiritum exhalauit, cum octogesimum annum excessisset. Princeps impiger, & vegeto ingenio; abstemius in omni

Vitoldi mors.

omni vita, nihil præter aquam bibere solitus, in victu temperans, temporis ita parcus, vt supra mensam iudicaret, & responsa legatis daret. Cæterum in venerem procliuior, in externos liberalis, suos vero metu magis, quam beneficentiâ in officio continere solitus: staturâ fuit mediocri, gracili corpore, radere barbam & genas solitus. Habebat autem in more, vt procuratores bonorum suorum rapinis ditatos excuteret, atque expilaret, rursusque præficeret.

Post mortem Vitoldi Lithuani & Russorum Proceres suspensi animis hærebant, quidnam secum fieret. Supererat Coributus Vitoldi frater: sed aberat, Bohemis ducem se præbens, nec vllum præclari ingenii specimen in Lithuania ediderat. Porro Suidrigello Regis frater, qui Vitoldum metuens ad Sigismundum Cæsarem aliquanto ante profugerat; & Vitoldo indulgente in Lithuaniam redierat, homo erat nihili & ebriosus, & præcipitis iracundiæ, sed tamen liberalitate multorum sibi animos conciliârat: imprimis autem Russi ei fauebant, ideo quod à sua secta non alieno eum esse animo existimabant. Sed tamen sensum Regis, penes quem rerum Lithuanicarum summa erat, non tenebant. Posteaquam autem præsenserunt, Principatum Lithuaniæ clam ab eo ad Suidrigellonem deferri, tunc vero certatim omnes ad eum concurrêre, studiaque ei sua probare velle, ita vt ingens circa Regem solitudo esset. Venit deinde Vilnam ad exequias Vitoldi Suidrigello ingenti turba stipatus: elatusque fauore hominum, Vilnensem, Trocensem, & alias quasdam primarias arces occupauit, & pro Duce gerere se absque autoritate Regis cœpit. Deinde magis ac magis insolescens, assentatoribus frigidam suffundentibus, oblitus omnium beneficiorum Regis, fraternæque necessitudinis Regem contumeliosius tractare, carceris & exilii veteris memoriam refricare, venisse tempus dictitans, cum vlcisci eum probe posset: Polonos, qui cum Rege erant, asperius appellare: internuncios, qui à Rege in Poloniam, quive ex Polonia ad Regem mittebantur, excutere, epistolasque refringere. Plus eius amentiâ atque temeritate, quam suo periculo Rex commouebatur, & quantum poterat, furorem eius & insolentiam lenitate & comitate suâ mitigabat. Placatiorque is iam futurus esse videbatur, quum res noua oblata denuo furorem eius accendit. Podolii namque proceres, nimirum Paulus Episcopus Camenecensis, vir humili quidem loco natus, verum generosi animi, cum aliis quibusdam, cognitâ celeriter Vitoldi morte, Doigertum Palatinum Vilnensem, qui Podoliam Vitoldi nomine administrabat, rerum omnium adhuc ignarum, euocatum ad colloquium ceperant: arcesque, Cameneciam, Smotriciam, Scalam, & Ceruonigrodum occupauerant, magnamque Podoliæ partem facile in potestatem suam redegerant, vt Regi eam & Polonis restituerent, & ne deinceps in ditione Lithuanorum ea esset.

Suidrigello Lithuaniæ principatum arripuit.

Suidrigello animi impotens.

Podoliorum insigne factum.

Id vbi factum resciuit Suidrigello, homo violentus & impotens, fremere, & maledictis Regem Polonosque incessere, & palam vincula necemque præsentibus intentare, ita vt excubare omnes die noctuq; circum regiã necesse haberent. Non deerat Polonis, quamuis paucis, animus, nõ solum ad defendendũ sese atq; Regem, verum etiã ad inuadendũ ac trucidandum Suidrigellonem. Sed Rex, siue quod sibi metuebat, siue quod Suidrigellonẽ nimio plus diligebat, seu deniq; quod Lithuaniæ quã Poloniæ incremẽtis & amplitudini impensius fauebat, inconsultis omnibus, assensus est de Podolia Suidrigelloni,

recipienti vna cum proceribus Lithuanis, Regi se eam bona fide redditurum esse, si de ea inter Polonos & Lithuanos non conuenerit: ac deinde ius suum persecuturum ac repetiturum. Eaq; de re Zaclicam Tarlonem in Podoliam cum literis & mandatis misit, qui eam Michaeli Babæ Russo Suidrigellonis nomine recipiendã & obtinendã traderet. Ægre id ferebat iuuentus Polona, quę in comitatu Regis erat, & inprimis duo iuuenes nobilissimi, Andreas Tẽcinius, & Nicolaus Dreuicius custos Sendomirienſis, cui Rex annulũ suum signatoriũ, Cãcellario & Procãcellario absentibus, credebat. Igitur hi duo ducti amore patriæ scripsere Michaeli Buczacio Præfecto Camenecensi: Regẽ extrema necessitate adactum, Podolia Suidrigelloni cedere: sed si ipse communi patriæ simul & honori suo consultum vellet, non modo non pareret mandatis regiis, verum Tarlonem pariter & Babam comprehenderet. Eas literas, quoniam palam ferri nequibant, Suidrigellone omnes iter in Poloniam capessentes excutiente, conuolutas ceraque contectas, vt speciem cerei præ se ferrent, Tarloni omnium inscio dederunt, vt is, quamprimum Cameneciam venisset, cereum illum Buczacio Præfecto redderet, atque hæc verba adderet: vt si errare ille nollet, ex eo cereo vna cum magistratu vrbano lumen quæreret. Cum autem Tarlo bona fide omnia fecisset, miratus Buczacius, quid sibi cereus ille, & ambigua mandata vellent, non de nihilo tamen omnia illa esse suspicatus, refracta cera, literas inuenit, Tarlonemque & Babam in custodia habuit.

Rex Podoliã Suidrigelloni concedit.

Dum hoc agitur in Lithuania, cognouere tandem Poloni, referente Ioanne Olesnicio Marschalco, qui mille ciclos argenti, & alia quædam munera, post reconciliationem à Suidrigellone Regi donata, in thesaurum Polonicum inferre iussus erat, quo in statu Regis res essent. Quare de liberando eo nulla interposita mora, agendum sibi esse existimarunt. Grassabatur quidem tunc dira pestis in tota fere Polonia, sed nihilo tamen segnius comitiis ad sextam diem Decembris Vartam indictis, frequentes conuenerunt. Re diligentius in consilio agitata, expeditio in Lithuaniam decreta: edictumq;, vt ad mediũ Ianuarii apud Kianos pagum supra Veprum amnem armati omnes præsto essent. Tentari tamen prius legatione Suidrigellonis animum placuit: ad eamque obeundam designati, Zbigneus Cracouiensis, & Ioannes Vladislauiensis, Episcopi: Sendiuoius Ostrorogius Posnanienſis, & Ioannes Lichimus Brestenſis, Palatini. Sed ii cum Varsauiam vsque progressi essent, mandato Regis, nunciantis liberum se iam esse, domos redierunt. Vt enim audiuit Suidrigello, quæ in Vartensibus comitiis acta ac decreta essent, liberum ac reconciliatum sibi Regem dimisit. Eiusdem autem Vartensis conuentus decreto, cura regiorum liberorum educãdorum ac instituendorum, Magistro Vincentio Cotho Dembinio Custodi Gnesnensi, & Petro Ritterscio Equiti mandata est.

Polonorum studium erga Regem.
Comitia Vartæ absente Rege.
Decretum de Rege liberãdo.

Post insequentis anni principium Rex per Chelmensem tractum è Lithuania reuersus, Sendomiriæ comitia habuit: ibi cum de Suidrigellonis insolentia siue amentia plenius cognitum esset vulgo, afferreturque, etiam castella quædam in Podolia per illud tempus ab eius copiis intercepta, Smotriciam circumsessam, Treboulienſem & Leopolienſem oram excursionibus & populationibus diuexari, damnabant omnes præceps Regis consilium, & bellum aduersus Suidrigellonem flagitabant. Verum peruicit Rex, vt legatio prius ad eum de repetendis rebus mitteretur. Missi itaque Stanislaus Posnanienſis,

Comitia Sendomiriæ.

nienſis, & Ioannes Chelmenſis, Episcopi: Sendiuoius Ostrorogius Posnanienſis, & Ioannes Lichinius Brestenſis, Palatini, cum his mandatis, vt Suidrigello castella, quæ in Podolia cepisset, redderet: Lusco & Volynia decederet, ad Regem ad certam diem veniret, ab eoque Principatum Lithuaniæ certis legibus acciperet, quem contra fœdera perperam inuasisset: Secus necesse fore Polonis cum Rege ius suum armis persequi. Ferocius his responsum est à Suidrigellone. Nihil enim eorum, quæ postulabantur, faciebat, & asseuerabat, se quicquid egisset, ageretve, optimo iure egisse & agere: quinetiam reliquam Podoliam à Rege repetebat. Interea dum ea geruntur, venit ad Regem Coributus frater Vitoldi cum cæteris Bohemorum Hussitarum, qui post mortem Ziscæ cœci orphanos sese dixere, ducibus, qui Bohemia siue pulsi, siue vltro excedentes, quum Lusatiam diuexassent, Silesiam quoque belli sede Gliuiciæ posita, longe lateque vastabant, oppida hostilem in modum diripiebant & incendebant, in templa atq; monasteria, sacerdotes atq; monachos debacchabantur, Ziscæ ducis sui immanitatem secuti: qui moriturus cutem sibi detrahi, eamque tympano induci iussit: fore asserens, vt ad eius tympani sonum animis conciderent ipsorum aduersarii. Cum his itaque se coniunxerat Coributus, captus, & mox pulsus à Pragensibus, & cum primoribus eorum ad Regem venerat, accepta ab eo fide publica. Actum cum his de religione: adhibiti Doctores Cracouiensis Academiæ, qui errores ipsorum disputando refellerent. Rex ipse simpliciore oratione vsus, quanta rerum perturbatio secuta apud eos ex mutata religione esset, commemorauit: vtque florentissimum quondam Bohemorum regnum ad interitum properaret, sublatis magistratibus sacris arque profanis, euersis oppidis & munitionibus, cæsis vel fuga dilapsis optimatibus, constupratis honestis matronis & virginibus, agris partim hostiliter vastatis, partim furore quodam ipsorum cultorum desertis, direptis ac dirutis templis, abrogatis ceremoniis, religione contaminata, ac tam variis portentosisque opinionibus discerpta, ita vt nemini propemodum cum altero conueniret. Quæ omnia, ni mature resipiscerent, præsens & extremum exitium consequi necesse est. Quod si his rebus commouerentur, pollicitabatur, se perfecturum, vt æquis conditionibus eorum res componeret. Hæc & alia grauissime præfatus, surdis tamen auribus Bohemi ea accepere. Quoad autem ii substitere Cracouiæ, cessatum est à sacris, interdicto Zbignei Episcopi Itaque propter solennes Paschæ dies Casimiriam Bohemi cum Coributo à Rege ire iussi sunt, frementes in Episcopum. Hoc eodem tempore Czenstochouiense monasterium, quod propter peculiarem diuæ virginis cultum, & frequentes non modo Polonorum, sed etiam vicinorum peregrinationes, magnis diuitiis refertum esse credebatur, Poloni quidam, qui iam à Bohemis latrocinari didicerant, diripuere: atque, vt patrati sceleris suspicionem à se in Bohemos amouerent, imagini Virginis matris, quæ vulgo magna religione colitur, vulnus inflixere. Cæterum minorem opinione prædam reperere, meritasq; sacrilegii pœnas intra illum ipsum annum expendêre.

Legatio Polonorum ad Suidrigellonem.
Responsum Suidrigellonis ferox.
Coributus venit ad Regem cum Bohemis Hussitis.
Regis sermo ad Bohemos.

Dimissis Bohemis cum Coributo, Vladislaus Rex Bieczum profectus, bellum in Suidrigellonem parabat. Eo venit ad ipsum Ludonicus Commendator Torunienſis legatus à Magistro Cruciferorum, deferens eius operam ad cõponendas res inter dissidentes fratres. Ei gratiæ actæ, factaque potestas, vt id ageret. Misit deinde Rex Ioannem Brezium scribam ad Suidrigellonem, vt

Legatio Magistri Crucifer. ad Regem.

Legatus à rege ad Suidrigellonem missus violatur.

eum ad saniorẽ mentem reuocaret. Sed eum Suidrigello excandescens contra ius gentium violauit. Quare irritatus Rex, maturauit expeditionem, motisque castris ad Grodlũ oppidũ supra Bugũ amnẽ duodecim dies statiua habuit, & maiores Polonos tardius venientes, hostiliterq; pene in suos, quacũq; iter faciebant, grassantes, expectauit. Deinde Bugũ fl. traiecit. Interim vulgus omne eius oræ cũ iumentis, pecudibus, & facultatib. suis in densas palustresq; syluas sese abdidit. Aduenit & Suidrigello cũ sex fere millib. armatorũ, arcẽq; Lucensẽ armis, cõmeatu, præsidioq; muniuit. Certatũ deinde est leuib. aliquot præliis cũ hoste, in quib. omnibus Poloni, vel nullo, vel paruo incõmodo accepto, fere superiores fuere. Senco Dux Russus occisus, captiui nõ pauci ad Regẽ adducti, incẽsa Vladimiria, peruastatũ Vladimiriẽse territoriũ, quod Rex Theodoreto Duci Rusio fratris filio donauit, qui & non multo post mortuus Regẽ instituit hæredẽ. Nõ intermittebat tamẽ Rex Suidrigellonẽ ad pacẽ inuitare. sed nihil inde pacati referebatur. Sperabat. n. ille, Regẽ breui inde ad alium bellũ à Cruciferis, cũ quib. fœdus icerat, reuocatum iri. Aduenere deinde maiores Poloni, quib. grauiter de tarditate & neglecta disciplina militari in itinere obiurgatis, Rex cũ omni exercitu Styrũ fluuiũ qui Luscũ alluit, difficili ac profundo vado transmisit, cũ Suidrigello pontẽ disiecisset, vlterioremque ripam frustra seruasset. Videns autẽ Suidrigello, se valde imparẽ esse tanto exercitui, incenso Lusco oppido, arce vero Iurzæ Russi fidei cõmendata, ne tentata quidẽ prælii fortuna fugam iniit. Ducẽ suũ secutæ copiæ, diuersæ & ipsæ dilapsæ sunt. Sed multi mortales ex his in fuga à Polonis cæsi, captiq;. Inter captiuos insignes fuere Rimboldus Marschalcus Lithuaniæ, & Gastoldus. Quos Suidrigello deinde liberauit, cũ spopondisset Regi, eos Cracouiã, cũ Rex iussisset, venturos esse. Cecidere tamen de Polonis quoque nonnulli nobiles & fortes viri, dum incautius Tartaros, qui in castris Suidrigellonis militabant, persequuntur.

Suidrigellonis fuga.

Suidrigello fœdus icit cũ Cruciferis.

Expeditio contra Suidrigellonem.

Alia quoq; per eosdẽ dies victoria de eodẽ hoste Belzensem tractũ vexãte Polonis parta est. Nã eo sex millia hominũ Rex cũ Casimiro Duce Masouiorũ & Ioanne Menzico Dambrouio Præfecto Russiæ ad præsidiũ suis miserat. A quib. Olescũ arx, cũ capi posset, tamen in potestate Bogdani Rohatinii Russi qui ad Suidrigellonẽ nulla necessitate adactus profugerat, præfecturamque eius arcis ab eo, confiscatis à Rege bonis suis, adeptus erat, relicta est, ea conditione, vt eam Regi redderet, cũ is Lusco potitus esset. Obsessa est deinde à toto exercitu arx Lucensis, & oppugnata etiam: sed remisse admodum & segniter, indulgentia quadam Regis, vti creditum est. Et cũ pars muri à Polonis bombardarum ictu deiecta esset, frustra tamen impetus factus est. Triũ deinde dierũ induciæ, per quas de deditione deliberarẽt, obsessis datæ à Rege, frustra dissuadentibus consiliariis: per quos dies mœnia & propugnacula arcis refecta sunt, saxa, & alia missilia congesta, & aqua importata, cuius haustu à Polonis arcebantur præsidiarii. Post iterum quoque idem factum est, non sine murmure totius exercitus. Fuere tamen inter proceres & consiliarios regios, qui noctu clam cum obsessis colloquia habere, & arma eis commeatumq; suppeditare soliti esse dicerentur. At Suidrigello ridiculo magis, quã callido, vt ipse existimabat, commento Polonos ab instituto deterrere aggressus, confictis literis nomine Principis Tartarorum ad Regem, vt is Podoliã Suidrigelloni à se donatam redderet. Cæterum vbi is commentum id sibi non procedere animaduertit, legationem de pace ad Regem misit, siue ex animo id agens, siue

Inducia triũ dierum damnosa.

Lithuani iterum victi à Polonis.

producendi belli, & obsessis subueniendi causa, simulans. Intelligebat. n. Polonos belli ob aduentantẽ hyemem, grassantẽq; in equos luem pertæsos, domos reuerti cupere, & ipse Tartarorũ ac Valachorũ auxilia, cũ quib. per hyemẽ Russiã & Poloniã infestaret, expectabat. Cõuenit, vt proceres vtrinq; delecti certa die de conditionibus pacis inter se agerent.

Suidrigellonis ad Regẽ legatio de pace.

Dein his de rebus tractatur, Rathnum arx regia, prodentibus eam Russis defensoribus, à Suidrigellone capta & exusta est, Chelmensisq; ora diuexata. Verũ eos Ciolcus Præfecti Chelmensis vicarius cũ centũ triginta nõ amplius hominibus, facto in securos animose impetu, vltus est, ita vt trecentos ex iis interficeret, quadraginta viuos caperet. Ad Cremenecią quoq; eodẽ tẽpore bene res à Polonis desolantibus oram eandem incursionibus gesta est. Cũ enim hostes in Polonos paucos consulto per agros palantes ex arce decurrissent, excepti insidiis, perpauci in arcẽ refugerunt, plurimis vel cæsis, vel captis. Continuabatur autẽ à reliquo exercitu obsidio, & maioribus odiis quã viribus inter obsidentes & obsessos certabatur. Lithuani, & qui cum eis sentiebant, Russi quoscunq; Polonici generis & Latinorũ, vt ipsi loquuntur, ritus in arce reperant, exquisitis suppliciis in propugnaculis, inspectãtibus Polonis, necabãt, & omne genus contumeliæ in Polonos iactabãt. Sæuiebãt & Poloni vicissim in Russos, quoscunq; ceperãt, vt par pari referrẽt. Conueniebat iã de pace inter proceres: Sed eã Suidrigello approbare noluit, nisi Cruciferi quoq; & Valachi fœderati, & socii sui pacis eius legibus cõtinerẽtur. Vtrosq;. n. in societatẽ adsciuerat, eoq; magnis muneribus illectos adduxerat, vt & Cruciferi rupto fœdere Cuiauią atq; Dobrinũ, & Valachi clientes Polonorũ, Podoliã & Russiam finitimã armis infestarẽt: quos quidẽ cũ ingenti præda è Sniatinensi, Halicienſi & Camenecẽsi agro capta redeuntes, Russi regii Buczaciis fratrib. ducibus è castris regiis curriculo profecti, & consecuti, magna strage fuderunt, prædãq; excusserunt. Non dissimili, sed pro numero tamẽ aliquanto minore clade Cruciferi quoq; Crainensẽ orã vastantes affecti sunt ab agrestibus Cuiauiis ac Dobrinensibus, Ioanne Iarogneuio, Bartholomæo Visemborgio, ac Dobrogostio Colinio equestris ordinis ducibus, cum ii accepto domesticæ calamitatis nuncio, præpeti cursu è castris domũ contendissent. Capti sunt ibi Theodoricus Mareschalcus Liuonicus, & septem Cõmendatores cũ quatuor vexillis, Cracouiamq; ad Regẽ missi, omnes præter Theodoricum in carcere vitã finierunt. De vniuerso autẽ agmine illo, in quo septingenti Liuonici equites præter cæteram Torunienſium, Suecensiũ, Tucholienſiũ, Slochouienſiũque equitum pariter ac peditũ manũ, fuere, paucissimi equestres fere euaserunt. Nam reliquus Cruciferorũ exercitus peruastata longe lateq; Cuiauienſi ac Dobrinenſi ora, viginti quatuor oppidis, & plurimis pagis direptis atq; incensis, arceq; Niessouienſi præsidio munita, incolumis & præda grauis domũ pedem retulerat. Illos vberioris prædæ spes à Iodoco Tucholienſi Cõmendatore ostensa longius prouexerat, & quidem non sine magno compendio, nisi id sanguine suo exoluissent.

Lithuani à Cioleo fusi.

Lithuanorũ clades ad Cremenecią

Russorum seuitia.

Cruciferi Cuiauią & Dobrinum infestant: Valachi Podoliam & Russiam.

Cruciferi à Polonis prostrati.

Cum igitur de conditionibus pacis Regi cũ Suidrigellone nõ conueniret, induciis interceptũ est bellum, ita vt postride calendis Februarii anni sequẽtis de pacis conditionibus in conuentu Parczouienſi firmandis denuo tractaretur: protinusq; soluta est Lusci obsidio, dimissusq; exercitus. Ac tũ demũ Cuiauiẽses illi, quorũ ante mẽtio facta est, & cõplures alii eiusdẽ oræ Nobiles cursũ omnia præuertentes, & cũ agrestibus adunati, illã de Cruciferis victoriam adepti sunt. Miserat quidem Rex & Suidrigello pariter, induciis sic inter se

Inducia cum Suidrigellone.

factis, legationem ad Cruciferos, vt ne Poloniam bello vexarent: sed tardius ea peruenit, cum iam hostes satis in homines omnis ordinis & ætatis, innocuaque tecta debacchati, præda onusti domum reuerterentur. Rex vero Lusco discedens, in Chelmensi regione aliquandiu substitit: per quod tempus Russi Volynii nullum genus crudelitatis omiserant in Polonos, qui ibi post pacem factam & discessum Regis cum mercibus omnis generis Lucensibus venum expositis, siue alia quauis de causa remanserant, aut antiquitus domicilia fixerant. Templa etiam, quæcunque Russici ritus non essent, crudeliter exusta & euersa sunt.

Rex Leopolim petit.

Rex beneficus in calamitosos.

E Chelmensi deinde ora Rex Leopolim contendit: quo cum ingens Cuiauiensium ac Dobrinensium Equitum multitudo confluueret, opem & subsidium Regis afflictis & perditis Cruciferica incursione rebus suis atque suorum implorans, magna in cunctos ac profusa benignitate vsus est: cumque immensis donationibus sese & ærarium suum exhausisset, ecclesiastica illis bona dilargiri cœpit, vt per hyemem duntaxat eorum vsufructu sustentarentur. Pernicioſi exempli ea res visa Antistitibus. Itaque Albertus Archiepiscopus Gnesnensis, & Zbigneus Episcopus Cracouiensis cum primoribus ecclesiarum sacerdotibus propere ad Regem excurrerunt, tam iniustas donationes eius repressuri. Et Archiepiscopus quidem demisse frustra orabat Regem: Zbigneus vero maioris animi vir grauius in eum inuectus est, cum præterita eius peccata commemorans, tum iniustas illas alienorum bonorum donationes reprehendens: ni incepto absisteret, grauiore se in eum censura & animaduersione vsurum esse minitans. Excusantique Regi necessitatem, & piam calamitosorum hominum commiserationem, adiecit: Nihil ea commiseratione & misericordia opus futurum fuisse, nisi ipse calamitatem illam sua culpa inuexisset. Vulgo enim iactari, ab eo ipso Cruciferos quiescentes excitatos esse. Quod si id verum non sit, non esse tamen ipsum culpæ expertem, propterea, quia iustum aduersus sceleratum & ingratum fratrem bellum, quod paruo negocio debellari potuerit, peruersa quadam sua indulgentiia duxisset, commeatumque & arma obsessis Lucensibus subministrasse diceretur. Inducias quidem certe, per quas illi se recrearent, bis eis contra omnium sententiam concessisset. Ita tunc Zbigneus, (quanquam nihil cuiquam Rex in eius diœcesi præter quædam Miechouiensis monasterii donarat) non tam suam, quam publicam ecclesiastici ordinis causam agens.

Comitia Nepolomicia.

Reuersus deinde Rex est in Poloniam ad comitia, quæ Nepolomiciam ad vndecimam Nouembris diem indixerat. Ibi Heduigim filiam Friderico iuniori Marchioni Brandeburgensi desponsam, immatura morte defunctam

Heduigis filia Regis obiit.

amisit. Creditum vulgo est, veneno eam à nouerca sublatam esse, ne quo filiis suis impedimento ad regnum adipiscendum esset: eo quod Casimiri Magni, cuius grata etiã tũ erat memoria apud Polonos, Regis proneptis esset. Rex quoque ipse æquiori, quam par erat, animo mortem eius tulisse visus est. Post initium vero sequentis anni Lublinum Rex magna Procerum caterua stipatus profectus est, proceresque omnes, excepto Archiepiscopo, Parczouiam ad conuentum cum Suidrigellone celebrandum transmisit. Verum ii cum diu frustra Suidrigellonem moras nectentem expectassent, nullo cum fructu discesserunt. Erat autem apud Suidrigellonem Ludouicus Commendator Torunienſis, qui hoc agebat sedulo Cruciferorum nomine, ne pax cũ Polonis coiret. Rex de statu Reipublicæ, ac de impendẽtibus vndiq; periculis anxius, ad vi-

Conuentus Parczouia sine successu.

ad vicesimam tertiam diem Aprilis Siradiæ comitia habuit: ibi Vladislaus maior natu filius regni successor à patre designatus, totiusque conuentus suffragiis approbatus est. Constitutum est etiam, vt si plura simul bella ingruissent, cæteris omissis ad tempus, in id, quod esset grauissimum, toto conatu & cunctis viribus incumberetur, ne diductæ multipliciter, & extenuatæ copiæ nulli recte sustinendo sufficerent. Nuptias deinde Rex Ameliæ Masouiorum Ducis & sororis suæ filiæ, Boguslao Pomeraniæ Duci in matrimonium collocatæ, splendido apparatu fecit.

Comitia Siradiæ, in quibus Vladislaus iunior Rex Pol. designatus est.

Reuertentem in minorem Poloniam, Pabianiciæ (oppidi collegii Cracouiensis basilicæ) legati Bohemorum Hussitarum conuenerunt, auxilia contra Cruciferos pollicentes, & Coributo Regem reconciliantes: adhæc Basiliensis Concilii propensionem erga se nunciantes. Grata fuit ea legatio Regi & Proceribus, bellũ in Cruciferos molientibus: quare comiter & laute legati habiti sunt, & assentientibus Archiepiscopo & Episcopis, qui tunc aderãt, ad sacrorũ cõmunionem admissi. Petfuncti vero legatione, cũ reuerterentur, & Cracouiam contra præceptum Regis ex itinere diuertissent, cessatum est à sacris mãdato Episcopi, licet absentis. Contumeliosum id visum Bohemis, Regi vero & cæteris Episcopis permolestũ fuit, quod Zbigneus vnus omnium acta ac placita irrita faceret. Accendebãt etiam magis irã Regis Ioannes Menzicus Dambrouius Palatinus Russiæ, & Petrus Korsbocus, qui Bohemos honoris causa iussu Regis deduxerant. Itaq; excanduit is in Episcopũ & venienti ad se Visliciã dextram beneuolentiæ symbolum non porrexit: quin asperioribus etiam verbis eũ increpuit, & ne episcopatu amoueatur, minatus est. At ille imperterritus respondit: Fautorem se, non offensam Regis meritũ arbitrari, quod solus & salutis & existimationis eius, quæ ab inimicis eius, & maxime Cruciferis, cũ alias, tũ in Basiliensi cõcilio proscinderetur, curã haberet, prouideretq; omni ratione, ne Rex merito pro fautore hæreticorũ traducatur. Et quũ de religione agitur, neque Regis, neque cuiusquam omnino vultum aut minas se formidare, quin id faciat, quod rectum esse intelligat. Autoritate Archiepiscopi ac cæterorum Episcoporum nihil se hac in parte moueri, habentẽ adstipulatores diuini humaniq; iuris professores, Episcopatus amissione se non terreri, paratũ pro religione exilium atq; etiam mortem subire. Quum autẽ Rex subiiceret, se quoq; diuini & humani iuris peritos diuersæ sententiæ autores habere, accíti primores Academiæ Cracouiensis, & cum his cõmissi Ioannes Szaffranecius Vladislauiensis, Ioannes Theologus Chelmensis, Episcopi, & Vladislaus Oporouius Pontificii iuris peritus, Procancellarius Regis, qui postea Vladislauiensis Episcopus fuit, haud difficulter refutati sunt. Neq; tamen penitus ira Regis in Zbigneum resedit: admonitus q; is est à Ioanne Tarnouio Palatino Cracouiensi, vt sibi diligenter caueret: subornatos enim esse à Rege, qui eum de medio tollerent. Et egit quidem gratias Palatino Zbigneus, sed tamen nihil ea nocte, in quam sibi periculum comparatum esse acceperat, de cõsuetudine sua remisit. In eodem cubiculo, eodem lecto cubuit, nullam sibi custodiam adhibuit: nocteq; intempesta cũ vno sacerdote & puero lumen præferente ad matutinas precationes templum adiit. Neque aduersi quidquam ei accidit, quod vel Rex mutasset consilium, vel vanus ille terror fuisset.

Legatio Bohemorum Hussitarum ad Regem.

Bohemi ad sacram communionem admissi.

Rex iratus Zbigneo Episcopo minatur.

Zbignei ad Regem responsum.

Venit autem eodem ad Regem illustris legatio Iani Cypriorum, Hierosolymorum, & Armeniorum Regis, mediterraneo mari per Propontidem & Pontum Euxinum, atq; inde aduerso Danubio aducta in Moldauiã, & inde

Regis Cypri ad Vladisl. Regẽ legatio.

porro terrestri itinere non sine magna difficultate in Russiam & Poloniam profecta. Eius legationis princeps Balduinus de Noris Mareschalcus Cypri, donis Regi & Reginæ oblatis connubium Heduigis regiæ filiæ, Regis sui filio, ac ducenta millia aureorum nummûm ipsi Regi mutua petebat, bessemq;, hoc est, duas tertias partes Cypriorum regni hypothecæ nomine Vladislao Regi offerebat. At nihil impetratum, quod & Heduigis iam obierat, & pecuniam Rex se habere assiduis bellis exhaustum negauit. Misit deinde Rex Laurentiũ Zarembam Castellanũ Siradiensem legatũ in Lithuaniam, admonendi in speciem, & sanandi Suidrigellonis causa: reuera autẽ, vt Lithuanorum procerum animos suâ sponte iam à Suidrigellone, cum propter crudelitatem eius, tum propter propensiorem erga Russos fauorem alienatos, magis etiã clam in eũ incitaret: Sigismundumq; Vitoldi fratrem germanum Starodubensium Ducõ ad inuadẽdum principatum Lithuanorum animaret. Neq; infelix hic conatus fuit. Cognita enim voluntate Regis, Lithuani cũ Sigismundo conspirantes, aduersus Suidrigellonẽ apud Osmianos tũc agentẽ arma capessũt. Et euasit quidẽ Suidrigello fugâ in Russiam, à Ioanne Monuido de insidiis præmonitus: cupideq; receptus est, cum à cæteris Russis, tũ à Smolensciis: indeq; postea adiũctis sibi Liuonibus Lithuaniam vexauit. Vxorem vero eius Russam Tuerensium Ducis filiam Sigismundus cepit, Lithuaniamq; omnem suam in potestatẽ redegit. Deinde ad Regem misit oratum, vellet iuberet se principem esse Lithuaniæ. Missi in Lithuaniam septẽ de primoribus Polonorum, conditiones Sigismundo tulerunt, vt iureiurando interposito reciperet, se in fide & clientela Regis, qui supremi Ducis Lithuaniæ titulum retineret, & Polonorum, semper futurum: eosdẽ cum eis amicos hostesq; habiturum, suisq; stipendiis eis militaturum, cum Suidrigellone & Cruciferis nullum fœdus contra Regem ac Polonos seruaturum: Olescum, Grodlum, Rathnum, Lopatinum, & omnem Podoliam, quæ in ditione Polonica fuisset, deinceps quoq; esse passurum: neminem alium, quam Regem & liberos eius in principatu successorem relicturum: Michaelem vero filium, & reliquos hæredes suos legitimos in Trocensi tantum dominatu & patrimonio sibi successuros, fidem & subiectionem Regi Regnoq; profitentes, iis vero, si absq; suis hæredibus decederent, Regem & Regnum hæredes fore. Volyniam quoad viueret, sibi concessam & adiunctã, quemadmodum & Vitoldo concessa esset, se mortuo in ius ac ditionem Polonorum reuersuram esse. Hæc omnia Sigismundi ipsius, & filii Michaelis, Senatusq; Lithuanici, & vniuersæ Nobilitatis consensu approbata, atq; literarum monumentis consignata sunt. Quibus rite peractis, Zbigneus Episcopus princeps legationis regiæ, gladium, Principatus insigne, Sigismundo Regis nomine publice tradidit. Interfuit his omnibus Ludouicus Commendator Torunensis, cum tribus collegis à Paulo Magistro Cruciferorum ad ineundam nouam cum Sigismundo, posteaquam Suidrigello principatu eiectus erat, societatem missus. Atq; is enixe studuit, infecta reddere, quæcunq; à Polonis proceribus agebantur: adiutorem ad id nactus Georgium Buttrim Lithuanum, hominem ingeniosum & callidum, quippe qui multas Christiani orbis regiones peragrâsset. Sed irriti tamen ii conatus fuêre: iussique Cruciferorum legati, velut hostes, Lithuaniæ finibus statim excedere.

Rex Lithuanos concitat in Suidrigellonem.

Suidrigello fugit, & Lithuaniam vexat.

Sigismundus Dux Lithuanorum à Rege declaratur.

Pacta Lithuanorum cum Polonis.

Cruciferorum conatus.

Compositis rebus Lithuanicis, ad Podoliam pacandam Rex animum intendit. Et miserat quidem eo nonnihil copiarum: sed in Olesci obsidione tempus cæterebant, & minores erant, quam vt Podoliam, cuius nonnullæ munitiones

tiones adhuc Suidrigellonis præsidiis tenebantur, subigere possent. Itaq; Leopolim profectus est, vt ex propinquo rectius è re nata rebus consuleret. Ibi Lucensi conuentui ad priores immunitates adiecit, vt Nobilitatis subditi non nisi aduenienti in id territoriũ Regi commeatum & stationes præberent. Templa Russorum ne vastarentur, neq; cogeretur quisquam transire ad religionẽ Romanã. Forte per eos dies Olescum oppugnatũ erat. Eas igitur victrices copias nouo supplemento auctas, ad recipiendas reliquas munitiones Podoliæ misit: nec magno eæ negotio in potestatem Regis peruenerunt. Bratislauiam vero arcẽ, ne Poloni eâ potirẽtur, Theodoretus siue Fedco Ostrogius Dux Russius, partiũ Suidrigellonis, vir strenuus & bellicosus, vna cũ oppido incendit. Habebat is quidẽ circa se non contemnendam manum, sed nusquã aperto marte cũ Polonis rẽgerebat, nec se certo loco tenebat. Ex insidiis vero Polonos lacessens, sæpe fusus fugatusq; erat. Cum autẽ hominem in late patentibus cãpis cum expedito equitatu vagantem adipisci, & perdomari difficile esset, tẽpusq; anni hybernum bello gerendo minime aptum, reuertebantur Poloni, & nihil minus quã bello amplius cum hoste certare velle videbantur, ecce subito Fedco Valachorum, Tartarorum, & Bessarabũ auxiliis auctus, & numero militum Regis superior factus, apud fl. Moraquam, qui in Nestrum influit, limosum & late restagnantem, ac fragili iam glacie concretum, regios flumen superare conantes in vlteriori ripa ex insidiis aggreditur. Iam pars regiorum angusto tramite impeditum locũ transierat, pone carri & impedimenta in mediũ recepta sequebantur: cum Fedco magno cum impetu, clamore, & dissono tubarum, tibiarum, tympanorumq; cantu ac strepitu inuectus, nec opinantes adoritur, & in iis stragẽ edit memorandam. Trepidi re noua & inexpectatâ Poloni, cum neq; ad extremum agmen receptus daretur, nec ab eo magna auxilii spes affulgeret, impetum tamen hostium vtcunq; sustinuêre. At qui in extremo agmine erant, vbi suorum periculũ animaduertere, nil cunctati, contempto omni periculo, partim per constratã viam, euersis & in cœnũ deiectis carris, partim per infirmiorẽ amnis restagnantis glaciem superata difficultate, auxilio suis iam laborantibus accurrerunt, ac prælium instaurarunt. Superabant tamen multitudine hostes, perturbatosq; Polonos & sine ordine pugnãtes premebant: pars etiã quasi parta iam victoria ad diripiendos currus discurrebat. Deplorata res Polonorũ erat, cũ subito quasi diuinitus eis auxiliũ affulsit. Kemlicius quispiã tribunus militũ cum centũ equitibus pabulatũ profectus, opportune rediens, & clangore tubarũ signo pugnę dato, instructâ tumultuaria acie, denuo prælium redintegrat, & intentos in pugnam hostes, à tergo pariter, & à fronte fudit ac dissipauit, fugientibus institere Poloni vsq; ad mediam fere noctem, quæ tunc sublustris erat: & cum neminem viuum seruarent, magnam hominum stragem fecerunt, duodecimque signa capta retulerunt. Dux ipse maturius, quam par fuerat, fuga euasit. De regiis non adeo multi desiderati sunt, & ii fere gregarii. Abest autem locus ille prælii à Leopoli, non minus quadraginta milliaribus bene longis, & tamen, quo die hæc gesta sunt, hoc est, vltimo Nouembris, quum Rex in templo, vbi tunc totos dies trãsigebat, diuinam opem sedulus imploraret, non ignarus, cum quam grauibus & insidiosis hostibus exercitui suo res esset, rumor de victoria sparsus totam vrbem impleuit. Nec autor eius rumoris inueniri potuit, ita vt vana exultasse lætitia homines viderentur. Sed cum postera luce certo nuncio res omnis, vt gesta erat, cognita esset, gratiæ Deo actæ, ac dona à Rege missa militibus.

Podolia recepta à Polonis.

Prælium Polonorum cum Russis.

Russi vincuntur.

Suidrigello à Rege fusus & fugatus.

Nec multo post cumulata est Regi ea lætitia, profligato à Sigismundo Duce apud Osmianos insigni strage Suidrigellonis exercitu, è Russis, Tartaris, & Liuonibus collecto: de quo ad decẽ millia cæsa, quatuor capta esse, relata sunt. Suidrigello quidem pernici fuga crebro mutando equos euasit. Sigismundus monimentum victoriæ, templum & collegium sacerdotum apud Osmianos

Comitia Craconia.

postea constituit. Hac geminâ victoriâ Rex lætus, Leopoli discedens, Cracouiam ad comitia, ad natalem Christi indicta, venit, & ouans pedibus vrbem ingressus, apud complura templa festas supplicationes obiuit, priusquam arcem ascenderet. In comitiis deinde de Prussico bello agi cœptum, resq; integra ad

Alia comitia Sendomiria.

alia comitia, quæ ad secundam dominicam quadragesimæ Sendomiriam promulgabantur, reiecta. Eo porro aduenerunt oratores è Concilio Basiliensi, quod Eugenius Pontifex cum initio approbasset, Ferrariam transferebat, atq; adeo dissoluebat. Concilium contra abrogare Pontificatũ Eugenio nitebatur. Quanquam obstabat Sigismundus Imperator, vt gratiam referret Eugenio, à quo Romæ paulo ante diadema Cæsareum ritu solenni acceperat. Postulabat autem ea legatio, vt Rex cum omnibus populis suis Concilio aduersus Pontificem faueret, & vt vexandis bello Cruciferis supersederet, Concilioq; causam illam omnẽ cognoscendam & arbitrandam permitteret. Cui responsum est:

Regis responsum datum Concilii oratoribus.

Non abhorrere Regem à pace, si à Cruciferis ipsi satisfieret. Porro de iis, quæ Præterea Oratores postulabant, diligentius eũ consultaturũ, ac deinde missurum legatos suos ad Concilium cũ certo responso. Ita dimissi Oratores Concilii, in Prussiam ad Cruciferos, vt eos ad conditionem accipiendã pacis à Rege oblatam adducerẽt, profecti sunt. Cæterum in comitiis Sendomirienſibus de bello contra Cruciferos administrando nihil remissius agebatur: tametsi gerendi eius ratio non expediebatur, propterea quod Rex senio cõfectus, & caligantibus oculis munia belli per se ipse obire non poterat: & Lithuanorum, Russorum, ac Valachorum auxilia, cum eæ gentes partim domesticis bellis implicatæ essent, partim à fide Regis desciuissent, defutura erant. Itaq; tertia co-

Tertia comitia armatorum Colum indicta.

mitia armatorũ ad diem S. Ioannis Baptistæ natalem Colum indicendla, & Bohemorum, quæ offerebant, auxiliis vtendum esse, quamuis refragamtibus Episcopis, decretum est.

Conuentus inter Pol. & Cruciferos frustra instituitus.

Nec ita multo post conuentu inter Polonos ac Cruciferos opera oratorum Concilii de pace frustra instituto, cũ Cruciferi quindecim dies vltra condictũ expectati non venirent, euocati Bohemi à Rege duce Czapcone præsto fuere, cõiunctiq; cũ maioribus Polonis, quib. Sendiuoius Ostrorogius iussu Regis præerat, nouã Marchiam Cruciferorũ imperio subiectã, crudeliter vastarunt, duodecimq; oppida munita, partim vi, partim deditione ceperunt: quæ quidẽ omnia direpta ac diruta sunt, Ernisberga siue Chossno excepto: quod quoniã muntissimũ erat, præsidio firmatũ est, quo facilius omnis ea regio in fide regia cõtineretur. Per eosdẽ fere dies Sigismũdus Dux Lithuanorũ, adunatis magnis copiis, duodecim dies Liuoniã depopularus est, & ingẽtẽ prædã inde asportauit. In Russia vero Gregorius Kerdeius Nossũ Ducẽ Russũ, Suidrigellonis partiũ, qui Luscũ nõ ita pridẽ interceperat, profligauit & cepit. Vbi statuta armatorũ comitiorũ dies aduenit, frequẽs cõuẽtus sciuit, vt Rex in Polonia subsisteret: exercitui vero vniuerso, & sũmæ rerũ præfectus est Nicolaus Michalouius, Castellanus & Præfectus Cracouiẽsis. Huic Rex dedit in mãdatis, vt hostiles regiones ferro, flãma, ac direptionib. vexaret, munitionũ vero oppugnationib. abstineret. Colo profectus Michalouius, cũ exercitu in Pomeraniã, nõ

Liuonia à Lithuanis vexatur.

Armata comitia.

die.

diu mandatorũ regiorũ memor fuit. Iam maiores Poloni cum Bohemis subacta omni noua Marchia, præter Landisbergum oppidum, in Pomeraniam anteceſſerant, & Choiniciam obsidebant. Quoniam autem consultissimum videbatur coniunctis copiis rem gerere, eo duxit reliquum exercitum Michalouius, facileque persuaderi sibi ab Ostrorogio passus est, vt cœptam Choiniciæ obsidionem prosequeretur. Erat autem oppidum bene munitum, commeatu, præsidio, & omni apparatu belli instructissimum. Vbi in longius tempus obsidionem eius duci animaduersum est, institutus cuniculus, quo ex improuiso in oppidum irrumperetur: verum is non alte ductus, priusquam perduceretur, subsidente fabuloso solo obrutus est. Tentata deinde vi & impetu oppugnatio, exiccata fossa oppidum ambiente. Sed inde quoque, multis vulneribus acceptis, nullo cum fructu discessum est, cum primi Bohemi in tutum se recepissent. Iam difficiliore annona propter multitudinem & vias ab hostibus insessas Poloni vtebantur, & ex pabuli inopia plurimos equos amittebant. Itaque sero regiorum mandatorum recordati, quum totos duos menses in obsidione Choiniciæ casso labore consumpsissent, ea soluta, castra mouerunt, & in interiora Pomeraniæ populabundi progressi sunt: prætergressique nonnulla oppida, direpto Peplinensi monasterio, magnifice ædificato & opulento, ad Dersaniam peruenerunt. Præcesserant & præterierant oppidum Bohemi, qui primas stationes seruabant, & loca metandis castris capiebant. Poloni vero, quo minus in suburbana prædandi causa discurrerent, cohiberi à ducibus nequiuere. Erat in oppido validum hostium præsidium. Nam ii quocunque admoturos esse Polonos suspicabantur, omnia præsidia ex propinquis munitionibus deducta noctu eo contrahebant. Id igitur præsidium occurrit Polonis ad extrema suburbana: sed tamen, quo minus ea incenderentur, prohibere non potuit. Itaque late vagante incendio, in oppidum se hostes retulerunt. E vestigio aduerso ac vehementi vento flante, vrbana quoque ædificia flamma corripuit: nec ea restingui vllo cum hostium ipsorum, tum ad extremum etiam Polonorum conatu potuit. Sic oppidum munitius & opulentius, quam Choinicia, quasi fortuito incendio conflagrauit: præda omnis, præter eam, quæ in subterraneis cellis & fornicibus absconsa erat, igne corrupta: captiuorum supra decem millia fuisse dicuntur. Ex his quicunque Bohemi fuerunt, Czapco reuertens, vt sibi condonarentur, impetrauit: traditos, quod Teutonibus contra Polonos eiusdem secum originis & linguæ militarent, corripuit, pyraque ingenti extructa exussit. Eius exemplum secutus Ioannes Strassus Bialaczouius nauticos homines in ergastulo conclusos, quorum inter Cruciferorum præsidia non pauci fuere, circumiecta palea & arida materia succendit. Qui cum effracto ergastulo ligneo effugere vellent, aduersis Polonorum hastis excipiebantur, donec Michalouius superueniens cædem eorum repressit, ignemque restinxit. Matronis vero & puellis captiuis iustus honor habitus est, adhibita publice custodia, ne quid contumelioſe in eas fieret, aut ne qua priuatim à quopiam occuleretur: omnes ad Vistulam deductæ, traiectæque nauibus, liberæ dimissæ sunt. Perhonorificum id fuit Polonis, apud ipsos etiam hostes: omnesque eis omnia bona precari: suis vero, qui longe fuissent in populanda Polonia dissimiles, mala imprecari. In templis, monasteriis, & rebus sacris Poloni non eadem abstinentia vsi sunt. Sed plus hic valuit ira & dolor immanissime direptorum à Cruciferis in Cuiauia templorum. Itaque Oliuiense quoq; monasterium paulo post direptum & incensum est. In-

Choinicia obsidetur à Polonis.

Pomerania vastatur.

Persauia incensa.

Oliuen monasterium direptum.

Castra mota. de ad Gedanum castra mota, quatriduoq; in eius vrbis conspectu statiua habita: per quos dies omne id territorium peruastatum, & munitio portus lignea disiecta.

Iaseneciæ arx capta & incensa. Desolata vsque ad mare Pomerania, reuertentes alio itinere Poloni, Tucholiensem & Iasenecensem oram vastabant. Cum autem apud Iaseneciam statiua haberent, de pace ab hostibus tractari cœptũ est. Dum colloquuntur inter se primores, pauci de Polonis iuniores temere impetum in arcem fecere, eosque prægressos exercitus omnis, cum esset sine imperio, quasi dato signo secutus est. Capta momento arx, direpta atque incensa est. Captiui ad vnum omnes trucidati, furore militum, ob interfectum in oppugnatione Ioannem Leuinum Velcinium, nemini parcente. Permoleste id factum, dum de pace agitur, tulere Cruciferi: sed Polonis iniussu id suo, & tamẽ iure belli, neq; pace neque induciis adhuc constitutis, factum defendentibus, acceleratę

Inducię triũ mensium. sunt inducię trium mensium. Interim autem ad calendas Decembris, vt in conuentu Brestensi de conditionibus pacis constitueretur: captiui Crucifero rum nobiliores facta sponsione sistendi sese, si de pace non conuenisset, dimissi: tenuiores & gregarii, vel cõmutati, vel binis florenis redempti. Poloni munitiones in noua Marchia quæsitas retinuere, pacti nihil munire interim, nec reficere. Mirum vero est, tum demum Cruciferos de pace & induciis quã diligentissime egisse, cum Poloni peruastata omni Pomerania (ita vt soli quatuordecim pagi inter lacus & paludes intacti à Polonis relinquerentur) domũ reuerterent. Peractis his, exercitus, acceptaà Michalouio missione, suam quisque domum dilapsus est. Sed Bohemorum primores Pysdros ad Regem, vt

Fœdus cum Duce Pomeraniæ erat ab eo præceptum, profecti, honorifice ab eo accepti & remunerati sunt. Nouum etiam tunc fœdus contrà Cosimirus Dux Pomeraniæ Stetinensis cum Rege Vladislao icit, veteri forte violato, quo recepit sub fide & honore suo, vna cum primoribus suis, nullam opem se laturum Cruciferis esse aduersus Polonos: neque passurum esse quenquam, qui contra eos arma sumpserit, per ditionem suam transire. Hoc fœdere facto, & Bohemis dimissis, Rex in Sendomirienſem tractum contendit fugiens pestem, quæ maiorem Poloniam inuaserat: qua quidem Ioannes Szaffranecius Episcopus Vladislauiensis absumptus, Vladislaum Oporouium Procancellarium regni Rege suffragante successorem accepit. Cum autem Prussiæ Rex esset, venit ad eum Bohemus quispiam sacerdos Hussiticus à Christiano Astrologo, nuncians, vt mortem sibi prope imminentem caueret. Id cum ille semotis arbitris ageret, Zbigneus Episcopus Cracouiensis veritus, ne quid de religione Regi suaderet, grauiter obiurgauit Regem, quod neminem de consiliariis ad audientiam Bohemi adhibuisset. Et satisfecit quidem Rex Zbigneo, nihil Bohemum neque de religione, neque de Republica secum locutum esse, sed tamen coactus est eum primo quoque tempore instante Zbigneo dimittere, eo iod spargebatis vulgo suum dogma.

Cometes. Nec multo autem post cometes non obscurus, plus quam vnum sem pernox face ad occidentem versa apparuit: regiæ mortis, vt vulgo

Comitia Neopolonicia. creditum est, postmodum euentus comprobauit, prænuncius. Nepolon. iam Rex erat, quo comitia ad diem D. Martini Episcopi memoriæ dicatum

Elias Moldauiæ Palatinus iurat Regi edixerat: eo venit Elias Alexandri Palatini Moldauiæ defuncti filius, à minore natu fratre Stephano domin tu paterno eiec , Regis opem implorans, & in fide clientelaque Regis ac Polonorum, se fore semper, solenni iureiu-

iureiurando promittens. Consecuta est eum & Stephani fratris legatio cum splendidis donis, Lenciciam vsq; Regem sequens, & postulans, vt ipsi potius, quam fratri omnibus inuiso, Rex faueret: fore & ipsum perpetuo in fide & clientela Polonorum, quemadmodum pater maioresque ipsius fuissent. Habebat quidem Elias in matrimonio sororem germanam Sophiæ Reginæ: sed tamen re in consultationem posita, placuit, vt Stephanus, in quem studia gentis inclinassent, dato iureiurando in verba Regis & regni Poloniæ, reti-

Pacta cum Stephano Palatino cõuenta. neret Valachiam, tractumque Sepinensem cum Chocimo, Cecuino, & Chmielouia munitionibus à Rege iure sempiterno reciperet. Heliæ vero, quo magis Stephanus eius metu in officio contineretur, luculentæ possessiones à Rege in Polonia datæ sunt. Cæterum cum his ille non acquiesceret, & ad recuperandum dominatum paternum aspiraret, ex fuga retractus, Siradiæ deinceps sub honesta custodia cum vxore & liberis vixit. Stephanus vero, sicut conuenerat, Soezauiæ solenne iuramentum legatis regiis exigentibus præstitit, &, vt gratiam referret Regi, non ita multo post Tartaros in ditiones Polonicas excursionem parantes repressit, Bratislauiamque, quæ Suidrigellonis præsidio tenebatur, interceptam, Regi restituit. Ex iisdem comitiis

Tartari repressi à Moldauo. missi sunt proceres quidam in Cuiauiam ad conuentum Brestensem, celebrandum cum Cruciferis. Verum ex eo conuentu re non composita, &

Conuentus Polonorum cum Cruciferis Brestia. irritatis animis, incertum, qua de causa, discessum est. Lenciciæ Rex exitum illius conuentus expectabat: vbi rediere ad eum legati è conuentu, de bello agi cœptum, visumque est, non expectandam esse æstatem, sed

De bello consultatio. quamprimum immittendum in terras hostiles exercitum. Expeditiora fore omnia concretis glacie fluminibus & lacubus, quibus abundat Prussia. Vna res difficultatem faciebat, quod pecunia Regi deerat in stipendium: & prope abfuerat res à seditione superiori æstate apud Choiniciam, fremente vniuersa Nobilitate contra Proceres, quod ii bellum extra fines Poloniæ sine stipendio decreuissent, receperantque illi, nunquam id se deinceps admissuros esse. Inuentus tandem est modus eius difficultatis explicandæ, vt Palatini suæ quisque ditionis Nobilitati de stipendio soluendo caue-

160 rent.

Hæc vbi didicere Cruciferi, missis mox ad Regem legatis, quas antea repudiarant conditiones, vltro accepere, in duodecim annos pacti inducias.

Inducię duodecim annorum cum Cruciferis. Adiectum, vt ad diuæ virginis diem natalem sequenti anno apud Slonscum de pace perpetua tractaretur. Ibi tunc Marschalcus Cruciferorum Liuonicorum ex pacto dimissus, siue adeo sponsione militari solutus, ac Theodoricus Buczacius Præfectus Camenecensis pro eo receptus: qui captus à Fedcone Duce Camenecensem agrum vastante, cum paucitate prædatorum contempta temere in eos erupisset, ac Magistro Liuonum petenti à Suidrigellone donatus erat. Neque enim quiescebat Suidrigello cum Russis: sed cum ipse per se auxilia Tartarorum & Lithonum habens, Lithuaniam

Suidrigello Lithuaniã infestat & Russiam regiam. tum per Fedconem & Nossum Duces Russiam regiam æstate præterita Cruciferis incitantibus infestarat, illa occasione vsus, quod Poloni Russico bello distinebantur, & quod is Sigismundum Ducem Lithuanorum inuisum iam esse plerisque Lithuanis acceperat. Et sumpserat Sigismundus paulo ante supplicium capitis de Ioanne Monuido Palatino Trocensi, & Rumboldo summo Lithuaniæ Marschalco, autoribus conspirationis, quæ in eum comparata esse dicebatur.

Libe-

Libere etiam tunc Suidrigello Lithuaniam depopulatus est, Vilna, Lida, & Trocis oppidis immunitis exustis, & Bresta Russica obsessa: qua non difficulter potitus esset propter commeatus inopiam ac dubiam Russorum fidem, nisi Masouios iussu Regis arma sumpsisse, & aduentare eo nunciatum esset. Tartaros quoque magnis donis ad populandum eam oram Russiæ, quæ Sigismundo parebat, concitarat. verum ii, cum aliquousque progressi, Sigismundum in clientela Regis Polonorum esse intellexissent, mutata statim sententia, in Kiouiensem & Cernichouiensem tractum, qui in Suidrigellonis ditione erat, populabundi excurrerunt.

Tartari à Suidrigellone euocati ditionem ipsius vastãt.

Insequens annus millesimus quadringentesimus trigesimus quartus Vladislai Regis morte insignis est. Ac initio quidem eius anni in Lithuaniam is rogatu Sigismundi Ducis profectus Krinchos peruenit. Inde vero stabilito Sigismundi Principatu Korcinium, quę & noua ciuitas dicitur, venit, & comitia ibi per tempus quadragenarii ieiunii habuit: in quibus legati ad concilium Basilienſe designati sunt, ad obtrectationes & falsas criminationes, quæ aduersus Regem Vladislaum iactabantur, Sigismundi Imperatoris & Cruciferorum refellendas, ac de vniuersa causa cum Cruciferis disceptandã.

Comitia Korcini. Legati ad Concilium Basilien.

Fuerunt autem principes eius legationis, Zbigneus Olesnicius Cracouiensis, Stanislaus Posnaniensis, Episcopi, Ioannes Konieczpolius Cancellarius regni, & Nicolaus Lassocius Decanus Cracouiensis. Non putauit autem Olesnicius sibi prætermittendam occasionem castigandi Regis priusquam peregre proficisceretur. Itaque in illo ipso cõsessu grauissimis id verbis egit, in hanc sententiam locutus: Non recusare se iniunctum legationis onus pro honore ac dignitate patriæ simul & Regis: sed non posse tamen, quin Regem ,, quibusdam de rebus pro officio suo, priusquam proficiscatur, admoneat. Veri enim se, vt eum reuertens è concilio superstitem reperiat, quippe qui tam ,, grandis natu esset, & debilitatis iam vitibus. Nescire etiam, quonim pacto ,, pleraſque Imperatoris ac Cruciferorum criminationes in ipsum diluat. Nam ,, & ipsum se, & alios pleroſque omnes in illo consessu animaduertere in eo ,, nonnulla reprehensione digna. Multas quidem in eo dignas bono principe ,, virtutes relucere: sed non carere eum vitiis, quibus virtutes illæ obscurentur: ,, qualia sint, quod ipso vel iubente, vel permittente, multis per iniuriam, aut ,, certe summo quodam iure, & nimis exacta & acerba interpretatione iuris, ,, bona adimantur: quod oppressi à potentioribus non vindicentur: quod calamitosorum causæ non audiantur, neque decidantur, ipso in profundam noctem prolixioribus cœnis indulgente, ac deinde magnam diei partem inerti ,, somno absumente. In itineribus etiam pergrauem eum esse ecclesiasticis iu,, xta ac equestribus hominibus, oppidanis & agricolis, propterea quod ,, aulicum suum comitatum, à rapinis, stupris, & iniuriis non cohibeat: ,, subuectionesque & procurationes præterius & æquum acerbe, & pignoratione iumentorum, exigi patiatur. Adhæc monetæ cudendæ potestatem fœ,, minis eum fecisse, eam vero perleuem cudi magno Reipublicæ detrimento. ,, Superstitiones vero quasdam ex prisco dæmonum cultu, quas ipse quoque ,, non ignoret, retinuisse. Egisse se his de rebus plerisque omnibus cum ipso, ,, primum semotis arbitris, deinde paucos etiam arbitros adhibuisse, verum ,, quando nihil profecisset, in amplissimi consilii consessu id sibi facere necesse ,, fuisse, vt, quem timor Dei in officio non contineret, pudor hominum dunta,, xat emendaret. Quod ni hæc quoque profutura essent, acerbioribus deinde medica-

Zbignei Episcopi ad Regem oratio.

medicamentis ad sanandum eum vsurum esse. Licere quidem sibi, non minus quam aliis, dissimulando, vel etiam assentando gratiam eius aucupari, « sed memorem se esse officii sui, & nullo neque metu, neque gratiã desertu- « rum esse stationem, in qua se Deus, & Rex ipse, & Senatorem & Episcopum « constituisset. Pluris se facere incolumitatem patriæ, quam omnia, quæ vul- « go concupiscantur: & pro magnis Regis in se beneficiis antiquiorem sibi esse « eius salutem, quam præsentem & assentando quæsitam gratiam, quæ tamen « stabilis & certa esse non soleat. Non poterat se diutius Rex tenere, quin ser- « monem eius interrumperet. Itaque fremens atque lachrymans respondit: intemperanter eum & arroganter facere, qui, cunctis aliis senatoribus cum Archiepiscopo ipso Primate tacentibus, vnus tam acerbe in se inueharur. Ibi assurgens cunctus Senatus, eandem omnium esse sententiam, & illam Cracouiensis Episcopi orationem, suam esse, professus est. Quo audito Rex accensus magis è consilio se proripuit, multa Zbigneo minitans: verum cito ad se reuersus, impensius Zbigneum postea dilexit, & corrigere ea, quæ ille reprehenderat, studuit. Albertus vero Archiepiscopus etiam gratias egit Zbigneo, quod maiore fiduciâ Regis peccata corrigere aggressus esset.

Senatus Polon. constantia.

His ita actis, & conuentu soluto, Rex Cracouiam contendit, vt inde porro in Russiam proficisceretur, iusiurandum à Stephano Palatino Valachorum promissum ritu solenni coram accepturus. Dum autem itineri se accingit, nunciatum est, Fridericum quempiam Russum Ducem exulem, cum non contemnenda Bohemorum manu arcem nouam prope Corstenum munire instituisse, vnde in finitimos Polonos & Vngaros latrocinium exerceret. Id vbi Rex accepit, misso confestim aulico comitatu suo manum illam dissipauit: dein iter institutum ingressus, cum Grodecum oppidum in Russia peruenisset, inter prandendum validâ febri correptus est: quam inde accidisse existimatum est, quod nocte præcedenti, quę præter tempus anni frigida fuit, in syluis diutius lusciniæ cantu se de more oblectans, cœli intemperiem pertulisset. Vbi vitæ suæ finem adesse sensit, sacris mysteriis procurari se iussit, offensas omnes remisit, sibiq; ab omnibus vicissim remitti petiuit: testamentum condidit: si quid cuiquam per iniuriam abstulisset, reddi iussit. Filios Proceribus præsentibus atq; Nobilirati commendauit, ac Vladislaum quidem diligentius, nã eum tenerius diligebat. Zbigneo vero Episcopo annulũ nuptialem ab Heduigi Regina, quo nihil carius in omni vita sua habuerat, dono misit, veniam superiorum omnium admissorum ab eo petens, & animam suam, liberosq; superstites ei commendans. Deinde pridie calẽdas Iunias, decimo septimo die, postquam ægrotare cœperat, animam exhalauit, quum regnasset annos duodequinquaginta, & tres fere menses. Nam quantum vixerit, non constat: Vitoldo quidem natu maior fuit. Tanta autem fuit liberalitate, vt non modo fiscum exhauriret, verum etiam magnam partem regiarum possessionum etiam immerentibus, ac tota interdũ singulis hominibus territoria donaret: sic vt quodam tempore Martinus quintus Pontifex maximus prodigalitatem eius inhibendam sibi esse duceret, dato ad Archiepiscopum Leopolienſem mandato, vt donationes eius rescinderet. Basilicas Chelmensem atq; Kiouiensem in Russia instituit, & Episcopis attribuit. Monasterium Lublini D. Brigittæ nomine condidit. In Casimiriensem vero Cracouiæ vicinam parœciam Canonicos D. Augustini institutum professos induxit: Gnesnense, Sendomiriense, & Visliciense templa Græcâ picturâ decorauit: in peregrinos hospitalis & munificus.

Bohemi profligati in finibus Vngariæ. Regis morbus, eiusque causa.

Mors Vladislai Regis.

Virtutes & vitia Regis.

Nullum quamuis exiguum munus aſpernabatur: nec eos, qui donarant, irremuneratos dimittebat. Aliquid petentibus à ſe, fere dimidium eius, quod petiiſſent, largiebatur. Itaq; duplum petebant, qui ſimplum auferre cupiebant: offenſarum immemor: ad ſupplicia de ſontibus ſumenda lentus: aſſentatoribus ac delatoribus aurem libenter accõmodabat. Cultui diuino apprime deditus. Ieiuniorum diebus pane & aqua fere vtebatur. Superſtitiones quaſdam ab ineunte ætate imbibitas ad extremum vſq; retinuit: in quibus illa fuit, quod quotidie, priuſquam prodiret in publicum, ter ſe in gyrum vertebat, & ſtipulã ter confractam in terram abiiciebat. Abſtemius in omni vita ſua, nec niſi aquę potu vſus: cæterũ cibi appetentiſſimus fuit, itemq; balnei, cultu corporis neglecto, neque aliis, quam agninis pellibus, & laneis fere veſtibus vſus. Venationum ſine vllo modo auidus fuit, interfectas feras maiores, & præſertim biſontes, in Prælatos & Canonicos, Academiæq; ac ciuitatis Cracouienſis præſides & magiſtratus partiri ſolitus. A pomis ita abhorruit, vt ne odorem quidem eorum ferret. Statura fuit mediocri, facie oblonga, macra, & ad mentum contractiore: capite caluo, paruo, & faſtigiato, oculis nigris, paruis, & inſtabilibus: ceruice longa, voce graui & cita. Corpus eius magna pompa Cracouiam relatum, & intra menſem in baſilica Cracouienſi frequenti Procerum atq; Nobilitatis concurſu funus celebratum eſt.

VLADISLAVS TERTIVS REX.

Anno Chriſti 1434.

IAM Zbigneus, cæteriq; legati ad concilium miſſi, Poſnaniam peruenerant, cum de morte Vladislai Regis nunciatum eſſet. Itaq; conueniunt frequentes Proceres Poſnaniam, Nobilitasq; maioris Poloniæ, atq; ex conſilii ſententia Vladislao natu maiori defuncti Regis filio regnum deferunt, & ad Sigiſmundum magnum Ducem Lithuanorum oratores mittunt, vt ad eam celebritatem vel ipſe adſit, vel legatos mittat. Moleſte hoc maiorum Polonorum præiudicium minores Poloni tulere: ſed tamen quia Zbigneus Epiſcopus Cracouienſis, homo ſuarum partium, auctor eius fuerat, & ex Republica maxime eſſe videbatur, ne qua diſſenſio, neu qua mora in re tanta fieret, in eandem & ipſi ſententiam decretum fecerunt. Dies modo ad octauum calendas Auguſti prorogata eſt, quo maiore & ſplendidiore pompa omnia celebrarentur. Erant in equeſtri ordine duo factioſi ac turbulenti iuuenes, Spitco Melſtinius Palatini quondã Cracouienſis filius, ac Derslaus Rithuianius Palatini quondam Lencicienſis filius; qui cum res nouare cuperent, & vterq; magnas poſt ſe iuuentutis cateruas traheret, Opatouiæ ad tertium idus Iulias, communicato cum ſuis conſilio, conuenticulum inſtituere. Ibi omnium vna erat ſententia: male tantum regnum puero committi, cuius ætate & Regina mater, ſuperba mulier, & Primores ad dominatum abuſuri eſſent, aliter de republica conſtitui oportere. Confirmabat autem id imprimis Gouorcus Chrobranius, homo ſenex, multa ex veteri memoria ad rem facientia commemorans. Redierat iam Zbigneus Cracouienſis Epiſcopus cum Konieczpolio Cancellario, reuocatus ex itinere, reliquis duobus legatis inſtitutum iter Baſileam proſequentibus. Ab eo itaque Regina non ignara conſiliorum Spitconis atq; Derslai impetrauit, vt Opatouiam proficiſceretur, turbulentaq; iuuenum concilia diſturbaret. Non fuit gratus eius aduentus iis, qui illuc conuenerant: ſed tamẽ ille ſingulari patientia vſus, & in conſilium admiſſus, graui & prudenti oratione plurimis perſuaſit, vt abiecto nouandarum rerum ſtudio, decreto Breſtenſium comitiorum ſtarent: quo cautum eſt, vt Vladislaus defuncti regis filius, Rex poſt mortem patris deſignaretur. Ita conuentus ille nulla re perfecta fruſtra frementibus ſeditionis auctoribus ſolutus eſt. Nec tamen ii quieuerunt, nacti plures ſententiæ ſuæ adſtipulatores: In quibus præcipui fuerunt Abraham Zbanſcius iudex Poſnanienſis conſentus, & Ioannes Straſſus. Nam quum vndiq; frequentes proceres ac equites Cracouiam ad præſtitutam diem conueniſſent, iniectus eſt ab iis ſcrupulus, nouum & inuſitatum eſſe impuberi diadema imponi: in diſcrimen autem adduci libertatem & prærogatiuas Nobilitatis, magno labore & ſanguine maiorum ſuorum partas, illa impuberis Regis coronatione: neque enim rite ab impubere iuſiurandum dari poſſe. Quod ſi in aliud tempus differatur, difficulter exactum iri ab eo, qui iam rerum potiatur. Cæterum hic quoque ſcrupulus à maioribus natu exemptus eſt, producto à Zbigneo codice è baſilica Cracouienſi, in quo effigies Caſimiri magni Regis, dum coronaretur, impubes depicta erat. De iureiurando autem Regis reiecta res ad pubertatem eius, interim autem placuit, vt Sophia mater & Proceres ſacri pariter & ciuilis ordinis pro eo fideiuberent, nec eum prius ad gubernacula regni admitterent, quam iuſiurandum rite præſtitiſſet. Conquieturi iam turbatores illi videbantur, quum in ipſo coronationis articulo nouas conciuerunt turbas, vociferantes, ne ſibi inuitis paucorum conſpiratione Rex imponeretur. Inita denuo ſuffragia, nec ea tamen libere ferri poterant, factioſis illis altercando tempus extrahentibus, vt præteriret dies, & interim ipſi plura de Nobilitate ad ſe pertraherent: ii porro, quibus magis placebant quieta conſilia, vt tædio diuturnæ moræ domos dilaberentur. Quod vbi à Proceribus animaduerſum eſt, Ioannes Oleſnicius cognomento Glouacius Marſchalcus è Senatusconſulto pronunciauit ad Nobilitatem: vt quibus placeret Vladislaum coronari, in dextram diſcederent: qui aliter ſentirent, in læuam. Id vbi factum eſt, vna voce omnes Vladislaum Regem eſſe iuſſerunt. Melſtinius vero cum Zbanſcio & Straſſo, qui in editiorem locum conſcenderant contradicturi, deturbati ſunt, extemploque coronatio Regis in baſilica ſolenniter peracta eſt, ſole ad veſperum declinante. Poſtridie in vrbem deſcenſum, ad recipiendum ab oppidanis & plebe iuſiurandum. Nec tamen aſcendit tunc Rex in præparatum ſibi in foro ſolium, contentione orta inter Epiſcopos & Duces Maſouiorum, quod proximum Regi locum ſibi vtrique vendicarent.

Maiores Polo. cum Zbigneo defuncti Regis filio Vladislao regnum decernunt.

Præiudicium maiorum Polonorum agrè ferunt minores Poloni.

Conuenticulum Opatouiæ quorundam.

Controuerſia de coronatione & iuramento Regis noui.

Vladislaus iunior coronatur.

Subſequentibus deinde diebus conſultatum eſt à proceribus de ratione adminiſtrandæ Reipublicæ: multorumque ſententiæ in Ziemouitum Ducem Maſouiorum inclinabant, vt is gubernator regni eſſet, erat enim vir bonus, & magni conſilii. At vicit plurium ſententia, metuentium, ne is dominandi dulcedine deguſtata, ambitione deprauatus, aliquid aduerſus Regem & Rempublicam moliretur: & indignum viſum eſt, ad eum ſummam rerum Polonicarum deferre, qui in clientela Polonorum eſſet. Itaque placuit, in ſingulis ſatrapiis ſiue Palatinatibus ſingulos conſtitui prouiſores, in Cracouienſi vero propter monetariam officinam duos, ex iis, qui ſummis in Republica honoribus non fungerentur, qui quæſtores regiorum redituum eſſent, & intra ſuos quiſque fines negotia publica regio nomine adminiſtraret. Sed ne quid tamen noui in Republica, niſi ex ampliſſimi conſilii decre-

Prouiſores inſtituti in Polonia.

Russica & Podolica Nobilitas cum Polonica exæquata.

decreto, statuerent. His quinquagenæ marcæ annuæ in sumptus constitutæ. Ibi etiam Russica & Podolica Nobilitas cum Polonica omni iure exæquata est à nouo Rege, non sine multorum murmure, qui remitti illa quoque Russis ægre ferebant, quod necesse eis fuit antiquitus, quandocunque & quocunque Rex iusserat, sine vllo stipendio ad bellum proficisci: ad arces muniendas ac reficiendas operas mittere: de quolibet iugero culto duos auenæ, totidemque siliginis modios, & quaternos grossos quotannis Regi pendere. Verum illud maxime permouit Regem, quod à patre & Senatu illam exæquationē promissam eis esse constabat. Incessit deinde cura consiliarios constituendæ Reipublicæ & pacis: multæ vndique difficultates impendebant, cum Cruciferis, cum Sigismundo Imperatore, cum Suidrigellone, cum Silesiis, qui post mortem Regis finitimas sibi oras Nicolao Cotficio duce latrociniis infestabant. Ne domi quidē vsquequaq; quieræ res erant, nouatorib. illis Nobilitatem aduersus ecclesiasticum ordinem ob repressos conatus suos cōcitantibus, & ius decimandi, censuræque ecclesiasticæ siue excommunicationis in controuersiam vocantibus. His de rebus omnibus frequenti Senatu actum. Et ad Sigismundum quidem Imperatorem missi legati Cancellarius & Mareschalcus, quo æquiorib. conditionibus pacem conficerent, conIugium duarum filiarum Alberti Ducis Austriæ generi Cæsarei nouo Regi fratrique eius petere iussi sunt. Sed suspensa res ab Imperatore, vt prius dissidiorum causæ conuentu instituto summouerentur, eiq; rei constituta dies ad Pentecosten sequentis anni. Quod autem tunc nihil impetratum est, in causa fuit illud quod Imperator tutelam Regis, & gubernationem regni sperabat, & ambiebat, legatosque largitione & pollicitatione frustra tentarat, vt eum sibi honorem publice vel simulate deferrent, repudiaturo honestius, quam diuulgarat. Cum Cruciferis conuentus actus apud Racianzum & Zlotoriam ad natalem D. Mariæ, sed vtrinque re infecta discessum, propterea quod in expectatione erant Cruciferi, quonam modo succederet Liuonibus, qui Samogitiam & Lithuaniam cum Suidrigellone tunc bello vexabant. Et iam Poloni discedētes Brestam Cuiauiensem peruenerant, cū eos Commendator Osterrodensis consecutus est, de pace postulans: fefellerat enim Cruciferos exitus Samagitici belli. Nam Liuones præda onusti è Samogitia reuertentes, in sylua quadam succisis arboribus impediti, à Samogitis, & circumuenti magna strage profligati erant. Atque id Poloni quoque eo ipso puncto temporis, quo Commendator aduenit, cognouerant. Prorogatæ sunt tamen inducIæ ad tertium nonas Maias insequentis anni, & de alio conuentu constitutum.

Nobilitas cōtra ecclesiasticos fremit.

Legatio Polonorum ad Sigism. Imp.

Cum Cruciferis conuentus.

Liuones à Samogitis fusi.

InducIæ prorogatæ.

Cum Silesiis quoque Bendzini conuentus actus est, ipsis postulantibus, propterea quod Cristinus Cozeglouius Castellanus Sandecensis damna passus à prædonibus Silesiis, cū fœnore ipsis vicem referebat, & Gliuiciam oppidum in Silesia interceperat. Renouata pax his conditionibus, vt Cotficius turbator pacis vna cum sociis suis vtrinque pelleretur: damna data acceptaque inuicem compensarentur. Deinceps vero, si quod latrocinium ab alterutris in alteros patraretur, ad id armis persequendum vt præsto essent ii quoque ipsi à quorum parte id extitisset. Nec diu tamen hæc à Silesiis obseruata sunt, ad ingenium redeuntibus. Podoliam vero cum Suidrigello infestaret, ac Fedconem Nesuissensem Ducem cepisset, repressus est à Polonis ducibus Vincentio Szamotulio, & Michaele Buczacio: receptusque & liberatus Fedtus Fedco Bratislauiam & Cremeneciam Regi dedidit, moxque rursus concedente Rege eas, quoad viueret, retinēdas recepit, cum se vna cum posteris suis in fide & clientela eius, & regni fore solenni iureiurando professus esset. Porro domi diutius res agitatæ inter Ecclesiasticum atque Equestrem ordinem, conuentumque sæpius, neque tamen conuenire quicquam inter partes poterat, Melstinio, Zbanscio & Strasso omnia miscentibus. Temperatum tamen est à vi, metu interdicti ecclesiastici. Tandem pedetentim turba omnis conquieuit, compluribus ex iis, qui antesignani erant illarum turbarum, intra breue tempus extinctis, cæteris religione & metu interdicti ecclesiastici perculsis. Illud autem in contentionem venerat, quod cupiebant politici valere constitutionem Iaroslai Archiepiscopi, qua sanciebatur, vt qui agri ex illo tempore coli cœpissent, ex iis ne manipularis decima penderetur. Verum ea constitutio per vim expressa esse ferebatur. Præterea, quem agrum quisque Nobilis agresti & adscriptitio depulso sibi ipse coleret, vt inde parœco suo decimam penderet, quamuis alii prius ea pendi solita esset. Sed neutrum extortum, illud modo concessum: vt quoscunque agros Nobilis coleret, ex his canapale ne solueret, neve conueheret suo curru decimam, neque delectum in ea sacerdos haberet, nisi data opera vitiosum frumentum à Nobili relinqueretur. Aliud quoque minorum Polonorum intestinum inter ipsos dissidium mortuo Spitcone Palatino Sendomirienſi, de conferendis honoribus in conuentu Visicienſi diuersis partium studiis excitatum, sedatum est: cum esset constitutum, vt vacantes honores iis, qui essent gradu proximi, conferrentur. Itaque Ioannes Czizouius Castellanus Sendomirienſis Palatinus factus est: in eius vero locum Castellanus Lublinensis suffectus, & sic aliis alii deinceps successerunt. Brieczensem vero Castellaniam Clemens Strelcius alter de primoribus Cracouiensis tractus, Nobilitatis suffragiis adeptus est. Verum hæc duo extrema insequenti fere anno millesimo quadringentesimo trigesimo quinto acta sunt.

Pax cum Silesiis.

Causa dissidii inter ordines.

Dissidium minorum Polonorum intestinum.

Conuentus deinde rursus cum Cruciferis apud Brestam Cuiauiensem & Sluzeuiam eodem plane, quo superiori anno, exitu actus est. Cruciferis itidem ex euentu Samogitici belli pendentibus, & Polonorum facilitate abutentibus, & ad octauum idus Decembris conuentum & inducias extrahentibus. Inde Siradiæ comitia Rex habuit: ibi de dimittendo Helia Valacho petitum ab eius fautoribus, nec tamen impetratum. Sed post paucos dies is, siue præfecti conniuentia, siue custodum negligentia, euasit, & miscere Valachiam ciuili bello adortus est. Autumno vero eiusdem anni Sidrigellonis exercitus cum auxiliaribus Cruciferis Liuonicis insigni strage in Lithuania à Polonis, duce Iacobo Cobilanio in auxiliū Sigismundo Duci à Rege missis, ad Vilcomiriā profligatus est, multi ibi capti, multi cæsi, multi Suētæ fl. vndis, vbi prælium commissum est, suffocati. Ibi robur omne Liuonū cum Magistro & Marschalco concidit. Captus est in eo prælio Sigismundus Rothus Silesius, is, qui à Cæsare ad Vitoldum proficiscens, à Ioanne Czarcouio captus, & sub militari sponsione dimissus, fidem fregerat: itemque Coributhus qui paulo ante è Bohemia, vbi negligi iam se animaduerterat, per Prusiam cum auxiliaribus Bohemis & Silesiis reuersus, cum Suidrigellone se coniunxerat. Vterque in profluentem demersus: Suidrigello vero cum paucis Russis effugit, & ex eo tempore Smolenscum, Orsam, Poloscum, Vitepscum, & Russiam fere omnem victoris fidem secutam amisit. Miserat interim, dum hæc in Lithuania

Cum Cruciferis conuentus initus.

Suidrigello cum Liuonicis Cruciferis profligatus.

Coributhi mors.

Sigismundi Imp legatio ad Vladislaũ Regem.

geruntur, Sigismundus Imperator legationem ad Vladislaum Regem, vt bellum inter cognatos principes componeret, non tam pacis cupidus, quam quod Suidrigellonis partibus, quem ipse vanis promissis ad id bellum concitarat, metueret. Ei legationi, priusquam de exitu belli Lithuanici cognitum esset, responsum est: Libenter id facturum fuisse Regem si integrum esset: verum credere eum, illos collatis signis iam ferro inter se decreuisse. Vtrilibet autem cessisset victoria, eum difficiliorem fore ad æquas conditiones pacis. Commodum legati discesserant, cum de victoria Sigismundi allatum est. Quo minus postea negotii fuit cum Crucigeris in concilianda pace perpetua, cum ii fracti animis duriores etiam conditiones acceptarent.

Conuentus Vngarorum & Polonorũ ad Kesmarcum.

Subsequenti anno ad Pentecosten Proceres Polonorum & Vngarorum apud Kesmarcum conuenerunt, sublatisque dissidiorum causis pacem inter Reges suos fecerunt. Qua confecta, misit rursus Vladislaus Rex legationem ad Imperatorem, coniugium neptium eius sibi fratrique suo postulans. Ne ille abnuit, sed in aliud tempus, quo esset bellicis curis & negotiis

Legatio ad Imp. Sigism. Regis Pol. de coniugio.

Bohemicis solutior, eam rem suspendit. Interim vero ille pacata Bohemia nõ diu post mortuus est.

Inter dissidentes autem fratres Valachos Rex per legatos tunc composuit pacem, partitus inter eos dominatum, ita vt inferior & maritima ora (quam Bessarabiam vocant, in qua Bialogrodium arx est, & Kilia) Stephano: superior vero, hoc est, occidentalis & Russis vicinior cum Soczauia metropoli Eliæ cederet.

Elias Palatinus Moldauiæ iurat in verba Regis Pol.

Qui quidem Elias omni mora postposita Leopolim veniens, in verba Regis præsentis ac habitu regio præsidentis, vna cum proceribus suæ partis iurauit: vexilloque ritu solenni ad pedes Regis abiecto, in fide ac clientela eius, & omnium deinceps Regum Poloniæ semper se fore, & contra quos suis hostes summa ope ipsis affore, professus est. Quo facto, Rex eum sublatum exosculatus est. Proceribus vero Valachis dextram dedit, tributumque centum equorum, totidem, siue (vt volunt

Tributum Moldauorũ.

alii) quadringentorum sericorum pãnorum, quæ Camchæ vulgo vocantur, totidem boum, ac ducentorum curruum Visonis (piscis id prægrandis nomen est cuius ferax est Danubius) in singulos annos imposuit: Scepinensem vero tractum, diplomaque paternum, quo is tractus Stephano donabatur, ex pacto abeo recepit, in compensationem damnorum, quæ Alexander pater eius in Colomeiensi & Sniatinensi præfecturis dederat. Haliciiensis vero arcis possessionem Eliæ, quoad viueret, Rex concessit. Post quartum demum annum & Stephanus, & Elias frater iterum cum vniuerso senatu suo in verba eiusdem Regis iurarunt.

Pax cum Cruciferis & pacta ad Brestam.

Sub finem anni huius pax cum Cruciferis Prussicis & Liuomicis Brestæ Cuiauiensi facta est à Rege: qua cautum est fide & iureiurando priũcipum inter cætera, vt fœdus Cruciferorum cum Suidrigellone esset irritum: Episcopis & ecclesiis Polonicis bona sua ac decimæ in ditione Cruciferorum saluæ essent atque liberæ, fructus præteritorum duorum annorum interuersi, ad Pascha proximum vt iis à Cruciferis restituerentur. Episcopo Vladislauiensi mille ducenti aurei pro domo Gedanensi diruta soluerentur. Nouam Marchiam

chiam & Chosnum Rex Cruciferis, ipsique vicissim Niessouiam, ac dimidium traiectum Vistulæ apud Toruniam Regi redderent, & nouem millia florenorum ac quingentos aureos numerarent. Iaseneciam retinerent: nec fraudi esset cuiquam à suis dominis ad hostes defecisse: finium regundorum ratio certa præscripta.

De controuersiis dirimendis conuenit, vt quotannis bini vtrinque delecti arbitri certo loco conuenirent: sed ita, vt Polonos Magister, Prutenos Rex ederet. Atque hæc pacta conuenta noui Reges, Duces, & Magistri intra annum vertentem à creatione sua, consiliarii vero ac subditi decimo quoque anno solenni iureiurando coram legatis alterius partis approbarent: Nobilitas atque ciuitates cauerent sibi inuicem, non fore se dicto audientes dominis suis, si ii contra hæc pacta venire vellent: idque impune fore, principes ipsi suis quisque subditis intra certum tempus cauerent.

De Suidrigellone cum Sigism. Duce Lithuanorum re cõciliando frustra actum.

Sequens annus nulla re memorabilis est, nisi quod cum Sigismundo Lithuanorum Duce de Suidrigellone reconciliando per principes Senatus Polonici, legatos à Rege missos, frustra actum est. Commouerat enim Suidrigello Regem Senatumque Polonicũ ad misericordiã supplici habitu aduenies, & Luscum, quod adhuc retinuerat, Regi tradens: quod non multo post Rex Sigismundo repetenti ex fœdere tradidit, ea lege, vt eo mortuo in ditionem Regis & Polonorum cum tota Volynia rediret.

Melstinius bona Episcopi Craco. inuercipit.

Insequenti vero anno millesimo quadringentesimo trigesimo octauo non vsq; adeo quietæ res fuere domi forisque. Etenim Spitco Melstinius partim inueterato in Zbigneum Olesnicium Episcopum Cracouiensem odio, quod conatibus suis ad nouandas res intentis obstitisset, partim etiam nouo (quod de hæresi exagitaretur) inflammatus, bona eius Vsseuensia Melstinio arci suæ propinqua armata manu inuasit atque diripuit: castellum interceptum præsidio muniuit. Citatus à Rege velut publicæ pacis turbator, in gratiam cum Zbigneo rediit, cum ei communium amicorum arbitrio satisfecisset. Quæ tamen gratia diuturna non fuit.

Reconciliatio cum Episcopo.

Comitia Corcini.

Ea vero causa fuit vtriusque ordinis proceribus, vt in comitiis Corcinensibus mense Aprili habitis sancte se obstringerent, pro perduelle habituros, quisquis iudicia contemneret, armisque priuato consilio sumptis ius suum persequeretur: & quisquis hæresim vllam profiteretur, aut profitentes defenderet.

Vbi etiam minores Poloni frequentes constituerunt inter se, prouisoribus siue curatoribus regiis deinceps non parere, dominatus eorum pertæsi, siue adeo indignum esse rati, à paribus regi.

Prouisores amoti.

Vix dum hoc malum conquieuerat, cum subito aliud exortum est. Dersslaus namq; Rithuianus, opibus & animo ex direptis propatrui sui Alberti Archiepiscopi Gnesnẽsis superiori anno defuncti facultatib. auctus, validã peditũ equitumque manum coëgit: accitusque ad Regem, negauit se quidquam cõtra Rempublicam moliri. Dimissus, nocte quadam ad Zaterziam coactum illũ exercitum duxit, & scalis admotis oppidum id cepit, oppidanis nil eiusmodi suspicantibus: deinde Osuiecimensem tractum omnem in ditionem suam redigere adortus est. Et iam Sigismundus Imperator Vngarorum & Bohemorum Rex obierat. Molestum id fuit Regi Senatuique, vicinum & amicum

Rithuanius Zaterziam intercipit.

princi-

principem, eamque oram, quæ promptuarium quoddam est Cracouiæ, à suis vexari. Nec tamen reuocari se à cœpto Derslaus passus est, donec dum incautius statiua habet, fusus fugatusq; à Silesiis, Regi Zatoriam tradidit, acceptis ab eo mille marcis impendiorum nomine. Rex vero non prius eam Vencestao Osuiecimensium Duci Casimiri filio reddidit, donec is in fide & clientela Regis Polonorum se deinceps fore, solenni iureiurando spopondit, & Berualdum castellum infame latrociniis ipsi concessit. Dederant autem ei tumultui causam Duces ipsi Silesii, qui cum late propagati patrimonia sua in tenues portiones diduxissent, neque pro dignitate inde sustentare se possent, rapto viuere neutiquam turpe aut ignominiosum ducebant: & cum alias in mercatores viatoresque grassabantur, tum post pacem haud multo ante cum Polonis factam, Vielunense territorium nouo latrocinio infestarunt: quanquam non impune. Nam reuertentes à Laurentio Zaremba, cæteraque Vielunensi Nobilitate prædâ omni exuti, trepide domos dilapsi sunt. Sic ergo tunc Vladislaus Rex Silesios vltus est. Quo fit, vt minus molestè factum illud Rithuanii tulisse videatur.

Osuiecimen. duces in clientela Regis Poloniæ.

Expeditio Polonorum in Bohemiam.

Bohemicum deinde bellum exarsit, neq; spacio temporis diuturnum, neque exitu funestum, cuius hæc fuit causa: Sigismundus Imperator moriens, cum animaduertisset, Barbaram vxorem suam de regno magis, quam de vita sua solicitam, cum primoribus Bohemorum clandestina consilia conferre: Albertum generum suum Vngaris & Bohemis proceribus diligenter commendauit. Barbara, quæ regna illa ad Vladislaum Regem Polonorum dotalia afferre, quam filiam Reginam videre mallebat, capta Znoimæ, & cum funere mariti in Vngariam ducta est. Post Sigismundi mortem nihilominus Bohemi in duas factiones diuisi, partim Albertum, quem Vngari iam sibi Regem coronârant, partim Casimirum Vladislai Regis fratrem ad regnum iuuitârunt. Acceptauit delatum regnum Casimirus magnâ Senatus Polonici parte neq; quicquam dissuadente: cæterum prouisoribus siue curatoribus regni compendii sui causa, quemadmodum creditum est, inprimis suadentibus. Itaque missi in Bohemiam ad adeundam possessionem regni nomine Casimiri Sendiuoius Ostrorogius Posnanensis, & Ioannes Tencinius Sendomirensis, Palatini, cum non contemnendis copiis, cum quibus sese non exiguus Bohemorum numerus coniunxit, ita vt ad quatuordecim millia essent in eo exercitu. Præuerterat eos Pragam Albertus, iamque solenni ritu diadema susceperat: quin coëgerat etiam longe validiorem exercitum, cum de Bohemis & Vngaris, tum ex omni fere Germania, cumque eo obuiam hostibus prodiit. Casimiriani ne iniquo loco cum potentiori hoste pugnare cogerentur, ad Thaborũ oppidũ fossis & carris castra cõmuniunt. Nec Albertus castra oppugnare ausus, non longe & ipse castra sua metatus est. Crebris excursionibus & leuibus certaminibus haud leuia vtrinq; damna accepta. Cum autẽ Casimiriani, quo tutiores essent ab ictibus bombardarũ, quibus acriter petebantur, in oppidum se recepissent, dimisit Albertus exercitum: nam difficili & ipse pabulatione atq; annonâ iam vtebatur, & difficilis erat oppidi permuniti oppugnatio. Casimiriani quoque nullo operæprecio facto numis exhausti, & amissis equis Bohemiâ excesserunt. Verum id priusquam Vladislaus Rex factum resciret, quoniam de periculo eorum certior factus erat, nihil deterritus minaci legatione Alberti, Poloniam omnem ad bellum Bohemicum exciuit, & in Silesiam cum infesto minorum Polonorum exercitu ingressus, longe lateque

Poloni re infecta Bohemia excessere.

Expeditio in Sylesiam.

que eam vastauit. Idem ab altera parte maiores Poloni in inferiori Silesiâ fecêre. Inde in Bohemiam Rex progredi, & suis opem ferre parabat. Sed cum de statu rerum Bohemicarum apud Opauiam ex Palatino Sendomirensi è Bohemia reuertente cognouisset, exercitum dimisit, domumq; rediit.

Non fuerunt in ea expeditione Russi & Podolii, clade domesticâ, quam insignem eius ætatis initio à Tartaris acceperant, impediti. Excurrebãt enim Tartari populabundi in Podoliam, ingentemq; prædam abigebant. Recedentes eos cum Podolii manu validâ factâ persequerentur, in limosam quandam paludem ex metu recipere se coëgerunt: ignariq; locorũ, adactis equis impetũ in eos fecerunt. Stabant contra instructi Tartari æquiori loco, eminusq; imbrem sagittarum in Polonos cum cœno conflictantes iaculabãtur. Ibi ancipiti malo perculsi primi extremis, vt retrocederẽt, sibiq; explicandi sese ex illa difficultatate locum darent, significabant. At illi actum esse de suis rati, in fugam se prorsus coniecerunt. Nec Tartari occasioni defuerunt: obtritis enim primis, cæteros auersos obstinate persecuti, magnâ strage profligarũt, neminem viuũ seruantes. Ibi pleraq; Nobilitas omnis & firmamentum Russiæ cum Michaele Buczacio Præfecto Podoliæ concidit, ita vt crebris deinceps excursionibus absq; metu oram illam omnem Tartari peruastarent. Qua in clade Ioannes Vlodecus egregium fortis & tolerantis viri exemplum præbuit. Is multis vulneribus confectus, quum inter cadauera iacens à victoribus despoliaretur, ita compressit vitalem spiritum, vt, quum barbarus caligas de pedibus eius non sine vulnere rescinderet, digitumque cum annulo præcideret, tamen nullam doloris atque sensus significationem edidit, & incredibili patientiâ vitam seruauit. Eodem anno confirmatum est Vladislao regnum in comitiis Petricouiensibus mense Decembri habitis: amotique ab administratione curatores siue prouisores, quum Rex iam decimum quintum annum, qui apud Polonos finiendæ tutelæ legitimus est, attigisset, ac iusiurandum solenne dedisset. Sigismundo magno Duci Lithuanorum renouanti pacta conuenta cum Iagellone & Polonis stabilitus principatus regio diplomate. Monetæ quoque probandæ qui præessent, in singulis ciuitatibus designati, valde enim iactabatur nummus. Verum non diu id decretum valuit, præterquam in minore Polonia & Russia.

Tartari Podoliam vastant.

Pugna Tartarorum cum Polonis.

Poloni profligantur.

Comitia Petricouiæ.

Lithuanorũ pacta renouata cum Polonis.

173

De pace deinde inter Cæsarem & Regem Concilium tunc temporis Basilienſe, & Eugenius Pontifex per Oratores diligentius egerunt: quo commodius sublato inter hos Principes bello Græcis atq; Vngaris subueniretur. Vtrisq; enim grauis erat Turcarum Imperator Amurathes, qui Transalpinam Valachiam iam sibi vectigalem fecerat, ac Rusciam & Serbiam vectigales Regum Vngarorum ditiones affligebat. Non abhorrebat à pace Cęsar, ac ne Poloni quidem: iam enim refrixerant studia Bohemorum in Casimirum. Silesii vero Alberto Marchione Brandeburgensi duce accepto à Cæsare, crebris populationibus Poloniam vexabant. Itaq; ex illis ipsis comitiis Petricouiensibus quatuor de proceribus legati missi ad Imperatorem Vratislauiam, quo is venerat è Bohemia, multis hinc inde iactatis, eo rem perducebant, vt potestas fieret Bohemis denuo, quem vellent, Regem creandi. Id eo lubentius faciebant Poloni, quod Cæsar secreto pollicitus esse dicebatur Archiepiscopo principi legationis Polonicæ, daturum se Casimiro Bohemiam in dorem cum filia natu minore. Nec tamen de pace conuenire ibi potuit, variante Cæsare conditiones pacis, quorundam consilio & maleuolentiâ. nam ipse vir bonus, &

De pace inter Cæsarem & Regem Concilium Basil. & Pp. agit.

Legatio Regis Pol. ad Cæsarem.

pacis amans erat. Discedentes autem legati infecto negocio, precibus legatorum Pontificis & concilii ægre reuocati sunt. Namislouiæ deinde tentatum de conditionibus pacis, neque ibi tamen ea conuenit: induciæ modo quadrimestres, per quas commodius pax conficeretur, constitutæ. Atque id anni millesimi quadringentesimi trigesimi noni principio actum.

Inducia cum Cæsare Polonorum.

Quo quidem anno foris pax fuit, domi turbæ quædam, siue nouandarũ in religione rerum studio, siue ecclesiastici ordinis odio & inuidia, siue vtroque excitatæ, paucorum supplicio sedatæ sunt. Corcinum ex composito erant indicta comitia post Pascha, iamq; eo ipse etiam Rex peragrata maiore Polonia & parte Russiæ venerat, quũ Spitco Melstinius clam cũ armatis suę factionis hominibus & agrestibus suis in oppidum improuisus irrupit, & impetu facto in diuersoria Vladislai Episcopi Vladislauiensis, & Nicolai Lassocii Decani Cracouiensis summo mane, quiescentibus adhuc omnibus, ea diripuit. Idẽque monasterio fecit, quum ibi Ioannẽ Konieczpolium Cancellarium, & Ioannem Olesnicium Marschalcum, qui ibi diuerterant, non inuenisset. Cõmodum enim se subduxerant, præmoniti à quibusdã Spitconis sociis, quod eũ infensum ipsis esse nouerãt, quippe qui conatibus eius antea restitissent. His paratis, ex oppido suos eduxit, & è regione oppidi curribus & fossis castra munire cœpit. Cæterum priusquã ea perficeret, coadunati omnes, qui circa Regem erant, impetũ in exercitum eius Hincia Rogouio, & Dobeslao Scecocinio ducibus, inermes fere in armatum fecerunt: commissoque prælio, quum Spitconem ipsum inter primos pugnam cientem interfecissent, facile cæteros in fugam egerũt. Nec multum ibi sanguinis fusum est, parci enim Rex agrestibus, qui inuiti dominum secuti erãt, iusserat. In Spitconem palpitantem adhuc iudicium institutum: damnatusq; perduellionis, triduo nudus & inhumatus in publico iacuit. Rapstinum arx eius in ditionẽ regiam redacta: Melstinium vero vxori eius deprecanti concessum. Quin & iudicium decretumq; suum Rex procerib. supplicantib. ne quid factũ eius posteris obesset, clementer rescidit, quod amentia deliquisse diceretur. In Zbigneum vero Episcopũ conatus illos suos maxime intẽdisse existimatus est, partim propter litẽ quandam priuatam ex affinitate ortam, partim quod ab eo ditis deuotus, & senatu propter hæresin abstinere iussus erat. Sed vim eius Zbigneus præmonitus, ad comitia non veniendo, declinauit. Non minores in Polonia maiore per idem tempus motus erant, Abrahamo Zbanscio eos concitante. Fauebat & hic Hussitarum dogmati, Bohemosque sacerdotes domi suæ alebat, per quos dogma illud in populum spargeret. Catholicis vero sacerdotibus & Episcopo Posnanensi Stanislao Ciolco ita infestus erat, vt is Cracouiam commigrare cogeretur. Eo vero defuncto, Andreaque Bninio successore ei dato, magis sacerdotes vexabat Zbanscius. Et perculit quidem eum anathemate Andreas Episcopus: sed quũ ea via nihil proficeret, vi coercere eum adortus est. Coactos enim non-gentos amplius equites de propinquis & clientibus suis, ad Zbanscinũ arcem duxit, dediq; sibi quinque Bohemos sacerdotes coegit: quos instaurato Posnaniæ iudicio publice cremauit. Hoc etiam anno magna pars Cracouiæ gemino incendio conflagrauit.

Comitia Corcini.

Spitco interfectus. & Perduellionis damnatus.

In maiore Polonia motus.

Ad Pentecosten eiusdem anni actum de pace inter proceres Polonos & Vngaros, neq; tamen Regibus ipsis absentibus quicquam confectum. Reiecta res ad congressum ipsorum Regum, qui antequam contingeret, Albertus Imperator ab expeditione, quam in Turcas nullo operæprecio instituerat, reuer-

Conuentus Vngarorum cum Polonis.

reuertens, dysenteria ex immoderato esu peponum contracta, vitam finiuit. Post cuius mortem Vngari perpendentes in quantis essent periculis, Turcico bello implicati, communicato cum defuncti Cæsaris & Regis sui vxore Elisabetha consilio, ad Vladislaum Regem Polonorum vna cum ipsius Elisabethæ coniugio, tametsi prægnans tunc erat Elisabetha, regnum detulerunt. Missi publice ad acciendum Vladislaum è Polonia Ioannes Signiensis Episcopus, Matthias Taloncius Dalmatiæ & Croatiæ Præfectus, Emericus Marcellus Magister curiæ, Ioãnes Perenæus maior, & Ladislaus Palocius, mense Februario insequentis anni cum splendido comitatu & legatis ciuitatum Cracouiam venerunt, & postulata totius Vngariæ Vladislao Regi exposuerunt. Re in consultationem Senatus posita, variabant sententiæ Senatorum, dissuadentibus multis, difficultatemque duorum amplissimorum regnorum administrandorum, & Turcici belli magnitudinem exaggerantibus, aliis contra rem splendoris & gloriæ plenam nequaquam repudiandam esse censentibus, neque prodendam barbaris cum florentissimo regno salutem & amplitudinem Reipublicæ Christianæ, quæ illo quasi firmissimo propugnaculo niteretur: tum quod, illo regno quasi intermedio pariete sublato, Polonos omnem maximi ac difficillimi belli cum Turcis molem sustinere oporteret. Pronior in eam partem Vladislaus erat, vt regno suo paterno contentus esse vellet, cum propter illas, quæ modo commemoratæ sunt causas, tum quod adolescens prouectæ mulieris coniugium fastidiebat. Cessit tamen plurium diuersum suadentium sententiæ, & Vngarorum precibus. Et aderat forte Amurathis Turcarum Imperatoris legatio, quæ viuente adhuc Alberto Cæsare missa, fœdus & amicitiam tyranni, pecuniamque, & centum millium armatorum auxilia Vladislao contra Albertum deferebat. De conditionibus deinde cum Vngaris tractatum. Conueniebat iam legatis, totius conuentus Vngarici & Reginæ mandata diserte proferentibus, vt si Elisabetha Regina ex Alberto Cæsare masculum posthumum peperisset, eum Vladislaus ad Bohemicum regnum adipiscendum adiuuaret, Vngaricum ipse ad posteros suos transmitteret. Quod si nullos mares liberos relinqueret, tum demum vt Alberti posthumus in Vngaria ipsi succederet. Hæc dum ita constituuntur, interim aduolat ex Vngaria veredarius cum literis ad legatos, quibus scriptum erat, vt infecto negocio redirent, eo quod Regina filium peperisset. Abiecerat illo nuncio Rex omnem de suscipiendo eo regno cogitationem: sed tamen victus est legatorum perseuerantia, qui diserta mandata se habere asseuerabant, vt etiamsi Regina marem peperisset, nihilominus Vladislao regnum deferrent. Tum demum Turcarum legationi, quæ aliquot menses expectabat, Cracouiæ responsum à Rege datum est: regnum sibi ab Vngaris delatum esse. Si igitur Amurathes amicitiam suam expeteret, Vngariam ne infestaret, sociis & clientibus Vngarorum Rasciis redderet, quæ ademisset. Nam is post expugnatam Smiderouiam, alias etiam quasdam Rascinorum munitiones, partim viuente, partim defuncto iam Alberto Cæsare, ceperat.

Oratores Vngarorum ad Vladislaum R. de regno suscipiendo.

Consultatio Senatus de regno Vngariæ.

Turcicæ legationi à Rege Vladislao responsum datum.

His ita compositis, legati Vngarorum, duobus ad deducendum Regem relictis, cæteri in Vngariam reuerterunt. Ac Pereneus quidem apud Sarissam arcem suæ ditionis Regem venientem hospitio accepturus substitit: Matthias vero & Emericus ad Reginam dolorem & iram dissimulantem

Pacta Regis Vladislai cũ Vngaris.

Ladislaus Posthumus Alberti Cæs. nascitur.

contenderunt, eiusque iussu comprehensi, & in vincula cum omni comitatu suo coniecti sunt. Id vbi Sendiuoius Ostrorogius Palatinus Posnanensis, & Ioannes Konieczpolius Cancellarius regni, qui legati à Vladislao ad Reginam missi erant, accepere, omissa Simonis Agriensis Episcopi suasu legatione, in Poloniam redierunt. Scinduntur in duas partes Vngari, dum alii Reginæ, alii Vladislao student: nihil tamen hac Vladislaum mouebant, vt mutaret sententiam. Quin aliud quoque maius impedimentum fortuna ei obiecit. Nam per eos dies, quibus iter adornabat in Vngariam, nuncium accepit è Lithuania, Sigismundum Ducem Lithuanorum auare & crudeliter dominantem, conspiratione Iuani Czartoriensis Ducis, & aliorum quorundam Russorum & Lithuanorum procerum, apud Trocos interfectum esse: Suidrigellonem vero Luscum Russorum proditione rursus in potestatem suam redegisse. Magnos etiam thesauros Sigismundus reliquerat, eosque interfector vna cum Trocensi arce occuparat. Sic autem is Iuanus Sigismundum ex insidiis adortus esse fertur: Vrsam habebat Sigismundus cicurem, quam ad mensam & ad cubiculum familiariter admittebat. Illa vel non venerat illo eunte cubitum, vel de more emissa exiuerat, & à coniuratis alicubi concluса erat. Eius igitur vnguium scalptura ad ostium cubiculi assimulata, coniurati intromissi Ducem nihil tale suspicantem trucidarunt. Desiderabant nonnulli de proceribus Lithuanis Regis præsentiam, & res ipsa flagitabat. Nihil tamen his de sua profectione in Vngariam mutabat, ne leuitate quadam, aut metu & angustia animi cœpto destitisse videretur. Casimiro vero fratri recipiendæ, pacandæ, & gubernandæ suo nomine Lithuaniæ negocium dedit. Ingressurum autem iter post medium Aprilem ingens aquarum inundatio, soluta tunc primum niue & glacie, remorata est. Asperrima enim præterita hyems fuerat, magnaque niuium vis ante medium Nouembrem delapsa, ad illud vsque tempus durarat. Neque vero bene superiore æstate fruges prouenerant, ita vt hominibus vulgo foliis ac tenerioribus frondibus arborum, & radicibus herbarum vesci necesse esset. Pecudes vero & iumenta vetustis tuguriorum stramentis detractis ægre sustentata: indeque magna vis morbi passim grassabatur. Cuncta hæc agminatim concurrentia, omnino sa vulgo habita, Regem tamen minime commouerunt. Itaque institutum iter parans, in minore quidem Polonia & Russia Ioannem Czizouium Castellanum Cracouiensem: in maiore vero Albertum Malscium Palatinum Lencicien sem vicarios pro se reliquit. Præfectos autem Cracouiensem, Posnanien sem, & Podolien sem, incertum, qua de causa, mutauit. Porro Scepusium Zbigneo Episcopo Cracouiensi, vt inde debitum pro argento cælato signatoque, cuius non modicum pondus ab eo mutuatus erat, sibi detraheret, commendauit. Boleslao Duci Masouiorum præcepit, ne cuiquam Drohicinensem tractum concederet, quem post interfectum Sigismundum Lithuanorum Ducem ex fœdere vetusto, sed ab ipso Sigismundo renouato, occuparat.

Vngarorum diuersa studia.

Sigismundus Dux Lith. interficitur.

Luscum à Suidrigellone interceptum.

Casimirus à Rege Lithuaniæ præficitur.

Gubernatores Poloniæ.

His peractis, & rebus omnino Polonicis pro tempore constitutis, cum magnificentissimo apparatu, & comitatu Nobilitatis Polonæ elegantissimo, iustique exercitus speciem præ se ferente in Vngariam profectus est: præmissoque Simone Rosgonio Episcopo Agriensi, Vincentio Szamotulio Castellano Medirecensi, Ioanne Sennenio, & Andrea Tencinio, Budam in potestatem suam redegit. Regina vero certior facta de omnibus, filium suum Ladislaum nondum quadrimestrem, sublato Alba regali diademate diui Stephani

Vladislaus Rex in Vngariam proficiscitur.

phani à Dionysio Zecho Cardinali & Archiepiscopo Strigoniensi, præsentibus & assentientibus Benedicto Iaurensi Episcopo, Vlrico Comite Ciliæ, Ladislao Garo, Nicolao Iristacio, Stephano Rosgonio, & Thoma Zecho fratre Archiepiscopi, coronari curauit. Posteaquam Budam venit Vladislaus magnaque Nobilitatis ac procerum (in quibus & Archiepiscopus Strigoniensis, & Ladislaus Gara fide publica accepta fuere) multitudo ad eum conuenit, per interpretem huiusmodi concionem habuisse fertur: Alium ego, proceres & viri Vngari, alium longe quam video, regni huius statum me reperturum esse speraui. Credebam, enim summo omnium ordinum hominumque consensu me accitum esse, vt vobis volentibus imperarem, Turcarumque arma ab Vngaria depellerem. Itaque omissis rebus Lithuanicis, quæ meam præsentiam nunc maxime requirebant, desiderio vestro, & precibus legatorum vestrorum satisfeci, & meum ad vos aduentum maturaui. At nunc aduenienti alia se mihi rerum facies offert. Non idem est sensus omnium: diuersa studia: habet inter vos non paucos, nec obscuros fautores Alberti filius posthumus, & iam ab his diademate redimitus est. Quid hinc aliud quam ciuile bellum inter vos propediem expectandum est? Eius ego vobis author causaque, esse nolo. Abunde regno paterno contentus sum. Vos, me nihil obstante, quouis modo commodis vestris & quieti, salutique publicæ diligenter etiam atque etiam prospicite: mei vero nullam rationem dicite. Hæc eloquo Rege, secedunt in consilium Vngari, suspicientes Regis modestiam & excelsum animum.

Ladislaus posthumus infans coronatur.

Vladislai Regis oratio ad Vngaros.

Postea Laurentius Hadreuarus Palatinus Vngariæ ex omnium sententia gratias Regi egit, quod patris clarissimi & optimi Regis vestigiis insistens, religionem Christianam inprimis defendere studeret, pluriique publicam salutem, quam suam amplitudinem faceret: deinde orauit eum, vt susceptum semel summa omnium cum lætitia & spe optima regnum, ne repudiaret. Paucorum vero illorum, qui aut muliebri consilio seducti, aut dominandi alieno nomine cupidi cum Regina sententiam mutarunt, conatibus nefariis nihil moueretur. Ne quam vero ei dubitationem relinquerent, statim cuncti in verba eius iurarunt, orsi à Dionysio Cardinali & Archiepiscopo Strigoniensi (nam eum, qui præsentibus aliis quibusdam proceribus puerum Ladislaum Albæregiæ coronauerat, pœnitebat iam facti) sublatumque de more gentis in humeros Vladislaum acclamante populo Regem promulgarunt. Vissegradum deinde itum est, vbi asseruari solebat diadema, quod D. Stephani ferebatur: verum id Regina inde clam omnib. subtraxerat. Quare parum abfuit, quin Ladislaus Gara Banus, præfectus eius arcis & ærarii, tumultu populi concerperetur. Captus quidem est, sed mox Regis beneficio liberatus, cum is in Poloniam statim rediturum se esse minaretur, ni sibi Ladislaus, qui fidem suam secutus eo venisset, condonaretur. Decretum autem est, vt Vissegradensis arcis præfecturam deinde non nisi Polonus obineret. Itaque Vincentio Szamotulio Castellano Medirecensi tunc ea mandata est. Regi vero Vladislao diadema de caluaria sancti Stephani detractum ad decimum sextum calendas Augusti solenni ritu apud Albam regalem ab Archiepiscopo Strigoniensi impositum. Coronatione rite peracta, Rex Polonos proceres, qui se in Vngariam deduxerant, dimisit. Ex his Zbigneus Episcopus nouo Cardinalis præsbyteri honore auctus, tam ab Eugenio Pontifice, quam ab Amadeo Allobroge Duce, quem Concilium

Responsum ab Vngaris Vladislao Regi.

Vladislaus ab Vngaris Rex promulgatur.

Vladislaus Rex coronatur.

Basilienſe amoto Eugenio ſuffecerat,& Felicem quartum appellarat, Cracouiam reuertens magna omnium gratulatione exceptus eſt. Tametſi in itinere apud Keueſſum oppidum in Vngaria non multum abfuit à periculo,iurgio inter oppidanos & familiam eius concitato. Nemo tamen de comitatu eius cæſus eſt, vulnerati complures : oppidani vero multorum ſanguine & nece, dimidiique oppidi conflagratione , excitati temere tumultus,pœnas luerunt.

Conuentus minorum Polonorum Corcini.

Conuentum deinde minores Poloni bis apud Corcinum egerunt, & auxilia quinque millium equitum Regi in Vngariam decreuerunt. In eorum vero ſtipendia vt agricolæ duodenos groſſos in iugera penderent: ſculteti & nobiles, qui nullos haberent adſcriptitios , octonos & quadragenos. Cæterum qui equites per ſe ipſi eam militiam obire vellent , vt & ipſi,& adſcriptitii eorum ab omni penſione immunes eſſent. Fuit autem neceſſarium id ſubſidium , eo quod Vngari apertius iam factiones alere cœperant, ac partim Regi Vladislao partim Reginæ ſtudebant. Et firmiores erant Reginæ partes in ſuperiore Vngaria,cuius ciuitates pleręque omnes à Germanis habitatæ, non contemnendo externi militis mercenarii præſidio, duce Ioanne Iſcra Bohemo, in fide Reginæ continebantur. Ab his aduerſariorum agri vexabantur , munitiones etiam partim expugnabantur, partim per proditionem intercipiebantur : Ab altera quoque parte Ladislaus Gara male referens Regi liberatori ſuo gratiam , temerato vna cum Archiepiſcopo Strigonienſi iureiurando, multos in Reginæ partes potentia & authoritate ſua pertraxerat,& validum exercitum contraxerat. Contra quem Rex non expectatis Polonorum auxiliis , aulicum ſuum comitatum , Vngaris ac Polonis conſtantem,& quos ad manum habuit Vngaros voluntarios,Nicolao Friſtacio ſiue Vilachio,qui à Regina ad Regem defecerat, & Ioanne Huniade ducibus,miſit, & certam ſibi victoriam pollicentem inſigni ſtrage profligauit. Ladislaus tamen ipſe fuga euaſit: ſed non ita multo poſt à Friderico Cæſare, qui Alberto patrueli in imperio ſucceſſerat, captus, ſeptuagimta millibus florenorum ſe redemit , cum Reginam ſecutus in Auſtriam weniſſet. Captiuos autem omnes Rex liberaliter dimiſit. Qua clementia permagnam apud Vngaros gratiam iniit, Slauoniamque & Croatiam , miſſo illuc à vero & Huniadem amplißimis muneribus affecit : & illum quidem Croatiæ præfectum, (quem illi Banum vocant) hunc vero Tranſyluaniæ Palatinum fecit, dein vero etiam Themeſſienſi & Seueninenſi præfectura auxit. Poſtmodum vero quum nauiter rem gereret, Turcaſque Vngariam infeſtantes aliquoties magnis cladibus affeciſſet, etiam Magiſter Vngaricæ militiæ ab Vladiſlao creatus eſt.

Vngarorum factiones.

Vngarorum fides lubrica.

Slauonia & Croatia Vladislao R. receptæ.

Caſimirus magnus Dux à Lithuanis renunciatur.

Dum hæc ita fiunt , Caſimirus Regis frater cum pleriſque proceribus minoris Poloniæ & Ducibus Maſouiorũ Caſimiro & Boleslao ſplendido comitatu pro gubernatore in Lithuaniam profectus , accepta de ærario regio pecunia , Vilnæ magnus Dux à Lithuanis renũciatus eſt, fruſtra reclamãtibus Polonis,& fœdera, Regisque aduerſam voluntatem teſtantibus. Verum plus valuit apud Lithuanos præſens metus. Verebantur enim, ne ſi vicarius modo ducis eſſet Caſimirus , Michael Sigiſmundi interfecti filius Samogitarum & aliorum fautorum ſuorum ope principatum arriperet , pœnaſque mortis paternæ à ſe expeteret. Quin apud Ruſſos noui iam motus

motus extiterant,& Smolenſcia plebs inprimis tumultuata , ſumptis armis præfectos ſuos cum Nobilitate profligarat & eiecerat, arcem ſibi ſubiecerat,& Georgium Meſcislauienſium Ducem dominum ſibi adſciuerat. Sed Caſimirus nouus Dux cum ſubitario exercitu , exuſto oppido , ingentique cæde hominum edita, arcem recuperauit. Hæc igitur cauſa ſiue prætextus fuit Lithuanis creandi ſibi magni Ducis præter ſententiam Regis, & contra pacta conuenta cum Polonis. Petiuit tamen à Rege Vladislao poſtea diligenter Caſimirus, vt factum Lithuanorum, quo ſe magnum Ducem declararint, approbaret: ſed non modo non impetrauit , verum etiam vehementius eum irritauit, quod neque exemplum Regi placebat , & Michaelem Sigiſmundi filium Caſimirus patrimonio omni exuerat,& Bielſcum Mielnicum, ac Drohicinum cum omni eo tractu Boleslao Maſouiorum Duci ademerat. Nam Boleslaus eas munitiones auo ſuo Ioanni à Iagellone Rege olim donatas, ſed à Vitoldo deinde ereptas , poſt Sigiſmundi demum obitum, ex pacto occupa-

Michael patrimonio omni à Caſimiro exuitur.

rat.

Poloni auxilia Regi in Vngariam mittunt.

Inſequenti anno minorum ac maiorum Polonorum, ac Ruſſorum auxilia partim ex mercenariis militibus , partim ex voluntariis collecta, ducibus Ioanne Tẽcinio Palatino Cracouienſi, Ioanne Oleſnicio Caſtellano Sendomirienſi , Pétro Odrouanzo Palatino Ruſſiæ, Gregorio Kerdeio Palatino Podoliæ, Laurentió Zaremba Caſtellano Siradienſi, Ioanne Siennenio præfecto Sendomirienſi , Derslao Rithuianio, & nonnullis aliis viris illuſtribus in Vngariam, nequicquam prohibente Iſcra , ad Regem venerunt. Quorum opera ductu Tencinii in ea quidem parte , quæ Auſtriæ finitima eſt, ſuperiores fere partes Regis fuerunt , Poſſonienſis arx obſidione liberata: aliæ munitiones , quæ Reginæ præſidiis tenebantur , partim per vim, partim per deditionem extrema adhuc hyeme receptæ ſunt. In ea vero ora, quæ ad Poloniam vergit, diuerſa fortuna Regis fuit , ita vt ab obſidione Caſſouiæ re infecta diſcedere Poloni cogerentur , Keſmarcum amitterent. Scepuſienſem etiam oram , quæ ditionis Polonicæ eſt , & à Zbigneo Epiſcopo tunc tenebatur, Iſcra infeſtaret, & Podolinetiam obſideret. Nec tamen eo Rex arma conuertere ab Vngaris permiſſus eſt , ſiue propter graſſantem peſtem , ſiue quod ii vererentur , ne pertæſus tam onerosi ac turbulenti regni in Poloniam propinquitate loci inuitatus ſeſe ſubduceret. Peſtem tamen ita is contempſit , vt quamuis plurimi paſſim repente concideront,& in intimum quoque cubiculum eius contagio morbi peruaderet , nihilo tamen minus verſaretur in publico , regiaque obiret munia. Apud Parczouiam vero Poloni proceres cum Lithuanis conuentum egere, fruſtraque , Lithuanis rem interturbantibus, concordiam inter Caſimirum Regis fratrem,& Boleslaum Maſouiorum Ducem, & Michaelem Sigiſmundi Ducis filium tentarunt. Per quod tempus Moſcorum Dux adiunctis ſibi Tartaris Caſſanenſibus excurſionem fecit in Lithuaniam , Veſmenſemque tractum ferro & igni depopulatus eſt. Quem Lithuani inſecuti commiſſo prælio fuderunt,& viciſſim regionem eius longe lateque vaſtarunt, ingentemque prædam abegerunt. Caſimiro interim Smolenſci euentum belli expectante.

Diuerſa fortuna Vladislai Regis in Vngaria.

Conuentus cum Lithuanis Polonorũ initus.

Excurſio Moſci in Lithaniam.

Sequenti anno maiores Poloni Sileſiæ finitimæ magna detrimenta intulerunt , vlti crebra Sileſiorum latrocinia. Vexatum eſt tamen poſtea nihilo-

Sileſia vexatur à Polonis.

nihilominus territorium Vielunense à Vratislauiensibus, Vieruſſouumq; oppidum cum castello incensum, ac dominus eius loci captus. Podoliam vero ac Russiam Leopolim vsq; ingentia Tartarorum examina impune ferro igniq; vastârunt, & infinitam pene captiuorum multitudinem, cæteramque prædam abduxerunt. Reuertentes præfectus Glinianorum paruâ cum manu insecutus, magnâ strage afflixit, multosq; captiuos liberauit: sed ad extremum hostium multitudine circumfusus, honestam cum suis omnibus mortem oppetiit. Rex vbi de excursione Tartarorum nuncium accepit, Polonos & Russos proceres profuse magis quam liberaliter, non modo pecuniâ de reditibus Polonicis prouenientes, verum etiam censibus, possessionibus, ac totis præfecturis præter leges Polonorum siue donatis, siue hypothecæ nomine addictis, atque etiam alienis bonis perperam per imprudentiam attributis, remuneratos dimisit. Ex his Petrus Odrouanzus Palatinus Russiæ & præfectus Leopolienſis cum suis Russis festinanter reuertens, cum Agriæ ab Episcopo laute acceptus esset, à Bohemis, qui Cassouiæ erant in præsidio summo diluculo duce Telepho in oppidum inprouiso irruentibus captus est, currusq; eius direpti. Cæterum Bohemos cum præda raptim sese recipientes consecuti Poloni pariter cum comitatu Episcopi, ad internecionem pene cæciderunt, suaq; omnia præter ipsum Odrouanzum recuperârunt, quem Telephus in arcem quandam propinquam præmiserat. Sed eum tamen præfectus arcis Iacobus Zuder Regi condonauit, defectionisq; suæ impunitatem, placato Rege eo munere, impetrauit. Pauci hostium viui in potestatem Polonorum venere, inter quos fuit ipse Telephus. Hi omnes Simoni Episcopo traditi, non multo post ab eo, icto cum Iscra fœdere, & affinitate firmato dimissi sunt. Sub idem fere tempus Nicolaus Czaica, & Nicolaus Komorouius in Scepusio præfecti exiguis cum copiis noctu Eperiassum oppidum, quod modico Iscræ præsidio tenebatur, admotis scalis ingressi, raptim direptum incendetunt. Quo repente cognito Iscra cum expeditis equitibus eos abeuntes insecutus, facile fusis vel cæsis, vel captis paucis, qui cum ducibus hostem eminus conspectum temere expectârant, prædam fere omnem recepit, Czaicâ & Komorouium duces cepit, & ad Brzozoueciam admotis castris altera arce siue fortuito incendio, siue subiecto à quopiam igni exusta, altera per deditionem potitus est. Quocirca subsidiarias aliquot cohortes Zbigneus Cardinalis ad tenendum Scepusium mittere ex Polonia coactus est.

Tartari Podoliam vastant.

Legati Pontificij duo ad Regem veniunt.

Æstatis huius initio duo legati pontificii in Vngariam ad Regem iisdem de causis venerunt. Ab Eugenio quidem Iulianus Cæsarinus Cardinalis Episcopus Sabinensis: à Felice vero & Concilio Basiliensi Alexander Ziemouiti Masouiorum Ducis filius Patriarcha Aquileiensis, Episcopus Tridentinus, & Cardinalis præsbyter tituli S. Laurentii in Damaso, non ita multo ante ab ipso Felici creatus. Atq; hic quidem vt Felicis, ille vero vt Eugenii autoritatem Rex vna cum suis omnibus sequeretur, postulauit. Iustior Eugenii causa Vngaris visa est, quippe quæ Græcos etiam & Armenios adstipulatores haberet, qui concilio Ferrariam ab eo conuocato, & propter pestem Florentiam translato interfuere. Polonis, quoniam Academia Cracouiensis autoritatem Concilii defendebat, & non modo Zbigneum Cracouiensem Episcopum, sed etiam Vincencium Archiepiscopum Gnesnensem Cardinalis presbyteri honore ornarat Felix, tutius visum, neutrum, donec dissidium illud maneret, pro Pontifice summo agnoscere. Egit deinde Iulianus cum Rege & Vngaris de pace faciendа

cienda cum Regina Elisabetha, & de suspiciendo bello contra Turcas. Et pax quidem cum Regina secretis conditionibus composita est, quum ad eam Rex laurinum rogatu Iuliani venisset, moresq; & virtutem suam, ac dignitatem oris ei probasset. Verum ea pax, Regina paucis diebus ex dysenteria ac dolore matricis mortua, rursus infecta mansit, defendentibus nihilo segnius partes Ladislai posthumi, seu verius suam rem agentibus iis, qui in superiore Vngaria cum Regina senserant.

Pax inter Reginam & Regem in Vngaria.

Regina mors.

Neque vero in persuadendo bello Turcico plus difficultatis sensit Iulianus, quum non tam vtilitas inferre bellum barbaris, quam necessitas illatum ab iis depellere, & amissa recuperare suaderet. Etenim Amurathes non ignarus Vngaricorum dissidiorum, ciuilisque belli, infestabat reliquum Rasciæ, atque Transyluaniam: Belogradum obsederat, & summa vi oppugnarat. Ac quamuis Vladislaus Rex per Dobrogostium Ostrorogium, & Lucam Gorcanum Polonos oratores suos postulasset ab eo, vt ab obsidione discederet, & pacem fœdusque dudum vltro expetitum secum sanciret, ille tamen ferox, amandatis Smiderouiam oratoribus, continuauit obsidionem in septimum mensem, nec nisi maxima suorum strage adactus ab ea recessit. Ac ne tunc quidem demisit spiritus: quin dimittens oratores Regis, iis demum legibus pacem se daturum respondit, si sibi reliquum Rasciæ & Belogradum (quod Nandor Albam & Albam Græcam etiam vocant) traderetur. Pollicebatur interim Regi & Vngaris Iulianus ingentia Pontificis, & quorundam Principum Christianorum ad id bellum auxilia. Adhæc autem augebantur Vngarorum spes per se ipsæ iam inde ab initio in Vladislaum erectæ, rebus ad eum diem aduersus eundem hostem prospere gestis. Nam præter id, quod Amurathes à septimestri illa Belogradi oppugnatione nulla re perfecta turpiter recedere coactus erat, Ioannes quoque Huniades Regis huius auspiciis eosdem barbaros tribus ingentibus præliis per illud ipsum tempus vicerat, & magnis cladibus affecerat: Mezitem Bassam ducem exercitus bellicosissimum cum filio interfecerat: & Sciabadinum alterum Bassam trepide fugere coegerat. Commouebat etiam Regem & Vngaros Stephani siue Georgii Despotæ Rasciæ & Albaniæ misericordia, qui paucis illis annis vtraque ditione exutus à Turcis, & filiis duobus captis, exfectis & excœcatis orbatus, Regis beneficentia in Vngaria sustentabatur. Superba denique Amurathis legatio, in illud forte consultationis tempus coniecta, quæ tributum à Rege & Vngaris exigebat, aut traditionem Belogradi contendebat, omnium animos vehementer accendebat.

Belogradum à Turcis frustra oppugnatur.

Steph. Despotes Rascia & Albania à Turcis pulsus.

Amurathis legatio superba ad Regem.

Itaque procerum animis ad bellum inclinatis, comitia Budam ad Pentecosten anni sequẽtis, qui fuit à Christo nato milleſimus quadringentesimus quadrageſimus tertius, à Rege indicuntur: ibiq; bellum vno omnium cõsensũ decernitur. Mittuntur oratores ad Fridericum Cæsarem, atq; alios Principes Christianos, & ad Cruciferos Prussicos atq; Liuonicos, nominatim in hostes Christiani nominis militiã professos, petitũ auxilia ad tam piam, ac toti Christianæ Reipublicæ salutarẽ expeditionem. Verum nihil vsquam impetratum, præter duorum annorum inducias à Cæsare Friderico. Pontifex quidem Eugenius piam crucis militiã aduersus barbaros per omnes nationes Christianas pronunciari iussit. Inde aliquantus voluntariorum militũ siue adeo promiscuę multitudinis numerus, quem duxit Iulianus legatus, cruce pro vexillo vtens, confectus est. Poloni veto non contemnenda auxilia Regi suo misere, eo qui-

Comitia Vngarorum Budæ.

Bellum contra Turcas decernitur.

dem tempore, quo magnus terræ motus Vngariam, Boheniam, & Poloniam non sine omnii afflixit, quo multa ædificia atque arces etiam quædam concussæ & disiectæ sunt. Vicesima secunda die mensis Iulii Buda castra mota sunt, trãsmissoq; apud Salsum lapidem Danubio, ad hostiles terras peruentum. Capta & incensa in Rascia & Bulgaria non pauca ignobilia oppida, & cæteræ munitiones. Vbi ad Morauam fluuium, alium ab eo, qui Morauiæ nomen dedit, ventũ est, quum didicisset Rex ab exploratoribus, in propinquo esse hostium copias, Ioannem Hunniadem cum decem millibus ex peditorum militum, in quibus & Poloni erant, contra eos misit. Qui cum intempestę noctis silentio improuiso in statiua eorum impetum fecisset, magna strage ad internecionẽ hostes profligauit. Cæsa feruntur ad triginta millia Turcarum, capta quatuor. Bulgaria deinde pleraq; omnis, partim per vim, partim per deditionem, ob linguæ & stirpis cognationem in potestatem Regis redacta. Ad fines post Macedoniæ peruentum est, vbi Carambeius propinquus Tyranni præfectus Asiæ, montes ad prohibendum transitum Christianis insederat: quumque illi ad montes appropinquarent, pridie natalis Christi impetum fecit in Regis exercitum. Neque Rex detrectauit pugnam, victosq; & fusos barbaros, duce ipso Carambeio capto, in montes compulit: & rupem, in qua statiua habebant, vsque ad vesperum summa vi frustra oppugnauit, non sine suo incommodo, ita vt ipse quoq;, licet armatus, aliquot sagittas aduerso pectore exciperet. Post hanc victoriam magnis itineribus Rex Belogradum peruenit. Ibi aliquot diebus refecto exercitu, continuato itinere Budam attigit, & nudis pedibus vrbem intrauit, signa hostium in æde D. Virginis affixit.

Turcæ ad Morauam fusi.

Legationes principum Christianorum ad Vladislaum R.

His in vniuersum orbem Christianum celeri fama vulgatis, frequentes à plerisque omnibus Principibus & Rebuspublicis, etiam à Constantinopolitano Imperatore Ioanne Palæologo legationes, tam insignem victoriam Regi gratulabantur, & ad prosequendum cœptum bellum eum cohortabantur, auxilia pollicentes. Nominatim autem Pontifex Eugenius cum Venetis, Genuensibus, & Philippo Duce Burgundiorum classem, ad prohibendum Turcis ex Asia traiectum, deferebant. At vero Poloni proceres, missis publice & priuatim legatis, vere & ipsi gratulabantur tã felices Regi suo successus: obtestabantur autem eum, vt vno illo periculo defunctus, ne rursus difficilis belli fortunam tentaret, in Poloniam veniret, ac bene merentis patriæ saluti & tranquillitati consuleret. Nam & Tartari crebris excursionibus Podoliam & Russiam infestabant, & Lithuani cum Duce suo Casimiro aduersus Boleslaum Masouium, ob occupatum (post interfectum Sigismundum Ducem Lithuanorum) Drohicinensem tractum, quem ei Rex in Vngariam proficiscens addixerat, bellum apparabant: & vero è Silesia ipsa magna belli moles conspiratione Principum existere videbatur. Illa igitur præsentia pariter & impendentia mala, vt Rex aduentu suo sedaret & auerteret, Poloni magnopere instabant. Hæc itaq; optimi Regis animum in diuersa distrahebant: hinc dulcedo degustatæ gloriæ, aut potius salutare ex profligato Christiani nominis hoste gaudium, & cohortationes maximorum Christiani orbis Principum: illinc Polonorum, quibus quantum deberet, intelligebat, preces & impendentia pericula, cogitationes eius differebant. Vicit tamen causa totiu Christiani orbis publica, instante maxime legato pontificio. Cęterum ne Polonos omnino derelicti ui habere videretur, pollicetur se in Polonia ad Penecosten futurum, ac de amplissimi Senatus sententia Rempublicam constiturum esse.

Tartari Podoliam infestant.

Deliberatio Regis.

Vnga-

omni exercitu apud Orsauã Danubiũ traiecit. Erat consilium eius, vt Callipolim ad orã Hellespõti sitã, vbi erat statio classis Italicę, recta duceret, & ibi se maritimis cum copiis cõiũgeret. Atq; eo si compẽdioso maxime itinere peruenire vellet, per fines Macedonię & Adrianopolim proficisci eũ necesse erat. Quoniã autem iter illud difficillimum, per montes transitum habet, nec muniri paucitas exercitus proficiscentis obiecta cutruum inter angustias poterat, per Bulgariam planiori & flexo in læuam itinere ad Pontum Euxinum exercitus iter habuit, nec oppugnationi vrbium & arcium intendit, vt milites quam integerrimi ad dimicationẽ essent. Ad Nicopolim, quæ metropolis Bulgariæ est, vicesimo sexto die quum peruenisset, venit ad eum Vladus siue Dracula, Palatinus Transalpinæ Valachiæ, veniam petens, quod necessarium cum Turcis fœdus superiori tempore iicisset: visaque paucitate exercitus regii, in quo vix quindecim millia equitum, pedites vero longe pauciores, & ii fere cruce signati erant, quum reditum Regi persuadere nequaquam posset, quatuor millibus suorum hominum, duce filio, exercitum eius auxit: ipse vero domum reuertens, duos equos perniciissimos, duosque iuuenes viarum peritos in aduersum belli euentum ei dedit.

Consilium Regis.

Vbi ad fines Thraciæ peruentum est proposuit Rex edictum, vt milites à Christianorum templis manus abstinerent: itemque vt Turcæ libere & secure saluis rebus suis, munitionum præsidiis decederent: eiusque edicti exempla per Turcas captiuos quoquo versus dimisit. Hinc deditæ nonnullæ munitiones: Petressum vero & Sumenum, quæ Bezechium & Sunium vocat Bonfinius, quum non dederentur, vna die summa vi expugnatæ sunt. Vbi præclarum imprimis eximiæ virtutis specimen duo Poloni equites, Iohannes Tarnouius, & Lescus Bobricius, vel Vngaricorum annalium testimonio, edidere: dum alter Sumeni portas duobus vulneribus acceptis refregit: alter Petressi murum primus ascendit. Interim Amurathem cum quadraginta (vt Vapouius scribit) centum, siue (vt Iouius) octoginta millibus Turcarum infra Callipolim paruis nauibus ex Asia traiecisse allatum est, siue conniuentibus Venetis, & Genuensibus mercede corruptis, siue quum commeatus comparãdi causa è custodia decessissent. Nec tamen hic nuncius Regem à cœpto deterruit. Decima die Nouẽbris quũ exercitus Christianus ad Varnã (quẽ Dionysiopolim dixere veteres) oppidum mox clade sua nobile futurum, quod iam in deditionem suam receperant, castra haberet, post ortum solis hostes adesse ab exploratoribus nunciatum est. Laborare ex apostemate pedis Rex cœperat: Itaque Huniades militibus prælium poscentibus exercitum instruxit, atque sic instructa acie ad duo millia passuum obuiam hostibus itum est: deinde signis defixis (quæ tamen subita tempestas in tranquillo coorta concerpsit) ad tres horas hostes expectati. Apparuerunt ii post, ab extremis collibus in dextrum cornu Christianorum inuehentes: nec eorum impetum Christiani ab ea parte, equis insuetum camelorum aspectum & odorem non ferentibus, Transalpinisque illico dissipatis, sustinuerunt: fusi fugatique per montosa vetsus Galatam ad decem fere millia passuum. Meliore vero fortuna à Rege & Huniade ab alia parte collata signa, & ad quatuor millia passuum submoti non sine cæde barbari, instabili fere genere pugnæ vtentes. Inde ad opem ferendam suis, qui reliqui in dextro cornu cum Iuliano & Francobano ægre vim barbarorum sustinebant, Rex reuertens, inde quoque hostes in fugam egit, ita vt ii dissipati Thraciam trepidatione implerent, quasi delet's iam omnibus suis copiis.

Regis edictũ.

Turcicus exercitus quantus.

Acies Christianorum instruitur.

Conflictus ad Varnam.

At Rex fuſo fugatoque iam omni equitatu Turcico, in Ianiczerorum phalangem (in qua Amurathes ipſe erat, & in quam ſe Baſſa Aſiaticus ex fuga recipiebat) temere cum paucis, iiſque Polonis maxime inuectus, quum ab Huniade, ſiue perſequente adhuc hoſtem fugatum (vt Vngari & Turcæ ipſi) ſiue fugiente cum media parte exercitus (vt Poloni prodidere) nequicquã reuocaretur, pedem referre turpe, & ſe genereque ſuo indignum eſſe duxit: neganti eius eſſe, qui bellum inferret, fugere. Itaque cum magnam inter confectos hoſtes pugnans ſtragem faceret, arque Aſiaticum Baſſam (quemadmodum Bonfinius memorat) interfeciſſet, ad extremum ſub veſperum iam equo ab Ianiczaris confoſſo periit, Princeps lõgiore vita & immortali gloria dignißimus. Nec barbari tunc equitatu deſtituti perſequi fugientes Vngaros atque Transalpinos, ac ne currus quidem & caſtra vſque ad tertium diem inuadere auſi ſunt. Nox enim pugnantes adhuc opprimens, incertam eis fecerat victoriam: & inſidias autem timebant. Tertio demum die caſtra immaniter trucidatis ægrotis & ſauciis direpta. Iulianus autem Cardinalis, & Varadienſis atque Agrienſis Epiſcopi fugientes periiſſe narrantur. Ac Cardinalis quidem ſecundum Cromerum fugiens à Tranſalpino nauiculario cum per Danubium veheretur, propter aurum, quod ſecum ferebat, occiſus, & in profluentem nudus deiectus periit. Callimachus in valle quadam à latronibus ſpoliatum, & à Gregorio Sanocio prætercurrente conſpectum, & cum exprobratione perfidiæ increpitum, periiſſe ſcribit. De Polonis duo tantum ex prælio euaſere, Iohannes Reſſouius, & Gregorius Sanocius. Cecidere autem inſignes maxime duo fratres Tarnouii, & Zauiſii. De omni exercitu, qui viginti millia pugnatorum non exceſſiſſe exiſtimatur, vix quintam partem eo prælio deſideratam eſſe, & tamen vix tertiam euaſiſſe, multo pluribus in cœno ac longa fuga abſumptis: Turcarum autem ad octoginta millia, vt vult Dlugoſſius, ſecundum Bonfinium autem ſupra triginta millia (quum fuiſſent ſexaginta) periere. De captiuis Polonis Paulus Grabouius, qui Chelmenſis Epiſcopus, Albertus Zichdinius, qui Procãcellarius regni, Iohãnes Strelcius, qui Canonicus Cracouienſis, Andreas Siennenius, Iohannes Borouinius, Petrus Lathoſinius poſtea mirabiliter euaſerunt. Duodecim vero alii nobiles adoleſcentes Poloni Adrianopoli, cum ab Amurathe ex omni captiuorum numero propter eximiam formam ſecreti, & in cubiculum tyranni deducti eſſent, in necẽ eius coniurarunt: peregiſſentque facinus præclarum, & omnibus ſeculis memorabile, ni in ipſo articulo à Bulgaro, quem vnum ſocium conſilii adhibuerant, proditi eſſent. Atque ii tamen, vbi rem palam eſſe cognouerunt, ne tyranni ſiue libidini, ſiue crudelitati eſſent obnoxii, obditis oſtio peſſulis, armati inter ſe concurrerunt, & mutuis vulneribus fortiter conciderunt. Accidit autem clades hæc anno à Chriſto nato milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto, regni vero Vladislai, in Polonia quidem vndecimo, in Vngaria vero quinto, quum is viceſimum ætatis ſuæ annum vix dum egreſſus eſſet.

Vladislai Regis interitus.

Iuliani Cardinalis mors.

Polonorum ſtrages.

Turcarum deſideratorũ numerus.

Fuit autem Vladislaus hic ſtatura procera, facie fuſca, ſed honeſta ac dignitatis plena, capillis nigris, laboris & inediæ patientiſſimus, abſtemius, iuſtitiæ & religionis cultor eximius: probitate, comitate, & clementia etiam in hoſtes ſingulari: liberalitate propemodum nimia: animi vero magnitudine tanta, vt nihil humile cogitaret, nulla difficultate ab eo, quod conſulto inſtituerat auelli ſe pateretur. Deniq; ſumma in eo fuerunt omnia, quæ maximos & optimos principes decent: Poloniæ quidem, totus in Turcicum bellum inten-

Vngaris vero ad diem S. Georgii Budam indixit comitia. Venerat huc quoque euocatus Ioannes Iſcra Bohemus, aduerſæ factionis princeps, & dux belli ſtrenuus, data ſibi à Rege fide (nam Vngari proceres poſt Reginæ mortem omnes iam in fide & poteſtate Regis erant) ibiq; pactis cum Iſcra & factione Ladislai pueri induciis, bellum in Turcas ſummo omnium ordinum conſenſu decernitur: oppidanis atq; agreſtibus pecunia in ſumptus belli, quia ærarium regium nullum erat, imperatur. Dant vltro nomina piæ militiæ Ioannes Varadienſis, & Simon Agrienſis, Epiſcopi.

Comitia Vngarorum Budæ.

Bellum in Turcas decernitur.

Peractis comitiis, Regem in Poloniam iter adornantem Vngari proceres ſummo ſtudio & contentione retinuerunt, veriti, vt à Polonis deſiderium eius non ferentibus rurſus dimitteretur. Quæ res non paruo Polonis conſtitit: nam Boleslaus Opolienſis poſteaquam cognouit, Regem Turcico bello implicatum in Poloniam venturum non eſſe, maiore confidentia mercatores Cracouienſes ad nundinas Vratislauienſes proficiſcentes diripuit: quod damnum ad ducenta millia aureorum nummũm æſtimatum eſt. Quæ res cum ad Regem in Vngaria relata eſſet, quietos eſſe iuſſit ſuos, quoad ipſe à Turcico bello reuerteretur. Dum autem bellum id comparatur, de pace à Turcis agi cœptum eſt cum Georgio Deſpote Raſciæ, & Ioanne Huniade per ſpecie redimendi Carambeii, pro quo quinquaginta millia nummũm aureorum numerata ſunt Deſpotæ. Quo vero proniorem ad pacem redderet Huniadem Deſpotes, promiſit ei cuncta, quæ exul in Vngaria partim Sigiſmundi & Alberti Imperatorum, partim Vladislai Regis munificentia nactus erat. Cupiebat autẽ Amurathes pacem propterea, quod nõ ignorabat, quanto conſenſu, & quanta mole Chriſtiani principes contra ſe bellum pararent, & ſatis iã anno ſuperiore ſolius Vladislai vires expertus fuerat. Adhæc aliud ei pergraue bellũ in Aſia à Carmanorum principe imminebat, in quod totis viribus incumbere, pace cum Vladislao facta, cogitabat. Nec Vladislaus, neque Vngari abhoneſta & gloriæ plena pace abhorrebant, ex multo tempore petere à Turcis, ac non dare ipſis pacem ſoliti: & nihil dum conſentaneum promiſſis de claſſibus & naualibus ſociis Venetis ac Genuenſibus afferebatur. Segedinũ igitur profectus Rex, non intermiſſo tamen apparatu belli, quo facilius hoſtem in ſuas conditiones perduceret, oratores Amurathis ampla dona afferentes audiuit: pacemq; petentibus, ſiue adeo inducias decem annorum dedit, his legibus, vt Amurathes certas arces, totamq; Raſciam, & eam partem Albaniæ, quæ in ditione Deſpotæ Raſciæ fuiſſet, ac duos filios Deſpotæ captiuos redderet: ad eaque implenda pauci dies conſtituti. Interim allatæ ſunt literæ à Franciſco Cardinali Veneto, præfecto claſſis pontificiæ, & aliarum ſociarum claſſium præfectis, itemque à Ioanne Palæologo Imperatore Conſtantinopolitano, quibus nunciabatur, Amurathem omnes fere copias ſuas in Aſiam ad Carmanicum bellum traduxiſſe, mareque ſociis claſſibus teneri. Maturaret Rex expeditionem: neque occaſionem tam commodam Græciæ liberandæ, & Europæ vindicandæ elabi ſibi è manibus ſineret. Pollicebantur autem ii, ſe præſtaturos, ne Turcæ ex Aſia in Europam rurſus traiicerent. Palæologus vero terreſtres etiam copias & ſocietatem belli promittere. His permotus Iulianus Cardinalis, qui pacem fruſtra dudum diſſuaſerat, tunc vero ad omiſſum bellum ſumma cura atque diligentia Regem incitare: belli præmia longe ampliora quam pacis in immenſum attollere: neceſſitate expreſſam pacem, quæ diuturna futura non eſſet, eleuare

Turcæ pacẽ poſtulant à Rege.

Inducię decem annorum Amurathi datæ.

Iulianus pacem diſſuaſit.

ac temporis causa simulatam dicere. Argumento esse, quod lapso iam tempore, tamen promissa à barbaris non implerentur. Quod si maxime nulla per eos mora in rradendo fieret, priora tamen cum Pontifice, Duce Burgundiorum, Venetis, & Genuensibus fœdera, & societatem pii belli initam magis valere oportere. Quod si qua religione Rex teneretur, ne iusiurandum barbaris datum violaret, illo se eum metu Pontificis maximi autoritate prorsus liberare.

Absolutio à iuramento.

Hæc identidem agendo & inculcando, tandem perpulit iuuenem, vt nouo sacramento se cum proceribus ad continuandum bellum Turcicum obstringeret, cedente de priore sententia etiam Huniade, Bulgarici regni promissione illecto.

Poloni improbant Regis consilium de pactis violandis.

Non placebat hoc Regis de violandis pactis consilium Polonis proceribus, qui absque eo quoque Regem illo bello tunc implicati, moleste ferebant, & pacis nuncio dudum exhilarati erant. Itaque quum primum hæc acceperunt, comitia Petricouiæ instituunt, ad vicesimum quintum diem Iulii, legationem ad Regem decernunt. Verum ille eos anteuertit, misso ad conuentum Ioanne Gruscinio Custode Cracouiensi, qui referret, Regi omnino constitutum esse Turcicum bellum persequi, iuberetque Polonos auxilio esse Boleslao Masouio aduersus Lithuanos & Casimirum, si bellum id æquis conditionibus dirimere non possent. Iam enim Casimirus ad Drohicinum castra posuerat. Habebat & Boleslaus exercitum hostili non imparem, in quo multi de Polonica Nobilitate voluntarii militabant. Nec Michael Sigismundi Ducis filius & Boleslai gener aberat, qui non parum momenti rebus soceri allaturus esse videbatur, propterea quod complures ex Lithuanico exercitu cum eo clam sentire, commissoq; prælio transituri esse ad eum dicebantur. Nec tamen Nicolaus Pouala Succamerarius Sendomirienſis, & magister militiæ Masouiticæ fortunam prælii absente Boleslao experiri volebat, intererat enim Boleslaus comitiis: atq; ibi eo petente, è sententia Regis decretum est, vt Lencicienses, Cuiauienses, ac Dobrinenses arma pro eo capessérent. Præmissi tamen ad Casimirum Vincentius Archiepiscopus Gnesnensis, & Ioannes Olesnicius Palatinus Sendomirienſis, cum pacem nequirent, inducias & controuersię totius reiectionem in aduentum Regis confecerunt. Sed mox ipsis inter se ducibus de re tota ita conuenit, vt Boleslaus Casimiro omnem illam controuersam ditionem, excepto Vengrouiensi territorio, concederet, ac duodecim millia florenorum Pragensium ab eo acciperet. Nec ad amussim tamen Casimirus ea pacta seruauit: mox enim & Vengrouiense territorium Boleslao eripuit. Legati vero, qui ad Regem designati erant, vbi de Gruscinio cognitum est, Regem iam iter ingredi, reuocati sunt. Missæ tamen publice ad Regem illa ipsa de re literæ per veredarium.

Comitia Petricouiæ instituta.

Bellum inter Lithuanos & Massouios.

Expeditio Vladislai R. contra Turcas.

At Rex post medium Septembris Segedino castra mouit; non satis alacer, nec spe optima, eo quod violari à se fœdera & iurisiurandi religionem non cogitare non poterat. Iam enim Turcæ & filios Despotæ, & munitiones promissas reddiderant: & animaduertebat, quam longe minores copias, quam pro magnitudine belli, & quam superiore expeditione duxisset, duceret. Multi enim cum ex Vngaris, tum ex aliis Christiani orbis nationibus nō occurrebāt, pacis conuentione decepti. Adhæc de Polonis, qui circa Regem fuerāt, multi, quod eorū spei liberalitas Regis minus respondebat, cōmeatu accepto discesserunt; cuius rei inuidiam Nicolaus Lasocius, qui fiscum Regis administrabat, sustinuit. Directo autem in Bulgariam itinere, tertia die Nouembris Rex cum omni

Exercitus Regis exiguus.

intentus, minorem, quam debuit, curam gessit, eiusq; regni non modo ærarium in alienā rem exhausit, sed etiam reditus profusis largitionibus extenuauit.

INTERREGNVM.

Interregnū A. Ch. 1444 & sequentibus duob.

POsteaquam in Polonia de clade Regis Vladislai incerto primum rumore, deinde & sermonibus eorum qui fuga euaserant, percrebuit, ingens mœror atque luctus mentes omnium peruasit. De Rege ipso, viueretne, an periisset, certum sciri non poterat. Missi publice in Thraciam, Græciam, & Bulgariam Johannes Ressouius, & Ægidius Suchodolius, perquisitum Regem, nihil tamen explorati retulere. Dum autem hæc ita fiunt, Poloni proceres inducias annuas cū Ducibus Opolienſib. publice pacti sunt Glogouiæ: quæ argumento sunt, orto à latrociniis mutuis initio, ne ab armis quidem temperatum esse. Conuenit autem vt captiui, vtrinque data cautione dimitterentur: Polonis cum aliquo alio bellum gerentibus, vt liceret ex Opolienſi agro commeatum petere: Duces vero illi, ne cui aduersus eos opem ferrent, neve suos homines ferre paterentur, ac ne transitum quidem præberent per ditionem suam latronibus & hostibus Polonorum: si quid iniuriæ damnive datum esset vtrinq;, de eo bini arbitri certis locis conuenirent, ac deciderent. De vniuersa autem controuersia, vt Vladislai Regis, si is reuersus esset, arbitrio staretur, si cum Polonis proceribus Duces rem non composuissent: promittebant enim ob id venturos se esse in Poloniam. Cum Vratislauienſibus quoque tertio post anno decennes inducię factæ sunt, iisdem fere conditionibus. Porro Opauienſium, Ratiborienſium, Teschinenſium, Osuiecimenſium, & Toscenſium Duces eo ipso anno Cracouiam cum venissent, pacem & concordiam cum Regibus & regno Polonorum redintegrarunt. Vnde satis euidens est, non leues offensas tunc Polonis cum vniuersa Silesia intercessisse, ex quo tempore Rex Vngaricis negociis, & Turcico bello distentus erat: quæ tamen magna ex parte sopitæ sunt, incerto adhuc rumore de morte eius.

Inducia annua Polonorum cum Ducibus Opolia.

Inducia cū Vratislauienſibus.

pax & concordia cum reliqu s Ducib. Silesia.

Cæterum vbi cognitum est, Vngaros alium sibi Regem, Ladislaum posthumum Alberti Cæsaris filium, nondum quinquennem, creasse: Poloni quoque ad vicesimam tertiam diem Aprilis insequentis anni post amissum Regē Siradiæ comitia frequentia de Rege creando habuere: atque ibi in Zbignei Cardinalis sententiā, quamuis aduersantibus nonnullis, qui expectandum adhuc censebāt, decretū factum est, vt Casimiro Vladislai Regis fratri regnū mandaretur, facile & æquo animo fratrem fratri cessurū, si is vel post aliquot annos reuerteret. Mitti igitur legati ad Casimirum in Lithuaniam, qui eum, re tota suspensa, ad alia comitia, quæ ad vicesimum quartum diem mensis Augusti indicebantur Petricouiam euocarent ad consultandum in commune, & constituendum de Republica Polona, Rege orba. Et Polonorum quidem legatos absq; certo responso Casimirus dimisit, suos vero Petricouiā ad conuentū his cū mandatis misit: Debilitatū se ęgritudine ex aduerso casu fratris, venire eo nō posse, & inopem esse consilii: præter quod immatura sibi ea de surrogādo Rege consultatio videretur: se quidem, dū adhuc incerta essent omnia, neq; regnū, neq; administratiē nē vllā susceptūrum esse. Videri autem sibi, vt ii deinceps quoq; summæ rei præessent, quos Vladislaus in Vngariā discedens vicarios & gubernatores reliquisset. Nō acquieuit in eo responso conuentus. Itaq; placuit, vt octo principes Senatus ad Casimirum mitterentur, ac differe ad regnum

Comitia Siradiæ de nouo Rege creando.

Casimirus à Polonis R ex creatur.

Comitia Petricouiæ.

Casimiri ad Polonos legatio.

Polonorū legatio ad Casimirum.

gnum suscipiendum eum vocarent: si renueret aut cunctaretur, alium sibi quæsituros esse. Neq; enim tutũ sibi esse, neq; consultũ Reipub. diutius Principe carere. Perstabat in sentẽtia Casimirus, siue quod de fratris vita nõ desperaret, siue quod Lithuani eũ ægre à se dimitterẽt, lenis ac lẽti imperii dulcedine sub Casimiro degustata, ac veriti, ne absente eo Michael Sigismundi filius dominatũ arriperet, interfectique patris pœnas à se expeteret: aut si cui alii Principatus à Casimiro mandatus esset, ne is profusas ipsius donationes in se retractaret: adhæc Luscum & Podoliam in suam ditionem redigere cupiebant. Id autem si regnum capesseret Casimirus, commode fieri non posse iudicabãt. Nec tamen Casimirus regnum penitus repudiabat.

Vbi per Lithuanos stare, quo minus Casimirus tunc regnum delatum acciperet, animaduersum est, actum est cum eis diligenter: at nil impetratum. Itaque discedebant re infecta legati, téstati, se suo functos officio, quod paternum fraternumque regnum Casimiro detulissent, deinceps aliter sibi prospecturos esse. Regina quoque Casimirum filium, vt saniore vteretur consilio, ne quicquam obsecrabat: quem vbi obstinatum vidit, à legatis impetrauit, vt referre illi de re tanta ad Lithuanorum & Russorum conuentum liceret. Ad octauum idus Ianuarii sequentis anni, qui fuit post Christum natum millesimus quadringentesimus quadragesimus sextus, eum certum responsum Polonis daturum esse. Vbi vero tempus id aduenit, frequens senatus Nobilitasque Petricouiam venit: Venerunt etiam sex legati à Casimiro & Lithuanis, differri adhuc rem postulantes. Quod ni fieret, bellum comminantes, propterea quod Casimirus armis ius suum persecuturus esset: quem tamen dicebant in principatu Lithuanorum acquiescentem, regnum non appetere. Irritati hoc responso Poloni, alium Regem sibi creare statuunt. Cæterum cum ad rem ventum est, pœnitentia nonnullorum mentes subiit, metuentium, ne graues inde motus existerent. Veniebat enim in mentem, Cruciferos orto inter Polonos & Lithuanos dissidio, minime defuturos esse occasioni vexandæ & infestandæ Poloniæ. Quare placuit rursus rem in tertium mensem differre, & interim adhuc Casimiri animum pertentare. Missi itaque ad id Præd. borius Konieczpolius Sendomirien sis, & Sciborius Sarleius Inovvladislauiensis, Castellani, qui authores comperendinandi in senatu fuerant, nihilo æquius responsum retulerunt. Ideoque ad vicesimam octauam diem Martii, quum frequens senatus Petricouiam conuenisset, cunctusque (quo sic religiosius Reipublicæ consuleret) sacris mysteriis procuratus esset, inita de Rege creando suffragia: ea tamen conditione, vt Casimiro etiam tunc acceptandi regni locus relinqueretur. Persuadebant enim sibi complures, mutaturum eum esse sententiam, vbi intelligeret, alium Regem creatum esse. Ac Episcoporum quidem sententiæ fere in Fridericum Marchionem Brandeburgensem, qui iam ante gener & successor Iagelloni Regi destinatus fuerat, inclinabant: præter Paulum Gizicium Plocensem Episcopum, qui ad alterutrum de Ducibus Masouiorum, Vladislaum vel Boleslaum regnum deferebat. Hunc secuti Ioannes Czizouius Castellanus, Ioannes Tenicinius Palatinus Cracouiensis, Lucas Gorcanus Palatinus Posnanien sis, ac maior pars senatus, & pleraque Nobilitas Boslaum Regem edebant. Itaq; ex senatusconsulto Boleslaus à Vincentio Archiepiscopo Gnesuensi Rex renunciatus, designatique quinque de primoribus oratores ad eum, si Casimirus ante Pentecosten mutatæ voluntatis significationem nullam daret.

Comitia Petricouiæ.

A Casimiro legati.

Boleslaus Masouiæ Rex à Polonis creatur.

Vbi iam Casimirum, quum de his, quę Petricouiæ acta erant, celeriter certior factus esset, pœnitere vehementer consilii sui cœpit: nec modo speratum regnum se amisisse dolebat, sed etiam de Principatu Lithuanorum, ac de vita deniq; in periculum se venturum esse: propediem augurabatur. Non ignorabat, impigrum esse Boleslaum, & sibi merito suo inimicum. Michaele vero hostem itidem suum generum eius esse, in eumq; rursus Lithuanorum & Samogitarũ studia inclinata esse, alienatis à se animis, quod moleste ferrẽt, Gastoldi arbitratu sibi imperari: & meminerat, aliquoties iam insidias à coiuratis capiti suo & ferro & veneno comparatas esse, etiam ab iis, quos intimos habuerat. Cogitabat ergo, si secundis rebus suis, septies tamen petitus, ægre insidias depulisset, quid futurum esset aduersis? Itaq; consultores suos, & ipsos per se peccatum suum agnoscentes, reprehendebat: & ad matrem secreto misit, vt erratum suum, si quo modo posset corrigeret. Nec segniter ea proceres atq; Nobilitatem pro filio prehensauit, multa largiendo, plura pollicendo. Nec difficulter minores Polonos induxit, vt conuentum apud Belzice agerent, indeque Petrum Curouium Castellanum Sandecensem ad Casimirum mitterent. Is vbi cupere eum iam regnum retulit, Regem eum Nobilitas, quæ frequens Cracouiam conuenerat, declarauit, reclamante Zbigneo, & nonnullis aliis proceribus: qui leuitatem multitudinis reprehendebant, quod, nulla propria Casimiri legatione expectata, soli sine cæteris Polonis de re tanta statuerent. Itaque reiecta res ad maiores Polonos: ad quos Ioannes Pilecius legationem sibi desumpsit.

Casimirum pœnitet non suscepti regni.

Minorũ Polonorum studia in Casimirum.

At illi, Coli conuentu acto, in Casimirum ipsi quoque rursus animos inclinant, & abrogata Boleslai electione, legationem nouam ad Casimirum decernunt, vt ad penultimum Septembris diem Parczouiæ, siue vsquam alibi in finibus Lithuaniæ inter Brestam & Parczouiam conuentum secum celebraret. Deinde & minores Poloni ad decimum octauum Calẽdas Septembris Corcini conuentum rursus egerunt, & Colense decretum approbarunt. Conueniunt ergo proceres frequentes Parczouiam ad præfixam diem. Casimirus vero frustra expectatus, & admonitus, vt veniret, negauit vllam se significationem suæ voluntatis de acceptando regno dedisse, se matris & quorundam Polonorum procerum sibi amicorum precibus adductum Brestam venisse: si quid forte Poloni secum agere vellent, illuc ad se venirent. Nimia tunc erat Polonorum patientia, & misera propemodum conditio, quod fastum hunc & ludificationem tam æquis animis ferrent. Et tamen miserunt ii sex de primoribus ad eum Brestam: qui eam conditionem legatis tulit, non aliter se susceptum regnum, nisi Podolia, Luscum, & Olescum Lithuanis redderetur. Quam quum Poloni non acciperent, & re infecta recedere pararent, insusurrarunt nonnulli Casimiro, in manu eius fore susceptο regno vt per se ipse faceret, quæ tunc aliunde postularet. Placuit Casimiro consilium, & sic eandem Colonorum desideriis assensus, ad octauum demum Calendas Iulii sequentis anni in Poloniã ad capessendum regnum venturum se esse recepit. Nec multo post Duces Ratiborien sium & Tessinen sium aduenientes Cracouiam, pacem cum Polonis fecerunt, reddita Sbigneo Episcopo Cracouien si Seueria, quam emerat à Venceslao Tessinen sium Duce sex marcarum Pragen sium millibus.

Legatio nouа Polonorum ad Casimirum.

Casimirus suscipit Regnum.

Pax cum Ducibus Ratiborien si & Tessinen si.

HISTORIÆ POLONICÆ

Liber Sextus.

CASIMIRVS TERTIVS REX.

An. Christ. 1447 Casimirus M. Dux Lit. Cracouiam venit.

ANNO igitur Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo Casimirus insigni Lithuanorum & Russorum comitatu stipatus, Cracouiam vicesima quinta Iunii venit: insequenti die rite ac solenniter coronatus est: triduo post Castellano Cracouiēsi de more coronam, Palatino sceptrum, Posnanensi vero pomum, & Sendomirien si Palatinis gladium præferentibus, in forum ad accipiendum à ciuibus iuramentum descendit. Ibi priusquam præparatum solium ascenderet, controuersia inter Episcopos & Duces Massouiorum de loco, vtri dextrum Regis latus clauderent, orta, reuertit Regem in arcem re infecta coegit. Cessere tamen postea Duces Episcopis. Accidit autem res ominosa inter solennes ceremonias: nam quum de pagis aliquot Tinecensi monasterio subiectis pecudes pignoraræ ob negatam Reginouo inusitatam procurationem siue stationem essent, mulieres rusticanæ pecudes suas secutæ, eiulatibus & lamentis non sine molestia & fremitu omnium templum impleuerunt. Monasterium quoque Mogilense, quo die Casimirus Poloniæ fines attigit, totum fortuito conflagrarat incendio. Nec sane fefellit omen: sensere enim pressuram Ecclesiæ & monasteria hoc Rege regnante. Consultatum deinde: vtrum de duobus Rex Pontificem agnosceret, Felicemne, à quo Oratores ea de re aderant: an Nicolaum quintum, qui Eugenio nuper successerat, & literas ad Regem miserat. Hunc agnoscere placuit, missique ad eum legati, qui impetrarunt Regi decem millia florenorum in subsidium contra Tartaros, quæ Ordini ecclesiastico in Polonia imperata sunt: itemque facultatem conferendi nonaginta sacerdotia, quæ cuique in prouincia Gnesnensi vacatura essent, & ad ius Romani Pontificis pertinerent, Petierant autem ii regio nomine decimam decimæ, & ius omnium sacerdotiorum in tota Polonia conferendorum, & pensionem siue denarium S. Petri: sed ea negata. Peractis ita omnibus ceremoniis, dimissisque, & extra portam honoris causa deductis Lithuanis proceribus, in maiorem Poloniam comitante matre profectus est:

Coronatur. Controuersia inter Episcopos & Duces Mass. de loco.

Legatio Casimiri Regis ad Nicolaū PP.

Rex in maiorem Poloniam profectus.

est: cumque Calissiæ esset, venit ad eum Michael Sigismundi Lithuanorum Ducis filius, supplexque & prostratus ad pedes eius, reddi sibi paternam hæreditatem petiit: nil tamen æqui impetrauit. Posnaniam vbi Rex aduenit, tota vrbs inopinato delera est incendio: quam calamitatem infelicium ciuium rapacitas regii comitatus auxit. Sed Rex in fontes supplicio capitis animaduertit. Lublinū quoque, Znena, Siradia, Bochna, & Xianzū oppida eodem anno arserunt. Comitia deinde Petricouiæ ad diem diui Bartholomæi memoriæ sacram habita: in quibus leges quasdam Rex condidit, pacē & pacta cōuenta Vladislai fratris cum Cruciferis approbauit, missisque ad eos vicissim legatis, iusiurandum secundum ea ipsa pacta ab eis exegit. Rogatus antem à Proceribus, ne quid eorum, quæ in Polonorum ditione essent, aut fuissent, Lithuanis contederet: proficiscens in Lithuaniam, vt graues & prudentes viros de Polonico Senatu secum duceret Theodorico Buczacio præfecto Podoliæ, qui arces quasdam à Lithuanis interceptas recuperarat, vt veniam daret, omnia de Lithuanorum, quos secum habebat, consilio negauit, & propere in Lithuaniam se cessit. Quo quidem facto additi sunt animi improbis & sceleratis hominibus, vt furtis & latrociniis non modo vias publicas, sed pagos etiam ac domos Nobilium, & oppida infestarent, Rege interim in Lithuania venationibus assiduis vacante, & neutiquam curante res Polonicas. Itaque impunitate creuit scientia, adeo vt quoque non pauci de Nobilitate latrociniorum societatem cum Silesiis & Vngaris inirent, præfectis regiis & Senatoribus nonnullis, si non fauentibus, certe conniuentibus. Multorum tunc mercatorum merces prope Grabouiam direptæ: multi item pagi in ora Vielunensi vastati & incensi: Bendzinum quoque oppidum dolo captum & exustum.

ior ē Poloniā profectus.

Posnaniæ incēdio deleta.

Comitia Petricouiæ.

Sequenti anno sub decursum Maii comitia cum Lithuanis Lublini habita sunt: postularuntque Lithuani, vt sibi æquo iure fœdera cum Polonis essent, vtque caputillud, quo Lithuania Poloniæ Vladislai Iagellonis diplomate adiungitur & inseritur, de fœdere tollererur: itemque, vt Podolia, Olescum, Lopatinum, & Grodlum territoria, quę præter ius sibi adempta asseuerabant, redderentur. Ad quę, vt placide Poloni responderent, neque Lithuanorum animos à se alienarent, Rex flagitauit. Re in consultationem posita respōsum à Polonis, nullam commodiorem viam ad retinendam concordiam esse, quam vt Lithuani Russique omnes Poloniæ regno atque nomine abrogato Principatu suo, censeri se deinceps velint. Quod cum illi abnuerent, tunc demum ad alia sic responsum: quod enim attinet ad fœdera, recte ea à Vladislao & Vitoldo constituta ac descripta: necesse quod querantur de fœderum iniquitate Lithuani, quibus libertatem, nobilitatem, immunitates, & multa præterea præclara essent adepti. Non licere autem Polonis quicquam de iis mutare, ne penitus ea labefacerent. Podoliam à Casimiro Magno Rege submotis Tartaris quæsitam, & Camienecia, Chocimo, Cieciuno, Bacota, Miedziuozo arcibus, & quibusdam aliis castellis munitam, à Ludouico deinde possessam, ad Iagellonem quoque vna cum regno perueuisse. Ab eo primum Melstinio, deinde Suidrigelloni fratri ad extremum Vitoldo ad tempus precario concessam esse: morte Vitoldi ad ius Polonorū rediisse, prouidēte etiā ipso Vitoldo paulo ante obitum, & sacramento præfectos adigente, vt non nisi Regi eam traderent: idque ita factum. Nam de Olcsao, Vetlis, Lopatino, Lusco, &

An. Christ. 1448. Comitia Lublini cū Lithuania.

Podoliæ iuris Polonici.

Grodlo, exstare etiam apud se diploma Sigismundi Magni Ducis Lithuanorum, testatum facientis, ea ad Poloniam pertinere: superesse etiam inter ipsos, qui hæc ita se habere meminissent. Ita tunc responsum Lithuanis, conuentusque solutus. Venerat eo Baptista Camerinensis Episcopus, legatus à Nicolao Pontifice, & auream rosam dono Regi attulerat. Nullum autem honorem ei Cracouiam venienti Academiæ proceres habuere, quod affirmarent, non Nicolaum, sed Felicem legitimum esse Pontificem, quippe qui Eugenio rite amoto à Concilio Basiliensi suffectus esset. Necdum enim de cessione Felicis innotuerat.

Legatus Pontificis ad Regem.

Rex Cracouiam redit.

Peractis comitiis Cracouiam Rex rediit, vbi paucos dies commoratus, cum legatum pontificium dimisisset, & inducias cum Silesiorum Ducibus in vnum annum extraxisset, in Russiam profectus est ad sedandos motus Moldauicos. Stephano & Elia fratribus Palatinis vita defunctis, huic quidé Romanus, illi vero Petrus filii, in dominatu successerant: ex his Petrus Ioānis Huniadis, qui Vngariam pro Ladislao Rege gubernabat, ope fretus, Romanum consobrinum Casimiri Regis eiecerat. Hunc itaque Casimirus reducere & res inter dissidentes patrueles cōponere volebat. In itinere autē certior factus, Romanū veneno sublatum esse, accelerauit iter, Russosq; Præmislienses, Leopolienses, Belzenses, Chelmenses, & Podolios arma sumere, seq; sequi iussit. Sublato enim æmulo detrectabat Petrus iusiurandū in verba Regis, quod prius per legatos obtulerat. Leopoli cū esset Rex, venit ad eū matertera Romani extincti mater, cum duocentis equitibus Valachis. Ac equites quidem, fide eorum commendata, præsenti pecunia sublenauit: materteræ vero Colomeiam concessit. Cameneciam deinde cum venisset, ingenti Podoliorum lætitia & liberalitate exceptus est: inde legatos ad Petrum Palatinum cum his mandatis misit, vt ille ad se veniret, atq; in verba sua iuraret: Michaelem vero Sigismundi Ducis filium profugum vt sibi traderet: nam is cum insidiari sibi Regem intelligeret, è Lithuania in Masouiam ad socerum, inde in Prussiam, & cum ne ibi quidem tuto esse posset, in Silesiam, ad extremum in Valachiam profugerat. Et ad præstandum quidem iusiurandum vēturum se Petrus accepta à Rege fide recepit: Michaelem vero, qui ad se confugisset, vt proderet, neque ex fide sua, neq; ex dignitate Regis fore respondit: sed iussurum se, vt de incepts finibus suis excederet. Itaque ad Tartaros is deinde se contulit. Non expectauit autem Rex Petri aduentum, sed missis ad eum quatuor legatis, qui Chocimi promissum fidelitatis iusiurandum ab eo, consiliariisque, & Nobilitate Moldauica acciperent, ipse propere in Lithuaniam (vt tempori ad comitia Nouogrodecensia adesset) se recepit. Venerat autem ad eum Tartarorum Principis legatus Camieneciam, auxilia contra Petrum Valachum pollicens: eumque Rex cum secretis mandatis dimiserat. Vix autem in Lithuaniam Rex venerat, quum Tartari in Podoliam populabundi sese diffuderunt, ferro & flamma cuncta vastantes: quos tamen Theodorus Buczacius Præfectus Podoliæ cum expedita manu angustis & impeditis in locis aliquoties adortus, non leuibus incommodis affecit, multosque captiuos liberauit. Reuertentes autem Tartari à Iurza Russo siue Lithuano ad Bratislauiam comite accepti sunt, vnde aucta vulgo suspicio, eos siue à Rege, siue à Lithuanis subornatos Podoliam vexauisse. Per hæc tempora Vincentio Archiepiscopo Gnesnēn mortuo Vladislaus Opporouius Episcopus Vladislauiensis, à maiore parte collegii in Regis gratiam suffectus est. Ei vero in Vladislauiensi episcopa Nicolaus Lasocius à Nicolao Pontifice contra Regis voluntatem, qui Ioanni Gruscinio fauebat, successor datus. Nec tamen possessionem bonorum, Rege per præfectos prohibente, adeptus est Lasocius: anno vero sequenti peste apud Camerinum extinctus liberam Gruscinio Episcopam reliquit.

Inde in Russiam it ad motus Moldauicos sedandos.

Legatos ad Moldauiæ Principem mandat.

Tartari Podoliam vastant.

Insequenti anno cum Michael Dux profugus Starodubum, Nouogrodum, Seueriam, & nonnullas alias munitiones in Russia Moscis finitima auxilio Tartarorum abstulisset, tumultuariasq; Regis copias fudisset, maiore mole Rex contra eū arma mouit: eiectoq; eo, munitiones interceptas recepit. Dum autem in Lithuania commoratur, Sophia Regina, & Sbigneus Cardinalis missis in Vngariam legatis regis nomine, pernicioſum inter Ioānem Huniadem, & Ioannem Iscram bellum, Polonis quoque propter vicinitatem (nam in Scepusiensi ora gerebatur) metuendum, pace inter eos facta, diremerunt. Decembri demum mense Rex in Poloniam ad comitia Petricouiēsia reuertit: vbi magna exorta est inter proceres de prærogatiua loci & sententiæ dicendæ cōtrouersia propter Sbigneū Episcopū, cui à duobus pōtificibus, prius Cardinali presbytero designato, Nicolaus paulo ante insignia eius honoris miserat. Nam illo in Senatū veniente, Vladislaus Archiepiscopus, ne principem locum amitteret, cum omnibus maiorū Polonorū proceribus, & qui & ipsi prærogatiuam illam ad minorem Poloniam à se trāsferti nolebāt, discessit. Maiori enim dignatione cēsetur Cardinalis quilibet, quam Episcopus, Archiepiscopus, atq; etiam Patriarcha. Rex nihilominus cum iis, qui manserant, senatum habuit, Friderici Cæsaris legationē, pro Vladislao Masouiorū Duce propinquo suo postulantem, vt Rex eum, Rauam ac Belzum secundum fratres absque liberis defunctos retineret pateretur, audiuit, & causam illam cum Vladislao in aliud tempus reiecit. Expostularunt post hæc grauiter cum Rege maiores Poloni de senatu se absentibus habito: & vt Archiepiscopus prinicpē in Senatu locum retineret, contenderunt. Verum negauit Rex id sibi in manu esse, quando sic visum fuit pontifici, autoritati eius standū esse. Ad extremum, ne quo obstaculo cō trouersia illa esset Reipnblicæ, exoratus Sbigneus Petricouia discessit, idē Archiepiscopo quoq; faciente. Liberius deinde habita sunt consilia de Republica, quibus nonnulla salutaria statuebantur: sed ea cuncta mox irrita fuere, quum Rex proceribus petentibus solenne iusiurandum (quod secundum leges regnum administraturus esset) dare, & Regum superiorum acta, constitutiones, & beneficia quæuis publice & priuatim concessa, rata habere, ne quid Lithuanis suis detraheret, recusaret.

An. Chr. 1449.

Michael Dux profugus Starodubum & alias in Russia munitiones capit.

Comitia Petricouiæ. Lis inter Cardinalē & Archiepiscop. de loco.

Friderici Imp. legatio ad Casimirum R.

Sequenti anno, nempe millesimo quadringētesimo quinquagesimo, veris initio conuentum Rex egit Cracouiæ cum minoribus Polonis, de inquirendis & cohibendis furtis ac latrociniis, quæ impunitate admodum inualuerant, etiam inter primos de Nobilitate: nominatimque Petrus Szaffrauecius vulgo magna laborabat infamia. Et placebat quidem proceribus inquisitionem haberi: sed Ioannes Tencinius Palatinus Cracouiensis, cuius magna erat apud Nobilitatem autoritas, eam rem suasit, non quod faueret furibus, sed quod agi quidquam, & statui publice cum Rege nollet aduersus vniuersæ Poloniæ consensum. Conuenerat enim inter proceres superioribus comitiis, ne pro legitimo Rege Casimirum

An. Chr. 1450.

Conuentus minorū Polonorū Cracouiæ.

rum haberent, quoad is iusiurandum, quod à se petebatur, præstitisset. Soluto conuentu, creuit magis perditorum hominum licentia, & iam Regi quoq; ipsi Szaffranecius insidias tendere dicebatur. Misit deinde Rex Petrum Odrouanzum, & Predborium, Konieczpolium cum exercitu Russorum & Podoliorum in Moldauiam, quæ nouis tunc rursus motibus agitabatur. In Valachia autem Petro Palatino è viuis sublato Bogdanus quidam, qui se nothum Alexandri Palatini filium esse præ se ferebat, dominatum apud Valachos quasi hæreditario iure secundum fratres legitimos ad se pertinentem inuasit. Supererat adhuc paruus Eliæ filius Alexander eum matre profugus, atque is reductus paulo ante fuerat iussu Regis à Ioanne Sienenio Bogdanusque eiectus. Cæterum cum Sienenius copias reduxisset, Bogdanus, qui in montana se abdiderat, facta aliquanta manu latronum, & nouas res cupientium hominum, quibus eorum, qui cum Alexandro tum quidem in consilio regio, an Moldauia omnino subigenda, atque in Russia. Sed res magnæ difficultatis visa in feroci populo, & externi dominatus impatiente, & propter Turcarum vicinitatem, qui Bulgatiam & vlteriorem Danubii ripam tenebant. Consultius visum, vt alienis viribus & alieno periculo tam potentem hostem à se arcerent. Itaque Odrouanzus Palatinus Russiæ cum Konieczpolio Castellano Sendomiriensi, Valachis ipsis petentibus ac opitulantibus reducere iterum Alexandrum iussi sunt. Atque hi tripartito agmine Moldauiam ingressi sunt: Alexander enim Moldauos, Buczacius Podolios, cæteros vero Russos Odrouanzus & Konieczpolius ducebant. Bogdanus imparem se hostiani maduertens, in nemora se se cum suis abdidit. Ac de pace cum Polonis dolos nectens per internuncios egit, impetrauitque, ea lege, vt Alexandri nomine, donec is ad decimum quintum annum peruenisset, Moldauiæ præesset, Regique septuaginta millia (quemadmodum Dlugossus scriptum reliquit) vel (vt Vapouius habet) septem millia Turcicorum aureorum, equorum certum numerum, & certos pecorum greges quotannis penderet. Pace data reuertebantur Poloni. Ibi Bogdanus circumductis suis per compendiosos calles, syluam ad Crasne pagum, qua iter habebant Poloni angusto tramite, insedit. Qua de re edocti Poloni à trasfugis & exploratoribus Burculabi seu præfecti arcis, qui summa fide partes pueri tuebatur, curtibus & impedimentis cum præsidio Moldauorum duce Burculabo & ala Podoliorum præmissis, ipsi expediti prælii fortunam æquo & iniquo loco tentare, ac honeste potius occumbere, quam turpi & fugæ simili receptu perfido hosti incruentam victoriam concedere statuunt. Cõplures tamẽ de exercitu iniussu perfectorum clam se cũ impedimentis subduxerunt. Sexta die Septembris Bogdanus cum expedito agmine apparuit: nec Poloni quamuis cõsternatis Valachis, qui cum Alexandro erant, pugnam detrectarunt: equitatu enim illi peditatu hostis pro loci opportunitate abundabat, sed eum tamen peditatũ equitatu texerat. Equestri pugna conserta, & acrius inuehentibus Polonis, hostes cedentes, & huc atque illuc dissipati peditum aciem ostendere. Nec eo sequius tamen à Polonis, quamuis iniquo genere pugnæ, dimicatum. Cadebant fortissimi quique de Polonis, qui in prima acie pugnam ciebant, & iam inclinari cœperat tota acies, cum Burculabus certior factus de prælio collo-

Rex mittit exercitum in Moldauiam.

Deliberatio Polonorum de Moldauia subigenda, & in prouincia formam redigenda.

Poloni Moldauiam ingrediuntur cũ exercitu,

collocatis in tuto curribus, cum præsidiaria illa sua manu aduenisset, Polonis animum addidit, hostium vero ferociam & exultationem repressit, territosque in figã vertit. Ita Poloni insperata & cruenta victoria potiti sunt: multos enim strenuos viros amisere, atque in his principes, Palatinum Russiæ Odrouanzũ, & Michaelem Buczacium. Pugnatum à prima luce vsq; ad vesperam est. Hostes fuga dissipatos quatriduo Burculabus in syluas cõquisiuit. Bogdanus sospes Barlotum se se recepit. Poloni licet victores, valde tamen debilitati, & maiorem ex amissis fortibus viris dolorem, quam ex profligatis hostibus lætitiam capientes satis tunc habebant domum reuerti.

Moldaui fusi fugatique.

Polonorũ victoria cruenta.

Non multo post Tartari, vbi de strage Nobilitatis Russicæ accepere, magno impetu in Podoliam atque Russiam vsque ad Grodecum oppidum populabundi excurrerunt, abactaque ingenti hominum, pecudum, & iumentorum præda, incolumes ad sua se receperunt. Inde ingens mœror atq; luctus, ac metus etiam geminato malo non modo Podolios atque Russos, verum etiã omnes Polonos afflixit, quũ nemo esset, qui, si quid mali rursus ingruisset, succurreret, Rege in Lithuania subsistente, & cõuentũ cum Lithuanis de Podolia & Lusco agente. Ne in Cracouiẽsi quidem ora quietæ res fuere per id tempus. Nam Præmislus Dux Toscensiũ coacto exercitu Seueriam Episcopi Cracouiẽsis arcem oppugnauit, reiectus vero inde cum ignominia, tractum illum omnem diuexauit. Sed eum Sbigneus Cardinalis coadunatis aliquantis copiis vltus est vsq; adeo, vt eum ad petendam pacem, & satisfaciendum de damnis datis adigeret. Ad Pentecosten demum sequẽtis anni Rex Petricouiã ad comitia venit: tribractũ rursus de Sbigneo Cardinale ipso absente: nam eum Rex, ne veniret, rogarat, sancitumq;, vt is quidẽ principem in Senatu locum obtineret, deinceps vero, ne quis cum atque legationis etiam Sedis Romanæ perpetuę honorem Rege & Senatu incõsultis peteret, aut vsurparet, Craeouiam deinde Rex veniens, conuẽtum minorũ Polonorũ legit, ad quem Lucas Gorcanus Palatinus & præfectus Louaniẽsis, Nicolaus Scora Calissiensis, & Laurentius Zaremba Siradiensis, Castellani, nomine omniũ maiorum Polonorum adfuere. Tentatum ibi rursus de purganda Polonia latrociniis: Sed inquisitionem Nobilitas pleraque abnuebat. Nec ea sane magnopere opus erat, si Rex in eo modo, quorũ publica erãt scelera, animaduertere, infame sq; latronũ receptũ munitiones Berualdũ & Velcinũ in potestatem redigere suam voluisset. Clausum est autem à Rege iter mercatoribus Polonis Vratislauiam, propter noua telonia in Silesia instituta, interdictumq; externis mercatoribus Cracouiæ, & aliorũ oppidorũ domiciliis, eo quod Polonis victus quærendi rationes præriperẽt. Cum Boleslao vero Opoliensium Duce rursus prorogatæ inducię. Cęterum Rex, cũ iusurandã solenne posceretur, obtinuit, vt ea res suspenderetur tantisper, donec cõmunis cum Lithuanis cõuentus ageretur. Atque ita Parezouiã ad penultimã diem Augusti inductus. Impetrauit etiã habito denuo ad Korczinum minorum Polonorũ conuentu, vt seni grossi in mansum pro necessariis vsibus Reipublicæ cõferrẽtur: eiusq; pecuniæ quæstores ac dispensatores Cracouiensis & Sendomiriẽsis Palatini cõstituti. Ibi Sbigneus Episcopus arrepta occasione grauiter Regem redarguit, cum de aliis quibusdã excessibus, tũ de Michaelis Sigismũdi Ducis filii iniuria, & indigna supplicis repulsa: ob quæ minus prospere ei caderent omnia. Cumq; eum de sentẽtia non dimoueret, Deũ testatus est, eum reum fore omnium, quęcunq; hominibus

An. Ch. 1452.

Comitia Petricouiæ.

Conuentus minorum Polonorum Cracouiæ.

Conuentus Parezouiæ cum Lithuanis. Post. Regini.

nibus ac ditionibus ipsius aduersa euētura essent. In Russiam inde per Sēdomiriam. Rex iter habuit. Samborię cum esset, Rex in Russiam concedit, legatio Sophiæ Reginæ & procerum Polonorū eum consecuta est, rogans & admonens, ne Luscum à Polonia alienari pateretur. Nā Suidrigello, qui id obtinebat, grauiter ægrotabat. Idē contendebāt, qui prēsentes in regio comitatu erant, Rex ad comitia Parczouiensia integram eam rē reseruauit: & cupere se quidem Luscum Polonis adiungere, affirmauit, sed prouidendum etiā atq; etiam, ne Lithuani ea re alienarentur. Venit etiam eo Maria Eliæ defuncti Palatini Valachorū vxor cum Alexādro filio, Regis opem aduersus Bogdanū implorāt. Reiecta res ad comitia proxima. Interim eos, & munitiones, quas retinebant in Moldauia, Andreas Odrouanzus præfectus Leopoliēsis defendere iussus. Comitia deinde Parczouiæ habita, ad quæ Lithuani nō veniebant, nisi fides publica à Polonis ipsis daretur. Verum ea negata, ne quid fœderibus derogaretur. Tandem Rex obuiam eis egressus Lomasos vsq; secum eos adduxit. Eadem autem, quæ prius, Lithuanorum postulata in eo conuentu fuerunt, cum de Podolia, Lusco, & cæteris eiusdē oræ munitionibus, tum de corrigendis fœderibus, quod ea se insciis non sine contumelia sua, & obnoxiæ seruitutis testificatione conscripta dicerent. Itaque in eādē quoq; sententiā eis à Sbigneo Cardinale vniuersę Polonię nomine respōsum, refutatumq; euidentissime illud, quod illi se insciis fœdera cōscripta esse asseuerabant. Nam & Matthias Vilnensis Episcopus, & alii proceres Lithuani negare nō poterāt, se ea posterius approbasse, & iureiurādo confirmasse, simulq; de Podolia, & cæteris, quæ sibi vēdicabāt, professos esse, ad Polonorū ius ea pertinere. Sumerēt tamē iis de rebus, quos vellēt, siue iudices, siue arbitros, vel Regem denique ipsum communem Principem, ne quam querēdi ansam, neu quod dissidii fomentum relictum haberent. Verum illi ne hanc quidem cōditionem acceperunt. Ne vero irritaris animis discederetur, placuit in annum integram rem differri ad alia eodē in loco habenda comitia.

Comitia Parczouia.

Rex in Lithuaniā so confert.

Conuentu soluto, Rex in Lithuaniam aduenationes se contulit, rerum Valachicarum cura Ioanni Czizouio Cracouiensi, Petro Szamotulio Posnanienſi, & Predborio Konieczpolio Sendomirienſi, Castellanis, mandata. Polonicis vero quasi derelictui habitis, nil motus recenti complurium Nobilium Vielunēsium cæde à quodam prædone Silesio in conflictu quodam patrata. Tametsi potuit Rex habere nonnullam excusationem, pestis declinationem, quę grauiter eo anno maiorem Poloniam afflixit: minor enim fere immunis ab ea fuit, licet magnus esset vndiq; Cracouiam hominū cōuersus Iubilęi graria, quem Nicolaus quintus Pontifex ad spacium vnius anni post peractū Romanū, Cracouiæ, Gnesnæ, Leopoli, & Vilnæ concesserat ea lege, vt quisq; dimidiū eius, quod in itinere Romam versus impēsurus videretur, in gazophylacium publice ad id paratā imponeret. Ex ea vero pecunia vt dimidium Regi in sumptus belli contra Tartaros gerēdi cederet: de reliquo dimidio dimidiū Regina in dotē egentium puellarum auferret: reliquum vero Pōtifici pro iustaurandis Romæ templis mitteretur. Cęterū cum grauis esset vulgo ea ęstimatio, ad trietem redacta. A illi, qui ad cōponendas res Moldauicas designati erant, dum moliuntur, interea Bogdanus à Petro Alexandri senioris notho filio (qui & ipse sibi ius in dominatu Moldauiæ vendicabat, ac fœdus & societatem cum Alexandro iniuerat) ebrius dolo interfectus est. Nec multo post, ipsum quoque Alexaudrum idem

idem ille Petrus rupto fœdere de medio tollere conatus est, fecisset que adeo, ni se ille subduxisset. Reuersus autem cum præsidio Polonorum Alexander, nil tamen per hybernum tempus anni, & quod Petrus in interiora secesserat, agere potuit.

Anni sequentis millesimi quadringentesimi quinquagesimi secundi mense Februario Suidrigello Dux moriens Luscum Lithuanis ad hoc turmatim accurrentibus tradi mandauit, immemor & illorum maleficii, & Polonorum beneficii: cum illorum opera arcem illam atque ditionem amisisset, horum vero beneficio recuperasset, ac iureiurando se & præfectos suos, Nobilitatemque omnem obstrinxisset, mortuo se non nisi Polonis parituros. Eo eodem fere tempore Michael Sigismundi Ducis filius apud Moscos exulans, veneno opera Lithuanorum procerum, vt creditum est vulgo, extinctus est. Vtriusque corpus Vilnam relatum, honorifice à Rege sepultum est. Magni inde motus in Polonia extiterunt, fremebantque vulgo in Regem, tum ob Luscum conniuente atque adeo assentiente Rege (vt vulgi opinio fuit) interuersum, tum ob Episcopam Præmiliensem (obierat enim paulo ante Episcopus illius Petrus Chranstouius) Nicolao Blascouicio homini externo, nempe Silesio delatam: habitaque sunt nonnulla eas ob res à minoribus Polonis & Russis conuenticula. Inde Ioannes Olesnicius Palatinus Sendomirienſis, & Albertus Michouius Castellanus Zauichostensis publice ad Regem de Lusco, de Præmiſlienſi Episcopa, ac de iureiurando exigendo allegati, ex itinere reuocati sunt, cum Castellanus Cracouiensis Rege volente & iubente, Luscum interceptum esse affirmasset, ne contemptui esset illa legatio: decretumque, vt minores Poloni ac Russi Vladimiriam à Lithuanis nuper exustam reficerent, præsidioque firmarent, & Luscum, quocunque modo possent, potestatis suæ efficerent. Sed irritum tamen decretum id fuit metu offensæ regiæ: & quod negliguntur fere, quæ à multis pariter, ac non vno aliquo curanda suscipiuntur. Præceptum est autem Thesaurario, & salinarum præfecto, ne qua arma Luscum, quamuis mandante Rege, mitterent. Hæc vbi Regi nunciata, grauiter in Sbigneum Cardinalem, & Palatinos Cracouienſem atque Sendomirienſem exarsit, ac assentatoribus nonnullis incitantibus questum de iis ad maiorum Polonorum conuentum misit, quasi illi regnum sibi abrogarent, ac reditibus Polonicis interdicerent: petiuitque, vt Sendomiriam ad Pentecosten vindicandæ contumeliæ suæ causa ad se venirent. Venere eo Ioannes Vladislauienſis Episcopus, Lucas Gorcanus Posnanienſis, Nicolaus Sarleius Brestenſis, & Boguslaus Inouladislauienſis, Palatini: ac de minoribus Polonis aliquot nominatim euocati. Venerant & alii quidam non vocati nominatim: sed ii, quod fauere Sbigneo, in quem maxime Regis ira efferbuerat, visi, à consilio excludebantur. Nec tamen Rex voti compos factus est, quum omnibus constaret, illos, quos Rex accusabat, immerito ac falso delatos. Vbi Cracouiam venit, venere & Senatores illi, quos accusabat, quadam die in consilium, & grauiter cum Rege expostularunt, quod assentatoribus aures accommodaret, vt se pro hostibus traduceret, atque infamiæ notam sibi studeret inurere: paratos se purgare omni ratione de iis, quæ obiicerentur. De corrigenda quidem inutili ac praua regni administratione se pro officio suo egisse, & consilium captasse, nēcessarium magis, quam vtile Reipublicæ. Si quid secus

Ann. Chr. 1452. Suidrigelli Ducis mors.

Michael Dux moritur.

Minorum Polonorum conuenticula.

Legati procerum Polon. ad Regem.

Expostulatio Senatorum cum Rege.

„ secus fiat, quam Rex vellet, penes ipsum eius rei culpam esse, qui nec ip-
„ se errata sua multa magnaque corrigeret, neque salutaribus monitis
„ obsecundaret: ocio, venationibus, epulisque vacantem eum assiduo,
„ neque causas afflictorum hominum cognoscere, neque de quiete ac
„ tranquillitate publica, cum à barbaris hostibus, tum à latronibus præ-
„ standa consilia inire: superiorum Regum acta, constitutiones, & præ-
„ rogatiuas suas cuique ordini benigne datas, non modo non approbas-
„ se adhuc toto quinquennio, sed labefactare etiam per summam mul-
„ torum iniuriam: creberrimis & grauissimis subuectionibus miseros op-
„ pidanos & agrestes ad inopiam redigere: ab ecclesiasticis & monasticis
„ hominibus inusitatas pensiones siue stationes, & alimenta equorum
„ exigere: nuper adeo externo homini, suis longe dignioribus præteritis,
„ Præmislienſem Episcopam destinasse: Lithuanis totum sese dedere, Po-
„ lonis neglectis: illos solos in cubiculum, & in familiarem vitæ consue-
„ tudinem admittere: cum illis seria iocosque miscere: in illorum vsus at-
„ que amplitudinem Polonicum ærarium redituſque exhaurire: illis de-
„ nique Luscum & Podoliam à Polonorum iure abstrahenda permittere,
„ atque adeo fauorem, opemque suam ad id impertiri. His de rebus ple-
„ risque crebro eum à se & priuatim & publice admonitum, dicebat Sbig-
„ neus, qui pro omnibus verba faciebat, nec tamen correxisse excessus.
„ Itaque abstinere deinceps se velle consilio regio, ne eius errata appro-
„ re videretur: sed nihilo tamen magis ecclesiarum, monasteriorum, pu-
„ pillorum, & viduarum causis vel cum periculo vitæ suæ defuturum.
Subiecerunt Cracouienſis & Sendomirienſis Palatini, eandem suam es-
se sententiam. Et cum dicto omnes senatu excesserunt, cæteris Sena-
toribus, qui aderant, tacite eorum sententiam fere approbantibus, sed
Rege irritato mutire non ausis. Venerant ad Regem nonnulli Duces
vicini: aderant & aliorum legationes; quibus pudebat Regem dare au-
dientiam, primoribus Senatus in consilium non venientibus. Itaque
actum cum his, & vtrinque vt omnia integra ad proxima comitia, quæ
Siradiam ad vigesimam quartam diem mensis Augusti indicebantur,
reseruarentur. Ita illis delinitis, auditæ & dimissæ legationes. Non
Tartarorũ in Podoliã excursio. multo post Tartari improuisa in Podoliam excursione facta, eo quod
stationes & excubiæ à Buczacio prætermissæ erant, permagnam prædam
abegerunt, & Rouum Castellum; quod postea Regina Bona instaura-
uit, & Barum appellauit, ceperunt. Rex in maiorem Poloniam, & in-
Conuentus Regis cum Cruciferis, Boleslaus Sil. Dux Po lonis bel. lum indicit. de Niessouiam profectus, Ludouicum Erlichshausium Magistrum cum
primoribus Cruciferorum ad se venientem magnifice accepit, vicissim-
que ab ipso Toruniam inuitatus est. Interea Boleslaus Dux Opolien-
sium non tam absentia Regis, quam mutua eius cum proceribus offen-
sione ac dissidio fretus, valida militum manu è Bohemis, Morauis, &
Silesiis conducta, bellum Poloniæ indixit: Seuerienſem & Vielunen-
sem tractum miserum in modum vastauit. Id vbi Rex cognouit, su-
mere arma Polonos iussit, sed nemo obtemperauit. Itaque ipse qui-
dem Siradiam ad comitia contendit: aulicum vero comitatum, ne ta-
men negligere prorsus res Polonicas videretur, ad coercendam vim ho-
stium in oram Vielunenſem misit: sed ea manus nulla re memorabili
patrata,

patrata, nonnullis peste, quæ in Silesia & finitima Polonia tunc grassabatur, absumptis, ad Regem rediit. Et commodum Boleslaus de pace misit. Igitur
Inducĩæ cũ Silesiis factæ. factæ inducĩæ cum Silesiis, cum eo rursus inducĩæ vnius anni, interim vt
de pace accuratius agitaretur. In comitiis vero eadem, quæ pridem,
Comitia Stradiæ. cantilena à Lithuanorum internunciis superbe, & non sine minis re-
petita. Ei modeste à Polonis responsum: cum Rege de iureiurando
& confirmatione importunius actum. Itaque is in angustum reda-
ctus, cum octo primoribus Consiliatiis secretum consilium habuit:
& cum asseueraret, non posse tunc se sine capitis sui periculo ac defe-
ctione Lithuanorum postulatis Polonorum satisfacere, vnum annum
impetrauit, vt interea Luscum, & primarias Lithuaniæ munitiones in
potestatem suam redigeret, thesaurumque Lithuanicum in Poloniam
transferret. Atque, vt hæc rata fierent, syngrapha siue diploma, quod
de eare fidem faceret, ab eo exactum, & Regis, ac omnium illorum signis
munitum, Archiepiscopo asseruandum concreditum est. Atque ita con-
uentus ille solutus.

Tartari Russiam vastant. Sub illud vero tempus Tartari iterum in Podoliam populabundi
vsque ad Leopolim excurrerunt; & cum se recedere simulassent, re-
uersi quater, eos, qui è latebris ad messem prodierant, circumuentos
in miseram seruitutem abduxerunt. Quocirca Rex Ioannem Czizo-
uium Castellanum, & Ioannem Teucinium Palatinum, Cracouienſes
in Russiam ad reprimendam cum Russis ac Valachis efferatam barbaro-
rum rabiem proficisci iussit: ipse vero in Lithuaniam, quamuis dira
peste laborantem, venationum gratia digressus est. Sed cum Poloni
sese comparant, Tartari magna præda locupletati discessere. Com-
pertum est autem, à Lithuanis eos immissos fuisse. Mox enim ii Rad-
ziuilum Hosticouitium amplis cum muneribus ad barbaros remune-
randos miserunt. Sed cum is forte in id tempus, quo Sadachmetes
Tartarorũ ciuile bellũ. Tartarorum Dux cum suis è Podolia reuersus, ab Ecigere Duce Tau-
ricano profligatus, incidisset, excussus exutusque à victoribus, nudus
dimissus est: Sadachmetes vero fugiens cum nouem filiis, & familia-
ribus siue purpuratis in Lithuaniam, tanquam ad amicos sese recepit.
Verum eum spes fefellit. Nam captus à Lithuanis, & cum paulo post
Kiouiam fugisset, è fuga retractus, Caunæ in custodia ad mortem vs-
que asseruatus est, vt ea re hostem eius Ecigerem in amicitia contine-
rent. Neque Cracouienſis ora à belli cladibus tunc immunis fuit. Et-
enim Præmislus Toscenſium, & Ioannes Osuiecimenſium Duces coa-
ctis nongentis mercenariis militibus equestribus ac pedestribus, finiti-
Silesii Duces Poloniã vastant. mam sibi Poloniæ oram impune populando longe lateque peruagati
sunt, nacti occasionem commodam, quod sine vllo præsidio tunc ea
loca essent, proceribus cum Nobilitate ob sæuientem Cracouiæ & cir-
cumquaque pestem partim dilapsis, partim extinctis. Causa vero bel-
li fuit, bellum aliud inter Petrum Szaffranecium & Vlodicum Scrin-
nium de Beruualdo gestum: cuius incommoda vt à finibus suis Duces
illi propellerent, duo millia florenorum Szaffranecio promiserant. Itaq;
Szaffranecius cum sua causa id bellum motum intelligeret, è Male sso castel-
lo de illis capto, & Bendzino ditiones eorum cum centum equitibus to-

tidemque peditibus viciſſim infeſtauit, vſque adeo, vt homines tributo pacem vulgo redimere cogeret. Et iam Duces etiam ipſos tædium eius belli ceperat, propterea quod ſtipendiis exhauſti erant. Quamobrem pacem à Szaffranecio petiuerunt, & impetrarunt his legibus, vt profiterentur, iniuſte ſe Poloniæ bellum intuliſſe, captiuos dimitterent, ac ſupra duo millia prius promiſſa, octingentos florenos ipſi ſoluerent. Ille vero Maleſſum eis viciſſim redderet. Atque hæc quidem priuata Ducum illorum cum Szaffranecio pacta conuenta fuerunt. Cum Præmislo vero Toſcenſi inducię in ſex menſes publice factæ propter hyberni cæli, quo hæc gerebantur, inclementiam. Nec tamen is fidem ſeruauit: nam mercatores Cracouienſes Vratislauia cum mercibus reuertentes modico temporis ſpacio interiecto diripuit. Nec multo poſt miſſi ad Ladislaum in Bohemiam à Casimiro Rege Polonorum legati, Nicolaus Sarleius Palatinus Breſtenſis, ac Derslaus Rithuianius præfectus Seudomirienſis, Eliſabetham eius ſororem petitum in matrimonium, optatum reſponſum retulerunt. Nec tamen pacta ſponſalia tunc confecta ſunt, ſed reiectum id Wratislauiam, quo Ladislaus è Bohemia ſeſe venturum promittebat.

Pactaq; Szaffranecii cũ Sileſiis.

Legatio Casimiri R. ad Ladislaum Vng. Regẽ.

Ann. Chr. 1453. Tartarorũ excurſio in Ruſſiam.

Anni milleſimi quadringẽteſimi quinquageſimi tertii initio pauci Tartari improniſo in Lucenſem & Oleſcenſem oram excurſionem fecerunt, & ad nouem millia captiuorum, ingentemque aliam prædam abduxerunt: iidemque iterum ad Paſcha aucti numero, Trebouulienſem agrum depopulati ſunt. Hos inſecuti Ioannes Lasczius Zincouienſis, Ioannes Niemeczius Latiſſouienſis, & Matthias Miedzibozenſis præfecti, noctu in ſecuros ac ſopitos, perpauci in longe plures impetum fecerunt, & magna ſtrage eos profligarunt, prædamque omnem excuſſerunt. Trecenti cum è nocturno illo tumultu euaſiſſent, & paucitate Polonorum animaduerſa ſe recollegiſſent, poſtero die denuo cum Polonis manus conſeruere, ſed ii quoque non reſumptis prorſus extrepidatione nocturna ſuorumque ſtragę animis, paruo negotio fuſi. Reliquias fuga diſſipatas Bratislauienſes exceperunt, eaſque partim trucidarunt, partim captiuas Regi miſerunt, ita vtne vnus quidem euaſiſſe exiſtimetur. Sub hoc ipſum tempus Alexander Palatinus Moldauorum, cum paternum dominatum adiuuantibus Polonis recuperaſſet, in fide Regis atq; Polonorum ſemper ſe fore iureiurando coram legatis regiis dato, & literis conſignatis, vna cum proceribus ſuis profeſſus eſt, & ſocietatem belli totis viribus contra Tartaros & alios quoslibet hoſtes promiſit. Menſe Iunio Rex ad Parczouiam Polonorum ſimul & Lithuanorum comitia habuit: verum ad ea Lithuani proceres non adfuerunt, inſidias quaſdam prærendentes: legationem modo miſere, quæ vſitatam illam de corrigendis fœderibus, reddendaq; Podolia & Volynia cantilenam occineret. Proferebant Poloni diplomata Iagellonis, Vitoldi, & Suidrigellonis: & ſuis ipſorum argumentis Lithuanos refellebant, quod ii dicerent, oppignoratam Vitoldo à Iagellone Rege Volyniam & Podoliam quadraginta millibus aureorum fuiſſe. Vel inde enim liquido conſtare eas terras, Polonici iuris eſſe, & mortuo Vitoldo, vna cum pecunia in ditionem Iagellonis legitima ſucceſione recidiſſe. Ad extremum ferebant eis arbitros, ſiue Regem, ſiue Pontificem, ſeu quem alium Principem vellent. Tartarorum Principem illi nominabant: quod cum indecorum atque etiam ridiculum eſſet, ita dimiſſa legatio, vt intelligerent

Tartari à Ruſſis caſi.

Alexander Moldauię Princeps Regi Caſimiro.

Comitia Parczouię.

Lithuanorum legatio.

Poſtulata Lithuanorum refellũtur.

ligerent Lithuani, Polonos iuri ſuo nequaquam defuturos. Tentatum eſt autem à Rege & nonnullis conſiliariis, vt in aliud tempus res tota adhuc reiiceretur, ſed negarunt Poloni. Deinde auditæ legationes Vladislai & Boleslai Maſouiorum Ducum, qui querebantur, Tikocinum & Gonianzum oppida à Lithuanis ſibi eſſe intercepta. Quibus cum Rex inconſulto Senatu durius & non ſine comminatione reſpondiſſet, grauiter, à Sbigneo Cardinale obiurgatus eſt, non eſſe regium aſperioribus dictis aut factis quenquam lædere: interapes quoque Regem aculeo carere. Maſouios Duces humanius accipi oportuiſſe, quippe qui ſocii & conſanguinei Polonorum, & propinqui Regis ipſius eſſent. Adhæc cauſam illam ad vniuerſam Poloniam pertinere: non paſſuram eam, ſociis, atque adeo ſibi iniuriam illam fieri. Approbarunt Sbignei dicta cæteri Senatores, & gratias ei egerunt: itaque moderatior Rex poſthac in legatos fuit. De iureiurando deinde & confirmandis actis ſuperiorum Regum ac Principum cum eo idem Sbigneus publice omnium nomine egit. Admonuit Regem contemptus Lithuanici, eum quod vocati ab eo ad comitia non venirent, tum quod alioqui etiam imperium eius non magnifacerent, & omnia arbitratu ſuo agerent. Admonuit & periculorum ac inſidiarum, quibus ab eis idem appetitus eſſet. Contra Polonorum fidem, ſtudia, obedientiam, atque etiam nimiam pene patientiam exaggerauit: petiuitque, vt his viciſſim quam illis propenſiorem Rex ſeſe exhiberet: his quam illis fidelioribus ac beneuolentioribus conſultoribus vteretur: illorum contumaciam his adiutoribus retunderet. Neque defectionem eorum ſe vigentibus ac incolumibus reformidaret, aut certe non impunitam ſperaret. Se volentes lubentesque ipſi dicto audientes eſſe, etiamſi fortuna vultum verteret, ſe nil de ſuis erga ipſum ſtudiis mutaturos. Illos, qui ſecundis ipſius rebus tam infidi eſſent, quales futuros ſperaret reflante fortuna? In hanc ferme ſententiam cæteri quoque omnes multa dixere. Audiit hæc Rex ſubtriſtis demiſſo capite, & crebra eximo pectore trahens ſuſpiria. Hæc ita quidem Dlugoſſus de Parczouienſibus comitiis memoriæ prodidit: idemque Ioannem Oſuiecimenſium Ducem ſuperioti anno neceſſitate adductum, cum arx Oſuiecimenſis à Polonis oppugnaretur, Cracouiæ cum proceribus tranſactione facta, arcem certis conditionibus dedidiſſe memorat.

Caſimirus Rex à Sbigneo & Senatu obiurgatur.

Ab eodem admonetur de iureiurando & aliis.

Parczouia Petricouiam ad alia comitia circa natalem diui Ioannis Baptiſtæ indicta fuit. Ibi prolata ab Archiepiſcopo Regis promiſſio diplomate conſignata, poſtulatumque à Rege, vt ei promiſſioni tandem ſatisfaceret. Sumpta ad deliberandum die, reſpondit ſic: Non licere ſibi aduerſum priorii iureiurando, quod Lithuanis dediſſet, iuſiurandum dare: daturum tamen, ſed vti Regem modo Polonorum, non etiam, vti Lithuanorum Principem. Captioſum, ſicuti reuera erat, id iuſiurandum viſum. Itaque inſtare proceres vna cum Sophia Regina Regis matre, vt captione illa Rex abſtineret, & commendato cuipiam Lithuanorum Principatu, Polonam Rempublicam per ſe ipſe diligentius adminiſtraret: Lithuanos à ſuo contubernio amoueret: quatuor de primoribus Senatorum Polonorum publice deſignandos ſemper in conſilium adhiberet, ac de illorum ſententia cuncta ageret, ac decerneret: quæ vero præter ſententiam ipſorum acta vel decreta forent, vt irrita eſſent: ſtationes & ſubuectiones vti moderatius & more antiquo exigeret. Ni hæc faceret, diutius non expecta-

Comitia Petricouia.

Polonorum procerum poſtulata à Rege.

» turos, quin sibi reique suæ publicæ aliter prospicerent, dictisque facta ad-
» iecerunt, ac data & accepta fide mutuo sese obstrinxerunt, neutiquam de-
» futuros pattiæ. His tandem tam importunis postulatis atque etiam minis
Rex iuramentum præstat Polonis. motus Casimirus, iusiurandum, quale petebatur, dedit. Quo facto, proce-
res cætera postulata remiserunt, siue adeo in aliud tempus reiecerunt, veri-
ti, ne ægrum Regis animum exacerbarent, simul sperantes, eum tempore
sanatum iri. Premislo Toscensi, itemque Opolien sibus Ducibus, è senatus-
consulto induciæ in biennium concessæ sunt. In nonum vsque diem tunc
Comitia nouem dierũ. durauere comitia: quod quidem velut nouum & inusitatum Dlugossus
memorat. Rex Petricouia discedens, paucosq; dies Cracouiæ cõmoratus,
in Lithuaniam migrauit. Ratus autem Ioannes Dux Osuiecimensium, ab-
sente Rege oblatam sibi occasionem recuperandi arcem Osuiecimensem,
quam tunc ab eo traditam Ioannes Kuropatua regio nomine tenebat,
manu subitaria eam adortus est: sed repulsus à Polonis cum ignominia,
ruinas vetustæ arcis, cui Volco nomen, refecit, indeque latrocinio vexare
Poloniam cœpit. Quare exciti Poloni proceres, aulicos Regis atque suos
comitatus duce Ioanne Teucinio Palatino Cracouiensi ad obsidendam
eam arcem miserunt: & facile ea per vim potiti fuissent, nisi nobilium iu-
uenum, qui voluntarij ad eam militiam concurrerant, ne quid in oppugna-
tione aduersi paterentur, ratio ducta esset. Interea pax data Ioanni peteti
ea conditione, vt accepto certo precio, de quo tunc conuenit, omni pror-
sus ditione Osuiecimensi Regi Polonisq; cederet. Sic tandẽ Osuiecimensis
Osuiecimẽ. Ducatus ad Polon redit. An. Christi. 1454. regio longo quasi postliminio in ditionẽ Polonorũ rediit: Nobilitasq; om-
nis eius oræ sequẽtis anni 1454. initio soleni iureiurando fidẽ suã Regi & re-
gno obstrinxit. Quanquã ne postea quidẽ quieuit Ioan. donec repetitis idẽ-
tidẽ pactis, auctoq; precio post tertiũ annũ ius omne suum Regi concessit.

Circa hæc tempora maiores in Prussia motus à Nobilitate & Ciuitatibus
Motus in Prussia. contra Cruciferos extiterunt; qui magnitudine iniuriarum & contumelia-
rum permoti, conspiratione inter se facta, pleraque omnes munitiones &
oppida sex & quinquaginta in potestatem suam, eiectis Cruciferis, redege-
runt: missaque ad Regem splendida legatione, ea omnia, seque & omnem
Prussiam, Pomeraniam citeriorem, vulgo Pomerellam, Culmensem, & Mi-
Prutenorũ legatio ad Casimirũ Regem. chalouiensem terram ei dedebant. Sendomiræ ea legatio Regem è Lithua-
nia reuertentem offendit: sed Cracouiæ Februario mense adesse iussa. Nã
Rex ad nuptias in illud tempus constitutas festinabat; quo etiam frequens
Senatus (quo inconsulto nil de re tanta statuere poterat) conuenturus erat.
Nona die Februarii noua nupta Elisabetha Alberti Cæsaris filia Cracouiam
Elisabetha Austriaca noua nupta Casim. R. Cracouiam venit. lectissimo comitatu aduenit, à Rege ipso vna cum matre obuiam, ei profe-
cto deducta. Dos ei centum millium aureorum nummũm promissa, ea cõ-
ditione, vt penes Regem ea remaneret, etiamsi illa sine liberis decessis-
set: nec tamen ea numerata est. Rex vero ei loco muneris nuptia-
lis prouentus annuos quinque millium marcarum in salinis Bochnensibus
& Vielicien sibus constituit. Postridie contentio inter Archiepiscopum &
Contentio inter Cardinalem & Archiepiscopum de nuptiali ceremonia. Sbigneum Cardinalem fuit de nuptiali ceremonia, vter eius administer es-
set: quod ille Archiepiscopus & Primas, hic Cardinalis & Cracouiensis E-
piscopus, vbi hæc agebantur, esset. Re diu agitata, conuenit tandem, vt Ioã-
ni Capistrano eum honorem deferrent: sed cum is neq; Germanicã, neq;
Polonicam linguam calleret, Sbigneus Cardinalis vtriusque linguæ peri-

tus

tus cedente Archiepiscopo id peregit: Archiepiscopus vero sacris operatus
nouam Reginam inunxit, ac diademate cinxit. Erat autem Capistranus hic
Italus non ignobilis, de sodalitio Franciscanorum, qui se Bernhardinos ap-
pellant, doctrina & sanctimonia vitæ pollens, qui susceperat peregrinatio-
nem Bohemorum maxime ad Romanam religionem reducendorum gra-
tia: & quum ea in re non multum apud Bohemos profecisset, à Sbigneo
Cardinali accitus, anno superiori Cracouiam, effusa ei obuiam omni pene
ciuitate cum saacerdotibus & Episcopo, atque ipso etiam Rege & Regina,
aduenerat: & posita in foro ac deinde hyberno tempore in æde diuæ virgi-
nis cathedra, quotidie per interpretem ad populum conciones habebat, &
multos ægrotos diuina virtute, vt opinio erat, sanabat, autorq; fuit Sbigneo,
vt cœnobium omnium primum in Polonia suis sodalibus sub arce ad Au-
stralem portam vrbis conderet.

Posthæc Prutenorum legati, quorum princeps erat Ioannes Baisenus, in
Prutenorũ querela de Cruciferis. Senatum introducti, facta audientia prolixe exposuerunt, qua improbitate
& quibus artib. Cruciferi Pomeraniæ citerioris & Michalouiensem tractũ
olim Polonis interuertissent; qua crudelitate in Dobrinum, Cuiauiam, Ma-
souiam, cæteramq; Poloniam ferro & igni debacchati, in solitudinem fere »
eas oras redegissent: quam infidam incertamque pacem cum Polonis co- »
lerent, semperque coluissent: deinde quam crudeli, contumelioso, & im- »
potenti dominatu in se vsi essent: commemorabant eorum rapinas, stupra, »
ac libidines in vxores liberosque suos è complexibus parentum ac marito- »
rum abstractos. Quod si qui contra mutire ausi, in eos verbera, vincula, & »
sexcenta tormentorum genera, capitis denique supplicia statuta. His tot ac »
tantis malis vt occurrerent, confœderationem se quandam inter se feciss e: »
eam vero à duobus Magistris Paulo & Conrado approbatam ac confirma- »
tam, à Ludouico, qui tunc Cruciferis præerat, abrogari cœpisse, & Impera- »
toris Friderici opem contra se quasi rebelles subditos imploratam esse. Ad »
eum se legationem purgandi sui, Cruciferorumque accusandorum causa »
misisse: legatos suos per Morauiam iter facientes à latrunculis, quos Cruci- »
feri subornassent, captos, & in vinculis aliquandiu asseruatos, & ad extre- »
mum dimissos ad Imperatorem peruenisse. Ibi cum is ex compromisso iu- »
dicium instauraret, nil æqui se impetrare potuisse, eoque re adhuc integra »
iudicem illum recusasse. Nihilo tamen minus instantib. aduersariis, & lega- »
tis Principum Germanorum, quos ii corrupissent, adiuuantib., non modo »
abrogatũ esse fœdus suum, verum etiam 600000. florenorũ mulctã sibi di- »
ctam; atq; adeo infamia se notatos, & libertate priuilegiisq; spoliatos, seruo »
rum in morẽ tam impotentib. dominis addictos, & ab iis deinde trecentos »
morti destinatos. Eam tyrannidem se diutius ferre nõ potuisse: Sed sumptis »
armis Cruciferos, eorumq; magistratus ac præsidia ex oppidis, vrbib., atque »
arcib. plerisq; omnib. eiecisse, neq; deinceps in potestate eorum fore. Scire »
aũt se probe, à Polonia, se oraq; illas à se cultas ac habitatas, olim partim do »
lo, partim per vim, ac summã iniuriã auulsas fuisse: nõ ignorare Cruciferos i- »
nitio Polonorũ beneficio in illis oris consedisse. Ad illorum igitur, qui & »
Cruciferorum patroni, & iusti domini sui essent, se supplices confugere, e- »
isque se suaque omnia dedere: orare, ne se in extrema sua necessitate dese- »
rent, neue opprimi, & ad extremum exscindi paterentur. Nihil autem esse, »
quod Poloni vererentur, ne ea re fœdera cũ Cruciferis violarẽt. Iam ab illis »

prius »

„ prius violata, cum ciues Chosnenses, propterea, quod ii se bello adacti
„ Polonis dedlderant, contra quam in pacificatione conuenerat, capitis sup-
„ plicio affecissent, ac noua cum Lithuanis fœdera aduersus Polonos dudum
„ iicissent. Non voluntate Cruciferos, neque pacis tollendæ studio, sed
„ vi à se adactos, pacem cum Polonis feciſſe, & in eam diem seruasse. Se e-
„ nim cunctam superiorum bellorum molem, dum illi Mariæburgensis arcis
„ mœnibus sese fcte continent, sustentasse: defessos autem & exhaustos, ad
„ pacem illos impulisse. Non aliena Polonos occupaturos, verum sua rece-
„ pturos, quæ iis Sedes Romana aliquoties adiudicasset: spondere autem sibi
„ fortunam Regis, & Polonicæ gentis virtutem, illa omnia è sententia sua
„ ipsorumq; processura: Nec se sibi defensoribus que suis defuturos. Huius-
„ modi fere fuit Prutenorum oratio.

Crucigeri quomodo se gesserint contra Polonos.

Relata re ad Senatum, vera esse, quæ dicebantur à Prutenis, omnes recognoscebant: meminerunt multi, Cruciferos quater ictum cum Iagellone Rege fœdus rupisse: & ad extremum, vt Pontificis & Basilicnsis Concilii autoritate id sibi facere liceret, elaborasse: ciues Chosnenses, eo quod se Regi in bello dediderant, contra pacta & iusiurandum suum immaniter trucidasse: commercia cum Polonis capitali supplicio Prutenis interdixisse. Memorabant seniores, eos cum hostibus Polonorum consilia & arma socia non semel coniunxisse, Poloniscque pium aduersus barbaros bellum diuersa parte gerentibus, Poloniæ fines impie & perfide infestasse: nulla cum eis fœdera, nullam certam pacem esse. Hæc tunc in Senatu commemorabantur: sed tamen de acceptanda deditione variabant sententiæ. Censebant multi: nonnulli dissuadebant: alii vero ad comitia rem integram reliciebant. Nec deerat suis altera ex parte Cruciferorum legatus, Thesaurarius eius Ordinis, qui ad cohonestandas Regis nuptias missus, quinquaginta millia florenorum ad corrumpendos proceres Polonos secum attulerat. Atque is cum vniuersos publice fœderum admonebat, tum priuatim singulos orando & pollicendo prensabat. Ad extremum clientes ac vectigales Regi Poloniscque Magistrum ac Cruciferos in futurum fore promittebat. Quocirca quindecim circiter dies consultando absumpti. Legati Prutenorum, vbi procrastinari rem animaduertere, contenderunt à Rege, ne differret: alioquin se alios dominos & patronos quæsituros, qui obuiis, quod aiunt, vlnis tam luculentam conditionem acceptur i essent: apparebatque, eos in Bohemiam ad Ladislaum Regem profecturos, nam is cupere id se significabat. Interim adferebatur è Prussia, Nobilitatis & Ciuitatum partes indies meliores fieri: Magistrum & Cruciferos in angustum redactos, Mariæburgi & Stumæ fere munitionibus sese tueri: Brodnicnam arcem, ne in aduersariorum potestatem veniret, Ioanni Koscielecio Palatino Inouladislauiensi à Commendatore traditam esse: nam oppidum in fide Cruciferorum mansit. His igitur impulsi Rex atque proceres, ne tam exoptatam & insperatam occasionem recuperandi, quæ maiores olim amiserant, vix vnquam postea rediturum, sibi elabi paterentur, deditionem Prutenorum accepere: tametsi præuidebant nonnulli motus bellorum, qui inde consecuturi, & Poloniam ac Germaniam inter se commissuri essent: verebanturque, quorsum tanta illa & inopinata prosperitas ad extremum euaderet. Thesaurarius vbi acceptam deditionem didicit, absq; mora Cracouia discedens in Silesiam, indeq; in Misniam & Saxoniam mercenarios

Senatus Polonici varia sententia de recipienda Prutenia.

Cruciferi à Prutenis in angustum redacti.

Prussi à Casimiro Rege in fidem accepti.

narios milites conductum contendit. Prius tamen aculeum, & velut seminarium quoddam intestini mali ac dissidii, quo distinerentur Poloni, immisit, cum Petrum Szaffranecium hominem audacem, factiosum, & turbulentum donis promissisque clam corrupisset, vt bello & latrocinio Poloniam exagitaret. Missi extemplo in Prussiam Andreas Episcopus Posnanienſis, & Ioannes Konieczpolius Cancellarius regni, iusiurandum ab vniuersa Nobilitate ac Ciuitatibus concepta formula in verba Regis datum acceperunt. Episcopi in aduentum regium dilati sunt: arces, quibus Rex iusserat traditæ: quanquam Torunienses, Gedanenses, Elbingenses, & Regiomontani, eas, quæ vrbibus suis imminebant, diuerant. Quæ res neque Polonis, neque Prussicæ ipsi Nobilitati placuit: sed neque aduersandi, neq; factum reprehendendi tempus tunc erat. Per idem tempus Fridericus Marchio Brandeburgensis nouam Marchiam, quæ Cassubiæ pars fuit antiquitus, detrectantem & ipsam Crucferorum imperium, ditioni suæ adiunxit, missaque ad Regem legatione, vt cum bona eius venia id faceret, petiuit, auxilia contra Cruciferos pollicens. At nihil certi responsum, eo quod Stolpensium quoque Pameranorum Dux eam petiuit, & suo quodam iure sibi vendicabat, & in clientela, ac fide Regis fore se vna cum ditionibus suis, duoque millia equitum ad quoduis bellum Regi Poloniæ adducturum pollicebatur. Ne huic quidem certum responsum datum. Vngariæ quoque & Bohemiæ Rex Ladislaus eam ditionem iure quodam suo repetebat.

Prussi iurãt in verba Regis Poloniæ.

Legatio Friderici Marchionis Brandeburgensis & Ducis Pomeraniæ ad Regem Casimirum.

Misit deinde Rex legatos, ad Ladislaum quidem Nicolaum Chranstouium tribunum Cracouiensem, ad Imperatorem vero Ratisbonæ comitia tunc agentem, & ad Pontificem Ioannem Brezium, qui factum defenderent, ac Cruciferorum querelas refellerent. Ipse Brestam Lithuanicam ad conuentum excurrit, & cum his constituit, vt Liuonum auxilia transitu in Prussiam prohiberent: inde mox Lenciciam ad comitia ad calendas Maias edicta contendit. Ad quæ pauci de minoribus Polonis & Russis aduenere. Decretum autem ibi, vt Rex Toruniam se conferret pacandæ Prussiæ causa: Cuiauienses ac Dobrinenses, si opus esset, ad aulicum comitatum suum in auxilium Prutenorum, qui tunc Cruciferos Mariæburgi, Stumæ, & in Brodnicensi oppido ipsi per se simul ac mercenario milite è Bohemis & Polonis collecto obsidebant, adiungeret. Masouii vero Duces frustra iterum à Rege & Lithuanis sua ibidem repetiuerunt, quamuis omnes copias suas Regi ad bellum Prussicum polliceren tur. In Prussiam deinceps itum magna & spendida procerum caterua Regẽ comitante: ibi Toruniæ, Elbingæ, & Gedani iteratum à proceribus, Nobilitate, & Ciuitatibus solenni ritu iusiurandum in verba Casimiri, & successorum eius Regum Polonorum, tribus Palatinis in sua quaque satrapia preeuntibus. Episcopi quoque tres, Culmensis, Pomesanienſis, & Sambiensis, cum suo quisque sacerdotum collegio in verba Regis iurarunt, abiectoque Regis permissu cultu Cruciferico, veterum habitum. D. Augustini regulam profitentium resumpserunt. Quartus Varmiensis apud Cruciferos Mariæburgi erat, sed collegium tamen eius vna cum cæteris iusiurandum dedit. Ladislai deinde Regis legati Bohemi, Ioannes Rosenbergius, & Zdencus Kostka (nam Chranstouius nil certi retulerat) auditi, expostularunt cum Rege, quod inconsulto Rege suo deditionem Prutenorum secus quam Cra-

Legatio Regis Casimiri ad Regem Vng. & Boh. Ad imperatorem Frid. & ad Pontificem. Comitia Lenciciæ.

Cruciferi à Prussis obsessi.

Prussi iterũ iurant Casimiro Regi Pol.

Legatio Regis Boh. & Vngariæ ad Casimirũ R.

couiæ in nuptiis pollicitus erat, accepisset, postularuntque, vt Pragam legatos mitteret cum plenis mandatis ad constituendũ de rebus Prussicis: quarum cura magnopere ad Regem Bohemorum pertineret, quod & patronus Cruciferorum esset & Prussiam nuper omnem, interueniente Alberto Friderici Marchionis Brandeburgensis fratre, à Cruciferis in deditionem accepisset: interim autem vt Casimirus obsidiones institutas solueret, & ab inferendo Cruciferis bello supersederet. Ridicule superba & arrogans visa Polonis ea legatio, neque à miti Ladislai ingenio profecta, (quod paulo post secreto ipsorum legatorum indicio compertum est). Itaque ad eam legationem nihil aliud responsum, quam Casimirum nunquam recepisse Ladislao, quod ipso inscio Prutenos in deditionem accepturus non esset. Ad cætera eum per suos legatos responsurum. Ita dimissi Bohemi, nec permissi Mariæburgum ad Cruciferos ire. Ladislaus vero, quum è legatis suis reuertentibus responsum Casimiri cognouisset, Ioannem Rabsteinium ad eum propere misit, priorem legationem corrigens, & pollicens, non obstaturum se, quo minus ille omni Prussia potiretur. Grata hæc fuit legatio Regi: itaque missi in Bohemiam, Ioannes Tencinius Palatinus Cracouiensis, & Petrus Szamotulius Castellanus Posnanensis, vt voluntatem illam Ladislai confirmarent.

Cruciferi dedidere Prussiã Regi Bohemiæ.

Alia Regis Bohem. & Vng. legatio ad Casim. R.

At Casimirus comitia Prutenoum Grudenti habuit: ibi tributum siue exactio certa in capita constituta est, vnde emerita stipendia mercenariis Bohemis, quos primo motu Pruteni acciuerant, & qui Mariæburgum etiam tum ignaui obsidebant, soluta sunt: dimissique ii, siue quod ambiguæ fidei esse viderentur, siue quod nimio conducti essent. Nam sex & viginti floreni in tres menses equiti numerabantur. Id adeo necessitas Prutenis extorserat, ne militari præsidio nudiâ Cruciferis opprimerentur, & vt ii secum potius contra Cruciferos, quam cum illis contra se essent. Pro Bohemis vero aulicum suum comitatum Rex ad continuandam obsidionem Mariæburgi misit, præfecto ei Ioanne Szeczocinio Lublinensi præfecto. Decretum etiam, vt sedecim de Nobilitate & Ciuitatibus Prussiæ allecti, à consiliis Regi essent, qui cum eo de Republica Prussica consultarent, summoque iudicio præsiderent: itemque, vt arces ac munitiones Episcoporum atque ecclesiarum, quo ad bellum duraret, in potestate Nobilitatis essent. Hæc adiuncta ad illas prærogatiuas, quæ initio deditionis Gracouiæ ipsis à Rege datæ, quibus Pruteni cum Polonis quasi in vnum corpus coaluerunt, nimirum, vt eorum consiliarii cum Polonis pariter in comitiis de Republica consilia conferrent, ad honores ac magistratus regni admitterentur, ius creandi Regis pariter haberent: cæterum suo quisque iure, seu Culmensi mallent, seu Saxonico, seu Prussico, seu denique Polonico, viuerent: quæ bona quisque antiquitus, siue priuatim, siue publice obtinuisset, deinceps quoque retineret: telonia cuncta ac portoria, nominatimque id, quod librale (Germanis pfundtzoll) dicitur, quo duo oboli à quibusuis mercibus in marcam Prussicam exigebantur, & pensio ea, quæ à Polonis Principibus in Pomerana olim instituta, Narzas siue porcus vulgo vocabatur, remissa & sublata: merces naufragio iectæ iis, quorum fuissent, aut legitimis eorum hæredibus remissæ (nam eas antea Cruciferorum præsides iniuste vsurpabant): honores & magistratus

Gemitia Prussorum Grudenti.

Consiliarii terr. Prussiæ

Prussorum vnio cũ Polonis.

Prærogatiuæ ac priuilegia Prutenorum.

Pfundzoll sublatum.

Narzas portorium.

publici & præfecturæ arcium ne cuiquam externo secundum vconsuetudinem cæterarum regionum Poloniæ mandarentur: cæ Toruniæ, Elbingæ, Gedani, & Regiomonti cudendæ cum i- & inscriptione regia, bello manente, in commune eis concessum. ro bello, vt Toruniæ modo & Gedani regio nomine sumptuque etur: mercatoribus vero potestas facta quoque versus in Poloniam ibus proficiscendi, easque deponendi, & venum exponendi, vbi- ellent. Ad extremum Ioannes Baisenus vicarius & gubernator m Rex abfuturus esset, constitutus. Gedanensi vero ciuitati, agnifice ac honorifice inprimis Regem omni cum comitatu , peculiariter census septingentarum marcarum remissus: monnes vrbanæ, & insula minor adiacens addicta & attributa: modo pagos ac duo prædia Rex excepit, & pro his omnibus pensionem duũm millium aureorum ciuitati imposuit: item- ea quotannis quatuor dierum sumptus sibi cum omni co- ulico præberet. Pro arce vero diruta, vt splendidum pala- i in vrbe, granarium item, & stabulum coctili latere exædi-

Externi ab honoribus exclusi. Monetæ iur.

Mercaturæ. Io. Baisenus gubernator Prussiæ.

Gedanensibus cẽsus remissi.

Moletrinæ & insulæ minor addictæ.

Gedanenses quid Regi debeant.

Conuentu Grudentino soluto, Toruniam Rex rediit, cum quinos è comitiis Ratisponensibus, Pontificis Romani, Imperatocipum Electorum, Philippi Purgnndiorum, Ludouici Bauaroris, ac totius Germaniæ nomine ad se venire cognouisset. Atm ad Regem in Senatum introducti essent, petebant à Rege, eris, si quid deliquissent, data venia, Prussiam omnem redde- bellum Turcis inferendum, recuperandamque Constantinocum & cum cæteris Principibus Christianis arma coniungeret. ri & Germanis curæ esse res Prussicas, & earum causa maxilia comitia Francofurtum ad Mœnum ad tertium calendas O- dixisse. Rex, quo diutius Germanos bellum contra se molipensos teneret, nihil aliud respondit, quam suos se legatos sa Francofurtensia comitia de rebus iis missurum. Petebant egati, vt sibi ad Magistrum Cruciferorum adire liceret: at- Rex Mariæburgi, Stumæ, ac Brodniciæ obsidionem solueret, um impetrarunt. Zobellinis tamen vestibus honorifice munemissi sunt. Non multo post ii, qui Stumæ in præsidio erant, alescente, adeo vt quinquaginta de iis petirent, arcem Regi cum bellico dediderunt, vitam modo & res saluas pacti. Et quinquaidem ex eis Mariæburgum ad suos se receperunt, macie tabeque entum reliqui, in quibus erant quatuor Cruciferi, in castris regiis nt.

Legatio Pontificis & Imperatorum ad Casim. Regem Pol.

Regi Responsum.

Stuma Regi dedita.

Mariæburgum vero cum obsessi in Polonos erupissent, cruna coorta, hostes magna strage in arcem compulsi sunt, ac ior ea fuisset, ni hostes fugientes puluis texisset. Gedanenses ve- pice, resina, sulphure, & eiusmodi ignis alimentis plenam prono in pontem Mariæburgensem secundo Nogato impuled magno tamen conatu hostium pons incendio correptus, est. Iam vero & ipsi inter se præsidiarii iurgio propter

Res gestæ ad Mariæburgum.

couiæ in nuptiis pollicitus erat, accepisset, postularuntque, vt P
tos mitteret cum plenis mandatis ad constituendũ de rebus Pru
tum cura magnopere ad Regem Bohemorum pertineret, quod
Cruciferorum esset & Prussiam nuper omnem, interueniente
derici Marchionis Brandeburgensis fratre, à Cruciferis in ded
cepisset: interim autem vt Casimirus obsidiones institutas solu
inferendo Cruciferis bello supersederet. Ridicule superba &
sa Polonis ea legatio, neque àmiti Ladislai ingenio profecta, (q
post secreto ipsorum legatorum indicio compertum est). Itaque
gationem nihil aliud responsum, quam Casimirum nunqua
Ladislao, quod ipso inscio Prutenos in deditionem acceptur
Ad cætera eum per suos legatos responsurum. Ita dimissi Bohe
missi Mariæburgum ad Cruciferos ire. Ladislaus vero, quum
reuertentibus responsum Casimiri cognouisset, Ioannem Rab
eum propere misit, priorem legationem corrigens, & pollicen
turum se, quo minus ille omni Prussia potiretur. Grata hæc
Regi: itaque missi in Bohemiam, Ioannes Tencinius Palatinus
sis, & Petrus Szamotulius Castellanus Posnanienſis, vt volun
Ladislai confirmarent.

Cruciferi dodidere Prussiã Regi Bohemiæ.

Alia Regis Bohem. & Vng. legatio ad Casim.

R. Gemitia Prussorum Grudenti.

At Casimirus comitia Prutenoum Grudenti habuit: ib
siue exactio certa in capita constituta est, vnde emerita stipen
nariis Bohemis, quos primo motu Pruteni acciuerant, & c
burgum etiam tum ignaui obsidebant, soluta sunt: dimissi
quod ambiguæ fidei esse viderentur, siue quod nimio cond
Nam sex & viginti floreni in tres menses equiti numerabant
eo necessitas Prutenis extorserat, ne militari præsidio nudià Cru
primerentur, & vt ii secum potius contra Cruciferos, quam cu
tra se essent. Pro Bohemis vero aulicum suum comitatum R
tinuandam obsidionem Mariæburgi misit, præfecto ei Ioa
cinio Lublinensi præfecto. Decretum etiam, vt sedecim

Consiliarii terr. Prussiæ

tate & Ciuitatibus Prussiæ allecti, à consiliis Regi essent,
de Republica Prussica consultarent, summoque iudicio p
itemque, vt arces ac munitiones Episcoporum atque ec
quo ad bellum duraret, in potestate Nobilitatis essent. Hæ

Prussorum vnociũ Polonis.

ad illas prærogatiuas, quæ initio deditionis Gracouiæ ip
datæ, quibus Pruteni cum Polonis quasi in vnum corpus c
nimirum, vt eorum consiliarii cum Polonis pariter in com
publica consilia conferrent, ad honores ac magistratus regn

Prærogatiuæ ac priuilegia Prutenorum.

rentur, ius creandi Regis pariter haberent: cæterum suo qu
seu Culmensi mallent, seu Saxonico, seu Prussico, seu deniq
co, viuerent: quæ bona quisque antiquitus, siue priuatim, s
obtinuisset, deinceps quoque retineret: telonia cuncta ac pe

Pfundzoll sublatum.

minatimque id, quod librale (Germanis pfundtzoll) dicitu
oboli à quibusuis mercibus in marcam Prussicam exigebant
sio ea, quæ à Polonis Principibus in Pomerana olim insti

Narzas portorium.

zas siue porcus vulgo vocabatur, remissa & sublata: merce
iectæ iis, quorum fuissent, aut legitimis eorum hæredibus re
eas antea Crucifesorum præsides iniuste vsurpabant): hon

gistratus publici & præfecturæ arcium ne cuiquam externo secundum v
sum & consuetudinem cæterarum regionum Poloniæ mandarentur:
ius monetæ Toruniæ, Elbingæ, Gedani, & Regiomonti cudendæ cum i
magine & inscriptione regia, bello manente, in commune eis concessum.
Finito vero bello, vt Toruniæ modo & Gedani regio nomine sumptuque
ea signaretur: mercatoribus vero potestas facta quoque versus in Poloniam
cum mercibus proficiscendi, easque deponendi, & venum exponendi, vbi
cunque vellent. Ad extremum Ioannes Baisenus vicarius & gubernator
Regis, cum Rex abfuturus esset, constitutus. Gedanensi vero ciuitati,
cum ea magnifice ac honorifice inprimis Regem omni cum comitatu
accepisset, peculiariter census septingentarum marcarum remissus: mo
lettinæ omnes vrbanæ, & insula minor adiacens addicta & attributa:
tredecim modo pagos ac duo prædia Rex excepit, & pro his omnibus
annuam pensionem duũm millium aureorum ciuitati imposuit: item
que, vt ea quotannis quatuor dierum sumptus sibi cum omni co
mitatu aulico præberet. Pro arce vero diruta, vt splendidum pala
tium Regi in vrbe, granarium item, & stabulum coctili latere exædi
ficaret.

Externi ab honoribus excluſi. Monetæ iuſ.

Mercaturæ. Io. Baisenus gubernator Prussiæ.

Gedanensibus cẽsus remissi. Moletrinæ & insula minor addicta. Gedanenſes quid Regi debeant.

Conuentu Grudentino soluto, Toruniam Rex rediit, cum quin
que legatos è comitiis Ratisponensibus, Pontificis Romani, Imperato
ris, Principum Electorum, Philippi Purgnndiorum, Ludouici Bauaro
rum Ducis, ac totius Germaniæ nomine ad se venire cognouisset. At
que ii, cum ad Regem in Senatum introducti essent, petebant à Rege,
vt Cruciferis, si quid deliquissent, data venia, Prussiam omnem redde
ret, & ad bellum Turcis inferendum, recuperandamque Constantino
polim secum & cum cæteris principibus Christianis arma coniungeret.
Imperatori & Germanis curæ esse res prussicas, & earum causa maxi
me eos alia comitia Francofurtum ad Mœnum ad tertium calendas O
ctobris indixisse. Rex, quo diutius Germanos bellum contra se moli
entes suspensos teneret, nihil aliud respondit, quam suos se legatos
ad illa ipsa Francofurtensia comitia de rebus iis missurum. Petebant
deinde legati, vt sibi ad Magistrum Cruciferorum adire liceret: at
que vt Rex Mariæburgi, Stumæ, ac Brodniciæ obsidionem solueret,
sed neutrum impetrarunt. Zobellinis tamen vestibus honorifice mune
nerati dimissi sunt. Non multo post ii, qui Stumæ in præsidio erant,
fame inualescente, adeo vt quinquaginta de iis petirent, arcem Regi cum
apparatu bellico dediderunt, vitam modo & res saluas pacti. Et quinqua
ginta quidem ex eis Mariæburgum ad suos se receperunt, macie tabeque
liuidi, centum reliqui, in quibus erant quatuor Cruciferi, in castris regiis
manserunt.

Regis Respõsum.

Stuma Regi dedita.

Ad Mariæburgum vero cum obsessi in Polonos erupissent, cru
enta pugna coorta, hostes magna strage in arcem compulsi sunt, ac
longe maior ea fuisset, ni hostes fugientes puluis texisset. Gedanenses ve
ro nauem pice, resina, sulphure, & eiusmodi ignis alimentis plenam
flumine prono in pontem Mariæburgensem secundo Nogato impule
runt: sed magno tamen conatu hostium pons incendio correptus,
seruatus est. Iam vero & ipsi inter se præsidiarii iurgio propter

Res gestæ ad Mariæburgum.

scortum concitato intra arcem conflixerunt, ducemque suum interfecerunt. Non cessabat interim Thesaurarius Cruciferorum in Germania, ne Magister quidem Germanicus: atque is bona & reditus suos distraxit, vt sociis in Prussia laborantibus celeriter opem ferret. Itaque ab his duobus octo millia mercenariorum militum, peditum pariter & equitum, è Germanis, Bohemis, & Silesiis conscripta, ac Balthasare & Rodolpho Saganensibus Ducibus, & Bernhardo Sonnenbergio ductoribus, per nouam Marchiam in Prussiam missa sunt. Etiam Plauenius, Cruciferorum & ipse stipenda merens, cum mille equitibus è Choinicienſibus in vrbem receptus erat, magnaque Polonis damna agros vastando intulisset, nisi Nicolaus Sarleius Palatinus Inouladislauiensis, Præfectus Slochoriensis ac Tucholiensis mille cum ducentis equitibus, & septingentis peditibus ferociam eius repressisset. Id vbi cum amicorum admonitu è Germania, tum exploratorum ratione à Polonis cognitum, Rex maiores Polonos solos arma sumere, & ad Choiniciam præsto esse iussit. Adfuere ferociores, quam armatiores, ac disciplinæ militaris expertes, per suorum agros non secus quam per hostiles rapinis, incendiis, stupris, & sacrilegiis debacchantes. Venientibus ad Cerequiciam altero à Choinicia milliari Rex occurrit, tumultuantesque, ac de prærogatiuis iuribusque suis intempestiue disceptantes vix composuit, ac in septem turmas distribuit, instructosque ad Choiniciam, quo hostes contendere nunciabantur, duxit. Suadebant nonnulli proceres Regi, ne cum imperita illa & minime obsequenti multitudine hosti pugnandi copiam faceret, sed pateretur eum Choiniciam ingredi, Ibi eũ facile quasi retibus & cassibus concludi, & commeatus inopia fameq; sine sanguine cito expugnari posse, breui enim omnem eius arcis commeatum à tanta multitudine exhaustum iri: aut si tandem committere præliorem vellet, quod maiores Poloni poscebant, aulicum comitatum à Mariæburgi obsidione, aut vero Ioannem Czarneouium Castellanum Gnesnensem, & Ioannem Vedelium cum quinq; millibus, quæ ad præsidium maioris Poloniæ reliquerat, acciret. Dissuadebat Ioãnes Konieczpolius Cancellarius de aulico comitatu, ne obsidione remissa hostes releuarẽtur. Asseuerabant maiores Poloni, in se satis virium esse, vsq; adeo, vt vel aurigarum suorum flagellis hostes in fugam actum iri iactarent. Quocirca non grauate eis Rex cessit, præsertim cum de paucitate hostium intellexisset: neq; enim procul ii aberant. Forte autem speculatores vtriusq; partis in se mutuo inciderunt, commissoq; prælio, Poloni non incruenta victoria potiti sunt. Ad decimum quartum Calendas Octobris cum hostes aduentare dicerentur, Rex acies instruxit, easq; regendas ac ducendas Lucæ Gorcano Posnanensi, Stanislao Ostrorogo Calissiensi, Nicolao Sarleio Inouladislauiensi, palatinis, ac Derslao Rithuiano Castellano Rospirensi, magnis quidem illis hominibus & potentibus, verum in arte militari non magnum vsum habentibus commisit, id vltro ipsi sibi depoposcissent. Sub vesperam tandem hostiles acies apparuere. Abscessit Polonis prior illa alacritas ac ferocitas conspecto hoste, cœperuntque trepidare ii, qui nunquam armatas acies aspexerant. Duces Poloni ad locum limosum, vbi equi commode circumagi non poterant, instructum exercitum deduxere, & in confertos hostium ordines impetum fecere. Et fauit quidem initio Polonis fortuna.

Regis festinatio ad Choiniciã.

prælium ad Choiniciã.

Turbati

Turbati primi hostium ordines: Saganensium Dux alter Rodolphus interfectus, Bernhardus Sonnenbergius viuus captus. Sed mox acrius connixi hostes sparsos & sine ordine pugnantes Polonos represserunt. Ibi trepidari, & concutsari temere à Polonis cœptum est. Submittebant tamen Duces laborantibus subsidiarias cohortes, exæquataque erat pugna, cum subito extremum agmen, in quo Rex erat, nulla euidenti causa expauefactum in fugam se coniecit, nec quicquam retinẽte ac reuocante Rege. Quo conspecto, ii quoque, qui in prima acie pugnabant, fugientes suos secuti sunt. Perseuerabat Rex cum paucis instaurando pugnam. Quod nisi vi ab iis, quibus eius custodia mandata, abstractus esset, viuus in hostium potestatem venisset. Hostes victores castris quoque opulentis, in quibus ad quatuor millia curruum fuere, potiti sunt: nec tam grauis quam ignominiosa ea clades Polonis fuit. Vix sexaginta desiderati, in quibus insignes fuere Petrus Scecocinius Procancellarius, Nicolaus Morscius vexillifer Sendomirienſis, Ioannes Zauissius præfectus Colensiis, & Ioannes Kidzinius: capti trecenti triginta, inter quos nobilissimi Lucas Gorcanus, Nicolaus Sarleius, Ioannes Felix Tarnouius, Ioannes & Nicolaus Rithuianii, Ægidius Suchodolius, Ioannes Melstinius, & nonnulli alii fuere: sed in his complures erant, qui fugæ turpitudine secum reputata, cum euadere possent, siue adeo iam euasissent, reuersi hostibus sese dedidere. Captiui Mariæburgum deducti, ac durius habiti, maxima pars interire. Mortuos ne sepultura quidem immanes hostes dignati sunt, sed equis tractos in præterfluentem abiecere. Eius vero cladis culpam opinione hominum ducum imperitia, qui neque idoneum prælio locum cepissent, neque leuiorem equitatum ad turbandos & perrumpendos hostium ordines præmisissent, neque quicquam omnino prouidissent, sustinuit. Sed forte sse fletibus & eiulatibus sacerdotum, monachorum, viduarum, pupillorum, & agrestium, quorum facultatibus maiores Poloni ad id bellum proficiscentes crudeles manus adiecerat, id supplicium expensum est.

Polonorum fuga & clades.

Cladis accepta causa.

Cruciferi Mariæburgi & Brodniciæ obsessi, vbi de suorum successu certiores facti, nimia lætitia, quasi debellatum iam esset, exultauere: solus Mareschalcus vir prudens tristior, vereri se dixit, ne plus illa victoria victoribus, quam victis mali adferret. At Prussicæ ciuitates primariæ missis ad Regem Niesloriam, quo se receperat, legationibus, hortatæ sunt eum, ne vno illo aduerso casu frangeretur: reciperet animum, & erratum corrigeret: se fidem semel datam nunquam mutaturos & facultatibus ac corporibus suis ipsi ad extremum vsque non defuturos. Rex collaudatis eis respondit, irritatum se magis clade illa, quam fractum: curaturum, ne lætitia hostibus diuturna sit. Soluit deinde obsidionem Mariæburgi, easque copias accitas ad se in præsidia arcium ac cæterarum munitionum distribuit, præfectis ex aulico comitatu suo impositis, eo quod Pruteni minus diligenter eas seruabant: & nuper adea Stuma, & Preuschmarcum oppida contempta paucitate præsidiariorum ad hostes defecerant. Adhæc Dersauia & Meua aduenienti è Choinicia exercitui Cruciferorum vltro portas aperuere. Id igitur malum ne latius serperet, vt sunt fere anni hominum ad fortunæ flatum reflatumue mutabiles, & arces, oppidaque Rex præsidiis muniuit, mercenari-

Ciuitatum Prussicarũ studium erga Regem Pol.

Arces Prussicæ Polonis commissæ.

Stuma, Preusmarcũ & alia oppida ad Cruciferos deficiunt.

narium militem è Silesia, Morauia, & Bohemia euocauit, ac Poloniam reliquam Russis & Podoliis ad subitas Tartarorum excursiones reprimendas relictis ad bellum exciuit. Instabat quidem hyems, verumtamen impigre obsecundatum est: tantus erat in animis omnium ardor igno miniæ, apud Choiniciam acceptæ, abstergendæ, ac retinendæ Prussiæ. At Cruciferi glorioſi vniuersam Germaniam fama victoriæ in immensum extollenda impleuerunt. Prutenos vero dimissis quoquo versum nunciis, venia & impunitate proposita, vt ad se rursus à Rege deficerent, solicitabant. Sed surdis hæc auribus canebant: nec præter Sambiensem Episcopum quisquam inuentus, qui fidem illis haberet. Atque is porro perbenigne scilicet ab eis acceptus est. Marieburgum enim venientem cunctis facultatibus priuatis pariter & ecclesiasticis, quas secum apportarat, Magister exuit: inde vero, & ex imaginibus, aliaq; supellectili sacra aurea & argentea vndiq; comportata ac conflata, exiguam quandam partem emeriti stipendii militibus cum iurgio ac tumultu efflagitatibus soluit: de reliquo autem, quæ quadraginta millia florenorum erant, cum eis pactus est, nisi ad bacchanalia exsoluerent, Mariæburgum, ac cæteras munitiones suas, captiuosq; in potestatem eorum traditurum se esse. Tametsi non multum ii operę precii fecere, nescię tes vti victoria: receptis enim oppidis illis, quorum antea mentio facta, Mariæburgi desides multum temporis contriuerunt. Ne Poloni quidem multo plus egerunt. Nam cum omnes copiæ conuenissent, transmissa ad Toruniam nauali pōte Vistula, ad Lassinum ductæ sunt, atque ibi in sylua vno milliario ab eo oppido totum fere mensem inertes statiua habuere.

Polonorum expeditio in Prussiam.

Sābien. Episcopus ad Cruciferos deficit.

Crucifero. rū pactum cum mercenariū militibus.

Interea, qui ad Bohemorum Regem legati missi sunt, reuerterunt, optata omnia referentes. Hos paucis diebus Bohemica legatio secuta est, petens, vt Casimirus ad diem Nonarum Decembris Vratislauiam veniret, & arctius cum Ladislao fœdus iceret: deinde cōtrouersiam quandam permagnam de finibus inter ipsum & Marchiones Misniæ ex compromisso componeret: postremo, vt ipse quoq; omisso bello cum Cruciferis compromissum faceret, omnemq; causam Ladislao arbitrandam permitteret. Excusauit Casimirus, se ab incepto bello abesse non posse: missurum tamen primores de Senatu. Missi Archiepiscopus Gnesnēsis, Castellanus Lublinensis, & Ioānes Brezius Archidiaconus Gnesnensis: controuersiam tamen illam cum Marchionibus non diremerunt, affirmātibus iis, se Regi Polonorum, ac nō cuiquam alteri arbitrium controuersiæ suę compromisso permisisse. Dimissi deinde Rex Nobilitatem hyberni belli pertæsam, medio Ianuario sequētis anni, cum ea duodenos grossos de singulis iugeribus instipendium mercenariorum militum promisisset, hoste non faciente pugnādi copiam. Rex quoq; ipse Præfectis, Culmēsi quidem Andreæ Tencinio, Pomeraniæ vero Petro Szamotulio Castellano Posnanensi, inferiori vero Prussiæ Ioāni Colda Bohemo, & omni mercenario milite iis parere iusso, in Poloniā discessit: atque inde in Lithuaniam profectus, nouos quosdam motus à Gastoldo excitatos sedauit, & vt Lithuani socia cū Polonis arma aduersus Cruciferos coniungerent, quod detrectarant, perfecit, ibiq; veris omne tempus exegit, & cum aliorum Principum legationes audiuit, tum Tartarorum Ducis Ezigeris fœderati, auxilia contra Cruciferos pollicentis, & vt Podoliam ac Volyniā se viuēte arcibus & oppidis contra impotentiam liberorum gētisq; suæ Rex muniret, suadētis: se n. senuisse, illos autē quietis & ocii impatientes esse.

Legatio Ladislai Regis Bohem. ad Regem Pol.

An. Chr. 1455.

Iugerale tributum.

Per

Per hoc tempus Sbigneus Cardinalis & Episcopus Cracouiensis, quum Sendomiriæ quadragesimam fere omnē arctiore abstinentia peregisset, ac die palmarum publice sacris operatus esset, sequenti vero die Konieczpolii Cancellarii exequias peregisset, ex lassitudine morbum nactus est: cruorēq; exsputans prę fœcato anhelitu postridie, quæ prima dies Aprilis erat, vitā cū morte commutauit, quum 32. annos Episcopus fuisset, vixisset 66. vir magnus, pupillorū, & viduarum patronus, in egenos liberalis, ecclesiæ vindex, ac defensor acerrimus, Reipublicæ studiosissimus, minarū periculorūq; contēptor. Hic Sandeciæ nouæ collegium sacerdotū cum Prælatis instituit: facultates vero suas egenis & studiosis, ecclesiis itē & monasteriis, propinquis præteritis, testamēto leganit. Successorē accepit Thomam Strempiniū Procancellariū, non tam Regis fauore, quam vniuersi collegii studio designatū. Sbigneū septem fere mensibus præcessit Bolelaus Dux Masouiorū, prudēs, modestus, & religiosus Princeps: qui quatuor filios, Conradū, Casimirū, Boleslaū, & Ioannē, duasq; filias, Annam & Sophiam reliquit. Nihil interim in Prussia memorabile gestum est, nisi quod leuibus aliquot prę liis certatū in quib. omnibus fere Poloni superiores fuere. Dzialdouia siue Soldauia oppidum Slaueci Humbouii Masouii, cuius fidei Rex id cōmendarat, proditione in potestatem hostiū venit. Verum non multo post Ioannes Colda id recuperauit, direptumq; incendit, intromissus ab oppidanis, cum habitum Commendatoris Elbingensis assimulasset, multosq; ibi Cruciferorum milites perimit. Duo vero oppida Regiomōti, vetus & noua vrbs Cruciferis portas aperuere: tertium, cui Cnipouiæ nomen, in fide Polonorum permansit, quod etiam hostes circumsedere. Parum autem abfuit, quin vetus quoque Torunia, quo nouæ ciues fidei dubiæ Tencinius compulerat, per proditionem duorum primariorum ciuium & parœciæ ac monachorum Dominicanorum, in potestatem hostium veniret. Iamque eo Magister Bernhardum Sonnenbergium, ac quosdam alios milites, quasi aliud acturos, præmiserat, & ipse cum tribus millibus armatorum veniebat, cum ab apparitore ciuitatis conspiratio detecta est, suppliciumque de proditoribus sumptum. Ita Magister irrito cœpto reuertens, complures pagos circumcirca incendit. Hæc tunc in Prussia Rege absente acta.

Sbignei Olesnicii Cardinalis mors.

Boleslai ducis Massouiæ mors.

Dzialdouiā vnes fori recuperāt proditione.

Eadem recuperatur à Polonis & incenditur.

Regiomonti vetus & nouū opp. ad Cruciſ. defecit.

Cnipouia obsessa.

Torunia per ni. prodita.

At Rex rebus Lithuanicis compositis Petricouiam ad comitia mense Maio venit. Vbi cum Prutenorum in fide regia perstantium legatis instantibus de Prussico bello consultaretur, non visum est expeditionem publicam edicere, quod pergauis ea futura erat multis, magno incommodo hyeme superiori afflictis, & quod satis virium erat in mercenario milite aduersus eas copias, quas tunc habebant hostes. Cæterum pecunia deerat, vnde militi præterita simul & futura stipendia soluerentur. Quamobrem segnius is belli munera obibat, ac munitionibus sese tueri satis habebat, neque obsessæ ab hostibus Cnipouiæ subueniebat. De pecunia igitur paranda cum ageretur, placuit, agrestibus duodenūm grossorum in mansum pensionem rursus imponere. Verum id alteris demum comitiis ad vigesimum quartū diem Iulii indictis, ægre perfectum est: simulq; decretum, vt, si opus esset, ad vnicos restes, hoc est, ad vnicum Regis mādatum. (cum alioqui tribus intra menstrua spacia sese consequentibus ex instituto & lege opus sit) Nobilitas omnis certo loco præsto esset ad bellū in Prussia prosequendū. Nihilo tamē minus segniter bellū à Rege administrabatur, maxime quod ei mercenarii milites hostium spem iniecerant, si emerita apud Cruciferos stipendia

Comitia Petricouiæ.

Altera comitia ibid.

sibi solueret, dedendarum arcium ac munitionum reliquarum, quas iam concedentibus ex pacto Cruciferis in potestatem suam redegerant.

Legati in Prussiam missi.

Atque ea de re conficienda Ioannem Episcopum Vladislauiensem, & Ioannem Rithuianium præfectum Sendomirienſem ad eos allegarat. Verum tergiuersabantur, & extrahebant rem milites ii, qui erant Germani. Continuabatur autem Cnipouiæ obsidio, prouiderantque diligenter hostes & oppidani reliquorum duorum oppidorum, quæ ad eos defecerant, ne quid omnino ad obsessos importaretur, & alueum Pregolæ fluminis, quod oppidum alluit, tignis & roboribus impediuerant. Rex vbi obsessos in extremo discrimine accepit, missa aliquanta militibus pecunia, iussit, vt ilico laborantibus subuenirent. Verum dum id fit,

Cnipouiæ deditio.

obsessi non ferentes longiorem moram, desperato omni auxilio, sese Saganensium Duci dedidere. Quo successu elati Germani milites, minus iam secum de deditione munitionum agi patiebantur. Rex vero ampliorem Cnipouiæ perturbatus, veritusque, ne cæteræ ciuitates illius exemplo à se deficerent, expeditionem toti Poloniæ sub autumnum edixit, & ad confirmandos Prutenorum animos legationem misit. Nec illi mutabant fidem, nonnullosque primarios ciues, quos Cruciferorum partibus faueret persensserant, capitis supplicio affecere. Aliquot saltem ignobilia oppida in inferiori Prussia Cnipouiæ exemplum secuta sunt. Ratiautem hostes, occasioni se deesse non oportere, ad Fridelandiam exercitum ad-

Clades Crucigerorum ad Fridlandiam.

mouere. Præerat ei oppido Scubela Bohemus cum præsidio: is vbi aduentare hostes accepit, simulata negligentia ad ipsa vsque mœnia oppidi progredi eos passus est: deinde subito tormentis, quæ opportuno loco collocata, in confertos displosis, nonnulla clade, maiore vero perturbatione eos affecit: confestimque in trepidantes cum suis erumpens, longe eos propulit, & quingentos ex eis cæcidit, centum viuos cepit. Cæterum expeditio illa intempestiua neque cupide suscepta est à Polonis, & lentior multo fuit, quam parerat. Adfuerunt quidem nonnulli maturius: sed

Expeditio Polonorum lata in Prussiam.

dum cæteros expectant, magnam frumenti vim ex agris Cuiauiensibus ratis castris incenderunt. In itinere etiam quoquo versus ecclesiasticis & regiis bonis parsum non est. Rex Brestam præcesserat: quo cum proceres Poloni ad eum conuenissent, flagitantibus stipendium militibus, inita est ratio parandæ pecuniæ, neq; honesta, neq; vtilis, sacra ecclesiarum vasa conflandi, Archiepiscopo, & Vladislauiensi, Posnaniensiq; Episcopis assentientibus. Quod cum in tribus diœcesibus, quarum Episcopi consenserant, factum esset, sola sex millia florenorum redacta sunt. Nam è Cracouiensi nil ablatum, non permittente Episcopo. Cum autem cunctæ copiæ conuenissent, nauali ponte ad Toruniam Vistulam traductæ sunt.

Polonorum licentia.

Frid. Marc. Brãdebur. ad Regẽ Polõ. in castra venit.

Interea Fridericus Marchio Brandeburgensis ad Magistrum Cruciferorum cum quingentis cataphractis equitibus profectus, ac complures dies ibi commoratus, relicto apud illos equitatu, ad Regem in castra venit, petẽs, vt se arbitro Rex cum Cruciferis pacem faceret. Vbi non abnuere Regem sensit, reuersus ad Cruciferos, Regi renunciari iussit, optimas & vltro ipsi experendas conditiones, se allaturum. Itaque condicta ad

Conuentus de paco ad Koscielecium pagum.

Koscielecium pagum die, missi à Rege Ioannes Episcopus Vladislauiensis & Cancellarius Ioannes Teucinius Cracouiensis, Petrus Oporouius Lenci-

sis, Palatini, & Hincia Rogouius Castellanus Siradiensis, vana chionis promissa compererunt. Postulabant enim Cruciferi, vt Prussia sibi decederet: tum demum, quocunque vellet iudice septaret. Increpatus à Polonis Marchio, quod non bona fide cum et, ne tamen nihil egisse videretur, pollicebatur, Cruciferos Culc Michalouiensem regionem Polonis concessuros, ac impensas uros. Quas conditiones cum non acciperent Poloni, re infecta ferocioribus factis Cruciferis quingentorum cataphractorum ccessione, quos Marchio Fridericus discedens in castris ipsorum at. Itaque intermissum spe pacis belli studium resumptum est, itinere, quo superiori anno, ad Lassinum non optimo consilio a sunt. Prætergressus autem oppidum exercitus, non longo in-

Lassinum à Polonis frustra obsessum.

d obsidendum id reuertit. Spectabant ad deditionem oppidami, sed quadringenti Cruciferorum equites præter castra Polo- quibus nulla erat militaris disciplina, in oppidum ingressi, eos unt, strenueque oppidum defenderunt. Itaq; te obsidione in Nouembrem extracta, cum maiore pene obsidentes, quam obsef remerentur, neque commoda esset frumentatio & pabulatio citui, dilapsis metu Polonorum, qui nulla in eos iniuria se ab-, agrestibus, ac frumento mature ante aduentum Polonorum in es conuecto, sero consilium suum Rex damnauit. Igitur soluta Rex dimisit exercitum, quarta ferme parte equorum amissa, dom flagitantem: ipsis quoque Prutenis regiarum partium discessu tibus. Neque enim minoribus damnis ab eo, quam ab hoste, agri cti erant, ita vt ne tectis quidem parceretur. Dum hæc ita geruntia, latrones è Silesia quidam in agrum Ilcussensem & Sclaucouierum fecerunt, raptaque cum alia præda, tum equis octoginta, pera in plumbi metallis aqua exhauriebatur, & Slaucouia pro-

Latrocinia in Minore Polonia.

am, quam Sueborouius à Præfecto eius oppidi acceperat, incenensem quoque agrum vexarunt. Causa latrocinandi eis fuerunt idem in Prussia sub Rege stipendia, quæ cum non soluerentur m ærarii: illi ex professo quouis modo se ea à Polonis repetituros ciarant, & magnus ad eos egentium perditorumq; hominum numni vicinia confluebat.

192

Vladislaus Dux Massouiæ moritur.

ouia Vladislaus Dux Plocensis hectica febre, quam illi familiæ am fuisse Dlugossus memorat, emaciatus, per eos dies vita exmouito & Vladislao filiis impuberibus relictis. Ne Boles'ai quidus fratris, qui paulo ante obierat, filii adulti, & gerendis rebus nt. Itaque Paulo Gizicio Episcopo Plocensi totius Masouiæ ad-

Episcopus Plocen. gubernator Massouiæ.

o mandata publice, quoad pueri adolescerent. Atque is bene & se gessit, mores quosdam legesque barbaras exercendorum iupœnarumque exigendarum sustulit: Rex dimisso exercitu, Gru- Senatu de gerendo deinceps bello consultauit. Et quoniam o milite id geri placebat, nec suppetebat pecunia in stipendium, plerique, pensionem duodenûm grossorum agricolis imponenuis quidem ac Nobilitatis simplam, regiis vero & ecclesiasticis adhæc vt ecclesiasticus ordo dimidios reditus suos conferret. um est hoc postea in comitiis Petricouiensibus insequentis anni

sibi solueret, dedendarum arcium ac munitionum reliquarum
iam concedentibus ex pacto Cruciferis in potestatem suam rede
Legati Prussiam missi. in Atque ea de re conficienda Ioannem Episcopum Vladislauiensem
Ioannem Rithuianium præfectum Sendomirienſem ad eos al
Verum tergiuersabantur, & extrahebant rem milites ii, qui era
mani. Continuabatur autem Cnipouiæ obsidio, prouiderantq
genter hostes & oppidani reliquorum duorum oppidorum, qua
defecerant, ne quid omnino ad obsessos importaretur, & alueum
læ fluminis, quod oppidum alluit, tignis & roboribus impedi
Cnipouiæ deditio. Rex vbi obsessos in extremo discrimine accepit, missa aliquanta
bus pecunia, iussit, vt ilico la orantibus subuenirent. Verum dum
obsessi non ferentes longiorem moram, desperato omni auxil
Saganensium Duci dedidere. Quo successu elati Germani milites
iam secum de deditione munitionum agi patiebantur. Rex vero
ne Cnipouiæ perturbatus, veritusque, ne cæteræ ciuitates illius exe
se deficerent, expeditionem toti Poloniæ sub autumnum edixit, &
firmandos Prutenorum animos legationem misit. Nec illi mut
dem, nonnullosque primarios ciues, quos Cruciferorum partib
re persenserant, capitis supplicio affecere. Aliquot saltem ignobil
da in inferiori Prussia Cnipouiæ exemplum secuta sunt. Rati aut
stes, occasioni se deesse non oportere, ad Fridelandiam exerci
Clades Cruc. ad Fridlandiam. mouere. Præerat ei oppido Scubela Bohemus cum præsidio: is vb
rare hostes accepit, simulata negligentia ad ipsa vsque mœni
progredi eos passus est: deinde subito tormentis, quæ opportu
collocata, in confertos disploſis, nonnulla clade, maiore ver
batione eos affecit: confestimque in trepidantes cum suis e
longe eos propulit, & quingentos ex eis cæcidit, centum viuos ce
Exped tio Polonorum læta in Prussiam. rum expeditio illa intempestiua neque cupide suscepta est à Polo
tior multo fuit, quam parerat. Adfuerunt quidem nonnulli matu
dum cæteros expectant, magnam frumenti vim ex agris Cuiauie
Polonorum licentia. ptam in castra, quasi ibi hybernaturi essent, conuexerunt, quam po
tis castris incenderunt. In itinere etiam quo quo versus eccleſiastici
bonis parsum non est. Rex Brestam præcesserat: quo cum procer
ad eum conuenissent, flagitantibus stipendium militibus, inita est
randæ pecuniæ, neq; honesta, neq; vtilis, sacra ecclesiarum vasa c
Archiepiscopo, & Vladislauiensi, Posnanienſiq; Episcopis assen
Quod cum in tribus diœcesibus, quarum Episcopi consenserant,
set, sola sex millia florenorum redacta sunt. Nam è Cracouien
tum, non permittente Episcopo. Cum autem cunctæ copiæ con
nauali ponte ad Toruniam Vistulam traductæ sunt.

Frid. Marc. Brädebur. ad Regē Polō. in castra venit. Interea Fridericus Marchio Brandeburgensis ad Magistru
ferorum cum quingentis cataphractis equitibus profectus, acc
dies ibi commoratus, relicto apud illos equitatu, ad Regem in
nit, petēs, vt se arbitro Rex cum Cruciferis pacem faceret. Vbi no
Conuentus de paco ad K sielecii pagum. re Regem sensit, reuersus ad Cruciferos, Regi renunciari iussit,
& vltro ipsi experendas conditiones, se allaturum. Itaque co
Koscielecium pagum die, missi à Rege Ioannes Episcopus Vlad
sis & Cancellarius Ioannes Teucinius Cracouiensis, Petrus O

Lencicienſis, Palatini, & Hincia Rogouius Castellanus Siradiensis, vana fuisse Marchionis promissa compererunt. Postulabant enim Cruciferi, vt Rex omni Prussia sibi decederet: tum demum, quocunque vellet iudice secum disceptaret. Increpatus à Polonis Marchio, quod non bona fide cum Rege ageret, ne tamen nihil egisse videretur, pollicebatur, Cruciferos Culmensem & Michalouiensem regionem Polonis concessuros, ac impensas belli soluturos. Quas conditiones cum non acciperent Poloni, re infecta discessum, ferocioribus factis Cruciferis quingentorum cataphractorum equitum accessione, quos Marchio Fridericus discedens in castris ipsorum relinquebat. Itaque intermissum spe pacis belli studium resumptum est, eodemque itinere, quo superiori anno, ad Lassinum non optimo consilio castra mota sunt. Prætergressus autem oppidum exercitus, non longo interuallo ad obsidendum id reuertit. Spectabant ad deditionem oppidanorum animi, sed quadringenti Cruciferorum equites præter castra Polonorum, in quibus nulla erat militaris disciplina, in oppidum ingressi, eos confirmarunt, strenueque oppidum defenderunt. Itaque obsidione in mensem Nouembrem extracta, cum maiore pene obsidentes, quam obsessi inopia premerentur, neque commoda esset frumentatio & pabulatio tanto exercitui, dilapsis metu Polonorum, qui nulla in eos iniuria se abstinebant, agrestibus, ac frumento mature ante aduentum Polonorum in munitiones conuecto, sero consilium suum Rex damnauit. Igitur soluta obsidione Rex dimisit exercitum, quarta ferme parte equorum amissa, domuitionem flagitantem: ipsis quoque Prutenis regiarum partium discessu eius lætantibus. Neque enim minoribus damnis ab eo, quam ab hoste, agri eorum affecti erant, ita vt ne rectis quidem parceretur. Dum hæc ita geruntur in Prussia, latrones è Silesia quidam in agrum Ilcussensem & Sclaucouiensem impetum fecerunt, raptaque cum alia præda, tum equis octoginta, quorum opera in plumbi metallis aqua exhauriebatur, & Slaucouia propter iniuriam, quam Sueborouius à Præfecto eius oppidi acceperat, incensa, Vielunensem quoque agrum vexarunt. Causa latrocinandi eis fuerunt emerita pridem in Prussia sub Rege stipendia, quæ cum non soluerentur ob inopiam ærarii: illi ex professo quouis modo se ea à Polonis repetituros esse denunciarant, & magnus ad eos egentium perditorumq; hominum numerus ex omni vicinia confluebat.

Lassinum à Polonis frustra obsessum.

Polonorum in castris disciplina militaris nulla.

Latrocinia in Minore Polonia.

In Masouia Vladislaus Dux Plocensis hectica febre, quam illi familiæ hæreditariam fuisse Dlugossus memorat, emaciatus, per eos dies vita excessit, Ziemouito & Vladislao filiis impuberibus relictis. Ne Boleslai quidem alterius fratris, qui paulo ante obierat, filii adulti, & gerendis rebus maturi erant. Itaque Paulo Gizicio Episcopo Plocensi totius Masouiæ administratio mandata publice, quoad pueri adolescerent. Atque is bene & cum laude se gessit, mores quosdam legesque barbaras exercendorum iudiciorum, pœnarumque exigendarum sustulit: Rex dimisso exercitu, Grudenti cum Senatu de gerendo deinceps bello consultauit. Et quoniam mercenatio milite id geri placebat, nec suppetebat pecunia in stipendium, censebant plerique, pensionem duodenûm grossorum agricolis imponendam esse, suis quidem ac Nobilitatis simplam, regiis vero & ecclesiasticis duplam: adhæc vt ecclesiasticus ordo dimidios reditus suos conferret. Retractatum est hoc postea in comitiis Petricouiensibus insequentis anni

Vladislaus Dux Masouiæ moritur.

Episcopus Plocen. gubernator Massouiæ.

Ann. Chr. 1456. Comitia Petricouiæ.

milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi ſexti principio, contendentibus Epiſcopis: decretum q;, vt æſtate ſequenti publica in Pruſſiam expeditio mature poſt Pentecoſten fieret. Nec tamen ea facta, propter anguſtiam rei frumentariæ & pabuli, ex largioribus imbribus & inundatione aquarum. Quin & ſuperioris anni expeditio magna ex parte eam calamitatem intexerat. Ad hæc nihil ea expeditione opus viſum eſt, eo quod debellatum iam videbatur, cum Poloni, quibus id negotium mandatum, cum hoſtium militibus de dedendis munitionibus ac reddendis captiuis decidiſſent, equitibus ſeptuaginta ſeptem florenos, peditibus vero dimidium eius emeritorum apud Cruciferos ſtipendiorum nomine ſolutum iri pacti, vrgentibus maxime Prutenis, ac dimidiũ eius pecuniæ pollicentibus. Qua de cauſa Rex ipſe etiam in Pruſſiam excurrerat. Itaq; alteris comitiis ad ſextũ Idus Septemb. Petricouiam indictis, de pecunia acquirenda conſultatũ eſt; nam in ærario regio prorſus nulla erat. Placuit autem vniuerſo conuentui, vt Rex pariter, & eccleſiaſticus, equeſtriſq; ordo vniuerſus dimidium annuorum cenſuum conferrent, ne honorum quidem & magiſtratuũ fructibus exceptis: oppidani vero ſoli, iuxta ac mobilium bonorum æſtimatione facta, vt binos à marca groſſos penderent: agreſtes vero ſingulos groſſos in capita vtriuſq; ſexus: cæterum Nobiles, qui nullos haberent agricolas & adſcriptitios, neq; cenſus; vicenos quaternos groſſos. Nec tamen Petricouiæ res ea confecta: ſed maiores quidẽ Poloni in Colenſi, minores vero in Corcinenſi demum conuentu denuo inſtituto, decretum id approbarunt, lectis quæſtoribus, qui eam pecuniam ex Republica diſpenſarent. Cæterum eccleſiaſtici ad ſynodum eam rem reiecerunt, ac põtificiæ modo ſiue viſitatæ æſtimationis dimidium contribuerunt. Quanquam Cracouienſis Epiſcopus vltro tres trientes, cæteri vero Epiſcopi iuſtas cenſuum pariter ac decimarum pecuniarium ſemiſſes contulerunt. Cum autem ne hæc quidem ſufficere viderentur, aurum inſuper & argentũ è Cracouienſi templo à Rege importune flagitatum, ſed conſtanter ab Epiſc. Cracouienſi negatũ: placatuſq; Rex quinq; millibus florenorũ Epiſc. collegiiq; fide à mercatoribus acceptis, vt Rex ea poſtea ſolueret. Miſſi ſunt etiam legati è comitiis Petricouienſibus in Podoliã, qui arces armis, commeatibus, ac propugnaculis munirent, & iusiurandum à Præfectis earũ exigerent: quod eam Lithuani miſſã ad Regem legatione repetebant, admonentes eũ iurisiurandi, quod ſibi profecturus ad ſuſcipiendum regnum dediſſet: ni faceret, nõ toleraturos ſe diutius eam iniuriam. Addebant autem eis animum Cruciferi fœderati.

Transactio Polonorum cum Cruciferorum militibus. Comitia iterum Petricouiæ. Tributum imauditum.

Conuentus Coli & Corcini.

Lituanorũ legatio ad Regem ac ſperior.

In Moldauia vero per id tempus Alexandro Palatino veneno ſublato à ſuis, Petrus populi fauore ſucceſſit, miſſiſq; ad Regẽ oratoribus aliquoties, tandem à diſtracto tot ſimul curis ac negotiis aſſenſum impetrauit, vt quidẽ Dlugoſſus memorat. Diſtinebantur tunc Poloni bello Pruſſico, ne ſociis opem ferre poſſent. Nihil enim non agebant Cruciferi, vt eã prouinciã nuper amiſſam recuperarent: ac per illud ipſum tempus Brathianum arcẽ munitam, in Culmenſi tractu præſidiariis militibus præfecto abſente corruptis receperant. Brodniciam vero elam noctu intercipere conati, nõ latuerunt, & nõ ſine ſtrage repulſi ſunt. Porro Torunienſis plebs petulantia Polonorum militum irritata, in Cruciferorum partes propenſior, claues portarũ vrbis magiſtratibus ſuis ſibi aduerſantibus ſeditione coorta ademit. Verũ Gedanenſes accitis propere regiis militibus de proximis præſidiis eũ tumultum

Petrus Moldauiæ Palatinus init at Regi Polon.

tum ſedarunt, ducentis de primoribus plebis comprehenſis, ac ſeptuaginta ex his, qui capita ſeditionis fuerant, cæſis. Per idẽ tempus magiſtratus ciuitatis Cracouienſis Nicolaum Turſcium presbyterũ, & Nicolaum Gnoiniũ & ipſum ſacris initiatum, furti inſimulatos, captos, ac quæſtionibus examinatos noctu clam capitali ſupplicio affecit. Quamobrem toti ciuitati ſacris interdictũ, donec Epiſc. à Rege exoratus, trecentis florenis mulctæ nomine à Cracouienſibus acceptis id interdictũ ſuſtulit. Comitiis Petricouienſibus peractis, Rex auctus filio Vladislao, nequicquã eũ retinentibus proceribus, & vt res Pruſſicas prius conficeret, poſtulantibus, in Lithuaniam ad ſedandos motus ibi concitatos profectus eſt. Etenim Lithuani pleriq; abſentia Regis offenſi, & Podoliæ cupiditate incenſi, aliũ ſibi Principem creare conſtituerant, Simonem Kiouienſium Ducẽ Olelconis filium. Hos igitur motus Rex indulgentia & largitionibus ſuppreſſit magis in præſens, quã ſedauit. Gedani quoq; per id tempus promiſcua multitudo tumultuata eſt, autore Martino Cogio, ingenioſo ac factioſo homine, Cruciferorum q; rectus fauente. Cauſa ſeditionis fuit, quod regii milites ſuburbana ipſorum incenderant, & quod Rex in Lithuaniam conceſſerat: vnde colligebatur, & iactabatur vulgo, ei res Pruſſicas curæ non eſſe. Antiquis ergo magiſtratibus quaſi aduerſariis amotis, nouos creant. Dum autẽ gliſcit ſeditio, Vlricus Czerwonca Bohemus præfectus præſidii Mariæburgenſis data opera aduenies, prudenti oratione in gratiam partes diſſidentes reduxit, & in fide regia cõtinuit, oſtendens, quanto magis expediret ei ciuitati à Polonis ſtare, à quibus magnis beneficiis ac libertate donata eſſet, & ſine quibus ægre ſeſe ſuſtentare poſſet, quã ſuperbis & crudelibus Cruciferis ſeruire. Miſit deinde ad maioris Poloniæ proceres, & ad Regem, quanto in diſcrimine eſſent res Pruſſicæ, & vt maiori eas curæ haberent, admonens. Atq; ex eo tempore regiarũ partium ſtudioſus eſſe cœpit, magnaq; beneuolentia, cum Poloni ad redimendas à militibus Cruciferorũ arces nondum ſatis parati eſſent, diem numerandæ pecuniæ prorogauit. Miſere deinde maiores Poloni Palatinum Breſtenſem ad Regẽ in Lithuaniam: miſere & Gedanenſes orantes, vt is quã primum ad componendas res Pruſſicas aduenire. Nec tamen quieſcebat Cogius, donec Ioannes Czarncouius Caſtellanus Gneſnenſis, qui cũ Caliſienſi Caſtellano Vladislauienſi Epiſc. gubernatore in Pruſſiam à maioribus Polonis miſſo adiunctus erat, Gedanũ venit. Cuius aduẽtu legitimus magiſtratus ſumpta fiducia capitale ſupplicium de Cogio ſumpſit. Sic motus omnes cum eo conquieuerunt.

Turſcius & Gnoinius ſacerdotes ſupplicio affecti ob furtum. Vladislaus Caſimiro Reginaſcitur. Lithuani nouas res moliuntur. Gedani ſeditio

Sedata à Czerwonca.

Legatio Polonorum maiorum & Gedanenſ. ad Regẽ in Lithuaniã.

Vere nouo prioris illius anni nempe milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi ſeptimi Rex Caſimirus flagitantibus Prutenis ac Polonis è Lithuania iterũ in Poloniam ad Petricouienſia comitia venit: atq; inde ad Colenſem maiorũ Polonorum conuentum profectus, impetrauit à Nobilitate eius oræ, vt, quoniã pecunia deerat in ſtipendiũ mercenariis militibus, ipſa Slochouiã, Sueczam, ac Tucholiam arces Pomeraniæ tuendas ſuſciperet: poſthæc in Pruſſiam Gedanũ diuertit: vbi à Carolo Suecorũ Rege exule, pedibus extra vrbem progreſſo, ſalutatus, & à Gedanenſibus ſplendide acceptus eſt: exſolutaq; militibus hoſtium conuenta pecunia, nempe quater centenis ſeptuaginta ſex millibus florenorum, Mariæburgum, Ilauiam, atq; Derſauiam ab eis recepit. Maxime vero Rex à Gedanenſibus ad exſoluendã eam pecuniã triginta millibus denuo extra ordinẽ collatis adiutus eſt. Nec

Ann. Chr. 1457. Comitia Petricouiæ.

Regis Caſimiri in Pruſſiam aduentus.

Gedanenſiũ munificentia in Regẽ Polon.

ſtudium Czeruoncæ Præfecti præſidii Mariæburgenſis erga Regem obſcurum fuit, cuius autoritate milites fidem non mutarunt, quamuis ad præſtitutam diem reliqua pecunia ſibi non numeraretur. Itaque quinquaginta ſex millibus florenorum in Suecia, Golubo, Preuſsmarco, Coualouia, & Meua obligatis & oppignoratis Rex eum muneratus eſt, & mox in duarum ex his primarum præfecturarum poſſeſſionem eum miſit. Mariæburgo quoque eum præfecit: ipſe vero Bidgoſtiam ſe recepit. Obſidebatur nihilominus Meua ſiue Gnieuum à mercenariis militibus, & maioribus Poloniis: iamque tantum fames apud obſeſſos inualuerat, vt vix paucos dies obſidionem toleraturi eſſe viderentur: ſed Poloni ſine vlla diſciplina militantes, nequicquam vetante ac deprecante Magiſtro militiæ Prendota Lubeſſouio, domos dilapſi ſunt, autore Ioanne Kotficio, ab hoſtibus corrupto. Atque ob eam rem is poſtea capite damnatus eſt à Rege. Per eoſdem dies male à Dobrinenſibus quadringentis fere domi pugnatum eſt contra octingentos hoſtes, qui ex Dzialdouia excurſionem fecerant. Atque ii vaſtata ora Dobrinenſi non contemnendam prædam abegere. Apud Schipenbeilum quoque oppidum in inferiore Pruſſia, quod à Cruciferis obſeſſum erat, infeliciter Poloni ab obſidione hoſtem depellere tentarunt. His igitur ſucceſſibus erecti Cruciferi, ad recuperationem Mariæburgi adſpirare cœperunt, quibus fauebant clam complures oppidani, ac equites, qui in arcis præſidio cum Czeruonca erant. Itaque conſtituta cum eis proditione Bernhardus Sonnenbergius cum expedita manu aduenies, noctu in oppidum receptus eſt, præſidiarioſque regios ſine vllis exuuiis per domos diſperſos, ac ſomno oppreſſos concidit: nonnulli tamen in tumultu nocturno in arcem euaſerunt. Czeruonca tumultu oppidano excitus, hoſtem ad arcem concurrentem lapidibus & omni telorum genere deſuper repulit. Cum autem dies illuxiſſet, crebræ fiebant ex arce in oppidum globorum è fulminalibus eiaculationes, adeo vt nemo in publicum tuto prodire poſſet: ſed in domibus fere latitabant hoſtes, perfractiſque parietibus vltro citroque commeabant. Veriti autem, ne qua ex arce eruptio in ſe fieret, foſſa & aggere ab arce oppidum interſepſerunt. Quod cum perfeciſſent, traiecto Nogato in inſulam maiorem impetum fecerunt, vt eam depopularentur, aut ſuæ poteſtatis facerent. Forte eodem Lubeſſouius cum reliquiis diſſipati exercitus, & auxiliis Gedanenſium Mariæburgo ſuccurſurus, ſub idem tempus aduenit, nauibus Gedano aduectus. Eius milites vbi nec opinantes in hoſtem longe validiorem, quippe qui octingentorum numerum excederet, incidere, metu perculſi, ad naues reſpectabant. Sed Lubeſſouius ſtricto gladio pro hoſte ſibi futurum minitatus, quiſquis ad fugam ſpectaret, fugam eorum inhibuit, & caſtra ſecundum aggerem inſulæ metatus eſt, ita vt à tergo aggere, à fronte vero curruum obiectu tutus eſſet. Sonnenbergius deſpecta eorum paucitate caſtra adoritur: defendunt illi acriter, cum ecce in ipſo feruore pugnæ quadringenti armati Stargardia in auxilium Polonis aduenere. Inſtauratur prælium maiore vi, biſq; pedem referre coacti hoſtes, tertium redintegrato prælio victi, perpeti fuga Neuteichium, atque inde Mariæburgum ſe receperunt, octoginta de ſuis amiſſis, & Sonnenbergio duce vulnerato. Nil tamen is de officio remiſit: quin per illos ipſos die Culma potitus eſt, proditione Bohemi cuiuſdã, qui cum prius ſtipendia feciſſet in caſtris regiis, vxorem opulentam eo in oppido duxerat.

Obſidio Meuæ.

Dobrinenſes à Cruciferis fuſi.

Schipenbeili obſidio.

Mariæburgi proditio inſtructa.

Polonorum victoria de Cruciferis in inſula maiori.

Culma Cruciferis prodita.

duxerat. Ilauia quoque regio præſidio, quod pabulatum exierat, excluſo, in poteſtatem Cruciferorum venit.

Ilauia Cruciferis dedita.

De hac tam varia & maiori ex parte aduerſa Polonorum fortuna cum Regi renunciarum eſſet, perfecit apud maiores Polonos, vt in centenas marcas annui cenſus ſingulos haſtatos equites mitterent: (haſtati autem vnius nomine apud Polonos tres equites continentur: nempe haſtatus vnus grauioris armaturæ cum duobus baliſtariis) Ciuitatibus pedites imperari, quorum quidem ſex millia pariter cum equitibus fuere: eaque Mariæburgum ductore Stiborio Chelmſcio Præfecto maioris Poloniæ miſſa ſunt. Atque illi exercitui vna cum auxiliis Gedanenſium & Elbingenſium ſatis fuit hoſtes importando in oppidum commeatu prohibere, nec elici ad pugnam ab hoſtibus potuit, ne ſuburbanis quidem Torunienſibus incenſis. Dum hæc ita geruntur in Pruſſia, ne Cracouienſis quidem ora quieta fuit. Duo nam fratres Sueborouij cum ea, quam coegerant, latronum manu montem, cui Zebrace nomen, prope Oſuiecimum, caſtello communiuerant, atq; inde viciniam omnem latrociniis vexabant. Pluribus autem indies tanquam in ſentinam quandam confluentibus, alium quoq; montem, qui Vapenna dicitur, prope Dopſice, itemque Miſlouice caſtellum communierunt: parumq; abfuit, quin Oſuiecimum quoq; in ſuam poteſtatẽ redigerẽt, octo de ſuis, qui capti in arce aſſeruabantur, ſumma turri potitis. Qui vt decederent, nõ vi, ſed precio ducentorum aureorum perfectum eſt à Præfecto arcis Ioanne Synoviecio. Vix autem ſub initium autumni minores Poloni edictis regiis euocati ſunt, vt contra latrones illos atma ſumerent. His vero ſumptis, amicos quidem afflixerunt, in eccleſiaſtici ordinis bona fructuſq;; qua proficiſcebantur, impetum facientes: hoſtibus vero non nocuerunt, ſed cum Miſlouice aliquandiu obſediſſent, facto fruſtra in caſtellum impetu, irrito conatu diſceſſum, quadraginta Nobilibus præter cæteram multitudinem amiſſis, centum ſauciatis. Ac ne Poddia per id tempus tumultus & incommodi exors fuit. Nam Tartari populabundi improuiſo in eam oram irruptionem fecere: in quos Bartholomæus Buczacius Præfectus Podoliæ, & Ioannes Laſczius Succamerarius impetum quum feciſſent, primumque agmen fudiſſent, à multitudine barbarorum alterius agminis, pauci in orbem circumuecti, ad internecionem, non impune tamen, profligati ſunt. Haud mora, victores populatione omiſſa, ad ſua ſe receperunt, veriti, nccubi defatigatos, & ad paucos redactos recens hoſtis inuaderet.

Polonorum aduerſa fortuna in Pruſſia.

Maiorum Polonorum expeditio in Pruſſiam.

Latrones in minori Polonia.

Oſuiecimii pene capti.

Polonorum minorum expeditio contra latrones.

Tartari Podoliam populantur.

At Rex Caſimirus conſtitutis rebus Pruſſicis Petricouiam ad comitia viceſima quarta Nouembris indicta profectus eſt. Sed cum ibi nihil de Republica ob infrequentiam Senatus ad coercendam latronum vim intenti, conſtitutum eſſet, alij conuentus Coli & Corcini acti ſunt: & in his decretum, vt agrarium tributum duodenûm groſſorum è manſo agreſtibus imponeretur, vnde ſatisfieret iis, quibus emerita in Pruſſia ſtipendia ſoluta non erant. Præfectura Cracouienſis, amoto ob ingraueſcentem ætatem Ioanne Gzizouio, Nicolao Pienianſco mandata eſt auctis reditibus, quo numeroſiorem familiam pacandarum, & à latrociniis purgandarum viarum cauſa poſſet alere. Satisfactum deinde iis, qui latrocinio & bello emerita ſtipendia repetebant: caſtellaque ab eis dedita, diruta ſunt Regis voluntate, ne deinceps etiam latrocinantium eſſent receptacula. Nobilitati vero Oſuiecimenſi latronum vexationibus afflictæ à Rege ſubuentum eſt. Conuentu

Comitia Petricouiam indicta.

soluto Rex vna cum Regina in Lithuaniam seceſſit, indeque ad calendas Maias inſequentis annis Petricouiam ad alia comitia rediit. Vbi cum de expeditione in Pruſſiam conſilia agitarentur, ac decerneretur, venit Ioannes Iſcra ex Vngaria, hortans Regem, vt regno Vngarorum hæreditario vxoris ſuæ iure animum adiiceret, neque occupari id à Matthia homine nouo pateretur, ſtudium & operam ad id ſuam Regi pollicens. Et retinebat is adhuc munitiones quaſdam in Vngaria. Cum autem intelligeret, Pruſſicum bellum ei rei impedimento eſſe, componendi aut intercipiendi eius partes ſibi ſumpſit, Rege pacem non abnuente. Ne Cruciferi quidem abhorrere à pace videbantur: & ſperabat Iſcta facilius etiam fore negotium, quod Bohemorum mercenariorum armis, quorum ductores fere familiares eſſent ſui, tunc res Cruciferorum maxime nitebatur. Sed eum ſpes fefellit. Elati enim hybernis ſucceſſibus paulo ſecundioribus Cruciferi, iniqua poſtulabant. Quocirca præciſa pacis ſpe vniuerſæ regni copiæ Regis edicto ad Gnieucouiam conuenere: inde Viſtula manuali ponte tranſmiſſo, ad Papouiam caſtra metatæ ſunt. Interceperunt fraude eam arcem hoſtes, atque inde Torunienſem agsum vehementer affligebant: ſed permunita ea erat, nec ſine multorum periculo à Polonis expugnari poſſe videbatur. Cæterum lixæ & calones, ac promiſcuum vulgus nemine iubente & temere ad mœnia procurrens, mox omnem exercitum incredibili expugnandæ arcis ardore ac ſpe inflammauit. Itaque facto impetu, portaque effracta, cum iam caperetur arx, hoſtes magnis clamoribus victorum miſericordiam implorarunt: exauditique à Petro Szamotulio Caſtellano Poſnanienſi, penes quem ſumma in exercitu ſecundum Regem poteſtas erat, minore porta à caſtris auerſa emittebantur. Arx deinde tota ſubiecto igni à furente multitudine conflagrauit, murique arcis, ne ab hoſte inſtaurarentur, Rege iubente diruti. Inde ad Culmam caſtra mota. Nec tamen tentata eſt eius oppidi oppugnatio, quod amplum quidem eſt & neque arte, neque natura munitum: ſed eo vndique hoſtium copiæ confluxerant. Ad Matiæburgum poſtea itum: ibique Poloni caſtra poſuere, ac deſides tempus triuere, ludificantibus eos ſpe pacis Cruciferis, ad quam conficiendam Iſcra ſequeſtrum ſe interponebat. Per quos dies Nouum oppidum in Pomerania citeriori dimiſſo Polonorum præſidio, quaſi ſuis viribus ſe tuiturum eſſet, hoſtile accepit. E diuturna vero eodem in loco ad Matiæburgum mora (nam in duos menſes ducta eſt obſidio) fœtore, & pabuli victuſque inopia regius exercitus affectus eſt: ita vt octingenti homines, equorum autem ſeptem millia fame ac peſte interirent. Eam ob rem indignari multitudo, & facto agmine ad Regis tentorium orare, vt vi ſe oppidum non munitum capere pateretur, aut vero obſidionem ſolueret. Cum vtrumque ſuaſu procerum quorundam negaretur, negligentius omnes munia belli obibant, ſolutaque diſciplina, neque cuſtodias & excubias agebant. Creuit hoſtibus audacia, ita vt ij erumpentes leuibus incommodis regios afficerent. Inde coorta maior indignatio, quam auxit hoſtium clamor, auro ſe redemiſſe, ne oppugnarentur, è mœnibus vociferantium. Et ſane deprehenſi ſunt nonnulli noctu ad oppidum cum mandatis quorundam procerum commeantes. In primis autem Ioannes Brezius Procancellarius eam infamiam vulgo ſuſtinuit: & niſi fuga ſe ſubtraxiſſet, violatus eſſet à concitata multitudine. Tandem inducię cum

Ann. Chr. 1458.
Comitia Petricouia.

Polonorum expeditio in Pruſſiam.

Papouia expugnatur à Polonis.

Papouia conflagrauit.

Mariæburgum obſidetur.

Nouum capitur à Cruciferis.

Stragis hominum & equorum ad Mariæburgum.

Inducia viginti menſium.

oūtio ſtibus viginti menſium confectæ ea conditione, vt intra id tempus octoni vtrinque arbitri pacis ad Culmam conuenirent: inter quos ſi non conueniret, vt Alberti Ducis Auſtriæ ſummum eſſet arbitrium. Interim autem Mariæburgum oppidum Iſcra ſequeſter obtineret, ac vtri parti id adiudicaretur, traderet: aut ſi infecto negocio diſcederetur, Cruciferis redderet.

Dū hæcita aguntur, vniuerſa Nobilitas longioris moræ impatiens, iniuſſu regio domos diſceſſit, orto à Ioanne Oſtrouicio cognomento Naſſiano diſcedendi principio. Quocirca Rex quoque ſuffecto in præfecturam Mariæburgenſem pro Czeruonca Sciborio Chelmſcio, diſcedentem exercitum ſequi coactus eſt, nequicquam retinentibus eum Prutenis, & maxime Gedanenſibus, qui ei in quatuor militum millia ſtipendium, ſi ad Mariæburgum manſurus eſſet, pollicebantur. Sed vxoris deſiderium ei fuit antiquius, vt ait Dlugoſſus: quæ quidem per eos dies ad quintum Nonas Octobris Caſimirum filium Cracouiæ peperit. Quamobrem eo contendit, ibiq; legatos Georgij Podiebradij noui Regis Bohemorum poſt Ladislaum, qui ante annum in ipſo nuptiarum apparatu Pragæ repentino morbo obiit, audiuit, fœdus petentes & ingentia auxilia contra Cruciferos, regnique ſucceſſionem Caſimiro (quæ ſecundum Ladislaum, hæreditario iure ad vxorem liberoſque eius proximos Ladislai cognatos pertineret) pollicentes. Georgium procerum precibus victum regnum ſuſcepiſſe, ne quis alius præriperet: eo defuncto ad iuſtos hæredes rediturum. His reſponſum: Regem fœdus & amicitiam cum Bohemis ſemper coluiſſe, cupere vero, vt mutuum ab eis fieret. Non commeruiſſe eum, vt cum liberis ſuis regno excluderetur hæreditario. Atque eam iniuriam, ſe ad hunc vſque diem patienter tuliſſe. Quod ſi deinceps Bohemi officiis ac beneuolentia certare cum eo vellent, non ingratum experturos. Georgium non male feciſſe, facturumque, ſi aliquam Caſimiri liberorumque eius rationem in ſuſcipiendo regno duxiſſet, ſique legitimis hæredibus id relinqueret.

Gedanenſium ſtudium erga Regem Polon.

Caſimirus filius naſcitur.

Georgii Regis Boh. noui legatio ad Regem Polon.

Comitia deinde ad medium Ianuarij ſequenti anno Petricouiæ habita: vbi de pace ac bello cum Cruciferis conſultatum. Increbuerat enim, Cruciferos his conditionibus pacem facere velle, vt centum florenorum millia impenſæ bellicæ nomine Regi numerarent, viginti millium tributum quotannis penderent, duo vexilla auxillaria ad quoduis bellum mitterent, & vt ſinguli Magiſtri in Regis verba iurarent: Pruſſiam vero ſibi cunctam haberent iiſdem finibus, quibus ante id bellum habuiſſent. Probabat magna pars Senatus has conditiones: ſed Prutenorum legatio commodum aduenies, orabat Regem atque Senatum, ne ſe in fidem ſuſceptos Cruciferis in ſeruitutem miſeram proderet: Elbingæ ſe conuentum egiſſe, nouoque fœdere ſeſe inuicem obſtrinxiſſe, extrema omnia pati malle, quam in Cruciferorum poteſtatem redirent. Erant & in Senatu regio, qui cenſerent, non ex fide atque dignitate Regis, & Polonicæ gentis fore, Prutenos ſocios deſerere, ſuaque olim amiſſa, nuperque recuperata, rurſus prodere aut vendere. Non diuturnam pacem eo precio redimi, ſed perpetuorum hoſtium vires refici, & opes augeri. Efficax fuit hæc oratio, decretumque non eſſe deſerendos prodendoſque Prutenos. Verum de ratione continuandi belli ad particulares cōuentus reiectum eſt. Nobilitas enim Polona præterita expeditione offeſa, & pecuniarium ſubſidium negabat, & militiam in poſterū detrectabat.

Ann. Chr. 1459.
Comitia Petricouia.

Prutenorū legatio ad Caſimirum Regem.

Quam

Quam ne Rex quidem probabat, propter nimiam atque pernicioſam equitum licentiam. Interea Rex in Lithuaniam cum Regina excurrit: indeq; reuertens, ad Colenſem maiorum Polonorum conuentum poſt initium æſtatis adfuit: & vt expeditio in Pruſſiam pro modo facultatum decerneretur, ab ipſis impetrauit: nempe vt de centum marcarum cenſu annuo eques vnus haſtatus mitteretur: oppidani vero regij peditem ſuppeditarent. Difficiliores fuere minores Poloni, & emendari prius quædam in Rege ac Magiſtratibus flagitabant. Itaque pro hoſtibus habiti à Rege nonnulli, quorum inſtinctu hæc fieri videbantur: ſed tamen eorum pertinaciæ datum, vt ad calendas Septembris Petricouiam rurſus comitia vniuerſæ Poloniæ indicerentur. Miſſi vero octo de proceribus (quemadmodum cum Cruciferis cõuenerant) in Pruſſiam, ad agendum de pace, re infecta redierunt, cum neque illi Nieſſouiam venirent, neque Polonis Culmam veniendi ſecuritatem præſtarent luculentam. Itaque fecerunt maiores Poloni ſatis promiſſis ſuis, vt expeditionem in Pruſſiam facerent. Verum nullum ij laborum precium fecerunt: agros modo ſociorum vtrunq; tutati ſunt per æſtatem: ſub autumnum autem domum non expectata miſſione remearunt. Per quod tempus mercenarij milites in inferiori Pruſſia, inſignem de Cruciferis retulerunt victoriam: nec multum abfuit, quin Ludouicus Magiſter viuus in poteſtatem eorum veniret. Præda non contemnenda parta, ità vt viceni aurei in milites diuiderentur. Itaque de pace rurſus agi cœptum à Cruciferis. Per quod tempus renouatis induciis, Lubauia Cruciferorum præſidium accepit, cum ad eam diem à partibus Regis ſtetiſſet. Ad Meuam vero complures naues, frumentum & ligna atque aſſeres è Polonia Gedanum portantes, ab hoſtibus ablatæ ſunt. Quæ cum à Rege repeterentur, reſpondit Magiſter, iniuſſu ſuo à militibus id factum, neque eos imperium ſuum exaudire: atq; adeo pacis quoque arbitrium penes eos eſſe: clementer Rex ageret, & Ordinem Cruciferorum nc penitus iret perditum. Sub finem Auguſti menſis venit ad Regem Lenciciam Vratislauienſium & Namislauienſium legatio, deditionem oppidorum ſuorum offerens, quod ſub imperio Georgij Regis Bohemorum hæretici cum reliqua Sileſia eſſe nollent. Commendata eſt eorum pietas ac religio, ſed aliter ſibi proſpicere iuſſi ſunt: Caſimirum eos tueri non poſſe pruſſico bello implicatum, ſi pacem cum Cruciferis fecerit, tunc demum recipi eos poſſe.

Comitia item Petricouiæ.

Expeditio Polonorum maiorum in Pruſſiam damnoſa. Cruciferi victi.

Induciæ cũ Cruciferis.

Vratislauiorum Legatio ad Regem Pol.

Comitia deinde Petricouiæ habita: ad quæ Cracouienſis prouinciæ nuncij venire recuſarunt, niſi fides publica à Rege ſibi daretur. Acceperant enim, Regem aulicum ſuum & procerum quorundam, quibus fidebat, comitatum in armis eſſe juſſiſſe. Nam erat is admonitus, conſilia ab illis contra ſe inita eſſe. Erat res noua & inaudita: ſed tamen, ne qua maior turba & ſeditio excitaretur, datum hocillis. Principes eius legationis erant, Ioannes Rithuianius præfectus Sendomirienſis, Ioannes Tarnouius, & Ioannes Melſtinius. Impetrata vero dicendi facultate in frequenti conſeſſu Ioannes Rithuianius præ cæteris collegis in hanc ſententiam ad Regem verba feciſſe fertur. Ingentem animis dolorem haurimus, Rex ſereniſſime, quod nos immerentes, ac tibi addictiſſimos pro hoſtibus ducis, & armatum præſidium contra nos comparaſti. Nemo eſt noſtrum, atque adeo ex omni numero Polonæ Nobilitatis, quem odiſſe, aut metuere debeas: omnes te ſummo ſtudio atque obſequio proſequimur, ſemperque proſecuti ſumus.

Comitia Petricouiæ.

Oratio Ioan. Rituiani ad Caſimirum Regem.

cuti ſumus. Verum dura neceſſitas, & impendens exitium nos impulit, co- »
mitia hæc abs te efflagitare, non quo aliquid contra te moliremur, ſed vt ſa- »
luti & incolumitati noſtræ, liberorum noſtrorum, ac longæ poſteritati, ſi- »
mulque dignitati Reipublicæ noſtræ calamitoſæ tandem aliquando pro- »
ſpiceremus. Quod ſi roges, quid id mali, aut vnde? Vndenam cenſes? niſi »
vnde minime ſperabamus, & vnde minime decuit. Abs te, inquam, tuiſque »
magiſtratibus, quorum etiam culpa omnis in te redundat. Tui præfecti non »
modo ius non reddunt petentibus viduis ac pupillis, verum etiam per ſum »
mam iniuriam ac potentiam nos fratreſque noſtros opprimunt: boni: indi- »
cta cauſa ſpoliant; vinculis, vulneribus, & omni contumelia afficiunt: quem »
admodum nuper poſt edicta hæc iam comitia. Sigiſmundo Laticinio & »
Virzbientæ Siennicio à Ioanne Kuropatua præfecto Chelmenſi vſu venit. »
Atque hæc tamen, quod priuata ſunt, & ad ſingulos pertinent, reuera duci- »
mus: illa multo grauiora & acerbiora, quæ te cõniuente ac indulgente Lith- »
uani in nos deſignant: nempe, quod Luſcum & omnem illam fertilem o- »
ram Ruſſiæ nobis interceperunt, pagos nonnullos à Parczouienſi territorio »
abſtraxerunt: Podoliæ quaſdam munitiones occuparunt, reliquis etiam im- »
minent: Maſouiorum Ducibus, ſociis noſtris & clientibus tuis duo territo- »
ria Gonianzum & Vengrouiam eripuere. Hæc te autore facere eos neceſſe »
eſt: non facerent ſane, aut certe non impune facerent, ſi alium regem habe- »
remus. Tu eorum temeritatem & audaciam indulgendo aliis, adeoque pro- »
uexiſti, vt non modo contra Cruciferos ſocia nobiſcum arma ex fœdere »
non coniungant, neque gratiam nobis pro vindicata Samogitia referant, »
ſed ſuperbe quoque tuum imperium iam detrectent. Nec tamen hæc te »
mouent, quo minus bonis ac facultatibus huius regni tam ingratam Lith- »
uaniam ornes & augeas. Quod ſi merita vtriuſque populi recta ratione per- »
pendas, reperies, iniuſtè & indigniſſime hæc abs te fieri. Illi neque tibi, ne- »
que patri tuo vnquam ſatis fideles fuere: & cum iure veſtro eis imperaretis, »
contra vtrumque non ſemel pernicioſa conſilia iniere: ferro & veneno vi- »
tam vtriuſque appetiuere. Nos vero illum quidem obſcurum & ignotum, »
& anguſte imperantem, ad ampliſſimum coniugium ac florentiſſimum re- »
gnum vltro acciuimus, & in vniuerſum terrarum orbem celebrem reddi- »
dimus: Samogitiam & magnam partem Lithuaniæ à Cruciferis ereptam ar- »
mis noſtris ac ſanguine reſtituimus: fratrem tuum Vladislaum non tantum »
ad Polonicum, verum etiam ad Vngaricum regnum fauore & impendiis »
atque opibus noſtris euexim us. In te vero quales fuerimus, tu ipſe teſtis es »
locupletiſſimus. Atque vt alia pręteream, Pruſſicum quidem bellum per tot »
annos in hanc vſque diem & armis & facultatibus noſtris noſtrorumque »
pro te impigre ſuſtinuimus. Pro his meritis iſta nobis abs te refertur gratia, »
vt Lithuanos exuuiis noſtris exornatum eas? Iamne illa quidem leuia ſunt »
incommoda, quod & ipſe leuem monetam cudis, & adulterinam importa- »
ri aliunde permittis? & furum latronumque examina impune in nos & »
noſtros graſſari pateris? Quæ facile tu, quemadmodum debes, nobis quieſ- »
centibus reprimeres, niſi regia bona & reditus perperam diſſipaſſes. Ad »
hæc procurationibus quoque ſiue ſtationibus nimium onerosis nos & ho- »
mines noſtros vehementer exhauris: afflictos à potentioribus non modo »
non vindicas, ſed ne audis quidem quiritantes. Hæc & alia peracerba im- »
merito abs te accidunt, Rex illuſtriſſime, fratribus noſtris, quos obſequen- »

» tissimos & studiosissimos tui semper expertus es. Eà tandem vt corrigas, » mutesq;, demisse per nos abs te petunt. Refer hanc gratiam be ne merentib. » redde nobis, quæ Lithuani te indulgente ademerunt: monera leui cudenda: » abstine: adulterinam summoue: immoderatas stationes circumscribe: » magistratuum impotentiam & petulantiam refrena, ac vigilantiam ex- » cita, vt vias publicas, regnumque omne pro debito suo furtis ac latro- » ciniis purgent: Poloniæ commoda & ornamenta ne minoris facias, quam » Lithuaniæ: denique patrem, non vitricum te nobis præbeas. Quod si im- » petramus, nullus nobis labor, nulli sumptus pro tuis commodis, & ad nu- » mum tuum graues erunt: ac ne sanguini quidem, ac vitæ nostræ pepercerimus. Sin repulsam ferimus, nihil est, quod extra ordinem à nobis expectes. Atque ita tibi persuadeas, neque nos in Prussia tibi sine legitimo » stipendio militaturos, neque pecuniæ quicquam collaturos, confertue » passuros.

Responsum Regis ad orationem modestum.

Modeste ad hæc à Rege, culpam à se remouente, responsum: sed tamen sine successu comitia soluta sunt, maioribus quidem Polonis senum grossorum de manso pensionem non abnuentibus, minorum vero internunciis negantibus factam sibi esse potestatem à Nobilitate alicuius oneris suscipiendi. Itaque alia rursus comitia ad sextam diem Decembris eodem edicta. Vbi cum Regis Senatusque placito viginti de primoribus, qui de Republica consultarent statuerentque, delecti essent, & Rex correcturum se deinceps errata à Nobilitate sibi obiecta recepisset: agraria duodenûm grossorum exactio agricolis, & telonium omnium mercium omnibus, quicumque lucrum sectarentur, in annum imposita: ab ecclesiastico vero & equesti ordine octaua pars censuum promissa Regi in stipendia militantium in Prussia. Ibi etiam præfectura Mariæburgensis, amoto Sciborio Chelmscio, duobus pariter Ioanni Koscieleczio Palatino Inouladislauiensi, & Prendlotæ Lubessouio à Rege mandata: fortassis, vt alter territorio, reditibusque regiis, alter præsidio militari præesset. Inde etiam Iacobus Sienenius Gnesnensis & Cracouiensis Præpositus ad Pontificem Pium secundum à Rege missus est, vt ei de more gratularetur, & obsequium regum profiteretur. Impetrauit autem is, vt remitteret Pontifex Prutenis diras atque excommunicationes, quibus eos ad parendum Cruciferis adigebat. Petebat idem de transferendis ex Prussia in Tenedon insulam Cruciferis: in quo cum omnium fere Christianorum Principum oratores adiuuabant, idcirco quod Mahometes Turcarum Imperator Corinthum vrbem Græciæ nobilissimam, & Lemnum atque Mitylenem insulas paulo ante ceperat, & Peloponneso Eubœæque Imperatorum fratrum dissidio fretus imminebat. Verum id impetratum non est, impensius indulgente Cruciferis & Germanis Pontifice, iam inde, ex quo in aula & ministerio Friderici Imperatoris fuerat. Quorum fortassis opera & odio in Polonos perfectum, vt is nunquam de Polonis bene sentiret, quod è scriptis eius cuique deprehendere licet. Ac ne de diris quidem & interdicto contra Prutenos promulgato impetratum tunc esse à Pontifice ex iis apparet, quæ legatus eius Hieronymus Cretensis Archiepiscopus postea gessit in Polonia.

Iac. Sienenius ad Pontificem legatus.

Pius Pontifex Germanis aquior quam Polonis.

Septem-

Septembri vero mense anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi noni Cruciferi non contemnendam cladem acceperunt ad Passenheimum oppidum inferioris Prussiæ. Nam cum contra id, quod in induciis cõuenerat, oppidanos eius oppidi regias partes scrutos ad defectionem solicitarent, illi re cum præfecto præsidij regij Michaele cognomento Sromothni communicata, mitti sibi præsidium à Cruciferis postularunt. Missi quingenti equites valido cum peditatu: ac cæteri quidem foris manere iussi, trecenti modo equites intromissi, ab armatis Polonis, quos Michael ex aliis præsidiis ad eam rem deduxerat, facile concisi sunt. Dolo animaduerso, reliquum agmen, cum suis in oppido clausis opitulari non posset, fuga sibi consuluit. Vernum huius anni tempus ventorum vehementia & aquarum è solutis niuibus & imbribus bimestri inundatione corruptis segetibus, non parum incommodi ac detrimenti Polonis attulit. Sub finem anni huius Elisabetha Regina Ioannem Albertum filium peperit.

Ann. Chr. 1459. Clades Cruciferorum ad Passenheimum.

Ioan. Albertus Casimiro Reginæ scitur.

Insequentis vero anni initio conuentum Poloni cum Bohemis egerunt Bythomiæ, Præmislo Tessinensium Duce controuersiam de regno Bohemico inter Reges componere, & offensiones inter Polonos ac Silesios tollere studente. Sed tamen re pendente inde discessum, nisi quod alius conuentus ad octauum calendas Iulias in idem oppidum condictus: ad quem Bohemi non accesserunt, offensi multis oppidorum & villarum suarum incendiis à Casimiro Rege & Regina Elisabetha, quemadmodum opinabantur, subornatis. Id vbi accepit Casimirus, non putauit sibi committendum, quin se cõiugemq; suam Georgio excusaret. Ac ea de causa Iacobum Dembiniũ Castellanum Malogostẽsem, & Albertum Garseium legatos ad eum misit, qui se & verbis & prouocatione ad singulare certamen militari more purgarẽt. Qui cum iussa fecissent, nec inueniretur quisquam, qui asseuerare sparsum illum de Rege & Regina rumorẽ auderet, Georgius quoq; nunquã id se de tantis Principib. credidisse affirmauit. Sic ei satisfactum cũ esset, peractus est intermissus conuentus, & pax, fœdus, atq; amicitia inter Reges cõstituta, ea conditione, vt neuter alterius hostes vlla ope adiuuaret: solus Pontifex religionis causa à Casimiro exceptus est. De Masouia quoq;, & pro Ducibus eius oræ, ne quid negocij Georgius ipsi facesseret. Adiectum, vt anno exacto Reges ipsi confirmandæ amicitiæ gratia Glogouiæ congrederentur, & ibi de dote Elisabethæ Reginæ non exsoluta inter se paciscerentur. Fuere autem ad eam rem missi à Rege Casimiro Stanislaus Ostrorogius Palatinus Calissiensis, Ioannes Brezius Procancellarius, & Ioannes Dlugossus Canonicus Cracouiensis. Creditum est autem, opera Cruciferorum submissos fuisse incendiarios illos Bohemiæ, sparsumque vulgo rumorem, quasi à Rege & Regina Polonorum ob interuersum hæreditarium regnum iratis id factum esset. Idque eo feciisse Cruciferos, quo facilius ipsi bellum cum Polonis haberent, si eos Bohemico quoque bello implicassent. Nihil enim intentatum ij relinquebant, quod ad perniciem Polonorum pertinere existimarent. Nec abhorret à vero, Albertum Archiducẽ Austriæ, itemq; Ludouicũ Bauariæ Ducem, & legatos Põtificis Hieronymũ Cretensem Archiepiscopum, & Franciscũ Toletanum Astigiensẽ Archidiaconũ Vratislauiensibus Georgio Regi reconciliãdis operam dantes, ab iisdem Cruciferis subornatos, missis eiusdem anni initio ad Casimirum legationib. arbitrium om-

Ann. Chr. 1460. Conuentus Polonorum cum Bohemis Bythomiæ.

Casimiri Regis legatio ad Geor. Boh. Regem.

Pax & fœdus inter Casimir. & Georg. Reges.

Legationes Pontificis & Principum ad Casim. Regem.

omnis inter ipsum & Cruciferos controuersiæ dirimendæ sibi popoſciſſe, quo facilius eum ſpe pacis ſecurum & incautum fallerent. Caſimirus autem Alberto, qui primus ea de re miſerat, non grauate permiſit, vt amice, ſi poſſet, inter partes componeret. Cæterum de re vniuerſa compromiſſum facere abnuit, ne illum pro amico inimicum haberet, commemorans, qua fide ſe Sigiſmundus Cæſar quondam in eiuſdem modi re geſſiſſet: Ludouico & legatis pontificiis, qui erant ſuſpecti Regi de ſtudio in partem aduerſam, reſponſum: Regem poſtulata eorum facturum fuiſſe, niſi Albertus arbitrium id ſibi ſumpſiſſet. Fœdus tamen ictum cum Bauaro, itemque Conrado Albo Oleſuicenſium Duce, cum quo diſſidij nonnihil propter iniurias quaſdam vltro citroque illatas Polonis interceſſerat.

Alberto Archiduci Auſtriæ pacificatio cum Crucigeris permiſſa.

His dimiſſis, in Ruſſiam Rex nondum exacta hyeme iter inſtituit. Id autem apparanti nunciatur Valciam arcem proditione Ioannis Videlij Præfecti à Caſpato Noſticio & Cruciferis interceptam. Boriuoium autem Scrinnium cum non contemnenda manu è Ziuecia & Turzagora ſubiectam oram latrocinio infeſtare. Et latrocimium quidem Boriuoij Rex per Nicolaum Pienianſium Præfectum Cracouienſem, & Petrum Komorouium cum aulico comitatu & Sciricienſi Nobilitate miſſos, expugnato vtroque eius præſidio, celeriter ſuſtulit. Valciam vero maiores Poloni recuperare iuſſi, obſederunt quidem arcem, ſed non multo poſt ab obſidione infecta receſſerunt. Rex in Ruſſiam profectus, Eczigetem Tartarorum Principem, & Stephanum Palatinum Moldauorum per legatos auxilia cõtra hoſtes popoſcit, promiſſa vtrobique alacriter. Peragrata vero Ruſſia Breſtæ ſupra Bugum cum Lithuanis conuentum egit: animos eorum ad Podoliam armis occupandam, cum Poloni Pruſſico & Bohemico, vt rebantur, bello diſtinerentur, procliues ſanauit. In Poloniam verò reuertens menſe Maio, Sendomiriæ cum minoribus Polonis, & mox Lenciciæ cum maioribus conuentus egit. Conſultatum de ratione belli gerendi cum Cruciferis, miſſusque exercitus ad recuperandam Valciam. Poſt cum Monachis Lubinenſibus conſtitutum, vt ne Abbatem, niſi à Rege approbatum haberet. Inde adeo hic mos inoleuit poſteritus in cæteris quoque monaſteriis totius Poloniæ, vt noui Abbates aſſenſum Regis requirant. Per eoſdem dies Mariæburgenſes oppidani, quatuor fere menſes à regiis obſeſſi, oppidum, quod parum iam abfuit, quin cuniculis actis caperetur, Ioanni Koſcielecio arcis Præfecto dediderunt. Recepto oppido, de tribus modo oppidanis, qui defectionis autores fuiſſe dicebantur, capitale ſupplicium ſumptum: præſidiarij in vincula conjecti: multitudini parſum. Dum Valcia à Polonis obſidetur, Bernhardus Sonnenbergius tria millia equitum peditumque Germanorum & Bohemorum per Marchiam Brandeburgenſem Cruciferis in Pruſſiam adducere, & prope iam adeſſe, velle que Valciam primum obſidione liberare, nunciatur. Ibi Iacobus Dembinius dux regiarum copiarum veritus, ne ſe hoſtes vtrinque aduerſum pariter, & auerſum adorirentur, ſoluta obſidione in æquiorem locum hoſti aduentanti obuiam proceſſit. Sed priuſquam is appropinquaret, milites Germani & Bohemi, cum Francofordiam ad Oderam peruenisſent, ac de deditione oppidi Mariæburgenſis accepiſſent, domos dilapſi, ducem cum quingentis modo militib. deſeruere. Cũ his autem iter ille inſtitutũ proſequens & Polonorum occurſum oblique declinans, confectis vnius diei noctiſq; itinere

Valcia arx à Crucigeris interuerſa.

Valcia à maioribus Polonis obſeſſa.

Conuentus Lithuanorum Breſtæ.

Mariæburgum opp. deditione à Polonis receptum.

itinere duodecim milliaribus, & centum equis, qui laborem tanti itineris non ferebant, amiſſis, ad Choiniciam peruenit. Quo intellecto, ii, qui in præſidio Valciæ fuerunt, nocte arce incenſa eum ſecuti ſunt. Atque is Gedanum contendens, munitionem Gedanenſium vno ab vrbe milliari oppugnare adortus eſt, collocatis opportuno loco inſidiis, ratus, id quod accidit, Gedanenſes ſuis, qui in præſidio erant, opem laturos. Itaque illi incompoſito agmine ruentes, in inſidias præcipitati, & non contemnenda clade repulſi ſunt, ſexaginta amiſſis, ducentis captis, inter quos duo conſulares fuere. Nonnullam rebus Cruciferorum acceſſionem aduentus Sonnenbergii, ſecundumque illud prælium fecit. Mox enim Golubum oppidum proditione in hoſtium poteſtatem redactum eſt: in quo non pauci Dobrinenſes equites vna cum facultatibus ſuis capti ſunt: arcem Czeruonca defendit. Puſcum item, quod Rex Sueciæ exul tunc hypothecæ nomine tenebat, ab eiſdem interceptum, Bielauium oppidum toto anno obſeſſum: Bartenſteinenſes oppidum ſuum dedidere: Suecza arx ſuperior permunita in ripa Viſtulæ fraude ab hoſtibus occupata eſt: quos ad centum vſque captiuus quidam, qui ibi aſſeruabatur negligentius, caſſibus in altum ſuſtulerat: Dobrinenſis ora ne vaſtaretur, vectigalis hoſti facta. Porro Ericus Dux Pomeranorum propinquus, fœderatus, atque ſocius Regis, nulla læſus iniuria, nulla vi adactus, violata fide & iureiurando Lauenburgum oppidum & Bythouiam arcem fidei ſuæ commiſſa à Rege hoſtibus dedidit, nequicquam deprecantibus Lauenburgenſibus, & precium pro redimendis tredecim quibuſdam captiuis (quam cauſam deditionis Ericus prę ſe ferebat) collata publice pecunia pollicentibus. Neque Polonis tamen penitus fortuna tergum obuertit: Quidzinum & Varmia oppida ab iis noctu intercepta ac direpta: vnde tanta miles præda ditatus eſt, vt ducenti floreni in capita cederent: duobus iuſtis præliis victi fuſique hoſtes apud Paradiſenſe monaſterium, & compluribus amiſſis in fugam acti.

Valtia incenſa.

Gedanenſes incommodo affecti à Cruciferis.

Golubum proditum Crucif.ris.

Puſcum interceptũ. Bielauium obſeſſum. Bartenſteinum dedi-tum. Suecza à Cruciferis occupata. Ericus Pomer. Dux Lauenburgum & Bythauiam Cruciferis dedidit. Quidzinũ & Varmia à Polonis capta.

Septembri menſe exceſſit è viuis Thomas Strempinius Epiſcopus Cracouienſis, vir ſingulari memoria, & pietate magna præditus. Eo mortuo tres de Epiſcopa magno & Reipublicæ incommodo, & autoritatis Eccleſiaſticæ atque pontificiæ detrimento, & pernicioſo ambitionis exemplo aliquandiu contenderunt. Nam vbi dies electioni dicta aduenit, miſit Rex ad collegium ſacerdotum, ad quod electio Epiſcopi iure, & more antiquo pertinebat, vt Ioannem Gruſcinium Vladislauienſem Epiſcopum regni Cancellarium eligerent Epiſcopum. Sed tamen is in tanto numero tria modo præſentium, ac totidem abſentium tulit ſuffragia: reliqua duorum & viginti, quibus antiquior fuit Regis iuſſione libertas ac religio, in Ioannem Brezium Procancellarium regni concurrerunt. Verum hic regiis minis deterritus, electionem ſuam repudiauit, Vladislauienſis epiſcopæ adipiſcendæ ſpe accepta. Certa iam ſpe erat de Cracouienſi epiſcopa Ioannes Gruſcinius, cum Iacobus Sienenius Gneſnenſis & Cracouienſis Præpoſitus à Pontifice, apud quem ante annum legatione Regis nomine functus erat, Epiſcopus Cracouienſis renunciatus eſt, cedentibus nomine Thomæ Strempinii quibuſdam, quos ille paucis ante mortem diebus ad peragendum id Romæ inſcio Rege procuratores nuncuparet. Id vbi Rex accepit, fremere in Sienenium, qui ſine ſua autoritate in regno ſuo Epiſcopus eſſe vellet: petentemque per amicos & propinquos, non modo reiicere, verum

Thomæ Strempinii mors.

De Epiſcopa Cracouien. contentio.

etiam proscribere vna cum fautoribus & receptatoribus eius adortus est, Episc. & Palatinis quibusdam incitantibus. Nec deerat sibi Sienenius: nam & initiatus est sacris episcopalibus à Gnesnensi, Cracouiensi, & Vratislauiensi suffraganeis Episc. in arce paterna Pinczouiensi, & à Pontifice acerrimũ & pœnale mandatum, quo diris deuolebantur ii, qui eum pro Episc. Cracouiensi non reciperent, impetrauit. Verum ab eo mandato vniuersum fere Collegium Cracouiensis Basilicæ regio iussu & minis inductum, ad Pontificem ipsum, siue ad futurum vniuersale Concilium prouocauit: sacris tamẽ pleriq; omnes Canonici abstinuere. Pauci quidam ex eo collegio, & omnino ex ordine ecclesiastico pontificiam, quam regiam autoritatẽ antiquioté ducentes, cum Sienenio senserunt: inter quos primarii: Demetrius Sienenius Iacobi frater, Scarbimirien sis Præpositus, Dlugossi duo fratres, Derslaus Krizanouius, & Nicolaus, Canonici Cracouienses. Quibus sacerdotiorum reditus à Nicolao Pienianseo Præfecto Cracouiensi Regis mandato adempti sunt. Hi & item Georgius de Franciscano sodalitio suffraganeus Cracouiensis, qui Sienenium consecrarat, Cracouia abesse iussi: Krizanouius vero domo ab apparitoribus Præfecti extractus, & per mediam vrbem foras eductus eo vestitu, quo Canonici in templo vtuntur. Idem tribus aliis inferioris ordinis sacerdotibus accidit, cultui diuino vacantibus. Reliquum Collegium iureiurando à Rege ipso adactum, ne quem iniussu suo ad possessionem bonorum episcopalium admitteret: quorũ tamen bona pars cũ à Præfecto Cracouiensi, & aliis quibusdam, tum à necessariis Vladislauiensis Episc. regio vel iussu, vel permissu, occupata tenebatur. Dlugossi domus Cracouiæ à Stanislao & Dobeslao Kurosuanciis, Episc. Vladislauiensis propinquis, Rege inspectante & approbante direpta. Sienenius ipse obsideri in arce Pinczouiensi à Rege iussus, Melstini se cum Ioanne Dlugosso seniore totum annum continuit, à domino arcis Ioanne Melstinio receptus, nequicquam prohibente Rege, ne perduellem suum & hostem publicum seruaret. Ad Pontificem vero Ioannes Rithuianius Mareschalcus regni, & Matthias, Racianzius Canonicus Vladislauiensis rogatu & sumptu Vladislauiensis Episcopi missi, vehementer Sienenium, quasi ambitiosum & seditiosum, ac Regi, populo, atque ordini ecclesiastico inuisum, qui vi Thomam Episcopum cedere sibi coegisset, episcopamque vi inuasisset, apud Pontificem accusarunt: oblatis Pontifici regio nomine magnis muneribus, & Friderici Imperatoris ac Georgii Bohemorum Regis commendatitiis literis. Nil tamen aliud à Pontifice impetrarunt, quam, vt is Hieronymo Archiepiscopo Cretensi legato suo causam cognoscendam delegaret, atque interea Sienenio Episcopæ administratione interdiceret.

Sacerdotũ bona inuaduntur iussu regio.

A Collegio sacerdotum iusiurandũ exactum.

Episcopalia bona occupata à Præfecto Cracouien.

In Prussia Cruciferi cum aduentu Sonnenbergii, & aliquot oppidorum accessione, non tam viribus, quam animis aucti, crebris excursionibus Regi subiectum agrum vastarent, Rex mense Decembri Lenciciam, atque inde initio noui anni millesimi quadringentesimi sexagesimi primi Brestam in Cuiauiam cum omni comitatu aulico se contulit, ibique Februario mense comitia celebrauit, veritus, ne, si ea Petricouiæ, quemadmodum indixerat, ageret, maiores Poloni, qui in castris ad arcendos à suis hostium impetus erant, dilaberentur. Sed cum infrequens admodum Senatus eo conuenisset, præsertim ex minori Polonia, nulla re memorabili acta, per Radomiam in Lithuaniam profectus, ad ferias Paschæ Vilnæ Lithuanorum comitia

Ann. Chr. 1461. Comitia Brestæ celebr.

Comitia Lithuanorum Vilnæ.

comitia habuit. Inde repudiatis, seu verius in aliud tempus dilatis eius gentis postulatis, quibus flagitabatur, vt aut ipse secum maneret, aut Simonem Oldcouicium Kiouiensium principem in magni Ducis loco sibi præficeret, in Poloniam reuertens, Sendomiriam Senatum conuocauit. Paucissimi adfuere: itaque neque ibi quicquam fere actum. Cracouiam deinde cum excurrisset, mense Iunio Inouladislauiam ad Prussicum bellum prosequendum profectus est., Nobilitate omni totius Poloniæ eodem conuenire iussa. Verum ea medio demum Augusto mense ægre conuenit. Interim Cruciferi Schipenbeilũ, Rastenburgum, Bielauum oppida, & Morangum arcem obsedere. Neque Rex obsessis opem tulit: sed peiore vsus consilio quorundam procerum, qui à Cruciferis corrupti dicebantur, in Pomeraniam signa conuertit, vt Fridlandiam & Choiniciam recuperaret, & Ericum Sterinensium Ducem vlciscetur. Cæterum præsidiarii, qui Schipenbeili erant, eruptione in obsidentes facta, magna eos strage repulerunt, castrisque eorum potiti sunt. Porro ad Rastenburgum ciuium Magister simulata proditione parum abfuit, quin Magistrum Crucigerorum in præparatas insidias induceret. Fraude à quodam de comitibus Magistri animaduersa, & magistro ciuium ante oppidum confosso, non modo eius oppidi, sed & Morangi obsidio soluta est. Ne Poloni quidem, qui in aliarum arcium & oppidorum præsidiis erant, cessarunt: sed cum Elbingensibus Ioanne Schalio Bohemo duce coadunati, & nauibus eorum per Habum lacum transportati in Sambiam, eam regionem ferro & igni longe lateque populati sunt, & ingentem prædam inde asportarunt: quippe qui inexpectati in oram ab ardore belli remotiorem irrupissent. Per quos dies Elisabetha Regina Cracouiæ quartum filium Alexandrum peperit.

Oppida Prussiæ à Cruciferis obsessa.

Strages Cruciferorum ad Schipenbeilum.

Elbingenses cum Polonis Sambiam populantur.

Alexander Casimiro Regi natus.

Paucis vero diebus ante, Andreas Tencinius vir vetustate & familiæ claritate illustris Cracouiæ (quod fabrum armorum, qui arma sibi ad bellum proficiscenti tempori non perfecerat, bis pulsasset) concursu multitudinis vrbanæ in æde diui Francisci oppugnatus, effractisque foribus in adyto inuentus, immaniter trucidatus, cadauerque eius in forum contumeliose tractum, luto oblitum, & pugionibus confossum, ambustaque barba & capillis ludibrio habitum, & biduo in curia ciuitatis asseruatum, tertia demum die amicis ad sepulturam redditum est. Amici & ministri eius nocte dieque insequenti cum se in turri templo adiuncta strenue defendissent, ad extremum vitam pacti, in ciuium potestatem venerunt, deductique in curiam tertia die, reconciliati multitudini vrbanæ incolumes dimissi sunt. Filius Andreæ cum in furno apud viduam quandam delituisset, noctu ex vrbe saluus euasit. Hæc res in castra renunciata, cum leuius quam pro atrocitate sui ferri à Rege videretur, vehementi indignatione animos Nobilitatis accendit, minus alacriter alioqui expeditionem illam obeunti. Excitatus ab omni exercitu Ioannes Amor Tarnouius Castellanus Sãdecensis pathetica oratione apud Regem atrocitatem cædis Tencinianæ adeo exaggerauit, vt & Regi, & Senatui lachrymas excusserit. Rex graue sibi esse illũ Tencinii casum testatus, causatusq; expeditionẽ, quo minus tã atrox facinus tũc vindicare posset, non inultum fore cum promisisset, haud difficulter multitudinẽ mitigauit: & Præfectus exercitui Petro Szamotulio Posnanien si, & Ioanni Zarembæ Siradien si, Castellanis, & Præfecto Vielunen si Naclẽse territo-

Andreæ Tencinii cades.

Ioã. Tarnouii oratio de cade Tencinii.

Naclen. territorium tributariũ Cruciferis vastatur à Polonis.

territorium suæ ditionis, propterea quod tributum hostibus penderet, ferro flammaq; late deformauit. Deinde admotis ad Fridlandiam castris, oppidum septem dies obsessum, octauo cum oppugnare adortus esset, in deditionem accepit, facta abeundi cum rebus suis potestate hostiũ præsidio. Inde versus Choiniciam progressus, ad mille passus ab oppido quindecim dies in statiuis nullo operæ precio consumpsit, nisi quod per eos dies pars quædam exercitus adhibitis Tartaris Lithuanicis, qui circiter sexcenti erant, in ditionem Erici Stetinensium Ducis populabunda excurrit, & vastatis igni, quæ obuia & imminuta fuere, opimam prædam auexit. Reuertentes Polonos consecuti hostes, & maiore vi adorti, magna ab iis strage profligati sunt. Captiui Regi traditi, cætera præda militibus cessit. Quo facto Sophia Erici coniunx, mulier elegans & prudens, in castra Regis supplicis habitu veniens Regem marito suo placatum reddidit. Rege ad Choiniciam tamdiu statiua habente, infremere cuncta Nobilitas, cum quod autumnalis cæli intemperies, mixtæque niuibus pluuiæ vulgo permolestæ essa parte nauiter rem gererent, Morangumque, Schipenbeilum, & Rastenburgum maioribus viribus denuo obsiderent: exaudiebanturque vulgo voces puerorum, malum consilium Regi acclamantium. Quare inito consilio, cum deinceps milite mercenario bellum illud geri placuisset, Nobilitasque omnis in stipendium duûm millium militum, quæ mox in Prussiam contra hostes mitterentur, vicesimam redituum suorum annuorum partem (proceribus onus id recusantibus) contulisset, & in sequentem annum tributum duodenûm grossorum in iugera sciuisset, sub finem Septembris dimisit Rex exercitum: idque eo incunctantius fecit, quod ad seditionem & ciuile bellum res vergere videbatur maioribus Polonis in Petrum Szamotulium Præfectum aspere & auare gerentem magistrum frendentibus.

Fridlandia recepta.

Ditio Eriti Pomeran. Ducis vexatur à Polonis.

Rex Casimirus ad Choiniciã statiua habet.

Morangũ, Schipenbeilum & Rastenburgum denuo obsessa.

Exercitum Rex dimittit.

Rex reuertens, Bydgostiæ dies commoratus aliquot, dum mercenarium militẽ, dato ei duce Petro Dunino Succamerario Sendomirien si, in Prussiam transmittit, tristem de morte Sophiæ Reginæ matris suæ nuncium accepit. Febrim ea ex melopeponibus contraxerat, & mox paralysi accedente extincta est, vno & quadraginta annis, postquam Vladislao Regi nupserat, exactis: mulier religiosa, magnanima, sed iracunda, & cum ad amplificandum cultum diuinum munifica, tum in luxum profusa; quo factum, vt non modicum æs alienum relinqueret, quod moriens, vt filius dissoluetet, cauit. Duninus accepto à Rege exercitu, Sueczam arcem superiorem aliquandiu à Bydgostiensi & Cuiauiensi Nobilitate, & ab altera parte à Gedanensibus nauali apparatu obsessam, aduenies in deditionem recepit. At hostes discessione Polonorum aucti animis, Morangium, Schipenbeilum, & Rastenburgum, itemque Pielauum toto anno obsessum in Prussia præfectis dedentibus in potestatem suam redegerunt, Dunino ob suorum paucitatem subuenire obsessis non auso. Braunsbergenses eiecto præsidio regio cum Ioanne Schælio Bohemo præfecto, Paulum Episcopum Varmiensem cum Cruciferis sentientem receperunt. Fridlandenses idem conati, cum aliquoties à Polonis, qui in præsidio relicti erant, non sine cædibus repressi essent, ad extremum hostibus clam accitis primo diluculo portas oppidi aperuere, eorumqae ope præsidiarios incautos trucidarunt. Stargardia à tribus è magistratu oppidano prodita. Ne Gedanum quidem ac

Sophiæ Reginæ mors & mores.

Sueczæ arx à Polonis & Gedanens. recepta.

Cruciferi Morangũ, Rastenburgum, & alia oppida recuperant.

Braunsbergenses Polonos eiecerunt.

Fridlandenses præsidiũ Polonicũ trucidãt.

Torunium

Torunium extra periculũ fuere, studiis multitudinis propter prosperiores successus ad Cruciferos inclinantibus, & illis multos ad proditionem sollicitantibus cum per alios, tum per duos quosdam Carthusianos monachos de Paradisensi monasterio: fuissetq; perfecta proditio, si ad constitutũ cum proditoribus tempus Cruciferori adfuissent. Deprehensi prodtores pœnas dedere. Broduicia quoque oppidum in Culmensi tractu negligentius custoditum, à Nicolao Koscieleczio Palatino Inouladislauiensi interceptũ: arx veto propugnaculis circumquaq; extructis arctius obsepta est: in quam tamen modicum præsidium cum non copioso item commeatu à Dunino submissum, vi per medias hostium stationes aliquot militibus desideratis perrupit. Quare diutius ea sustinuit obsidionem.

Stargardia prodita Cruciferis.

Monachi Carthusiti Cruciferis fauent.

At Rex Bydgostia profectus in maiorem Poloniam, autumni tempus ibi consumpsit: inde Corcinum ad comitia, sexta die Decembris edicta, se contulit. Ibi auditæ legationes Ezigeris Tartarorum Principis, Georgii Bohemorum Regis, & Friderici Marchionis Brãdeburgensis. Tartari oblatis muneribus, pacem, amicitiam, societatem, & auxilia contra quos suis hostes Regi pollicebantur, quamuis à Lithuanis se ad inuadendam Podoliam sollicitari dicerẽt. Bohemi congressum cũ suo Rege Glogouiæ ad Calendas Maias, & arbitrium vniuersæ controuersiæ, quæ Casimiro esset cũ Cruciferis, Regi suo postulabant: quod Cruciferos quoq; nõ abnuere dicebãt. Brandeburgẽses Principem suum suspectum, quod sentiret cum Cruciferis, purgabant, operamq; & ipsi suã ad componendas cum illis res pollicebantur. Tartaris actę gratiæ, missiq; dona. Bohemi abiq; certo respõso dimissi Rege per suos legatos responsũ pollicẽre. Nec ita multo post Stanislaus Ostrorogius Palatinus Calissiensis, & Ioannes Tarnouius Castellanus Sandecensis, ad Georgium Bohem. Regem missi cum his mandatis, vt ad diem iduum Maii Glogouiæ cũ Casimiro Rege congrederetur: de pace cum Cruciferis faceret arbitratu suo, modo ne Pomeraniam, Culmensem, & Michalouiensem ditionem Polonis abiudicaret. Brãdeburgensi vero exprobratæ iniuriæ, commemorataque in Marchionem regia eheuolentia, quod Rex neque cum Ludouico Bauaro, neque cum Bohemis coniungere se aduersus eum in animum induxisset: de pace cum Cruciferis si se interponeret Marchio, non inuito Rege facturum.

Comitia Corczin.

Tartarorũ legatio.

Bohemorũ legatio.

Brãdeburgẽ. legatio.

Casimiri R. ad Bohem. legatio.

Legatis dimissis, iudiciũ contra Cracouienses consules de cæde Andreæ Tencinii institutum est. Atq; ii citati, cum nõ sisterent se, eo quod beneficio Casimiri II. Regis cautum sibi dicerent, vt non nisi Cracouiæ coram Rege causam vnquã dicerent, absentes ad capitalẽ pœnam, & octoginta millia marcarũ damnati sunt. Peractis comitiis, Rex Cracouiam profectus: ibi sequentis anni initio instauratum in arce in Cracouiẽses iudicium iure Polonico, illis frustra ad Saxonicum, quo ciuitates Polonicæ fere vtũtur, prouocantibus. Sera enim ea prouocatio siue exceptio tũc esse dicebatur, omissa priori iudicio Corcinensi. Pronunciata sententia contra Cracouienses. Sed nil tunc actũ iis, qui fide regia se stiterant. Cæterũ paucis diebus missi in vrbem Nicolaus Gaiouius Castellanus Calissiensis, & Nicolaus Pieniãsius Præfectus Cracouiensis, quatuor è senatu vrbano, totidem de plebe, & magistratũ lictorum ad suppliciũ depoposcerũt. Dediti, & iureiurando Ioannis Tencinii interfecti Andreæ filii, secundum leges patrias rei peracti, sex tunc in arce (ne quo nouus motus existeret, si in vrbe id fieret) capitibus plexi sunt:

Iudiciũ Regiu contra Cracouien. de cæde Tencinii.

An. Ch. 1462.

Iudiciũ instauratũ in re Polonico in Cracouien.

Cracouienses capitis pœna damnati ob ca-

dem Tenciniis.

tres reliqui à Ioanne Tencinio vita donati, in carcere plus quum toto anno in arce Rabstinensi asseruati sunt, donec res cum Tenciniis transacta. Iaroslao Sarleio vni de damnatis Regina, quamuis domum ea de re ad Ioannem Tencinium adiuisset, veniam impetrare non potuit. Sic ira Tenciniæ familiæ restincta est sanguine, quanquam non eorum, penes quos culpa cædis fuit. Nam & Clemens armorum faber, qui multitudinem concitauit, & Ioannes Doisuon, qui Tenciniũ latitantem prodidit, fuga saluti suæ consuluere. Sed nonnullorum tamen pœna sancti placuit, ne plebs temere se à turbulentis hominibus concitari pateretur: magistratusque, ne id fieret, summa cura vt prouideret. Sexitem millia florenorum senatus Cracouiensis Ioanni Castellano Cracouiensi fratri, & Ioanni Tencinii defuncti filio exsoluit. Et ægre quidem Derslai Rithuanii Palatini Sendomirien sis, & Iacobi Dembenii Thesaurarii regni, à Rege ad componendam rem delegatorum, opera, & Iacobi Sienenii precibus eo res perducta, Tenciniis dimidium mulctæ siue vadii, vt forum loquitur Polonicum, à Regina editi, hoc est, quadraginta millia poscentibus.

Brodnitia obsessio. Prutenorũ legatio ad Regem.

Acriter interim obsidebatur Brodnicia à Cruciferis. Itaque missi ad Regem à Prutenis oratores Gabriel Baisenus Palatinus Culmẽsis, Otto Machuicius, & duo Senatores Gedanenses, petiuerunt ab eo, vt Prussicarum rerum maiorem susciperet curam, arcemque munitam Brodniciam, quæ ægre iam aliquot mensium obsidionem toleraret, ne in potestatem hostium venire pateretur: permultum in vna arce illa momenti esse ad retinendam Prussiam, & confirmandos Prutenorum animos. Consultissime autem facturum, si quamprimum in Prussiam ipse cum exercitu veniret, ac Mariæburgi degeret. Si pecunia careret, Prutenos cisam (tributum cereuisiarium sic appellant) ac redituum suorum dimidium collaturos esse, atque adeo facultates ipsorum & fortunas omnes in potestate Regis fore. Si esset remissior, videret, ne ditiones amplissimas atque opulentas magno labore & sudore, multo sanguine, & maximis impendiis de Cruciferorum manibus recuperatas, non sine summo dedecore rursus amitteret. Hac motus legatione Rex, magnam partem aulici comitatus, & quantum mercenariorum militum statim cogere potuit, in Prussiam ad eximendam obsidione Brodniciam ad Duninum præmisit. Duninus quamuis auctus copiis, tamen obsessis non succurrebãt, hostium vires reformidans, qui ad famam Polonorum aduenientium, omnes copias Brodniciam contraxerant, & oppidi munitione sese tuebantur. Itaque obsessi, cum diutius inopiam & famem ferre non possent, mense Februario vitam resque suas vt sibi auferre liceret pacti, arcem Cruciferis dediderunt.

Eorum studium erga Regem & liberalitas.

Brodnitia arce Cruciferi potiti.

Per id tempus Ziemouitus Masouiorum Plocensium, & Vladislaus Rauensium ac Belzensium Duces, Vladislai filii, continuatis pene funeribus elati sunt, à Gothardo Ribenio Castellano Sochaczouiensi, cui Ribnam pagum eripere voluerant, veneno, vt vulgo habitum, de medio sublati. Et quoniam nullos ii liberos reliquerant, de successione inter cognatos eorum, & regem certatum est. Cognati legitimæ hæreditatis nomine pro se quisque defunctorum ditiones ad se trahebant. Erant autem fœminæ pröximæ Catharina & Agatha amitæ defunctorum: quarum Catharina Michaeli Lithuano Duci matrimonio iuncta, vidua tunc erat: Agatha cum Teschinensi Duce nupta, Venceslaũ & Præmislum filios moriens reliquerat, qui maternam hæreditatem petebant. Petebat & Margaritha soror patruelis defunctorum, Ziemouiti filia Conradi Nigri Oleinicensium Ducis vxor. Iam & Conradus, Casimirus, Boleslaus, & Ioannes Varsauienses Duces, quanquam remotiores, nimirum quarto gradu defunctos attingentes: tamen quia mares, ad se iure bona eorum pertinere asseuerabant. Rex vero quod mortui Duces nullos hæredes masculos reliquissent, iure feudi caduci ditiones illas sibi & regno vendicabat. Ac Belzenses quidem donatione Iagellonis haud ita pridem à regno auulsi, non difficulter in verba Regis iurauerunt. Plocensis vero conuentus priuato propriorum Principum dominatu delectatus, Regis imperium detrectabat. Et primum quidem Catharinam, deinde, quod ea mulier, & sterilis esset, Conradum de Varsauiensibus Ducibus natu maximum Ducem sibi asciuit, attributis Catharinæ nonnullis possessionibus. Rauensis tamen & Gostinensis conuentus Catharinam cum non spernenda manu ad se venientẽ repulerunt. His auditis Rex Louiezium contendit, indiq; Ioannem Vladislauiensem, & Andreã Posnanien sem Episcopos, Posnaniesem item & Lẽcicien sem Palatinos, & Castellanum Sandecen sem ad Plocen sem Nobilitatẽ amandauit: à qua cum nil aliud impetratum esset, Lencziciam ex cõstituto conuentũ ad sextum Nonas Maias Promulgauit. Eo cũ pauci quidã de Plocensi cõuentu, nec ii primores cũ Barbara Boleslai quondã Varsauiensiũ Ducis vxore tũc vidua cõueniissent, re infecta discessum. Itaq; alia comitia Rex Petricouiam ad tertium Idus Nouembris indixit, ad eaq; Paulũ Episcopum, ac cęteros Plocenses proceres, ni vim suam experiri vellent, nominatim adesse iussit. Interim autem, quoniam Rauam & Gostinum Catharina vi subigere aggressa erat, ab armis vt discederetur.

Belsenses iurant in verba Regis Polon.

Plocenses alieni à Rege.

Rauen. & Gostin. Regis fidem secuti.

Legatio Regis ad Plocenses.

Conuentus Lunezicię.

His actis Rex Glogouiam ad constitutum cum Georgio Bohemorum Rege congressum profectus est: quibus diebus Lenczicia post discessum regium conflagrauit. Nec ita multo ante Cracouia horrendo incendio in cœnobio Dominicanorum è fornacula alchymistica, quemadmodum vulgo iactatum est, orto afflerat, adeo vt dimidia fere pars vrbis ad meridiem & occidentem vergens absumpta sit. Glogouiam aduenienti Casimiro Georgius Bohemus, qui prior eo aduenerat, cum Vratislauien si & Olomucen si Episcopis, ac quatuor Ducibus Silesiorum splendido apparatu ad vnum milliarium occurrit. Vicere tamen Poloni magnificentia & multitudine in sex turmas descripti. Salutatione mutua ex equis facta, Casimirus in arcem deductus est: Georgius in curia vrbana diuertit. Nouem dies postea dati colloquiis: quibus fœdus ante annum Bythomiæ ictum inter Reges, confirmatum est, adiectumque, vt id ad mortem vtriusque esset stabile. De Osuiecimo, Volco, Zatoria, Ziuecia, Seueria, & Barualdo munitionibus ac territoriis Bohemus Polono facesseret negotio Polonus verò à Bohemo dotem Elisabethæ vxoris suæ nomine ue repeteret. De iniuriis mutuis & controuersiis delecti vtrinque proceres, alternis vicibus in Polonia ac Silesia certis locis conuenientes disceptarent. Proximus conuentus Regum, si quis deinceps futurus esset, vt in Polonia ageretur. Ad extremum societas contra Turcas inita, promissaque auxilia mutua, vtri bellum à barbaris illatum esset. De rebus Prussicis nil actum tergiuersantibus Cruciferis, successu belli & receptæ Brodniciæ elatis.

Lenczicia & Cracouia incendium.

Casimiri & Georgii Regum conuentus Glogouia.

Pacta Regis Pol. & Boh.

Bauari Ducis legatio ad Casimirum Regem

elatis. Venit eo ad Casimirum Regem Ludouici Ducis Bauariæ legatio, in Fridericum Marchionem eum incitans, & contra Cruciferos auxilia vicissim pollicens. Cui quid responsum, non liquet. Reges ita constitutis rebus, & missis vltro citroque hospitalibus muneribus, dissenserunt, Georgio Polonorum opes & splendorem admirante, nec ausо vnquam Casimirum ad conuiuium inuitare, eo quod prior ipse ab eo inuitatus, acceptur que magnificentissimo apparatu, prodere paupertatem suam nolebat.

Rex Posnaniam diuertit.

Casimirus Glogouia discedens Posnaniam diuertit: vbi cum tribus septimanis subsisteret, Crucif erorum præsidiari Choinicenses in Palucos populabundi excurrerunt. Poloni quoque in nouam Marchiam erumpentes populationes faciebant, sed ab hostibus profligati, pauci fuga euaserunt. Extemplo Inouladislauiam Rex contendit: inde missis agrestibus cum præsidio aulici comitatus sui, segetes hostium in Culmensi tractu succidi iussit. Prodigia per id tempus in Polonia minore apparuisse memorantur. Consecutа sunt domi quidem latrocinia. Boriuoius enim Scrinnius, & Vlodecus mille hominum manu facta, & rupe quadam inter Volcum & Zaros, quam Sola fl. alluit, munita, Osuiecimensem oram omnem infestarunt. Quos præfectus Cracouiensis excita rursus Scriciensi Nobilitate, conductisque paucis militibus mercenariis, non modo à latrociniis cohibuit, sed in munitione illa, quam Bucoueciam dixere, obsessos aliquandiu (cum Boriuoius ex Ostrauia ipsi non succurreret) fame ad deditionem compulit, vitam modo & vestimenta pactos. In Prussia vero cum Cruciferi nauiter rem gererent, Rex ad eorum audaciam inhibendam Toruniam se contulit, indique aulicos suos equites cum Petro Dunino, & mercenario milite Varmiensi basilicæ ab hoste obsessæ præsidio summisit. Cuius aduentu Magister Crucifer orum conterritus, & aleam pugnæ periclitari non ausus, desertis castris, fugiens obsidium reliquit: regii castra hostilia diripuere. Nonnihil fortasse momenti hostibus ad fugam attulit, quod agrum suum Sambiensem à Gedanensibus Habo circumuectis hostilem in modum vastari acceperant. Et fere agrestibus eius oræ hostilis constabat exercitus. Itaque retineri ii nequiuerunt, quin ad sua defendenda dilaberentur.

Rex Toruniumvenit.

Varmia ab obsidione Crucifer orum liberata.

Gedanenses Sambiam vastant.

Rex interea Toruniæ commoratus, & à Torunensibus liberaliter habitus, nonnunquam Reginam in arce Niessouiensi visebat. Erat apud Culmam Sonnenbergius aliquanta cum manu hostium. Is cum è vicinis agris subinde prædas ageret, quadam die suos nauibus traiecta Vistula noctu ad Niessouiam iussit excurrere. Non ita multo ante Rex id oppidum in gratiam Torunensium in superiorem ripam transtulerat: cætetum domus, quæ in veteris oppidi loco relictæ erant, vici speciem præ se ferebant. Eum igitur vicum cum hostes noctu incendissent, trepidatum est à Polonis, qui ibi diuerterant, nil tale suspicantibus. Mox abiecto metu, Tartari cum paucis aulici ad persequendum hostem emissi, & naues repetentem amolientemque assecuti, magnam stragem gladiis sagittisque ediderunt, ac nauibus cunctis potiti sunt: sex modo viri cum duabus nauibus ex omni illo numero euaserunt. Porro Duninus hostibus à Fraumberga depulsis, Gedanensem que agrum effuse vastantibus, ipse quoque copias suas eo traduxit.

Rex à Torunien sib. liberaliter acceptus.

Niessouia in gratiam Torunien. à Rege translata.

Crucigerorum clades.

duxit. Neque contentus hostem liberioribus excursionibus prohibere, socios que defendere: sed in hosticum progressus, Stargartensium, Bythouiensium, Lauenburgensium, & Puscensium, quæ territoria non ita pridem in hostium potestatem venerant, fines immaniter direptionibus affligere adortus est. Hostes vbi Polonos prædæ cupiditate longius ad iniqua loca inter stagna & lacus prouectos animaduertere, validam & ipsi manum, deducto è proximis suis munitionibus præsidiario milite, agrestibusque arma sumere iussis, coegerunt, opportunitate locorum contra Polonos vsuri: idque eo maiore fecere fiducia, quod commodum Fridericus Runeckius Austriacus, & Caspar Nosticius Silesius recentem militem è Germania & Silesia ipsis adducentes aduenerant. His igitur copiis coactis, occurrere regiis parabant: tramites que omnes, ne qua Poloni ex angustiis effugere possent, succisis quoquo versus arboribus, intersepiebant. Qua de re Duninus per exploratores factus certior, ad Regem mittit curriculo, qui eum, vt periclitantibus actutum subueniat, orent. Protinus igitur Rex Albertum Gorscium cum reliquo comitatu, ac Tartaris Lithuanicis ad succurrendum suis mittit. Id vbi duces hostium compererunt, minore parte in castris aduersus Duninum relicta ipsi cum maiore ac delecta ripam Vistulæ, qua Gorscium traiecturum existimabant, insederunt, vt eum, priusquam se cum Dunino coniungeret, opprimerent. Sed Gorscius deflexo itinere, alibi libere fluuium traiecit. Id vbi intellexerunt hostes, omisso Gorscio, propius ad Duninum castra mouerunt, vt eum, priusquam Gorscius cum eo se coniungeret, ad pugnā prolectarent, aut certe in angustiis conclusum, Gorcio excluso, obsessum tenerent. Non ignorabat Duninus de aduentu suorum: exploratum etiam habebat, longe maiores esse hostium vires, quam suas. Itaq; non minus de auxiliaris illius, quam de sui exercitus periculo solicitus. noctu hostes in se intētos fallere, ac per deuias syluas euadere ad Gorscium decreuerat. Id ne facere posset, hostes diligenter caue rant, transitu omni intercluso. Mutato igitur consilio, ferro per medios hostes viam sibi ad suos aperire statuit, instructaque equestri acie, qua peditem contegebat, in hostes contendit. Alacres & illi pugnam capessunt, magna spe victoriæ. Et ita se autore Nosticio inuicem adiurarant ac deuouerant, vt, qui de suis pedem retulisset, sine omni tergiuersatione seruili conditione Regi sese dederet. Vbi ad congressum ventum, Paulus Iasonius aulicus regius armatus, à latere inter duas acies magno impetu procurrens, hastas hostium in Polonos intentas auertit, eodemque momento Poloni inopinata re perturbatos hostes summa vi adoriuntur, & mox vel confractis, vel abiectis hastis, gladiis vtrinque res geritur. Pugnatur acriter: audacia Poloni, hostes multitudine superabant. Cumque totas tres horas dubio Marte pugnatum esset, vtrinque quasi ex composito discessum est. Mox refectis paululum viribus, vtrique non ad pugnam, sed ad persequendam alteros contendunt vtriq; alteros victos discessisse rati. Occursu mutuo instauratur prælium, rursusq; vna hora dimicatum, donec fauciato Runeckio ductore exercitus, & peditibus regiis assiduo balistarum ictu dextra hostium latera ferientibus, retrocedere sensim ii cœperunt. Sed mox reuocante & sistente Runeckio, redintegrabatur pugna, si quod regii trepidantibus rebus colligendi sese spacium dedissent. Interim dum ciet pugnam, animatque suos Runeckius, interfectus corruit. Ibi tum effusa fit

Pomerella vtrinq; adfligitur.

Prælium & victoria de Crucigeris ad Puscum.

fuga hostium cum altero duce Nostitio, iurisiurandi paulo ante dati, & ab omnibus exacti immemores. Pedites desperata longiore fuga, pars in castra sese recepere, pars ea prætergressi, stagna lacusque propinquos petiuere. Poloni pernicitate equorum freti, fugientes insecuti, magnam cædem edebant. Atque ita victoria potiti castra ceperunt ac diruerunt, quindecim tormentis maioribus, ducentis curribus, armis, impedimentis, & commeatu referta. Cæsa eo die hostium duo millia, capti sexcenti: de regiis centum gregarii milites ceciderunt: de nobilioribus tantum Hector Chodorosius desideratus: sed pauci reperti, qui saucii non essent. Ad Puscum hoc prælium commissum est decimo quinto calendas Octobris. Triduum post in iisdem statiuis humando cæsos, & saucios curando consumptum. Per quos dies Ericus Pomeranorum Dux fortunam, vt aurem venia, dudum dederat, cum sexcentis equitibus grauis armaturæ ad castra Cruciferorum proficiscens, cum profligatum eorum exercitum accepisset raptim sese ex itinere domum recepit: non paucos tamen extremi agminis à regiis insequentibus partim captos, partim trucidatos amisit. Honoratus est à Rege victor exercitus, & virtutis ergo militaribus donis insitum est à regiis: apud Iasenecium pagum, & apud Pissiam fl. in Masouia, & apud Sueczam. Apud Elbingam quoque non multo post nauali prælio hostes à regiis profligati sunt. Prorogatum autem est à Rege militibus stipendium, cum ecclesiasticus ordo decreto Calissiensis synodi subsidium Regi, in maiore quidem Polonia vicenûm grossorum, in minore vero secum de prouentu vniuscuiusque marcæ argenti contulisset. Sub finem Octobris Vlricus Czeruonca Bohemus, cum à Georgio Rege eius gentis carcere, in quem per biennium in gratiam Cruciferorum coniectus erat, Casimiro Rege postulante emissus esset, Golubum oppidum noctu ingressus, potestati suæ subiecit, hostili præsidio satis valido partim capto, partim interfecto: turres duas, quæ acriter defendebantur, igni subiecto in deditionem accepit: de autoribus defectionis capitale supplicium sumpsit. His successibus magna rursus animorum inclinatio in regias partes facta.

Castra hostium capta

Cæsorii & captorum numerus.

Ericus Dux Pom. inconstans.

Polonorum victoria de Crucifer.

Golubum receptum.

Ad comitia deinde Rex Petricouiam vndecima die Nouembris indicta profectus est. Pauci eo de minoribus Polonis, incertum, quam ob causam conuenere. Venere autem Conradus Masouiorum Varsauiensium Dux cum matre Barbara, & Catharina amita, & Plocensi Episcopo, comitatu octingentorum equitum, itemque Conradus Niger Olesnicensium Dux, Plocensem & Belzensem Principatum cognationis iure sibi vendicantes. Dati à Rege recuperatores siue iudices: Stanislaus Ostrorogius Padaneo siue subiudice, iudicio præsidere iussi. His adiuncti Palatini & Castellani aliquot pro assessoribus. Instaurato iudicio, regii procuratores negabãt legitimæ cognatorum successioni locum esse in deditiis seu feudalibus, vt vocant, bonis cuiusmodi esse Masouia, Polonorum Regibus antiquo iure obnoxia: sed Regem optimo iure defunctis Ducibus feudatariis, qui nullos mares liberos reliquissent, succedere. Refellebãt id Conradi Varsauienses causidici, quod dicerent, à Casimiro secundo Masouiorum Duces è deditiis penitus exemptos esse. Contra regii negabant, Casimirum, aut quenquam

Comitia Petricouia.

Iudicii de Plocensi & Belsensi dissione.

quenquam omnino Regem sine assensu Senatus tantum de commodis & iure regni detrahere potuisse. Iurasse autem post in verba Regis Ziemouitum, Casimirum, Ioannem, & Vladislaum Dices. Atque ita disceptata causa iudices secundum Regem pronunciarunt, Masouiis iudicium illud frustra iam detrectantibus, & Pontificem, ac quemuis alium, qui sciret, posset, & vellet iuri suo opitulari, prouocantibus. Cum Alberto Archiduce Austriæ fœdus ictum, ea conditione adiecta, ne Casimirus dotem Elisabethæ coniugis ab eo repeteret. Nihil præterea memoratu dignum in iis comitiis gestum, propter Senatus infrequentiam: nisi quod legatus pontificius Archiepiscopus Cretensis annum fere totum exspectatus, sub comitiorum finem aduenies, ad pacem cum Cruciferis faciendam, & ad bellum Turcicum Regem hortatus est publice: priuatim autem solo Archiepiscopo interprete reconciliare Iacobo Sienenio Regem conatus est, affirmans, episcopam semel à sede Romana ipsi collatam inuito adimi iure non posse. Sed Rege asseuerante, malle se regno excidere, quam illum pati esse Episcopum: legatoque vicissim vociferante, præstare, vt tria regna pereant, quam ius & authoritas Ecclesiæ perturbetur: rebus infectis, & exacerbatis vtrinque animis discessum. Conuenit tandem inter eos postero die, vt Rex alia comitia eodem ad decimam septimam diem Ianuarii ediceret: interim vterque scriptis ad Pontificem literis contenderet, vt, si aliter fieri non posset, ad Vladislauiensem Episcopam Sienenius transferretur. Et mox legatus explorata Regis voluntate de pace, ad Cruciferos in Prussiam contendit, nec tamen vltra Brestam Cuiauiensem progressus, per literas & internuncios cum Magistro Cruciferorum de pace egit. Rex vero discedens & ipse Petricouia, Rauæ & Gostini possessionem adiit: & hanc quidem præfecturam Nicolao Kuczinio, illam vero Grotho Nouomiescio pocillatori eius tractus, quoad viuerent, confirmauit: possessiones etiam quasdam vtrique iure hæreditario donauit, propterea quod horum duorum opera potissimum ditiones illæ adiunctæ ipsi essent. Archiepiscopo vero Gnesnensi libram siue marcham auri Louicii nomine Masouiis Ducibus Sochaczouiæ quotannis pendi solitam, in omne deinceps tempus remisit. Quibus peractis, Radomiam ad Reginam se contulit.

Fœdus cum Alb. Austriaco.

Legatus Pontificis Hieronymus Cretensis.

Cum Rege alteratur de iure Ecclesiæ Rom.

Alia comitia Petricouiæ.

Rex Rauæ & Gostini possessionem adit.

Archiepiscopo Gnesn. tributum Louicii nomine remissum.

Post initium insequentis anni millesimi quadringentesimi sexagesimi tertii Rex iterum Petricouiam ad præstitutam comitiis diem rediit. Adfuit frequens Senatus, & legatus pontificius Hieronymus, itemque Iacobus Sienenius cum triginta tantum comitibus accepta fide regia. Aduenere & Conradi cæterorumque fratrum Masouiorum Ducum oratores Nicolaus Bogleuius Palatinus Varsauiensis, Vincentius Gizicius Marschalcus Ducum, Nicolaus Mirzeneeius, & Nicolaus Malcus Iureconsulti. Lithuanorum vero procerum Totiuil & Cuzek. Ac Sienenius quidem ad genua Regis clementiam eius implorans prouolurus, & omnibus frustra tentatis, cessis Regi, & Episcopam Gruscinio concessit, acceptis ab eo quatuor millibus florenorum, quos liti expensos ferebat, & nonnulla parte bonorum episcopalium, duobus annis ac dimidio, ex quo lis exorta erat, præterlapsis. Eo facto, iis quoque sacerdotibus, qui cum eo senserant sacerdotiorum suorum fructus restituti sunt. Ioannes Gruscinius Episcopus Cracouiensis designatus, in Vladislauiensi accepit succes-

An. Ch. 1433.

Comitia Petricouiæ.

Ducum Masouiæ legatio ad comitia.

Lithuanorum legatio Sienemius cessit Episcopa.

Gruscinus Episcopus Cracou.

sueceſſorem Ioannem Brezium Procancellarium regni: quorum trium ambitio & pōtificiam autoritatem in Polonia debilitauit, & electioni liberæ vim attulit, ita vt ex eo tempore ea ſublata ſit, ac vmbra modo eius quædā penes collegia remaneat. Maſonii nihil & ipſi impetrarunt. Petebant autē, ne Ducibus ſuis Rex moleſtus eſſe pergeret de Plocenſi ditione, aut certe externis, & à ſuſpicione alienis hominibus cauſam cognoſcendam & iudicandam permitteret: ferebantque Regi iudicem Fridericum Marchionem Brandeburgenſem, vel Albertum Archiducem Auſtriæ, vel Ludouicum Bauariæ Ducem. Lithuanis Podoliam, Belzenſem, Oleſcenſem, & Rathnenſem tractus non ſine cōminatione belli repetentibus, nihil aliud reſpōſum à Senatu, quam miſſum iri ea de re legatos ad conuentum eorum. Et mox legati deſignati Stanislaus Oſtrorogius Palatinus Caliſſienſis, & Ioannes Rithuianius regni Mareſchalcus. Porro in Pruſſiam expeditio decreta.

Electioni Episcoporum libera vis illata.

Masouiorū poſtulata.

Lithuanorum poſtulata.

His peractis Caſimirus Radomiam ad coniugem Eliſabelhim, & inde cum ea in Lithuaniam profectus eſt. Quem conſequuti legati Senatus Polonici, poſtulata Lithuanorum in conuentu Vilnæ diſerte refutarunt. Sed cum Lithuani non acquieſcerent, Rex cauſam ad conuentum communem Parczouiam indicendum ſuſpendit. Legatus vero pontificius Petricouia diſcedens, in Pruſſiam à præſidio militari Regis iuſſu ad Magiſtrum Regiomontum deductus. Secundæ tunc res Regis erant in Pruſſia. Nam præter ea, quæ ſuperius commemorata, ad Vormitham ſine Ornetam Pauli Epiſcopi Varmienſis (qui violata iuriſiurandi religione ad Crucifetos deſciuerat) milites vna cum aulicis Magiſtri præſidiariis, cum per proditionem noctu capere id oppidum conſtituiſſent, proditi ab illo ipſo, qui oppidi proditionem ipſis promiſerat, & à Ioanne Schalio præfecto præſidii regii præparatis inſidiis intromiſſi, ad vnum omnes aut capti, aut trucidati ſunt, quotquot ingreſſi erant. Nam qui in extremo agmine fuere, ne multitudo hoſtium regios pauciores prægrauaret, excluſi, & inopinato periculo perterrefacti, in propinquos lacus glacie induratos diffugerunt, ruptaq; fragili etiam tum glacie demerſi perierē. Apud Scampe in oppidum agri Dobrinenſis trecenti equites hoſtiles è præſidio arcis Brodnicenſis prædatum profecti, ab Vlrico Czeruonca, qui eo lubi erat, profligati ſunt, ita vt perpauci fuga elaberentur, capti ex his octoginta. Arx vero Slochouia, ne proditione in hoſtium poteſtatem veniret, præſidiariorum Pomeranorum opera ſeruata eſt. His igitur ſucceſſibus Polonorum moti Cruciferi, pacem afferentem legatum pontificium cupide acceperunt. Promiſcua vero multitudo belli & penuriæ, cæterorumque incommodorum bellum conſequentium pertęſa, lachrymare gaudio, ac deſidero pacis legatum magiſtratuſque ſuos ſupplex obteſtari, vt exoptatam eam ſibi quibusuis, modo tolerabilibus conditionibus conficerent, ni ſe prorſus perditum ire vellent. Ibi legatus, equiſſimus ſcilicet pacis arbiter per interpretem, quemadmodum proditum eſt, laudare, & confirmare conſtantiam populi, hortari, d. inceps quoq; vt in fide Cruciferorum permaneret: Regem, Polonoſque carpere: & cum iniquitatem cauſę eorum exaggerare, tum mores, fidei, religionis, & humanitatis expertes reprehendere: ſtudium ſuum erga Cruciferos omnibus modis teſtatum facere: denique certam ac perpetuam pacem, aut duodecim duntaxat annorum inducias ipſis, quaſi Regem, quo vellet, adductnrus eſſet, certo polliceri.

Rex in Lithuaniam ſe confert.

Lituanorū poſtulata refutata.

Crucigerorum clades ad Vormitā

Slochouiæ periculum.

Pacis deſiderium apud Prutenos.

Legati Pontificis iniquitas.

Ita

Ita confirmatis eius oratione animis omnium, mittuntur cum eo Breſtam tres legati, ad pacificandum cum Polonis, quos eo Rex eius rogatu miſerat. Fuerunt autem ii, Ioannes Vladislauienſis, Andreas Poſnanienſis. Epiſcopi: Stanislaus Oſtrorogius Caliſſienſis, Petrus Oporouius Lencicienſis, Nicolaus Koſcieleczius Breſtenſis, Palatini, & nonnulli alii, partim Theologi, partim Iureconſulti. Ad præfixum diem, hoc eſt, ad calendas Maias conuentum: indeq; nullo cum fructu diſceſſum, orta inter Polonos & legatum pontificium contentione ex huiuſmodi cauſa. Veniebant eo internuncii Torunienſium, Gedanenſium, & Elbingenſium: eos legatus ingreſſu oppidi & conuentu prohiberi oportere contendebat, quod eas ciuitates, ſimulq; cæteros Prutenos, qui cum Polonis ſentiebant, ipſe, ſiue adeo pontifex diris deuouiſſet. Contra Poloni, iniquiſſimum id eſſe præiudicium, affirmabant, & ab inſtituta re alieniſſimum. Admiſſi igitur ſunt Pruteni fruſtra reclamante legato pontificio. Mox ille toti oppido ſacris interdixit: verum id interdictum Poloni contempſerunt, orto initio à militibus, qui per ſpeciem ſupplicationis ob tem bene geſtam à ſuis ad Heiligenbeilam, oppidumque id à Schalio captum ac direptum, facto concurſu ad templa, companarum pulſu, feſtoque cantu oppidum impleuerunt. Ibi vero furere legatus, vociferari, non modo ſe, verum etiam Pontificis ac Sedis Apoſtolicæ autoritatem contemni. Nec ceſſere furori eius Poloni, grauiter in eum inuecti per Oſtrorogiū, quod cum pacificatoris perſonā ſuſtineret, nihil minus quā paci ſtuderet, ſed claſſicum etiam caneret. Cuius rei clariora etiam documenta proferebantur eius literæ ad Cruciferos à Polonis interceptæ. Ita tunc exulceratis animis diſceſſum. Et legarus quidem Cracouiam, vbi controuerſæ epiſcopæ ſequeſter à Pontifice conſtitutus erat, proficiſci cupiens, cum prohiberetur à Polonis, Vratislauiam ſe contulit: indeque miſsis ad Regem in Lithuaniam literis, queſtus eſt de Breſtenſi contumelia, in Vladislauienſem Epiſcopum potiſsimum culpam conferens. Quod ſi Rex agi de pace nihilominus à ſe vellet, extra fines Poloniæ locum conſtitueret, quo tutius aduerſarii venire poſſent. Et hæc quidem oſtentans, Prutenos & Pomeranos Vratislauiam iubilæi gratia venientes, in partes Cruciferorum pertrahere omni ratione conatus eſt, minis etiam intentatis. Quin mulieribus maritorum conſuetudine & contubernio interdixit iis, quæ maritos à fide Regi data auellere nequirent. Miſit poſtea Caſimirus ad eum legatos poſtulatum vt interdictis ſiue diris Prutenos, qui regias partes ſecuti, indicta cauſa deuoti erant, abſolueret, æquioremque ſe in pace componenda præſtaret. Verum illo nonniſi ad tempus, quoad de pace tractaretur, diras relaxare volente, acceptum id à Rege non eſt, nec ipſe in Poloniam deinceps venit. Sub ipſum tempus comitiorum Petricouienſium Paulus Gizicius Epiſcopus Plocenſis, cum tres & viginti annos illi Eccleſiæ præfuiſſet, è viuis exceſſit, & in Pultouienſi templo, quod ipſe extruxerat, & lauto Canonicorum ſacerdotum collegio inſtituto ornarat, ſepultus eſt. In locum autem eius Sciborius Gozacicius Canonicus à collegio eius baſilicæ tribus, de quibus ipſe vnius erat, facta per compromiſſum poteſtate legendi Epiſc. ſuffectus eſt, repudiatis mandatis & nunciis regiis, qui Iacobo Sienenio ſtudebat.

Conuentus Polonorum cum Cruciferis de pace.

Contentio inter Pol. & legatum Pontificiū Prutenorū cauſa.

Prutenī propter inſerdictum à Legato ſubmoti.

A Polonis admiſſi ſunt ad Conuentū.

Legatus nō admiſſus Cracouiæ.

Queſtus eſt de contumelia Breſten. apud Regē.

Legatio Caſim. Regis ad legatum Pontificis.

Gizicius Epiſcopus Plocen. obiit.

Caſimirus vero Rex facturus expeditionem in Pruſsiam, è Lithuania profectus, menſe Iunio venit Lencziciam: in eum enim locum copiis om-

nibus, vt conuenirẽt, edixerat. Ibi cum de Consiliariis nonnullis, qui primi ei occurrerant, cognouisset, frustra eam ob expeditionem Nobilitatem, comitia Corcinum designauit ad quintam diem Iulii: eoq; ipse profectus, post octo dierum consultationem decreto omnium consensu senûm grossorum ex manso, itemq; è caupona & moletrina certo tributo, & aliis comitiis ad medium Octobrem Petricouiam indictis, expeditionem remisit: mercenarium vero militum aliquantam manum in Prussiam ad occupandam Meuam siue Gnieusm misit, motus querelis Prutenorum, qui minus libera nauigatione in Vistula vtebantur, quod à præsidiariis eius arcis & oppidanis infestarentur. Ipse vero in maiorem Poloniam se se contulit. Cũ autem Meua strenue defenderetur ab hostibus, cepere Poloni consiliũ longiore & secura obsidione hostes ad deditionem compellendi. Itaque nequicquam prohibentibus Cruciferis, circumuallarunt arcem vallo siue sepibus limo oblitis, turresq; & propugnacula opportunis locis excitarunt. Nam fluuio, ne quid obsessis importaretur, Gedanenses classiarii observabant, quibus arx illa potissimum incommodabat. Sed ii, dum aliena oppugnant, sua vrbe pene exciderunt, proditione paucorum ciuium, quorum capita erant Matthias Schuman iuris Licentiatus, vt vocant, & Gregorius Cocus: qui sub specie remigum ac baiulorum è nauibus onera ferentium non paucos iam hostiles milites in vrbem receperant. Nec procul ab vrbe Magister Cruciferorum cum mille quingentis equitibus aberat, vt constituta cum proditoribus die ad tertium Idus Iulii ex improuiso irrumperet. Sed detecto ab vno ex coniuratis scelere, euocati in curiam proditores per speciem consultandi de rebus, capti, & conuicti, capitali supplicio affecti sunt. Schumanni tamen professioni honor habitus est: nam is in custodiam episcopalis iudicis, quem officialem vocant, traditus, & Episcopi Vladislauiensis opera postea liberatus ad Magistrum profugit. Milites item hostiles in vrbe deprehensi, partim capitis pœnas luerunt, partim in profluentem demersi, partim diuturni carceris molestias pertulere. Magister vero spe frustratus, ad opitulandum suis Meuæ obsessis animum conuertit, nauesq; viginti militibus instructas Regiomonto emisit, Habo lacu & aduerso flumine Vistula nauigaturas. Sed re cognita Poloni cum Gedanensibus classiariis, duodecim tantũ nauibus armatis, vno ab Elbinga milliari hostibus occurrerunt, commissaq; nauali pugna, potiti victoria sunt: mille hostes desiderati, capti sexcenti, & cum captiuis nauibus, armis, & fortunis Gedanum deducti. Id ad decimum quintum Calendas Septemb. actum. Cuius cladis nuncio accepto, Henricus Plauenius Commendator Elbingensis, & Bernhardus Sonnenbergius, qui cum terrestribus copiis in maiore insula aduenientem suorum classem expectabant, in diuersa dilapsi sunt. Nec multo post Holandiam oppidum Plauenius sibi subiugauit, accitus & receptus ab oppidanis, cum ii præsidiarios regios populatum egressos excluissent. Arcem tamen regii, & duas turres cum porta oppidi ad arcem vergente retinuere. Mox Petrum Duninum à Meuæ obsidione in auxilium accersiuere, qui cũ noctu cum equitatu aduolasset, Plauenius cum suis incenso pluribus in locis oppido raptim se se euoluit. At regii restincto celeriter incendio oppidũ recuperarunt, & in nonnullos ciues capitali supplicio animaduerterunt. Nonis vero Octobribus Liuonum classis eodem consilio, quo Regiomontana, domo profecta, à regiis, qui in præsidio Nideburgi, Passen-

Comitia Corczini. Expeditio tributo redempta.

Meua obsessa à Polonis, Strenue defensa à Cruciferis.

Gedanum prope proditum.

Cruciferi in Habo fusi.

Holandia Cruciferis dedita.

& post recuperata à Polonis.

Passenheimi, & Vormitæ erant, & cum Elbingensibus se coniunxerant, itidem prope Elbingam profligata est, cæsisq; compluribus hostibus, duæ naues maiores cum ducentis militibus, & centum equis hostilibus captæ sunt. Hæc eo anno gesta in Prussia.

Liuonum classis profligata.

Porro Casimirus Petricouiæ comitia habuit: ibi de Plocensi ditione rursus actum cum oratoribus Conradi, ac cæterorum Ducum Masouiorũ: qui cum bonorum virorum arbitrio controuersiam dirimi, aut externos & minime suspectos iudices sibi ferri, aut deniq; Italicæ cuipiam Academiæ causam decidendam permitti à Rege postularent, nihil horũ obtinuerunt. Reiecta est tamen res ad alia comitia, quod Masouii Duces aduersam valetudinem causabantur. Venerat eo & Conradus Niger iterum. Sed cũ ei Rex iudices de more ferret, re non confecta recessit. In Prussiam vniuersalis expeditio decreta. Quoniam vero Turcarum terror capta superiore anno Casa (quæ Genuensium colonia fuit, & olim Theodosia dicta) animos cunctorum peruaserat: missi in Podoliam Ioannes Tencinius Castellanus Cracouiensis, Derslaus Rithuianius Sendomiriensis, & Andreas Odrouanzus Russiæ, Palatini, vt Cameneciam arcem, quæ Theodorico Buczacio oppignorata cum toto territorio ab hæredibus eius obtinebatur, pro Rege redimerent, & munirent: Podoliis equitibus in summa fisci inopia, bouem in mansum vltro pollicitis. Comitiis peractis, Rex peragrata maiore Polonia sub finem anni in Lithuaniam se recepit. Quieuerat ea gens per omne tempus belli Prussici, nec à Polonis in societatem eius belli pellici potuerat: sed, quorsum id euasurum, otiose spectauerat. Tunc vero longioris moræ impatiens, non inconsultum ducebat, Podoliam arma repetere, Polonis adhuc Prussico bello distentis. Eos igitur motus animorum Rex aduentu suo repressit. Cæterum comitia, quæ communia Lithuanis cum Polonis Parczouiam ad diem purificationis D. Virginis edixerat, ad sextum Idus Septembris prorogauit, veritus, ne qua in conuentu maior animorum irritatio fieret: cui excitandæ inter dissidentes quæuis leuis occasio sufficit.

Comitia Petriconiæ.

Masouiorũ Ducum postulata.

Legati à Rege in Podoliã missi.

Cameneciæ redemptæ & munitæ.

Rex in Lituaniam se recepit.

Ann. Chr. 1464.

His ita constitutis, vere nouo inde reuertens post medium Aprilẽ Cracouiam venit: senatumque vrbis tribus millibus florenorum multauit, propter Iudæos paulo ante iniuria affectos à militibus, piam in Turcas militiam professis. Etenim Pius eius nominis secundus Pontifex subactarum à Turcis ea tempestate gentium Christianarum calamitatem miseratus, & à cæteris, quibus idem hostis imminebat, periculum auertere cupiens, edicto Mantuam conuentum omnes Christianos Principes atque populos ad pium bellum crucis vexillo proposito cohortabatur & inuitabat, dux eius belli ipse futurus. Ac de Principibus quidem Matthias Rex Vngarorum, Philippus Burgundiorum, & Christophorus Maurus Venetorum Duces eam militiam publice professi erant: Casimirus Rex, ne idem faceret, Prussico bello distinebatur. Permulti tamen è Polonis priuati nomina dedere, ita vt ii prope duodecim millia hominũ conficerent. Eorũ igitur cruce signatorum militum nonnulla pars dum coit, & accingit se se Cracouiæ, ad tertium Nonas Aprilis, re inter se communicata in Iudæos impetum fecit, effractisque domorum foribus facultates eorum diripuit, ac ne cæde quidẽ abstinuit. Cæsi ex Iudæis triginta ferme, cæteri in vicinam Ioannis Tencinii Castellani Cracouiensis domum confugerunt. Eam quoque crescente tu-

Rex Cracouiam venit.

Cracouienses propter Iudæos multati.

Crucis militia contra Turcas.

Iudæi diuersi à militib. cruce signatis.

multu postridie expugnassent, nisi Ioannes Gruscinius Episcopus, & Iacobus Dembinius præfectus vrbis cum aulico suo comitatu, & senatu, ac multitudine vrbana licentiam eorum coercuissent, ludæosque in arcem deduxissent. Multatus tamen est senatus.

Conuentus minorum Polonorum Corczui.

Nec diu post ante finem eiusdem mensis Rex Corcini minorum Polonorum conuentum egit: quibus cum duodenûm grossorum in mansum tributum sciuissent, ad conducendum mercenarium militem in Prussiam, remissa est expeditio. Ægre ferebant maiores Poloni, expeditionē à minoribus in tributum commutatam esse, non communicato secum consilio. Sed tamē ipsi quoq; conuentum à Rege ad octauum calendas Iulii Colum coacto, idem fecerunt, quod neq; militare sine minoribus Polonis volebant, & secundæ Polonorum res in Prussia id minime requirere videbantur. Nam post clades illas hostium, quæ supra commemoratæ, continuata

Meua deditione recepta à Polonis.

à regiis in alterum annum Meuæ obsidione, obsessi ad extremā rerum omnium inopiam & desperationem salutis suæ redacti, cum inutilē bello multitudinem oppido eiecissent, & à regiis ea rursus in oppidum compulsa esset, postridie Natalis Christi, arcem simul & oppidum dedidere, vitam, & quicquid suarum rerum quatuordecim curribus possent euehere, pacti. Quadringenti milites cum magno Commendatore Vlrico Eisenhoueno, & aliis Commēdatoribus, Stanislao Burggrauio Dhonano, Nicolao weissempachio, Stephano Schöneichio, ac Henrico Richtenbergio, qui omnes à Polonis Regiomontum deducti sunt, in præsidio fuerunt. Ex oppidanis duo Consulares, qui Cruciferis impensius fauerant, siue eiecti, siue vltro excessere, vnius mensis spacio ad distrahenda bona à regiis impetrato. Per eosdem dies Ioannes Schalius Hoensteinum siue Holstincum oppidum Crucifericæ ditionis ex improuiso occupauit. Porro qui Fridlandiæ fuere

Sonnenbergii pactum cum Rege Casimiro.

in præsidio milites Cruciferorum, cum sibi stipendia non soluerentur, hostiliter direpto, & incenso oppido discesserunt. Bernhardus vero Sonnenbergius eadem de cuusa, & quod valde accisas esse vires Cruciferorum animaduertebat, cum Rege pactus est, vt quæ tunc præsidiis suis tenebat, deinceps quoque, quoad bellum illud maneret, quietus retineret: cum regi s libera commercia haberet: cum iis vero, qui Crucifericarum essent partiū, nil sibi commune esse duceret: bello vero finito, iusta mercede à Rege accepta præsidia deduceret: munitiones, quas obtinebat, Regi traderet. Non

Clades Cruciferorum ad Colbergam.

mediocriter & illa clades ad Colbergā oppidum Pomeraniæ accepta Cruciferos afflixit. Erat Colberga in ditione Episc. Camenensis: verum detrectabant oppidani eius imperata. Episcopus igitur facta clam aliquanta manu, acceptisq; à Cruciferis septingentorum equitum auxiliis, noctu oppidum aggreditur, vt nec opinantes oppidanos opprimeret. Verū ii commodum à Gedanensibus fœderatis facti certiores de consilio Episc. receptisq; in vrbē auxiliaribus eorum copiis maritimo itinere transmissis, hostē scandere muros incipientē adorti fuderunt, & ad internecionē cæciderunt. Sic igitur attritis Cruciferorū viribus, placuit Polonis mercenario militē eo anno in

Expeditionum publicarum in commoda.

Prussia gerere, præsertim quod expeditiones publicas nullo ordine, nullaq; militari disciplina, sed summa licētia cōstantes, sociis & amicis magis, quam hostibus dānosas esse animaduerterent: quod neq; Regis imperū satis exaudiebatur, & nihilo magis in sociorum, quam in hostium agris à vi & iniuria temperabatur. Huc accedebat, quod Episcopus & Senatus Lubecensis

Polonis

Polonis iuxta ac Cruciferis consentientibus componendę inter bellantes pacis arbitrium sibi desumpserant, & iam tunc aduentabant Gedano, quo nauibus aduecti erant, Toruniam, adiunctis sibi de Rostochiensium, Vismariensium, & Luneburgensium senatu singulis: Rigensium vero ac Derpatensium binis.

Lubecenses arbitri pacis inter Pol. & Cruciferos.

Conuentu Colensi finito, Rex Brestam diuertit: Toruniam vero ad disceptandam ac transigendam causam Prussicam misit Ioannem Vladislauiensem, Episcopum & regni Procancellarium, Lucam Gorcanum Posnaniensem, Stanislaum Ostrorogium Calissiensem, Sendiuoium Lenzenicium Siradiensem, Petrum Oporouium Lenczciciēsem, Nicolaum Koscieleczium Inouladislauiensem, Stiborium Baisenum Culmensem, Palatinos: Hinciam Rogouium Sendomiriensem, & Nicolaum Czarncouium Gnesnensem Castellanos: Ioannē item Dlugōssū, Ioan. Dambrouucā, & Iacobū Shadecū Secretarios. De Nobilitate Prussica quatuor, Ottonem Machuicium, Matthiam Tolcam, Nicolaum Pilauium, & Nicolaum Zalinium. De Ciuitatum vero Consulibus: Torunensis quidem quatuor, Elbingensis duos, Gedanensis quatuor, & quintum parœcum eius vrbis, iuris Pontificij candidatum. Porro à Magistro & Ordine Cruciferorum adfuere Iodocus Episcopus Ossilienſis, Henricus Plauenius quondam commendator. Elbingēsis, Gerhardus Melengradus Mareschalius Liuonum, Georgius Comes Hennenbergius, & insuper tres iureconsulti, ac duo Commendatores. De Nobilitate, Vlricus Ilauiensis, & Ludouicus Lubauiensis præfecti: denique duo cōsulares Regiomontani, & duo Reualienses. Inter hos igitur ad quintum Nonas Iulij agitari cœptum, & per sesquimensem tractatum, ad extremum sine effectu discessum. Conuenerat iam, vt Poloniæ Rex Pomeraniam citeriorem Culmensem, Michalouiensem, & Elbingensem tractum totum haberet, reliquam inferiorem Prussiam Cruciferis relinqueret. De Mariæburgo intra triginta annos proximos vt iudicio, arbitrio, pactoue transigeretur: interim vero in Regis potestate arx ea maneret. De illis vero conditionibus conuenire non potuit, vt Magister ac totus Ordo Cruciferorum subiectionis iuramentum Regi præstarent, semperque deinceps in fide & clientela eius essent: Rex vero vt militibus Cruciferorum emerita vndecim annorum stipeddia exolueret iis duntaxat, qui fuerunt in præsidio munitionum earum quæ ipsi tradebantur. Nam neque hoc Poloni, neque illud Cruciferi acceptabant. Soluto igitur conuentu illo Toruniæ, bellum reparatur à Rege Brestæ commorante. Tenebatur Nouum oppidum Pomeraniæ siue Pomerellæ cum arce Cruciferorum præsidio. Id quoniam in ripa Vistulæ situū, eam habebat opportunitatem, vt fluminis traiectum liberum hostibus præstaret, regiis vero nauigationem impediret. Id igitur primum adoriri, ac in potestatem redigere placuit. Missus eo cum peditatu Thomas quispiam vir maioris animi, quam consilij: qui non expectato Dunino & equitatu, cum quo se iussus erat coniungere, ad Nouum castra metatus est. Hostes regiorum paucitate animaduersa, coadunati celeriter è proximis præsidiis impetum in eos fecere. Fugientibus naues regiæ non procul in Vistula stantes saluti fuere. Centum aut paulo plures ex omni numero desiderati. Eadem autem die Adam Vilcanouius contractis tumultuarie Nideburgo, cui præerat & Sarnouia militibus, præsidiarios Cruciferorum, qui erant Dzialdouiæ, prædam agentes è Masouia profligauit, prædamq; excussit. Dzialdouiam deinde

Torunii Conuentus trar sigendæ causa Prussica ergo.

Conditiones pacis reiectæ.

Polonorum clades ad Nouum.

Cruciferi fusi prædam agentes.

Dzialdouia à Masoniis capta.

deinde Conradus Varſauienſium Dux obſidione cinxit, ac deditione accepit. Rex verò ignominia apud Nouum accepta commotus, Ioannem Synouecium & Paulum Iaſenium cùm aulico comitatu eo miſit: Duninum quoque cum Prutenis & equitatu, & peditatu recollecto eodem iuſſit contendere, vt munitione potirentur. Nec tamen via ea occupari potuit, valido præſidio & natura loci defendente. Cæterum obſidio in ſequentem annum producta. Porro Puſcum Gedanenſes cum totos ſex menſes terra marique obſediſſent, dedititium obtinuerunt. Rurſus igitur Cruciferi pacis mentionem iniecere, ſiue quo liberius Toruniæ proditionem conficerent, ſiue reuera pacis cupidi, quod non admodum lætis ſucceſſib. tunc vterentur, & oppidani, agreſteſque, atque adeo milites quoq; cum iurgio, defectioniſq; denunciatione pacem poſcerent. Miſſus eam ob rem à Rege Ioannes Dlugoſſus in Pruſſiam, cum gubernatore & primoribus trium ciuitatum ad Mariæburgum & Stumã colloquia habuit. Et videbantur Cruciferi accepturi conditiones illas, quę ipſis Toruniæ latæ erant. Poſtulabãt autem, vt Rex primores conſilij ſui ſumma cum poteſtate Mariæburgũ ad conficiendam pacem mitteret. Verum id propter peſtem in iis locis graſſantem factum non eſt. Quin cum Breſtam quoque id malum infeciſſet, Rex inde Clodauiam, ac deinde Lencziciã ſeſe recepit. Vbi aliquot ſeptimanas cum Regina, quæ filiam Sophiam Cracouiæ menſe Maio enixa erat, commoratus, indeque Petricouiam profectus, ad medium Octobris comitia quindecim dierum habuit. Venerant eo ex condicto Conradus Varſauienſium, & Conradus Oleſnicenſium Duces, de ſucceſſione diſceptaturi. Sed cum res ſubinde tentata pera micam compoſitionem non procederet, prolata eſt cauſa. Oleſnicenſis quidem Ducis ad Pentecoſten ſequentis anni: Maſouii vero ad proxima regni comitia, cum quod peſtis contagio Petricouiam quoque, & omnem fere maiorem Poloniam iam peruaſerat, tum quod inconſultum Regi videbatur offendere Duces illos aduerſo iudicio, bello Pruſſico nondum confecto.

Puſcum à Gedanenſibus obſeſſum & captum.

Peſtis in Pruſſia & Polonia.

Sophia filia Regi nata.

Comitia Petricouiæ.

Petricouia Parczouiam ad alia comitia itum, quę Rex ad natalem D. Virginis prius dilata, rurſus ad diem D. Martini reiecerat, communia futura Polonis & Lithuanis. Et frequentes quidem vt iique proceres aduenere: ſed cum Lithuani Parczouiam ad Polonos, hi contra Breſtam ad illos venire recuſarent, Lomazis tandem conuentum eſt. Neque ibi tamen quicquam actum propter pagi incommoditatẽ, ac cœli inclementiam. Sed res in annũ ſuſpenſa eſt. Rex dimiſſo conuentu, Lithuaniam cum Regina petit. Et quoniam Vilnam quoque peſtilentia infecerat, Grodnę manſit aliquandiu: deinde Caunam profectus, magnam partem hyemis ibi exegit. Sub illud autem tempus, quo Parczouiæ habita comitia, Henricus Plauenius inſtructa, vt ante dictum, Toruniæ proditione, mille cum armatis noctu ad vrbem acceſſit ſecundum flumen: qua parte auerſa, ab hoſtibus ſecuriores erant ciues & vigiles. Iamq; præteritis piſcatorũ ſuburbanis domiciliis, & antemuralibus ſuperatis, taciti ſcalas manibus admouebant hoſtes, cum à vigilibus illuceſcente iam aurora animaduerſi, & ſtrepitu clamoreque tumultuantium ac concurſantium deterriti, relictis ſcalis cœpto irrito raptim ſeſe recepere, veriti, ne loci iniquitate & irrupione ciuium opprimerentur. Sed non multo poſt iidem meliore fortuna vſi ſunt ad Carniſſinum Maſouiorum arcem, tametſi non diuturna ea fuit. Mox enim Maſouij interuerſam arcem

Comitia Parczouiæ. Conuentus Polonor. & Lituanor. Lomazis iritus.

Toruniapene capta à Cruciferis.

Carniſſinũ in Maſouia à Cruciſ. captum.

arcem circumuallarunt, priuſquam hoſtes commeatum importarent. Itaque ſtatim eam deditione recuperarunt. Per idem tempus Vngari Scepuſienſem tractum, qui in ditione Regis Polonorum eſt, populabundi peruagati ſunt: donec afflictæ ciuitates ſeptem florenorum millibus contributis publice pacem mercati ſunt. Id autem fecerunt Vngari nulla prouocati iniuria, niſi forte cruce ſignatorum militum licentiam & iniurias vlciſci voluere. Hoc anno Archiepiſcopo Gneſnenſi Ioanni Sprouio ad medium Aprilis mortuo, Ioannes Gruſcinius: huic autem in Epiſcopa Cracouienſi Ioannes Lutecus Brezius: ei vero in Vladislauienſi Iacobus Sienenius à Paulo ſecundo Pontifice, qui Pio ſucceſſit, Rege poſtulante ſuffectus eſt. Nec ita multo ante idem Pontifex Paulum Grabouium Rege itidem commendante, Chelmenſem Epiſcopum creauerat.

Carniſſinũ à Polonis recuperatum.

Vngari Scepuſium vaſtarunt.

Epiſcoporũ mors & ſucceſſio.

Sequenti anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto Poloni varia fortuna vſi ſunt in Pruſſia: à quibus cum Nouum arcta premeretur obſidione, Caſpar Noſticius laturus obſeſſis opem, ſexcentos equites & quadringentos pedites mercenarios è finitimis Poloniæ ac Pomeraniæ locis adducebat exiguo ære ſubarratos, Choiniciæ, verò amplum ſtipendium ſe ipſis numeraturum pollicitus. Eorum non paucos hyemis aſperitas partim in itinere confecit, partim debilitatos ſubſiſtere coegit. Reliqui vero cum peruenirent Choiniciam, nec ipſis promiſſum numeraretur ſtipendium, frementes dilapſi ſunt, regiis, qui ad arcendos eos è compluribus præſidiis conuolarant, non inſectantibus diſcedentes. Quare cognita obſeſſi Calendis Februarij, Magiſtro nequicquam deprecante, & auxilium pollicente, oppidum dedidere, & libere abire permiſſi, quo vellent, quinquaginta tribus curribus res ſuas aſportarũt. Non quieuit & Magiſter. Quam enim circa ſe habebat manum, in territorium Gedanenſe ſiue inſulam minorem immittens, omni calamitatis ac ſęuitiæ genere eam afflixit, prædamque ingentem Stargardiam importauit, quo rectius ibi ſui hoſtium obſidionem, quam expectabant, ſuſtinerent. Cum autem non ſoluerentur Polonis emerita ſtipendia, Nouo recepto, dilapſi Poloniam latrociniis infeſtare cœperunt. Et pars quidem eorum nonnulla Dobrinenſem montem Viſtulæ imminentem occupauit: inde in Maſouiorum & Cuiauienſium agros excurrens, & in præternauigantes impetum faciens, prædas agebat. Alij vero bonis eccleſiaſticis, templorumque & monaſteriorum Gneſnenſis diœceſeos ſupellectili è Labiſſino imminebant, qui facile mille equitum numerum explebant, exceptis peditibus. Verum vtrique authoritate & placidis ſermonibus ac muneribus Poſnanienſis & Vladidauienſis Epiſcoporum deliniti quieuere. Mons vero Dobrinenſis, quod per magnam opportunitatem incommodandi regiis habebat, ſi ab hoſte occuparetur, Nicolai Zalinij præſidio firmatus eſt, collata publice in ſtipendium pecunia. Quæ res rardius animaduerſa, tam malè habuit hoſtes, qui erant in præſidio Neumarci, vt in rixa, qua alius in alium culpam neglectæ occaſionis transferebat, duodecim ex ipſis deſiderati eſſe dicantur. Hæc per hyemem geſta in Pruſſia. Vere inſequenti Rex feſtis Paſchæ diebus apud Grodnum exactis, Reginam maiore cum parte comitatus aulici Corcinum præmiſit: ipſe Leopolim cum paucis excurrit, quod Ruſſi eius opem contra vim & iniurias Andreæ Odrouanzi Palatini & Præ-

Ann. Chr. 1465. Polonorum varia fortuna in Pruſſia.

Cruciferorum copiæ dilapſæ.

Nouum Polonis deditum.

Gedanenſe territorium à Cruciferis vexatum.

Latrocinia in Polonia ob non ſoluta ſtipendia.

& Præfecti Leopolienſis imploraſſent. Sed quum is paulo ante obiiſſet, ac Ioannes frater ei ſucceſſiſſet, illud modo actum, vt Ioannes præfecturis omnibus amoueretur, accepta à Rege viginti millium florenorum ab ipſis Ruſſis, qui duodenos groſſos in manſum, & ſingulos boues in focum ſiue familiam ob eam rem conferebant, numeratorum pecunia, cuius nomine fratres ipſi Præfecturas illas addictas tenebant.

Comitia Corczinii.

Ruſſicis rebus ita vtcunque compoſitis, Rex Corcinum diſpoſitis equis ad comitia contendit, ad duodecimam Maij edicta. Quo ex minore quidem Polonia & Ruſſia frequentes Senatores conuenerunt: è maiori verò Polonia Lucas Gorcanus Poſnanienſis, Stanislaus Oſtrorogius Caliſſienſis, Petrus Oporouius Lenczicienſis, Palatini, & Sciborius Chelmius Succamerarius Poſnanienſis legati libera cum poteſtate miſſi. Quindecim diebus in conſultando conſumptis, placuit vt Maioris Poloniæ Nobilitas in Pruſſiam expeditionem ſtatim ſuſciperes, Choiniciam vallo muniret, donec mercenarij milites, quibus deinceps eo anno res gereretur, conuenirent: eamque ob cauſam illi ipſi maiores Poloni ſenos tantum groſſos, cæteri vero alterum tantum in emerita iuxta ac deinceps emerenda ſtipendia ante medium menſem Iulium contribuerent. His conſtitutis, Cracouiam ſe Rex recepit, cuius non exigua pars cum æde D. Franciſci non multo ante ad quintũ Calendas Maias, Stradomia vero tota excepto templo ac cœnobio ſodalitij Bernhardinorum ad ſeptimum Idus Aprilis conflagrarat. Aduenerunt eo Prutenorum legati, narrantes, Nobilitatem & primores ciuitatum Cruciferis ſubiectarum apud Neringam peninſulam conuentum ſecum habuiſſe, pacem impenſe cupere, & quaſuis tolerabiles conditiones non abnuere. Exhauſtos enim penitus, extremam ad miſeriam redactos eſſe tam diuturno bello. Poſtulabant igitur, vt Rex gubernatori cum conſilio poteſtatem pacis conficiendæ faceret. Id Rex cum Senatu negauit: ſpem modo pacis illis facere, tempuſque & locum de ea tractandi conſtituere eos iuſſit. Pacificationem ſenatui regni quem ad eam rem tempore miſſurus eſſet, reſeruauit. Cum his mandatis dimiſſi Pruteni, liberaliter à Rege donati ſũt. Dimiſſi item Sileſij principes vicini, Przemislus Teſchinenſium, Ioannes Ratiborienſium, Premislus Toſcenſium, Venceslaus Zatorienſiũ, Ioannes Gliuicenſium, & Ioannes Ribnicenſium, qui in baptiſmo regiæ filiæ Hedui giſtunc natæ, & intra annum vertentem denatæ, ſuſceptores adfuere.

Legati ex maiori Polonia ad Comitia miſſi.

Maiores Poloni militant, & tributum ſciſcunt.

Cracouia incendium.

Prutenorũ legatio ad Regem de pace.

Pruteni dimiſſi.

Dimiſſi Sileſii Duces.

His peractis, Rex diſcedens Cracouia Caliſſiam profectus eſt ad conuentum cũm Conrado Oleſnicenſium Duce ad ſeptimum Calendas Auguſti conſtitutum. Nihil tamen etiam tunc de ſucceſſione tranſactum: ſed res integra ad finem Septembris reſeruata, vt ibi tunc duorum conſiliariorum Regis Bohemi arbitrio tranſigeretur. Inde Rex Caſimirus Breſtam & Cuiauiam ſe contulit, paci in Pruſſia componendæ è propinquo adfuturus vel bello operam daturus. Ibi comperit, Vladislaũ Damoborium Caſtellanum & præfectum. Naclenſem quingentis equitibus coadunatis pronunciato in ſingulos dimidij floreni ſtipendio, hoſtilia in Regem regnumque machinari, ob non exſoluta ſtipendia, in Pruſſia emerita. Angebat ea res Regem, vt quæ maxime dolebat reſpirationem dari, animoſque reddi Cruciferis, quos iam fere deſponderant. Itaque actum cum Damoborio, vt incepto abſcederet, acceptis ternis florenis in capita militum. Vbi hac via nihil profectum eſt, bello ſtatim perduelles perſequi placuit. Collocantur

Znenæ

Znenæ & aliis quibuſdam in locis præſidia. Rex cum cæteris copiis, quas ad manum habebat, Naclum & Damoborzum, quæ loca ab illis tenebantur, obſidere parabat. Id vbi animaduertere illi, mutata ſentẽtia miſerunt ad Regem, imperata ſe facturos pollicentes. Iuſſi venire Inouladiſlauiam ad Regem primores, accepta fide venerunt, culpamque publice deprecati, & ad pedes Regis proſtrati, non modo veniam cunctis impetrarunt, ſed etiam pecuniam emeritorum ſtipendiorum nomine acceperunt, ac denuo Regi nomina dederunt, & ad Stargardiam oppugnandam ſub ſignis Pauli Iaſenij miſſi ſunt. Interea res Cruciferorum in Pruſſia paulo meliore loco eſſe cœperant. Nam & in Maſouienſem tractum excurrentes, Nobilitatem eius oræ fiducia multitudinis incautius in ſe irruentem in inſidias induxerant, & non mediocri ſtrage apud Cziechanouiam profligarant, & naues Torunenſium ac Gedanenſium multis mercibus onuſtas apud Mariæuerderum ſiue Quidzinum exuperant, & ad Derſauiam Nobilitatem Pruſſicam, quæ in præſidio eius oppidi erat (cum ad pugnam direptione ſuburbanorum elicuiſſent) conte&is equitatu peditibus re inopinata perturbatam, ſex hominibus cæſis, octoginta captis in vrbem repulerunt, atque apud Meuam quinque & quinquaginta præſidiarios milites comportandi ex agris commeatus cauſa egreſſos, ac ab aratoribus damnis affe&is proditos, Stargardia effuſi, intercluſo ad oppidum & arcem reditu, viuos exceperant, ac poſtridie eius diei arcem, cum ex interceptis literis vacuam eſſe præſidio didiciſſent, oppugnarant: depiſſentque adeo, ni Martinus Brzenius Prutenus peditum præfectus cum paucis ſtrenue eam defendiſſet, ſubeuntemque hoſtem ſuperne coniectis lapidibus remoratus eſſet, donec periculo cognito ſexaginta equites Mariæburgo, & ſeptuaginta pedites Gedano miſſi aduenere. Ibi tunc hoſtes receſſere ſuburbanis direptis. Sed nihilominus omnem eam oram vſque ad Gedanenſium ſuburbana ſubitariis ſubinde excurſionibus infeſtabant. Cum igitur è Stargardia potiſſimum ij, qui regiarum erant partium, in Pomerania infeſtarentur, eo duxit Iaſenius exercitum iuſſu regio, duabuſque turribus excitatis ad oppidum id aſſedit ita, vt pateret nihilominus obſeſſis liber exitus & reditus. Quo factum eſt, vt Iaſenius eorum inſidiis exciperetur. Sexaginta enim equites clam vrbe egreſſi, cum ſub veſperam Polonorum ſpecie & habitu aſſimulato ad mœnia accederent, contraque ij, qui in oppido erant, ex compoſito erumpentes, quaſi in hoſtes impetum facerent, Iaſenius forte tunc obequitans rem conſpicatus, mittit ad eos, qui Polonorum ſpeciem præ ſe ferebant, vnum de ſuis comitibus ſciſcitatum, qui nam eſſent. Reſpondent illi, ſe Derſauienſes eſſe, & ex hoſtico reuerti. Id verum credens Iaſenius, gratulabundus ad eos procurrit, comprehenſuſque cum duobus comitibus, in oppidum ductus, & in cuſtodia aſſeruatus eſt. Tantaque hoſtes eo capto lætitiæ ſigna dedere tympanorum nolarumque crepitu ac ſonitu, vt debellaſſe ſibi viderentur. Sed vana fuit ea exultatio. Extemplo enim Gothardus Radlinius in locum eius ſuffectus à regiis militibus, obſidionem continuauit. Interea vero conuentum rurſus à regiis in Neringa cum Cruciferis pridie Calendarum Septembris, ac de pace tractatum per quinque dies arbitro Paulo Varmienſi Epiſcopo electo, qui neutrarum erat partium. Sed ſine ſucceſſu diſceſſum. Illud modo conuenit Magiſtro poſtulante, vt poſt alterum menſem denuo eodem in loco, vel inrer Mariæburgum

Maſouiorũ cladis apud Cziechanouiam.

Naues Toronien. & Gedanen. captæ.

Crucifero-rum ris prõ ſpera in Pomerania.

Stargardia à Polonis obſeſſa.

Conuentus Polonorum cum Cruciferis in Neringa de pace.

gum & Stummam conueniretur, ea quidem lege, ne quam Mariæburgi mentionem Cruciferi facerent. Tametsi recipiebant ij, si Mariæburgum sibi redderetur, se cum tota Prussia & Liuonia in fide & clientela Regis Poloni fore. Verum non accipiebant Poloni hanc conditionem, siue quod per magnos sibi arx ea constitisset, empta à militibus: siue quod inde perfacile Cruciferi, quamuis leui occasione arrepta, bellum redintegraturi esse viderentur, quod & permunita, & peropportuno loco ea sita esset. Sic igitur è Nering a discessum tunc est.

Pacis conditiones à Polonu repudiata.

Conuentus Magistri Crucifer. rum Regiomenti cum suis.

Conuentum deinde suorum Regiomonti Magister habuit. Vbi cum Nobilitas & Regiomontani grauis ac diuturni belli pertæsi, non solum ei sumptus in bellum deinceps negarent, verum etiam, nisi pacem cum Polonis faceret, ab eo se defecturos significarent: sex & viginti ex eis, quos maxime voluntati suæ aduersari cognouerat, in arcem euocatos comprehendi, & sex primarios interfici iussit: cæteros vero per præsidia distribuit asseruandos, donec grandi se ære redimerent. Nec postea quenquam ad constitutũ cum Polonis conuentum misit. Nec tamen interea de belli studio & cura vllo trinque remissum quicquam fuerat: cuius tota fere moles ad Stargardiam sese collegerat, regiis oppidum id obsidentibus, hostibus vero impigre defendentibus, ita vt angustiore prope annona obsidentes, quam obsessi vterentur, propterea quod è vicinis agris neque frumentari, neque pabulari regij poterant; omni frumento & pabulo cum re pecuaria tempestiue in oppida è remotioribus quique locis comportato. Excipiebantur vero ab hostibus, qui circumiacentia oppida, nimirum, Choiniciam, Fridlandiam, Hamersteinum, Bythouiam, Lauemburgum, Osiecum, Kissouum præsidiis tenebant. Quo factum, vt Gothardus exercitus dux cum non exiguo expeditorum militum numero comparandi commeatus causa Dersauiam proficisci necesse haberet. Id vbi obsessi è transfuga quodam Gedanensi cognouere, eruptione facta castra semiuacua oppugnauerunt. Sed ea regij fortiter defenderunt, ita vt eos longe superantes multitudine quater vallo ac turribus ligneis magno cum impetu succedentes, vix tandem permultis amissis, longe pluribus sauciatis, in oppidum reciperesese cogerent. Nihilo tamen minus infestabant ij deinceps quoque vias, & ne quid rerum venalium in castra Polonica importaretur, prohibebant: sæpeque inter occurrantes sibi mutuo particularia certamina committebantur. Quin cum bruma quoque ac intemperie cœli hyberni regiis confligendum fuit. Sed vicit omnem eam difficultatem constantia ipsorum, ne ab obsidione discederent: quæ quidem in sequentem æstatem vsque perdurauit.

Magister suos punit ob pacis desiderium.

Rex gestа ad Stargardiam.

Transactio Regis cum Duce Olesnicensi.

Dum hæc ita geruntur in Prussia, Rex Casimirus Inouladislauia Calissiam contendit sub finem Septembris, ibique cum Conrado Olesnicensium Ducem & Margaretha vxore eius per Iodocum Vratislauiensem Episcopum, & Vilhelmum Rosembergium arbitros à Rege Bohemorum missos, transegit ea conditione, vt ille quatuor annorum spacio viginti millia aureorum nummûm à se acciperet: successioni omni in Masouia & Belzensi vna cum vxore sua sese abdicaret, dotemque post mortem Annæ Vladislai Masouiorum Ducis defuncti vxoris ne repeteret. His ita actis, Posnaniam Rex Conrado & vxore eius comitantibus profectus est, dimissisque iis, Prutenorum legationem audiuit. Petebat ea, vt arx Mariæburgensis Gubernatoris & Nobilitatis fidei committeretur. Responsum

sum est: Regem id sine comitiorum regni decreto ac consilio ciuitatum Prussicarum, quæ plurimum ad emendam eam arcem contulissent, recte facere non posse. His dimissis Posnania discedens ad medium Nouembris Coli quinque dierum comitia cum maioribus Polonis habuit, deinde per Lencziciam & Radomiam in Lithuaniam se contulit.

Prussiæ Nobilitatis legatio ad Regem.

Conuentus Maiorum Polonorum Coli.

Anno insequenti millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto post medium Ianuarium Archiepiscopus Gnesnensis synodum Lenciciæ habuit. Ibi Sendiuoio Lenzenicio Palatino Siradiensi, & Michaeli Lascio Præfecto Lenczicienſi oratoribus regiis petentibus, decretum est subsidium Regi ad bellum Prussicum è tributo sacerdotum: in Cracouiensi quidem diœcesi senûm grossorum, in cæteris vero duodenûm in libram argenti, secundum vsitatam æstimationem, sine Pontificiam, vt vocant, taxam. Mense Februario Liuones septingenti equites pariter & pedites Cruciferis suis in Prussiam suppetias euntes, cum Samogitiam attigissent, nec progredi per syluas possent, præpedira à Samogitis deiectione arborum locis opportunis via, versus mare iter instituere. Quod Samogitæ euenturum cum prouidissent, foueas præaltas iam ante in ea parte foderant, sarmentisque contexerant. In eas igitur Liuones inedia, frigore & pauore vrgentibus, imprudentes præcipitati, contrucidati sunt. Pauci cum ex insidiis ad lacum euasissent, rupta fragili glacie nihilominus periere. Duo tantum ex omni numero viui seruati, è quibus cognitum est, quadraginta naues refertas militibus è Germania in Prussiam nauigantes, non ita multo ante naufragio periisse. Iisdem diebus Paulus Lehndorffius Episcopus Varmiensis quum animaduerteret, res Cruciferorum inclinatas esse, & à pace tamen eos abhorrere, partium regiarum se deinceps fore professus, arcium & oppidorum suorum adeundorum potestatem fecit regiis militibus, qui Passenheimi, Nideburgi, & Vormitæ in præsidiis erant, vt non solum ea tuerentur, sed etiam communem iam hostem inde infestarent. Quæ res Magistro peracerba accidit, magisque serio is de pace dein cogitare cœpit.

Synodus Lenczicia.

Sacerdotale ium reditum æstimatio inæqualis.

Liuenum clades in Samegitia.

Episcopus Varmien. in regias partes concessit.

Ad medium mensis Martij Rex Petricouiæ comitia celebrauit. Ibi rursus actum est cum Conrado Varsauiensium Duce, & matre eius Anna, ac matertera Catharina. Sed cum pactionibus decidi res non posset, Conrado Belzensem modo tractum remittente, Rege vero nil præter Visnensem concedente, iudicium vero Prussico bello durãte intempestiuum fore videretur, reiecta res ad alia comitia. Adfuere hic etiam legati Prutenorum petentes, vt Rex Mariæburgum cum aliquantis copiis quamprimum veniret, hac ratione facilimè bellum finiturus, quod pleræque ciuitates subiectæ Cruciferis ad eum defecturæ esse dicerentur, & eius rei causa binorum grossorum persionem & accisam in vnum annum ei deferentes. Itaque soluto quindecim dieb. conuentu, Brestam Rex Archiepiscopo Gnesnensi, & Episcopo Vladislauiensi, ac Palatinis Posnanienſi & Siradiensi occurrentibus ac deducentibus contendit.

Comitia Petricouiæ.

Prutenorũ legati ad Regem de finiendo bello.

Per id tempus Ioannes Schælius facta aliquanta manu præsidiariorum equitum ac peditum, Melsacum oppidum tunc Crucifericarum partium intercepit, militesq; sexaginta, qui erant in præsidio, viuos in potestatẽ suam redegit. Perturbauit ea res Magistrum adeo, vt de Regiomonto is iam periclitari videretur. Certior enim factus erat, Gedanenses transportatis

Melsacum à Polonis captum.

classe copiis Sambiam adoriri & infestare statuisse, eoque copias & ipse suas Regiomontum contraxerat, quas hostibus opponeret. Ex his itaque tria millia peditum & equitum Henrico Plauenio duce celeriter ad recuperandum Melsacum misit, ratus, Polonos paruo præsidio relicto inde discessisse: & vero non ignorans, eos rebus præsertim secundis securos esse solere, ita vt qua id arte, quaque facilitate cepissent, eadem rursus amittere posse viderentur. Plauenius igitur silenti agmine profectus, nocte intempesta oppidum diuersis quatuor locis aggreditur, iamque vna porta refracta signa inferebat. Sed cum Poloni partim aduersi nauiter obsisterent irrumpentibus, partim superne in subeuntes saxa deiicerent, ducentis amissis, in tutum se recepit. Postero die vt acceptam ignominiam corrigeret, fremens frendensque ad Holandiam duxit. Verum ibi quoque nihilo meliore fortuna vsus, plures etiam milites amisit. Nec magis prosperæ tunc erant res Cruciferorum in Pomerania. Osiecum castellum obsidebant Poloni, ligneo castello è regione excitato. Hostes succurrere suis laborantibus volentes, non contemnendam manum Choinicia & Stargadia eo misere: cui aduenienti obuiam progressi Poloni, pugnæ copiam fecere. Nec mora in fugam acti hostes, perpauci tamen euasere, pluribus in fuga quam in prælio trucidatis. Cæsorum spolijs reijpoliti sunt. Id vbi viderunt obsessi, incenso castello natando profugerunt. Regij vero accurrentes incendium restrinxerunt, castellumque subegerũt. At Ludouicus Magister, quoniam magnam earum cladium partem Varmiensis Episcopi defectioni ad regias partes acceptam ferebat, vt eum vlcisceretur, cum sexcentis equitibus, ac totidem peditibus agros oppidorum eius percursat, ac segetes conculcat, non sine dolore oppidanorum, & fremitu in Episcopum, quod cum pacati in medio belli strepitu ad eam diem fuissent, transitione eius ad Regem irritatis Cruciferis hostilia pati cogerentur. Erat quidem in præsidiis eorum oppidorum & aliarum vicinarum munitionum non exiguus regiorum militum numerus: sed exacerbatis præsenti & insueta calamitate oppidanorum animis, mœnibus ij se continebant, veriti, ne prodeuntes excluderentur. Increpiti vero regiis literis ac nunciis, prodiere tandem constituto ad conueniendum loco. Quo cognito Magister Bartensteinum se cum copiis suis recepit: ibi regij vicissim liberius agros peruagati, segetes & ipsi conculcarunt, ac in villas igne desęuierunt.

Plauenius à Melsaco & Holandia repulsus.

Polonorum victoria ad Osiecum.

Crucif. ri vastant Varmiam.

Per eos dies Casimirus Rex cum accepisset literas à Rudolpho Episcopo Lauantino homine Germano, qui scribebat, se venire legatum à Pontifice ad faciendam pacem inter ipsum & Cruciferos: misit ad eum Vratislauiam, vbi substiterat, Ioannem Dlugossum secretarium suum indicans, pacem se non abnuere, modo ille bona fide pacificatorem sese interponeret, neque imitaretur Hieronymum Cretensem Archiepiscopum, qui Regi operam suam pollicitus, cum ad Cruciferos profectus esset, corruptus ab iis calice aureo, bellum non modo non sedasset, sed etiam vltro iam fere conquiescens resuscitasset cum aliis factis ac versutis consiliis suis, tũ quod Prutenis regiarum partium interdictum non relaxasset. Si nihil eorum hic haberet in animo, veniret bono omine, fauere se ei, vt præclaram cõpositę pacis gloriã referret. Prolixe ille omnia pollicitus est, se dissimilẽ Cretẽsis illius fore.

Rodolphus Episcopus Lauantinus legatus Pontificis.

fore. Venerunt iisdẽ diebus ad Regem Stiborius gubernator Prussiæ, & Gabriel Palatinus Culmensis Baisenii fratres cum legatis Nobilitatis Prussicæ & ciuitatum orantes, vt Rex Mariæburgum tandem accederet, ac tam diuturno bello, quo ipsi penitus iam exhausti essent, finem imponeret. Fore enim, quum eo accesserit, ac Regiomonti Cruciferorum metropoli propius bellum ostentarit, vt ad eum ciuitates quædam deficiant, & Cruciferi ad quasuis pacis conditiones perducantur. Repetebant & priora postulata de Mariæburgo, & aliis arcibus fidei suæ commendandis. Non debere minus certam & probatam esse Regi fidem suam, quam externorum: & minore autem impendio eas arces seruari à se posse, quam ab externis, quorum insatiabili auaritiæ explendæ neque ærarium, neque facultates suæ sufficiant, & vero negligi propter eos culturam agrorum. Hæc asperius exaggerantes addebant etiam minas: nisi ratio precum suarum duceretur, fore, aliter sibi prospicere cogerentur. Offendit ea legatio Regem, & quotquot ipsi aderant in Senatu. Sed dissimulata tamen temporis causa offensione, comitereis responsum: Regem mature ad futurum Mariæburgi, ibique de illis & omnibus rebus cum Prutenis constituturum: ante messem autem cum exercitu eo proficisci commode non potuisse, propter annonæ & pabuli penuriam.

Prutenorũ legatio ad Regem.

Ita dimissis Prutenis Inouladislauiam Rex petiit, quo magis accelerarent iter milites, cum Regem in itinere esse audirent. Ibi eum conueniunt legati Erici Ducis Pomeraniæ, gratulantes Regi saluum aduentum in eas oras, auxiliaque magna ad bellum pollicentes: ipsumque adeo Ducẽ præsentem ad futurum, si Rex ipse foret in exercitu. Deinde percontabantur, Choiniciamne & alias Pomeranicas munitiones Rex oppugnaturus esset, an Mariæburgum iturus. Postremo postulabant aperte quidem, vt redimere Duci Lauenburgum & Bythouiam munitiones à Cruciferis sibi ademptas liceret: cupere hoc eius subditos, & pecuniam eam in rem contulisse: ipsum vero cum hostibus decidisse iam octo millibus florenorum, & captiuis eorum reddendis. Tectius vero hæc & obiter agebant, si forte Dux de Choinicia, Stargardia, siue aliqua qua piam munitione Pomeranica transigere cum hostibus regiis aliqua conditione posset, vt ipsi bona cum Regis gratia habere eas munitiones licerer, in fide & clientela Polonorum futuro. Ad hanc legationem, quippe quæ non obscure indicaret. Ericum toti Pomeraniæ inhiare, nil aliud responsi datum, quam vt Dux, ipse post quindecim dies Bydgostiam ad Regem veniret, de illis, quæ postulabat, coram acturus. Ne quam tamen pecuniam interim hostibus numeraret, neue captiuos redderet: ferret potius aliquantisper adhuc detrimentum amissarum munitionum. Id autem prouidebatur, ne vires hostium receptis captiuis, conductisque illa pecunia nouis militibus reficerentur. Bydgostiam deinde Rex peruenit, vbi de Slochouiæ arcis interceptione nuncium accepit. Præfectus eius arcis Georgius Dambrouius, Martinum Cziczuicium Nobilem & locupletem Pomeranum è ditione Erici Ducis domi ipsius captum in arce asseruabat, quoad se magno redimeret ære. Et insinuarat is iam se in familiaritatem præfecti ita, vt liberius in arce diuersaretur. Erant ibi in præsidio Pomerani Polonis intermixti, cum quibus Cziczuicius clam de proditione pactus, cum cognitam haberet angustiam rei frumentariæ in arce, vltro pollicitus est domo aliquantam vim farinæ. Dimissus eam ob

Rex Inouladislauiam petiit. Ducis Pomerania legatio ad Regem.

Responsum ad legationem Pomeranicam.

Slochouia fraude intercepta à Pomeranis.

rem à credulo præfecto, quatuor currus farina onustos adduxit. His vero quaternos expediros pedites quasi custodiæ & præsidii causa adiunxerat. Cum quibus in arcem intromissus præfectum arcis, & quos de militibus fidos ipsi esse arbitrabatur, adiuuantibus ex condicto Pomeranis præsidiariis comprehendit, & in imam turrim detrusit, arcequepotitus est. Vehemens erat suspicio, si non iubente, certe non insciente Erico Duce facinus illud ab ipsius hominibus patratum esse: eoque spectasse videbatur pars illa legationis eius, qua petebat, vt sibi habere liceret per Regem munitiones, si quas pacto aliquo in potestatem suam redegisset. Itaq; increpati legati eius, qui nondum dimissi erant: missusq; ad ipsum legatus à Rege, qui de fraude & perfidia cum eo expostularet, minasq; adiiceret, ni Slochouia redderetur. Ad ipsum quoq; Martinum Cziczuicium missus alius de restituenda arce nil nisi bona verba retulit. Quo tempore Choinicia quoq; duces hostium aderant, pecuniam Cziczuicio grandem pollicentes, si sibi arcem traderet. Atq; ii reuerti alio tempore iussi sunt. At Rex cum conuocasset consilium, omisso Marienburgo Choiniciam adoriri frustra reclamantibus Prutenis statuit, quo militibus hostium, qui è Germania & Bohemia deducebantur, transitum intercluderet, Poloniamq; maiorem ne hostilibus excursionibus exponeret. Ad hæc autem Slochouiam quoq; facilius se recepturum sperabat, si propius exercitum admoueret. Hostes, qui Stargardiæ in præsidio erant, vbi cognouerunt, Regem in ea ora tunc bellum gerere decreuisse, diuturna defatigati obsidione, & fame iam laborantes, relictis rebus omnibus, qua patebat exitus, noctu silenti agmine excessere: & equites quidem sparsim Choiniciam contendere: pedites vero in Zantiram vicum se recepere, templumque Vistulæ imminens, vnde nauigantes infestarent, muniuere. Postero die oppidani dilapsis defectionis autoribus, compotes sui facti, Gothardo Radtnio sese permisere. Quo nuncio exhilaratus Rex, alacrior ad obsidendam Choiniciam comitatum aulicum misit: quibus & proceres, qui aderant Bydgostiæ, suos comitatus adiunxerunt: ipsi Bydgostiæ cum Rege manserunt. Ludibrio primum fuit hostibus ea obsidio, abundante oppido defensorum multitudine, & quod regii vno in loco, cæteris partibus oppidi liberis, castra metabantur. Vbi vero fossis ac sepibus cingi oppidum cœptum est, erumpere frequentes & inuadere operi intentum militem, globosq; bombardis & omne telorum genus è mœnibus eiaculari. Nec paruis incommodis regios afficiebant, donec submissis à Rege Lithuanis ac Tartaris equitibus liberiores eorum excursiones inhibitæ sunt.

Choinicia à Polonis obsessa.

Slochouia à Polonis recuperata.

Sacerdotũ & Scholasticorum gratitudo erga Polonos.

Interea Slochouiam Rex fortuna adiuuante sexto, postquam amiserat, die recuperauit hoc pacto. Excurrerant eo quadraginta pedites Poloni, Palatini Inouladislauiensis Ioannis Koscielecii, siue vt fortunam tentarent, siue vt aliquid forte è subiectis ægris raperent. Eos Cziczuicius ex arce conspicatus, omnibus militibus, quos in præsidio habebat, deductis, persequi instituit. Sacerdotes tantum duo cum ludimagistro & aliquot scholasticis adolescentibus in arce remanserant: qui quamuis Pomerani, tamen benignioribus vsi Polonis, indigne ferebant, eos per dolum arce excidisse. Hi ergo solitudinem nacti, occasionem referendi gratiam bene meritis non negligendam sibi esse rati, portas arcis superioris occlusere, ostioque turris effracto, Georgium Dambrouium cum sedecim sociis, cassibus venatoriis submissis, extraxere, & cum his pariter clamorem sustulere. Quo consternati

ternati Pomerani, quum in arcem se recipere vellent, subeuntesque saxis superne deiectis arcerentur, foris vero à quadraginta illis peditibus significatione eorum, qui in arce erant, animatis peterentur, correptis & conscensis celerrime equis Dambrouii, qui in inferiori arce stabulabantur, in Stolpensem ditionem profugerunt. His cognitis Fridlandenses & Hamersteinenses eiectis hostium præsidiis Regi sese & oppida sua dediderunt: qui propter sæuitiam & asperitatem præfecti sui Vladislai Damoborii Castellani Naclensis defecerant.

Fridlandenses & Hamersteinenses Regi deditionem fecere.

Deiecerunt hæc magnopere Magistri & Cruciferorum animos, qui in spem potiundæ Slochouiæ, quæ amplitudine & munitione Mariæburgo non multum cedit, venerant, & Principibus Germanis, à quibus ad eam diem vanis auxiliorum promissis lactati erant, inter se dissidentibus, nihil spei sibi reliquum esse in posterum videbant, metuebantque, ne id, quicquid habebant reliqui in Prussia, per vim aut voluntariam deditionem Prutenorum amitterent. Itaque conuentu Regiomonti habito, cum non satis tutum esse aliorum cui quam pacis mentionem facere, nonnullis ob id supplicio affectis, primus ipse Magister Ludouicus sententiam dixit, in quam ab omnibus itum est: nimirum vt pax cum Rege Poloniæ conficeretur, si minus æquis, at tolerabilibus duntaxat conditionibus. Missus è vestigio ad Regem Bernhardus Sonnenbergius, tempus locumq; colloquio de pace habendo petiuit. Nihilo ferociorem se cundæres Regem fecerant, quam ante ostenderat Rex legato pontificio Rudolpho, non abhorrere se a pace. Conuenit autem, vt ad diem natalem Diuæ virginis Rex Toruniæ, Magister vero cum suis Culmæ essent: illi vero, qui de conditionibus locuturi ac tractaturi erant, Culmeseæ, medio fere vtrinque spacio, conuenirent. Nihilo tamen segnius continuabatur à regiis obsidio Choiniæ: & quo celerius ea operibus circumuallaretur, spesque omnis auxilium, & facultas euagandi obsessis præcideretur, euocatæ à Rege è magna Polonia & Cuiauia operæ ac rusticani homines cum ligonibus, securibus, & aliis eiusdem generis instrumentis, non parcebant diurno ac nocturno operi. Non leuiter autem exstimulabat Polonos obsessorum, qui Silesii erant, ferocia: nec leue momentum addidit Erici Ducis Pomerani perfidia, qui cum Bydgostiam ad Regem illis diebus venisset, & omnia socii & fœderati officia, tum operam suam ad conficiendam ditionem Choiniciæ sancte promittendo detuliisset, honorifice habitus, dimissus, & Choiniciam profectus longe diuersum egerat. Indiscedens, misso denno ad Choinicenses præfectos nuncio sacerdote quendam, non Regi, sed sibi Choiniciam tradi aliqua mercede postulabat. Quo is sacerdos excussus à regiis, ad oppidum admissus non est. His igitur causis festinabant & satagebant regii. Et faciebat eis potiundi spem, quod nullo flumine importari in oppidum commeatus poterat.

Cruciferi pacem petunt.

Silesii multa erga Polonos afflicti. Ducis Pomer. inconstantia.

Dum hæc geruntur in Prussia, Georgius Bohemorum Rex misit aliquam manũ equitum pariter ac peditum contra Vratislauienses, qui ipsi Regis sui, qui successibus Polonorũ angebatur, suaq; interesse putabat, quã plurimũ haberẽt negotii, siue propria temeritate, excursione facta in Poloniã Czenstochouiam oppidũ & monasteriũ, circũiacentesq; pagos vastauit, falso prætextu, quasi ex Poloniæ Bohemis quibusdã, qui tũ in illo exercitu

Bohemorum excursio in Poloniam.

rem à credulo præfecto, quatuor currus farina onustos adduxit. His quaternos expediros pedites quasi custodiæ & præsidii causa adiunxit. Cum quibus in arcem intromissus præfectum arcis, & quos de militibus fidos ipsi esse arbitrabatur, adiuuantibus ex condicto Pomeranis primis comprehendit, & in imam turrim detrusit, arceque potitus est. Id mens erat suspicio, si non iubente, certe non insciente Erico Duce fecisse illud ab ipsius hominibus patratum esse: eoque spectasse videbatur prima legationis eius, qua petebat, vt sibi habere liceret per Regem munitiones, si quas pacto aliquo in potestatem suam redegisset. Itaq; increpatis eius, qui nondum dimissi erant: missusq; ad ipsum legatus à Rege, quod fraude & perfidia cum eo expostularet, minasq; adiiceret, ni Slochouia deretur. Ad ipsum quoq; Martinum Cziczuicium missus alius de reddenda arce nil nisi bona verba retulit. Quo tempore Choinicia quoq; cum hostium aderant, pecuniam Cziczuicio grandem pollicentes, si sibi traderet. Atq; ii reuerti alio tempore iussi sunt. At Rex cum conuocato consilium, omisso Mariæburgo Choiniciam adoriri frustra reclamantibus Prutenis statuit, quo militibus hostium, qui è Germania & Bohemia cebantur, transitum intercluderet, Poloniamq; maiorem ne hostilibus curssionibus exponeret. Ad hæc autem Slochouiam quoq; facilius spturum sperabat, si propius exercitum admoueret. Hostes, qui Star in præsidio erant, vbi cognouerunt, Regem in ea ora tunc bellum gerecreuisse, diuturna defatigati obsidione, & fame iam laborantes, relibus omnibus, qua patebat exitus, noctu silenti agmine excessere: & equidem sparsim Choiniciam contendere: pedites vero in Zantiram se recepere, templumque Vistulæ imminens, vnde nauigantes infestmuniuere. Postero die oppidani dilapsis defectionis autoribus, consui facti, Gothardo Radtinio sese permisere. Quo nuncio exhilaratus alacrior ad obsidendam Choiniciam comitatum aulicum misit: quiproceres, qui aderant Bydgostiæ, suos comitatus adiunxerunt: ipsi Bstiæ cum Rege manserunt. Ludibrio primum fuit hostibus ea obsidundante oppido defensorum multitudine, & quod regii vno in locoris partibus oppidi liberis, castra metabantur. Vbi vero fossis ac sepibugi oppidum cœptum est, erumpere frequentes & inuadere operi intemilitem, globosq; bombardis & omne telorum genuis è mœnibus eiari. Nec paruis incommodis regios afficiebant, donec submissis à Regeuanis ac Tartaris equitibns liberiores eorum excursiones inhibitæ sunt.

Choinicia à Polonis obsessa.

Slochouia à Polonis recuperata.

Interea Slochouiam Rex fortuna adiuuante sexto, postquam amidie recuperauit hoc pacto. Excurrerant eo quadraginta pedites Palatini Inouladislauienſis Ioannis Koscielecii, siue vt fortunam tentasiue vt aliquid forte è subiectis ægris raperent. Eos Cziczuicius exarcespicatus, omnibus militibus, quos in præsidio habebat, deductis, perinstituit. Sacerdotes tantum duo cum ludimagistro & aliquot scholaadolescentibus in arce remanserant: qui quamuis Pomerani, tamen bgnioribus vsi Polonis, indigne ferebant, eos per dolum arce excidisse ergo solitudinem nacti, occasionem referendi gratiam bene meritisnegligendam sibi esse rati, portas arcis superioris occlusere, ostioque effracto, Georgium Dambrouium cum sedecim sociis, cassibus venatsubmissis, extraxere, & cum his pariter clamorem sustulere. Quo

Sacerdotũ & Scholasticorum gratitudo erga Polonos.

ste

sternati Pomerani, quum in arcem se recipere vellent, subeuntesque saxis superne deiectis arcerentur, fortis vero à quadraginta illis peditibus significatione eorum, qui in arce erant, animatis peterentur, correptis & conscensis celerrime equis Dambrouii, qui in inferioti arce stabulabantur, in Stolpensem ditionem profugerunt. His cognitis Fridlandenses & Hamersteinenses eiectis hostium præsidiis Regi sese & oppida sua dediderunt: qui propter sæuitiam & asperitatem præfecti sui Vladislai Damoborii Castellani Naclensis defecerant.

Fridlandenses & Hamersteinenses Regi deditionem facere.

Deiecerunt hæc magnopere Magistri & Cruciferorum animos, qui in spem potiundæ Slochouiæ, quæ amplitudine & munitione Mariæburgo non multum cedit, venerant, & Principibus Germanis, à quibus ad eam diem vanis auxiliorum promissis lactati erant, inter se dissidentibus, nihil spei sibi reliquum esse in posterum videbant, metuebantque, ne id, quicquid habebant reliqui in Prussia, per vim aut voluntariam deditionem Prutenorum amitterent. Itaque conuentu Regiomonti habito, cum non satis tutum esset aliorum cui quam pacis mentionem facere, nonnullis ob id supplicio affectis, primus ipse Magister Ludouicus sententiam dixit, in quam ab omnibus itum est: nimirum vt pax cum Rege Poloniæ conficeretur, si minus æquis, at tolerabilibus duntaxat conditionibus. Missus è vestigio ad Regem Bernhardus Sonnenbergius, tempus locumq; colloquio de pace habendo petiuit. Nihilo ferociorem secundæ res Regem fecerant, & iam ante ostenderat Rex legato pontificio Rudolpho, non abhorrere se à pace. Conuenit autem, vt ad diem natalem Diuæ virginis Rex Toruniæ, Magister vero cum suis Culmæ essent: illi vero, qui de conditionibus collocuturi ac tractaturi erant, Culmeseæ, medio fere vtrinque spacio, conuenirent. Nihilo tamen segnius continuabatur à regiis obsidio Choiniciæ: & quo celerius ea operibus circumuallaretur, spesque omnis auxiliorum, & facultas euagandi obsessis præcideretur, euocatæ à Rege è maiore Polonia & Cuiauia operæ ac rusticani homines cum ligonibus, securibus, & aliis eiusdem generis instrumentis, non parcebant diurno ac nocturno operi. Non leuiter autem exstimulabat Polonos obsessorum, qui fere Silesii erant, ferocia: nec leue momentum addidit Erici Ducis Pomeranorum perfidia, qui cum Bydgostiam ad Regem illis diebus venisset, & cum omnia socii & fœderati officia, tum operam suam ad conficiendam deditionem Choiniciæ sancte promittendo detuliisset, honorifice habitus, donatus, dimissus, & Choiniciam profectus longe diuersum egerat. Indeq; discedens, misso denno ad Choinicenses præfectos nuncio sacerdote quodam, non Regi, sed sibi Choiniciam tradi aliqua mercede postulabat. Verum is sacerdos excussus à regiis, ad oppidum admissus non est. His igitur de causis festinabant & satagebant regii. Et faciebat eis potiundi spem, quod nullo flumine importari in oppidum commeatus poterat.

Crucigeri pacem petunt.

Silesii mitis erga Polonos affecti.

Ducis Pomer. inconstantia.

Dum hæc geruntur in Prussia, Georgius Bohemorum Rex misit aliquantam manũ equitum pariter ac peditum contra Vratislauienses, qui ipsi dicto audientes non erant, duce Sciborio Touaczouio Moratio: qui siue iussu Regis sui, qui successibus Polonorũ angebatur, suaq; interesse putabat, vt ii quã plurimũ haberẽt negotii, siue propria temeritate, excursione facta in Poloniã Czenstochouiam oppidũ & monasteriũ, circũiacentesq; pagos diripuit, falso prætextu, quasi ex Polonię Bohemis quibusdã, qui tũ in illo

Bohemorum excursio in Poloniam.

exercitu

exercitu militabant, emerita in Prussia stipendia non exoluisset. Præmonitus ea de re fuerat à nonnullis Morauis & Silesiis æmulis Touaczouii Iacobus Dembinius Præfectus Cracouiensis, cui Rex absente se curam minoris Poloniæ commiserat: sed malo consilio vsus, ipse quidem cum parte copiarum raptim coactarum Osuiecimi se continuit: Prædislaum vero Dmosium Præfectum Stepusiensem cum expeditis ad reprimendum Touaczouium misit. Qui tardius molitus, occasionem opprimendi hostem incautum & secure agentem amisit. Ita Touaczouius incolumis sese cum suis recepit, & Namislouiensem agrum diuexauit. Nec ausus aggredi Vratislauiam, in Morauiam remeauit. Expostulauit ea de re cum Georgio Casimirus per internuncium Castellanum Malogostensem. Sed ille negauit quicquam eius iussu suo factum esse. Conuentus deinde inter Reges per internuncios constitutus, vbi de iniuriis ac controuersis transigeretur, Bythomiæ ad diem S. Andreæ memoriæ sacrum. Hoc igitur tumultu Silesiaco motus Rudolphus legatus Pontificis, cum ad pacificationem Prussicam accireturà Rege, rescripserat, se venire ad diem statutam non posse. Verum discessione Bohemorum repente præter opinionem solutus metu, ad vicesimam sextam diem Augusti Toruniam paucis post Regem horis venit. Cruciferi aliquandiu expectati sunt, quod legatum in Silesia præpeditum non venire acceperant. Postridie igitur mandata Pontificis legatus exposuit, Regemque ad pacem cohortatus est. Responsum ei: Regem quamuis iustum bellum satis prospero gereret successu, victoriamque pene in manibus haberet, facilem tamen fore ad faciendam pacem, & æquis conditionibus acquieturum. Vbi Magister quoque cum suis aduenit, placuit ad Niessouiam potius, quam ad Culmeseam conuentum agere sub papilionibus. Nam Toruniam Cruciferos intromittere Polonis visum non est, superioris temporis periculo admonitis.

Legatus Pontificis Torunium venit.

Zantiræ præsidium expugnatum.

Crucifero-rum res aduersæ ad Choiniciã.

Per eos dies hostile præsidium, quod Zantiræ erat, expugnatum est. Ad medium vero Septembris apud Choiniciam cum ex oppido erupissent hostes, commisso cum regiis prælio, in oppidum repulsi sunt. Nec multo post prandentibus regiis rursus erumpentes, cum aliquot horis strenue dimicassent, multis amissis in fugam se coniecerunt. Instare regii fugientibus. Hostes veriti, ne cum suis regii simul irrumperent, clausis celeriter portis, permultos de suis excluserunt: qui partim cæsi, partim capti, partim cum in fossam aquæ plenam armati sese præcipitassent, submersi sunt. Nec diu post Poloni sagittis ignem iaculati noctu oppidum incenderunt, ita vt quarta pars eius cum frumento conflagraret. Quo victa tandem est hostium pertinacia, missisq; in castra Vlrico Eisenhouero magno Commendatore, & Ioanne Zalio, vitam fortunasque pacti, neque vnquam contra Polonos arma se sumpturos iurati, redditis receptisque vicissim captiuis, inter quos erat Paulus Iasenius, oppidum cum tormentis & omni apparatu ac instrumento bellico ad quartum Calendas Octobris tradidere; ac lachrymantes Lauenburgum profecti, post octauum diem illud quoque oppidum ac Bythouiam Erico Pomeranorum Duci, acceptis ab ipso octomilibus florenorum, captiuisque receptis reddiderunt. Victor exercitus Toruniam ad Regem veniens, benigne & liberaliter habitus est. Choinicienses autem Rex impunitate donauit, quamuis cuncti oppidum solo æquandum esse suaderent.

Choinicia Polonis dedita.

Lauenburgum & Bythouia Duci Pom. dedita.

Iisdem

Iisdem diebus mons Nesco supra Vucram amnem, quem hostes præsidio firmarant, profligatis quadraginta militibus, qui inde Masouiam populabundi excurrerant, à comitatu aulico Conradi Ducis expugnatus est. Hæc nunciata Cruciferis, incredibilia videri primum, terrendique sui causa à Polonis ficta. Sed vbi vera esse comperere, pronioribus ad pacem animis inclinari cœpere, veriti, ne vniuersa Prussia à se deficeret. Post multorum igitur dierum colloquia tractatusque cum Polonis habitos, legato pontificio summa cura, fide, studioque adnitente, & Rege nihil de sua facilitate remittente, & peste, quæ Toruniæ inualescebat, celerem discessionem suadente, tandem decima nona die mensis Octobris optata diu pax confecta, in scriptum redacta, legati ac trium rebellionum manibus subscripta, à Rege Magistroque Toruniam accito, & vtriusque consiliariis obsignata, & in domo mercatorum publica, quam Geldam vocant, Rege & Magistro cum suis congregatis, à legato quidem Germanica, à Vincentio veto Kielbassa Secretario regio Polonica publicata lingua, & vtriusq; partis assensu, ac solenni iureiurando approbata est. His vero conditionibus ea conuenit, vt Poloniæ Rex Culmensem, Michalouiensem ditionem, & Pomeraniam omnem, adhæc Mariæburgum, Stumam, Christburgum, Elbingam, ac Tolckiemitam arces & oppida cum suis territoriis & munere syluatico (quod Waldampt Germanis dicitur) & sex pagis, qui ad arcem Holandiam pertinuerunt, iure sempiterno obtineret: Neringam item Peninsulam exceptis duobus pagis cum prædio: qui Cruciferis propter commodiorem in Habo lacu piscationem relicti sunt. Reliquum quicquid est in Prussia, vt Magister cum Cruciferis sibi haberent, ea quidem lege, vt semper sint in fide & clientela Regum Polonorum, idque solenni iureiurando quicunque Magister Ordinis deinceps vnquam creatus esset, intra sextum mensem per se ipse ad Regem veniens profiteretur: seruaturus omnia, quæ tunc conuenissent, neque vlla tergiuersatione aut relaxatione cuiusquam siue absolutione à iureiurando, ne vltro quidem oblata vsurus: esset que is Princeps ac Senator regni, & ad læuam Regis primum in consiliis locum ac consessibus publicis haberet. Primarii quoque Commendatores, quos Magister ederet, vt & ipsi consiliarii Regis essent: Atque ita Magister, & Ordo cum tota Prussia, & quicquid ii postea bello, vel quouis alio modo de barbaris acquirerent, cum Polonia arctissimo vinculo coniungerentur, & in vnum corpus coalescerent, neque cuiusquam omnino in terris præterquam Regis maiestatẽ ac iurisdictionem (salua Pontificis ecclesiastica iurisdictione) agnoscerent. Et vero contra quemuis hostem adessent, nec eum in aduersis iuxta ac prosperis deserorent. Ad professionem ordinis vt pateret aditus Polonis & aliis regiæ ditionis hominibus, dummodo ii dimidia parte Germanos ne excederent, eorumque, etiam in magistratibus & curationibus mandandis ratio haberetur. Magister vero ne Rege inscio quauis de causa amoueretur. Quod si quæ munitiones intra fines vtriusuis ab altero adhuc tenerentur, vt ante octauum Calendas Iulii bona fide redderentur: sin à quoquam alio, tamen alterius ope recuperarentur. Donationes, venditiones, & aliæ quæuis alienationes bonorum ab occupatore, damno alterius bello durante factæ, ne ratæ essent. Profugis & exulibus equestris ordinis possessiones ademptæ, vt restituerentur. Plebeis vero eæ modo, quæ ante initium conuen-

Nesco mons à Masouiis expugnatus.

Pax optata inter Polonos & Cruciferos facta.

Cruciferi in fide & clientela Regis Polon.

Magister Cruciferorum Princeps ac Senator regni.

Prussia cum Polonia coniunctio.

Poloni retinendi inter Crucigeros.

tus illius venditæ non essent. Cæterum pro venditis liceret precium renumerare. Omnibus autem vt perduellionis ac defectionis noxa remitteretur. Culmensis ecclesia amotis religiosis Cruciferis, vt ad ius matricis suæ simulque Pomesaniensem haberet. Eo vero mortuo, Pomesanienſis ecclesia in Cruciferorum ditionem recideret, Arces, oppida, pagi, & quæuis bona ecclesiastica vtrinque suis ecclesiis redderetur. Captiui item vtrinq; dimitterentur: viæ publicæ vt essent liberæ more veteri. Telonia siue portoria noua ne qua vtrinque alteris imperarentur. Hæc ita rata firmaque esse, vt omnes Episcopi, Duces, Palatini, Castellani, Commendatores, Equites, Ciuitates iureiurando interiecto iuberent. Et quamuis auctoritate legati pontificii confecta, constituta, & stabili a essent: nihilominus tamen Rex & Magister oratores ad Pontificem mitterent, qui ab ipso approbari & confirmari pacta illa cum omnibus conditionibus peterent, adiectis in violatores pœnis. Hunc igitur tunc exitum bellum Prussicum tredecim annis varia fortuna gestum habuit.

Culmensis Episcopa Gnesnensi subiecta.

Pomesanienſ. relicta Cruciferis.

Exitus belli Prussici varia fortuna gesti.

Omnibus rite peractis, ad ædem D. Virginis itum est, Deoque gratiæ actæ, & reliquum diei festis epulis & conuiuiis datum. Rudolphus legatus tam pulchræ pacis confectæ meritam apud omnes laudem tulit: qua contentus, amplissima dona à Rege missa recusauit: Consiliarii modo regii titulum honoremque cum pensione ducentorum florenorum in singulos annos, quoad viueret, in salinis Bochnensibus attributam accepit, & Vratislauiam se recepit. Magistro item Ludouico, & iis, qui cum eo erant, primariis viris, perampla pro cuiusque conditione à Rege data munera. Cumque is egere admodum Magistrum comperisset, præter priora dona, quindecim millia florenorum ei vltro dona in emerita stipendia militum promisit, quo facilius Prussia excedentibus illis recrearetur. Remisit etiam ipsi in viginti annos necessitatem mittendorum ex pacto auxiliorum, excepto tamen bello Turcico, siid Polonis inferretur. Vicissim autem Magister Polonis in ditione sua fundos & possessiones habentibus tributa, operas, & quæuis alia onera in vigintiquinque annos relaxauit. Missi deinde oratores Romam, à Rege quidem Vincentius designatus Episcopus Culmensis, & Ioannes Ostrorogius Castellanus Miedzirecensis. A Magistro vero Ioannes Vinclerus iureconsultus: quibus mandatum, vt Pontifici gratias agerent, Rudolphi industriam, fidem, integritatem, studium, atque diligentiam commendarent, & apicem honoris Cardinalitii pro meritis ei peterent. Non omnibus tamen ea res grata fuit. Nam & Pruteni ægre ferebant tantum relinqui Cruciferis in Prussiã, vt facile recollectis viribus bellum reparare possent: & Poloni proceres, qui ei paci conficiendæ non erant adhibiti, multa cauillabantur: & milites spem stipendiorum faciendorum sibi præcisam moleste ferebant; & Lithuani dolebant, se occasionem recuperandæ, quemadmodum existimari volebant, Podoliæ, dum Poloni Prussico bello distinentur, amisisse. Iam vero Georgius Rex Bohemiæ, qui magnam tædimendi, & ad posteros suos transmittendi regni Bohemici spem in eo bello collocarat, eo finito impensius sibi liberisque suis metuere à Rege Casimiro incipiebat, quod eius regni hæreditatem ad ipsum filiosque ipsius per Elisabetham coniugem Regis Vngariæ & Bohemiæ filiam, & sororem pertinere intelligebat: seque exosum esse

Rodolphi legati pontificii integritas.

Regia munificentia in Magistrum & Cruciferos.

Legati ad Pontificem à Rege, & à Magistro missi.

Georgius Rex Bohemiæ à Casimiro Rege liberis suis muniit.

apud

apud suos ob Hussiticum dogma non obscure animaduertebat: neque ignarus erat, Casimirum ad bellum sibi intentandum, cum ab aliis Christianis Principibus, tum à Pontifice incitari. A quo etiam per id tempus ipse iudicio Romæ instaurato hæreseos & perfidiæ damnatus, omni regio, ducali, & marchionali honore non in præsens modo, sed etiam in futurum tempus vna cum liberis suis priuabatur, & subditis eius indulgebatur, vt ei parere necesse non haberent. Et egerat quidem cum Casimiro de suscipiendo regno Bohemico Rudolphus legatus quam diligentissime, Torunia discessurus, pollicebaturq; ipsi non solum subsidium Pontificis, verum etiam Silesiæ & Lusatiæ deditionem, vt primum arma contra Bohemos sumpsisset, aut aliquem de filiis cum exercitu misisset: verum Casimirus eam consultationem ad comitia regni remisit. Dimisso legato & Magistro, Casimirus Rex ad quintum calendas Nouembris Torunia profectus, quoniam pestis totam fere Poloniam peruaserat, apud Cozinicios saltus aliquandiu venationi vacauit. Interea Ioannes Srancus collectis duobus millibus mercenariorum miiltum, ne nihil ageret finitis stipendiis, Pelciniciam oppidum in tractu Stolpensi occupauit: nec multo post Drahimum arx regia ab eo, qui Pelciniciæ præfuerat, intercepta, Regis autem iussu ex pacto restitutio vtrinque facta est.

Casimirus Rex ad bellum Bohemicum incitatur.

Subsequentis anni millesimi quadringentesimi sexagesimi septimi initio ipsis adeo Calendis Ianuariis natus est Regi apud Cozinicie Sigismundus filius pacata Prussia, bono quodam omine conficiendarum reliquiarum belli Prussici, quod Cruciferi successu temporis renouarunt. Sub finem vero eiusdem mensis Rex in Lithuaniam profectus est, duobusque pene mensibus ibi exactis in Poloniam reuersus, ad tertiam diem Maii Petrico uiæ comitia habuit. Ibi postulantibus legatis Cruciferorum, quorum Magister Ludouicus paucis diebus obierat, pax reliquorum procerũ, qui Toruniæ non adfuerant, solenni iureiurando confirmata est, constitutæ etiam reliquæ res Prussiæ regiæ, & mutata nonnihil magistratuũ & honorum ratio, Nobilitatis atq; ciuitatum internunciis flagitantibus. Nam gubernatione abrogata, & Palatinatu Elbingensi in Marienburgensem commutato, Stiborius Baisenus eo honore cohonestatus est: Castellanus vero eiusdem loci Fabianus Maulius factus, Palatinus Pomeraniæ citerioris Otto Machuicius: Castellanus autẽ Gedanensis Nicolaus Plauius: denique Castellanus Culmensis Ludouicus Mortangius creati: Palatinus enim eiusdem loci, qui secundum Episcopos primus est in Senatu Prussico, Gabriel Baisenus viuebat adhuc. Audita est etiã Nurduuladi noui Tauricanorũ Tartarorũ Principis, qui Ezigeri patri ante septem mensis extincto successerat, legatio fœdus & amicitiam paternã cum Casimiro, eiusq; ditionis hominibus confirmãs, & auxilia contra quosuis hostes pollicens. Consultatum deinde de exsoluendis stipendiis militũ toto Prussico bello meritis, quorũ permagnus numerus cũ coniugibus & liberis aduenerat. Decisum cũ equitibus quidem octonis florenis in singulos annos, cũ peditibus vero quaternis. Quæ summa ad bis centena & 70000 florenorũ æquabat, eaq; intra duos annos & semestre exsolui promissa. Tunc quidẽ bini modo aurei numerati in militem: quaterni intra mensem designati. Neq; quicquã operę precii tunc factũ per totos septendecim dies, ea propter, quod Nobilitas pleraq; omnis in Corcimensi & Srodensi conuentibus recusaret tributũ agrariũ eã in rem petitum

Ann. Chr. 1467. Sigismundus Regi Casimiro natus.

Comitia Petricouia.

Gubernatio Prussiæ subolata.

Tartarorum Tauricanorum legatio & fœdus cum Rege Pol.

Transactio cum militibus de emeritis stipendiis.

Vlad Damoboritim probitas & cædes.

Itaque placuit nouos conuentus, Coli quidem ad diem D. Iacobi, Corcinii vero ad diem D. Laurentii, quo ex Colensi maiores Poloni aduenirent, instituti. Aegre autem milites in eo acquiescebant, Vladislao Damoborio Castellano Naclensi homine turbulento & seditioso inprimis animos eorum solicitante: qui dudum Slochouiam intercipere adortus, & spe frustratus, ex agro arcii illi subiecto prædas egerat: arcis præsidiarios fide data euocatos perfide trucidarat: Naclensi quoque territorio pecuniam imperarat: Gnesnensis ecclesiæ bona populatus erat, & adulterinum nummum cudere instituerat: nec in futurum quieturus videbatur. Is igitur quamuis patre Inouladislauiensi Palatino ortus, & Senator regni esset: tamen sponsores dare iussus de quiescendo, quum non daret, captus, & Petro Szamorulio Castellano Posnanensi, & præfecto maioris Poloniæ traditus, Calissiamque ductus, eius iussu capitali pœna affectus est. Ita vnius supplicio latrocinia, quæ iam increbescere cœperant, vtcunque sunt coercita.

Regis Bohemi a legatio ad Casim. Regem.

Adfuit & Georgii Bohemi Regis legatio, fœderis apud Glogouiam icti Casimirum admonens, ne proceribus Bohemis & Vratislauiensibus perduellibus Georgii faueret. Conuenerant enim vnum in locum proceres Bohemi nobilissimi quique, & cum his omnium fere Morauiæ Silesiæque ciuitatum legati. Georgium, si iureiurando promissa de religione non præstaret, pro Rege deinceps non habituros se constituerant, & in aliquem de filiis Casimiri, vtpote de stirpe Regum suorum natis, propensi esse videbantur. Itaque aduertens eos Georgius, pactorum conuentorum Casimirum admonebat. Huic responsum: à Casimiro quidem fœdus seruari, & seruatum esse: à Georgio vero id violatum videri. Satisfieri ab eo damnis & iniuriis illatis oportere, si deinceps quoq; fœdus integrum esse vellet. Nec multo post solutis iam comitiis adfuere & procerum, qui Regi

Boemorum legatio ad Regem.

Georgio aduersabantur oratores, quorum Zdenco Sternbergius Burggraiius Pragensis princeps erat, petentes, vt Casimirus regni Bohemici, quod ipsi liberisq;, certa quadam successione deberetur, curã susciperet, neq; id à perfido & hæretico inuasore occupari pateretur. Responsi hoc datum: nihil iam tunc de re tanta statui recte posse conuentu dimisso. Cauebat nimirum Rex, ne nouo bello implicaretur, pertæsus Prussici. Nec tamen successionis iure se & liberos suos abdicare volebat, verum spectabat, quo fortuna dissidentium Bohemorum inclinatura esset. Erat enim in armis Georgius, & rebellium munitiones in Bohemia oppugnabat. Vratislauienses vero, quo Georgium distinerent, facta à mercenario milite & vrbana multitudine manu, oppida & munitiones sibi vicinas in fide illius perseuerantes infestabant, Francosteinumque occuparant. Sed vicissim obsessi à

Boemici motus.

Bohemis & Saxonibus auxiliaribus superuenientibus, dum inuicem inter se temere tumultuantur, oppido per scalas capto exciderunt: ac equi quidem fuga euaserunt. pedites vero ad quatuor millia partim cæsi, partim capti. Miserant autem Georgio Vilhelmus Misnensis & Albertus Brandeburgensis Marchio non spernenda equitum auxilia. Hæc igitur tunc circumspiciebat Casimirus.

Responsum à Pontifice legati Regis ferunt.

Peractis autem comitiis, Petricouia discedens Nepoloniciam diuertit. Ibi oratores suos responsum Pontificis referentes audiuit. Nihil ab eo tunc impetratum, præter quod Culmensis ecclesia amotis Cruciferis in pristinum

num statum restituta, & Gnesnensi Archiepiscopo denuo addita est. Confirmatio vero pacis Prussicæ, & relaxatio interdicti in Prutenos regiarum partium promulgati Rudolpho legato mandata. Qui ad quintum Calendas Augusti Vratislauia Cracouiam aduenies cum Gabriele Veronensi Franciscano hæreseos inquisitore, & Petro Ercleo cubiculario pontificio, recens Roma missis, Regem ad suscipiendum, & à nefario & hæretico occupatore vindicandum Regnum Bohemicum exhortabatur: & Pontificis, Imperatoris, Germanorum, & aliorum Principum Christianorum opem & subsidia promittebat: diplomataque pontificia proferebat, quibus ea demum conditione postulatis regiis satisfacere iubebatur, si is bellum Bohemicum susciperet. Et commodum proceres Bohemi, qui Georgio se opponebant, miserant & ipsi ad Casimirum è conuentu Iglauiensi legatum, orantes, vt aut ipse regnum sine longiori cunctatione susciperet, aut aliquem de filiis, vel cum mille equitibus Regem sibi mitteret. Suis viribus regnum se ei vindicaturos pollicentes. Tergiuersante Rege postulabat legatus pontificius, ne tamen is pro fœderato, nec pro Rege haberet Georgium, priuatum regio honore à Pontifice: sed pateretur piam Crucis militiam contra eum in ditionibus suis promulgari. Offendit ea legatio Regem & Proceres Polonos, qui tunc ipsi aderant in consilio, ideo quod pax cum Cruciferis in dubium reuocari, prætextusque renouandi belli ipsis præberi videbatur, propter adiectam conditionem. Itaque res integra ad consultationem conuentus Corcinensis, qui tunc instabat, reseruata: conuentusque ipse propter incommoditatem loci & pestem circumquaque sæuientem Cracouiam translatus est, & ad eum maioris Poloniæ proceres propter nouam illam causam euocati, vix ad medium Augusti tandem, non omnes tamen, conuenere. Quindecim fere diebus consultatum. Ad extremum placuit agi gratias Pontifici & Bohemis proceribus de oblato regno, quod Casimiro Regi liberisque eius iure optimo deberetur. Sed acceptare id eum tunc propter infrequentiam Senatus, cuius consiliis & auxiliis vsurus esset, recte non posse: suspendi rem ad alia comitia oportere: curæ autem Regi fore, vt bellũ ciuile inter Bohemos gliscens dissoluatur: Georgius in viam redeat, & in potestate Pontificis sit. Quo minore vero negocio ea cõfici possint, operæpreciũ esse, vt aliquantisper à publicando pontificio decreto, quo Georgius regno priuabatur, & militia Crucis abstineatur. Cum hoc responso expeditus legatus pontificius Vratislauiam reuertit. Petro vero Ercleo Romam reuertenti adiunctus Ioannes Sempinius equies Polonus, qui de confirmatione pacis Prussicæ sine conditione rursus ageret. Cui mandatum & illud, vt peteret, quo Vincentius Culmensis Episcopus Paulo Varmiensi per eos dies peste, seu veneno, vt opinio fuit, extincto successor daretur: quamuis Nicolaus Tungenus Canonicus eius ecclesiæ, qui Romæ tunc erat inter scribas Apostolicarum, vt vocant, literarum, rite à Collegio basilicæ illius electus esset. Sed ne Sempinius quidem quicquam impetrauit. In Bohemiam vero missi legati, Stanislaus Ostrorogius Palatinus Calissiensis, Iacobus Dembenius regni Thesaurarius, & Ioannes Dlugossius Canonicus Cracouiensis. In Prussiam autem ad constituendas res Iacobus Siennenius Vladislauiensis, Vincentius Kielbassa Culmensis, Episcopi, & Ioannes Koscielecius Palatinus Inouladislauiensis: qui subortas cum Cruciferis nonnullas controuersias deciderunt: & quãuis ægre, perfecerunt tamen vt de promissis

Legatio Pontificis ad Casimirum Regem.

Boemorum procerum Georgio Regi aduersantium legatio.

Comitia Cracouiæ.

Casim. Regis responsum.

Legatio Casim. Regis ad Pontificẽ de confirmatione pacis Prussicæ.

Legatio Polon. ad Regẽ Boemiæ.

Legati ad Prutenos.

missis Magistro à Rege quindecim millibus florenorum duodecim millia Ciuitates exsoluerent Rex tribus mensibus Cracouiæ exactis, in Lithuaniam secessit. Iam enim totam fere Poloniam, Russiam, & Masouiam pestis popularis peruaserat. Ibi Nicolao Vilnensi Episcopo sub finem Septembris defuncto Ioannem Lossouicium Vilnensis ciuis filium, qui tunc erat Lucensis Episcopus: huic vero Martinum Gressouicium successorem destinauit: Nicolao vero Camenecensi, qui & ipse ad medium Octobris peste extinctus erat, Nicolaum Golambicum: sed is paulo post in itinere à latronibus trucidatus esset, Nicolaum Prochnicium suffecit. Legati regij in Bohemiam profecti, multa agendo & suadendo eo rem perduxere, vt Georgius negaret, se quicquam aduersus Pontificem & pacta cum antecessore eius, & cum Concilio Basilien si conuenta admisisse: correcturum autem, si quid forte eiusmodi esset: componendarum vero Bohemicarum verum arbitrum. Casimirum non recusaret. Cæterum alterius factionis proceres conuentu Vratislauiæ habito, negarunt, se illum arbitrum accipere posse inconsulto Pontifice, cuius iussu bellum suscepissent. Neque vero habendam esse fidem Georgij verbis ac promissis: quin susciperet Casimirus oblatum & iure debitum sibi regnum: aut vero aliquem de filiis, quos tam multos haberet, in spem plurium regnorum susceptos, Regem sibi mitteret. Factæ sunt autem inter eos & Georgium quinque mensium induciæ.

Pestis in Polonia.

Regis Boem. responsum legatis Polonis.

Inducia inter Regem Boem. & proceres.

Sequentis anni millesimi quadringentesimi sexagesimi octaui initio nil memoratu dignum actum in Polonia, præter quod pestem late grassantem annonæ caritas excepit, ex hyberni cœli intemperie, & intempestiuo calore & siccitate, coorta ingenti murũ multitudine, qui horrea depasti, cum se in agros effudissent, segetes quoque hybernas viresc entes radicitus arroserunt. Nihilo tamen minus primo vere Casimirus Rex cum vxore Cracouiam è Lithuania reuertit. Ibi conuenit eum Protasius Olomucensis Episcopus, ad vindicandam Bohemiam, & socia cum Imperatore Friderico, & Matthia Rege Vngarorum arma contra Georgium coniungenda exhortatus. Secreto vero quinque modo consiliariis adhibitis suasit, vt Rex fœdus cum vtroque Principe noua affinitate stabiliret, collocatis in matrimonium Matthiæ, & Maximiliano Friderici filio duabus filiabus natu maximis. Consultius fore, vt per filias certam Vngarici & Bohemici regni hæreditatem nomine vxoris suæ adiret, quam ad filios peruenturam expectaret, aut vero armis eam vindicaret. Non recusaturos Principes illos cum consiliariis suis, quin, si ipsi liberos nullos relinquerent, ad Casimiri liberos ex pacto secundum se successio pertineret. Cum Casimirus oblatum ab eis regnum non acciperet, Matthias vero Vngarorum Rex, quamuis gener & fœderatus Georgij, tamen Pontificis hortatu & authoritate adductus, missa ad eos legatione vltro id expetiuisset, non grauate susceptus est ab eis. Quo magis autem Matthias res suas contra Georgium stabiliret, fœdus cum Imperatore Friderico percussit, quo eum sibi successorem assentientibus Vngaris designauit. Cumque prouidendum sibi esse existimaret, ne Casimirus sibi impedimento esset, Protasium non inscio, vt credibile est, Friderico submisit, per quem vel affinitate Casimirum sibi adiungeret, aliquanto enim ante viduus factus erat.

Ann. Chri. 1468.

Annona ca ritas in Polonia.

Protasius Episcopus Oloniuc. ad Regem Casim. venit.

Matthia Vng. Regis fœdus cum Frid. Imp.

Relata re ad consilium regium, responsum Protasio, Casimirum ius suum ad regnum Bohemicum tam hæreditarium, quam delatum ab ipsis

Responsum Protasio à Rege datũ.

ipsis Bohemis non repudiasse: sed reiecisse eam consultationem ad comitia, quæ instarent. Quod si quis interim id regnum vsurpare vellet, iure id ipsi fore, ne id inultum ferret. Cum Matthia Rege eum fœdus icere, & affinitatem statuere non posse, nisi ille iniurias & damna data Polonis exolueret. Bis ab eius hominibus infestatam esse Scepusiensem oram, quæ suiiuris esset: Moldauiam item, quæ in fide & clientela sua esset, anno superiori ab eo vexatam esse. Cum hoc responso Protasius, quamuis splendidè donatus à Rege Casimiro, non admodum lætus in Vngariam rediit. Per eos autem dies, quibus is fuit Cracouiæ, Regina Elisabetha sextum filium nono partu edidit, cui Friderici nomen Protasij rogatu indictum est. Posteaquam autem discessit Protasius, postridie aduenit Albertus Kostka à Geörgio, gratias agens Casimiro de fide ac constantia in seruando fœdere, ac de studio & opera nouata in reconciliandis Bohemorum animis: pergeret porro inchoatum opus perficere tantisper, dum durarent induciæ. Georgium eius arbitrio cuncta permittere. Orabat etiam de reconciliando ipsi Pontifice, à quo non modo Bohemi, & Matthias Rex Vngariæ, sed & alij Christiani Principes aduersus eum concitabantur. Purgaturum se, de quibus insimularetur, & Casimiri arbitratu satisfacturum: cuius etiam filium aliquem de sententia Bohemorum procerum successorem sibi præteritis suis filiis destinaret, non hæreditario iure, quod nullum esset regni apud liberam gentem, sed singulari quadam omnium Bohemorum in Casimirum propensione, & linguæ cum Polonis communione. Eaque de re constituenda ac conficienda mitteret Casimirus legatos ad proxima Bohemorum comitia. Nec minus humaniter Georgij legationi postridie responsum: Casimirum libenter omnia Georgij causa facere, deinceps que facturum, modo ille candide ac bona fide ageret. Cum hoc responso dimissus legatus Georgij Regis Bohemiæ. Haud mora, legati iidem, qui superiore anno fuerant, ad componendas res Bohemicas iterum ire iussi sunt, Dlugosso excepto, cui, quod Rex filiorum suorum adultiorum curam & institutionem mandarat, Nicolaus Scopus Castellanus Osuiecimensis suffectus est. Verum ij feruente maxime contra Georgium bello, quod ipsi à Matthia Vngaro maximis viribus inferebatur, tentata, sed spreta à legatis pontificiis (nam ad Rudolphum paulo ante Vratislauiensem Episcopum factum Laurentius Episcopus Ferrariensis accesserat) pacificatione, successu irrito redierunt.

Fridericus sextus Casim. Regis filius natus.

Regis Boh. legatio ad Casim. Regem.

Responsum Casim. Regis.

Legati ad compenend. res Bohemicas missi à Rege.

Ad Stephanũ vero in Valachiam missi Dobeslaus Bissouius Castellanus Belzẽsis, & Stanislaus Tencinius Ioan. Castellani Cracouiensis filius, vt eũ pollicitatione auxilii regii cõfirmarent, & locũ tempusq; cũ eo cõstituerent, vbi is præsens solenne fidelitatis iusiurandũ Regi daret. Conuenit: renouatũ est fœdus cũ promissione mutuorũ auxiliorũ, adiectis his conditionibus ne Moldauus inscio & inuito Rege cuiquã bellum faceret: Rex vero ne recepta ret hostes eius, qui ad Principatũ adspirarẽt. Ipse Rex dimissis legatis sub finẽ Iunii Cracouia profectus, Prutenis, ad se accederet, orãtib. Visliciã diuertit: cõuentũq; minorũ Polonorũ egit, & subsidiũ ad exoluẽda Prussica stipẽdia postulauit. Quod non abnuebat quidẽ Nobilitas, veru sine maiorib. Polonis scisc ẽdum nõ putauit. Quare placuit binos è Palatinatibus siue satrapiis lega-

Legatio Casi. Regis ad Palatinum Moldauiæ.

Fœdus Polonorum cum Moldauo.

Conuentus minorum Polonorum Vislicie.

Legati siue nuncij prouinciarum ad Comitia mitti cœpti.

legatos ad comitia Petricouiensia mitti, qui decernendi in commune cum cæteris Regi moderati tiibuti potestatem haberent. Atque hoc tunc primũ fieri cœptum sic inoleuit posterioribus temporibus, vt sine ij legatis seu nuncijs prouinciarum nulla comitia legitima haberentur, neque tributum imperari, ac ne lex quidem vlla ferri posse videretur. Potestas vero eorum incœpit, suntque ceu custodes libertatis communis.

Nunciorum prouincialium potestas.

Conuentus maiorum Polonorum Coli.

Conuentu Visliciensi finito, Rex Colum profectus: maiorum quoque Polonorum conuentum habuit. Verum nihilo magis ibi profecit. Reiecta res ad alium conuentum, eodem loco ad vicesimam diem Septembris instituendum. Itaque Rex cœptum iter per Pomeraniam peragens ad tertiũ Idus Augusti Gedanum ingressus, magno populi obuiam sese effundentis studio ac lætitia exceptus, & lautissime atque honorificentissime habitus est, quoad ibi substitit, per totum fere mensem. Et purgarant iam ei se Gedanenses literis ac nunciis de crimine, cuius apud eum ab Henrico Plauenio Vilnam profecto insimulati erant, quasi ad Burgundum Ducem defecturi statuissent. Promulgato autem ea in vrbe, ac deinde Mariæburgi conuentu Prutenorum, ciuitatibus egestatem prætexentibus, vix eo rem perduxit, vt in octo annos tributum, quod Cisam vocãt, decerneretur. Ac de eo quidem, quod in primariis tribus ciuitatibus colligeretur, primis quatuor annis quarta pars illis ipsis ciuitatibus in publicos vsus, reliquæ vero tres Regi in stipendia militum cederent: deinceps vero ciuitates illæ tres, quicquid apud quamque redactum esset, sibi haberent: aliunde vero quicquid proueniret, Regi adnumeraretur. Sed Gedanenses præterea quinque millia florenorum de regio prouentu detrahere permissi sunt, quæ tunc Regi mutua dederant. Triginta quoque millia eis remissa sunt, quæ anniuersariis pensionibus per quindecim illos annos non soluerant. Ipsi contra, Gedanense, Derſauiense, & Puscense territoria, quæ oppignorata tenebant, Regi condonato debito reddidere. Misit autem inde Rex legatos ad intercipiendum bellum inter Fridericum Marchionem Brandeburgensem, ac Pomeraniæ Ducem Ericum paulo ante exortum. Ericus enim, cum ei Fridericus auxiliis quorundam Principum Germaniæ adiutus grauis esset, oratores primum, deinde coniugem ad Regem miserat, opem eius implorans, & subiectionem ipsi suam deferens, si fœdus eum non moueret. Forte dimiserat exercitum Marchio, cum ad eum legati Regis venere. Itaque facile inducias inter dissidentes confecerunt, illique Casimiro Regi arbitrium controuersiæ detulerunt. Mariæburgum deinde se Rex contulit. Henricum Plauenium Magistri vices gerentem cum Mareschalco & aliquot Commendatoribus Cruciferorum ad se venientes benigne accepit: quæ postulabant, pleraque omnia concessit: Nideburgum oppidum, quod ad eam diem retinuerat, ex pacto reddidit: anniuersarios conuentus cum Cruciferis Elbingæ agendos, quibus duodeni vtrinque delecti viri controuersias vltro citroque suborientes disceptarent, ac deciderent, constituit: de non acceptando regno Bohemorum, si absque bello id adipisci non posset, consilium ab eis accepit: denique ad maturandam noui Magistri electionem eos hortatus, quinque millibus florenorum donatos dimisit. Deinde Prutenis magistratus in comitiis regni dudum creatos stabiliuit, alioſque insuper adiecit, tres regundorum finium præsides, quos Succamerarios vocant, qui & ipsi locum, & sen-

Regis & Gedanensium mutuæ donationes.

Legatio Regis Casimiri ad Marc. Brandebur.

Rex Mariaburgum se contulit.

Nideburgũ Cruciferis redditum.

Succamerarii in Prussia pars senatus.

Iudices Nobilitatis in Prussia.

tumeliis sibi non temperauerant. Atque hæc extremis anni diebus acta.

Episcoporum mortes & successiones.

ncti autem sunt eo anno duo Episcopi, Sciborius Plocensis, & Ioannes uiensis. Ac Ioanni quidem Ioannes Ressouius à collegio Basilicæ Cra- lis per compromissum electus successit: Sciborius vero propter col- locensis dissensionem tardius successorem accepit. Quatuor & vi- rant, qui ferebant suffragia. Ex his duodecim Sciborium Belscium Ar onum, sex Casimirum Boleslai Varsauiensis Ducis filium Canoni- idem Andream Oporouium ipsum quoque Canonicum, & Gnes- Archidiacorum, quem Rex per Nicolaum Chranstouium vexilli- Cracouiensem commendabat, Episcopum nominabant. Sed Scibo- ecibus & minis victus, in gratiam Casimiri competitoris iure suo ces- oroulus vt idem faceret, obtineri à Rege non potuit. Quare contro- inter duos diiudicanda Romam delata est. Ibi vero Rege pro Opo- Friderico autem Imperatore pro Casimiro contendentibus, secun Casimirum octodecim annos natum pronunciatur: Oporouio vero tiam Regis Varmiensis Episcopa attribuitur.

Controuersia inter duos de Episcopa.

sequens annus millesimus quadringentesimus septuagesimus septi- cometa sumpsit exordium: qui paruus quidem in se, verum longam trem post se caudam trahens, vago & incerto cursu, nunc ad Septen- n, nunc ad meridiem, nunc ad occidentem, caudam quoque nunc meillucobuertens, totos duos menses perdurauit, magnorum ma- , quæ cunctum fere Europam proximis tribus annis inundarunt, & ne pestilentiæ circumcirca & vsque quaque grassaturæ prodigium. Ca siunior dies aliquot Gilauiæ cõmoratus, Rosembergę item aliquot Petrum Komorouium, non eam tantum arcem, sed & Licauam, & m, ac Gradecum, quas obtinebat in extremis Vngariæ finibus, ipsi dentem, nusquam secure pedem figens, in Poloniam se recepit, iuſ tà patre Dobsiciæ tertio à Cracouia milliari subsistere, aliquantisper si in secessu mansit, pudore acceptę ignominiæ lucem & conspectum um fugitans, & ne patris dolorem, quem ille grauissimum hauserat, suo exacerbaret. Iasenius vero nec ipse multum Nitriæ commora- tempus induciarum, quas quindecim dierum cum Matthia pepi- recẽtis modo militibus in arcis præsidio relictis inde excessit. Quem as violata fide insecutus, adoriri tamen ausus non est caute incedens ad prælij dimicationem paratum, obfirmato ad honeste morien- nimo prius, quam turpiter fugeret, aut sese dederet. Cum autem is a excessisset, Matthias quatuor loca, quæ Polonorum præsidiis tene- per deditionem facile recuperauit. Stropcouia sola propter vicini- Polonis retenta. Peracerba hæc omnia Casimiro Regi accidebant: illa cura accedebat, quod non habebat, vnde militibus ex Vngaria s merita stipendia flagitantibus dissolueret: non modo ærario in bel- russicum, & sumptuosas illas duorum filiorum in Bohemiam & Vn expeditiones exhausto, verum etiam plerisque Præfecturarum, prę- n, metallorum, & vectigalium fructibus ac reditibus oppignoratis & is, adeo, vt ne in quotidianum quidem victum sumptus ei suppe-

Casimiri verecundia.

Casimiri Regis egestas.

Eo factum, vt milites, quibus non numerabantur stipendia, blicas latrociniis infestarent, & in sacerdotum bona inuaderent. commodis Rex vt obuiam iret, ad medium mensis Martij comitia

Latrocinia militum.

Legati siue nuncij prouinciarum ad Comitia mitti cœpti.

legatos ad comitia Petricouiensia mitti, qui decernendi in commune cu
cæteris Regi moderati tiibuti potestatem haberent. Atque hoc tunc pri
fieri cœptum sic inoleuit posterioribus temporibus, vt sine ij legatis seu
ciis prouinciarum nulla comitia legitima haberentur, neque tributum
perari, ac ne lex quidem vlla ferri posse videretur. Potestas vero eorum
stat tribunitiæ apud Romanos, vel ephororum apud Lacedæmonios
cœpit, suntque ceu custodes libertatis communis.

Nunciorum prouincialium potestas.

Conuentus maiorum Polonorum Coli.

Conuentu Visliciensi finito, Rex Colum profectus: maiorum qu
Polonorum conuentum habuit Verum nihilo magis ibi profecit. Re
res ad alium conuentium, eodem loco ad vicesimam diem Septembris
stituendum. Itaque Rex cœptum iter per Pomeraniam peragens ad te

Rex Casimirus Gedanum ingressus.

Idus Augusti Gedanum ingressus, magno populi obuiam sese effund
studio ac lætitia exceptus, & lautissime atque honorificentissime ha
est, quoad ibi substitit, per totum fere mensem. Et purgarant iam ei se

A Gedanensibus magnifice habitus.

danenses literis ac nunciis de crimine, cuius apud eum ab Henrico Pl
nio Vilnam profecto insimulati erant, quasi ad Burgundum Ducem de
re statuissent. Promulgato autem ea in vrbe, ac deinde Mariæburgi conu

Tributum in octo annos à Prutenis scitum.

tu Prutenorum, ciuitatibus egestatem prætexentibus, vix eo rem perd
vt in octo annos tributum, quod Cisam vocãt, decerneretur. Ac de eo
dem, quod in primariis tribus ciuitatibus colligeretur, primis quatuo
nis quarta pars illis ipsis ciuitatibus in publicos vsus, reliquæ vero tre
in stipendia militum cederent: deinceps vero ciuitates illæ tres, quicq
pud quamque redactum esset, sibi haberent: aliunde vero quicquid p

Regis & Gedanensium mutuæ donationes.

niret, Regi adnumeraretur. Sed Gedanenses præterea quinque mill
renorum de regio prouentu detrahere permissi sunt, quæ tunc Regi
tua dederant. Triginta quoque millia eis remissa sunt, quæ anniue
pensionibus per quindecim illos annos non soluerant. Ipsi contra, C

Legatio Regis Casimiri ad Marc. Brandebur.

nense, Dersauiense, & Puscense territoria, quæ oppignorata tenebant,
condonato debito reddidere. Misit autem inde Rex legatos ad interc
dum bellum inter Fridericum Marchionem Brandeburgensem, ac P
raniæ Ducem Ericum paulo ante exortum. Ericus enim, cum ei Fride
auxiliis quorundam Principum Germaniæ adiutus grauis esset, ora
primum, deinde coniugem ad Regem miserat, opem eius implorans, &
iectionem ipsi suam deferens, si fœdus eum non moueret. Forte dimi

Rex Mariaburgum se contulit.

exercitum Marchio, cum ad eum legati Regis venere. Itaque facile inc
inter dissidentes confecerunt, illique Casimiro Regi arbitrium contr
siæ detulerunt. Mariæburgum deinde se Rex contulit. Henricum Pla
Magistri vices gerentem cum Mareschalco & aliquot Commendato

Nideburgũ Cruciferis redditum.

Cruciferorum ad se venientes benigne accepit: quæ postulabant, pler
omnia concessit: Nideburgum oppidum, quod ad eam diem retinuer
pacto reddidit: anniuersarios conuentus cum Cruciferis Elbingæ age
quibus duodeni vtrinque delecti viri controuersias vltro citroque su

Succamerarii in Prussia pars senatus.

entes disceptarent, ac deciderent, constituit: de non acceptando regno
hemorum, si absque bello id adipisci non posset, consilium ab eis acc
denique ad maturandam noui Magistri electionem eos hortatus, qui

Iudices Nobilitatis in Prussia.

millibus florenorum donatos dimisit. Deinde Prutenis magistratus i
mitiis regni dudum creatos stabiliuit, aliosque insuper adiecit, tres re
dorum finium præsides, quos Succamerarios vocant, qui & ipsi locu

contumeliis sibi non temperauerant. Atque hæc extremis anni diebus acta.
Extincti autem sunt eo anno duo Episcopi, Sciborius Plocensis, & Ioannes

Episcoporum mortes & successiones.

Cracouiensis. Ac Ioanni quidem Ioannes Ressouius à collegio Basilicæ Cra
couiensis per compromissum electus successit: Sciborius vero propter col-
legij Plocensis dissensionem tardius successorem accepit. Quatuor & vi-
ginti erant, qui ferebant suffragia. Ex his duodecim Sciborium Belscium Ar
chidiaconum, sex Casimirum Boleslai Varsauiensis Ducis filium Canoni-
cum, totidem Andream Oporouium ipsum quoque Canonicum, & Gnes-
nensem Archidiacorum, quem Rex per Nicolaum Chranstouium vexilli-
ferum Cracouiensem commendabat, Episcopum nominabant. Sed Scibo-
rius precibus & minis victus, in gratiam Casimiri competitoris iure suo ces-
sit. Oporouius vt idem faceret, obtineri à Rege non potuit. Quare contro-

Controuersia inter duos de Episcopa.

uersia inter duos diiudicanda Romam delata est. Ibi vero Rege pro Opo-
rouio, Friderico autem Imperatore pro Casimiro contendentibus, secun
dum Casimirum octodecim annos natum pronunciatur: Oporouio vero
in gratiam Regis Varmiensis Episcopa attribuitur.

Ann. Chri. 1472. Cometa apparit.o.

Insequens annus millesimus quadringentesimus septuagesimus septi-
mus à cometa sumpsit exordium: qui paruus quidem in se, verum longam
& illustrem post se caudam trahens, vago & incerto cursu, nunc ad Septen-
trionem, nunc ad meridiem, nunc ad occidentem, caudam quoque nunc
huc, nunc illuc obuertens, totos duos menses perdurauit, magnorum ma-
lorum, quæ cunctam fere Europam proximis tribus annis inundarunt, &
maxime pestilentiæ circumcirca & vsque quaque grassaturæ prodigium. Ca
simirus iunior dies aliquot Gilauiæ cõmoratus, Rosemberge item aliquot
apud Petrum Komorouium, non eam tantum arcem, sed & Licauam, &
Orauam, ac Gradecum, quas obtinebat in extremis Vngariæ finibus, ipsi
concedentem, nusquam secure pedem figens, in Poloniam se recepit, iuf

Casimiri recundia.

susque à patre Dobsiciæ tertio à Cracouia milliari subsistere, aliquantisper
ibi quasi in secessu mansit, pudore acceptę ignominiæ lucem & conspectum
hominum fugitans, & ne patris dolorem, quem ille grauissimum hauserat,
aspectu suo exacerbaret. Iasenius vero nec ipse multum Nitriæ commora-
tus, per tempus induciarum, quas quindecim dierum cum Matthia pepi-
gerat, trecẽtis modo militibus in arcis præsidio relictis inde excessit. Quem
Matthias violata fide insecutus, adoriri tamen ausus non est caute incedẽ-
tem, & ad prælij dimicationem paratum, obfirmato ad honeste moriẽ-
dum animo prius, quam turpiter fugeret, aut sese dederet. Cum autem is
Vngaria excessisset, Matthias quatuor loca, quæ Polonorum præsidiis tene-
bantur, per deditionem facile recuperauit. Stropcouia sola propter vicini-
tatem à Polonis retenta. Peracerba hæc omnia Casimiro Regi accidebant:
huc & illa cura accedebat, quod non habebat, vnde militibus ex Vngaria
reuersis merita stipendia flagitantibus dissolueret: non modo ærario in bel-

Casimiri Regis egestas.

lum Prussicum, & sumptuosas illas duorum filiorum in Bohemiam & Vn
gariam expeditiones exhausto, verum etiam plerisque Præfecturarum, prę-
diorum, metallorum, & vectigalium fructibus ac reditibus oppignoratis &
alienatis, adeo, vt ne in quotidianum quidem victum sumptus ei suppe-

Latrocinia militum.

terent. Eo factum, vt milites, quibus non numerabantur stipendia,
vias publicas latrociniis infestarent, & in sacerdotum bona inuaderent.
His incommodis Rex vt obuiam iret, ad medium mensis Martij comitia

Comitia Petricouiæ de subsidio in stipendia.

Petricouiæ habuit: sed de subsidio in stipendia nil obtinuit. Reiecta res ad Colensem & Corczinensem conuentus. Ibi demum duodenûm grossorum in singula iugera tributum imperatum. Ecclesiasticus vero Ordo

Sacerdotalis ordinis subsidium.

Gnesnensis. Cracouiensis, Vladislauiensis, & Posnanensis diœceseon haud vulgari Regem auxilio iuuit, omnibus dimidios reditus secundum veterem taxationem conferenti us, præter Cracouiensem diœcesin, in qua propter exquisitiorem æstimationem octonideni grossi in marcas collati sunt. Missus deinde à Senatu regio Castellanus Sandecensis ad Vngaros proceres de

Polonorum legatio ad Vngaros de pace.

pace siue induciis inter Reges conficiendis, quæ annuæ pactæ sunt. Aduenit interim i., Poloniam legatus Pontificius Marcus Venetus presbyter Cardinalis, adhortans Regem ad pacem cum Vngaro faciendam, & ad suscipiendum bellum contra Turcas. Nec ab nuebat longiores inducias & pacem Casimirus: verum Matthias cognita eius inopia, nactusque ipse per vim ac tyrannidem (captis nonnullis proceribus, nonnullis vero sublatis) permagnas diuitias, & solutus in eum annum Turcici belli metu d fficiliorem se præbebat. Quin & pax cum Friderico Imperatore composita fe-

Legatio pontificis ad Casim. Regem Pol.

Pax inter Frid. Imp. & Matth. Regem.

rociorem eum fecerat. Itaque legatus pontificius cum aliquand u Cracouiæ, deide Corcini, quo Rex Cracouia pestem fugiens se cesserat, ac Sandeciæ hæsisset, in Vngariamque internuncios suos misisset, re infecta, siue adeo dilata, Vratislauiam discessit. Rex vero conuentu minorum Polonorum Corczini acto, Petricouiam profectus, comitia regni ad calendas Nouembris celebrauit: magistratus & honores nonnullos distribuit: subsidium senûm grossorum in singula iugera impetrauit, nouem de primoribus consiliariis l gatos ad conuentum Nissæ cum Vngaris & Bohemis de pace ad initium Februarii instituendum (sic enim inter Reges denuo conuenerat) designauit: oratoribus Vladislai Bohemorum Regis auditis, quin-

Comitia Petricouiæ.

Rex Posnaniam profectus: Inde in Prussiam.

gentorum militum auxilia ad Cuthnorum metallorum præsidium ei misit, inuasurus enim ea Matthias Vngarus ferebatur, Colino oppido per deditionem Victorini Georgij filij potitus, vbi mille equites & octingentos pedites habebat. His peractis Posnaniam Rex cum Regina voti soluendi gratia profectus est. Inde in Prussiam ad res nouas spectantem contendit. Etenim Nicolaus Tungenus amotus Varmiensi episcopa, & ad Camenen-

Motus in Prussia ob Episcopam Varmien.

sem translatus à Pontifice partim sua ipsius cupiditate ac dolore præreptæ episcopæ incitante, partim aliis Prutenis, qui Polonis honores in Prussia mandari molestè ferebant, subornantibus, animum vero ei addentibus aduersis Casimiri rebus in Vngaria, facta quingentorum peditum mercede conductorum manu, & magno ægrestium numero ad eos confluente, episcopam Varmiensem inuaserat, partim expugnatis non sine cæde hominum, partim per deditionem acceptis munitionibus. In Heilsbergæ qui-

Nic. Tungenus Episcopam Varmien. inuadit.

dem oppugnatione desedit, & prope quingentos homines de suis, quos ebrietas audaciores fecerat, amisit. Hinc factum, vt facilius bellum illud, quod Sacerdotale etiam nunc appellatur, à legatis regiis Iacobo Vladislauiensi Episcopo, & Nicolao Kuczenio Palatino Lenczicienſi interciperetur,

Bellum Sacerdotale.

ea lege, vt de controuersa episcopa staretur sententiæ Pontificis. Nec tamen præterea quicquam operæ precij tunc præstitit Rex in Prussia. Contendebãt sane Pruteni, vt non nisi sibi arcium præfecturæ committerentur. Nec id ab nuebat Rex, sed pecuniam eos poscebat, qua iis, qui eas obtinebant, debita stipẽdia dissolueret. Quod cũ Pruteni recusarẽt, ad Pentecostẽ res dilata est.

Post

Post initium vero noui anni Casimirus Rex cum Regina Torunia discedens, per Gostinum & Varsauiam in Lithuaniam iter fecit, ad mediam quadragesimam Vilnæ conuentum egit: vbi senûm grossorum Pragensium tributum in aratra decretum. Per id tempus Poloni, & Bohemi, & Vngari proceres cum Marco Cardinali Nissæ conuentum habuerunt. Tametsi Matthias Rex indignè ferens, quod Stropcouia Regis Poloni præsidio teneretur, ideque vicinus circumquaque ager Vngariæ vexaretur, magis ad bellum, quam ad pacem spectare videbatur. Sed tamen magna legati pontificij cura ac diligentia vix eo res perducta est post sex septimanarum discepta-

Ann. Chri. 1473.

Conuentus Vilnæ Lithuanorum.

Conuentus Polon. Vngar. & Boemorum Nissæ.

tionem, vt ad medium Augusti mensis alius conuentus Opauiæ inter proceres, Vngaros quidem & Polonos octonos, Bohemos vero senos ex vtraque parte institueretur, Poloniæ Rex Stropcouia præsidium deduceret, Vngarus & Bohemus suarum vterque partium Bohemis iusurandum relaxaret: ipsi Reges in propinquo essent, quo facilius de omnibus è conuentu ad eos referri posset. Quod si qua de re inter delegatos, & inter ipsos Reges non conuenisset, Carolus Burgundiæ Dux, aut Francorum Rex arbitrio suo controuersiam dirimeret. Ita tunc discessum. Quo liberius autem vacaretur ei conuentui, Marcus Cardinalis inducias inter Reges authoritate pontificia pœnis in violatorem adiectis prorogauit.

Alius conuentus Opauiæ eorundem.

Inducia inter Reges prorogatæ.

Dum hæc ita fiunt, Casimirus Rex è Lithuania reuertens, comitia Petricouiam ad Calendas Maias edixit. Verum de minoribus Polonis nemo fere procerum adfuit. Offensi enim erant distributione honorum superioribus comitiis iniquius (quemadmodum ipsis videbatur) facta: in qua Ioannes Tarnouius Castellanus Voinicienſis, Dobeslaus Kmitha Lublinensis, & Stanislaus Vantropca Sandecensis immerito præteriti existimabantur. Itaque Radomiæ ad Pentecosten alia comitia instituta sunt: vbi delinitis offensorum animis, de actis conuentus Olomucensis disputatum. Nec magnopere ea cuiquam probabantur. Sed cum è Vladislai legati Alberto Sozoloui o cognitum esset, approbasse eos Bohemos, & vero egestas Casimiri, ac maior etiam Vladislai (cui tunc pater decem millibus aureorum in vsus quotidianos subuenire necesse habuit) perpenderetur, ne Poloni quidem sibi repudiandas eas conditiones duxerunt. Ita-

Comitia Petricouia.

Radomia alia comitia.

que designati ad Opauiensem conuentum legati, Ioannes Cracouiensis, & Iacobus Vladislauiensis, Episcopi, Lucas Gorcanus Posnanienſis, Stanislaus Ostrorogius Calissiensis, Palatini, Dobeslaus Kmitha, Castellanus Lublinensis, Iohannes Rithuianius regni Marschalcus, Sbigneus Olesnicius Procancellarius, & Iohannes Dlugossus Canonicus Cracouiensis. Stropcouia deducto præsidio Nicolao Pecenço reddita. Ad Prutenos missus, qui Regem excusaret, quod ad constitutum tempus in Prussiam non veniret. Ad Fridericum Imperatorem missus Decanus Posnanienſis, vt ab eo regni Bohemorum, quod iure feudi Imperatori Romano est obnoxium, confirmationem Vladislao filio Regis peteret, eaq; lege societatem cum Imperatore contra Matthiam vtriusque nomine sanciret, adderetque, Moldauum quoque ei bello pro sua parte non defuturum, dummodo ipse Imperator Matthiam omni vi adoriretur. Quanquam enim icerat non ita multo ante Imperator fœdus cum Matthia, sed id necessitate quadam adductus, nec satis æquis conditionibus feciſſe videbatur: ea propter, quod ad Matthiæ

Legati Pol. Regis ad Opauien. conuentum.

Legatio ad Frid. Imp.

Boemia Imperio Rom. obnoxia.

Acephalus exercitus Austriam infestat.

nutum acephalus exercitus, qui se fratres vocabant (erant autem ij crucesignatorum militum reliquiæ) Austriam grauiter infestabat, & rebelles Austriaci ab eodem adiuuabantur. Itaque occasionem vlciscendi Matthiæ captare Imperator existimabatur. Et grata quidem ei fuit legatio: sed reiecta res ad Imperij comitia Augustam Vindelicorum ad calendas Septembris edicta. Ad quæ missi oratores tam à Poloniæ, quam Bohemiæ Regibus. Cæterum Casimirus appropinquante die conuentui Opauiensi præstituta, Osuiecimum cum sex millium fere hominum comitatu sese contulit. Vladislaus quoque Bohemorum, Rex apud Closcum non mediocrem comitatum habebat. Plurimorum enim studia & voluntates integritate ac benignitate sua iam ad se allexerat, præsertim cum non grauate eos iureiurando soluisset, ostendens, pluris se publicam pacem ac tranquillitatem, quam priuata commoda facere. Quare cum Poloni & Bohemi partium Vladislai mature Opauiam conuenissent, à Matthia præter Albertum Episcopum Vesprimensem Vngarum, & Albertum Kostcam Bohemum nemo adfuit. Vngaros autem alia quoque res remorata est. Ad paucos enim fractos fratres acephali in Austria, in Vngariam sese receperant, & siue quod emeritis apud Matthiam stipendiis fraudabantur, siue vt egestatem suam releuarent, eam oram Vngariæ, quæ ad Poloniam vergit, (Polonienim fere erant) armis longe lateque infestabant, munitis & præsidio firmatis Modragora & Bucouiecia castellis. Iam vero & Nicolaus Perenæus Stropcouiam eis concesserat. Sic igitur rebus domi turbatis cunctabantur Vngari proceres. Post vicesimam demum diem expectati aduenere. Aduenit & Rudolphius Episcopus Vratislauiensis cum tribus consulibus eiusdem ciuitatis. Nec tamen quicquam operæprecij in eo quoque conuentu factum est, cum duriores conditiones ab Vngaris proponerentur. Optatum tamen Polonis & Bohemis accidit, quod res ad Caroli Burgundi arbitrium, cui se staturos esse inconsulto promiserant, peruentura non esset, & quod reliquorum Bohemorum animi à Matthia deinceps alieniores fore viderentur. Ita tunc Opauia pace infecta discessum. Nec cessabant fratres acephali Vngariam vexare: ad quos coercendos Matthias exigua cum manu profectus Modragoram non difficulter, siue vi, siue proditione suam in potestatem redegit, præsidiarios in vincula coniecit. Bucouieciam deinde adortus Matthias, ea quoque per deditionem Barziorum trium fratrum, qui præerant præsidio, potitus est: præsidiarios arma ad se in castra deportare, & fustibus ignominiæ causa armari iussos (ira proditores accingi debere memorans) cum singulis modo vestibus emisit, sponsione à nobilioribus accepta, ne vnquam contra se, ne pro Rege quidem suo & patria militarent. Quocirca comprehensi hi sunt postea Casimiri iussu, & in carcerem ob ram indignam sponsionem compacti.

Legati Pol. & Boem. Regum ad comitia August. Casimiri & Vladislai Regum comitatus.

Conuentus Opauiensis.

Fratres acephali Austria eiecti. Iidem Vngariam infestant.

Matth. Rex fratres acephalos bello persequitur.

Sponsio turpis.

Hoc anno æstu & ardore vsque adeo vexata est Polonia, vt aluei flumi-
num plerorumque arescerent: Vistula etiam ad Torunium esset vadabilis:
syluæ saltusque radicitus arderent: segetes, vernæ præsertim, squalerent: pe-
cudes & iumenta oblitis limo cum herba vorato intestinis interirent: incen
dia quoque vrbium, oppidorum, & villarū crebra extitere. Stradomia quo-
que ad vicesimam sextam diem Iulij penitus incendio periit: postridie vero
coorto in cœnobio virginum ad sancti Andreæ incendio, tota ea pla-
tea, quæ castrensis dicitur, & vicina Canonicorum arsit: arx ægre defensa.

Æstus & siccitas in Polonia ingens.

Oppidorum in Polonia conflagratio.

Con-

Conflagrarunt etiam Vielisca, Coninum, Belzum, Chelma, Lubomlia: præterea basilica Leuczicienſis cum vicinis domibus Archiepiscopi & sacerdotum: itemq; Mogilense monasterium. Obiit & tum Ioannes Gruscinius Archiepiscopus Gnesnensis, cum Cracouiam à Rege euocatus venisset, repentina correptus amentia. ita vt neque sacramentorum in extremo vitæ articulo particeps fieret, consentaneum exactæ vitæ exitum consecutus. Fuit enim in omne libidinum & audaciæ genus proiectus: auaritiæ vero & immoderati in euehendis ac locupletandis fratribus studii, seu verius cupiditatis fructum, qualem oportuit viuens, non decerpsit. Successor autem ei Rege postulante à Pontifice designatus est, priusquam dies electioni præstitutus aduenisset, non sine infamia cupiditatis, Iacobus Sienenius. Huic vero in Vladislauiensi episcopa suffectus gentilis & necessarius eius Sbigneus Olesnicius Procancellarius regni. Tartari vero Mescenecenſe territorium Kiouiæ vicinum depopulati, ad septingentos homines captiuos abegerunt. Per idem tempus Turcæ è Bosna excursionem facientes omnem fere Styriam & Carinthiam rapinis exinaniuerunt.

Ioan. Gruscinii Archiepiscopi Gnesn. mors & mores.

Succedit Iac. Senenius.

Tartari Russiam vastant. Turcæ Styriam & Carinthiam.

Insequens annus millesimus quadringentesimus septuagesimus quartus quietus Polonis non fuit. Matthias enim Rex, cum contra acephalos fratres prospere rem gessisset, quod eos à Casimiro subornatos contra se suspicabatur, siue adeo compertum habebat, nil moratus hybernum anni tempus, exercitum sex millium hominum duce Thoma Tarcio in submontanam Poloniæ oram immisit, collocato in syluis Poloniam ab Vngaria disiungentibus præsidio, vt sese tuto inde recipere possent. Præmoniti quidem Poloni fuerant tempestiue de hostium consilio, sed nihilomagis sibi prospexerunt. Itaque Vngari turmatim excurrentes, omnia ferro flammaque vastabant. Smigrodum oppidum noctu scalis admotis ceperunt: arcem vero ictibus bombardarum quassatam deditione occuparunt, & nouis propugnaculis fossisque munierunt. Direpta sunt ea excursione & incensa oppida aliquot opulenta, & prope ducenti pagi, indeque captiuorum ingens numerus in Vngariam abactus. Insenes vero & pueros ferro sæuitum est. Inspectabat fere hanc regni sui vastationem Casimirus Rex, Visliciæ tum conuentum agens, ac de bello Vngarico, quod sibi suisque ingruere didicerat, depellendo consultans. Vbi senûm grossorum in mansum contributionem impetrauit: militiamque siue expeditionem bellicã, quæ libera & arbitraria Nobilirati tunc erat, pro modo facultatum siue redituum cuiusque fieri debere decreuit: homicidii pœnam inualescentibus iam tunc cædibus mutuis inter Nobiles auxit, vt qui Nobilis volens equitem interfecisset, terrum carcerem in ima turre toto anno perferret, ac centum & viginti marcas pecuniæ proximis agnatis interfecti lueret. Dum autem submontana quidem Polonia ab Vngaris ita vexatur, Visliciæ vero à Rege & Senatu de Republica consultatur, aduenerunt à Stephano Palatino Moldauiæ nuncii de re bene gesta contra Radulonem Transalpinæ Palatinum: quem Stephanus illis diebus profligarat, & aliquot munitiones de eo ceperat, thesaurumque & vxorem cum duabus filiabus inde asportarat. Attulerunt autem ii nuncii Regi viginti octo militaria signa de hoste capta. Hos vero triduo consecutus est alius, qui celerem Regis opem implorabat, quod diceret, Radulonem à Turcis adiutum, munitiones amissas recuperasse, Moldauiamque ingressum, obuia quæque ferro & igni

Ann. Chr. 1474.

Matth. R. Vnga. submontanam Pol. oram populatur.

Smigrodum captum.

Oppida submontana incensa.

Conuentus Visliciæ.

Bellica expeditionis ratio.

Homicidii pœna aucta.

Moldauiæ victoria de Transalpinæ parta.

vastare. Itaquē celeriter missi oratores Dobeslaus Bissouius Castellanus Belzensis, & Aegidius Suchodolius, qui inter eos bellum pace vel induciis intercipe ent. Michaeli vero Buczacio Prętecto Sniatinensi mandatum, vt sine mora cum Podolica Nobilitate Stephano iret supperias: Polonica vero omnis Nobilitas ad arcendum bellum Vngaricum apud Opatouecium prǽsto esse iussa. Verum segnius ea conueniebat, mandata lenis Regis parui pendens, solutaque disciplina militari, partim tardius domo sese expediebat, partim in vicinis sacerdotum possessionibus immorabatur. Expectabat Rex Opatouecii, & cunctantes crebris nunciis emissis frustra conuocabat.

Auxilia Moldauo à Rege Pol. missa.

Polonorum disciplina militaris soluta.

Interim Poloni & Vngari proceres internunciis vltro citroque missis, vicesima prima Februarii die pacem conciliarunt his conditionibus: vt munitiones interuersæ, & captiui vtrinque redderentur, damnorum datorum neutrobi mentio fieret: Vngaro cum Polono & Bohemo vt triennes induciæ essent, quas si quis Regum violare vellet, subbiti eius ne ei dicto audientes essent: aliorum vero quisquis eiusmodi quicquam tentaret, ab omnibus pro hoste & perduelli haberetur, nihilotamen minus firmæ essent induciæ. Hoc vero facilior fuit Matthias ad æquas conditiones quod Transyluanos à se alienatos Casimiro sese dedere velle acceperat. Et misere ii quidem ad eum legationem, se suaque dedentes, & pecuniam, equos, ac milites contra Matthiam pollicentes: sed tunc demum ea aduenit, cum Rege de pace confecta renunciatum est, quocirca rebus infectis mœsta ea discessit. Ad hæc Mahometes Turcarum Imperator valido cum exercitu Bosnam inuasit, & Iaicze arcem acerrime oppugnauit: sed repulsus cum ignominia, demersis in profluente tormentis abscessit, de aduentu Matthiæ certior factus. His tunc de causis Matthias cum Polonis & Bohemis pacem siue inducias accelerauit, quæ tamen firmæ ac diuturnæ non fuerunt. Nihilominus enim is hostilem aduersus vtrumque Regem animum retinuit. Et in Casimirum quidem Tungenum Episcopum Varmiensem ac Silesios incitauit: in Vladislaum vero quosdam subornasse creditus est, qui eum venenо extinguerent. Morauos vero, quorum pars magna cum Vladislao quidem Nobilitas dilapsa est, de sacerdotum & monarchorum gallinis, anseribus, & gregibus triumphans, & expugnatis euersisque magna virtute eorum cellis ac horreis, præclaras manubias & opima spolia ferens. Matthias vero nihilomagis quiescebat cum iis copiis, quas habebat: sed Petrum Komorouium, locupletem inprimis hominem, qui Casimirum Regis Poloniæ filium receptauerat, vlcisci instituit; nulloque negotio septem arces eius Poloniæ finitimas ex inopinato adortus, suam in potestatem redegit, vltro dedente eas ipso Komorouio, & in Poloniam excedente cum omni familia, acceptis à Matthia octo millibus florenorum: erant enim eæ vacuæ defensoribus. In Siliesiam vero duo millia militum cum Ioanne Bielico Silesio misit in auxilium Venceslao Duci Ribnicensi, qui ab Henrico Geordegii Podiebradii filio Duce Cozlensium bello vexabatur. Ac recessit quidem Henricus ab obsidione Plesnæ, Vngario exercitu aduentante. Cæterum Venceslaus quoq;, cum non fideret Vngaro, portas oppidi eius claudi fecit, & Osuiecimum ad Iacobum Dembinium Palatinum Sendomirien sem & præfectū Cracouiensem, qui ibi erat cū præsidio, perfugit. Bielicus irritatus

Inducię inter Vngaros, Polonos, & Bohemos.

Transyluani ad Casim. R. desiderantes non suscepti.

Turca Bosnam inuasit.

Inducię nō firmæ.

Petrus Komorouius septem arces ab Vngaro spoliatus.

Duces Silesię commissi.

tus facto Venceslai, Pelcinam oppugnare adortus, deditione eā cepit, ea lege, vt liceret Venceslao ad Matthiam adire, & admissi veniā petere. Excurrerant aūt ex eo exercitu trecenti milites in territoriū Osuiecimense populabundi, qui à Polonis profligati sunt. Per id tempus venere ad Casimirū duo legati Veneti, alter ad Persas, alter ad Moscos transitū petentes. Nec grauate is concessus. Ab Husancassano vero Persarū Rege. Catharinus Zenus & ipse Venetus, triennio apud eū legatione functus adfuit, instigans Regē ad bellum contra Mahometē Turcam suscipiendum. Atq; id quidem publice: secreto vero filiam Husancassani natu maiorem, è Catharina filia Imperatoris Trapezuntii susceptā, vni alicui de Casimiri filiis vxorem defe ebat, dotalemq; Græciā cum Constātinopoli promittebat, ipsius Husancassani armis vindicandā, & cum filia simul tradendā. Contra Vngarum quoq; copias & impendia belli pollicebatur. Sed vana ea legatio visa est: neque aliud quicquam ei responsum, quā Regem per suos legatos Husancassano responsurū.

Latrunculi Vngari à Polonis profligati.

Legati Venetorum ad Regem.

Persica legatio ad Regem Casimirum.

Persa promissa.

Exarsit mox aliud bellum in maiore Polonia, subornante, vt opinio fuit, Matthia excitatum. Ioannes enim Saganensium Dux natura amens, & post interfectum fratrē Henricum furiis exagitatus, Saganensem quidem dominatū Misniæ Marchionibus vendidit: alieni vero appetens, collectis quatuor millibus militum è promiscua multitudine, transmisso Odera fl. ad Fraustadiam siue Vuschouam duxit, bonæ spei plenus, quod & bombardas à Vratislauiensibus iussu Matthiæ Regis acceperat, & proditionem in oppido adornarat. Ac incensum quidem est sub eius aduentū aliquot in locis oppidū, sed ciuium virtute strenue defensum, restinctaq; incendia. Quo facto Dux Saganensis omisso oppido, in quo capiendo euentus spei eius non responderat, totum territorium peruagans rapinis & populationibus afflixit. Deinde castris à Glogouia non longe positis, prædas agebat è vicinis Poloniæ oris. Neq; quisquam Polonorum inhibere hostiles illas excursiones satagebat, ne priuata quidem sua calamitate irritatus, aut periculo exercitus. Ita torpor & veternus quidam omnes occuparat. Vnus omnium Petrus Gunicius maiore animo quam consilio cum triginta modo familiaribus in trecentos pabulatores impetum fecit: fusosq; & fugatos cum improuide ad castra vsq; persecutus esset, coortis vndiq; hostibus in medio circūdatus, & oppressus, vti forti viro dignum erat, non inultus cum omnibus suis cecidit. Coadunauerant quidem Lucas Gorcanus Posnanien sis, & Stanislaus Ostrorogius Calissien sis, Palatini, & Matthias Mossinius præfectus maioris Poloniæ duodecim millia hominum de maioribus Polonis: sed apud Costenum & Fraustadiam desidebant, fumantes quo quoversus pagos inspectantes, & ploratus vlulatusque captiuorum tantum non exaudientes. Nec modo non ibat obuiam hostibus tanta illa multitudo, verum etiā hostilia & atrociora propemodum, quam hostes ipsi in suos patrabat. Nullus autem fuisset hostilium illarum excursionum modus neque finis, nisi Dux Saganensis in oppugnatione Copaniciæ, dum temere se incendio munitionis miscet, ambustus & semianimis sublatus esset: vnde postea neque valetudinem, neq; vigorem animi recuperare potuit. Eo demum casu Ducis sui exercitus ille consternatus dilapsus est.

Bellum in maio. Poloniæ.

à Ioanne Duce Saganen. concitatum.

Fraustadia incensa & defensa.

Torpor Polonorum in se defendm.

Ad Costenū & Fraustadiam desidebant. 219

Saganen. Dux ambustus.

Erat eo tempore Casimirus Rex Toruniæ, componendis rebus Prussicis intentus. Nicolaus enim Tungenus fauentibus & clamadiuuantibus Prutenis cū aliis, tū consulibus Gedanensibus, quibus permolestū erat, Polonū

Casimirus Rex Toruniæ.

Prutenis

Prutenis præfici Episcopum, cum pleraſque alias episcopales munitiones obtineret, reliquas quoque nempe Heilsbergam & Seburgum in ius ac dicionem ſuam traduxit, nihil moratus promiſſa ſua de expectando iudicio Pontificis, cuius etiam diras appellationibus & aliis artibus eludebat: nec ſe ſiſtebat à Rege euocatus, nec exercitum dimittebat. Sed priuſquam operæ temporiſue precium vllum faceret Rex in Pruſſia, in Poloniam reuerti coactus eſt, cum propter peſtem Toruniæ, & in omni ea ora inualeſcentem, tum vt Sileſiorum conatibus obuiam iret. Quamobrem ad medium Iunii Petricouiæ comitia habuit. Ibi adfuerunt oratores Vladislai Regis Bohemorum, Polonorum opem contra Vngarum Morauiam & Sileſiam infeſtare non ceſſantem implorantes. Itaq; miſſa ſunt filio à Rege viginti quatuor millia aureorum in ſubſidium belli. Contra Sileſios vero, qui & Poloniam ſubinde vexabant, & plerique Matthiæ partes ſequebantur, placuit rem geri totius regni expeditione: iuſſæque omnes copiæ ad medium Auguſti menſis ad Meſtouiam conuenire. Inſtitutus etiam tunc eſt nouus Palatinatus in tractu Lublinenſi, qui ad eam diem nullus fuerat, detracta parte de Sendomirienſi, cuius iuriſdictio amplior eſſe viſa eſt, quam vt eius moles commode ab vno Palatino ſuſtineri poſſet. Rex conuentu ſoluto Corcinum diuertit, ad bellum ſe apparaturus. Interim ei nuntiatur, Podoliam atque Ruſſiam à Tartaris Duce Aidoro Eczigeris filio populabundis peti. Nihil tamen rerum vtilium prouidit, ac ne præmonuit quidem Podolios, vt ſibi proſpicerent. Itaque factum eſt, vt à ſeptem millibus Tartarorum, & eorum quidem male armatorum, omnis circum Cameneciam, Haliciam, Glinianos, Dunaiouiam, Gologoros, & Zbaraſſum tractus, centum fere milliarium longitudine, latitudine vero triginta, cædibus & incendiis miſerum in modum nemine ſe opponente, vaſtaretur, plurimique mortales ſegetibus demetendis vacantes opprimerentur, & in ſeruitutem pecudum in morem abigerentur. Diſcedentes barbaros cum ingenti præda fere centum millium hominum inſecuti quidem ſunt Poloni facta tumultuaria manu, ſed nil aliud perfecerunt, quam vt Tartari trucidatis plurimis captiuis, qui per ætatem aut valetudinem ſequi feſtinantes non poterant, miſerabile ſpectaculum inſequentibus exhiberent.

Tungenii Epiſcopi conatus.

Comitia Petricouia.

Regis Boem. legatio.

Palatinatus Lublinenſis inſtituitur.

Podolia & Ruſſia à Tartaris vaſtatur.

Bellum Sileſiacum.

Rex ad Sileſiacum bellum intentus, præfixo tempore ad Meſtouiam adfuit: ſed copias tardius conuenientes totas ſex ſeptimanas præſtolatus eſt, ita vt commodum belli gerendi tempus præterlaberetur, fruges oræ illius direptæ abſumerentur, ac ne incendiis quidem domeſticis parceretur. Ita tunc ſoluta atque adeo profligata erat omnis diſciplina militaris. Fuit autem & illa moræ cauſa, quod Nobilitas Cracouienſis oræ Stanislao, Nicolao, & Ioanne Tenciniis fratribus, Ioanne Rabſtinio, & Spitcone Melſtinio ducibus, negabat ſe ad externam militiam profecturam, niſi ſibi præſcriptum legibus ſtipendium numeraretur. Quorum pertinacia ægre victa, ſexta demum & viceſima die Septembris Rex caſtra mouit, aucto etiam exercitu Tartaris & Lithuanis, ita vt ad ſexaginta millia armatorum in eo eſſe crederentur. Ingreſſus Opolienſem tractum, Cruciburgum & Bycinum oppida cepit, præſidiiſque firmauit, agros populationibus quoquo verſus permiſſis diuexauit: tranſmiſſoque ad Chrapcouice Odera, vadabili tunc propter ſiccitatem, omiſſa Opoliæ oppugnatione, Vratislauiam contendit, vbi à Matthia ſe expectari acceperat; Bregam & Olauiam in tranſitu

Nobilitatis Cracouienſ. contentio.

Exercitus Regis Pol. numeroſus.

poteſta-

poteſtatis ſuæ fecit. Occurretunt autem ei interea oratores Vngari atque Bohemi, inducias poſtulantes: verum in congreſſum Vladislai filii res ſuſpenſa. Erneſti quoque Marchionis Miſniæ legati de pace inter Reges tractantes, pertentato prius Matthiæ animo, adfuere. Nec abhorrebat à pace Caſimirus: ſed Matthias ad omnem rei benegerendæ occaſionem attentus, pacis conſilia turbauit. Ad Olauiam Caſimirus caſtra habebat quarto à Vratislauia milliari: nec ignorabat Matthias, eum cum alias minus cautum eſſe, tum ſpe pacis componendæ ſecurius ac remiſſius agere. Itaque ſub noctem equitatum & peditatum omnem emittit Vratislauia, vt Polonos populationi intentos adoriretur. Et fauere quidem ei prima facie fortuna viſa eſt. Cum enim tota nocte exercitus ille progreſſus eſſet, oriente ſole ad Zuanouice pagum pabulatores Polonos nullo ordine diſcurſantes partitis copiis excepit, facileque in fugam vertit. Accurrunt Tartari è propinquo, quibus viſis redit & fugientibus virtus in præcordia: inſtauratur prælium. Rex etiam Caſimirus re cognita (haud longe enim à caſtris hæc gerebantur) ſubmitti ſuis auxilio comitatum aulicum cum Paulo Iaſenio Theſaurario: ipſe reliquo cum exercitu ſubſequi feſtinat. Hoſtes vbi aſpexere vires Polonorum augeri, retrocedere ad ſuos in inſidiis latitantes incipiunt: ſed illi quoque fuga ſuorum conſternati, fugæ & ipſi ſe præſidiarii mandarunt: nec prius conſtitere, quam Vratislauiam peruenere. Debellatum tunc fuiſſet procul dubio, niſi Ioannes Rithuianius Caſtellanus Sendomirienſis & Mareſchalcus regni, duxque vniuerſi exercitus Polonici Polonos in hoſtium tergis hærentes præpropere ſiue infidiarum metu, ſiue inſcitia & imperitia rei militaris reuocaſſet. Cecidere runt in eo conflictu de hoſtium exercitu mille: capti præter gregarios milites ſexaginta nobiliores. Poſt hoc prælium ad duodecimum Octobris commiſſum oratores Miſnenſes non diu commorati in caſtris Polonicis, quod intempeſtiuum eſſe putarent de pace tunc agere, rebus infectis diſceſſerunt. Illud ſolum à Rege Caſimiro impetrarunt, ne is Saganenſe territorium à ſuis infeſtari pateretur.

Vngari legati ad Caſim. Regem. March. Miſniæ legati ad Regem Pol. de pace inter Reges.

Caſtra Regis Pol. ad Olauiam. Vngarus emittit exercitum in Polonos.

Vngari exercitus retrocedit.

Quarta demum & viceſima die Octobris Vladislaus Rex Bohemorum aduenit, viginti millia bellatorum habens in exercitu, maxima ex parte peditum. Salutatione & gratulatione mutua inter Reges & conſanguineos exercitus peracta, Vratislauiam itum eſt, & in conſpectu vrbis vterq; exercitus fixis tentoriis coniunctiſque caſtris conſedere: cæterum deſides tempus terere, & nihil in medium conſulere. Communierat autem & caſtra ſua Matthias in vrbe ad monaſterium S. Vincentii, vt è re nata conſilium capere poſſet. Inde tacitus ſpeculabatur, quid Reges inceptarent, cum ſuſpiriis & euulſis capillis dictitans: facile ſe totum terrarum orbem imperio ſuo ſubiugaturum, ſi tantas taleſque haberet copias, quantas & quales contra ſe hoſtes adduxiſſent. Agri modo & pagi vaſtabantur, vagantibus quoquoverſus Polonis Bohemiſque ſine duce, ſine ordine. Cumque in eodem loco diutius caſtra eſſent, & villæ ac moletrinæ circumquaq; exurerentur, duplex malum exercitum inuaſit, peſtis, & frumenti penuria. Subuehebantur quidem è Bohemia panis & cereuiſia, ſed magno venibant. Nec tamen veniebat in mentem Polonis, Vielunia frumentum petere, cuius ibi permagnam vim paratam habebant: ut ſi veniebat, nemo erat, qui eam curam ſuſciperet, cum omnes viæ à Polonis, qui in Vngari exercitu ſti-

Vladiſl. Rex Boh. aduenit cum exercituinſtructo.

Matthias Vng R. caſtra ſua communit ad monaſterium S. Vincentii.

pendia contra Regẽ & populares suos faciebant, insiderentur: à quibus permulti de Polonico & Bohemico exercitu pabulatũ aut frumentatũ temere procurrentes excipiebãtur, ita vt plenæ essent captiuorũ turres & ergastula Vratislauiensiũ. Vngarus vbi animaduertit tantũ illũ Polonorum & Bohemorũ cũ suis Regibus torporẽ ac inscitiã, despicere eos, quos initio formidarat, cœpit: missisq; in Poloniã expeditionibus cõpiis, cũ quibus Opoliẽsis quoq; & Freistadiensis siue Kozuchouiensis Duces suas cõiunxerunt, Siradiensem orã omnem, & maiorẽ Poloniam infestauit, ac vehementer afflixit, nemine resistente. Agrestes quidẽ apud Boleslauieciam opponere sese venienti hosti ausi, paruo negotio fusi ac dissipati sunt. Apud Clobuscum tamen, qui eo excurrerãt, ab agrestibus & oppidanis profligati sunt. Arx Miedzirecia excursione illa in hostiũ potestatem venit, dedente eam Sendiuoio Zidouio Burgrabio, nulla ad id necessitate adacto. Ob quod facinus is post finitum bellũ patrimonio multatus est à Rege. Hæc quũ ita fierent, & pestis fameq; in castris Polonorũ atq; Bohemorum ingraueſceret, & incommodũ bello gerendo tẽpus hybernum vrgeret, de pace inter Reges agitari cæptũ est. Cõgressi bis in patenti cãpo tres Reges 21. demũ die Nouemb. nihil aliud inter sese constituere, quã vt delecti ab vnoquoq; consiliarii quaterni Vratislauię conuenirent. Quod cũ factum esset, re inter delectos agitata, pax quidẽ perpetua nõ conuenit: qnæ satis æquis conditionibus conuenire potuisset, nisi Elisabethæ Reginæ Poloniæ fastus & pertinax odiũ obstitisset. Nã ea Matthiam affinitate bellũ finire cupientem, quod neq; regio, neq; ducali genere ortus esset, generũ aspernabatur: & quod patrui fratrisq; sui inimicus fuisset, auersabatur, ita vt nullis persuasionibus de sententia dimoueri posset: indulgebat aũ ei plusculum Casimirus. Cæterum induciæ triginta mensium cõstitutæ inter Reges, captiui & munitiones interceptæ vtrinq; redditæ. Nicolaum quoq; Tungenũ Matthias in eo fœdere cum sua causa coniunxit. Bello consummato Casimirus Vladislaum filium dimisit: ipse per Posnaniã iter faciens, Lencziciã profectus, Ludouici Bauariæ Ducis oratores, quorũ princeps erat Henricus Ratisponensis Episc. Vieluno acciuit. Ibi enim aliquandiu, quoad ipse ex Silesia rediret, expectare eos iusserat. Petebant ii Georgio Principis sui filio Helduigin filiam Casimiri in matrimonium. Nec abnuit Casimirus Rex generum: sed Radomiæ demum, quo is ad natalem Christi diem festinabat, res cõfecta fuit. Sub finẽ eius anni Nicolaus Blazeouius Silesius Episc. Præmislien sis, cũ ille ecclesiæ tribus & viginti annis præfuisset, sacris eo die operatus, quod se languere sentiret, in lectũ se cõposuit, & mox expirauit. Cuicũ Collegium sacerdotum eius ecclesię legitime instituto cõuentu succedere dare vellet, à Rege per Spitconẽ Iaroslauium Palatinũ Russiæ vetitum est: fuitq; sine Episc. ciuitas illa ferme tres annos, donec Andreæ Opporouio Rege petente commendata est à Pontifice, vt inde se tamen sustentaret, qui Varmiensi Episcopa potiri per Nicolaũ Tungenum nõ potuit.

Per idẽ tempus Mahometes Turcarum Imper. quum Radulonem Palatinũ Transalpinæ Valachiæ, quẽ contra Stephanum Moldauum adiuuerat, pulsumq; restituerat, in fidẽ suam recepisset, tributariumq; fecisset, missis in Moldauiã copiis ingentibus, Stephanũ quoq; subigere adortus est: verum is exercitus anni sequentis initio ad 16 calendas Febr. à Stephano Palatino, qui vix quadraginta, vel (vt alii volunt) triginta millia habebat ex omni suorum hominum multitudine coacta, insigni & omni æuo memorabili clade ad Barladum amnẽ & Racouiecciam paludẽ cæsus est. Centũ viginti mil-

Ergastula Vratislauien. plena Polonis & Boemis. Polonia vexatur ab Vngarũ.

Opolienses fusi ad Clobuscum.

Medirecia dedita Vngaris.

Conuentus trium Regũ in campo.

Inducię trium mensiũ inter Reges.

Bauariæ Ducis legatio ad Regẽ Pol. de filia Helduigi in matrimonium.

Premislien. Episcopa vacatio per triennium.

Transalpina Valachia in potestatem Turcæ venit.

Turcæ à Moldauia Palatino cæsi.

lia in eo exercitu fuisse dicuntur: nec prius fugã stitere Turcæ, quã Danubium traiecerunt, insequentibus fugientes Valachis, & vsq; ad lassitudinem trucidantibus, vel in paludẽ ac Danubium impellentibus. Itaq; ex tanto numero pauci euasere: quin & ii, qui viui in hostium potestatem concesserant, Stephano iubẽte omnes præter paucos insigniores trucidati sunt. Bassę quatuor in eo prælio desiderati: signa militaria capta centũ & amplius. Nec tamen & Moldauo incruenta cessit victoria: quin eius acies multitudine hostiũ prægrauata inclinare iã cæperat, nisi ipse inter primos animose pugnans pugnã restituisset. Permagnum aũt cum ad victoriam, tum ad maiorẽ hostiũ stragẽ momentum ipsi attulit, quod omnẽ circumcirca regionem longe lateq; in primo Turcarũ ingressu ipse exusserat. Hinc .n. factum est, vt in magna commeatus & pabuli inopia Turcæ iuxta ac equi ipsorũ debilitarentur. Moderate aũt Stephanus illa sua fortuna vsus est, soli Deo victoriam acceptam referens, ac toto quatriduo deinceps omni, præter panẽ & aquam, cibo abstinens. Ad Casimirum deinde in Lithuaniam, quo is post initiũ anni se contulerat, nuncios cum quatuor primoribus captiuis, XXXVI. militaribus signis, & parte manubiarũ misit: & quoniã non esse quieturũ Mahometẽ facile intelligebat, petiuit, vt Rex cũ exercitu propius iu Russiã accederet, vel solo nominis sui terrore. Turcã repressurus, & fidelitatis iusiurandũ eo vsq; dilatũ à se accepturus. Ad Mahometẽ quoq; ipsum legationẽ cũ donis misit quæstũ, ditiones suas à latrunculis è Turcia profectis infestatas esse, eamq; manũ à se profligatã meritas pœnas sibi dedisse, petebatq;, vt reliquos ex eo numero, qui elapsi essent, ad supplicium sibi dederet: quando quidẽ existimaret, iniussu suo id factũ, quicquid factũ esset. Pontifici quoq; & Vngariæ Regi dona misit, opẽ contra tam potentẽ & communem Christiani nominis hostẽ implorãs. Nec ita multo post aduenit ad Casimirũ Regẽ Isaacus Trapezuntius Husancassani legatus ad suscipiendũ cõtra Mahometẽ bellũ, Regẽ cohortãs: inde vero benigno cũ responso dimissus, ad cæteros Principes Christianos eadẽ de re acturus profectus est. Nõ desiit Stephanus nũciis aliis post alios missis auxilia à Casimiro petere cõtra Mahometẽ, quẽ Adrianopoli ingentẽ belli apparatũ facere ab exploratoribus didicerat. Et suadebant quidẽ Lithuani proceres, vt Rex tã insigne Poloniæ & Lithuaniæ cõtra Turcas propugnaculum Moldauiã summa ope defenderet potius, quã ea amissa de reliquo suo dominatu dimicaret. Nihil tamẽ id Regẽ mouebat: nihil ne Polonici quidẽ Senatus preces ac monita idẽ suadentis, cũ ad 5. diẽ Iulii Lublinũ ad Regem non infrequens conuenisset, & quindecim diebus ea de re consultasset. Vbi Derslaus Rithuianius Palatinus Cracouiensis, & Ioannes frater eius Castellanus Sendomirensis & Mareschalcus regni approbantibus cæteris grauiter in Regem inuecti sunt, quod per ipsius, patrisq;, & fratris negligentiã & conniuentiã Polonorum regnũ, quod ipsi florentissimũ accepissent, nõ solũ ab hostibus, sed etiã ab ingratis sociis, & male fœderatis Lithuanis, quos ipse in potestate haberet, misere afflictũ & accisũ esset. Nihil tamẽ iis clamoribus & hortationibus tunc effectũ aliud, quã vt mitteretur ad Mahometẽ orator Martinus Vurocimouicius dapifer Cracouiẽsis, postulatũ & monitum pro amicitia, quæ inter Polonorũ ac Turcarũ Reges cõstaret, ne ille Moldauiæ, quæ in ditione Regis Poloni esset, bellũ inferre pergeret. Aliter coactũ iri Casimirũ bellũm suis illatũ summa vi propellere, qui nunquã quorũuis Principũ precibus ac cohortationibus adduci se passus esset, vt Turcas bello lacesseret. Si qd Stephanus in Mahometẽ peccasset, cõ-

Moldauii legatio ad Regem Pol. cũ captiuis & parte manubiarum.

Legatio Moldaui ad Turcam cum donis.

Moldauis à Pontifice & Vng. Rege opem petit.

Persica legatio ad Casim. Regem Polon.

Rituaniis in Regem inuecti.

Casimiri Regis legatio ad Mahometem Turc. Imp.

munium consilia iorum arbitrio causam cognosci oportere. Nec defuturum Casimirum, quin subditum Dominus ad satisfaciendum læso adigeret. Cum his mandatis & munere, veste videlicet zobellina, cuius oram margaritæ exornabant, missus legatus, & variis in itinere impedimentis vsus, vix intra vertentem annum ad Mahometem peruenit.

Capha à Turcis capta.

Interea Mahometes septuaginta nauium classe Tauricam Chersonesum missa, Tartaros vero cum equestribus copiis præsto esse iussis, Capham vrbem maritimam munitissimam Genuensium ditionis, celeberrimo emporio nobilem, iuris sui fecit, proditione primorum ciuium Italorum totis quinq; annis instructa. Capta vrbe, Nobilitas cum vxoribus & liberis, ipsisque proditoribus & Mengligere Tauricanorum Tartarorum Principe, ac dnobus fratribus eius, qui siue fortuito tunc eo venerant, siue seruandi sui causa ex agro in vrbem se receperant, Constantinopolim translata: plebs vero dimidia facultatum parte multata, in suis sedibus aliquandiu relicta est, postea tamen & ipsa alio traducta. Moldaui mercatores, legati, & exploratores centum sexaginta omnes trucidati. Vna tamen nauis, quæ centum quinquaginta ephebos Caphensium formosissimos contumeliæ & libidini barbari tyranni destinatos, & prædiuitem supellectilem ex præda coactam ferebat, præfecti, qui erat Græcus, opera à cæteris segregata, ac Turcis viginti quatuor, qui præsidii causa in ea fuere, partim per speciem aquandi emissis, partim interfectis, Kiliam appulsa, in Stephani potestatem.

Tauricanorum Princeps vna cũ fratrib. captus.

dedentibus remigibus venit. Capha & arcibus castelliscq; circumiacentibus potitus Turcicus exercitus, ad Moncastrum siue Bialogrodum nauigauit, eamq; vrbẽ ad ostia Tyræ siue Nestri fl. in Pontũ Euxinum sese exonerantis, adiuuantibus à terra Tartaris expugnauit, aut, vt Dlugossus habet, imminere tantũ ei vrbi cœpit. Stephanus quidem Palatinus per omne id tempus, quamuis haberet exercitũ, tamen imparem se esse hostium viribus sentiens, in montiũ & syluarum latebris sese continuit: munitiones vero, quo distineret hostẽ, præsidiis firmauit. Hæc quũ celeri nuncio scribæ cuiusdam regii, qui ad Mengligerẽ Tartarũ allegatus erat, in Poloniam perlata essent, pauor ingens & trepidatio mentes hominũ inuasit, non secus, ac si ipsa iam Podolia & Russia vastaretur. Consultatumq; est aliquandiu de bello Turcico in comitiis Corcini, ad initiũ Iulii mensis institutis. Verum omnia prius experiri, quã arma capessere, ac tã potentem hostem lacessere, & reditum Vrocimouicii operiri placuit. Spes tamen auxiliorũ Stephano per Stanislaum Vantropcam Palatinum Belzensem, & Andream Borissouium Præpositum Lenczicien sem & Canonicum Cracouiensem legatos regios facta est, exactumq; ab eo nouũ fidelitatis atq; subiectionis iuramentum. Id vero ea de causa potissimũ, quod Vngarus vltro auxilia pollicens, pellicere eum ad se satagebat. Per eos dies quum ingens vis imbrium decidisset, tantum inundauit Vistula, vt Casimiriam & Stradomiam oppida contigua Cracouiæ aqua operiret, & ad altaria templorum pertingeret, pontes abrumperet, hortis, agris, & pomariis magnam calamitatem inucheret. Quod quidem eo portentosius foit, quod toto superiori triennio tanta fuerat siccitas, vt non modo apud Ploscum, sed etiam apud Toruniam vadabilis esset pediti Vistula. Pridie vero calendas Aprilis eiusdem anni centum domus Cracouiæ inter nouam & S. Nicolai portas nocturno incendio conflagrarant. Hoc etiam fere tempore locustarũ vis ingens ex Vngaria, Moraui-

Bialogrodũ expugnatũ vel tentatum.

Comitia Corczini.

Legatio Casimiri Regis ad Moldauum.

A Moldauo nouum iuramentum exactum.

Inundatio Vistulæ.

Cracouiæ incendium.

Locustarũ vis ingens in Polonia & Massouia.

uia, & Silesia aduenions Lenczicien sem oram atq; Masouiã peruagata non modo segetes atq; prata, verum etiam arborũ frondes depasta est, continuatis ad sesquimilliarium in latitudinem, & alterum tantum in longitudinem examinibus, concurrentibus nonnunquam inter se, & solis aspectum densitate sua terræ adimentibus. Vilis tamen eo anno fuit annona in Polonia.

Vilitas annonæ in Polonia.

Casimirus sex septimanis apud Corcinum de Republica consultando exactis, quinque consiliarios de primoribus vtriusque ordinis, & quatuor secretarios Canonicos Cracouien ses misit in Scepusium ad regundos fines cum Vngaris, & controuersias discep tandas ac dirimendas, quo fœdus antiquum inter Vngaros & Polonos per inducia rum tempus redintegraretur, atque adeo induciæ quoque ipsę stabilirentur. Neque enim satisfaciebat conditionibus earum, & pactis conuentis superioris anni Matthias. Verum Vngari Turcici belli excusatione vsi, ad eum conuentum non venere. Dimisso igitur conuentu Corcinen si, legatisque ad Scepusien sem conuentum iterum designatis, Casimirus ad decimum octauum calendas Octobris Cracouiam egressus vna cum Regina, Heduigim filiam natu maximam, quam Georgio Duci Bauarorum Ludouici filio desponderat, Posnaniam deduxit: & adiunctis ei comitibus Calissien si & Lenczicien si Palatinis, ac compluribus aliis splendidis viris & matronis, ad sponsum misit. Dos ei triginta duũm millium aureorum fuit, sed tunc promissa duntaxat, non etiam exsoluta. Aduenienti non modo sponsus cum amicis, verum etiam Fridericus Imperator cum nonnullis principibus Electoribus, & mille equitum comitatu obuiam profectus est. Siradiæ deinde Casimirus Rex Consiliariorum conuentum habuit ad diem D. Martini ea potissimum de causa, vt sibi publice subsidium in dotem filiarum (nam & Sophiam Alberto Marchioni Brandeburgen si desponsarat) & in apparatum nuptialem conferretur. Ac non est quidem negatum, sed reiectum ad arbitrium minorum Polonorum, qui non conuenerant. Ne denuo quidem ij ad diem D. Nicolao sacrum euocati venere, non ignari, quamobrem accersererentur. Ita nil tunc perfectum est de subsidio. Rex, quod reliquum erat anni, partim Pysdris, partim Coli commoratus, cum de Sochaczouien si arce & territorio cum Anna, Vladislai Masouiorum Ducis defuncti vxore, transegisset, sub initium Februarij insequentis anni cum non mediocri procerum & mercenariorum militum comitatu eo contendit, arcemque tradente Anna ditioni suæ subiecit. Atque exinde Sochaczouia in ditione Regis permanet. Vngari vero & Poloni proceres cum apud anti quam villam congressi essent, inducias inter Reges redintegrarunt, cum inter eos conuenisset, vt Matthias Casimiro Smigrodum, Episcopo autem Cracouien si Mussinam redderet: Episcopus vero ne prædones ibi receptaret. Cum Moldauiæ Palatino vterque Rex duorum annorum inducias vt seruaret. Ad vtrum autem Regem Moldauia pertineat, vt alio conuentu inter proceres disceptaretur.

Casim. R. x Heduigim filiam cum splendido comitatu ad sponsum Bau. Ducẽ mittit.

Siradiæ conuentus.

Sochaczouia in ditione Regis Polon.

Inducia inter Vngaros & Polonos.

Ad res deinde Prussicas Rex animum conuertit, permoleste ferens, Nicolaum Tungenum se inuito in Varmien sem episcopam innasisse, & cũ Vngaro ex professo sentire. Videbaturque res ad rebellionem totius Prussiæ spectare, quod & proceres nonnulli Pruteni, & Gedanen ses inprimis Tungeno non obscure fauebant: & vero Magister Cruciferorum cum eo fœdus icerat, & cum legatis Matthiæ clandestina habuisse colloquia ferebatur. Ita Casimirus maturè Sochaczouia profectus duobus cum milli-

Prussici motus.

bus mercenariorum militum Breſtæ, Neſſouiæ, Toruniæque nullo operæ precio tempus triuit, minoris Poloniæ proceres diutius expectans. Interea vanit ad eum Toruniam Vlricus Magiſtri Mareſchalcus & legatus, ſuſpicione Magiſtrum purgans. Ipſe deinde Magiſter Henricus Richtenbergius ad medium menſis Maii Mariæburgum, quo Rex iam ad finem Aprilis venerat, acceſſit: acceptus perhonorifice, procedentibus obuiam ac deducentibus duobus Epiſcopis, aliquot Palatinis, & omni aulico comitatu regio: factaque audientia, denuo ſe Regi purgare inſtituit, & nouum iuſiurandum, ſi poſceretur, obtulit: contra Tungenum conſilio & auxilio ſe Regi non defuturum promiſit. Sed tamen benigne dimiſſus à Rege, quod promiſit, non præſtitit, varias moras & excuſationes nectens. Penultima die menſis Iulii Cracouiæ tectum ædis Diui Franciſci dum miſſa peragitur, fulmine ictum conflagrauit, eodemque ictu imago crucifixi in medio chori edito loco ſita, comminuta eſt, lapides ſiniſtri parietes templi abraſit, aliquot homines afflati: è quibus vnus tantum de ſodalitate Franciſcana mortuus. Res prodigii loco habita. Gliſcebat tunc Gedani ſeditio inter ſenatum & plebem: quam Rex miſſis illuc Iacobo Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Ioanne Rithuianio Mareſchalco ſedauit. Elbingę deinde conuentum Prutenorum contra Tungenum inſtituit: ſed irrita reddiderunt conſilia eius Gedanenſes, & res Valachicæ ac Podolicæ eum in Poloniam reuocabant. Redierat enim à Mahomete Turcarum Imperatore Martinus Vurocimouius, renunciabatque, ad Varnam ſe eum maximis cum copiis in Valachiam euntem offendiſſe, expoſitiſque mandatis regiis, hoc ab eo reſponſum accepiſſe: illum poſtulata Regis facturum fuiſſe, ſi ea ad Adrianopolim in procinctu, ac non iam in expeditione & itinere accepiſſet: Tranſalpinenſium Tartarorumque ſibi vectigalium querelis & precibus excitum, bellum illud ſuſcepiſſe; eis deeſſe non poſſe datum tamen etiam tum pacem Moldauoſi, is tributum ipſi penderet, captiuos remitteret, Kiliam vrbem ad oſtia Danubii ſitam Beſſarabibus reſtitueret. Quas conditiones cum Stephanus Palatinus non acciperet, Mahometem nauibus transmiſſo, & ob dubiam belli fortunam quinque pontibus iuncto Danubio, Moldauiæ infeſta ſigna intuliſſe. Ab alia vero parte Tartaros quoque eam infeſtare: quibus dum obuiam it ſuis cum copiis Stephanus, ſpacium tranſmittendi perocium Danubii Turcis datum eſſe. Hęc fere Vurocimouicius referebat. Conſequebantur autem eum ipſius Stephani nuncii, alii poſt alios auxilium petentes, ac vt de Podolia & Ruſſia Rex eſſet ſolicitus, admonentes. Periculum enim eſſe, ne Turcæ peruaſtata Valachia, in eas oras continuata populatione excurrerent. Quod quidem ita accidit. Percurſata enim omni Moldauia, Soczauia, & Chocimo, aliiſque munitionibus fruſtra tentatis, Podoliæ quoque fines attigerunt, & aliquot vicos ignobiles ac pagos exuſſerunt. His igitur cognitis, Caſimirus Ruſſiam omnem, Podoliam, & Belzenſem tractum arma ſumere, & cum Paulo Iaſenio Theſaurario, & Belzenſi Chelmenſique præfecto ad Moldauię fines ſine vlla mora præſto eſſe iubet: ipſe omiſſa in præſens rerum Pruſſicarum cura, ſororeque Eliſabetha Henrici Pomeranorum Ducis vidua, quæ illis ipſis diebus cum filio Boguslao viſendi ipſius gratia Mariæburgum aduenerat, honorifice dimiſſa, reditum in Poloniam maturauit, & ad medium Auguſti Petricouiam, quo edixerat comitia, acceſſit. Ibi con-

Rex Caſimirus Torunię.

Legatis à Magiſtro Cruciferor. ad Regem Pol.

Magiſter ipſe ad Regē venit, honorifice acceptus.

Magiſtri fides ſuſpecta.

Templum D. Franciſci fulmine ictum deflagrauit.

Gedani ſeditio.

Elbingæ conuentus Prutenorum.

Reſponſum Turcæ legato Regi datum.

Turcæ ac Tartari Moldauiam infeſtant.

Moldauiæ legatio ad Regem Caſimirum.

Turcæ Podoliam vexarunt.

Ruſſorum expeditio in Turcas.

Comitia Petricouia.

conſumptis fruſtra in conſultatione de Republica, ac defendenda ſeu vindicanda Moldauia tribus hebdomadis nil vtile conſtitutum eſt. Neque enim accommodatum eſſe videbatur expeditioni bellicæ anni tempus autumnale: & Ruſſi cum Iaſenio, quum diutius apud Camieneciam & aliis in locis Podoliæ ſtatiua habuiſſent, neque tranſgredi ſine Rege fines regni ad opem ferendam Valachis implorantibus vellent, neque domos iniuſſu regio diſcedere honeſtum putarent: non minoribus damnis omnem eam oram affecerunt, quam ſi hoſtilis exercitus eam peruaſiſſet.

Ruſſi Podoliam diuexant.

Noui deinde conuentus, minorum quidem Polonorum Corcini, maiorum vero Coli ad medium Septembrem inſtituti. Et Corcini quidem Rege pro ipſo poſtulante quaternorum groſſorum tributum agrarium impoſitum: maiores vero Poloni labefactationem iuris publici cauſati ſunt, quod Matthias Moſinius præfecturam maioris Poloniæ, & Palatinarum Caliſſienſem pariter obtineret, tributum id detrectarunt. Caſimirus Corcino Lublinum profectus, ſalutata Regina, quæ Radomia illuc venerat, in Ruſſiam Belzum vſque progreſſus eſt, vt fama aduentus ſui ſuos recrearet, Turcaſque reprimerat. Nec mora, exceſſerunt ii Moldauia, ſiue metu Regis Poloni aduentantis, ſiue peſte pariter & fame afflicti, ſiue quod hyems ingruebat. Non parum vero momenti illud quod que Mahometi ad maturandum reditum attulit, quod claſſem, quę ſupplementu m militum & machinas ad expugnandas munitiones ipſi ſubuehebat, tempeſtate diſiectam amiſit. Medio deinde Octobri Turcæ facta è Boſna excurſione Carniolam, Carinthiam, & Styriæ partem vehementer vaſtarunt, prædamque ingentem ac plurimos mortales captiuos abegerunt.

Conuentus Polonorum. Coli & Corcini.

Turcæ Carinthiam, Garniolam & Styriam vaſtant.

Porro Fridericus Imperator ſuſpicatus, Turcas à Matthia in ditiones ſuas immiſſos eſſe, ſimulque ratus oblatam ſibi occaſionem perduelles ſuos, illius fœderatos, vlciſcendi, delectu ſuorum habito, & quatuor millium Bohemorum auxiliis à Rege Vladiſlao accepis, nil retardatus hyemis aſperitate, munitiones ipſorum perduellium partim vi, partim deditione recepit. In æſtatem vero maius bellum contra Matthiam apparabat: miſſoque ad Caſimirum Regem Raphaele Leſczinio ad ſocietatem belli eum contra communem hoſtem inuitabat. Huic Bohemiæ Rex ſuam & ipſe legationem eadem de re adiunxit: Habebat autem is exploratum de hoſtili Matthiæ contra ſe animo & ſubdolis machinationibus: nimirum quod ille Moldauo abalienandi eius à Polonis cauſa auxilia contra Tranſalpinos miſiſſet: Nicolaum Komorouium Petri patruelem cum Alexandro filio ad ſe accitos de Berualdi, Ziueciæ, & Scflori munitionum Polonicarum deditione ſolicitaſſet. promittens eas, quas ipſi in Vngaria ademerat, ſe redditurum: cum Cruciferis fœdus clandeſtinum pridem inchoatum in nuptiis ſuis confeciſſet, promiſſiſque auxiliis ad violandam pacem & bellum intentandum eos concitaret, atque in eam rem mercenarium militem in Sileſia conſcriberet.

Frid. Imp. bello ſuos perduelles perſequitur.

Legatio Imp. ad Regem.

Vngari hoſtilis animus in Polon.

Vngari fœdus cum Cruciferis.

Hæc igitur cum explorata haberet Caſimirus, ad medium Aprilem anni inſequentis milleſimi quadringenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi comitia Petricouiam Polonis edixit, ipſeque ſubſequentibus Imperatoris & Vladiſlai Bohemiæ Regis oratoribus in tempore adfuit. Re ad Senatum relata,

Ann. Chri. 1477. Comitia Cracouiæ.

relata, placebat quidem auxilia mitti Imperatori: sed quonam id modo fieret, non apparebat, cum inane esset ærarium. Nobilitas vero neque militare gratis vltra regni fines volebat, neque tributum admittebat. Itaque responsum oratoribus, Regem domestici aduersus Turcas ac Tartaros, Cruciferosque atque ipsos etiam Vngaros belli expectatione distentum, nulla in præsens auxilia Imperatori posse mittere. Et quo æquioribus animis id Principes illi acciperent, ad Imperatorem quidem Andreas Opporouius, ad Bohemum vero Ioannes Dreuicius Secretarius regius oratores missi. Ac Bohemo quidem patentria millia aureorum dono missit in subsidium, comparandorum ac Cæsari mittendorum auxiliorum gratia. In Prussiam vero, ac Mariæburgum præsidij causa misit Petrum Duninum Castellanum Siradiensem, & præfectum Lenczicien sem cum sexcentis equitibus, & quadringentis peditibus mercenariis, vt Prutenos in officio continerent, & Cruciferorum impetum sustinerent, si quem facerent in regiam ditionem, tantisper, donec Rex ipse maioribus cum copiis subsequeretur. Nec sane nil actũ est illa præsidii missione in Prussiam. Multorum enim animi sanati sunt, multi adhuc immatura conspiratione à nouis rebus deterriti. Nobilitas quidem Prussica cum ciuitatibus conuentu Mariæburgi ad exitum mensis Iunii acto, sacramento se obligarunt, à Polonis nunquam defecturos. Si quod autem bellum exoriretur, se pro illis arma sumpturos: agrestes quintum quemque expedituros. Ciuitates vero singulæ militum certum numerum promiserunt. Iam verò & ij, qui in ditione Cruciferorum erant, conuentu instituto statuerunt inter se, non sequi eorum temeritatem, si quod bellum Polonis ij inferre vellent. Itaque non commouerunt sese tunc Cruciferi, præsertim quod neque Vngarus quicquam eorum, quæ conuenerant, præstabat. Coegerat is quidem in Silesia quinque millia mercenariorum militum: atque is exercitus, priusquam educeretur quopiam, permagna licentia in socios circumquaque non modo prædis agendis, verum etiam incendiis, stupris, cædibus, & omni genere crudelitatis debacchabatur. Sed ei Bohemus, siue vt sua tueretur, siue vt quo suis Matthiæ conatus impediret, non multo minores copias è Bohemia transmissas opponebat. Quarum aduentum cum non sustineret ille Silesiorum exercitus, in Vngariam sese raptim euoluit, siue vt sibi consuleret, siue quod à Matthia accerseretur. Duxit quidem & Vladislaus ipse exercitum illum suum è Silesia reuocatum in Austriam, ab Imperatore accitus: verum non diu ibi moratus, siue quod satis habebat Cæsar Austriam pacasse, siue quod deerat pecunia in stipendium tanto exercitui: octo enim millia Bohemorum habebat. Accepto igitur Viennæ ab Imperatore solenni ceremonia vexillo, quo se clientem siue vasallum Imperij Romani profitebatur, in Bohemiam omnibus cum copiis suis reuersionem fecit.

Responsum legato Cæsaris datum.

Legationes Regis. Ad Imperatorem. Ad Regem Bohem. In Prussiam cum exercitu legati missi.

Matthiæ Regis exercitus ex Silesia fugatus.

Rex Boem. à Frid. Cæs. inuestitus.

His igitur cognitis Cruciferi quiescebant. Nec parum & illud inquietarunt eorum consilia turbauit, quod Magistrum per id tempus amisere. Ac successerunt quidem defuncto Martinum Truchsessium Commendatorem Osterrodensem, pridie nonas Augusti habitis Regiomonte comitiis: nec abhorrebat is à bello, sed eum Fridericus Imperator minacibus literis deterruit. Sic igitur quietæ fuerunt hoc anno res in Prussia: non item in Polonia. Nouo enim conuẽtu post comitia Petricouiensia Corcini indicto, fremere Proceres & Nobilitas in Regem, nec velle tributum ab eo petitum abscisscere, aut

Mar. Truchsessius Magister Cruciser. Conuentus Corczini. Nobilitatis fremitus in Regem.

Nobilitatis & Ciuitatum Prussiæ studium erga Polonos.

aut omnino ad consilium de Republica accedere, eo quod Rex Derslao Rithuianio Palatino Cracouiensi, post obitum Ioannis Pilecij ad Castellanatum eiusdem vrbis prouecto, Ioannem Rithuianium Castellanum Sendomiriensem & Mareschalcum regni successorem in Palatinatu Cracouiensi dederat contra leges, quibus cauetur, ne vni plures magistratus honoresue mandentur, cum idem Mareschalcus regni esset. Iam vero de Komorouij defectione ad Vngaros constans fama increbrescebat. Et res minime negligenda esse videbatur, quod arces & possessiones eius in faucibus montium Sarmaticorum, qui Poloniam ab Vngaria diuidunt, sitæ, si ab Vngaro occuparentur, faciliorem ipsi aditum in Poloniam patefacturæ, & propter salsarum aquarum abundantiam reditus regios è salinis imminuturæ essent. Inde enim salem Vngaris suppeditari posse, quem hactenus è Polonia petere necesse habebant. Subornati igitur sunt à Rege, qui ægrum Komorouij animum sanarent. Ad extremum Spitco Iaroslauius Russiæ, & Stanislaus Vantropca Belzensis, Palatini, ad eum profecti, persuadere ei conati sunt, vt arces illas cum possessionibus Regi Casimiro traderet, pecunia, qua eas addictas ipse tenebat, accepta: damnorum, quæ se Polonæ Reipublicæ causa accepisse prętexeret, æstimationem bonorum virorum arbitrio permitteret. Quibus rebus cum nil apud eum proficeretur, missus Iacobus Dembenius Palatinus Sendomirien sis, & præfectus Cracouiensis cum tumultuaria manu, arces eas intra quinquagesimum diem expugnauit. Ac Berualdum quidem diruit, Ziueciam incendit, Seflaros vero Marco Ratoldo addictos restituit. Tunc demum Komorouius Cracouiam ad Regem accurrit, facinusque suum purgare, & priorum meritorum commemoratione diluere conatus est. Et eo quidem vsque inflexerat Regis clementiam, vt ipsi alia bona in territorio Chelmensi pro ademptis illis dare vellet: verum ille superbe eam conditionem aspernatus, & in Vngariam profectus, Matthiæ Regis opem implorauit. Ea vero destitutus, in Poloniam rediit, & Crasnostauiense territorium à Casimiro ægre impetrauit. Matthias enim tunc irritatus à Friderico Imperatore, cũ eũ exercitũ dimisisse cognouisset, nequicquam dissuadentibus ac deprecantibus Vngaris, & contra Turcas potius, qui Vngariam tunc populationibus infestabant, ire cohortantibus, in Austriam fecit expeditionem, eamque totam ad fines vsque Bauariæ peruastauit, Friderico Imperatore ad Styriam vrbem se continente, & à Bohemis Poloniſque auxilium frustra petente, iam enim hyems imminebat. Sic igitur cum alio bello occupatus fuisset Matthias, quietiorem præter expectationem eum annum Poloni habuerunt. Stephanus autem Moldauiæ Palatinus vltro sumptis armis Transalpinam infestauit, Radulonem Palatinum eius oræ cepit, eiectisque Turcarum præsidiis vnum de suis purpuratis genti præfecit. Quin & Totrussiense territorium iuris Turcici ferro & flamma vexauit, salinasque fructuosissimas incendit. Sub huius anni principium Gregorius Archiepiscopus Leopolien sis, vir in bonis literis probe versatus, verum libidinosus, cum sanus apud Rohatinum degeret, in cubiculo pronus distensis manibus mortuus repertus est. Post quem duobus annis amplius Leopolis caruit Archiepiscopo. Boleslaus autem Masouiorum Dux Annam vxorem, Pauli Hunouii Palatini quondam Belzensis filiam, exagitatus à fratribus, & proceribus, quod imparem duxisset, eadem leuitate, qua duxerat, repu-

Komorouius ad defectionem spectat.

Salina in faucibus Carpathi.

Bernaldum & Ziuecia destructa.

Matth. Rex Austriam vexat.

Moldaui res gestæ contra Transalpinos & Turcas.

Archiepiscopi Leopolien. mors.

Archiepiscopi vacatio.

Masouiorum Ducum dissensio coniugia.

repudiauit. Quod quidem coniugium longe tamen minus indignitatis habebat, quam fratris eius Conradi, qui prius Cracouia abductam à viro plecali pompa sepulta, alteram non minus obscuram puellam *Alexii* cuiusdam filiam vxorem sibi adsciuit.

Ann. Chri. 1478. Comitia Petricouiæ.

Casimirus Rex amplius quatuor mensibus Cracouiæ præter morem cõmoratus, ad exitum Nouembris inde discedens, Radomiæ reliquum anni tempus, & sequentis principium exegit. Ibi vero Regina cum duobus filiis natu maximis, ac totidem filiabus relicta, Petricouiam, quo ad duodecimam diem Ianuarii comitia edixerat, profectus est. Nec tamen operæprecii quicquam ibi fecit, cum propter tardiorem aduentum & infrequentiam Senatorum, tum quod ne nouus quidem Magister Cruciferorum, quamuis euocatus promisisset, veniebat, vt secundum pacta subiectionis iuramentum Regi præstaret. Quin ad rebellionem plane spectare is ferebatur. Cumque ad depellendum bellum, quod ab Vngaro iuxta ac Cruciferis impendebat, & ad continendos in officio Prutenos sumptu opus esset, & in eum vsum tributum agrarium imperandum esse plerisque omnibus videretur, aliquot temerarii iuuenes de Nobilitate maioris Poloniæ rem infectam reddiderunt. Priuilegium autem ibi tunc Rex edidit, ne cui Sendomirien sem Præfecturam oppignoratam, aut quouis modo obligatam habere liceret. Qui contra faceret, pro hoste publico, & læsæ maiestatis reo haberetur. Id autem Ioannes Rithuianius Palatinus Cracouiensis perfecit, cum ex testamento Derslai fratris Castellani Cracouiensis paulo ante mortui Præfecturam illam à Vladislao tertio Rege illi oppignoratam, gratis Regi reddidisset. Conuentu dimisso, Rex in Prussiam iter suscepit. Lencziciæ Vngariorum procerum legationem secretam, defectionem à Matthia pollicentem, sola Regina arbitra & interprete audiuit. Nec tamen ei quicquam certi respondit, iam antea fidem gentis fluxam ac dubiam expertus. Brestæ deinde in Cuiauia Prutenorum conuentum egit, eoque Magistrum rursus frustra acciuit: cæterum Prutenorum suorum animos confirmauit, Sbigneum Episcopum Vladislauiensem eis gubernatorem dedit, Mariæburgensem Præfecturam à Ioanne Koscielecio in Petrum Duninum Castellanum Siradiensem transtulit. Inde vero profectus, Brestam in Lithuania adiit, ibique conuentu Lithuanorum ad medium Martium mensem instituto, Principatus illius rebus prospexit. Vicarium pro se duobus filiis præsentibus vtrumuis petentibus illis relinquere noluit, quamuis Albertus tacitis lachrymis cupere id se non dissimularet. Venit ad eum illuc Mahometis Turcarum Imperatoris orator cum non contemnendis donis, Tartarorum quoque Principis Nurduuladi legationem secum ducens, amicitiam & societatem petitum amborum nomine, adiiciens: Tartarum Mahometis autoritate eo adductum esse. Quibus responsum: Regem libenter accipere quæ sibi deferrentur, suosque oratores ad vtrumque confirmandi fœderis causa missurum.

Sandomiriensis Præfectura priuilegium.

Vng. processum legatio secreta ad Regem.

Brestia Prutenorum conuentus.

Turcica & Tartarica legatio ad Casim. R. de pace.

Comitia Petricouia. Prutheni denuo iurant Regi Grudentij.

Turcarum ac Tartarorum legatis dimissis, Petricouiam Rex rediit ad comitia denuo ad Pentecosten edicta. Interim Episcopus Vladislauiensis conuentu Prutenorum Grudenti post Pascha designato, nouo eos iu-

os iureiurando, vltro ab eis oblato, Regi & regno obligauit. Ad Magistrum vero quinque legati missi, qui eum fœderis admonerent. Verum ille nil moratus salubria monita, non modo non venit Petricouiam ad comitia, sed etiam bellum contra Regem adornabat, non tam suis viribus fretus, quam Matthiæ, ac nonnullorum Germanorum Principum vanis pollicitationibus, ac spe defectionis quarundam regiarum ciuitatum erectus. Et quo maiorem haberet belli faciendi opportunitatem, Brodniciam & Culmam oppida, & arcem Starigrodum de Ioanne Sonnenbergio Bernhardi defuncti fratre redemit, persolutis stipendiis, quæ Bernhardus bello supetiori meruerat, & Rex iam prior soluere cœperat. Eas igitur munitiones militum præsidiis firmauit, ipse cum exercitu ex agresti fere multitudine conflato, ad Osterrodam aliquandiu castra habuit, ab Vngaro promissa expectans auxilia. Hæc Petricouiam renunciata, fecere, vt sine difficultate & controuersia duodenûm grossorum tributum decerneretur in stipendia mercenariorum militum, per quos tunc in Prussia rem geri placuit. Nec aliud fere quicquam memorabile actum in illis comitiis, nisi quod importatio salis exotici in Poloniam prohibita est, propterea quod apud Pincum in maiori Polonia nouæ salinæ exortæ essent. Ad Matthiam vero missus est Stanislaus Vantropca Palatinus Belzensis postulatum, ne ille rebellium contra regem suum Tungeni & Cruciferorum defensionem susciperet, fœderi, quod antiquitus inter Vngaros & Polonos constitutum, nec ita pridem renouatum intercederet, repugnantem. Ad Pontificem vero Ioannes Goslubius Canonicus Posnanien sis ablegatus est, questum de Balthasare nuncio ipsius, qui Vratislauiæ degens, Vladislao quidem Bohemo vt hæretico, Casimiro autem vt fautori hæreticorum in gratiam Matthiæ sacris interdixerat. Reuersus autem ex Vngaria Palatinus Belzensis Budensi Præposito comite, illud responsum à Matthia Rege retulit, eum fœderatis suis deesse non posse. Sed si Casimirus bello contra Cruciferos abstineret, habere Matthiam vias, quibus Cruciferi ad officium reuocentur, & ipse fœderis iureiurando cum eis sanciti religione soluatur. Hac igitur de causa missi ad eum denuò legati, qui exquirerent, quænam illa essent, quæ Matthias tectius significasset. Ac nihil ii quidem eiusmodi compererunt: pernegabat enim Matthias, se tale quicquam Casimiro renunciari mandasse. Cum autem animaduerterent, magnas copias ab eo comparari, quibus partim Poloniam infestaret, partim Cruciferos adiuuaret, constituerunt cum eo, vt ad initium Februarii mensis Regum vterque consiliarios suos Olomucium omnium controuersiarum finiendarum, pacisque instaurandæ causa mitteret, interea vero vtrinque ab armis discederetur: retineret tamen Rex Casimirus munitiones, quas de Tungeno in Varmiensi ditione cepisset. Verum displicuere vehementer hæc pacta Polonis, iniussu suo conuenta. Iam enim Rex exercitum in Prussiam miserat: atque is Cruciferos quiescentes adhuc lacessere veritus, Varmiensem oram infestabat.

Cruciferi bellum in Polonos renouant.

Tributum Petricouiæ in militum stipendia decretum.

Salinæ Pinsc. in maiori Polonia exortæ.

Legatio ad Matthiam Regem.

Ad Pontificem Rom.

Responsum à Matthia.

Legati denuo ad Vngarum missi. 225

Bellum Prussicum.

Præstorum tamen fuit Tungeno Magister cum aliquantis agrestiũ magis quã militum copiis. Sed Polonis nullam dimicandi moram facientibus, mox in tu-

in tutum se recepit. Quo facto liberius vastata est Varmia: ac ne Sambiensi quidem agro pepercit miles, munitioneſque aliquot de Tungeno receptæ sunt. Adhæc auxiliares Vngari copiæ, quæ sub specie ferendæ opis Ioanni Duci Saganensi contra Albertum Marchionem Brandeburgi, cum per Pomeraniam ad Crucigeros penetrare nitebantur, bis à Marchione profligatę aditu in Prussiam prohibitæ erant. His perculsi Magister & Tungenus de pace cum Episcopo Vladislauiensi & Thesaurario regni Paulo Iasenio, ac Petro Dunino præfecto Mariæburgensi tractare cœperant. Sed statim incepto destiterunt, vbi de ictis inter Reges induciis, quibus ipsi quoque nominatim comprehendebantur, audierunt. Non tamen cessauit regius exercitus à populatione Varmiæ munitionumque oppugnatione.

Tartarorũ excursio in Podoliam.

Per id tempus Tartari domestica egestate penuriaque adacti in Podoliam incursionem facere tentarunt. Sed cum exceptorum per insidias hominum indicio comperissent, adesse Spitconem Iaroslauium Russiæ, & Ioannem Odrouanzum Podoliæ, Palatinos, cum non contemnendo equitatu, discessione simulata in syluis aliquandiu delituere, & mox securis Polonis ad Bratislauiam excurrerunt, oppidum incenderunt: parumq; abfuit, quin & arce potirentur: sed repulsi tamen, magna cum præda sese receperunt. Per omne autem id tempus post solutum conuentum Petricouiensem Casimirus cum vxore partim Radomiæ, partim Sendomiriæ, partim Corcini & Cracouiæ commoratus est. Insequentis demum anni die Ianuarij duodecima Petricouiam rursus ad comitia iuit. Illuc venit ad eum legatus Matthiæ Regis Iaroslaus Czarnohorius, postulans, vt conuentum de pace renouanda ad initium Februarij Olomucium conductum, ad Maium differret, ad eumque ipse veniret. Fore id ex re ipsius pariter & Vladislai filii, minoreque negotio res Prussicas componi posse. Quod si tempus illud locusque ipsi non placeret, mutaret arbitratu suo. Sed bellum tamen Prussicum interim intermitteret. Quod quidem identidem repetitis legationibus Matthias vrgebat. Iam enim receptis cæteris munitionibus Heilsbergam primariam Episcopi arcem munitam Poloni obsidebant: Tungenus vero rebus diffisus suis, ad Magistrum in Sambiam profugerat. Grata fuit hæc legatio Casimiro. Itaque licet Tungenum propediem debellatum iri speraret, nec sibi expedire videret aliquid laxamenti ei concedere, iussit tamen exercitum suum ab Heilsbergæ obsidione discedere, & omni bello abstinere. Ad Matthiam vero tres legatos, Raphaelem Iaroslauium Mareschalcum, Paulum Iasenium regni Thesaurarium, & Andream Rosam Præpositum Lenczicienſem summa cum potestate misit, vt de conuentu cum illo constituerent, & spem ipsi facerent, facile & Magistrum veniam, & Tungenum aliam episcopam, duasue pro vna impetraturum, si pax coiret. Decesserat enim paulo ante de vita Vincentius Episcopus Culmensis, quem Andreas Bninius Posnanienſis, & Paulus Grabouius Chelmensis prope continuatis funeribus secuti sunt. Ac de Posnanienſi quidem fuere competitores Vriel Gorcanus, Gnesnensis & Posnanienſis Præpositus, & Cancellarius regni, cui collegium Posnanienſe administrationem episcopę vacantis commiserat, & Stanislaus Kurosuancius Procancellarius. Sed Iacobo Archiepiscopo interueniente Collegium Posnanienſe regiam authoritatem in eligendo Vriele secutum est, qui etiam promis-

Comitia Petricouiæ. Ann. Chri. 1479.

Legatio Matthiæ Regis.

Tungenus res aduersæ in Prussia.

Regis legatio ad Matthiam Vng. Regem.

Episcoporũ mortes & successiones.

promissum Regis aliquanto ante habuisse dicitur. Reliquæ aliquandiu sine Episcopis fuere. Obtulerat igitur sese occasio transigendi de Varmiensi Episcopa. Cum his mandatis profecti oratores regii, multis cum Matthia Rege & consiliariis eius colloquiis habitis, tandem decreuerunt, vt ad Pentecosten Matthias duos Episcopos, ac totidem alios proceres Siradiam ad conuentum cum Polonis habendum mitteret: Magister vero Crucigerorum, & Nicolaus Tungenus ipsi adessent, & communi Vngarorum ac Polonorum placito Casimiro reconciliarentur. Exoptabant enim & Vngari pacem, quo facilius assiduas Turcarum incursiones inhibere possent: nec deerat suadendo & orando Gabriel Cardinalis legatus pontificius, Italicarum rerum & pontificiarum partium iuuandarum studio. Atdebat enim tunc intestino bello Italia, scissa in duas factiones: quarum in altera erant, Sixtus Pontifex, Ferdinandus Rex Siciliæ & Neapolis, & Respublica Senensium: in altera vero Veneti, Florentini, & Mediolanensium Dux, quæ Regem quoque Gallorum in suas partes pellexerat, & quinquaginta fere castella Pontifici ademerat: tantoque odio inflammata, in id bellum incumbebat, vt Veneti, ne Turcico bello implicareniur, pacem à Turcis redimerent, Scutara siue Scodra vrbe Epiri, in qua defendenda permultum pecuniæ sanguinisque profuderant, eis tradita. Quo vero debilior erat altera factio, hoc ardentius Matthiæ opem expetebat. Eius igitur belli intuitu Matthias ad pacem cum Casimiro faciendam propensior tunc esse videbatur. Interea Casimirus peractis comitiis, Sophiam filiam, quam Friderico Marchioni Brandeburgensi nuptum dederat, Francofordiam ad Oderam splendido sexcentorum equitum comitatu & apparatu ad sponsum transmisit: ipse nouis conuentibus maiorum & minorum Polonorum separatim institutis, duodenûm grossorum tributum impetrauit: Radomiamq; ad Reginam profectus, vsque ad Pentecosten ibi mansit. Inde Petricouiam rediit, Siradiamq; nonnullos consiliarios misit: vbi Magister quoq; Cruciferorum, & Nicolaus Tungenus, ac regiæ Prussiæ Senatores adfuere. Sed cum ad vicesimam diem nequicquam Vngaros expectassent, Petricouiam ad Regem venerunt. Ac Tungenus quidem ad pedes Regis prostratus, veniam impetrauit, permissusque habere Varmiensem episcopam, cum Rege ipse pariter, &, quæ præsens aderat, legatio collegii eiusdem ecclesiæ pacto sempiterno constituit, vt omnes deinde Episcopi, Prælati, & Canonici illius basilicæ intra certum tempus, posteaquam electi, aut in collegium id cooptati fuerint, conceptis verbis fidem suam Regi Poloniæ obstringant, & præsto sint ipsi, quoties necessitas flagitarit contra Cruciferos: Aduocatus quoq; episcopalis vt & ipse Regi fidelitatis iuramẽtum præstet: nec præficiatur quisquam ei muneri, nisi Regis Poloniæ, & ecclesiæ eiusdem subditus. Cæteri vero homines, qui sunt in ditione Episcopi & collegii, decimo quoq; anno idem faciant: prouocationem ad Regem vt habeant: collegium vt non nisi gratum Regi Episcopum sibi deligat. Quod tamen ita postea mutatum, vt Rex quatuor de collegio illo indigenas Prutenos idoneos ederet, de quibus collegium, quem vellet, Episcopum eligeret. Nec multo post ipse Tungenus cum toto collegio in arce Mariæburgensi, quemadmodũ conuentum fuerat, promissum impleuit. Magister vero vanis Matthiæ promissis, clandestinisq; literis ac nunciis lactatus, difficiliorem se præbebat, affirmans, curem sibi detrahi se passurum prius, quam

Italici motus.

Veneti pacẽ à Turcis redimunt.

Sophia Regis Casim. filia Frid. March. Brandeb. nupta.

Tungenus in gratiam à Rege recipitur.

Varmien. Ecclesia pacta cum Rege Poloniæ.

inverba Regis Poloniæ iuraturum. Confirmabat autem eum Matthiæ legatio, quæ ad Casimirum venerat, de suspendendo in aliud tempus conuentu Siradiensi, & induciis cum Magistro ac Tungeno extendendis postulans.

Matthiæ & Vladislai Regum conuentus Olomucii.

Pendebat enim tunc Matthias ex euentu eius conuentus, quem cum Vladislao Bohemorum Rege apud Olomucium de pace instituebat: eoque conuentu se distentum præ se ferens prorogationem conuentus Siradiensis, & inducierum à Casimiro petebat. Nec sane difficilem hic se in eo, quod postulabat ille, præbuit: missisque ad eum Paulo Iasenio Sendomirien si, & Ioanne Baiseno Elbingensi, Castellanis, ad diem D. Bartholomæo sacram

Conuentus & inducie prorogata.

conuentum distulit, & inducias prorogauit: ipse interim Radomiam, vbi Regina erat cum liberis, secessit, Magistro relicto Petricouiæ. Ibi enim dilatum conuentum expectare ipsi visum est, non auso ad suos in Prussiam pace infecta reuerti.

Pax inter Vng. & Bœmiæ Reges.

Interea pax inter Vngarum & Bohemum præsentes Olomucii coiuit, cuius hæ fuerunt conditiones potissimæ: Vt vterque Regis Bohemiæ titulum vsurparet: Bohemiæ totius ius & administratio cum iure eligendi Cæsaris penes Vladislaum: Silesia vero, Morauia, & Lusatia penes Matthiam, quoad viueret, esset. Post mortem autem eius, si Bohemus prouincias illas à se abalienatas recuperare vellet, quadringenta millia aureorum Vngaricorum Regi & regno Vngariæ, & si quid præterea in redimenda bona oppignorata impensum esset, persolueret. Si tamen Bohemi eundem sibi cum Vngaris Regem crearent, nihil vtroque nomine solueretur. Pace autem facta, cum nihilo magis appareret in Polonia Matthiæ legato, Ma-

Matth. Regis legatio ad Casim. Regem.

gister cum suis Regem Corczinum, quo se contulerat, secutus est. Eo tandem sub initium Octobris à Matthia legati ad fuerunt, Regemque suum excusarunt, quod bello Turcico occupatus Siradiam consiliarios suos ad statum diem non misisset. Satagebant autem ii magnopere Magistro Regem Poloniæ reconciliare, renitentem admodum, quod se in verba Regis Poloniæ nunquam iuraturum, Deo & homini (Matthiam innuens) fidem dedisse diceret. Proferebat autem non pauca, quibus à Casimiro læsum se esse præ se ferebat. Quæ cum omnia confutata essent, oratores Vngari eum à pertinacia reuocabant, denunciabantque aperte: non oportere eum deinceps vllam rerum suarum spem in Matthia Rege collocare: barbarico bello illum distineri, neque commissurum, vt iniustam causam tueretur. Iam vero sui quoque eum obtestabantur, ne se & ipsos iret perditum, ac ne minis quidem abstinebant. His igitur non tam flexus, quam fractus, decessit tandem de pertinacia, & nona die Octobris

Magister Crucif. Truchsessius iurat Regi Pol.

pacem cum Polonis instaurauit, & in arce Corczinensi homagium Regi solenni more præstitit, præeunte verba Ioanne Cracouiensi Episcopo. Idem fecere, qui cum eo venerant, primores Cruciferorum, & cum his sex alii de Nobilitate, ac tres consules Regiomontani. De cæteris vero omnium ordinum, qui tunc aberant, promissum, quod & ipsi ad eundem modum iuraturi essent legatis regiis præsentibus. Iurarunt & regii consiliarii, qui recens in Senatum allecti erant, se fœdus initum seruaturos. De

Transactio Regis Pol. cum Magistro.

Brodnicia vero, Culma, & Starigrodo à Magistro interuersis conuenit, vt eas munitiones ad diem D. Martini redderet, octo millibus florenorum ab eo acceptis: de damnis eo bello, quod cum Nicolao Tungeno gestum est, Magistro & Ordini datis, quaterni à Rege Magistroque, & nonus ab ambobus

bobus communiter, delecti arbitrarentur: soluitque eo nomine postea Rex Magistro mille quingentos aureos Vngaricos. Porro de literis fœderis inter Vngarum & Magistrum icti placuit, vt vtrinque ad diem postridie calendas Februarii ad Rodolphum Episcopum Vratislauiensem transmitterentur, & ab eo præsente Ioanne Lasocio Scholastico Gnesnensi, scriba & nuncio regio, neminî lectæ concerperentur. Nam cum Matthia quoque & Vngaris pax conuenerat.

Pax inter Vng. & Pol. Reges.

His ita transactis, magna omnium lætitia Vngari oratores & Magister honorifice à Rege accepti, ac donati, domum discessere. Nec ita multo post Rex in Lithuaniam cum Regina & liberis festinauit, Ioanni Episcopo, Iacobo Dembouo Castellano & præfecto Cracouiensi, & Paulo Iasenio Castellano Sendomirien si commissa cura transigendi cum mercenariis militibus, qui ob non exsoluta Prussica stipendia passim, & maxime in ec-

Militum grassatio ob non soluta stipendia.

clesiastica bona hostiliter grassabantur, à nullo scelere & flagitio sibi temperantes. Is enim tunc erat Lithuanicarum rerum status, vt Regis præsentiam vehementer requireret. Nam Ioannes Moscorum Dux, subacto Nouogrodo magno & compluribus arcibus atque castellis finitimæ Russiæ Albæ, quæ magno Lithuanorum Duci parebat, in potestatem suam redactis, vehementer reliquæ Russiæ & Lithuaniæ imminebat. Amplum quidem is Principatum à maioribus suis acceperat: verum Tartaris, qui trans

Mosc. Dux Nouogrodii & bonam Russiæ Albæ partem subegit.

Volgam fluuium incolunt, obnoxium atque tributarium vsque adeo, vt legatis Tartaricis, atq; etiam veredariis tributum petentibus, vel alia quæuis de causa venientibus, cum equis veherentur, Dux ipse pedester obuiam prodiret, & lactis equini, (qui potus est Tartaris gratissimus) poculum venerabundus porrigeret: si qua gutta inde in iubam equi destillasset, eã lamberet: interpreti legenti literas Tartari Principis selectam vestem Zobellinam substerneret: ipse cum proceribus eas legi auditurus genua flecteret: nec vllum tyranni imperium detrectaret, etiamsi bellum contra Christianos, fœderatos, ac necessarios suscipere iussus esset. Hanc tam duram seruitutem Ioannes vir animosus & acer cum ferre non potuisset, vxore Græca magis etiam hominem instigante, sumptis armis excusserat: finitimos etiam

Mosci Tartarorum tributarii.

Equini lactis vsus apud Tartaros.

Russorum Principes consanguineos suo, astu magis, quam armis subiugarat: Nouogrodum magnum, ciuitatem opulentissimam & amplissimam, ac totius septentrionis emporio celebertimam, quæ Alexandri Vitoldi armis adacta, centum millia aureorum nummûm, siue, vt Dlugossus testis est, ciclorum, quos rublos vulgo vocant, magno Lithuanorum Duci quotannis ad illud tempus pendere erat solita, Lithuanorũ ope destitutam oppugnarat, & in ditionem acceperat: trecentos ciuiũ primores interfecerat, eorumque facultates omnes abstulerat: reliquis vero ciuibus tertia modo facultatum parte relicta, quicquid erat reliquum, ademerat: deniq; Archiepiscopi

Ioan. Moscou. Ducis res gestæ.

Russi duces finitimi à Moscis subacti.

Nouogrodii Magno Lituaniæ Ducitributarii.

A Mosco captum.

æratium auro, gemmis, & omni genere opum per multos annos congestarũ refertissimum spoliarat, solumq; aurum, argentum, gemmas, atq; vniones trecentis curribus asportarat: nam qui reliquam supellectilem portabant currus, fuerunt innumerabiles. Inde igitur auctus opibus & animis Moscus, totas prouincias Lithuanis, dum Casimirus Polonicis rebus diuersa parte orbis terrarum implicatur, ademerat, omnemque adeo Russiam & Lithuaniam animo complexus erat. His igitur malis occursurus Casimirus, in Lithuaniam profectus, ibique tunc solito diutius commoratus est. Et

Nouogrodensis prædamagnitudo.

quam-

quamuis Lithuani proceres bello repetere amissa optimum factu esse censerent, maluit ille tamen quietis consiliis cum feroci Mosco rem componere, quod cum tanta accessione diuitiarum atque prouinciarum numerosis & bellandi assiduitate exercitatis copiis abundare, suos vero longa desuetudine armorum imbelles & effœminatos esse diceret: mercenario milite contra tam potentem hostem bellum geri oportere, cuius è Polonia & vicinis gentibus tam celeriter educendi sibi copiæ non esset. Itaq; aliquot annorum inducias cum eo pactus est. Per id etiam tempus autumni Vngari duce Stephano Bathoreo ex Turcis, quorum erant centum millia, insignem & omni æuo memorabilem victoriam reportarunt.

Inducia aliquot annorum Lithuan. cum Mosciis.

Turca victi ab Vngaris.

Ann. Chr. 1480.

Hoc vero anno, & consequentibus aliquot Casimirus Rex iam grandæuus, cum vxore & liberis in Lithuania venationibus vacans annos aliquot consumpsit, neq; memoratu dignum quicquam tunc in Polonia, pace vndiquaque stabilita, accidit, præter quod Iohannes Dlugossus Canonicus Cracouiensis, non multo ante designatus Archiepiscopus Leopoliensis, viuere pariter & annales Polonicos scribere desiit: vir nobilis, virtute, & constantia summa, eruditione & facundia, (vt illis temporibus) non vulgari, & industria ac dexteritate in rebus gerendis singulari præditus. Quas ob res, quamuis Casimirum Regem Sbignei, ac deinde rursus Iacobi Sieneniorum ornamentis impensius fauendo grauiter offendisset, ita vt sacerdotiorum reditibus spoliaretur, Cracouia à præfecti apparitoribus contumelioseeiiceretur, proscriptusque de vita periclitaretur: postea tamen idem Rex plurimum eius opera in obeundis legationibus maximi momenti, & in erudiendis liberis vsus est. Vnde ditatus insignia reliquit beneficentiæ suæ pietatisque monumenta. Anno dehinc tertio ad medium mensis Iunii pestis atrox ex Vngaria proserpens Cracouiam, omnemque Poloniam minorem inuasit. Sequenti vero anno maiorem quoque Poloniam, Masouiam, Prussiam, ac Bohemiam quoque peruasit, & plurimos absumpsit: interquos insignis fuit Simon Lipnicienſis, ecclesiastes disertus, Bernhardiniani sodalitii, homo obscuro quidem loco natus, sed probitate & sanctimonia vitæ ita clarus, vt ægroti complures ad sepulchrum eius pristinæ sanitati restituti memorentur. Quod quidem de Casimiro quoque Casimiri Regis filio, non modo constanti fama, sed etiam certis grauibusque testimoniis affirmatur: qui Simonem hunc intra vertentem annum consecutus est, apud Vilnam tabe consumptus, & in basilica eius vrbis à patre solenni pompa sepultus, & ipse sanctitatis opinione clarus. Fertur autē is tam caste & continenter vixisse, vt medicis concubitum suadentibus, si sanus esse vellet, mortem oppetere; quam pietatis Christianæ legem transgredi maluerit.

Ioan. Dlugossus Historicus Pol. obiit.

Ann. Chr. 1482. Pestis in Polonia minore.

Ann. Chr. 1483. Pestis in maio. Polonia, Prussia ac Massouia.

Casimiri Principis mors & virtus.

Creuerat interim in Polonia licentia hominum & audacia, cœperantque nonnulli nobiliores etiam rapto viuere. In quibus Christophorus Szaffranecius facta perditorum hominum manu è Piescouascala arce vias publicas infestabat, mercatoresque Cracouienses complures opulentos Lublinum ad nundinas proficiscentes diripuerat & trucidarat. Hac igitur de causa proscriptus, & cum proscriptionem contemneret, circumuentus & captus, Cracouiæ iussu regio capitali pœna affectus est. Ita pacatiores tunc factæ sunt viæ. In Russiam deinde Rex iter fecit, vt à Stephano Moldauiæ Palatino pridem promissum, ac diu dilatum

Latrocinia in Polonia. Christophorus Szaffranecius ob latrocinium decollatur.

Rex in Russiam abiit.

tum fidelitatis iuramentum ritu solenni acciperet. Itaque sub initium autumni anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo quinto Leopolim Rex contendit, eoque Russica & Podolica Nobilitas omnis euocata ipsi præsto fuit. Permulti etiam de Polonis & Lithuanis voluntarii ad eum confluxere, equis armisq; bene instructi, ita vt viginti millium equitum bello aptorum comitatus ille numerum expleret. Cum eo porro Nestro seu Tyra amne apud Haliciam transmisso Colomeiam ad statutum cum Stephano diem profectus, ac in late patenti campo castra metatus est. Nec multo post Stephanus quoq; insigni cum procerum equitumque caterua affuit. Peruicerat autem is, ne in propatulo ea ceremonia fieret. Proinde sublime solium in tentorio regio præparatum erat: in eo Rex ornatu regio sedebat, adstantibus Senatoribus. Stephanus vbi appropinquauit equo præstanti vectus, solus exclusis omnibus receptus est in medium ab equitatu regio cingente tentorium: desilienſque à primoribus tegii consilii obuiam euntibus ad Regem introductus est, vexillum signe terræ Moldauiæ exornatum manu tenens: & adorato, vt mos est gentis, Rege, vexilloque ad pedes sedentis abiecto in genua procidit. Interea solutis ex composito funiculis, qui tentorium sustinebant, detectoq; tabernaculo, quæ fiebant intus, cunctis longe lateque patuere. Ibi tunc Stephanus nihil ea re motus, solenni ceremonia conceptis verbis iuramentum fecit, se cum vniuersa Moldauia in fide & clientela Casimiri & successorum eius Regum Poloniæ semper fore, nec alium quemquam præter ipsum dominum agniturum: contra quosuis hostes auxilia ipsi missurum: nullum cum quoquam fœdus contra ipsum initurum, neque hostile quicquam in eum & Polonos machinaturum: præmoniturum etiam si quem moliri quicquam eiusmodi præsenserit: pacem denique bellumque cum nemine iniussu Regis facturum esse. Subleuatus deinde à Rege, & ad osculum admotus, mensæque adhibitus cum tredecim suæ gentis primoribus, & perhumane acceptus: denique Xeniis ornatus, in Moldauiam remeauit, tribus millibus equitum auxiliariorum ex omni numero delectorum à Rege acceptis: quibus præfuit Ioannes Karnkouius cognomento Polacus, quod cognomen peregre, cum in castris Sigismundi Imperatoris militaret, de patriæ nomine adeptus est. His autem auxiliis fretus Stephanus, particularibus certaminibus Turcas vehementer exercuit, & sæpe non sine strage fudit fugauitque, Moldauis animose in eos procurrentibus, & cum premerentur, ad Polonorum signa agmenque extremum sese recipientibus, & cum iis pariter hostem ferocius in se inuehentem reprimentibus. Ita retinuit tamen Principatum Stephanus, quamuis mutilum.

An. Ch. 1485.

Stephanus Palatinus Mold. iurat in verba Casim. Regis Polon.

Rex confectis rebus Valachicis in Poloniam rediit, & Cracouiæ aliquandiu quietus, & quasi vacatione ætatis vtens mansit: Frideticum filium natu minimum ad Episcopam Cracouiensem secundum Ioannem Ressouium tunc mortuum euexit (quod quidem anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo octauo factum.) Bellum autem Tartaricum per Ioannem Albertum filium gessit. Vexabant ii crebris incursionibus, magnisque incommodis afficiebant Russiam atque Podoliam, semperque miserabilem rerum omnium faciem recedentes relinquebant. Quibus tandem excitus Casimirus, quum celeri nuncio didicisset, Podoliæ ac Russiæ Tartaros imminere: Ioannem Albertum filium cum expeditis copiis au-

Fridericus filius Regis Episcopus Cracouien.

An. Ch. 1488. Tartarorū excursiones in Podoliū & Russiam. Io. Ab. filius

Cãsim. Regis contra Tartaros. An Ch. 1489.

lici comitatus contra eos misit: ac Russicæ & Podolicæ Nobilitati, vt cum eo se coniungeret, imperauit. Iam Tartari bipartito agmine cum duobus ducibus reuertebantur: quod dum accepisset Albertus, primum agmen, quod præcedebat, & quindecim millibus equitum constabat, magno animo adortus profligauit, prædam & captiuos recuperauit, exuuiisque hostium cumulauit. Ad cæteros deinde, qui insequebantur, contendit, & in

Tartari à Polonis vicisi duce Io. Alberto.

inopinatos impetu derepente facto quasi in pecudum cæde ad lassitudinem vsq; versati sunt. Dux quoque hostium alter correptis armis tentatoque nequicquam cum paucis inordinatis marte cecidit. Decem millia equitum in hoc agmine fuisse Vapouius prodidit, & ex eo numero paucos euasisse. Tunc autem Ioannes Albertus re bene gesta victor ad patrem reuertit, ex eo clarus charusque cunctis haberi cœptus, militibus & captiuis reducibus virtutem, dexteritatem, & prudentiam eius prædicantibus. Quæres magno ipsi post adiumento fuit ad regnum Vngaricum adipiscendum, nisi fortuna nouerca in medio cursu eum destituisset.

Casimiri R. fœdus cũ Baiazete Tur. Imperat. per Nicol. Firleium.

Hoc ipso anno Casimirus Rex fœdus icit cum Baiazete Turcarum Imperatore per Nicolaum Firleium, qui postea Castellanus Cracouiensis, & dux exercitus Polonici fuit, hac lege, ne quid alter alterius deditionibus incommodaret. Cum Vladislao quoque filio Bohemorum Rege denuo

Polonis & Boemis Regum societas contra Vngarum.

societatem contra Mattham Vngarum iniit. Erat enim Matthias quietis impatiens, & cum multa de Vladislao partim bello, partim iniquo fœdere quæsiuisset, plura tamen indies appatebat, Ducesque Silesios Ioannem Saganensem, & Henricum Munsterbergensem durissimis pactis ad dendas sibi munitiones Sa anum, Sprottauiam, Kozuchouiam siue Freistadiam Strebusium, Grunbergam, Vartebergam, & Francosteinum adegerat: contra Fridericum Imperatorem, cui Vladislaus cliens Imperii recte

Austriam Matthias infestat.

dee esse non poterat, bellum reparabat: Austriam infestabat, & multas eius munitiones in potestatem suam redigebat: quin Bohemię quoque imminere videbatur, & in Vladislai caput Bohemos quosdam sicarios comparasse dicebatur. Vladislaus igitur omnia domi foriſque suspecta habens, cum se Matthiæ viribis imparem esse, Fridericum vero Imperatorem non modo nil opis adferre sibi posse, verum etiam ope sua indigere cerneret, ad patris arma recurrendum sibi putauit. Nec ille abnuit societatem, cum filii, tum sua ipsius causa. Sed insequenti anno Matthias omnes eos periculo & metu liberauit. Erinculit is quidem bellum Austriaci, exercitum Friderici Imperatoris fudit, munitiones Austriæ pleraſque, & in his ipsam metropolim Viennam suæ potestatis fecit. Nouamque ciuitatem obsidione cinxit. Verum dum ea obsidetur, ipse Viennæ apoplexia

Viennam capit. Matthias Regum mors.

suffocatus est. Funus eius raptim, & minime regali pompa Albam regiam, vbi Regum Vngariæ sepultura, ab Vngaris elatum. Quo cognito Maximilianus Friderici Imperatoris filius, quem paulo ante pater Principibus Electoribus assentientibus Regem Romanorum appellarat, & Aquisgrani coronaras, cum exercitu aduolans, Viennam, & omnem

Vienna & Austria recuperat à Maximiliano.

Austriam imperio suo subiecit, & patri reddidit: nigram legionem, reliquias Matthiæ exercitus fudit ac dissipauit: mox Tirolensem Comitatum, qui à Venetis infestabatur, donatione Sigismundi patrui sibi adiunxit.

Mors

Mors Matthiæ Regis, noui, sed non diuturni, nec atrocis belli inter Vngaros & Polonos causa fuit: quod quidem ex intestino Vngarorum procerum inter se dissidio coortum est. Pars namque ad Ioannem Albertum Casimiri filium regnum detulit, pars ad fratrem eius Vladislaum Bohemorum Regem: qui accitus à suis fautoribus celeriter cum tumultuariis Bohemorum copiis adfuit, & Budam caput regni fauore Beatricis

Vngarorum dissidium in creando Rege.

Reginæ, spe noui matrimonii illectæ, pulso Hanselico defuncti Matthiæ filio notho, occupauit. Id cum didicisset Ioannes Albertus, accepto à patre exercitu, in quo duodecim millia hominum mercede conductorum fuisse censebatur, sub signis in Vngariam ingressus est: Sobinouiam,

In Alb. cum exercitu in Vngariam it.

Eperiassum, & alia quædam oppida, quæ ipsi Budam eunti inimice occurrebant, deditione occupauit. Cassouia vero vrbs & arte munita, & valido aduersariorum præsidio munitior, & commeatu bene instructa venienti portas clausit. Itaque ea obsidione premi, & machinalibus è

Bellum inter fratres Polonos.

Polonia aduectis oppugnari cœpta est, sed irrito conatu. Ab extrema æstate in mediam hyemem extracta obsidio. Interim tentata pax inter fratres à Ioanne Varadinensi, eodemque Olomucensi Episcopo, qui ea

Cassouia à Io. Alb. obsessa.

de re in Poloniam ad Casimirum, ex quo Ioannes Albertus dependebat, excurrit, sed nihil obtinuit. Vladislaus vero, cum primores Vngaros plerosque omnes opera & largitione Beatricis, quæ thesaurum regium in potestate sua habebat, ad se pellexisset, exercitum ad inhibendos fratris conatus misit. Cum autem in propinquo essent duo exercitus,

Inducia ad certum tempus.

cœptum ab Vngaris de pace agi, nolentibus regnum dubiæ martis aleæ committere. Constitutæ ad certum tempus induciæ, per quas illi Vladislaum, Ioannes Albertus vero patrem consuleret, ac de conditionibus pacis inter dissidentes conueniret. Interea Ioannes Albertus soluta obsidione Eperiassum se recepit, & Vngari diuersi abiere.

Seuerien Ducem defectio ad Moscum.

Erat Casimirus tunc in Lithuania, ad repetenda bello sua, quæ Mosci interuerterant, sese comparans. Etenim post Moscum defecerant re offensi non magna: nempe quod cum Vilnam venissent, ad Regem quodam tempore intromissi non sunt. Cumque alter illorum importunius vrgeret, ac digitum foribus paululum adapertis inseruisset, ianitor eum attractis vehementius foribus pressit, & confregit. Et luit quidem capite

Belli Mosci ci causa.

pœnam ianitor, non fuit tamen eo satiata ira principum: quin ii recta ad Moscum profecti, eius imperio se suaque omnia subiecerunt. Hæc igitur Casimiro Moscici belli causa fuit. Et tamen maiore euehendi filii, quam recuperandi amissa studio incensus, ira etiam in alteram filium, velut nimio plus cupidum, & in se ingratum stimulaete, pacem Ioanni Alberto dissuasit, ac continuare eum cœptum bellum iussit, ad futurum se ipsi cum validis suorum copiis ac Tartarorum auxiliis, cum primum res Lithuanicas composuisset, pollicens. Valde erant diminutæ Ioannis Alberti copiæ, plurimis militibus ad mentionem pacis, & quod per inducias angustore annona & pabulo vtebantur, dilapsis: & tamen ei patris autoritate *An. Ch.*

sequuto inchoatum bellum prosequi in hostico placuit. Induciarum tem- *1491.*

pore circumacto, cum primum per tempus anni sequentis potuit, proxima quæque is populabundus vexabat & vastabat, donec Vladislaus querelis suorum, quorum agri spoliabantur, motus, octodecim peditum millia pariter & equitum ex Vngaris atque Bohemis conflauit. Vix quatuor millia

bellatorum Ioannes Albertus habebat, dilapsis cæteris: nihil tamen territus hostilis exercitus aduentantis magnitudine, ad pugnandum cohortatus suos, in aciem eos eduxit: datoque vtrinque signo pugnæ, ad manus ventum. Strenue se gerebant Alberti milites, primosque hostium loco mouerant, sed prægrauante multitudine repressi, multis fortibus vitis amissis cessere tandem. Dux ipse cum frustra aliquandiu redintegrare pugnam conatus esset, duobus equis in ardore prælii amissis, tertio quoque grauiter sub ventrem sauciato, vix tandem Eperiassum euasit. Parum autem abfuit, quin à duobus Bohemis insequentibus caperetur, quum facto gladio, quo se tueretur, non haberet: ni Krupscius eques Polonus accurrens, suum ipsi gladium porrexisset, quo quidem ille vtrumque hostem transfixit. Vladislaus de euentu pugnæ certior factus, magis de salute fratris lætari, quam de victoria, missisque ad eum legatis, pacem cum eo fecit his conditionibus, vt Vngariam deinceps missam faceret: Vngaris, qui in verba ipsius iurassent, iusiurandum remitteret: acciperet autem in Silesia certa oppida, quæ omnia ditione teneret vna cum liberis suis, si quos habiturus esset, maribus, tantisper, quoad Rex factus non esset. Quod si Vladislaus nullis relictis liberis decederet, Ioannes Albertus post eum regnaret apud Vngaros. Nemini autem fraudi esset, cum eo contra Vladislaum sensisse: adhæc, vt iis, qui Matthiæ tempore exulassent, liber ad suos pateret reditus. Denique captiui vtrinque vt redderentur, itemque munitiones captæ. Hæc ita tunc inter fratres conuenta, conscripta, ac Vladislai Regis & quindecim procerum Vngarorum signis consignata sunt. Quibus peractis, in Poloniam se Ioannes Albertus recepit. Vladislaus autem, antequam dimitteret exercitum, Hanselicum quoque cum non contemnendis Valachorum copiis Budam contendentem profligauit. Sic ille tunc Vngariam pacauit. Nec tamen Beatricem vxorem duxit.

Praelii inter fraternos exercitus.

Io. Alberti fortitudo & fuga.

Vladislai Regis pietas.

Pacta inter fratres.

Porro Casimirus Rex in Lithuania certior factus de aduersa Ioannis Alberti pugna, & quod is incolumis tamen euasisset, bello Moschico inducias in aliud tempus dilato, in Poloniam redire properabat, vt acceptam in Vngaria ignominiam instaurato bello deleret: id adeo, siue quod nihil dum de transactione filiorum inter ipsos cognouisset, sine quod eam non probaret: tametsi absque eo non deerant ei causæ redeundi in Poloniam, nempe, vt Annæ filiæ Boguslao Pomeraniæ Duci desponsæ nuptias faceret, eamque honoris gratia deduceret, & Russis opem ferret. Nam rusticanus quidam homo cognomento Mucha collecto è Valachis & Russis Pokucienſibus decem millium hominum exercitu, Russiam infestabat, si non concitante, conniuente quidem certe Stephauo Palatino Moldauiæ: Tametsi Mucham tunc Nicolaus Chodecius cognomento Zemelca vir fortis & rei militaris peritus, cum mercenario milite Polonorum fudit, multitudinemque illã promiscuam dissipauit. Cœperat tamen Mucha posterius Ioanne iam Alberto regnante exercitum reparare: sed cum ad mulierem quãdam Russam, quam deperibat, clanculum subinde commearet, obseruatus & captus à Russis Nobilibus Cracouiam ad Regem missus est, ibique in carcere vitam finiuit. Vilna igitur Rex Casimirus profectus, quum Trocos vnius diei itinere peruenisset, languere cœpit, & inualescente morbo, vbi animã duerti suprem um vitæ diem sibi instare, testamentum condidit, quo Vladislaum filium exhæredauit. Deindè sacris mysteriis rite perceptis, mense

Indutiæ Casim. Regis cũ Mosco.

Anna filia Casim. Regis Duci Pomer. nupta.

Mucha rusticanus homo Russiã infestat.

Mucha captus & in carcere finiit vitam.

mense Iunio animam Deo reddidit anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo. Inde funus eius in Poloniam solenni pompa elatum, in basilica Cracouiensi sepultum est. Nec multo post pars vrbis ad occidentem vergens cum ea domo Academiæ, quam collegium maius vocant, fortuito incendio conflagrauit, diraque lues & pestis pecudum Poloniam adflixit. Aliquanto autem ante mortem Regis post medium Decembrem tres soles in meridie visi: deinde cometes duũm fere mensium interuallo à solis occasu apparuit, prodigia, vt creditum est, mortis regiæ. Regnauit autem is annos quadraginta quinque, vixit sexaginta quatuor.

Casimiri Regis mors. An. Ch. 1492.

Incendium Cracouiæ.

Pestis.

Prodigia.

IOANNES ALBERTVS REX.

Casimiro sepulto ad medium Augustum Petricouiam noui Regis creandi causa itum est. Ibi varia fuere studia procerum in Regis defuncti filios absentes partita. Ioanni Alberto fauebant plerique propter ætatis prærogatiuam, & specimen virtutis bello Tartarico editum. Nonnulli elatiore animo ac supercilio eius offensi, pactæ de Tartaris victoriæ Vngaricum bellum aduerso aduentu gestum opponebant: illam virtuti militum & fortunæ, hoc imperitiæ Ducis acceptum ferentes. Hi vero partim Alexandro natu proximo, suauioribus moribus & liberalitate prædito, partim Sigismundo iuniori regnum addicebant. Pro Alexandro erat fœdus, quo Poloni & Lithuani Iagellonis Regis opera coniuncti, sub vnius imperio semper se fore promiserant, & expedire id maxime regno videbatur. Iam autem Lithuani patris morientis iussu, quemadmodum dictitabant, Alexandrum Ducem sibi creauerant. Refellebant hoc alii: Lithuanos contra pacta conuenta venisse, qui inconsulto Senatu Polonico Ducem sibi constituissent: indignum esse Polonos in Rege eligendo eorum sequi sententiam, quibus ipsi præire deberent. Haberet sibi Alexander Lithuaniam, Ioannes Albertus Silesiam à Vladislao fratre pacto promissam cum spe regni Vngarici: Sigismundum fato quodam, aut prouidentia diuina Polonis Regem relictum esse. Huius autem sententiæ autores erant Raphael Iaroslauius Mareschalcus regni, ac Tencinii, quos sequebatur cuncta Topororum familia. Idem sentire videbatur Sbigneus Olesnicius Archiepiscopus Gnesnensis, qui Iacobo Sienenio successerat. Tametsi creditum est, eum hoc quidem præ se tulisse, reuera autem Ioanni Masouiorum Duci studuisse: cum quo fixis in patenti campo tentoriis statiua habebat. Non obscure enim Ioannes regnum ambire videbatur: qui mille equitibus comitatus, vna cum fratre Conrado ad comitia venerat. Rex ad vim spectare videbatur, insolentius & ferocius sese gerentibus Masouiis. Quo comperto, Regina Elisabetha mille sexcentos equites ære suo Cracouiæ raptim conductos ad Fridericum filium Episcopum Cracouiensem, & cæteros, qui Ioannis Alberti partes tuebantur, præsidii causa misit. Ex his complures erant, qui sub Ioanne Alberto in Vngaria stipendia meruerant. Ibi tunc superiores esse cœperunt Ioannis Alberti partes. Cumque frequens Senatus in aulam regiam, vbi Fridericus diuerrebat, conuenisset, & Fridericus Archiepiscopo non veniente comitiis præsideret, vicesima septima die mensis Augusti Ioannes Albertus Rex renunciatus est, non magis procerum suffragiis, quam populi foris circum comitium stantis clamore adiutus. Cracouiam deinde

Procerũ dissidium in Regẽ creando.

Alexander M. Dux Lituania fautus.

Ioãnes Masouia Dux: ad regnũ Pol. aspirat.

Regina Elisab. studiũ erga Ioan. Albertum.

Ioan. Albertus Rex Pol. renũciatur.

reditum est: vbique de more nouus Rex à Sbigneo Archiepiscopo ritu solenni vnctus diadema suscepit. Et quoniam non satis securus erat ab iis, qui in cõsequẽdo regno aduersati sibi erant, siue adeo, quod vlcisci eos cogitabat, & potentiam tamẽ eorũ reformidabat, cũ Vladislao fratre Vngariæ ac Bohemæ Rege secreto fœdus percussit per oratores: quo diserte cautum, vt mutuam sibi opem ferrent Reges contra rebelles subditos. Nam & hic erat suis contemptui. Verum non ita multa post, nempe post insequentis anni 1493. principium Raphael Iaroslauius Mareschalcus, & Sbigneus Olesnicius Archiepiscopus principes eorum, qui Ioanni aduersati erant, obiere, angore animi confecti. Tametsi Sbigneus grandæuus aqua intercute, qua iam inde ante comitia laborare cœperat, extinctus est. Ei successor Fridericus Episcopus Cracouiensis ab Alexandro sexto Pontifice Rege fratre postulãte datus est, ita vt idem Episcopam Cracouiensem retineret, Cardinalitio quoque honore cumulatus. Adeo vero mittes fuere soles anni illius initio vsque ad medium Februarium, vt arbores turgerent gemmis, aues nidificarent, nouosque fœdus excluderent. Subsecutum est autem frigus intensum diebus quidecim, quod omnia illi corrupit.

Fœdus Io. Alberti & Vladislai fratrum Regum.

Fridericus Cardinalis Archiepiscopus factus.

Solenni coronatione peracta, Rex paucos menses Cracouiæ commoratus, maiorem Poloniam mille sexcentorum equitum aulicorum comitatu toto fere anno obiuit. Quo venerunt ad eum legati Venetorum, & Baiazetis Turcarum Imperatoris, vtrique regnum ei gratulantes. Ac Veneti quidem præterea, quibus Baiazetes Albania per illud ipsum tempus peruastata, captoque Dyrrachio vrbe maritima, è propinquo imminebat, ad bellum in Turcas suscipiendum cohortabantur. Turca vero peramplis donis oblatis pacem & amicitiam ei deferebat, siue quod vires Polonorum eo bello, quod cum Moldauis gessit, exploratas metuebat: siue quod prouideret, ne pluribus simul bellis distineretur. Facile enim coniiciebat, Ioannem Albertum, nisi fœdere & iurisiurandi religione adstringeretur, non defuturũ Vladislao fratri & Vngaris: quorũ ditiones proximas ipse tunc infestandas ac subigendas sibi proposuerat. Nec multo post eo ipso anno excurrerũt Tarcæ populabundi in Croatiam, & Vngaros cum Slauis & Croatis obuiã sibi progressos insigni strage profligarunt. Hæc igitur tunc Baiazeti pacis à Rege Polono petẽdæ causa fuisse videtur. Diu fuit anceps Ioãnes Albertus, quid faceret, Venetisne, an Turcis gratificaretur. Huc eum pacis commoda inuitabant, illuc insitum gloriæ, regniq; propagandi studium, & vlciscendi patrui apud Varnam à Turcis interfecti cupiditas impellebãt. Ad bellum autẽ procliuior, cũ Turcicas vires secũ perpenderet, animaduertebat apparatu maiori & sociis auxiliisq; sibi opus esse. Occurebãt animo eius in primis Vngari, qui tunc à Turcis vexabantur, & Vladislaus frater. Cum his igitur primum de bello Turcico communicare statuit. Nam Fridericus Imperator senio morboque confectus per id ipsum tempus Viennæ obierat.

Turca & Venetorum legatio ad Io. Alb Regem.

Friderici Imp. mors.

His ita maturo consilio apud se constitutis, vix tandem intra vertentem annum legationem Turcicam Rex dimisit, trium annorum inducias cum Baiazete pactus iuramento vtrinq; intercedẽte. Deinde eum Vladislao fratre apud Libliũ in Scepusio conuentum celebrauit, Sigusmundo & Friderico fratribus, & Friderico Marchione Brãdeburgensi sororis filio comitatus. Ibi pnblice redintegrata est inter Reges fratres beneuolentia, fœdusq; inter Vngaros & Polonos. Secreto vero actum dicitur inter solos fratres semoris arbitris

Inducie cũ Turca.

Fœdus & pacta Regũ Vng & Pol.

arbitris de ratione belli gerendi contra Turcas, ac de eiiciendo Stphano Palatino Valachia, ac Signismũdo in locũ eius surrogando. Sed rumor deinde siue verus, siue celandi consilii gratia cõfictus, vulgo sparsus, infectis rebus discessum esse. Soluto fratrum cõuentu, Cracouiã se Ioan. Albertus recepit, ibiq; legationẽ Turcicam alteram, quæ tunc forte oblatas inducias approbatura aduenerat, audiuit. Per quos quidem dies vltima die Iunii atrox incendium ad portam nouam post occasum solis grassatum maximã Cracouiæ partem, quæ ad Septentrionem & Occidentem vergit, cum tectis turriũ & mœnium atq; templis absumpsit. Post quod tempus Iudæorum domicilium, qui eousque sparsim in vrbe habitarant, grassanteque incendio illo à militibus excussi atq; direpti erant, Casimiriam translatum est in ripam Vistulæ: quem locum Casimirus Magnus gymnasio destinarat, & exædificare cœperat. Sub finem Septembris Tartari Tauricani siue Præcopienses in Podoliam & Volyniã irruptionem fecerunt, ferro ac flamma omnia prosternentes. Qua de re mature certior factus Rex, aulicum comitatum ad reprimendos eos misit: qui quum se cum mercenario milite, qui tunc modicus publico stipendio ad præsidium regni conductus erat, coniunxisset, impigre Tartaros cum grandi hominum, iumentorum, pecudisque omnis generis præda reuertentes persecuius est, & ad Visnioueciam castellum Poloniæ assecutus, hostem non fefellit. Excepere enim Tartari incurrentium in se Polonorum impetum, celeriterq; paucos pugnę intentos circumuecti, ad manus quidem non temere veniebant, verum sagittis eminus equos pariter & homines configebãt, & plena ad extremũ victoria potiti sunt, multis claris & fortibus viris cæsis. Per eos autem ipsos dies duo portẽta Cracouiæ extiterunt. Mulier enim quædã in platea, quæ à sancto spiritu nomen habet, infantem sexanimẽ peperit, cuius dorso serpens viuus inhærebat, arrodens ac depascens cadauer. Altera vero in suburbana villa, cui Nigræ nomen, ad decimum calendas Nouembris monstrum edidit, cætera quidem humanæ figura, sed collo & auribus leporinis, & vno grandiore intestino totum ventrem occupante, diducto rictu spirans.

Cracouiæ incendium atrox.

Tartari Podoliam & Volyniam vastant.

Polonos ad Visnioueciũ superant.

Mostra Cracouiæ nata.

Sequẽti anno, qui fuit millesimus quadringẽtesimus nonagesimus quintus, nil memoratu dignum accidit in Polonia, præter quod Ianussius Masouiorum Plocensium Dux cælebs in humanis esse desiit. Secundum quẽ Io. Albertus Rex tractum Plocensem iure feudi (vt vocant) ad se deuolutũ regno adiunxit. De reliqua vero Masouia, Czirnensi, Varsauiensi, Vissegradẽsi, Zacrociměsi, Czechaouirnsi, Lomzensi, & Nouiduorensi territoriis distincta, eum Conrado fratre eius superstite sequenti anno ita transegis, vt is Czirnensem quidem territoriũ socius & fœderatus Regum Polonus, vna cum posteris masculis tãtum iure sempiterno obtineret: Regi contra quoslibet hostes suppetias ferret: ipso inscio cum nemine fœdus ferret, aut pecuniam illis subditis imponeret: reliquias vero satrapias siue præfecturas ipse modo, quoad viueret, haberet, post obitum eius ad Regem regnumque redituras. Idq; ita rarum fore, ipse pariter cũ Proceribus & Nobilitate, oppidorumq; primoribus Lublinum veniens solenne iusiurandum Regi daret. Verum id vix tamtum post alterum annum elapsum præstitit. Inundauit eodẽ anno supra modũ Vistula fl. ęstate media, largis imbribus auctus. Ne sequẽs quidẽ annus millesimus quadringẽtesimus nonagesimus sextus habet quicquam magnopere memorabile, præter nuptias Barbaræ Casimiri

An. Ch. 1495. Ianussius Maso. Dux moritur.

Plocen. tractus Poloniæ adiunctus. De Masouiæ transactio.

An. Ch. 1496.

Regis

Regis filiæ, quam Ioannes Albertus frater Georgio Duci Saxoniç elocauit, & transactionem Regis cũ Conrado Masouiorum Duce in comitiis Petrilouiensibus factam. Obiit etiam eodem anno Philippus Callimachus, cuius mors non ingrata accidit Polonis. Fuit is natione Tuscus, versatus aliquandiu in ministerio Pii secundi Pontificis. Deinde vero, cum successor Pii secundi Paulus secundus Pomponium Lætum, Platinam, & quosdam alios viros eruditos amicos Callimachi, siue quod de religione male sentirent, siue quod in se conspirasse dicerentur, prehendi iussisset, Callimachus Casimiro adhuc tegnante in Poloniam profugit, & præceptorem regiorum filiorum egit. Cum autem in familiaritatem Ioannis Alberti sese insinuasset, plurimum apud eum gratia & consilio valuit, vsque adeo, vt cum is Rex factus esset, Callimachi arbitrio magistratus & honores mandarentur, & res plerçque omnes publicæ & priuatæ Regis gererentur. Qua re ingentem sibi inuidiam apud Polonos Callimachus conflauit: quæ tamen metu potentiæ eius occulta aliquandiu, quodam tempore, cum is legationem Regis nomine apud Venetos & Pontificem Romanum obiens, rediturus esse in Poloniam non putaretur, in apertum erupit. Sed rursus eo reuerso non tam resedit, quam dissimulata est, quoad ille vixit. Ad tyrannidem incitare Regem, decretaque eius vendere siue creditus, siue insimulatus est. Periit autem Callimachus fluxu ventris exinanitus initio mensis Nouembris, quo tempore pestis ex Vngaria & Silesia proserpens, Cracouiam & minorem Poloniam inuasit: quæ cũ hyeme, quæ fuit asperrima, conquieuisset, æstate sequente maiorem in modum recruduit, & ad hyemem vsque longe lateq; grassata, plurimos mortales absumpsit. Commodum tamen Rex Nobilitatem, ac de plebe quicunque militiæ nomina dederunt, ei subduxit: nisi quod iis, qui pestem effugerant, gladius tamen hostilis non vsque quaque pepercit.

Barbara Casim. Regis filia Georgio Duci Sax. nupta.

Phil. Callimachi mors

Pestis Cracouiæ & in minori Polonia. An. Ch. 1497.

Erat Ioannes Albertus gloriæ & imperii propagandi percupidus. Inprimus autem Turcas, Christianis omnibus formidabiles, hostes sibi destinabat, idque siue pio Reipublicæ Christianæ iuuãdæ studio, siue vt Vladislai patrui necem vindicaret: tametsi iactatum vulgo, & creditum, eum Valachiam subigere meditantem, fallendi Stephani Palatini gratia, Turcicum bellum præ se tulisse: & ne vltro tam potentem hostem lacessere videretur, curasse per subornatos homines, vt sibi renunciaretur è Podolia, Turcas infesto exercitu Moldauiam & Podoliam petere: quod quidem credibile faciebat inquietum gentis ingenium, & quod induciarum finis iam instabat. Cum igitur apparatum belli permagnum fecisset, & Conradum Masouiorum Ducem Lublini, quemadmodum conuenerat, clientelari iuramento sibi deuinxisset, ipsum quidem expeditione bellica tunc instante liberauit, auxiliares modo copias vt sibi mitteret. Alexandrum autem Magnum Ducem Lithuanorum, & Ioannem Tiffenum Magistrum Crucifer orum Prussiæ, qui Truchsessio defuncto successerat, è formula fœderis euocauit: Nobilitatem omnem regni mense Maio Leopoli sibi præsto adesse iussit. Ad Stephanum quoque Moldauorum Palatinum legatos misit, qui ipsum ad societatem pii belli contra barbaros, cum ex formula fœderis accerserent, tum Kiliæ & Bialogrodi recuperandi spe inuitarent. Ipse cum Sigismundo fratre & peditatu mercede conducto mature profectus, Præmisliæ substitit aliquandiu, dum copiæ conueniunt. Ibi Creslaus Kurosuancius

Bellum Valachicum.

Conradus Dux Maso. iurat Regi P.l.

Legatio Regis Pol. ad P. Moldauũ

uancius regni Cancellarius, & illo ipso tempore post obitum Petri Bnini Episc. Vladislauiensis designatus, suo & Friderici Cardinalis nomine Regẽ conuenit, ab instituto reuocans. Quem Rex durius acceptum abire, & sacerdotem sacrorum, non belli curam gerere iussit: se vel subuculam suam concrematurum, si eam consilii sui consciam sciret. Hinc sane nati sunt, vel confirmati duntaxat sermones hominum, quibus iactatum est postea, seu falso rumore vsq; ad nostra tempora, expeditionem illam suasu Callimachi à Rege susceptam, quo feroces minus morigeræ sibi, diuinaque & humana iura contemnentis Nobilitatis Polonicæ spiritus, incommodis belli, aut etiam clade aliqua retunderet. Porro ii, qui in Moldauiam missi erant, renunciarunt Regi: exoptatissimum id bellum Stephano contra barbarum cum totius Christiani nominis communem, tum suum peculiarem hostem accidere: itaq; non defuturum eum esse commeatu exercitui regio suppeditando: quin & vires eum suas cum Rege coniuncturũ, vbi is ad hostium fines & Danubium peruenerit. Nam vt prius id faciat, minime expedire, ne Turcas & socios eorum Transalpinos intempestiue in se prouocaret. Verene autem hoc ita existimarit, an cauere sibi hoc prætextu voluerit, ne à Rege circumueniretur, incertum. Iam quidem & ipse persenserat partim fama renunciante, partim Vngaris proceribus per literas & nuncios submonentibus, contra se exercitum illum à Poloniæ Rege duci, vt se amoto Sigismundum fratrem Moldauiæ præficeret. Quod quidem eo studiosius vulgabant Vngari, quo magis Stephanum aduersus Regem Poloniæ irritarent: idque partim, quod moleste ferrent, secretiori consilio se à Regibus exclusos fuisse, partim quod Moldauiam bello illo à sua clientela prorsus abstractam iri videbant. His igitur monitoribus Stephanus cautius obseruabat, quid consilii Ioannes Albertus caperet. Quem vbi comperit, recensitis copiis, motisque à Leopoli sub finem Iunii castris, non versus Camieneciam, qua compendiosior est via ad Kiliã & Bialogrodum, iter instituere, sed ad Pokuciam oram deflectere, ibi magis etiam cœpit sibi prospicere: misitque ad Regem tres legatos viros gentis suæ primarios, sciscitatum, amicusne an hostis Valachiam peteret. Si Turcis bellum intentare decreuisset, posse eum longe maiori compendio & expeditiore via ad fines Turcarum peruenire, seque exercitum eius & commeatu adiuturum, & vbi hostium fines attigisset, copiis suis aucturum: sin sibi bellum faceret, daturum se operam, vt eum illati pœniteat. Hac tam superba & minaci legatione commotus Rex, legatos contra ius gentium comprehensos Leopolim asseruandos misit: non expectatisque Lithuanorum, Prutenorum, & Masouiorum auxiliis cum infestis signis Moldouiam ingressus est, & omnibus rebus postpositis caput gentis Soczauiam petiuit, sperans, Moldauos non modo terrore tanti exercitus, verum etiam impotentem Stephani dominatum perræsos, & alioqui dominos crebro mutare solitos, vltro ad se defecturos: eoque captiuos omnes, quicunque à pabulatoribus excipiebantur, liberaliter dimittebat. Cæterum quum Soczauia Stephani præsidio firmata venienti portas clausisset, quaternis castris in conspectu arcis positis, & curruum obtentu munitis, oppugnare eam adortus est. Nec tamen proficiebat quidquam, quamuis abundante multitudine. Nam ad octoginta millia armatorum in exercitu habuisse ferebatur, exceptis lixis & aurigis, qui dimidium eius numeri expleuisse existimati sunt, quum curruum essent fere triginta

Moldauiæ responsum.

Moldauiæ Palatini legati ad Regem P.l.

Ioan. Alberti Regis consilium de Soczauia.

Soczauia obsessa & oppugnata à Polonis.

triginta millia. Ne tormenta quidem bellica Polonis defuere: sed quantumcunque ea muri interdiu Poloni deiecerant, noctu Valachi impigre roboribus limo simoque oblitis reficiebant. Itaque cum iu longum duceretur obsidio, Stephanus collecto è suis non contemnendo exercitu, obuiam ire conatibus regiis instituit. Nec tamen in apertum prodibat vsquã è nemoribus, sed ex insidiis modo carpebat exercitum Polonicum, & in pabulatores, nec impune tamen fere, impetum faciebat: maiores copias, ac Transyluanorum, Cæculorum, Transalpinorum, Bessarabum, Turcarum, ac Tartarorum, quos partim prædæ, partim subiectionis suæ spe inuitabat, partim etiam mercede conducebat, auxilia expectans. Cauerat etiam insessis itineribus, ne commeatus Polonis è Russia & Podolia subueheretur. Spe defectionis Moldauorum frustrati Poloni, cum difficultatem belli circumspicerent, penuriamque annonæ & pabuli, vt in tanta multitudine hominum & iumentorum, sentire inciperent, nec Moldaui ad prælii dimicationem venirent, minus alacres esse, & fremere in Regem: reputare secum signa & ostenta, quæ aduersum belli exitum portendebant: nempe quod boues ducenti, qui Leopoli motis castris post exercitum agebantur, subita tempestate disiecti, recolligi omnes non potuere; equus candidus Regi chatus, qui ad manum ducebatur, in transitu parui fluminis collapsus mersusque periit. His igitur de causis missionem flagitabant. Permouebat eos & illud, quod neque Lithuani, neque Masouii veniebant: Cruciferorum vero Magister Tifenius Leopoli decumbebat, vbi etiam extremum vitæ diem clausit. Accedebat eo, quod ipse quoque Stephanus pacem petebat, Vladislao Regi Vngarorum deprecatore, & pacificatore vtens. Nec tamen constat, verene id fecerit, an simularit, quo Polonos tantisper, dum copiæ suæ conueniunt, duceret, & ab oppugnatione Soczauiæ auerteret, quam extremo in discrimine versari didicerat. Facile tamen Ioannes Albertus, in illo præsertim statu rerum, quum febri etiam tentari cœpisset, persuaderi sibi passus est. Et quum de pacis conditionibus non conueniret, inducię constitutæ sunt, per quas liberius de pace ageretur. Publicatis induciis confestim soluta est obsidio, quemadmodum conuenerat, iterq; pronunciatum in certum diem.

Ostenta cladem Polonorum portendentia.

Inducię cum Moldauo constitutæ.

Cum autem co. nouisset Stephanus, alio itinere Polonos recedere velle, quam venissent, siue quod breuior ea via esset in Poloniam, siue quod agri à populationibus intacti faciliorem commeatum exercitui præbituri viderẽtur, admonuit Regem per internuncios, consultius eum facturum, si eadem via, qua venerat, exercitum reduceret: non tam planam illam alteram, quæ ad læuam vergeret: sed syluarum densitate & montium asperitate, & angustioribus callibus impeditam. Vereri se, ne homines sui agrestes feri & indomiti, quique difficulter in officio continerentur, in angustiis negocium facesserent discedentibus. His monitis fides habita non est, quod homo vafer & infidus sibi suisq; hoc consilio prospicere putabatur, vt integra ea sibi loca ab incommodis belli manerent. Itaque itum est, qua placuerat, nullo ordine: nec abstinebant Poloni manus rapinis & iniuriis obuiorum. Quartis iam castris ad Bucouiam peruentum est: vbi sylua erat fagina, densa, duûm milliarium spatio lata, angustam habens & præruptam inter aspera saxa montesque viam. Quam vna die cunctæ copiæ transire non posse viderentur, ad introitum eius Rex castra metatus substitit.

stitit. Ac maiores quidem Poloni cum impedimentis suis præire iussi, syluam sine vllo obstaculo emensi sunt. Altera die Rex præmissis tormentis & curribus, ipse cum aulica sua cohorte subsequutus est, carpento vectus propter aduersam valetudinem. Pone sequebantur minores Poloni cum Russis incompositi, inermes, & quasi in pacato secuti. Extremum agmen tenebant mercenarii. Ad medium syluæ impedimenta regia peruenerant, quum ecce agrestes Valachi pedites vndique ex insidiis coorti, impetum in ea faciunt, currus diripiunt, & facile impulsis, quas in hoc iam ante succiderant, arboribus, viam impediunt, ne progredi extrema agmina, neue regredi prima ad ferendam suis opem possent. Citra moram ipse Stephanus cum validis equitum & peditum copiis improuisus adest, & ingenti cum clamore extremum Polonorum agmen à tergo, & à lateribus adoritur. Tumultuantur Poloni re inopinata perturbati: & expediunt quidem arma, ac vim hostium certatim pro se quisq; animose sustinent: sed sine signis, sine ducibus, & sine ordine res gerebatur. Nec exaudire quisquam alterum poterat præ clamore, strepitu, & fragore armorum, quem syluæ late resonantes magis etiam sonorum atque terribilem reddebant. Ad extremum vrgente hoste, Poloni castra sua, à quibus non procul abscesserant, repetiuere. Ibi quoque premente hoste constipati, & conglobati nihilo magis sese expediebant: desperataque salute, cælitus opẽ incondita & inepta trepidationis vociferatione implorabant. Hoc acrius instabant hostes, donec Rex, cognito suorum periculo, aulicum equitatum armis virisque florentem suppetias ire laborantibus iussit. Qui cum nil sibi reliquum ad celeritatem diligentiamque recurrendi fecisset, syluam egressus, tympanorum, tubarumq; clangore, & fulgore armorum hostem in se conuertit. Instauratur de integro pugna. Interim ii, qui in castra compulsi in extremo versabantur periculo, spacium nacti, qua quisque poterat, elapsi, relictis impedimentis trepide per syluam ad primum agmen euasere, quo Rex quoque iam peruenerat. Nec diu sustinuere Valachi impetum equitatus regii, verum repulsi disiectique in fugam se coniecere. Poloni summotis fortiter, nec sine strage, hostibus, absque vllo impedimento cœptum iter per syluam peregerunt, victoresque ad regia castra peruenerunt. Postero die Rex cum toto exercitu in iisdem statiuis mansit, expectans, si quis forte de suis in sylua delituisset, vel aberrasset.

Polonorum clades ad Bucouinam syluam.

Recognitis copiis, complures de Nobilitate Polonica & Russica desiderati sunt, partim cæsi, partim capti. Et Stephanus quidem plus quam barbarica crudelitate vsus, quotquot suæ potestatis fecerat, omnes in conspectu suo trucidari iussit: quos autem Turcæ aut Tartari ceperant, in seruitutem abduxerunt. Composito deinde agmine Poloni motis à Bucouina castris progressi sunt, pridiano periculo admoniti. Nec sane quieuerunt hostes, quin opportunis locis carptim eos lacesserent, vexarentque, non modo pabulantes & aquantes, sed etiam in castris quiescentes. Nocte quadam obseruato venti vehementioris flatu herbas arentes cum frutetis haud procul à castris succenderunt. Coorta flamma vento impellente magis ac magis castris propinquabat, affecissetque Polonos grandi incommodo, ni correptis celeriter falcibus proximas castris herbas desecuissent, ac summouissent, atque ita ignem adrepentem stitissent. Semper tamen plus incommodi ipsi accipiebant

Palatini Moldaui crudelitas in Polonos. 233

Moldaui inf. flant Polonicum exercitum.

Masouii à Moldauis cæsi.

Valachi, quam inferebant, præterquam quod sexcentos equites Masouios, tunc primum à Conrado Duce ex fœdere in auxilium Regi missos, ad internecionem pene deleuerunt. Secundo hoc prælio Stephanus ferocio factus, ripam Pruti fluminis ad Zarnouecium cum omnibus copiis suis insedit, vt Polonos transitu prohiberet. Quo cum peruenissent, commissa pugna dimicatum est vtrinq; totis viribus: sed virtute Polonorum reiecti, & non parua affecti hostes strage, in auia nemora sese abdidere. Nec deinceps tentarunt quicquam. Rex autem cum minus commode valeret, iactationemq; itineris grauiter ferret, apud Zarnouecium triduo statiua habuit: per quos dies Poloni longe lateque quoquouersus prædas egerunt. Interea

Rumor tumultu complet castra regia.

rumor castra peruasit, grandes hostium copias aduentare, Regemque clam deserto exercitu subducere sese velle. Quæ res temere credita ingenti omnes formidine impleuit. Maiores Poloni inprimis tumultuabantur, & raptim sarcinas componebant, equorumque dorsis alligabant, turpem fugam relictis curribus & impedimentis cæteris parantes. Nox instabat: omnia formidabiliora pertutbatis redditura, tecturaque ignauiam ad fugam spectantium. Itaque necesse habuit Rex, quamuis æger, & ipse hominibus sese conspiciendum præbere, & Sigismundum fratrem circum primores mittere, falsum illum rumorem diluturus, & fluctuantium, iamque pene fugitantium animos confirmaturus. Ita sedatus est tumultus, repressaque fuga.

Lituanorũ aduentus.

Sequenti luce cum castra iam Rex mouere vellet, superuenere aliquot millia equitatus Lithuanici ab Alexandro magno Duce eius gentis missi, Regemque, & exercitum omnem spe meliore & lætitia perfuderunt. Petierant autem à Rege Lithuani, vt se Moldauiam excursionibus vexare, ac deuastationibus agrorum vastare pateretur: sed ille non permisit, aduersam valetudinem suam causatus, propter quam accelerare reditum cogeretur. Cumque Sniatinum copias reduxisset Rex, transmisso Nestro amne dimisit exercitum: ipse Leopolim lento itinere vectus, tantisper ibi acquieuit, donec morbo liberatus fuit. Inde postea Cracouiam reuersus, quasi rem bene gessisset, conuiuiis & compotationibus, amoribusque mulierum & choreis impentius indulsit. Ferturque quodam tempore, cum noctu in vrbe vno aut altero fortassis ministro comitatus absque lucerna obambularet, & in ebrios incognitus forte incidisset, exorto temere iurgio vulnus accepisse: ex quo laborauerit aliquandiu, ita vt immemor conditionis & dignitatis suæ, plaga illa non sine dolore & rubore officii diuinitus admoneretur. Nihilo tamen magis vtilium rerum suis quidquam prouidit, negligens acceptæ in Moldauia ignominiæ cladisque: nec memor, quod Stephanum animosum & ferocem hominem irritasset. Quæ res grauium incommodorum, & magni luctus Polonis atque Russis deinceps causa fuit. Stephanus enim acceptam à Ioanne Alberto Rege iniuriam, bellumque sibi immerito illatum vlciscis atagens, primo vere insequentis anni, qui fuit millesimus quadringentesimus nonagesimus octauus, cum expeditis suorum Valachorum, Turcarumque, ac Tartarorum copiis in Podoliam & Russiam irruit: & prætergressus Leopolim arcem vrbemque munitam, ad Cancziugam oppidum, & Vislocum amnem longe lateque populabundus excurrit, & ingentem toti Poloniæ terrorem incussit, nemine ad arcendum hostem neque

Ann. Chr. 1498. Moldaui Podoliam & Russiam populantur.

neque parato, neque animato; sed omnibus ad fugam spectantibus, & non solum in munitioner, verum etiam in auios montes ac syluas sese abdentibus. Vnde tamen plurimi mortales vtriusque sexus, & omnis ætatis atq; ordinis à persecutantibus extracti, in miserabilem seruitutem abducti ac distracti sunt, ita, vt Thracia, Macedonia, Scythia, & Asia Russicis mancipiis implerentur. Supra centum millia hominum tunc abacta esse feruntur, cum infinita gregum, armentorum, & omnis generis præda. Præmislia, Radimum, Iaroslauia, Præuorscum, & plura alia oppida cum innumerabilibus pagis ditepta atque incensa. Vnum operæprecium tunc à Polonis factum est, quod Cracouia metu propinqui periculi à latere Septentrionali turribus, propugnaculis, pinnis, vallo, fossaque, Rudaua flumine in eam inducto, munitior & magnificentior effecta est, submotis etiam longius plerisque suburbanis ædificiis, quæ mœnibus vrbis è propinquo imminebant.

Captiuorũ ingens numerus.

Tartari etiam Russiã & Podoliã vastant.

Neque vero hic tunc Russiæ & Podoliæ malorum finis fuit. Nam Tartari præda in Taurica deposita, mense Iulio iterum eadem regiones horribili grassatione percurrerunt. Quibus incommodis & conuitiis hominum Rex motus, Nobilitate vniuersa arma sumere, & apud Sendomiriam celeriter sibi præsto esse iussa, ipse Cracouia relicta eodem sese contulit. Sigismundus enim frater in Vngariam ad Vladislaum Regem paulo ante profectus erat. Dum ægre moliuntur, & conueniunt Poloni hostes præda onusti ad sua remeauere. Quo cognito Poloni quoque domos dilapsi sunt, cum non multo minore quam hostes damno & incommodo Sendomirienſem tractum affecissent, præterquam quod abigendis tamen ac trucidandis hominibus abstinuere. Rex quoque Cracouiam rediit. Per quod tempus Casimiriæ apud Iudæos vitulus biceps natus memoratur, altero capite in loco caudæ, cauda vero in medio dorsi existente, ac duobus tantum pedibus à dextro latere prominentibus. Mali portentum id esse creditum. Nec ita multo post sub finem Nouembris septuaginta millia Turcarum per Valachiam in Russiam se effuderunt, omnem eam oram, quæ ad Nestrum & circum Haliciam, Zidaczouiam, Drohobiciam, & Samboriam, ferro & igni affligentes, & prædas agentes. Neque progrediendi & vastandi modum barbari vllum statuissent, nemine sese ipsis obiiciente, nisi Deo misereſcente populi sui repressi, atque adeo oppressi fuissent. Derepente enim iutensum frigus & gelu extitit, & nix tanta decidit, vt circumsepti vndique Turcæ neque progredi, neque regredi possent. Ita iumentis plerisque omnibus frigore & fame confectis, hominum quoque supra quadraginta millia alsisse & obriguisse feruntur. Multi reperti postea, qui interfectis equis in ventres eorum exenteratos calentes etiam tum sese abdiderant, sed successu irrito: statim enim calor artus vita & sanguine destitutos deserebat. Reliqui, cum se vtcumq; tamen explicassent, & in Moldauiam euasissent, à Stephano Palatino & Valachis Polonorum insequentium habitum mentitis, & locorum opportunitate vtentibus, diuexati & contrucidati sunt, ita vt vix decem millia Istro transmisso salua euaserint. In religionem hæc res cessit Turcis, ita vt sibi persuaderent, Polonos & Russos diuinitus defendi & vindicari. Itaque non temere deinceps eam gentem bello sibi lacessendam & infestandam existimauerunt. His tot ac tantis malis expiato Polonorum fastu, magis propitium deinde numen affulsit Poloniæ.

Vitulus biceps natus.

Turcæ Russiam populantes.

Hyberna tempestate deleti.

Turcæ à Moldauis cæsi.

Cæterum nonnihil simultatis siue dissidii Ioanni Alberto cum Vladislao Rege Vngarorum, & Alexandro Lithuanorum magno Duce fratribus interce ssisse videbatur. Causa dissidii forte fuit hæreditas paterna, vel bellum Valachicum, in quo Alexander quidem præter fœderis perpetui legem promissumque suum Ioanni Alberto defuit. Vladislaus vero fauisse etiam Valachis visus est: fœdus quidem certe inter Vladislaum, Ioannem Albertum, & Alexandrum per legatos vltro vltroque missos ictum est, quo cautum de auxiliis mutuis & societate contra Turcas, & alios quosuis hostes, qui ipsorum alicui fœderati non essent: de periculis imminentibus vt se inuicem præmonerent: neque quispiam cæteris inconsultis cum Turcis pacem faceret, bellumue gereret. Qui contra fecisset, ei ne deberentur auxilia: Moldauus vt in clientela Vngarorum esset: Transalpino Palatino contra Turcas fœderati ne deessent: de aliis conditionibus fœderis ipsi inter se Principes congressi constituerent: de priuatorum autem controuersiis dirimendis Consiliarios suos quisque delegarent. Hæc ita tunc conuenere anno post Christum natum millesimo quadringentesimo nonagesimo nono. Sigismundo vero quarto fratri Vladislaus Rex Vngarorum Glogouiensem & Opauiensem ditiones in Silesia concessit, iisdem fere conditionibus, quibus Ioanni Alberto prius concesserat, & inferiori superiorique Silesię eum præfecit. Vbi præclaram is operam subiectis & vicinis populis in extirpandis eius gentis latrociniis nauauit. Aliquanto autem post etiam inferioris Lusatiæ Marchionatum ipsi adiecit, & portionem suam paternæ hæreditatis donauit. Cum Stephano quoque Palatino Moldauorum, & filio eius Bogdano pax etiam tunc constituta fœdusque ictum, Ioannis Alberti Regis, Alexandri, & Sigismundi Ducum nomine: quo professus Stephanus, omnem culpam & iniurias à Rege sibi clementer condonatas, ac Moldauiæ dominatum relictum esse: & contra quosuis hostes toris viribus semper præsto se ipsi futurum promisit. Cautum etiam eo fœdere, ne profugi & exules alterorum ab alteris receptarentur. Palatino autem ipsi si exulare contingeret, vt tutus pateret receptus in Polonia & Lithuania: & liber inde discessus, auxiliaque darentur, recuperare sua cupienti: ipse autem Vngaro iuxta ac Polono contra Turcas bellum gerenti subsidio veniret, aut, si non posset per se ipse, filium cum copiis mitteret. Turcis contra ipsos ne opitularetur, nisi extrema vi adactus: ipse vero contra eos à fœderatis defenderetur: & de hostibus & periculis præmonerent se inuicem Principes: De iniuriis mutuis subditorum & controuersiis, Camienecensis, Cernechouiensis, & Chocimensis præfecti simul cognoscerent. De grauioribus autem controuersiis inter ipsos præfectos, iudices à Principibus designarentur: commercia vt vtrobique essent libera. Hæc ita tunc transacta sunt. Quin & Ioannes Moscorum Dux de pace, amicitia, & societate tunc ad Regem Poloniæ misisse, & impetrasse à Vapouio memoratur.

Fœdus inter Vladislaum & Io. Albertum, & Alexandrum ictũ.

Ann. Chri. 1499. Sigismundus Dux Glogouiæ & Opauiæ.

Latrocinia è Silesia sustulit.

Moldaui Palatini cum Polonis & Lithuanis fœdus.

Ioannes Moscouiæ Dux amicitiam & societatem cum Rege Pol iungit.

Nec longo post tempore interiecto ipse etiam Turcarum Imperator cum de confœderatione tot ac tantorum Principum cognouisset, insignem legationem ad Ioannem Albertum Regem de pace vel induciis prorogandis misit, quæ totum annum responsum Regis expectauit. Neque enim explicabat is, quid faceret, propterea quod ad bellum Turcis inferendum cum ipse vltro prono ferebatur animo, tum ab aliis etiam incita

Ann. Chri. 1500. Turcarum Imp. ad Regem Pol. de pace missi.

incitabatur: sed eum domesticæ quædam difficultates, & præsertim inopia ærarii, & res Prussicæ impediebant; & quod gemina Tauricanorum Tartarorum incursione distractus, consultandi cum proceribus spacium non habuit. Tartari enim sub messis tempus hybernarum frugum magno impetu per Volyniam effusi, in Russiam & Poloniam circum Belzum, Crasnistauiam, Crasnicum, Turobinum, & Lublinum ad Vistulam vsque effusas populationes faciebant. Quo commotus Rex, aliquanta manu exauli co comitatu suo & voluntariis cumultuarie conflata, ad hostem contendit: sed cum eum præda oneratum raptim abeuntem assequi non posse videretur, Cracouiam mense Augusto rediit. Quo tempore superuenit Caspar Callensis Episcopus legatus Alexandri sexti Pontificis ad Turcicum bellum Regem cohortans, & piæ militiæ, quam Crucis vocant, facultatem ad id bellum ipsi pariter & Vngaro Regi, simulque Iubilæum, & potestatem Decimæ de cunctis ecclesiasticis reditibus in suo vtriusque regno in subsidium eiusdem belli exigendæ afferens. Tardius autem is venit, quod prius in Vngariam cum iisdem mandatis diuertisset. Ac Decima quidem ab Episcopis Polonis & collegiis negata, sed vsitata contributio pro eo decreta, quæ tunc ad tria millia florenorum vix peruenit. Iubilæus vero promulgatus, triginta fere millia florenorum Regi reddidit. Nec ita multo post Tartari præda deposita, illecti eius dulcedine, mense Septembri reuersi, non modo eadem oras, sed Russiæ quoque Australis & Lithuaniæ partem depopulati sunt: accitum Landhutam, Lezeiscum, Zauichostum, Opatouiam, & Brestam Lithuanicam, prædis actis, nulloque accepto incommodo, ingentem hominum, pecudum, & iumentorum vim abegerunt: quæ eo maior & opulentior fuit, quod intacta aliquandiu ea loca ab ipsorum incursionibus fuissent. Eeant in Russia nonnullę mercenariorum militum copiæ cum Petro Myscouio præfecto Leopolienśi, publico stipendio, quod è tributo agrario cereuisiarioque ac censu oppidorum collatum erat, merentes: quæ locis opportunis vel à tergo abeuntem hostem carpere, ac differre, quod Rex maioribus cum copiis consequeretur, potuisse videbantur. Sed nusquam eæ hosti sese ostentarunt. Rex quidem paucis equitibus, quos raptim ad manum habere potuit, egressus Cracouia, milites cruce signatos à Callensi Episcopo, qui nondum discesserat, subsequi se iussit. Verum ii post discessum regium correptis armis bacchantium in morem ducibus religiosis & monachis, quorum non exiguus erat in ea turba numerus, in Iudęorum domicilia Casimirię impetum fecere, & fortunas eorum diripuere, ac viginti plus minus Iudæos trucidauere. Inde cum sub signis per pontem Cracouiam tenderent, clausis portis vrbis excluśi, Regem secuti sunt. Ne tunc quidem operæpretium vllum aduersus Tartaros factum. Rex enim vbi excessisse cum præda hostes cognouit, ipse quoque è Russia inglorius Cracouiam se recepit. Insigni calamitate & vastitate tunc illæ barbarorum excursiones Russiam & Poloniam affecere. Portenderat autem hæc mala cometes, decem & octo diebus ante primam Tartarorum incursionem conspectus. Quin & arcis Cracouiensis ea pars, quæ à pede galli Kurzanoga nomen habet, paulo ante improuiso igne consumpta est. Et fuit sanè æstas illa tam calida & arida, vt ad medium Iunii fruges in Polonia passim demeterentur.

Tartari Russiam & Poloniam vastant.

Legatio Pontificis Alexandri sexti ad Regem Io. Albertum.

Decima negatur ab Episcopis.

Tartari iterum Russiã & Lituaniam depopulantur.

Iudæorum bona direpta à cruce signatis militibus.

Cometes portendens Tartarorum incursionem.

Cracouiensis arcis incendium.

Ne

Messis præmatura.

Ne Lithuania quidem eo anno meliori fortuna vsa est. Etenim Ioannes magnus Moscorum Dux, quàuis Helenam filiam Alexandro magno Lithuanorum Duci in matrimonium collocasset, amplificandi tamen impezina flumine tenus auito & proauito quodam (vt videri volebat) iure à gerii cupidior, quam fœderum obseruantior, Russiæ totius dominatum Berenero repetebat, elatus accessione earum ditionum, quas Casimiro regnante

Moscus Lithuanis bellum infert.

à Lithuanis partim bello, partim defectione Russorum abalienarat. Conflato igitur exercitu ingenti, cum alia quædam territoria, per deditionem acceptis magis, quam expugnatis eorum munitionibus, iuris sui fecit, tum Smolescensem oram vastauit. Alexander cum neque virium, neque animorum satis contra tam potentem hostem in suis esse animaduerteret, misso Posnaniam thesaurario cum pecunia, non spernendas equitum & peditum copias è Polonis, Silesiis, Bohemis, ac Morauis mercede conductis conscripsit, eisque Ioannem Karnkouium cognomento Polacum præfecit. Quæ

Lithuania à mercenariis militibus vexata.

cum sub finem autumni demum, pluuiis increbrescentibus, & frigore geluque iam inualescente ad Smolensciorum fines peruenissent, nec hostem ibi reperissent, nulla re memorabili gesta dimissæ, Lithuania hostilem fere in modum diuexata excesserunt.

Rex in Prussiam expeditionem suscepit.

At Ioannes Albertus Rex in Prussiam expeditionem parabat, quo Cruciferos cum suo Magistro ad officium reuocaret. Quamuis enim eius opera Regina matre postulante, Fridericus Dux Saxoniæ Ioanni Tiffenio Leopoli mortuo in Magistratu suffectus esset, detrectabat is tamen subiectionis iramentum Regi præstare, quemadmodum debebat ex pacti & fœderis formula. His igitur rebus omnibus ac difficultatibus diligenter expensis, Rex, cum comitia Petricouiæ ad initium sequentis anni millesimi quingentesimi primi edixisset, quinque annorum inducias Baiazeti concessit,

Ann. Chri. 1501.

legationemque eius magnifice donatam tandem dimisit. Venerant ad eadem comitia Oratores Stephani Palatini Moldauorum, & Sachmatis principis Tartarorum Zauolgensium. Acilli quidem tum Eliæ (qui ante Stephanum Palatinus fuit) filium profugum ex fœdere deposcebant, quod is affectare dominatum diceretur: Tartari vero nunciabant, Principem suum legatione Regis, & Alexandri magni Ducis Lithuanorum euocatum contra Mahometkercium Tartarorum Præcopiensium Principem adesse cum centum equitum millibus: traiectisque Rha atque Tanai non sine magno labore apud Mæotem paludem primum consedisse: deinde longius progressum ad Borysthenem fixis tentoriis expectare Polonos & Lithuanos, vt inter se inito fœdere, & iunctis viribus communem hostem adorirentur. His actæ gratiæ, fœdusque ictum multa ceremonia & iureiurando adiecto: quod quidem Tartari more suo dederunt, aqua strictis frameis infusa & sorbita mala imprecantes ei, qui fœdus rupisset. Missa principi à Rege munera, & inita belli societas. Verum dum Poloni ac Lithuani moram nectunt, Mahometkercius coactis magnis copiis, cum non multum Sachmati viribus cederet, exercitatiorem autem aliquanto militem haberet, vltro hosti obuiam iuit. Commisso acri & cruento prælio, victus Mahometkercius, & in Tauricam reiectus est. Nec Poloni postea victorem socium iuuandum duxerunt, siue quod ipse per se id bellum confecturus videbatur, siue vt barbari ipsi sese mutuo ancipiti bello conficerent, vel debilitarent, eo quod ne sociis quidem ipsis barbaris fides habenda videretur. De Stephani autem postu-

Fœdus Regis Pol. cum Tartaris.

Tartarorũ iusiurandum quale.

Tartarorũ inter ipsos bellum.

Tartari Tauricani victi.

postulatis cum aliquandiu consultatum esset, dedere quidem insontem & supplicem, dirum & crudele videbatur: seruare autem æmulum infidi socii, contra fœdera, quem bello repetiturus esse videbatur, fuit inutile. Quamobrem deditus non est Petrus, verum legatis spectantibus capite plexus. Et ne iniuste id factum existimaretur, vulgatum est, crimen falsi in literis regiis eum commisisse. Expeditis legatis, & conuentu soluto, cum nonnihil temporis Rex apparatui belli Cracouiæ dedisset, post medium Aprilem in Prussiam contendit. Toruniam cum peruenisset, ad Fridericum Magistrum legatos misit hortatum, vt is sponte officium faceret potius, quam Polonorũ vim & arma experiretur. Dum eunt redeuntque legati, Rex interim apoplexia vitam finiuit. Corpus eius Cracouiam reuectum, in basilica arcis honorifice sepultum est, matre funus prosequente, quæ marmoreum monumentum filio ponendum curauit. Fuit Ioannes Albertus statura proceriore, colore subfusco, capillo nigro & raro, ingenio magno, literarum & præsertim historiæ studiosus, liberalitate erga militares homines, & magnitudine animi non vulgari; aulicum comitatum non infra mille sexcentos alere solitus: in venerem procliuior, cœlebs tamen extinctus est cum fere nouem annos regnasset.

Petrus profugus Eliæ Valachi P. filius capite plectitur.

Legatio Regis Io. Alberti ad Magistrum Crucifer orum.

Io. Alberti Regis mors.

ALEXANDER REX.

IVstis funeribus Ioanni Alberto persolutis, itum est Petricouiam ad comitia, creandi noui Regis gratia, de more à Friderico Archiepiscopo Gnesnensi, qui idem Episcopus Cracouiensis & presbyter Cardinalis erat, indicta. Consultatum q; aliquandiu variantibus procerum sententiis, & studiis in reliquos Casimiri filios diuisis. Complures enim de minorib. Polonis ad Vladislaum Vngarorum & Bohemorum Regem regnum deferebant, quod eum opibus externorum regnorum paternum & auitũ regnum auctu rum & ornaturum, & maiore vi coniunctis trium populorum viribus contra barbaros Turcas ac Tartaros, & quosuis alios hostes defensurum esse dicerent. Alii vero Sigismundo Glogouiensium & Opauiensium Duci fauebant. Sed vicit eorum sententia, qui Alexandrum magnum Ducem Lithuanorum Regem edebant. Nam & rationibus certis & exemplis ij refelebant eos, qui Vladislao studebant, ostendebantque, neq; Vladislai prioris, neque Ludouici tempore expediuisse Polonis, eundem cum Vngaris Regem habere. Negotiosum esse in primis regnum Vngarorum, partim propter inquieta gentis ingenia, partim propter vicinos Turcas, ita vt Rex diutius ab eo regno abesse recte non possit. Polonis item præsente Rege opus esse, magisque incommodis ac cladibus maiores suos affectos ob Regis absentiam. Contra, Lithuaniam perpetuo fœderis nexu olim à Iagellone & Vitoldo cum Polonia consociatam, & quasi in vnum Reipublicæ corpus redactam, ab ea disiungi, & quasi amputari, prorsus inutile esse. Omnibus bellis priscis ac recentioribus Lithuanos multum momenti Polonorum viribus attulisse. Et quemadmodum ii sine Polonis nil præclari vnquam gessissent, gerantue: sic à Polonis quoque, sicubi Lithuani abfuissent, non magnum operæprecium factum, ex quo ii sese cum ipsis coniunxissent. Commodum autem aduenerant Lithuanorum proceres, Albertus

Comitia Petricouiæ.

Varia sententia de Rege creando.

Non expedire, eundem esse Vngar. & Polon. Regem.

Lithuanorum coniunctio cum Pol. vtrisq; vtilis.

Lituanorũ legatio ad Comitia Polonorum.

tus Tabor Episcopus Vilnensis, Ioannes Zabrezinius Mareschalcus, Nicolaus Radiuilus pincerna magni Ducatus Lithuaniæ, & alii quidam duo cum mandatis Alexandri Ducis, ac totius Senatus Lithuanici ad eligendum cum Polonis secundum præscriptum fœderis Regem, & iurandum in verba eius, confirmandumque & renouandum hæc antiqua fœdera: vt

Fœdus Lituanorum cũ Polonis renouatum.

ex Polonis atque Lithuanis vnus deinceps sit populus sub vno rege: Rex autem in Polonia creetur, Lithuanis etiam proceribus suis locis in eo conuentu suffragia ferentibus: consilium vnum sit vtrique populo, & societas in secundis iuxta ac aduersis rebus: moneta par atque similis: fœdera, antiquitus ab vtrisque icta, seruentur ab ambobus, quoad alteris non incommodabunt: magistratus, senatores, præfecti, Nobilitas, & alii quiuis Lithuani iurent in verba Regis, non semel tantum, sed quoties à proceribus Polonis admoniti fuerint: iura & prærogatiuæ vtriusque populi simul & eodem contextu literarum à nouis Regibus confirmentur: cæterum iudicia more antiquo vtrobique exerceantur: nulla denique occasio vtrinque captetur dirimendæ coniunctionis.

Alexander Rex renunciatus. Polonorum legatio ad Alexandrũ M. D. Lit.

His ita gestis & constitutis, Alexander renunciatus Rex est, missique ad eum Brestam oratores principes Senatus, Andreas Rosa Archiepiscopus Leopolienſis, Ioannes Lubranſius Episcopus Posnanienſis, Andreas Szamotulius Posnanienſis, & Ioannes Tarnouius Lublinenſis, Palatini, iusiurandum ab eo, & proceribus Lithuanis de seruandis pactis conuentis exegerunt, regnumque ei detulerunt. Nec longa mora interiecta, matu-

Tartarorũ Zauolgen Sachmatis legatio ad Regẽ Alex.

rauit is iter Cracouiam cum mille quadringentis equitibus, suscipiendi diadematis gratia. Verebatur enim, ne quid Vladislaus frater fautorum suorum consilio moliretur. Dum autem præstitutum coronationi diem Cracouiæ nouus Rex expectat, aduenit ad eum legatio Sachmatis Zauolgensium Tartarorum Principis: quæ introducta in Senatum adorato de more gentis Rege, incusauit Polonos iuxta ac Lithuanos, quod cum ii Sachmatem cum ingentibus copiis tam longo ac difficili itinere in auxilium contra Tauricanos Tartaros euocassent, ipsi tam diu cunctarentur cum eo se coniungere, & communem hostem non tam viribus suis, quam natura loci & peninsulæ latibulis fidentem aggredi: paterenturque amicos & socios vastis atque incultis locis hærentes hyberni cœli inclementia, pabuli & commeatus inopia, & fame vna cum equis confici. Verendum, vt Tartari gens alioqui ferox, nec satis morigera suis Principibus, mala consultrice fame stimulante, in officio contineri possint. Responsum in hanc sententiam: Regem celebritate coronationis peracta acceleraturum expeditionem, & cum Polonis ac Lithuanis ad Borysthenem præsto futurum, operamque daturum, ne Sachmatem cum suis tam longinquæ ac diuturnæ expeditionis pœniteat. Hac spe onusti legati, additis hospitalibus donis, quæ domino suo ferrent, dimissi sunt sine mora. Interea

Tartaricũ bellum. Zauolgenses Tartari à Tauricanis profligati. Sachmates fuga & captiuitas.

vero Sachmatis vxor, inediæ ac frigoris impatiens, maiore cum parte copiarum eius in Tauricam transfugit. Qua virium accessione fretus Tauricanus princeps Mendlikereius, qui Mahometkereio forte defuncto, vel superiori pugna cæso succesſerat, duxit in hostem: commissoque in patentibus campis sub Kiouia prelio, victum ingenti strage Sachmatem in fugam vertit. Sachmates dissipatis suis cum trecentis modo equitibus

bus Bialogrodum profugit. Vbi cum substitisset aliquandiu inops consilii, & à Turcis in gratiam Mendlikereii insidias parari sibi persensisset, per vastas Podoliæ solitudines Kiouiam petiit. Sed ne ibi quidem tutus fuit: circumuentus enim à Palatino siue præfecto loci, Vilnam transmissus, ibique Regis aduentum præstolari iussus, cum aliquoties fugere conatus esset, retractus è fuga, maiori cura asseruatus est. Hunc exitum Tartaricum illud bellum habuit.

Alexander Rex coronatur.

Alexander duodecima Decembris die à Friderico fratre in basilica Cracouiensi ritu solenni inunctus & coronatus est. Nec multo post Sigismundus Alexandri frater Dux Glogouiensis, & Opauiensis, Ioannes item Baduarius Venetorum legatus gratulaturi regnum Alexandro aduenerunt. Mense autem Februario sequentis anni millesimi quingentesimi secundi venit & Helena Regis coniunx è Lithuania: nec tamen diadema de more Reginarum illi impositum, eo, quod Græcorum religioni dedita, ab institutis ecclesiæ Romanæ abhorreret. In Lithuaniam deinde Rex initio mensis Maii cum ea se contulit, Friderico Cardinale fratre vicario & gubernatore regni pro se constituto. Acceperat enim Moscos contra Lithuanos bellum reparare. Nec ita multo post Demetrius Ioannis magni Ducis filius affinis Alexandri Regis cum valido exercitu adfuit, & ad Smolenscum castra metatus est: frustraque tentata arcis expugnatione, reduxit exercitum, cum Alexandrum Regem magnis cum copiis aduentare didicisset. Pax deinde, siue adeo sex annorum induciæ inter socerum & generum constitutæ, ea lege, vt captiui modo redderentur. Per idem fere tempus Tartari Taurieani, quum Podoliam, Russiam, & Sendomirienſem tractum populabundi peruagati, Rossouiam, Iaroslauiam, Radimnum, Belzum, transmissoque Vistula fl. Opatouiam, Lagouiam, & Cunouiam oppida diripuissent & exussissent, ad Paczanouiam vsque peruenere. Inde cum Ioannes Vapouius, qui erat in ministerio Friderici Cardinalis, aliquanta manu sagittariorum in aditu eius oppidi ipsis se opposuisset, & non mediocris exercitus speciem ostendisset, reuocarunt gradum præda omnis generis onusti, & ferro ignique in obuia quæque, quæ abigere vel asportare commode non poterant, crudeliter debacchati. Processit quidem ipsis obuiam Fridericus Regis frater cum quingentis equitibus, & peditum aliquanta manu tumultuaria, cætera Nobilitate Corczinum se sequi iussa: verum dum ea tardius molitur, Tartari in tutum se cum præda recepere. Eo ipso anno induciæ, viuente adhuc Ioanne Alberto, cum Baiazete Turcarum Imperatore dudum initæ, constitutæ, per Nicolaum Firleium Præfectum Lublinenſem confirmatæ sunt. Infestauit autem tunc ea gens Bosnam, & regiam gentis Iayczam obsedit, acriterque oppugnauit. Contra quem exercitum cum Vladislaus Rex Vngarorum copias expeditas misisset, commisso prælio, cum æquo marte aliquandiu dimicatum esset, ad extremum Turcæ fusi & fugati sunt. Nec tamen Vngaris incruenta cessit victoria.

Alex. Rex in Lituania se confert. Frid. Cardinalis Vicarius & prorex. Smolẽscum à Moscis oppugnatum. Inducie inter Moscum & Regem Alexandr. Tartarorum Tauricanorum excursio in Poloniam.

Inducie cum Turcis firmate per Nicol. Firleium.

Turca victi ab Vngaris.

Insequens annus millesimus quingentesimus tertius Friderici Cardinalis

Ann. Chr. 1503.

regii fratris, Creslai Kurosuancii Vladislauiensis Episcopi, & Conradi Ducis Masouiæ continuis prope funeribus memorabilis est. Fuit autem Fridericus procera statura, aspectu decoro ac dignitatis pleno: cæterum iners, ignauo ocio, crapulæ, & assiduis compotationibus marcescens, & ad extremum morbo Gallico confectus est teste Matthia Miechouio medicho. Vnum illud nominis sui monimentum in basilica Cracouiensi reliquit, quod thecam c.luæ Diui Stanislai martyris auream, & multis preciosis gemmis distinctam contulit. Ei suffectus in Metropolitana quidem Gnesnensi sede Andreas Borsscuius cognomento Rosa Archiepiscopus Leopolienſis, Bernhardino Vilcico successore in Leopolienſi accepto: in Cracouiensi vero Ioannes Konarscius, qui procurator Friderici fuerat, in gratiam Reginæ matris, quam vulgaribus officiis & caponibus subinde præbitis demeruisse dicitur. Porro Creslaus Kurosuancius in Episcopa quidem Vincentium Przerembium Episcopum Præmislienſem: in munere autem Cancellariæ Ioannem Lascum Præpositum Scarbirienſem & Canonicum Cracouienſem successorem accepit. Przerembio vero in Episcopa Præmislienſi Matthias Dreuicius successit, qui & in Procancellarii munere ante successerat. Conradus vero Masouiorum Dux Ioannem & Stanislaum filios impuberes hæredes reliquit: sed hi in Czirnensi tantum ditione ius succedendi patri habebant. Cæteræ, quas Conradus à Ioanne Alberto Rege precario obtinuerat, ad Regem ex pacto deuoluebantur. Nec tamen reddebantur, Anna vxore defuncti cum proceribus eas retinente. Quod quidem Rex facile passus est, pactus cum Anna & proceribus, ne id sibi regnoque fraudi esset, donec controuersia decreto comitiorum decideretur. Verum transacta res est amice sequenti anno in comitiis Petricouiensibus, indultumque pueris, vt quibus finibus pater ipsorum Masouiam tenuisset, ipsi quoque retinerant, & posteris suis masculis tantum relinquerent. Vbi vero masculi hæredes defecissent, tum demum Rex Polonorum totam Masouiam reciperet, gentemque suis legibus viuere permitteret: puellis (si quæ supereſſent e Ducum genere) pro dignitate dotem daret. Vbi ad pubertatem pueri peruenissent, tunc demum vt pacta hæc diplomatis suis approuarent, & iuramento Regi sese obstringerent: interuim autem mater Principatum omnem administraret. Atque hæc sequenti demum anno conuenere.

Friderici Cardinalis mors & mores.

Conradus Dux Masoniæ moritur.

Transactio Regis cum Massouiam Ducibus.

Tartari Tauricani Russiam populantur.

Pocucia à Moldauo intercepta. Comitia Lublini.

Hac autem æstate Tartari Tauricani Podoliam & Russiam hostili rursus incursione vexarunt, à Stephano Palatino Moldauorum, vt habitum est, concitati. Ipse quidem immisso in Russiam finitimam exercitu, tractum omnem inter Nestrum amnem & Sarmaticos montes, quem Pocuciæ vocant, nemine resistente, ac ne exspectante quidem quicquam eiusmodi, subegit: siue, vt ipse dictitabat, de sua ditiona prius detractum recepit. Rex itaque crebris nunciis è Lithuania excitus, Lublinum extremis diebus mensis Octobris venit, ibique comitia procerum habuit, placuitque, vt in æstatem proximam milite mercenario res contra Moldauos gereretur, & Pocucia repeteretur. In stipendium vero decreto comitiorum impetrata est oppidanis & agrestibus pecunia vsitato more Rex deinde peracto conuentu Cracouiam se contulit, & ibi hybernauit.

Vere

Ann. Chr. 1504.

Vere proximo anni millesimi quingentesimi quarti exercitū è mercenario milite conscriptum in Russiam misit: ipse vero, posteaquam pluuiæ & insolitæ fluminum inundationes remiserunt, in Prussiam profectus, iusiurandum fidelitatis à Prutenis exegit. Fridericus vero Magister Crucigerorum cognito aduentu regio ad consanguineos suos in Saxoniam se recepit, ne vel iurare in verba Regis, vel improuisi belli molem imparatus sustinere necesse haberet. Sed ne Germania quidem tunc domestico & intestino bello vacabat. Ideoque Fridericus apud suos nil tunc opis inuenit. Per id tempus Moldauia infestata & vexata est à Polonis, ita vt Stephanus è munitionibus Pocucienſibus præsidia deducere coactus sit, præsertim cum ipse grauissimo pedum dolore affligeretur: quo ad extremum confectus, breui post extinctus est, vir magnitudine animi, astu, & peritia rei militaris, & rebus contra Turcarum, Polonorum, Vngarorumque Reges ac Tartaros feliciter gestis omni æuo memorabilis. Cui Bogdanus filius luscus in dominatu successit. Poloni satis habuerunt Pocuciam recuperasse. Tartari vero cum non ignorarent, in propinquo esse regium exercitum, quieuerunt eo anno. Mature igitur exercitus ille exautoratus est, siue quod eo nihil opus erat, Moldauis ac Tartaris quiescentibus &, vt videbatur, deinceps etiam quieturis: siue quod deerat pecunia, ita vt ne emerita quidem stipendia militibus exsoluerentur. Quo factum, vt ii agminatim in Cracouiensem oram reuecti, cum ne Cracouiæ quidem spes vlla pecuniæ è thesauro regio numerandæ ostenderetur, in bona & possessiones Episcopi & Abbatum inuaderent, & inde rapto sese sustentarent, donec Rex è Prussia rediit: quod quidem sub æstatis finem factum. Quo tempore Casimiria, quæ Cracouiæ ponte iungitur, à meridie ad noctem vsque Rege ex arce inspectante arsit, & cum turribus & pinnis mœnium penitus deflagrauit.

Ann. Chr. 1505.

Finitis Petricouiæ comitiis, constitutisq; rebus Polonicis & Masouiticis, Alexander Rex insequentis anni initio Brestam (quo Lithuanis conuentū indixerat) contendit, vt eius quoq; gentis res turbatiores componeret. Principem gratiæ locum ex ea gente apud eū obtinebat Michael Glinscius Dux Russus, vir elati animi, magnasq; in Lithuania opes & potentiam atque clientelas, Russorum præsertim eiusdem linguæ & religionis hominum, sibi comparat. Indigne id ferebant Lithuani proceres, metuebantq;, ne per occasionem is Alexandri orbitate contempta Lithuaniæ principatum inuaderet, & ad suos Russos transferret. Quinetiam iactabatur vulgo, eum Alexandro insidias struere. Non latebant hæc Glinscium: & homo gratia Principis impotentior sui, non modo non dissimulabat quicquam, sed apertas cum æmulis suis inimicitias gerebat, & in odium Principis eos adducebat. Nec defuit ipsi occasio. Forte Rex Præfecturam Lidensem, Lithuano quodam amoto, Andreæ Drosdæ Glinscii consanguineo contulerat, & ad primores Lithuanorum absens mandata dederat, vt eum in possessionem eius Præfecturæ mitterent. Id illi odio Glinscii ad aduentū regium distulerunt. Hinc igitur arrepta occasione Glinscius cum alios Lithuanos proceres, tū inprimis Albertum Taborum Episco. Vilnensem, Ioannem Zabrezinium Palatinum Trocensem, Stanislaum Zarnouecium præfectum Samogitiæ, & Stanislaum Kiszkam exercitus ducem, quasi contumaces rebelleſq; criminari apud Regem, donec eo ad extremum Regem perpulit, vt is secretis

Moldauia à Polonis infestata. Stephani P. Moldauiæ mors & res gestæ. Poucia à Polonis recepta. Cracouien. ora à militibus infestatur. Casimiria deflagrant.

Motus Lituanici.

consiliis de nece ipsorum cogitaret. Quum autem in media Lithuania nil eiusmodi propter magnas eorũ clientelas, & communẽ gentis Lithuanæ dolorem tuto aggredi posse videretur, Brestam ad conuentum eos euocauit. Non ignorabant illi quidem Regem sibi iratum: & erat res plena suspicionis, quod Lithuanica comitia eum in locum præter morẽ edicta essent, aduenere tamen, sed ingressu arcis abstinuere. Tandem suasu Ioannes Lasci Cancellarii regni aliquantisper mitigatus, Zabrezinium quidem Palatinatu Trocensi deturbauit, dato ei successore Nicolao Radiuilo: Albertum vero Episcopum Vilnensem cum cæteris, qui idem sentiebant, senatus ingressu exclusit.

Sachmates Tartarus in Poloniã ductus.

Comitia Radomiæ.

Sachmatis libertas in dicendo.

Adductus deinde Vilna Sachmates Zauolgensium Tartarorum Princeps, cui Rex splendida & magna equitum caterua stipatus, ad quinq; millia passuum obuiam progressus comiter eum accepit, compositisque rebus Lithuanicis ad conuentum Polonorũ Radomiam secum duxit. Vbi introductus in Senatum, libere Regem & Senatum incusauit, quod ab *iis* contra Tauricanos Tartaros in auxiliũ pene ab Hircano vsq; mari ingentibus pollicitationibus euocatus, destitutus, deinde ac plane proditus, amissis partim per defectionẽ, partim aduerso prælio maximis, quas adduxerat, copiis, nihilo tutiorẽ apud socios & fœderatos, quã apud Turcas fugæ locum inuenerit: sed contra iurisiurãdi religionẽ pro captiuo habitus, & ad illud vsq; tẽpus in custodia, & quasi in carcere detentus sit. Sed Deus, sublatis in cœlum manibus, inquit, bonorũ omnium & malorum remunerator meã Regisq; causam aliquando iudicabit, & ærumnas meas, iusq; iurandum violatũ vlciscetur. Ad extremũ orabat, vt sibi libere discedere, & ad suos reuerti liceret. Responsum regio nomine: immerito ipsum de Rege & Senatu queri; ipsum sibi sua culpa, quicquid illud mali esset, conciliasse: quippe qui cũ validum exercitum haberet, hostemq; viribus longe inferiorẽ secundo prælio fudisset fugassetq;, in campis Kiouiensibus desidere ignauus, & sociorũ agros fœdere & iurisiurandi religione neglecta, rapinis vexare, quam vrgere victoriam, expulso q; hoste, Tauricæ imperium sibi adiungere maluerit: aut si id ei visum non sit, potuisse eum certe traiecto sursum Borysthene, è Moſci ditione prædas agere, & exercitũ inopem sustentare, tantisper, dum Poloni & Lituani veniunt. Ne fœminam quidẽ, vxorem ipsius mariti, nedũ exercitum viri ignauiam illam ferre potuisse. Seipsum igitur potius, quam quenquam alium incusaret. Adhæc plurimum eum Polonis ac Lithuanis incommodasse, quod sua culpa neglectis eorũ consiliis de infestanda Moscouia, defectione suorum vires hostium auxerit. Sic refutatæ sunt Sachmatis querelæ, retorta in eum culpa. Obnixius deinde is rogare, vt in Scythiam remitteretur: reparaturum se exercitum, & reliquias profligati collecturum: transfugas quoq;, vbi se incolumem cognouerint, ad se reuersuros. Ita fore, vt plus Regi commodare dimissus, quam retentus posset. Non satis consultum fore Polonis videbatur, dimittere ferocẽ hominem, detentione tã diuturna & retractione ex fuga irritatum, qui tunc etiam, cum sui iuris non esset, libere tamen & acerbe de iniuria querimoniam haberet. Sed Tauricano tamen Principi iratior esse, & infestior fore non immerito credebatur. Ita acquieturos tamen Polonos, barbaris inter se commissis. Placuit igitur, ipso assentiente, fratrem quidem eius Kozacum Soltanũ in Scythiam mitti, nouas copias Sachmati adducturũ, & Nogaienses Tartaros cõsanguineos suos contra

Responsum ad orationẽ Sachmatis.

contra Tauricanos concitaturum: ipsum vero Sachmatem Trocos remitti, expectaturũ, donec frater cum copiis reuerteretur, & Rex in Tauricã expeditionẽ faceret. His ita actis, Kozacus accepto à Rege viatico, in Scythiã cõtendit: Sachmates vero à Lithuanis proceribus Trocos reductus, liberiore viuendi ratione vti permissus, cũ dedisset fidem, se inde fugiturum non esse.

Habebat iterum Rex comitia Radomiæ: venerantq; eo Lithuani proceres, vt opera Polonorum Regem sibi reconciliarent: sed non potuere tamen ii quidquam aliud impetrare, quam vt Rex data ipsis repulsa publice, secreto Polonis polliceretur, se illos in gratiam recepturum, cum in Lithuaniam venerit. Dimissis Lithuanis atq; Tartaris, reliquum tempus comitiorum iudiciis & consultationibus de defensione regni contra subitarias incursiones hostium datum. De Nobilibus quibusdam, qui latrocinia exercuerant, supplicium sumptum. Ac Osuchouius quidem & Missouius gladio percussi: Russinouia vero fœmina cum ocreis, calcaribus, & cultu corporis virili (vt erat prehensa) suspendio affecta est. Ad defensionem vero regni minores quidem Poloni tributum agrarium duodenũm grossorum in stipendium mercenariorum militum sciuere: maiores autem id abnuere. Per quod tempus decimanona die mensis Maii tempestas horrenda circum Cracouiam coorta, tonitruis perpetuo terribiliter crepitantibus & coruscantibus inter densas nubes fulguribus, grandinem instar oui gallinacei demisit, qua frondes arborum crassiores etiã decusse, tectaq; domorum perfracta sunt: turris vna arcis fulmine percussa, tecti & muri parte abrupta, prodigii loco fuit. Nec multo post Rex Alexander vigore membrorũ in vna parte soluto (quem morbũ paralysin Græci vocant) Radomia Cracouiam post medium Iunium apportatus est. Quo subsecuta eum legatio Bogdani Moldauorum Palatini, qua petebat coniugium Elisabethæ sororis regiæ: & quo facilius id impetraret, Thysmeneciam, & Cieslibieslos territoria Regi reddebat. Ipse ne autem ea post mortem patris Polonis ademerit, vt tradit Vapouius, an à patre adempta, vt vult Micchouius, retinuerit: an vero, quæ nondum habuerit quidem in potestate, sed quasi sua repetere posse & velle videbatur, donanda sibi esse dixerit, non satis constat. Ea certe dabat, quæ ipse retinere non poterat: vt benignitate illa, quæ nihilo ipsi constabat, Regis & Polonorum studia promereretur. Abnuebant puella & mater barbaricum fœdi ac lusci hominis connubium: nec tamen repulsa irritare placebat hominem, & ex amico hostem facere. Itaq; pro munere quidem Bogdano actæ gratiæ, de coniugio vero ambiguum responsum datum.

Comitia iterum Radomiæ.

Tributum à minoribus Polonis scitum.

Tempestas horrenda.

Rex paralysi affectus.

Bogdani Moldauiloegatio.

Per idem tempus legati Nogaiensium Ducum (neq; enim vnum ii Principem habent) octoginta equitum comitatu in Lithuaniam aduenere, qui Sachmatem domum reducerent, magnas copias ad vlciscendum hostem Tauricanum ipsi pollicentes. Nec multo post Mendlikereii Tauricani legatio aduenit, petens, ne Lithuani proceres Sachmaten hostem Principis sui dimitterent, sed custodia continerent. Percussurum se fœdus cum Rege, nec vnquã deinceps in ditiones eius irruiturum. Vtiliorem autẽ fore Lithuanis & Polonis amicitiam suam, quã Sachmatis, à quo & propter longinquitatem sera, & propter debilitatas atque afflictas vires infirma auxilia essent expectanda. His vtrinq; auditis Lithuani proceres neutram in partem quicquam statuerunt, sed rem integram ad Regis aduentum suspenderunt. Patebat interim liber aditus legatis Nogaiensibus ad Sachmatem: qui cum

Nogaiensiũ Tartarorũ legatio.

Tauricanorum Tartarorum legatio.

cum duci se pollicitationibus Lithuanorum suspicaretur, consilium fugæ cum legatis & equitatu, quem circum se habebat, clam iniit, effusoque cursu dies ac noctes iter continuabat: sed occurrentibus per compendia viarum Lithuanis, ex fuga retractus, ac diligentius deinde asseruatus est. Nihilo tamen magis Tauricani per eos dies Lithuaniæ vexatione abstinuerunt. Nam è Minscensi territorio prædas extremis diebus Augusti mensis egerunt: quo factum est, vt Lithuani anno sequenti Vilnam muro cingerent. Sub excursionem autem illam Tartaricam tertio calendas Augusti Elisabetha Regina, Casimiri vidua, eximiæ prolis mater, Cracouiæ extremum vitæ diem clausit, fœmina pietate insigni, & munificentia in cultum diuinum singulari. Cuius præclara & regalia donaria extant etiamnum cum ulibi, tum in basilica Cracouiensi, vbi honorificentissimo funere ab Alexandro & Sigismundo filiis elata in delubro sanctæ crucis sepulta: est quod ipsa viuens à fundamentis exædificauit, omnique apparatu magnifice ornauit, & censibus domoque in octo presbyteros, & nonum ministrum collatis dotauit. In D. quoque Michaelis templo in eadem arce sito totidem presbyteris, qui eantando & sacris operando assidue cultui diuino vacarent, census attribuit.

Tartarorũ excursio in Lituaniam.

Elisabetha Regina mors.

Exequiis matri regio more celebratis, Alexander Rex cum ope medicorum à morbo reuelatus esset, calendis Octobribus Lublinum profectus est, & anni sequentis millesimi quingentesimi sexti initio comitia Polonorum habuit. Certatum ibi ac disceptatum inter proceres ecclesiastici ac politici ordinis de ordine & ratione sedendi in Senatu, ac de expeditionibus bellicis. Contendebant proceres, vt Episcopi alterum Regis latus sibi concederent, alterum vel dextrum sane ipsi tenerent: deinde vrgebant, vt bona ecclesiis addicta, perinde ac Nobilium publica belli onera sustinerẽt. Tuebantur Episcopi prærogatiuas suas, quod vtriq; lateri regio assidendi ius ipsi, & militiæ vacationem ecclesiastica bona antiquitus haberent. Post longam altercationem Rex tandem controuersiam ita decidit, vt Episcopis & ecclesiis prærogatiuæ saluæ manerent. Constitutum deinde, vt à Rege noua moneta argentea cuderetur, & vsitatum tributum ab agrestibus & oppidanis in stipendia militum, qui ad fines Russiæ & Podoliæ defendendos, ac depellendum Pocucienſi territorio Bogdanum mittebantur, contribueretur. Etenim Bogdanus nuptiarum Elisabethæ sororis regiæ compos non factus, quod Regina puellæ mater ipsi aduersata diceretur, vbi cognouit, Reginam mortuam, rterum ea de re ad Regem oratores ablegauerat. Sed cum puella negcret, se ipsi nupturam, ira percitus cum infesto exercitu Pocuciam inuaserat: ac cum nullum ibi esset præsidium regium, nec validæ munitiones, paruo negocio suam in potestatem redegerat. Igitur quatuor millia mercenariorum decreto comitiorum in Russiam missa, Pocuciam sub signis ingressa sunt: profligatisque ac dissipatis sexcentis Valachis præsidiariis, territorium omne non multo maiore negotio, quam erat amissum, recuperarunt. Moldauiæ deinde fines incursionibus infestarunt: vbi duo Strussi fratres Felix & Georgius cum ala quinquaginta equitum longius prouecti, cum in longe plures forte incidissent, audacius, quam par erat, cũ eis congressi, à multitudine hostium oppressi sunt. Ac Felix quidem in prælio fortiter dimicans cecidit: Georgius vero, dum fratri laboranti per medios hostes animose inuectus fert opem, suffosso equo ad terram decidit, ibique

Comitia Lublini. Ann. Chr. 1506.

Contentio procerum cũ Episcopis de loco & immunitatibus.

Bogdanus Pocuciam inuadit, & suæ potestati fecit.

Felix & Georgius Strussi fratres à Valachis interfecti.

ibique captus, & ad Palatinum deductus, cum octo aliis capite plexus est. Cæterum non inulta mors eorum Valachos mansit. Postridie enim eius diei Poloni hostem victoria recenti exultantem consecuti & adorti, magna strage vlti sunt. Cæsus præfectus Chocimensis: Copacius vero dux exercitus Valachici fuga elapsus est. Consummarum postea bellum icto fœdere, quũ Bogdanus tres oratores ad Regem misisset, petitum rursus Elisabetham sororem regiam in matrimoniũ, atq; ita iam conuenerat: Vt Elisabetha Bogdano nuberet his legibus, vt is ad Romanæ ecclesiæ ritus cum aulico suo comitatu accederet: in Moldauia vt templa, sacerdotes, & vnus Episcopus Romani ritus instituerẽtur: Romanus Pontifex Bogdano postulante matrimonium id approbaret: Bogdanus regiis ditionibus fœderatus vt esset, & cum cęteris Christianis Principibus bellum contra barbaros susciperet. Nec tamen hæc pacta rata fuere: adactusq; postea bello Bogdanus, Sigismundo Regi illas Alexandri litteras reddidit.

Valachi fusi à Polonis.

Pacta Alexandri Regis cum Valacho.

Tuncautem Alexander comitiis Lublinensibus confectis, in Lithuaniam iter conuertit. Expectabant enim eum ibi Nogaiensium ac Tauricanorum Tartarorum legati: & acceperat, Ioannem magnum Ducem Moscouiæ è viuis excessisse, gentemq; in motu esse, ita vt ipsi commoda occasio recipiendi ea, quæ Moscus Lithuanis ademerat, oblata esse videretur. Omissa igitur siue in aliud tempus dilata rerum Moscouiticarum cura, Alexander cum Mendlikereio gratificari statuisset, Sachmatem cum omni comitatu & legatis Nogaiensibus Vilnam adduci ad se iussit, instauratoq; iudicio reum violati fœderis damnauit, & Caunam diligentius asseruandum misit, frustra deprecantem & contestantem, minime placatum iri Lithuanis & Polonis sua captiuitate & miseria Mendlikereium: Cæteri Tartari per munitiones & castella Lithuaniæ distributi. Nec male diuinauit Sachmates. Paulo post enim legatis Mendlikerei domum reuersis, mense Maio quinq; millia expeditorum Tartarorum è Taurica eruptionem fecerunt, & Podoliam, Russiam, atq; Lithuaniam longe lateq; crudeliter afflixerunt: & præter aliam prædam ingentem ad centum millia hominum in barbaricam seruitutem abripuerunt: plurimos vicos atq; pagos exusserunt, & in imbecilliorem senum ac puerorum multitudinem ferro sæuierunt.

Magnus Dux Moscouia moritur.

Tartari Podoliam, Russiam & Lithuaniã populantur.

Languebat tunc Rex, ab empirico quodam medico seu verius impostore, qui se, Polonus cum esset, Græcum mentiebatur, balneis & sudoribus magis etiam debilitatus. Procerẽs vero Lithuani mutuis odiis certantes, suum quisq; negotium agebant, nec vllam habebant curam Reipublicæ. Tartari tam felici successu illecti, distracta prædi, quam retulerant, paruoque interuallo quieti dato, mox auctis viribus mense Augusto denuo in Lithuaniam irruerunt: & cum ad Clescum oppidum constiterunt, relictis ibi duobus Sultanis (sic illi Principis filios vocant) cum decem millibus equitum, ad quos illi receptum habituri essent, cæteri ad viginti millia turmatim quoquoversus populabundi excurrerunt. Vilnæ Rex languens decubuerat. Inde vero discedens cum coniuge & supellectile sua omni Lidam, quæ arx duodecim milliaribus à Vilna abest, peruenerat. Ac Miechouius quidem eum aduentu Tartarorum excitum, quum negarentur Lithuani, nisi Rex ipse loco se mouisset, ad arma concursuri, nequiquã suadentibus medicis, ad castra se vehi iussisse memorat, ne vel in extremo halitu suis deesset. Lidæ cum esset, ecce adest quispiam, nuncians Tarta-

Alexandri Regis aduersa valetudo.

Tartari denuo Lithuaniam vastant.

ros populabundos vix vnius diei itinere abesse: se sagitta ictum in faciem, equi pernicitate manus eorum ægre effugisse. Parum fidei habitum est nuncio. Proinde Michael Glinscius, qui Regem comitabatur, Rascios equites aliquot, quos ad manum habebat, dimisit, certius omnia exploraturos. Nec longe hi abierant, cum in turmam Tartarorum inciderunt, consertaq; intrepide pugna, nouem ex iis interfecerunt, cæteros in fugam verternnt, & præfixa hastis occisorum capita ad dominum suum retulerunt. Trepidatum est circa Regē vehementer. Placuit deinde, vt Rex molestia itineris & quassatione afflictus, Vilnam lectica reportaretur. Glinscius vero cum Stanislao Kiszka exercitus, duce & Lithuana Nobilitate, quæ aduentu Tartarorum audito ad Regem confluebat, hosti obuiam iret. Missus etiā, qui Sigismundum Regis fratrem celeriter accerseret. Siue enim viueret Rex, siue moreretur, & siue vincerent Lithuani, siue vincerentur, præsente eo videbatur opus esse. Ac Rex quidem continuato die nocteq; itinere, Alberto Episcopo Vilnensi, Ioanne Zabrezinio, & Ioanne Lasco Cancellario regni cum Regina deducentibus, vix trahens spiritum Vilnam reportatus est. Michael vero Glinscius, cum Kiszka subito morbo correptus esset, non ignarus moris Scythici, quamuis non amplius septem millibus equitum ēt ēgisset, properandum ratus est in hostem ad Clescum desidentem, priusquā cuncta agmina, quæ diuersa & palantia prædas agebant, eo sese recollegissent. Erat prope statiua hostilia, qua Lithuani veniebant, amnis non magnus, neque profundus, sed limosus, & ob id ægre vadabilis. Eius ripam vlteriorem Tartari, cum Lithuanos contra se aduentare cognouissent, occuparant, ac denso sagittarum imbre Lithuanos transitu prohibebant. Habebant Lithuani secū tormenta aliquot, quæ cum exoneraſſent, hostem à ripta summouerunt, & comportatis è vicino frondibus ac virgultis, amneq; constrato in vlteriorē ripam cum euasissent, magno impetu in hostes impressionem fecerunt. Peropportune autem in primo agminum congressu equites Poloni trecenti ex aulico Regis comitatu, duce Sendiuoio Czarncouio Palatini Posnanensis filio, Vilna accurrentes, è propinquo colle Tartaris sese ostendere. Cumq; armis fulgentes frontem latius diduxissent, ac tympanis tubisque vehementius insonuissent, & longe maioris, quam pro numero, exercitus speciem præse tulissent, Lithuanis quidem animum addidere, hostibus vero terrorem incussere. Itaq; statim ii in pedes se coniecere. Nec pigrius instabant Lithuani fugientibus, nec vllum recolligendi sese spacium dabant. Forte palus erat cœnosa, qua barbari constipati adhuc fugiebant. In eam cum vrgentibus à tergo Lithuanis compulsi essent, plurimi cœni voragine absorpti sunt, nec pauciores restitantes ab insequentibus contrucidati: Soltani duces exercitus equis in palude relictis ægre euasere. Glinscius magnā non solum egregii ducis, verum etiam strenui militis laudem ex ea victoria consequutus est, tribus equis sub eo confossis. Neq; tamen hacille victoria contentus fuit: sed reductis ad hostium statiua copiis, tacitus ibi consedit, operiens, donec cæteri hostes, qui prædatum longe lateq; excurrerant, casus suorum ignari, ad statiua, quemadmodum inter eos conuenerat, reuerterentur. Nec eum fefellit coniectura & successus. Post quartum enim diem eos turmatim reuerti incipiētes, vt quiq; primi venerant, excepit, & magna strage concidit: ita vt viginti millia barbarorū tunc cæsa, totidē equi capti memorentur: præda omnis excussa, & ingens captiuorū numerus liberatus.

Sigismundus à fratre ad regnum accitur.

Tartari à Lithuanis ad Clescum funduntur.

Iam

Iam Alexander Rex desperata valetudine, & testamento condito, sumptisq; ritu Christiano sacris mysteriis animam agebat, quum ei de victoria suorum nunciatum est. Sublatis igitur in cœlum manibus, & oculis lachrymas stillantibus, tacitus amisso iam vsu linguæ gratias agere Deo visus est, protinusq; expirauit decimanona mensis Augusti die, quadragesimum sextum agens annum, quum non totos quinque annos regnasset in Polonia. Cuius obitum cometes paucis ante diebus ad Septentriones conspectus portendit: quin & globus igneus clarissimus quadam nocte super turrim prætorii Cracouiensis decidisse visus est. Fuit Alexander statura mediocri, facie oblonga, capillo subnigro, viribus corporis atq; lacertis validis: verum ingenio heberiore, atq; ob id taciturnus. Liberalitate fratres omnes superauit, non sine voluptate sua fortibus viris ac militaribus, atq; aulicis beneficentia facere solitus: cantoribus etiam, citharœdis, atq; tibicinibus impendio delectatus est. Prodigum potius, quam liberalem fuisse multi existimauere, ita vt in tempore eum decessisse dicerent, priusquam Poloniam & Lithuaniam omnem prodigeret. Bonorum quidem regiorum magnam partem oppignorauit. Certatum est de funere Alexandri: Ioannes enim Lascus Cancellarius Cracouiam id efferre discupiebat, asseuerans, ita ipsi quoq; Regi placuisse. Contra Lithuani proceres Vilnæ iuxta Casimirum fratrem sepelire Regem volebant. Nec iniustam eius consilii sui causam habere videbantur. Cum enim abesset Sigismundus Regis defuncti frater, verebantur, ne, dum ipsi funus honoris gratia Cracouiam deducentes eunt & redeunt, interea Michael Glinscius homo factiosus, & recenti victoria magis etiam elatus, Lithuaniæ Principatum adiuuantibus Russis suis inuaderet. Dum hæc fiunt, & pompa funeris apparatur, Sigismundus Dux de morte fratris in itinere nuncio accepto accelerauit iter. Venienti primus omnium procerum Glinscius cum septingentis equitibus gratulabundus occurrit: cui appropinquanti è cubiculo Sigismundus obuiam progressus, comiter & benigne eum accepit, & in conclaue suum deduxit. Ibi Glinscius non ignarus, suspectum se Principi, (nam à proceribus Lithuanis, quasi affectaret Principatum, delatus fuit) luculenta sese oratione purgauit, & studium obsequiumque suum ipsi detulit. Ac deleuisse omnem suspicionem ex animo eius sibi visus est: cum Sigismundus Princeps ei vicissim, seu vere, seu temporis causa de se omnia polliceretur. Frequentes deinde adfuere cæteri proceres, magnis & splendidis equitum cateruis stipati, Vilnamque Principem comitati sunt. Nec multo post funus regium superba pompa elatum, & in basilicæ delubro iuxta Casimiri fratris corpus sepultum est.

Figura eius & mores.

Alexander Rex moritur.

Sigismundus cum Glinscio congreditur.

HISTORIÆ POLONICÆ

Liber Septimus.

SIGISMVNDVS, REX.

ALEXANDRO Rege in Lituania defuncto proceres Petricouiam comitia noui Regis eligendi causa indixerunt. Quo cum Ordines frequentes conuenissent, die octaua Decembris sacro celebrato omniū votis à Deo Princeps, qui Reipublicæ clauum gubernaret, expetitus, paulo post sacris peractis, totius Senatus assensu SIGISMVNDVS Casimiri quintus filius, Glogouiæ Opauiæq; Dux, qui iam ante magnus Lithuaniæ Dux designatus erat, Polonorum Rex electus & renunciatus est. Quam electionem hæc permultum promouerunt, quod Vladislaus Vngariæ Bohemiæq; Rex ex filiis Casimiri natu maximus Osualdo Katlacio ad regni Poloniæ Senatum legato misso, primogeniti ius Sigismundo ad regnum auitum & paternum cessit, summoq; studio pro eius electione laborauit: deinde, quod magnus Ducatus Lituaniæ alio Rege creato, tanquam Sigismundi hæreditarius à regno Poloniæ auellendus esset: ac deniq; memoria Casimiri non ingrata, spectataq; Sigismundi virtus ac iustitia in primis proceres Poloniæ mouit, vt eum Regem nuncuparent. Promulgato Sigismundo Rege, missi in Lituaniam legati: Vincentius Przerembius Vladislauiensis, Ioannes Lubranscius Posnanienſis, & Matthias Dreuicius Præmislienſis, Episcopi: nec non Andreas Szamotulius Posnanienſis, Ioannes Tarnouius Belzenſis, Palatini, ac Ioannes Lascus regni Cancellarius: qui Sigismundum Mielnici offendentes procerum de eo in Regem electo decretum ei aperuerunt. Cuius rei fama cum Cracouiæ ac per vniuersam Poloniā diuulgata esset, ingens lætitia animos hominum impleuit, vbiq; Deo votis publicis persolutis, eiq; gratiis actis, hinc domi pacis, foris victoriæ spe magna affulgente. Sigismundus legatorū postulatis haud grauate annuens, regnū delatum prompto suscepit animo, ac cum illis citra vlteriorem moram iter ingressus, Cracouiam 20. Ianuarii die sub annum salutis millesimum quingentesimum septimum instructissimo elegantissimoq; apparatu comitatuq; procerum Lituanorum venit.

Sigismundus M. Dux Lith. Rex Pol. electus.

Venien-

Venientem omnium Ordinum homines magno cum applausu ac gratulatione excepere. Reboabat tormentorum vis ingens, ignes locis multis accensi, tota nocte collucebant. Apparatis omnibus ad coronationem Regis necessariis, Sigismundus sacra in D. Stanislai ęde eucharistia accepta ceremoniis rite peractis Rex Poloniæ vnctus & inauguratus est ab Andrea Rosa Archiepiscopo Gnesnensi, assistentibus ei Ioanne Konario Cracouiensi, & Matthia Dreuicio Præmislienſi, Episcopis, ob dignitatis æmulationem ac dissidium inter Cuiauiensem ac Posnanienſem Episopos super ea re exortum. Adfuere item Leopolienſis Archiepiscopus, Vladislauiensis, Posnanienſis, Plocensis, Varmiensis, Episcopi. Hanc coronationem Vladislai Vngariæ ac Bohemiæ Regis fratris legatus Stephanus Thelecius cohonestauit. Adfuere præterea ex Ducibus magnatibusque Lithuaniæ non pauci: insignior cæteris Michael Glinscius fuit, cuius apud Alexandrum Regem demortuum summa autoritas, etiam vsque ad inuidiam non sine Reipublicæ incommodo creuerat. Incidit hæc Sigismundi Regis coronatio in diem Ianuarii vicesimam quartam. postridie ornamentis regalibus indutus, coronamque in capite gestans proceribus status vtriusque comitatus, eques in vrbem de more descendit, & ibi à Cracouiensibus iusiurandum ac claues vrbis accepit.

Sigismundus coronatus. Ann. Chr. 1507.

Coronatione peracta, quia Turcæ, Tartari, ac Valachi regno imminebāt, Rex nouus proceribus ac reliquis regni Ordinibus Cracouiæ comitia indixit, in quibus de regni ab hostibus defensione cumprimis agitatum. Decretum frequenti senatu, vt agrorum coloni iugeratim grossos duodenos contribuerent: Episcopi cum clero, Nobiles & oppidani prouentuum suorum partem conferrent, vt ex ea pecunia miles mercenarius conduceretur, ac in Podoliam, vbi plurimum impendebat periculi, mitteretur. Et quia Bogdanus Moldauiæ Palatinus res nouas moliri, ac delectum militum instituere nunciaretur, ex eo conuentu Stephanus Thelecius Vngariæ ac Bohemiæ Regis legatus ad eum in Moldauiam missus est, qui Regis vtriusque nomine ipsum sub grauibelli denunciatione admoneret, ac pacis conditiones ferret. In Vngariam quoque regnorum fœdere firmandorum causa oratores missi: Episcopus Posnanienſis, Mareschallus, & Cancellarius regni, ac Christophorus Szidlouiecius. In Polonia hoc anno pacata erant omnia, verum Lituania intestinis procerum dissediis laborauit. Nam Michael Glinscius, homo non minus audaci quam sagaci ingenio, apud Germanos anno rum amplius duodecennio rei militaris minime vulgari peritia acquisita, apud Alexandrum Regem defunctum summum locum atque authoritatem consequutus est, sed ea abusus, quod felicitatem eam moderate ferre nesciret, per ambitionem in præceps ruit. Initio cum paucis acceptus esset, largitionibus amicos aucupatus, bonis ferme omnib., & ipso Sigismundo Rege suspectis habitis, tandemque Alexandro ægrotante Lituaniæ Principatum haud obscure appetere visus est. Cuius rei insimulabatur ille à Io. Zabrezinio magni Ducatus Lituaniæ Maresciallo. Ea effectus ignominia Glinscius coram Sigismūdo Rege obiectum crimen diluere, de æmulo Zabrezinio conqueri, atq; innocentiam purgare suam nil reliqui fecit, causam suā contra eum iure agi, eiusq; linguacitate coerceri suppliciter orans, aut, si ipse ambitus fuisset conuictus, capitali se afficeret supplicio, nec pateretur vitā ducere ignominiosam. Hęc Rex obaudire, rem protrahere, ac Senatum Lituani-

Comitia Cracouiæ.

Mich. Glinscius ambitiosus.

Principatū Lith. affectat.

cum tanti momenti negotium reiicere. Glinscius, qui in Regis insperatam offensam multis indiciis se incurrisse animaduertebat, ex comperendinatione vehementer animo angebatur. Rex, qua erat longanimitate, nil præcipitanter agendum ratus, omnia silentio tegere: contra tanto magis Glinscius vir elatæ mentis excruciari, vel tunc potissimum, cum ad intimum Regis cubiculum non admitteretur, ad fores præstolari coactus, cum Alexandro rerum potiente liber ei semper patuisset accessus. Rem igitur nouam & cum nominis sui infamia coniunctam quod diutius ferre non posset, ad Vladislaum Vngariæ ac Bohemiæ Regem Budam profectus, ec consilio, vt datis ad Regem fratrem, nec non ad regni Poloniæ proceres literis, eorum intercessione suspicione affectati dominatus, qua videbatur inique prægrauari, eximeretur. Sed ibi quoque spe frustratus sua: nil cunctatus, in Lithuaniam, acceptis tamen à Rege literis, ne negotii mora existimationi atque honori suo maioris dedecoris labem aspergeret, reuersus est.

Moscus hostis Regis Sig.

Interea vero Basilius magnus Moscorum Dux cum exercitu triginta millium passuum Smolenscum prætergressus in Lithuaniam irrupit, & Sigismundo Regi bellum indixit. Rex his acceptis, domi pace tebus compositis Cracouia vigesima quarta Maii egressus in Lithuaniam celeriter peruenit, coactisque vndique copiis Mosco quamprimum obuiam ire constituit. Moscus regium exercitum aduentare, atque Tartaros Tauricanos Lithuanis auxilia ferre vbi cognouit, exercitum non viso hoste domum reduxit. Rex cum hostes pugnandi copiam non facerent, exercitusque inopia commeatus atque æstus intemperie adfligeretur, Vilnam regressus est. Tartarus quoque Tauricanus, qui octoginta hominum millia exercitum duxisse ferebatur, paulo post in Tauricam re infecta digressus est. Rex comitiis iterum Cracouiæ indictis ex Lithuania propere Cracouiam mense Ianuario anni millesimi quingentesimi octaui venit. Cui vix domum reuerso per celeres nuncios significatum est, Moscum longe cum maioribus copiis rediisse, Mscislauiamque & Kriciouium castella à Smolensco bidui itinere obsidere, periculumque esse, ni periclitantibus castellis propere succurratur, in hostium ne veniant potestatem. Eo nuncio accepto, Rex eadem æstate Lithuanos rursus ad arma concitauit, mandauitque copiarum præfectis, vt magnis profecti itineribus Mscislauiam & Kriciouium obsidione liberarent.

Ann. Christi 1508. Lithuania iterum inuadit.

Mosci fugiunt.

Qui protinus traiectis fluminibus Berezina ac Borysthene, ad hostium castra cum peruenissent, eos ad pugnam prouocarunt: sed illi impedimentis omnibus relictis prælium detrectantes castellorum obsidionem soluerunt, & in Moscouiam pedem retulerunt. Tartarus quoque bona Moscouiæ partè deuastata paulo antea cum copiis Scythicis præda onustus ad suos se recepit. In Poloniam inde rex contendens, anni sequentis millesimi quingentesimi octaui principio Cracouiam ingressus est, quo conuentu edicto proceres frequentes conuenerunt, & dies de regno contra hostes defendendo complures consultarunt. Cæterum nouum Regem nouæ vbique difficultates vrgebant, ærariis cum priuatis tum publicis exhaustis, regiis passim bonis oppignoratis, & militibus, qui apud Ioannem Albertum atq; Alexandrum Reges stipendia meruerant, enixe solutionem flagitantibus. Quibus rebus Sigismundo Rege vehementer solicito, quod hinc regius honor fidem seruandam moneret, illinc ærarii exhausti inopia premeret, commode se obtulit Iohannes Bonerus Germanus, vir nobilis & locuples.

Tartarus Moscouiam vastat.

Conuentus Cracouiæ.

Nam

Nam præterquam, quod pecuniæ magnam vim ei mutuo dedit, eas etiam ditiones ac fundos, hactenus alieno ære obstrictos, repræsentato ære redemit. Militibus breui post pro Ioanne Alberto atq; Alexandro fratrib. ducenta amplius millia aureorum exoluit. Postremo arcem Cracouiensem ruinosam, vt vere regalis sedes esset, qua ad occidentem vergit, à fundamento nouam extruere cœpit, sicque rebus tranquillatis quarta Maii Cracouia egressus, ad Lithuanicum bellum se accinxit.

Mense Iulio rumore de Tartarorum in Volyniam eruptione sparso in Regis absentia, decreto Senatus Io. Camieniecius Castellanus Leopoliensis & Buscensis præfectus, adiunctis sibi quingentis equitib. ære publico conductis in Podoliã ad tuenda confinia missus est, qui die vicesima tertia illius mensis Miedzibozum perueniens, Tartaros clam in Volyniam erupisse cõperit, vix tribus horis illic militib. equisq; refectis, adscitis Braczlauiensi ac Vinnicensi Præfectis, prouinciæque. Nobilibus, ac ex Podolia suppetiis acceptis, itinere, quod viam nigram xocant, ad Voronouiam Hrodisco eodẽ die appulit, vbi Tartarorum copias prædam hominum pecorumque iam abigentes, quorum circiter duo millia equitum fuerant, animose inuadit, atque viriliter pugnando strenue fudit, præda omni recuperata, copiisque saluis Miedzibozum reductis. Nil deinceps memoria dignum apud Polonos gestum Rege absente ac peste sæuiente.

Tartarorum in Volẽniam eruptio.

Tartari fugantur à Camienscio.

Circa illud fere tempus Nobilis quidam Iacobus Melstinius, vt autor est Martinus Bielscius in annalibus Polonicis, eo insaniæ processit dæmonis impulsu, vt Christi nomen assumere non dubitarit, adscitis Petro Zatorscio ciue Cracouiensi, aliisque sui similib. duodecim impostoribus iuxta Apostolorum numerum. Iti Poloniam perreptantes multis falsis prodigiis & præstigiis populo passim admirabiles se faciebant, mortem simulantes in vitam reuocabant, pisces in paludes coniectos in nomine Christi extrahebãt, panes in furnos impositos, perinde ac si nulli ibi fuissent, eximebant. Memorabile in primis prestigium est ad Czenstochouiam in monasterio diuæ virginis imagine clarum ab ipsis patratum. Pseudochristus n. ille cum suis Pseudoapostolis, vbi nondum innotuerat, ex numero vnum, cuius opera cibaria parabãt à diabolo se obsessum mentiri iusserunt, qui diuersoria eo prætextu ingressus carnes ex coquinis raptas in socios suos fremebundus iaciebat, quib. illi pari astu cruce signatis vescebantur. Nec his contenti, aliam fabulam sibi agendem loci religiosi commoditate vsi censuerunt. Erat eo tempore illa diuæ virginis imago miraculis clara. Hi itaque suum illum fallo obsessum ad diuæ virginis altare sistunt, gemina veste ex composito indutum, in cuius intercapedine necessaria imponeret, lapillis inter indusium & vestes insertis. Præclarus itaq; energumenus ad altare ductus, subito ductorũ manib elabens, in altare auro argentoq; onusto plenũ irruit, pecuniasq; raptim ablatas in vestem ingessit. Eo viso monachus perterrefactus ab altari intermisso sacro aufugit, reliqui vero monachi male pecuniæ timẽres zona eius solutã pecuniã intra interulã quærunt, sed egregie delusi pro pecunia in veste duplicata relicta lapides in terram delapsos inuenũt, supra quos monachi arbitrantes dæmonis arte in pecuniã conuersos exorcismos pronũciare non cessarunt. Quos cum viderent exorcismis illis nil mutari, exorcista monachus ira percitus librum, ex quo exorcismos recitabat, humi proiecit, addens, se in vita talem dæmonẽ expertum esse nunquam. Hoc commeatu

Iac. Melstinius Christi nomen assumit.

Præstigiis admirabilis.

243

instru-

instructi in Silesiam Poloniæ confinem contendunt, simplici populo vbique imponentes, & ad quandam Nobilem fœminam ingressi: Christus, inquiunt, te cum suis discipulis inuisit ô mulier, ideoque te ipsi offer, & seruabitur anima tua. Quæ, maritum suum domi esse negans, sibi id facere minime integrum esse, respondit. Petunt itaque mappas vel telam ad sacrificandum, acceptaque, Christus tibi benedicet, inquiunt, vt linum maiori tibi copia proueniat. Iussa proferre aliam, si haberet, cum & eam ablaturi essent, mulier maritum timere se dicens, eam illis denegauit. Quo responso irritati portiuncula fomitis igniti in telam clam immissa, eam mulieri reddiderunt, quam illa nil mali suspicans in cistam reposuit. Vnde cista accensa tota domus conflagrauit. Maritus domo adhuc ardente veniens, ex vxore causam incendii quærit, quæ Christum eiusque Apostolos incensores esse respondit. Vir indignabundus nõ Christum, sed incendiarium sceleratissimum fuisse asserens, cum vicinis planos insecutus in quadam villa offendit. Pseudochristus ille periculo animaduerso ad eum, qui Petri nomen susceperat, dixit Petre, iam mea passio, calixque bibendus adest. Cui Petrus: & mihi, quantum video domine, imminet. Subiecit ille, Petre ego aliter hinc nisi saltu per fenestram effugere non possum. Cui Petrus, nec ego te, quoad vixero, derelicturus sum, sed quocunque fugeris, ego te sequar. Atque sic Pseudochristus ille per fenestram se proripiens sequente Petro, reliquus quoq; nebulorum manipulus in pedes se coniecerunt. Quos rustici in fuga adepti baculis fudibusq; egregie dedolant, ceduntque, subinde ingeminantes; propheriſa nobis pseudochriſte cum tuis, qua in sylua hi baculi creuerint. Hi itaque Phrygum more tot plagis mulctati vitam suam in posterum serio emendarunt; facto ipso edocti, difficile esse Christi passionem Apostolorumque cruciatus subire æmulariue.

Glinscius ad Moscum deficit.

Dum hæc ita geruntur, nunciatur interim, Lituaniam Michaelis Glinscii defectione tumultuari. Ille etenim, postea quã affectati Principatus crimen diluere non posset, & Regem sibi iratum esse animaduertisset, ad desperatorum consceleratas artes conuersus, extrema tentanda sibi, censuit. Ac primum quidẽ ad Moscum inter nuncios clam missis eum ad exercitum in Lituaniam mittendum solicitat, magnam eius terræ partem cum Smolensco ei offerens, ea conditione, vt Regis Poloniæ præsidiis inde eiectis, Vilnaque in potestatem redacta, eius auxiliis adiutus Lituaniam in proditionis præmium accipiat. Moscus præclare rei gerendæ occasionem sibi minime negligendam ratus, sexaginta millium equitum exercitu contracto, eique Daniele Schena & Iacobo Zacharino Præfectis in Lituaniam eos inuadere iubet. Glinscius Mosci exercitum iam in procinctu esse certior factus, aperte contra Regem & aduersarios moliminibus atque consiliis se opponentes hostilia machinari cæpit Ioannemque Zabrezinium secum, tale*Io. Zabrezinium obtruncat.*que nil metuẽtem intempesta nocte in domum eius irruptione facta crudeliter obtrũcat. Quo nefãdo facinore patrato, desperatis reb., magni belli alea iam iacta, tumultuarios motus iilico passim excitauit, aliquot ex Procetibus Lituaniæ cõplices, ac primũ fratrẽ Basilium rebellionis sociũ adsciuit, qui certis castellis traditis fratris partes secutus est. His cognitis Rex reb. re-

Rex exercitum mittit in Moscouia

gni cõpositis, comitiisq; Cracouiẽsibus solutis, equitũ quinq; millia celeriter cogit, eis Nicolao Firleio Palatino Lublinensi summo duce præfecto, ac Lituaniam versus præcedere propere iusso, ipse paulo post lectissimo cum auli-

aulicorum equitatu subsequutus, quem Brestæ lustrauit, signis militaribus distributis, ac mandato dato, per Slonimum Nouogrodecum sub signo incederent. Quo vbi ventum, aliæ Lituanorum copiæ confluxerunt. Hi quamuis dubiæ fidei existimarentur, regium tamen exercitum splendidissimo equitatu adauxerunt. Quo etiam aliquot expeditæ Tartarorum sagittariorum equitum turmæ accurrerant. Quem exercitum conspicatus Sigismundus Rex, in spem venit certam, totam Mosci potentiam debellandi: id saltem metuens, ne hostes aduentu exercitusque magnitudine certiores facti, pugnam detrectantes, se non expectato retrocederent. Nunciato Regis aduentu, magna in Lithuania facta est animorum mutatio: nam complures Glinscii castris desertis ad regia vltro transibant. Mosci exercitus interiora Lituaniæ ingressus, haud procul à Berezina fl. castra fecerat, quo conatus Glinscii erupturi essẽt, anxie expectãs. Glinscius vero insperato Regis aduentu territus, obsidione Minscensis arcis soluta, cum præcursoribus, sibi in auxilium missis, Borisouiam versus se recepit. Quem Rex prius circa Minscum exercitu recensito & ordinato, fugientem ad Orsam citra Borysthenem, quo iam reliquus Moscorum exercitus ex sexaginta armatorum millibus peruenerat, insecutus est. Duces vero fuga Glinscii & regio aduentu cognitis, mox exercitum reducere statuerunt, Borysthenemque non sine incommodo superato, castra mille circiter passibus in sylua quadam vltra flumen sunt metati, trãsitu fluminis præsidio forti cõmunito. Regius exercitus in ea loca cum venisset, vbi Mosci Borysthenem traiecerant, castra illic fixit, quod dies illa diuæ Margaretæ sacra esset: mox equitum peditumque aliquot centena diuersis vadis longiori quidem à se interuallo distantibus flumen transgressa, hostes vno in loco hærentes regiosque transitu impedire conantes adoriuntur equites, totum exercitum, hostium turbare incipiunt, pluribus interemptis, spoliisque non aspernandis asportatis, hostes cibum capientes ex improuiso opprimunt, & medium vadum propugnantes à regiis profligantur. Rex, cum pugnæ initium iam factum esset, equo conscenso ad fluminis ripam suis animum additurus prope adest. Interea sole ad occasum vergente nox rem diremit. Ideoque Rex suis receptui signo dato à tertia noctis hora, constitutis prius vigiliis, in castra reuersus est. Præcepit tum Rex, vt nocte tota milites in armis quiescerent, quo sub diluculum citius hostem aggredi possent. Glinscius vero magno animo ad aleam vniuersi certaminis periclitandam cum Rege suis autor fuit, facilem certamque victoriam consilio suo obtemperaturis promittens. Mosci vero Duces, vel quod aliter à Principe suo mandatum esset, vt ne cum Rege præsente congrederentur: vel quod militum suorum virtuti diffiderent, pugnam declinant; ita timore perculsi circiter mediam noctem exercitum per nemora inuia, perque paludes periculum imminens fugiendo, impedimentis multis equisque relictis, plus quindecim leucarum spacio à regio exercitu abduxerunt. Quo Glinscius rebus desperatis secutus, Starodubum vsque celeri cursu, ne in regiorum per insidias potestatem incideret, peruenit. Ea vero, quæ vel ad hominum, vel equorum vsum essent relinquenda, vsui inepta sunt reddita. Rex hostibus fuga dilapsis, quod itineris non exiguum esset periculum, exercitum ab Orsa Smolensçum duxit. Quo ptima Augusti appulit, & in suburbio castra posuit. Tum consilio cum belli ducibus capto, Constantino Ostrogio & Nicolao Firleio exercitui præfe-

Mosci pugnam declinant.

ctis vt hostium fines inuaderent, consultum fuit iudicatum: Rex interea ad Smoléscum maneret, vt postulantibus rebus necessaria exercitui procuraret. Hostis quod ex re sua maxime esset, syluas ac nemora arborum succisione ingenti celeritate præsepsit. ac Drohobicensem arcem, quod eam tueri posse diffideret, igne absumpsit. Quo effectum, vt tuto exercitui hostium fines inuadere non liceret. Verum nihilominus regii milites variis eruptionibus factis plurima abegere spolia. Missus item à Rege Stanislaus Kiszka cum copiis ad Vezinam Moscorum arcem, quæ ad flumen eiusdem nominis posita, medio ferme spacio est inter Smolenscum & Moscouiam metropolim: vbi inexpectato, quæ circa eam arcem erant, ferro flammaque depopulatus est. Quibus Moscus acceptis, periculum amoliturus, mox militibus suis congregatis obuiam ire regiis copiis iussit, quibus per exploratores ad Kiszkam perlatis, qui se hostibus longe inferiorem animaduerteret, Regi cuestigio nunciauit. Rex, ne in tanto periculo suis deesset, non paruam manum Firleio duce submisit. Is diutius quam res tanta postularat, in syluis immorari coactus, Kiszkæ spem interturbauit. Qui nihilominus hostium stationes, & qui in excubiis essent, aliquot particularibus conflictibus vicit. Hi fugientes suis magnã Polonorum Lituanorumq; vim adesse nunciarũt, sicq; hostium copiæ solo Polonorũ nomine territæ fuga salutẽ quæsiuere. Idẽ & regiis ferme cõtigit, hostium fugitiuis numerosũ Moscorum exertitũ prope adesse significãtibus, & Kiszka dubiam Martis aleam iacere recusante, nulloque internuncio de auxiliis spem accipiente, ipse victori & fugienti quodam modo similis ad tria millia passuum exercitum reduxit.

Moscorum fuga.

Moscus indutias petit à Rege Sig.

Moscus infelici suorum successu cognito, quod de suis plerosq; in superioribus conflictibus desideraret, & regii milites longe lateq; ferro & flãma omnia vastarent, hyems quoq; instaret, caduceatore misso, inducias à Rege postulauit: quibus durantibus per oratores de pacis cõditionibus tractaretur. At Rex, qui Reipublicæ bono deesse nollet, periculo æstimato, quod & hostis pugnã defugeret, suorumq; virtus contra ligna & paludes frustra exercenda, atq; atterenda non esset, resq; Polonicę Regis presentiam requirerent, & quod in tantum exercitum ingentes sumptus frustra penderentur, Mosci postulatis annuit. Quam ad rem Ioannem Sapieham Lituaniæ Cancellarium ad Moscum submisit, cum quo non magno negotio inducias, & pacem hunc in modum cõfecit: vt manentibus induciis Moscus ad Regem oratores mitteret, qui pacem his conditionibus cum Rege perpetuam firmaret, vt arces à Glinscio occupatæ sub initiũ rebellionis, aut nuper in deditionem acceptæ Lithuanis redderentur. Glinscius belli fax cum Basilio fratre, omniq; cognatione sua rebus omnibus apud Lithuanos exutus in Moscouia exularet, captiui omnes libertate donarentur. A Mosco itẽ legati, qui arces iuxta compositam pacem restituerent, Glinscii fratrem cum coniugibus ac propinquis in Moscouiam perpetui exilii locum abducerent, missi. Captiui Lithuani circiter 50. ex durissimis vinculis dimissi sunt. Plerisque Moscouiæ carceri similis displicuit, qui fuga sibi consulere malentes, ad arcem Odrusko ferme ducenti venerunt, quorum, aliqui ad Regem, alii ad Constantinum Ostrogium Ducem, alii ad alios se receperunt. Et has conditiones paulo post Moscus per legatos approbaturum se data fide promiserat. A Sapieha his relatis, Rex Vilnam vbi peruenit, supra dictis conditionibus cum Mosco initis in Poloniam rediit.

Sub-

Tartarorũ in Lituaniã eruptio.

Sub illud tempus Tartarorum eruptio in Lituaniam facta, quibus agminibus Slucensem oram populabantur. Cui malo Rex occursurus, Constantinum Ostrogiũ cum octo equitum millibus ex itinere misit, qui Tartaros assequutus, cumq; illis congressus, eos ad internecionem cecidit. Alterum agmen Polussius vir impiger fugauit. In tertium Lucas Morauus ducentorum peditum præfectus casu incidit, qui hostium occurrentium multitudine minime consternatus, curribus castra circunuallauit. Oppugnatus à Tartaris, se contra barbaros multitudine abũdante fortiter defendit, peditibus etiam strenue sclopetis gerentibus, quorum glandibus circiter quingenti Tartari interierunt. Tartari suorum clade perculsi, abiecta præda, fuga dilapsi sunt, quos Dux Slucẽsis fugientes conspicatus, ex arce sio cum equitatu erũpens, magna clade affecit. In fuga ex iis multi cæsi, alii in altas paludes incidentes, cum equis iam cutsũ deficientibus suffocati periere. Atq; sic Lituania tuncà Moscorum & Tartarorum inuasione liberata. Rex deinde Vilnam die D. Martini est ingressus, ibi ob rem contra Moscos & Tartaros eo anno præclare gestam supplicationes factæ, & laudes Deo decantatæ. Militi post pro meritis cuiusque in hoc bello præstitis donatiuum regali magnificentia collatum est.

An. Ch. 1509. Pax cũ Mosco.

Insequentis anni mense Ianuario Basilii magni Moscorum Ducis oratores Vilnam ad Sigismundum Regem venerunt octingentorum comitatu, qui pacẽ iam antea per Sapiehã tractari cœptam, acceptis datisq; vtrinq; iuramentis confirmarunt. Quo facto, Mosci 50. eo bello capti, plerique illustres vinculis laxati legatis traditi sunt. Sub illud tempus ex Lituanis proceribus quidam Glinscianæ factionis suspecti Regis iussu custodiæ traditi sunt. Anno eodem Ludouicus Vngariæ & Bohemiæ Regis filius bimus, natus anno millesimo quingentesimo sexto, à Thoma Strigoniensi Archiepiscopo Vngariæ Rex patre Vladislao præsente, & anno proximo mense Martio Pragæ Bohemiæ Rex diademate insignitus est.

Ludouicus Vladisl. Regis Vng. fil coronatur.

Rebus in Lituania Moscicis sic transactis, Rex Vilna discedens, Petricouiam ad conuentum contendit: in quo rebus regni sui ad defensionem ab hostibus rite constitutis Cracouiam sub veris initiam venit, vbi de regni cõsorte ac regni successore cõsilia agitata. Placuit multorum commendatione ob venustatem Annã Ducis Megapolitani filia. Missi itaque legati eam petitum, Ioannes Lubranscius Episcopus Posnanensis, Ioannes Lascus regni Cancellarius, Christophorus Szidlouiecius regni Succamerarius. Qui iter ingressi, Posnaniam vbi venerunt, cõmodum nunciatum est, Bogdanũ Valachiæ Palatinum Turcarum ac Tartarorum auxiliis fretum contra ius gentiũ rupto fœdore, Russiã, Podoliamq; exercitu valido ingressum, ferro flãmaq; grassari. Hic nũncius Regis animum à matrimonio contrahẽdo abstertuit, legatisq; Posnaniæ qui iam in procinctu erãt, reuocatis, edicto per Poloniã misso, Nobilitatem vniuersam ad arma cõcitauit, vtque ad Leopolim vitæ & bonorũ amissionis pœna inobedientibus denũciata omnes equis armisq; instructi statotẽpore se sisterẽt, imperauit: Rege interim in tormentis bellicis, peditatu cõscribẽdo, & reliquis ad bellũ necessariis procurãdis occupato. Rex igitur iterum iam domi rebus compositis, postridie D. Iacobi Cracouia egressus, per Bohemiã, atq; inde recto itinere Leopolim peruenit. Conabatur quidẽ Vladislaus Vngariæ & Bohemiæ Rex fratrẽ ab incepto per legatos auertere, vel quod superioribus periculis Alberti Regis tẽporib. acceptis admoni-

Conuẽtus Petricouiæ.

Valachus Russiam vastat.

admonitus esset, vel quod depopulata Valachia, eiusque gentis viribus fractis ad eam regionem occupandam Turcis facilior daretur aditus. Cæterum Rex fratris consilio posthabito memor, Ioannem Albertum clade illa per proditionem affectum fuisse, desiderioque vehementi vindictæ flagrans ad bellum magno se accinxit animo. Interea Valachis per Tyram fl. omnibus copiis ad Chocinum transmissis, Camieneciam natura & situ munitissimam inprimis acta obsidione tentat. Sed cum hic sine successu hæreret, motis inde castris, alia atque alia loca munita ad deditionem solicitare cœpit, locus minus munitis, & à præsidiis destitutis flamma absumptis. Ad Haliciam inde castris translatis, præsidiarii arcis, ac Nobiles vicini, qui eo metu perculsi confugerant, oppidum contiguum vento flante vehementiori concremarũt. Bogdanus eo cũ exercitu accurrens torméta bellica aduersus arcem disponit, quæ præsidiarii eruptione magna vi & impetu in Valachorum stationes facta, pluribus ex eis occisis abstraxerunt, & in arcis fossas præcipitarunt, & protinus arcem repetentes eam mascule defenderunt. Desparata arcis expugnatione, Leopolim itinere instituto, omnia ferro flammaque vastauit, oppidum arcta obsidione cinxit, quod vt vehementius premere posset, maioribus tormentis in aduerso contiguo monte dispositionis fulminauit, Valachi ex ea oppidi parte, quæ in planicie sita, quod aliqua spes erumpendi ibi esset, oppugnare tentarunt: sed magna cum suorum clade, præsidiariis ac rusticis cum falcibus ex vrbe erumpentibus, conflictu cum illis inito, reiecti sunt. Triduum ad mœnia pugnatum, vsque dum vnum ex Bogdani tormentis emissa maiori ex vrbe glande disrumperetur, magistro tormentorum eodem ictu interfecto. Eo inopinato casu Valachus consternatus, omni potiundæ vrbis spe abiecta, die quarta obsidionis eam soluit, in reditu Rohatino oppido per deditionem accepto & incenso, templo spoliato, campanisque auectis. Ad famam Regis aduentus cum copiis omnibus ad sua festinauit. Rex vbi Camieneciam, inde Haliciam, post Leopolim à Valacho oppugnari accepisset. Cracouia initio Augusti maximo belli apparitu in perfidum Valachum profectus est. Quo ad Leopolim non offenso, militari facto delectu, omnibusque copiis lustratis, Nicolao Camienecio Palatino Cracouiensi exercitus duce constituto, Valachiã cum copiis eum inuadere, & ferro ignique depopulari iussit, qui alacri animo superato Tyra siue Nestro Valachiam ingressus, par pari referens, igne ferroque Valachiam afflixit, multis oppidis, villis, & agris in fauillam redactis. Dum vero circumcirca omnibus vastatis, vbi Soczauiam Palatini sedem ventum esset, frustra hostes in syluas ac nemora se abdentes ad pugnam prouocarent, Camienecius cum exercitu regrediendum censuit. Valachus rei præclare gerendæ percupidus, totus in eo erat, vt Polonorum redeuntium præda onustorum agmen extremum commodo adoriretur Poloni vigesima post irruptionem in Moldauiam die, reditu in Poloniam suscepto, ad Tyram fl. peruenerunt, quem maioris Poloniæ primum Nobilitas, inde minoris traiecit, mercenariis militibus, qui robur exercitus erant, & aulicis regiis, quibus Tuorouius præerat, postremo loco ad traiiciendum flumen sese præparantibus: cum subito Valachi ex insidiis vicinorum nemorum cum Turcis ac Tartaris aliquot millitibus erumpentes horribili clamore & vlulatu in Polonas nil tale suspicãtes irruerunt. Pugnatum fuit diu satis dubio marte, vtrinque plurimis cadentibus, donec

Camienicia obsidetur à Valachis.

Leopolis obsidione cingitur.

Valachia à Polonis vastatur.

Valachi in Polonos irruunt.

Polonis

Polonis cataphractis equitibus ac viribus præualentibus Valachi fusi fugatique sunt, in fuga plurimis cæsis, & captis ex primoribus non paucis: ex aliis inferioris conditionis aliquot centenis, ex quibus quinquaginta capite plexus. Quo supplicio ideo affecti fuerunt, quod olim Stephanus Palatinus Valachiæ huius parens mercenarios milites Polonos ad Trebouliam captos postea in Podbaicze gladio percussisset, quorum tumulo Nicolaus Camienecius conspecto lachrymãs vlturum se atrocem hanc iniuriam vouisse fertur. Triginta ferme captiui insignes Leopolim ducti, inter quos fuit Matthias Logophetus Cancellarius, Kiersa magnus dispensator, & alii. Incidit hæc pugna in D. Francisci diem quartam Octobris, qui deinceps ab eo tempore perpetuo Polonis festus habitus est. Sigismundus Rex, cuius auspiciis ea victoria à Valachis fuit reportata, Leopoli profectus exercitum dimisit, & vota, quæ pro victoria nuncuparat, D. Stanislao regni sui patrono exoluit. Vladislaus Vngariæ & Bohemiæ Rex eos ad pacificationem inter se interuentu oratorum suorum Carlacii & Bornemissæ cohortatus est, quæ tandem confecta his conditionibus: vt Bogdanus sacram supellectilem ex templis spoliatis cum captiuis & præda omni quam abegerat ablatam restitueret, damnaque illata præstaret. Quod non diu post à Valacho per legatos Cracouiæ factum.

Valachi fusi.

Pax inter Polonos & Valachos.

Aduenerunt haud multo post Pontificius & Maximiliani Imp. Rom. aliorumque Principum legati, qui Signismundo Regi de Valachis victis felicia quæque precantes gratulati sunt. A Pontifice Iacobus Piso Regem post gratulationem de cæsis & victis Valachis hortatus est ad bellum commune suscipiendum cum fratre Vladislao Vngariæ Bohemiæque Rege contra immanissimos Turcas Pontifice ipso, & aliis Regibus ac Principibus Christianis terra marique ad expeditionem eam suapte sponte promptissimis, ab eoque flagitat, vt supremi copiarum terrestrium imperatoris munus acceptaret. Cui Rex: paratum se ad eam prouinciam obeundam, optareque, vt hæc expeditio pia ac necessaria optatum sortiatur exitum, pollicitus eam ad rem omnem operam suam, adeoque vitam ipsam, si id modo per Christianorum Principum dissidia ac bella liceret, quæ prius essent sopienda: recordari se Casimiro patre ac fratribus suis rerum potientibus à Pontifice Romano sæpe id fuisse suasum, nunquam tamen ob Principum Christianorum perpetua inter se bella id effici potuisse, & de hoc Iulii Pontificis conatu vehementer se metuere, ne in fumum quo que abeat. Quod minime falso auguratus est Rex, qui legatos ea de re ad Vladislaum Regem fratrem abire iussit, consilium ab eo exquisitum, neque alio responso dato, priusquam reliquorum Principum Christianorum mentem cognouisset, eos à se benigne dimisit. A Maximiliano etiam Imp. venerunt oratores Vitus Furstius, & Ioannes Kuchenmeisterus Iurisperiti. Hi post honorificam victoriæ Valachicæ gratulationem à Sigismundo Rege petierunt, vt ad res Prussicas componendas aliquot ex regni proceribus ad diem D. Ioanni Baptistæ factum mitteret, qui cura Cruciferorum Magistro de perpetua pace transigereut. Cui petitioni Sigismundus Rex in Maximiliani Iuip. gratiam haud difficulter assensit.

Pontificis Iulii & Maximil. Imp. legatio.

Responsum Regis Sigis.

246

Eo anno mense Octobri Basilius magnus Moscorum Dux Plescouiam fraude & dolo genti illi consueto suæ subiecit potestati. Est autem Plescouia Liuoniæ ad Derpatensem diœcesin finitima, vrbs ampla & po-

Mosci Plescouiam sibi subiicit.

tens, variarumque gentium commerciis olim florentissima: sola in toto Moſci imperio muris cincta, & in tres partes, quarum singulę suis mœnibus clauduntur, diuisa. Russis Pskou dicitur, alluitur enim ad Septentrionem Pskoua fl. vnde vrbi nomen est, à meridie Vielika, qui recepto Pskoua in Pelbam lacum longissimum infunditur. Vnde tandem eluctatus, mutato nomine Narua dictus, oppido Liuoniæ extremo nomen & alueum profundissimum præbet, per quem maximæ onerariæ naues ad oppidum appellunt, infra quod Finnonico mari tandem triginta supta Reualiam miliaribus miscetur. Antiquissima vero Plescouiæ in Russorum annalibus mentio fit circa annum Christi nongentesimum quartum, quo Principi Russiæ Thorio Olgam Plescouiensem vxorē adiungunt. Postea Hermanno Falconi Ordinis Teutonici in Liuonia Magistro dedita scribitur, sed biennio post, cū Alexander Nouogardię Dux magno prælio Teutones vicisset, in libertatem se denuo vindicauit. Et quamuis deinceps Principem à senatu nominatum, & autoritate magni Moscorū Ducis confirmatum habuit: patriis tamē legibus Remp. senatus gubernauit, ita tamē, vt à grauioribus rebus ad bellum & pacem, fœdera, electionem Principis, ac similibus ad Reip. summā pertinētibus, summa populi autoritas esset. Cum autem plebs ocio lasciuiēs aduersus senatū seditiose tumultuaretur, & agros publicos, quibus eminentiores fruebātur, viritim in plebe diuidi, vel certe tenuiores, non minus quā senatores ad eorum culturam & fructum admitti, imporenter flagitaret, nec inter ipsos cōponi cōtrouersiæ vlla ratione possent: præsules & sacerdotes à senatu rogati, primum à Liuoniæ Magisto Valthero Plettenbergio auxilia aduersus plebem perunt: & hoc negantē, quod pacem quinquaginta annorum cum Moscis initam sibi non violandam existimaret: ad Basilium magnum Moscorum Ducem decurrunt, petentes, vt plebis petulantia compressa pristinam autoritatem ac potentiam Senatui restitueret. Tanta enim intestinis odiis ac ciuili discordia inter se laborantium cęcitas & insania fuit, vt eum Principem, cui diu iam ad vrbem illam subiugandam inque seruitutem redigendam nil præter occasionem defuerat, ad vrbis suæ tutelam & quidem præfecturam sponte vocarent. Cum igitur Moscus controuersiarum arbiter inter senatum primoresque & plebem futurus exercitum vrbi admouisset, ac cū præsule Ciuitatis ac sacerdotibus, antea sciente senatu, egisset, vt de componenda pace senatum & plebem acturus in vrbem admitteretur: occupata vrbe, & senatu pariter ac plebe oppressa, & præsule, qui senatus nomine hoc totum procurarat, & ciuibus præcipuis, quorum sepręcirciter millia, captis, inq; Moscouiā missis, ciuitatē vniuersam omni libertate spoliatam in seruitutem extremam redegit, & campanam consilii insignis magnitudinis ex turri detractam in Moscouiam transportari curauit.

Plescouia sistitur.

An. Ch. 1510.

Legationes ad Regem Sig. à Pontifice. & à Maximiliano Imp.

Annus proximus multorum Principum legatione ad Sigismundum Regem insignis ac memorabilis fuit. Et à Pontifice quidem Iacobus Piso, Maximiliani Imp. legatis Cracouiæ iam præstolantibus legatus ad Regem venit, cuius legationis summa fuit: Pontificē Rom. totius ferme Europę Principibus ad pacem faciendam persuasis, ac ea arma, quibus hactenus se mutuo confecissent, in Christiani nominis hostem cōuertere statuisse. Quare & Sigismundum paterne adhortatus, vt domi rebus pacatis, atque copiis Vladislao Regi Vngariæ & Bohemiæ iunctis, Vngariæ, Bohemiæ, Polonęq; exercitu in Thraciam progressi bellum Turcæ facerent. Quod autem negocium

cium hoc maximi momenti esset, ad proxima Petricouiēsia comitia reiectū est. Qua de re consulturi, cū Pontificis ac Imp. oratores in D. Virginis ędem conuenissent, pontificius legatus per Vitum Fuerstium in conuentu priori loco deturbatus est: reprehensus idcirco, Imperatori in politicis primum deberi locum respondit. Quæ contentio promanauit ex veteri dissidio inter Henricos & Fridericos Cæsares, ac Pontifices Romanos (vnde Gibellinorum & Guelphorum factiones exortæ sunt) de Cæsararchia & Hierarchia, vtra alteri præferanda. Mense Februario comitia Petricouiæ habita sunt, in quibus oratorum postulata in Senatu proposita, & Maximiliani Imp. oratores spe eis facta conuentus Posnaniæ agendi, in quo de postulatis ipsorum plenius disputandum esset, postquam quatuor mensibus detenti fuissent, honorifice à Rege habiti, dimissi sunt.

Legatus Pontificis loco deturbatus à Cæsar. legato.

Comitia Petricouia.

Rege Petricouiæ morante quarta Februarii Regis Daniæ legatus Cracouiam appullit, qui à Ioanne Bonero cum aliis legatis Regem præstolari iussus est. Auditus deinde, Danorum Regis filio Elisabetham sororem regiam vxorem postulauit. Quæ maris periculis territa, & apud suos in patria diutius manere malens, aut aliam forte ob causam connubium recusauit: legatus vero honorifice donatus ac dimissus. Paulo post Osualdus Carlacius cum legationis socio Regis Vladislai legati decima sexta Februarii Cracouiam aduenerunt, qui nuper inter Regem & Valachum pace constabilita, Cracouiam ingressi, vt cum Valachi legatis conditiones pacis confirmarent. Decima dehinc mensis Martii die Baiazetis Turcarum Imperatoris legatus Cracouiam venit, qui Sigismundo Regi, quod in paternum ac auitem regnum euectus esset, gratulatus oblatis muneribus optauit. vt rerum diu feliciter potiretur, maxima nominis sui gloria fœdus cum eo (quod cum parente ac fratribus Poloniæ Regibus fuisset) instaurare cupiens. Post hunc Bogdani Palatini Valachiæ legati, vti in pacis conditionibus conuentunc fuerat, duodecimo Martii venerent, hi die quarta post obtulerunt abactam templorum supellectilem, & omnia spolia auri argentique ex Russia asportata. Dimissi sunt item Palatini, qui in proxima pugna capti Leopoli custoditi fuerant, confirmata pace cū Vladislai legatis, per Vngariam in Valachiam redierunt. Tredecima post mensis Maii à Vladislao Rege Cracouiam venit legatus Prępositus Albę regalis, & à Bogdano Palatino Valachiæ alter, de bello in Thraciam suscipiendo cum Rege consulturi. Venit etiam paulo post Cracouiam legatus Moſci, de rebus Lituaniæ pendentibus, & Moscouię transacturus. Hunc Tauricī Principis legati sequuti sunt, quorum postulatum erat, vt fœdus cum Casimiro Rege antiquitus seruatum renouaretur. Eo anno mense Aprili Andrias Rosa Archiepiscopus Gnesnensis obiit, hunc Ioannes Lascus Cancellarius regni, & Regis assensu iampridem coadiutor Archiepiscopæ succesſit, ac die vicesima tertia Maii à Rege confirmatus est.

Regis Daniæ legatus ad Regem Sigism.

Regis Vngariæ.

Turcici Imp.

Palatini Valach.

Altera legatio à Rege Vng. & Valacho.

Legatio Moscouitica. & Tartarica.

Instabat Posnaniæ ad festum D. Ioannis indictus conuentus, quo conuenere Maximiliani Cæsaris & Imperii, Vladislai item Vngariæ & Bohemiæ, & Sigismundi Poloniæ Regum, ac Friderici Magistri Ordinis Teutonici legati. Vbi Iobus Episcopus Pomesanienſis legationis Crucifericæ princeps Prussiā totā ac Pomeraniæ partē, à Casimiro Rege Poloniæ ante 40. annos ademptam, à Sigismundo Rege repetebat: iuramentum fidelitatis ac militiæ onera pro Polonis suscipienda remitti: ac denique ne Poloni,

Conuentus Polonorum cum Crucifieris Posnaniæ.

Conditiones pacis à Crucifixis propositæ.

loni in Cruciferorum ordinem allegerentur, postulabant. Quod vltimum Poloni citra longiorem deliberationem haud illibenter concessere, reliquis postulatis, quod iniquiora viderētur, reiectis, quoniam iis pacis perpetuæ fœdus aperte violabatur. Ita re infecta soluso conuentu discessum est.

Polonorum responsum.

Legatus à Pontifice ad Regem.

Interuenit postea serius Achilles Grassius Episcopus Modocensis Pōtificis legatus, cui causa Prussica peculiariter à Pontifice cōmissa, qui vel ob itineris longitudinem, vel quia tardius prouinciam suscepisset, Posnanensi conuentu neglecto, Cracouiam profectus, apud Sigismundum Regem Pisonis legationem repetiit de expeditione contra Turcam cum Rege Vladislao iunctis viribus ineunda. De qua habita consultatione, essent ne arma aduersus Baiazetem Turcarum Imperatorem sumenda, plerisque consentientibus, futurum hoc Regi gloriosum: alii censuerunt, hostem ferocem & potentem minime lacessendum esse temere, Christianorum enim Principum contra Turcas bellum multorum Pontificum studio & opera solicitatum propter mutuas potentiæ ipsorum æmulationes, quibus subinde ad arma concitabantur, anceps esse, atque totam Italia iam bello intestino flagrante; Principum auxilia aut tarda, aut nulla fore; sicque futurum, vt Poloni & Vngari alienis auxiliis destituti, soli cogerentur omnem belli molem atque imperum sustinere. Vicit tandem hæc sententia, legatos ad Vladislaum Regem, & regni eius proceres mittendos, vt voluntate eorum explorata, quid de Turcica illa expeditione Pontifici respondendū, rectius constrare posset: qua in re maximi momenti Reges fratres consiliis communicatis, quid facto opus esset, decernerent. Legati in Vngariam missi Nicolaus Firleius Palatinus Lublinensis, & Ioannes Lascus regni Cancellarius. Achilli Grassio Pontificio legato responsum: Sigismundum Regem de Tarcica expeditione cum Vladislao Rege Vngariæ & Bohemiæ, eiusque regni proceribus consulturum, & misso Romam nuncio Pontifici responsurum. Quo responso accepto legatus in Italiam rediit.

De expeditione contra Turcam.

Regis P. l. responsum legato Pontificio.

Salinarum Vielicen. cō flagratio.

Hoc fere mense Vielicziæ oppido Cracouiæ vicino salinarum cauernæ scelere cuiusdam fossoris accensæ aliquot dies arserunt. Quo incendio fumo & fœtore excitato, plerique omnes operatii aut fumo fuerunt enecti, aut in specubus aberrantes ceruices fregere. Ei malo occursurus Andreas Koscielecius salinarum tunc præfectus, metu perculsus, quod nemo esset ex plebe, qui se demittere auderet, posthabito periculo præsenti specus ignem extinctum ipse subiit. Quem comitatus Seuerinus Bethmanus consul Cracouiensis ferme nonagenarius montium Magister, Koscielecium iam fumo collapsum seruauit, igne vtriusque postea opera atque industria extincto, montibusque vtriusque diligenti opera seruatis.

Frid. Dux Sax. Magist. moritur.

Anno hoc in Prussia nil memorabile contigit, præterquam quod Fridericus Dux Saxoniæ Ordinis Magister mœrore ac curis aucta hydrope Rochlicii in Misnia, quo Prussia relicta ob non præstitum iuramentum Regi Poloniæ fecesserat, extinctus est. Res quoque Lithuanicæ ad autumnum satis quietæ fuere, in quo Tartari Tauricani cum quindecim Tartarorum millibus ingressi Lituaniam, Vilnam vsque, & inde duodecim millibus passuum grassati, ingentem hominum pecorumque prædam nemine prohibente abegerunt. His felicibus successibus audaciores facti Tauricani in Valachiam cum exercitu sexaginta millium equitum eruptionem fecerunt, quam passim variis cladibus affecerunt, ingentique præda collecta

Tartari Tauricani Lituaniam vastant.

Præco-

Præcopiam redire volētes, ea eruptione supra septuaginta millia hominum atque pecorum abacta feruntur. Dum ad Tyræ ripam ventum, metu Valachorum sequentium territi, tumultuosius flumine traiecto Bethiketeus Mendligeri filius cum Tartarorum quatuor millibus, ac multis captiuis violentis aquarum vorticibus absorptus est. Interea Copacius Valachi præfectus militiæ Tartaros eo in loco abeuntis assecutus, inque insidias lapsus, ac vndique à Tartaris circumseptus viriliter pugnādo occisus est. Cecidere Valachi plus septingenti, fuere item fugæ beneficio circiter trecenti seruati. Miseranda Valachię vastatione Bogdanus Valachus consternatus, legatos Cracouiam ad Regem Sigismundum misit, petitum auxilia contra Tartaros, vtq; in Moscouiam legato per Lituaniam liber pateret transitus. Vtrumque ei haud grauate concessum.

Valachiam item.

Valachorum clades.

Valachi Pala ini legatio ad Regem.

Anni sequenti MDXI. Februario mense comitia Petricouiæ habita sunt, in quib. actum de regni contra Tartarorum incursiones defensione; quorum fœdera ob fluxam gentis fidem minime tuta sunt. Constitutum, vt quatuor equitum millia, qui Podoliæ fines tutarentur, ac Valachis contra Tartaros necessitate vrgente opem ferrent, publicis alerentur stipendiis, quæ eis soluerentur ex pecunia agricolis imperata, in singula iugera grossis octodecim & anno sequenti duodenis impositis. Pauperiores Nobiles agris carentes & sculteti vt vocant, eius pecuniæ dimidium conferrent: oppidanis facultatū cuiusque æstimatione tributum impositum. Decretum etiam, vt moneta, quæ crebrius cusa vilesceret, & ob id aurei nummi valore crescente, deinceps cudenda abstineretur. Præterea vt Rex ipse Brestæ Lituanorum ob Tartarorum eruptionem per ætatem subsisteret, ne occasio rei bene gerendæ elaberetur. In his comitis Anna Dux & tutrix Massouiæ cum duobus filiis Stanislao & Ianussio obtinuerunt à Rege, vt prouinciam Visnensem Lithuanis ac Prutenis confinem perpetuo iure eis tenendam concederet.

Ann. Chr. 1511. Comitia Petricouia.

Soluto conuentu Rex Cracouia secunda Maii mouens Brestam versus contēdit, vbi proceres Lituanos Glinscianæ factionis suspectos, ac propterea in custodiam datos, proceribus Lituanicis & Polonicis intercedentibus, in gratiam recepit, ac dimisit. Rege Petricouiæ agente, Vladislaus Vngariæ Bohemiæque Rex cum Ludouico filio quinquenni, iam Rege inaugurato Vratislauiam mense Ianuario venit, vt sacramento se Silesii filio Ludouico obligarent. Cum autem Vngaricus Senatus iusiurandum Ludouico tanquam Vngariæ Regi, Bohemi contra suo regno, cuius membrum Silesia antiquitus fuisset, dandum esse certarent: Silesii Principes & Senatus Vratislauiensis inter spem metumque ancipites neutri tum quidem iurarunt, sed Regis Vladislai & filii ipsius Ludouici imperio nihilominus se dicto audientes saluis priuilegiis fore testati sunt. Atque ita Rex Vladislaus cum filio infectis rebus mense Martio Vratislauia discessit. Inibi Rex Vladislaus subsistens, senatus populique Vratislauiensis precibus victus, emporium, quod ab aliis Principibus se impetrasse iactabant, ab his, quibus in aula omnia venalia sunt, persuasus, magno regni Poloniæ præiudicio & incommodo renouauit. Fuitque ea res mense Aprili in nundinis vernalibus Francofurdiæ ad Mœnum, & deinceps per Germaniam totam publicata, multis ideo Vratislauiensibus gratulantibus: aliis commodum, quod inde percepturi essent inuidentibus. Quarum immunitatum summa hæc fuit, vt ne quis Polonus aut Germanus Vratislauiam negociandi causa præteriret, sed vtrique mer-

Vladislaus Rex. Vng. & Boh. Vratislauiam venit.

Contentio Vngarorum & Boem. de iureiurando Silesiorum.

Emporium Vratislauiæ renouatum.

ces suos Vratislauię deponerent aut venderent, omnesque hoc modo aditus Polonis in Germaniam & Bohemiam mercimonia exercendi prę. ludebrentur. Quæ vt plus roboris haberent, Ioachimus Brandeburgicus Marchio Elector Francofurdiæ ad Odcram simile erexit emporium, vt vndique viis intercluſis Poloni ſumma mercium neceſſitate decretis Principum aſſentire cogerentur. Sigiſmundus Rex ſuorum querelis adductus omnia cum Vratislauienſibus commercia edicto prohibuit, conſtitutis in regni ſui ac Sileſiæ confinio ſimilibus emporiis, vbi boues, quorum maxima armenta ex Polonia in Germaniam abiguntur, venderentur, & vectigali in ſingulos boues aureo nummo impoſito, vt & aliis mercibus tributum fuit imperatũ. Graue hoc Regis Sigiſmundi edictum Vratislauienſibus accidit, quo omnes ex Polonia in Sileſiam liberi tranſitus fuerunt præpediti, cuſtodiis etiã paſſim diſpoſitis, ne quid ad eos mercium importaretur. Vnde ſecuta eſt Vratislauiæ maxima rerum omnium inopia, & opificibus inde migrantibus vrbs habitatorib. fere f.erit deſerta. Conati quidem ſunt Vratislauienſes Regis Vladislai & aliorum Principum interceſſione, vt Regis Poloniæ edictum reuocaretur: verum Rege Sigiſmundo in ſententia firmiter permanente coacti ſunt in Poloniã mercium cauſa ire, ac vectigalia cõſtituta pẽſitare.

Emporium Francofordiæ ad Oderam erectũ.

Rex Pol. cõmercia cum Vratisl. edicto prohibet.

Ruſſia hoc anno & Podolia à Tartarorum irruptionibus immunis fuit, quod fœdus proxime Breſtæ in Lithuania cum Rege renouãdum eſſet. Verum gens fera, ratpu viuere ſolita, & pacis inſueta, contractis copis vltra triginta millia equitum Valachiam inuaſit. Contra quam Bogdanus ſuis ad arma conuocatis, cum auxiliaribus Polonorum & Vngarorum copiis Staniſlao Lanczkoronio & Io. Tũorouio, ducib. intrepide proceſſit. His ſtipendiarios Valachos leuis armaturæ adiunxit. Interea Nohaicenſes Tartari, Tauricanos in Valachiã erupiſſe, cognoſcentes, ſumptis feſtinanter armis Tauticam ingreſſi, cæſis multis, prędaque ingenti abducta Tanaim verſus cum captuorum al. quot millibus redierunt. Eo acerbiſſimo nuncio Tauricani conſternati, omiſſa, quam inuaſerant, Valachia, curſu pene præcipiti Tauricã repetiuerunt. Et ſic alieno periculo Valachia ingenti clade liberata fuit. Verum antequã Tauricani domũ rediiſſent, hoſtes dato damno dilapſi ſũt.

Tartari Valachiam inuadunt, quibus occurrit Valachus.

Nohaicenſes Tartari Tauricam vaſtant.

Rex Sigiſmundus Breſtæ Tauricani Principis æſtaten totam fere expedictatis obſidibus penultima Octobris Cracouiam rediit, quo ad eum à Vladislao Rege fratre legati venere, Caſimirus Dux Teſſinenſis cum Michaele Hauelo Paræco Budenſi, qui diu multumq; de connubio Regis Sigiſmũdi cum Barbara Stephani olim Comitis Scepuſienſis filia collocuti, eam ei in matrimonium deſponderunt, dote centum aureorum millib. promiſſa. Atque hinc Maximiliani Imp. odium in Sigiſmundum Regem ortum.

Regis Vng. legatio ad Regem Sigiſm.

Barbara Scepuſia Regi deſponſata.

Annus dehinc MDXII. Sigiſmundi Regis nuptiis celebris fuit, ipſoq; anni principio Cracouiæ comitia edicta ſunt. Inde ad Barbaram regiam ſponſam legati deſignati, Ioan. Lubranſcius Epiſc. Poſnanienſis, Chriſtoph. Szidlouiecius Sendomirienſis, & Lucas Gorcanus Poſnanienſis, Caſtellani: hi ſplendido comitatu Polonia egreſſi per Sileſiam & Moraviã Trenczinum venere, abductaque ſponſa in Poloniam redierunt. Hanc Heduigis mater, Ioan. Comes Scepuſienſis frater, Caſimi. Dux Teſſinenſis auunculus Cracouiam vſq; octingentis equis comitati fuere. Venientib. Sigiſmundus Rex certra vrbem per aliquot millia paſſiuum ſplendidiſſimo lectiſſimoq; proceruin comitatu obuiam proceſſit, qui ad ea nuptiarum ſolennia vndiq; confluxerant. Aduenerat eo quoq; Georgius Bregenſis Dux 70. equitib. armis

Barbara ſponſa Regis Cracouiam venit.

Ann. Chr. 1512. Comitia Cracouiæ.

vndiq;

vndiq; ſplendentibus comitatus. Poſtridie quæ octaua Februarii erat, maiorum more in D. Stanislai æde regia ſponſa diademate inſignita fuit ab Archiepiſc. Gneſnenſi Ioanne Laſco, quib. ceremoniis adfuere Archiepiſc. Leopolienſis, Poſnanienſis, Plocenſis, Varmienſis, Præmislienſis, Chelmenſis Epiſcopi. Fuere item ad huius coronationis magnificentiam illuſtrandam Pontificis Roma. Ioann. Staphileus, Vladislai Vng. & Bohem. Regis Ioan. Thurzo Epiſcopus Vratislauienſis, & Ambroſius Szarkanus legati. Ex Pruſſia Iacobus Epiſco. Pomeſanienſis Magiſtri ordinis Cruciferorum legatus. Interfuere præterea huic coronationi Barthol. Dux Munſterbergẽſis, Anna Dux Maſouiæ cum filio, Georgii Ducis Saxoniæ, Friderici Marchionis Brãdeburgenſis, Palatinorum Vngariæ & Valachiæ, Strigonienſis item, Quinquiecclesienſis, Varadienſis, Olomucenſis Epiſcoporum legati, & plerique alii. Nuptiarum ſolennibus peractis Reginę mater Heduigis, Ioan. frater, & Caſimirus auunculus, aliique Principes ac legati à Sigiſmundo Rege regali munificentia donati Cracouia domum abierunt.

Coronatur à Laſco.

Ineunte poſtea vere 24. Tartarorum millia Boryſthene trtiecto per Volyniam in Ruſſiam irrupere, quam atrociter ferro & igne vaſtarunt. Multi ibi mortalium ſubito interuentu comprehenſi, ac vincti in perpetuam abrepti ſunt ſeruitutẽ. Rex irruptione hac Tartarorum nil deterritus, ad Nicol. Camienecium Palatinum Cracouienſem exercitus Poloni ducẽ ſummum, nec non ad Conſtãtinum Oſtrogium Lithuanicarum cupiarum ducem literis datis, ad exercitum in Polonia & Lithuania conſcribendum hortatus eſt, vt Tartaros inſequentes, prædam eis & captiuos eriperent; illataq; damna eorum cæde vlciſcerentur. Rex ipſe mercenariorum militum cohortib. aliquot coactis, adiunctis eis aulicorũ ſuorum aliquot turmis, ad Nicol. Camienecium tranſmiſit, qui ſub idem fere tempus aduenerunt, quo Tartari prædę magnitudinem & captiuorum multitudinẽ paruis itinerib. paulatim recedebant. Quo & ſtatim Conſtãtinus dux cum ſuis Volyniis, ac Lithuanicis copiis duobus equitũ circiter millibus venit, quæ copiæ coniunctæ ad quatuor millia efficiebant. Hiſce exiguis licet copiis Poloni duces Tartaros inſecuti, cum eis quocunq; prælii euẽtu decertare decreuerunt. Tartari etiã ad Viſnioueciũ conſpecta Regis exercitus paucitate certam ſibi de eo victoriam pollicentes ad prælių captiuis præmiſſis, vt ſecuriores eſſent, ſe præparauerunt. Cæterũ Polonis ad victoriã maximo fuit adiumento locus prope Viſnioueciũ admodum paluſtris, ſcatens multis lacunis, quas Herenia fl. exundãs efficit, inter quas Tartari agmina incõmode diſpoſuerãt. Nã ꝓpter cœni ꝓfunditatẽ mutua ſibi auxilia ferre non poterant. Cruentum hic fuit cõmiſſum prælių, Volyniis Tartarorum multitudine incũbentium cedentibus. Cõſtantinus Oſtrogius magno animo occurrẽs verbis & verberib. in prælium redire eos cogit. Camienecius videns Volynios pedẽ referre, & ſiniſtrum cornu, in quo Lithuani erãt, vacillare, ſigno pugnæ Polonis dato maſculæ adoriri Tartaros iubet, qui Polonorum impetum ſuſtinere nõ valẽtes maxima ſuorum cæde animaduerſa, q; alii aliis laborãtib. ꝓpter paludes præſto eſſe nõ poſſẽt, in pręcipitẽ fugã inclinarnnt. In qua plurimi cæſi, capti uiq; oẽs cũ præda ſunt recuperati. Atq; ſic numeroſus hic exercitus magnã partẽ in prælio & in fuga fuit interfectus. Pugnatũ eſt 28. Apr. ad Lopuſznã. De hoſtiũ cæſorum numero nõ plane cõſtat, hoc citra dubiũ narratur, ex hoſtib. quorũ à cagtiuis 25. millia fuiſſe perhibentur, multo minorẽ partem dilapſam eſſe. Ea victoria Rex Sigiſmundus ingenti affectus gaudio, Deo omnibus

Tartarorum in Ruſſiam excurſio.

Quos Poloni inſequuti ſunt.

Prælium Polonorum cum Tartaris ad Lopuſznam.

Polnorum victoria.

nibus in tempus laudes gratiasque agi, & decantari iussit, ibique signis lætitiæ editis. Fuerunt ea in expeditione præter Nicolaum Camienecium, & Constantinum Ostrogium Ducem supra commemoratos Otto Chodeczius Palatinus Podoliæ, & Stanislaus frater eius regni Mareschalcus, Ioannes Odronanzius, Martinus Camienecius, Ioannes Amor Tarnouius, Stanislaus Lanczkoronius, Ioannes Suirczouius, Ioannes ac Nicolaus Pileezii, Petrus & Stanislaus Kmithæ, Iacobus Sencignouius, & complures alii bellica laude illustres viri. Fuerunt item ex Lithuanis ac Russis duces, Andreas Zbarasius, & Michael Visnieuiecius cum filiis, & præter has ingens Nobilium militumque insignium numerus. Tartarus suorum clade consternatus extemplo legatos misit ad Regem, vt fœdus superiori anno inchoatum denuo stabiliret & sanciret. Quibus Rex vt fidem haberet, Dyalaldinum Mendlingeri ex fratre nepotem obsidis loco Vilnam misit, vtque ratum id foret, quindecim aureorum millia sibi quotannis pendenda petiit. Respõsum est Tartari legatis, Regem postulata Principis ipsorum, qui fœdere violato Poloniam hostilem in modum vastasset, proximo conuentu ad Senatum relaturum. Quid ibi decretum, missõ nuncio significaturum. Obsidis Dyalaldini ad se aduentum non ingratum sibi fore. Verum Dyalaldinus nõ viso Rege breui post febri correptus obiit. Et Rex insaniæ simile esse iudicauit, stipendium hosti infido numerare, quo subleuatus ille rupto fœdere Poloniam pro libitu infestare posset, cum potius illa pecunia in stipendia militum limitaneorũ, qui Tartarorũ incursionib. resisterent, rectius cõuertatur.

Tartari legatio ad Regem de pace.

Eo anno nil præterea memoria dignum gestum, præterquã quod Rex arcis Cracouiensis structuram continuarit, vt & in æde D. Stanislai, quæ à rupella nomen habet, præter alia monumenta, posuit Friderico Cardinali fratri suo mausoleum ex ære solido, arq; magnam argenti & auri vim in imagines, quas Deo pro victoria Valachica vouerat, contulit. Eius anni æstate Maximilianus Imp. offensus Regis Sigismundi coniugio cum Barbara Scemitiis Principum Germaniæ de eo questus, quod Prussiam, quam Teutonici siue Mariani milites olim multo suo cum sanguine acquisiuissent, paganis subiugatis, & ad religionem Christianam conuersis, per fas & nefas occupasset. Quod autem ob intestina inter principes bella nil ipse mouere posset, Basilium magnum Moscorum Ducem, fœdere cum eo inito, ad Poloniam hostiliter inuadendam, omnique cladis genere deuastandam inflãmauit. Qui fœderis illius fiducia audacior factus, violatisq; pactis contra ius gentium, cum Sigismundo Rege contractis, quæ per quadriennium seruarat, Lithuaniam assiduis eruptionibus duce Glinscio afflixit, & Smolenscum sæpius irrito cinxit conatu. Atque ita occasione factionum in Lituania gliscentium Mosci exercitus liberius eam vastauit.

Maximilianus Imp. Regi Pol. infensus.

Moscus Lituaniam vastat & Smolenscum obsidet.

Ann. Chr. 1513.

Anno millesimo quingentesimo decimo tertio Sigismundus Rex Posnaniam cum Regina profectus, illic motus quosdam intestinos pacauit. Eo anno mense Martio Regina prolem primã enixa est, cui in baptismate Heduigis nomen inditum. Inde paulo ante Ioannes Lascus Archiepiscopus Gnesnensis ad Iulium Pontificem legatus designatus. Is rebus domi compositis, & comparatis ad iter necessariis, in viam mense Aprili se dedit. Legationis argumentum fuit, vt concilio Lateranensi nuperà Pontifice instituto Regis nomine interesset atque res Prussicas nonnihil apud Pontificem suspectas

Hedwigis filia Regina ta.

Lascus missus ad Pontif.

spectas tueretur. Verum in itinere hærenti nuuciatur, Iulium Pontificem vicesima prima Februarii extinctum, pauloq; post vndecima Martii Leonem decimum illi suffectũ esse. Mutato igitur legationis titulo nihilominus susceptum iter persecutus est, quẽ in via ad Brugas Styriæ oppidum Stanislaus Ostrorogius Castellanus Calissiensis assecutus. Vterq; Venetiis à Principe Leõhardo Lauredano, & Senatu comiter excepti fuere. Lascus postero die in senatum admissus hunc in modum locutus fertur: Sigismundum Regem præsenti Venetorum calamitati & tantæ sanguinis effusioni condolere, vniceque optare; vtea, quæ ad pacem communem constituendam atq; eius Reipublicæ amplitudinem augendã pertinerent, diuinitus obtingant. Ad quam rem, si Regis opera prodesse possit, haudinuitum se in eo allaboraturum, & Pontifici ac Imperatori persuasurum, vt turbis, quibus Italia vltra quadriennium misere afflicta esset, pacatis, bellum communib. auspiciis & auxiliis in Turcam conuerteretur. Post Lascus cũ Principe priuatim locutus inter alia colloquii occasione, Poloniæ regnum multas variasq; ab hostibus barbaris eruptiones sustinere, reliquarum gentium Christianarum contra incursiones barbarorum murum esse, atq; omnem fere molem periculorum maximorum, quæ Christianis impenderent, humeris suis sufferre intulit. Lauredanus contra Reipublicæ Venetæ maxima semper fuisse bella, nihilominus inuicto animo ex summis periculis se omni tempore eluctatam esse, huius quoque belli felicem sperare exitum subiecit. Ad hæc Lascus Principi: Longe dissimile Venetis atq; Polonis belli studium hactenus fuit, dum illi pro gloria, pro rerum amplitudine, ac dominandi libidine incitati bella gessere: hi contra multo suorum sanguine pro Republica Christiana barbarorum impetus excipere, atq; cæteris gentibus præsidio esse coguntur: in maxima felicitatis suæ parte ponentes, si sua saltem, alienis missis factis, tueri possent. Venetiis profecti Romam postquam venissent, Lascus coram Pontifice Leone ac Cardinalibus oratione luculenta exponit, quantopere Reipublicæ Christianæ interfit intestinorum bellorum studiis depositis pace facta coniunctis armis ac viribus contra Turcas, quorum potentia indies cresceret, expeditionem suscipere.

Legati Regis Pol. à Venetis comiter excepti.

Lascii eratio ad Principem Senatumque Venetum.

Lascii cum Principe Venet. colloquium priuatum.

Lascii ad Pontificem oratio.

In Lituania Helena Alexandri Regis vidua mense Ianuario naturæ debitum persoluit, & arx Vilnensis nouis & ornatis, sed ligneis structuris paulo ante erecta fortuito incendio vigesimaprima Februarii conflagrauit, id quod faturi belli indicium fuit. Paulo post Basilius Moscus apud Maximilianum Imperatorem regiam dignitatem & diadema petiit, auxiliaq; contra Poloniæ Regem ab eo tanquam amico & fœderato postulauit, modis omnibus, quoscunque posset, ad defectionem Glinscii perfidia solicitans. Missus fuit Schleinicius Nobilis Misnensis ad Germaniæ Principes, auxilia petiturn. Audito Mosci bellico apparatu, Sigismundus Rex Radomiæ conuentum indixit, quo publicæ regni paci ac tranquillitati fuit prospectum. Minus autem in Polonia trepidatum fuit ad rumorem magnorum Mosci belli apparatuũ, quod cum Tauricano Principe, promisso ei stipendio, fœdus nuper ictum Podoliam ac Lituaniam ab irruptionibus barbarorum securiores effecturum videretur. Et sane illud fœdus maximo toti regno commodo atq; saluti fuit, siquidem præterquam, quod Tartari ad regiones hostiles omni cladis genere infestandas fuere instigati, ab iisdem etiam ante regno infestissimis deinceps aliquandiu fuit quies atq; securitas.

Helena coniunx Alex. Regis Vilnæ mortua.

Conuentus Radomiæ.

Laur. Miscouius Ducem Zatorien. interfecit.

Finitis comitiis, Rex in Lithuaniam secessit. Eodem tempore Laurentius Myscouius variis iniuriis à Ianussioi duce Zathorienſi affectus, Regi Radomiæ supplex factus, patrocinium eius contra Ducem petiit: Negotiũ ad reditum in Poloniam Regis reiectum: Duci, vt ab iniuria interim abstineret, iniunctum. Verum Dux, Regis discessu cognito, de pristinis iniuriis nil remittens, riuum aquæ certis alueis Myscouii piscinas influentem alio derinauit. Myscouius vi illa exacerbatus, Ducem venationi vacantem adiens, longius à familitio abstractum verbis supplicibus, vt ab iniuria abstineret, precatus est. Sed Dux his maiora inferre minatus, stricto gladio Myscouius Ducem, litis finem se facturum dicens, transfixit. Nec mora, Dux ex equo delapsus, antequam sui accurrerent, expirauit & Myscouius per loca cognita satellitum ex sequentem manus equi pernicitate euasit. Cessit inde ex

Ducatus Zatorien. Regib. Pol. cessit.

fœdere Zathonienſis Ducatus Regibus Poloniæ, liberis nullis, qui succederent, exstantibus Myscouius vero cæde Ducis in maiores longe seipsum calamitates coniecit, Regis ira in se eo facinore accensa, cui non prius potuit reconciliari, quam præclaris editis contra Moscos facinoribus virtutẽ suam Regi probasset. Contigit hoc mensis Septemb. die decima septima.

Ann. Chr. 1514. Moscus Smolenscum obsidione cingit.

Sequentis anni æstate Moscus octoginta millium equitum exercitu collecto, quo maiorem nunquã ante duxit, trecentorum tormentorum apparatu, quæ fusa confectaq; fuerunt ab artis eius magistris, quos Maximilianus Imp. per Pomeraniam, Prussiam, ac Liuoniam ad eum misit, Smolenscũ Lituaniæ artem validissimam obsidione arctissima cinctã per aliquot dies tormentis vehementissime quassauit. Rex Sigismundus quingentos peditres arcem propugnaturos eo ire iussit, qui vbi vix Orsam peruenissent, Smolenscum iam obsidione premi oppugnariq; à Moscis acceperunt, ideoq; omnibus ſtineribus ab hoste insessis in eam ingredi non potuerunt. Præsidium, quod arci à Rege impositum fuerat, satis validum obsidionis initio fortiter & magno animo propugnabat, vt Moscus loci expugnatione desperata obsidionem relinqueret, Lituaniamq; vicinã circa Borysthenem & Beresinam fluuios amisso quaquaversum equitatu longe lateq; flamma ac ferro vastaret, ingenti præda hominũ pecorumq; omnis generis collecta, eã in Mascouiã præmisit. Quo facto Moscus ad Smolenſci obsidionẽ reuersus, arctius eam, quam ante, vrget, stupendum in modũ tormentis in eam detonans, sed irrito ob regii præsidii robur conatu, adeo vt Moscus obsidionis pertæsus diuturnæ de ea soluenda cũ ducibus suis consultarit. Verum instãte Glinscio, &, ne bellum tanto apparatu, adeoq; immensis sumptuũ impẽdiis inchoatum relinqueret, monente, obsidionẽ continuauit, oppugnatione aliquoties, sed frustra tentata. Glinscius videns, arcem vi expugnari non posse, pro insita versutia dolis rẽ aggressus est. Itaq; cũ præfecto arcis, ac quibusdam tribunis priuatim collocutus eos immensorum præmiorum spe ad deditionẽ solicitauit: quod cũ initio facere renuissent, eos tandẽ & præsertim Russos, qui ibi præcipui erant, perpulit, arxq; centesimo anno, postquam à Vitoldo magno Lituaniæ Duce adiecta Lituaniæ fuisset, amissa est. Moscus Smolenscũ sub finem Iulii ingressus, sacris suo more actis, omne aurũ, pretiosamq; supellectilẽ priuatarum domuũ & templorum contra fidẽ datam & proditionis pacta deprædatus, in Mascouiã firmo arci præsidio impositocerũ consilio dimisso, mense Septemb. in Lituaniã se contulit, ac Vilnæ proceribus Lituaniæ conuocatis de bello cũ Moscis & Smolenſco recuperãdo consul-

Obsidionẽ relinquit & Lituaniam vastat.

Smolenscũ iterum à Mosco obsessum.

Proditione captum.

Bellum cõtra Moscũ decretum.

consultauit, pecunia pro stipẽdiis militũ oppidanis & agrestibus imperata. Consentientibus omnium votis bello contra Moscos decreto, decẽ equitũ lectissimorum millia, duoq; insuper peditum conscripta fuerunt: accesserunt & Lituanorũ aliquot turmæ leuis armaturæ equitum, cum quo exercitu & magno tormentorũ belliq; necessario apparatu, Rex Vilna in hostẽ mouit. Sub idem tempus Iacobus Piso Pontificis legatus ad Sigismundum Regem venerat, postulatũ, vt Rex armis depositis, paceq; cum Mosco inita, bellum cõtra Turcas susciperet. Idem vt faceret Moscus, se Põtificis nomine eum aditurum, ac pacis autorẽ ipsi futurum. Responsum à Rege, nil sibi gratius fore, quam Pontificis arbitrio stare, si bellũ nondum à Mosco accensum nullæq; ab ipso illatæ iniuriæ essent: iã retrocedere, totq; ab ipso iniuriis illatis pacem petere, se saluo honore suo nõ posse, cum hostis sit existimaturus, se metu armorum ipsius territum id facere. Legatus non tutum existimans ad Moscum hominem barbarum & perfidum ire, cumq; eo de pacificatione agere, à Rege liberaliter habitus, Romam reuersus est. Moscus Regis aduentu maximo q; belli apparatu cognito, omnibus copiis contractis Smolenscũ versus expeditionem suscepit, verltus, ne arcẽ, cuius expugnatio tanti ipsi constitisset, eadem, qua acquisisset, arte amitteret, Regẽ anteuertit, & Smolenſco egregie munito, exercitum Lituaniam deprædari ad Beresinã fl. vsq; iussit, quẽ sui imperii limitem à meridie gloriabatur. Statim post Sigismundus Rex ad Beresinam Borissouiam q; oppidum vniuerso cum exercitu aduenit, cuius aduentu Mosci perterrefacti ad Orsam vsq; retrogressi sunt. Rex Beresina superato nemine impediente, ex omnibus copiis ad triginta equitum peditumq; millia delecta in hostẽ misit, ipse vero ad Borissouum in vlteriore Beresinæ ripa substitit, castraq; sua cum reliquis copiis, quas secum retinuit, vallo & fossa, ac circumductis vndiq; curribus plurimis communiuit, ideo, vt si Mosci commisso prælio vicissent, Poloni & Lituani castra regia tutum haberent receptum, & Rex recentibus instructus cohortibus hostes cursu laboreque defatigatos iu nouum & insperatum conflictus periculum adduceret, & victoria elatos facilius fugaret. Nec ratione caruit ista Regis cura, siquidẽ Moscorum exercitus erat octoginta millium equitum, qua multitudine confisus Moscus regium exercitum duplo minorem supercilioſe despexit, iactans, non ferro Polonas se superaturum, sed suorum flagellis pecudum instar in Mosconiam abacturum. Interea Glinscius per secretos nuncios Vladislai Vngar. & Bohem. Regis Sigismundo Regi reconciliatus fuerat, spe illi certa in patriam reditus, bonorumq; recuperandorum facta. Glinscius rursus Smolenscũ & plures alias Mosci munitiones Regi se redditurm pollicebatur, maxima .n. tum tẽporis eius apud Moscũ erat autoritas. Fide in id vtrinq; data & accepta, Vladislai Regis literæ cum fide publica ad Glinscium scriptæ & interceptæ omnia hæc perturbarunt. Missus erat quidã iuuenis nobilis Trepka in Moscouiã, qui vt commodius mãdata Regis exequi posset, transfugam se simulauit. Sed nouerante fortuna à Mosco captus, & mox quæstionibus subiectus. Fama erat, veru ligneo alligatum à barbaris tostum fuisse, magno Lituaniæ & Glinscii infortunio, qui si ad Regem rediisset, belli, cuius initium fuit, finis esse quoq; poterat. Creditũ fuit, fuisse ex proceribus quosdam, qui Glinscii reditum in patriã & gratiã regiã inuidebant, tum q; homini non fiderent, tum q; gloria, quæ paulo post reportata est, ipsi cessura videretur. Ideoq; ab iis consilia Glinscii Mosco patefacta fuisse, quem Moscus detectis eius conatibus numellis & cõpedibus constrictum arctissime custodiendum curauit. Inter-

Legatus Pontificis ad Regem de pace.

Responsum Regis.

Smolenscũ à Mosco munitum.

Mosci exercitus magnitudo.

Glinscius clam Regi Pol. reconciliatus.

Regis Vng. conatus pro Glinscio reconciliando irritatus.

Poloni & Lituani ad Orsam.

Poloni & Lituani Borissouio per Odrusios campos ad Orsam nõ longe à Boristhene toto cum exercitu appulerunt, quo conspecto Mosci, qui in altera Borysthenis parte cõstiterant, mille passus à flumine retrocesserant, ea spe, vt Polonos & Lithuanos flumen transire ausos facilius vincerent, victosq; fuga intercluderent. Tyrannus Moscorum Smolensci tum erat, viginti quatuor ab Orsa milliaribus, qui rescito per exploratores, Polonicas copias suis numero & viribus inferiores esse, eo insolentiæ processit, vt inter suos duces ante victoriam Lithuaniam sit partitus, vnicuique sua, quam possidere debeat, parte attributa, triumphum, vt dicitur, ante victoriam canens: suis iniungens, ne in Polonos ac Lituanos ferrum stringerent, sed eos Borysthenem libere traiicere sinerent, flagelliſque pecudum instar propellerent. Poloni ac Lituani partiti agmina, se ad vniuersi certaminis aleam sumpto cibo armisq; paratis accingebant. Polonici exercitus Ioannes Suirczouius, Lituanici Constantinus Ostrogius Dux erat. Consilio inito peditibus iniunctum est, flumen ponte iungerent, tormentaq; cum omni peditatu traducerent. Quod cum fecissent, exorto iam die equitatus mato, vt receperant, quiescentibus. Vtraq; acie explicata, Suirczouius octingentos equites ab extremo agmine seiunctos, eos eminus nemus quoddã, quod hostium latus respiciebat, adequitare, & horrendo clamore eos aggredi iussit; ad terrorem incutiendum. Acies regia ita disposita fuit, vt Poloni dextrum, Lituani sinistrum tenerent cornu, peditibus inter vtrumque cornu mediis collocatis. Sub tertiam diei horam signo pugnæ dato, priores Poloni ingentibus animis in Moscos irruere, Polonis interdum hostem repellentibus, interdum multitudine hostium recedentibus, ac recollectis viribus in hostem impetum facientibus. Constantinus quoque Dux in hostes inuectus forti animo permagnam eorum edidit stragem. Regiis ad victoriam maximo fuit adminiculo loci situs paululum eleuatus, in quo disposita tormenta regia in extrema agmina fulminabant, plurimosque perimebant. Qua suorum clade Mosci consternati ordines turbare, & fugam capessere cœperunt, sole iam in occasum eunte. Quo Mosci viso, qui in media acie constiterant, pauore correpti, & ipsi fugam arripuerunt, primis Moscorum agminibus adhuc præliantibus, atque à tergo, quid in reliquis duobus agminibus fieret, nescientibus. Id conspicati Poloni octingenti, qui in nemore se occultarant, ex obliquo in Moscorum pugnantium latera ingenti tumultu irruere. Mosci Polonorum vi sustinendæ haud pares in præcipitem se coniecerunt fugam, in qua innumeri cæsi, atque ad paludem delati, eam transire conantes, infiniti cœno fuerunt suffocati. Cæsa sunt triginta duo Moscorum millia, aut secundum quosdam quadraginta. Tanta fuit Moscorum cædes, vt Borysthenes eorum sanguine rubuerit. Capti ex illustribus, quos duces vocant, decem, aliorum satraparum decem & septem, Nobilium inferioris ordinis duo millia, & militum gregariorum totidem: signa militaria capta non pauca. Ex regio vero exercitu non amplius quadringenti desiderati, vulnerati vero plurimi. Contigit hæc memorabilis victoria ad Orsum die natali D. Virginis.

Parant se ad certamen.

Polonorum pugna cum Moscis ad Orsam.

Mosci cæsi & fugati à Polonis.

Cæsorum & Captorum multitudo.

Legatio Regis Pol. ad Pontificem & Principes de victoria.

Rex victoria accepta quatuor millibus recentibus in cæsorum locũ militibus submissis, duces victoriam persequi iussit, ipse cum captiuis triumphabundus Vilnam maximo omnium applausu ingressus est, omnibus in templis

templis supplicationibus indictis. Post ad Pontificẽ, nec nõ reliquos Reges ac Principes literas de victoria à Mosco reportata per Nicolaũ Volscium testẽ pugnæ oculatũ, additis quatuordecim Moscis captiuis viris canicie conspicuis misit. Quos Maximilianus Imp. per cuius regiones ducebantur, interceptos Moscorũ Principi cõfœderato suo per Lubecã in Moscouiã remisit. Reliquos captiuos Vilnã adductos cũ trophæis, signis, & spoliis militaribus, cõpedibus constrictos in arcibus Lituaniæ asseruandos iurauit, pleriq; omnes carcerũ pedore ac fœtore enecti contabuerunt. Moscus clade suorũ territus, exiguo comitatu Smolensco excedẽs, festinabundus in Moscouiã cõtendit, vbi ex fuga collectos milites Smolenscum remisit, atq; arcẽ præsidio muniri valido iussit, non dubitans, victorẽ exercitũ acquisitæ victoriæ gaudio triumphante arcis obsidionẽ, quã ea occasione facile capere possent, nõ neglecturũ. Et sane imprudentius à regio milite factũ est, quod nõ protinus hostibus cæsis & fugatis arcẽ aliquot millibus obsederunt, quã non ita magno negotio in hostiũ consternatione expugnare potuissent. Verũ fato quodã accidit, vt Poloni vicisse cõtenti, vulnera sibi curanda, genio indulgẽdũ, equosq; maximi præli labore defatigatos reficiẽdos censerent. Quã ob rẽ etiã cõplures dies sine loco pugnæ mansum est, Smolensci expugnatione in aliud tẽpus dilata. Ideoq; merito Rex Ducũ negligentia inculata eos reprehẽdit, quod nõ illico hostibus fuga dilapsis cũ victore exercitu Smolenscum perrexerint, arcẽq;, pro qua recuperanda tantũ sanguinis fusum esset, arcta obsidione cinxerint, hostiq, eã muniendi occasionẽ ac tẽpus præripuerint, Hannibali in eo similes, q̃ vincere scirent, victoria vti nescirẽt. Nã duces acceptis illis quatuor millibus, de quibus ante, hostes insequi iussi mense demũ vno à conflictu Smolenscũ versus mouerunt. Quo vbi ventũ, arcẽ iam validissime communitã repererunt. Itaq; spe eius recuperandæ nulla apparente, & bruma appropinquante, omnibus circa Smolenscum longe lateq; vastatis, dimisso exercitu in hyberna se receperunt. Moscus vero præclare secum actum, si Smolenscum tanta clade accepta retinere posset, existimãs, legatos ad Regem misit, & fœdus quinquennale cũ eo pepigit, eoq; elapso, aliquoties renouauit, ac bona fide Regis armis nonnihil territus seruauit.

Moscus in Moscouiam fugit.

Smolenscipotiundi occasio neglecta à Polonis.

Mosci fœdus quinquennale cum Rege Pol.

Anno 1515. pax & affinitas inter Maximilianũ Imp. Vladislaũ Vngariæ Bohemiæq;, & Sigismundum Poloniæ Reges tractari cœpta est. Eares, quia præter spẽ accidit, paulo altius simultatũ, quæ inter Austriacã & Iagellonicã familiã fuerunt, causæ repetendæ sunt. Post Alberti Romanorũ, Vngarorũ, & Bohemorũ Regis, Ducisq; Austriæ obitũ Vladislaus Iagellonius Casimiri Regis Poloniæ frater, qui in prælio Varnẽsi cõtra Turcas cæsus est, regni Vngariæ procerũ suffragiis ad regnũ Vngariæ fuit vocatus, postq; iterũ Matthia Huniade Rege defuncto, Vladislaus alter Rex Bohemorũ, Casimiri ex Elisabetha Alberti Imp. filia natus, Sigismundi Regis Poloniæ frater, eorundẽ procerũ voluntate ac cõsensu ad regnũ postulatus id Austriæ Archiducibus præripuit. Vnde grauissima inter familias potentissimas exorta odia ac dissidia, quæ tẽporis progressu nouis subinde fomentis creuerunt. Quam animi exacerbationẽ Maximiliani Cæsaris erga Regẽ Sigismundũ non parũ auxit eius cũ Barbara Scepusia connubiũ, quod eo factũ suspicio erat, vt Ioannes Comes Scepusius Reginæ Barbaræ frater nuptiis Annæ Vladislai Regis filiæ opera autoritateque Sigismundi fratris potiri, ac per hoc successionis ius, quod Maximiliano eiusq; nepotibus in Vngariæ regnũ debebatur, impediri, irritũq; fieri posset. A quo tẽpore Maximilianus Sigismundo occulto illo

Ann. Christi 1515.

Consultatio Regum Vngar. & Pol. de congressu Maximil. Imp.

Simultatũ causæ inter Austr. & Iagell. familiam.

odio erumpente hostē se ꝓfessus est, ineū Moscos, cū quo fœdus inierat irritato. Quo accessit & simultas ob Prussiæ ac Pomeraniæ citerioris ditiones à Polonis occupatas, ꝓ quarum possessione ac vendicatione Cruciferi Germanorū auxiliis adiuti magna ac diuturna cum Polonis bella gesserant, tandemq; ex Prussia & Pomerania exterminati, trecentis, postquam eas terras possedissent, annis, ad quarū restitutionem Maximil. Imp. Poloniæ Reges sæpe sollicitauerat, Quod cū obtinere Maximilianus non posset, armisq; inde pelli Poloni nequirent, Imper. Moscos, Valachos, ac Tartaros in Regem Sigismundū concitauit: à quibus Poloniæ ingentia fuerunt dāna illata. Rex simultatū cum Impe. sopiendarum cupidus, in id omnibus modis incubuit, vt cum Maximiliano Imp. vel ipse congredi, vel aliorum interuentu ei tecōciliari posset. Nec Maximilia. Imp. à Regis præpotentis cōgressu alienus fuit.

Rex Sigism. Cracouia Posonium profectus.

Sigismundus Rex itaq;, vt per legatos ante vtrinq; missos conuentū fuerat, Cracouia rebus omnibus ad iter paratis 5. Martii Posonium versus triū equitum milliū splendido comitatu profectus est, cui ad iter accincto Matthias Miechouius Astronomus excellens prædixit, frustra eū nunc iter ingressurū, ab eo. n. ante Iulii mensem Cæsarē visum non iri. Nec falsa ea prædictio fuit. Nā statim post Regi significatū, à Maxim. Imp. Matthiā S. Angeli Cardinalē Gurcensem Episc. qui eū Regibus ageret, constitutū esse. Quod cū quidam putarent à regia dignitate alienū, ad alium, q̄ ad ipsum Cæsarem ire, respondit Rex, se datam fidem Imperatori constanter seruaturū, etiamsi longe inferiorē eo mitteret. Ingressus itaq; iter Tirnauiæ ab Episc. Quinqueclesiensi & Georgio Marchione Brandeburgensi vtriusque Regis ex sorore nepote exceptus, Posoniū deductus est. Cui venienti Vladislaus Rex frater cū Ludouico & Anna liberis suis obuā processit, humanissimeq; eū lachrymis præ gaudio fusis cōplexus est. Aduenere eo paulo post Cardinalis Strigoniensis, cæteriq; Vngari proceres. Ibi actū inter Reges de regnorū Vngariæ, Poloniæ, ac Bohemiæ salute. Magno desiderio expectatus Maximilian. Cæsar, aduentū protraxit, vel ꝙ variis distineretur negotiis; vel quia Vngaris non satis fideret; vel quia omnia per legatos vltro citroq; missos prius componi vellet, q̄ in colloquium cū Regibus deueniret; vel etiā, quod Augusta, vbi tum Cæsar erat, longe aberat. Interea Cæsar Cardinalem Gurcensem ad salutandos Reges suo nomine, aduentusq; sui tarditatē excusatum designarat, qui cū ipse tam cito Regibus se sistere non posset, eo misit Marquardum Streimiū, Ioannē Moraxium, Ioannem Cuspinianū, & Volfgangū Hamerle, qui Regibus aduentū nunciarent, Cardinale paulo post subsequuto, cui à Regibus magnus habitus est honor, tanquā Cæsaris vices agenti. Consultatum est postea cōsiliis secretis de Regū amicitia. fœdere, & affinitate inter eos ineunda, vt eo facilius citiusq; omnia Cæsare adueniēte transigi possent. Quibus actis, Cardinalis à Regibus honorifice habitus, 12. Aprilis Posonio discedēs Viennam peruenit, vnde Cæsar eos consiliarios Guilhelmū Rogendorffiū, & Laurentium Santerum vicedominū Austriæ ad Imper. ablegauit. Dum Cardinalis apud Reges Posonii esset, Bartholomęus dux Munsterbergensis Sileſiæ à Cæsare ad Reges submissus, Danubio vectus, naui ad truncū illisa magno cū multorum mœrore submersus est. Nec multo post Cardinalis discessum prid. calen. Maias subito igne Posonii maxima ciuitatis pars deflagrauit. Eo igne Vladislai regia Vngar. in curia absumpta, Sigismundi vero domus, in quā diuertit, aulicorū industria seruata. Rediere interea ad Cæsarē à Cardinale missi legati amplissimis cū mandatis, de amicitia & affinitate cū Regibus ineunda. Quibus Cardinalis instructus, propere 11. Maii Vienna se

Consultatū de Regum fœdere & affinitate ineunda.

Dux Munsterberg. Sileſ. submersus in Danubio.

Posonium conflagrauit.

Regi Pol. Vngariæ Rex obuiam it.

cundo Danubio Posonium ad Reges descendit. Pergratus fuit reditus eius Regibus, & denuo aliquot dies cōmunicatis consiliis 20. Maii conditiones tā fœderis, quam matrimonii futuri Regum duorum, Cardinalium Strigoniensis & Gercensis, manibus solenniter subscriptæ & approbatæ fuerunt.

Dum hæc ad Posonium aguntur, triste Vngarorum Regi Vladislao nuncium allatum est, Ioannem Scepusiii Comitem ac Palatinum Transyluaniæ Turcarum fines cum Vngarorum exercitu ingressum, à Turcis prælio superatū esse, quæ fama non modo Vngariæ & Poloniæ Reges, sed & Barbaram Reginā Poloniæ mœrore affecit, quæ fratris infortunio plus nimio angebatur. Cardinalis Gurcensis rebus Cęsaris Posonii apud Reges ex sententia cōpositis Viennā, inde terrestri itinere Augustā Vindelicorum ad Cæsarē contendit, quē diu tergiuersantē ac deliberantē, an cum Regibus cōuenire deberet, Cardinalis comitate Regū ac fide cōmendata, magno tandem labore ad iter Viennam versus capessendum impulit. Secuti erant Cardinalē Augustā vsq; Regum ad Cæsarē nuncii, Hieronymus Balbus Italus, & Prædislaus Suceiouius Bohemus, Nicolaus Cæculus Vngarus, & Petrus Knitha Polonus, qui Cæsarē eorum nomine salutarent, & ad conuentū inuitarēt. Quorū postremos Cæsar certo aduentus sui nuncio cum literis humanissimis ad Reges remisit, ꝙ eos q̄, haud multo post secutus decima tandē Iulii Viennam appulit. Aduentu Cæsaris Viennā cognito, à Regibus legati viri gentis suæ primarii missi fuere, qui Cæsarē Regū nomiue exciperent. A Vladislao Rege fuere Georg. Quinquecclesiensis Episc. Ladislaus Sternbergius Bohem. eius regni Cancellarius, Moses Buslaus aulæ regiæ Præfectus. A Sigismundo Rege Ioann. Lubranscius Episc. Posnan. Lucas Gorcanus Poloniæ maioris præfectus, Christoph. Zzidlouiecius regni Poloniæ Cancellar. Gerorgius Episc legationis princeps verba ad Cæsarē fecit tēpori accōmodata. Cui Cæsaris nomine Petrus Mora Hispanus elegāti & cōcinna breuitate respondit. Postridie Regum legati à Cæsare dimissi ad Reges Posonium rediere. Misit dehinc Cæsar legatos, qui Reges suo nomine exciperent. Ad Vladislaum & Ludouicū Reges Christop. ducē quoq; Brunsuicensem Archie. Bremensem, Casimirum Marchonē Brandeburg Regum nepotē, Guilhelm Rogēdorffium, & Ioann. Cuspinianum. Ad Sigismundū vero Regē Poloniæ Guilhel. Bauariæ ducē suū ex sorore nepotē, Christoph. Labacensem Episc. Balthasarē Præpositū Valdkirchensem, & Petrū Moraxium misit. Hi 14. Iulii legatione defuncti, Cæsaris nomine Reges Viennā peramanter inuitarunt, iisq; cōueniendi locū ad pyrum Vngar. & Austr. confinio cōstituerunt, certa die adiecta, qua Reges Posonio ꝓfecti Sigismundi Hamburgi, Vladislaū Brugis ad Leitā fl. pnoctarent. Sequenti luce numeroso ac splendido equitū comitatu Cæsari obuiā progressi sunt: qui mora aliqua interiecta eadem die, quæ fuit 15. Iulii, aduenit, magnificētissimo peditum atq; equitum cataphractorum comitatu. Postero die cum Cæsar vtrisq; Regi per Cuspinianum conueniēdi loco ac salutationis modo indicasset, ne vel ipse & Vladislaus Rex lecticis, quibus propter ætatem vehebantur, descendere, vel Sigismundus Rex cum Ludouico equis desilire necesse haberent, ad pyrum quandam in finitibus sitā, Sigismundus Hamburgo, Vladislaus Brugis priores ad locum designatum aduenerunt, post Cæsar ex montis iugo dumetis eius conspectum tegente lectica descendit. Congressus hic magnificētia tantis Principibus digna admirabilis fuit. Germani armorum splendore atq; apparatu facile omnes superarunt: Poloni contra Bohemi & Vngari miro equorum

Ioanes Stepusius Transyl. Palatinus à Turcis superatus.

Regū nuncii ad Cæsarem.

Max. Cæsar Viennam appulit.

Regum legati ad Cæsarem.

Cæsaris legati ad Reges.

Viennam eos inuitāt.

Maximil. Cæsaris cū Regibus congressus.

numero, vestiumq; sumptuosissimarum precio conspicui fuerunt. Ante congressum vtrinq; legati aliqui fuerunt missi, iamq; diffidentia omni sublata Cæsar ad Reges lectica delatus substitit. Ludouicus primo Cæsarem, tanquam patrem ac Dominum salutauit, eiusque aduentui gratulatus est: „ inde Anna soror eius, tum Vladislaus Cæsarem allocutus est. Postremo „ Cæsar Sigismundum Regem Poloniæ humanissime exceptum his fertur „ verbis compellasse: Hæc est dies, quam fecit Dominus, lætemur & exulte- „ mus in ea. Adhæc Sigismundus Rex Latinis verbis in hanc sententiam re- „ spondisse perhibetur: Serenissime Cæsar, vtinam hic conuentus noster sit „ felix ac faustus nobis, subditis nostris, & toti Reipublicæ Christianæ. Salu-

Cæsar Reges Viennam inuitat.

tationibus peractis, interuallo breui facto, alii, qui aderant, illustres cuiusque nationis principes viri & Cæsaris & Regum dextras osculati sunt. Cæsar Reges pro maiori hospitiorum commoditate Viennam per Cardinalem Gurcensem inuitauit. Qua in re aliquandiu consultatum est, Senatu Vngarico non probante hoc iter. Sigismundus vt fratri persuaderet, rogatus sic Cardinali respondit: Ego relicto patrio regno, vt Cæsarem viderem, eius fide huc veni, & quem mihi grauem hostem multi prædixerunt; amicum & mihi bene fauentem reperio. Quare non solum Viennam, sed, quocunq; Cæsari libuerit, libenter sequar. Nullam enim aliam de Cæsare vnquam fidem habui, quam de integerrimo Principe & consanguineo honorando sperare æquum est: fratrem cum liberis ad hoc ipsum hortaturus sum, qui velint, & nobis confiderint, nos sequantur, si quis secus, absit. Hæcque ad Cæsarem iussit referri. Grata hæc vox fuit Cæsari, qui commendata Regis Sigismundi fide atq; constantia, daturum se operam dixit, ne Regem Sigismundum initæ amicitiæ & congressus sui vnquam pœniteat. Vladislaus Rex intellecto fratris Sigismundi constanti proposito, ad iter ingrediendum persuasus est, initoq; colloquio, sub noctem Reges in sua hospitia reuersi sunt. Sequenti die rursum fuit conuentum, iterq; Viennam susceptum, erat ea decima sexta Iulii, qua Reges deducentes Cæsarem Vi-

Regum Viennam ingressus. Conuentus Cæsaris & Regum in arce Viennen.

ennam intrarunt. Qui ab omnibus Ordinibus, eis obuiam progressis, summis cum honoribus sunt excepti, à Maximiliano Cæsare honorificentissime atq; humanissime habiti tractatique fuerunt. Quarto post die Cæsar, Reges, eorumq; Senatus conuentum in arce egerunt, in quo Latine aduentus sui tarditate excusata de omnibus, quæ ad pacem communem ineundam, ac affinitatem contrahendam visa sunt necessaria, atq; expeditione contra Turcas suscipienda disseruit, quanto desiderio annis plus viginti eam commoditatem cum Regibus coram colloquendi à Deo optarit, testatus: addens non sine dolore, à Ludouico vndecimo, Carolo octauo, & Ludouico duodecimo Galliæ Regibus, aliisque Principibus institutum fuisse impeditum. Iam vero oblata occasione hac tamdiu exoptata, ad eam expeditionem Pontifice ipso, Regibus & Principibus consentientibus, non passurum suam desiderari operam. In eã sententiam Cæsare locuto responsum est Regũ nomine à Cardinali Strigonienſi. Gurcensi post cœptam tractationé Cæsaris nomine persequente. Sicq; ille dies cõsultatione vltro citroq; habita traductus fuit. Postridie, quæ 22 Iulii fuit, ac Mariæ Magdalenæ sacra, Cæsar cũ Regibus ac procerum comitatu in D. Stephani æde sacris

Anna Vng. Regis filia desponsatio. Maria Ludouico nuptæ.

interfuerunt: quibus peractis Maximilianus Cæsar Cæsareo paludamento indutus, conscenso theatro ad hanc rem erecto, Regibus cinctus, Annã Vladislai Regis filiã sibi vel alteri ex nepotibus ritu solenni despondet, diademate

mate ipsi impositio, Reginam salutauit: Vicissim Ludouico Maria neptis nuptum data est, creatis aliquot à Regibus equitibus auratis, sacrisque finitis ad prandium itum. Sequentes dies epulis, conuiuiis ac hastiludiis fuerunt consumpti, & Reges eorumque proceres in tantæ rei testimonium à Cæsare magnifice donati. Reges contra Cæsarem eiusque aulicos & proceres liberaliter remunerati sunt. Die inde vicesima octaua Iulii amicitia, societas, ac

Amicitia, societas, & fœdus Cæsaris cum Regibus.

fœdus Cæsaris cum Regibus per Ioannem Cuspinianum secretarium Cæsareum promulgatum est. Postridie Calendis Augusti Vienna Nouam ciuitatem, quæ octo millibus passuum Vienna abest, itum est, vbi venationibus aliisque animi recreationib. indultum, subinde consultationibus secretioribus nonnihil temporis tributum. Tandem conuentu absoluto, Maximilianus Cæsar Regibus, quos nunquam deinceps visurus erat, non sine lachrymis vtroque fusis supremum vale dixit. Vladislaus etiam Vngariæ Bohemiæque Rex cum Ludouico filio propinquiori itinere Budam se recepit. Sigismundus vero Rex Poloniæ tertia Augusti Viennam reuersus ibique subita Danubii inundatione rupto ponte ad sextam Augusti retentus, qua die salutatis prius Anna Mariaque Reginis, in Poloniam iter suum conuertit.

Cæsar Regibus valedicit. Regum Vienna discessus.

Conuentus Viennen. exitus pacatus.

Atq; hic conuentus huius celeberrimi liberalitate Maximiliani Cæsaris habiti, cui tot diuersorum & morũ & linguæ gentes interfuere, sine omnib. turbis exitus pacatus fuit. Fuere in hoc memorabili conuentu Maximilian⁹ Cæsar, Vladislaus cũ Ludouico filio Vng. & Bohem. Sigismundus Poloniæ Reges, Thomas S. Martini in montib. Cardinalis, Archiepisc. Strigonienſis, Matthęus S. Angeli Cardinalis, Episc. Gurcensis, Coadiutor Salisburgensis, Leonis X Pontificis legatus Episc. Feltrensis, Petrus Virea Hispaniæ, Robertus Angliæ Regum legati. Ex Cæsareanis fuere: Archiepisc. Bremensis ex Ducum Brũsuicensium familia: Io. Ratisponensis Palatinus Rheni, Vigilæus Pataujensis, Christoph. Labacensis, & Georgius Viennensis, Episc. Ex Ducib. Vilhelmus & Ludouicus fratres Bauariæ Duces, Casimirus Marchio Brandeburgicus, Albertus Mechelburgicus, Vlricus Virtenburgicus Duces. Bertholdus Hennenbergius, Io. & Vdalricus Hardecii, Georgius Montfortius, Carolus Oettingius, Georgius Schauenberg⁹ius, Comites. Ex Vngaria & Bohemia fuere præter Cardinalem Archiep. Colocensis, Georgius Quinquecclesiensis, Stanislaus Olomucensis, Ladislaus Vacensis, & Michael Bosnẽsis, Episc. Georgius Marchio Brãdeburgic. Carolus Munsterbergicus Dux. Io. Comes Canischius, Ladislaus Sternbergius regni Bohemiæ Cãcellarius. Ex Polonicis vero magnatibus erant, Matthias Dreuicius Vladislauiensis, Io. Lubranscius Posnanienſis. Per. Tomicius Præmisliensis Episcopi. Christoph. Szidlouiecius Cracouiensis, Nic, Firleius Sendomirienſis, Nic. Radiuilius Vilnensis, Andreas Tenezinius Lublinensis, Georg. Baisenus Mariæburg Palatini. Lucas Gorcanus Posnanienſis, Nic. Szidlouiecius Sendomirienſis. Stanislaus Ostrorogius Calissiensis, Andreas Koscieleczius Voinicẽsis, Castell. Stanisl. Haliczius regni Mareschal. & Io. Pileczius Præf. Lublin.

Ab eo tempore Maximilianus Cæs. fœdus & amicitiam cum Sigismundo Rege constanter colait, ac Basilio Moscorum Principi fœdus, quod cũ illo pepigerat, renunciauit, minatus ei, si Regi Poloniæ dãna inferre hostilibus incursionib. pergeret bellum. In eo etiam allaborauit, vt Ordinis Magister iuramentum fidelitatis atq; obedientiæ Sigismundo Regi ex perpetui fœderis conditionib. præstaret promissis ei contra Magistrum, nisi faceret, auxiliis. Sigismundus Rex contra Maximiliano Cæs. pollicitus est ad bellũ con-

ra Turcas instructas Polonicorum equitum turmas. Quod bellum pium & necessarium vt consociatis animis viribusq; terra marique susciperetur, Sigismundus Rex Pontif. Rom. aliosque Reges ac Principes Christianos vehementer incitauit. Quia vero Venetorum eo tempore mari Ionio maxima erat potentia, vt mari quoq; Turcæ bellum inferretur, Sigismund. Rex Dreuitium & Raphcelem Leszczinium ex Senatu, adiuncto eis Ioan. Dantiſco, ad Venetos misit, qui eos ad classē cōtra Turcas instruendā solicitarēt. Verū illi certam pacem incerto bello præferentes, q̄ Cæs. vires minores animaduerterent, q̄ quæ Turcarum potentiā vehementer lędere possent, atque etiā Christiani Principes intestinis bellis totā Italiam turbarent, vt bellum Turcis mari facerent, abduci tunc non potuerunt. Ideoq; legatis nullo cū certo responso inde abeundum fuit, Ioan. Dantiſco diu post apud Maximil. Cæs. Sigismundi Regis oratorē agente, Turcicam q; expeditionē incassum vrgēte.

Tartarorū in Podoliā excursio.

Interea Rege Sigismundo Posonii hærente Tartari Tauricani mēse Martio Pedoliam hostilem in modum inuaserunt, duob. millibus ceorum Treboulā excurrentibus. Erat ibi Ioan. Tuorouius cum 40. circiter equitib. nec dū reli qui milites mercenarii q̄ ad Podoliæ defensionē contra barbaros stipendio conducti erant, conflixerant. Tuorouius Tartaros Treboulam maxima cū vi irruentes fortissime repulit, diem integrum cū eis prœliatus. Tartari, q̄ superiores euadere non possent, discesserunt. Inde Tuorouius Buczacio equi tatu auctus maiori cum 700. militib. Micdzibozum vsq; Tartaros insecutus est, qui Polonis à tergo instantib. relicta Podolia magnis itinerib. ad Borysthenē se receperāt. Paulo post Mēdlingeres Tauricanorum Princeps Podoliā validis copiis contra irruptiones suorum cōmunitā animaduertēs, ad Sigismundū Regē legatos de redintegrando fœdere misit, qui Cracou. Regē Viēna mox rediturum aliquandiu prœstolati sunt. Sub idē tēpus Nicol. Camienecius Palatin. & Præfectum Cracou. summusq; exercitus regni dux vita excessit. Post cuius mortem Andrea Koscieleczius Thesaurarius, & Christoph Szidlouiecius Cancell. regni apud Regem Præfecturā Cracou. magnis studiis prensabant. Obtinuit tandē Szidlouiecius non solum Prefecturā sed etiam Palatinat. Cracou. contra regni cōstitutiones, singulari Regis fauore, Cācel. munere ei simul cōcesso, in Cæs. gratiā. Qua re Koscielec, in Præfecturā Cracou. ob prœlatum cōpetitorē ita mœrore cōfectus dicitur, accedēte & filii vnici morte, vt paulo post in graue ęgritudinē incidēs mortē oppetierit.

Nic. Camienecii Palatini Cracou. mors.

Sigismundus Rex 6. Aug. Vienna discedens, omni festinatione, in Polon. properabat, q̄ in reditu à Stanisl. Thurzone Episc. Olomucensi summis exceptis honorib. magnifice & liberaliter habitus est. Olomucenses etiam Regem omnigenis officiis obseruantiæ ac subiectionis exhibitis exceperūt, per inde ac si eorum Rex esset. Rex deinde 19. August. Cracou ingressus, Barbaram reginam ex puerperio male affectam offendit, ita vt irrita videretur Medicorum opera. Consilio dehinc habito dignitates ac magistratus, q̄ sub id tēpus vacabāt, distribuit. Thesaurarii regni munus Koscieleczio nō itapridē defuncto cōtulit Nicol. Szidlouicio: Scepusiēsis, Zatorienſis, & Osiuecimēsis Ducatuum præfecturas magnæ itē Cracou. procurationis munus Nicol. Iordanus obtinuit, Salinarum Præfecturā Ioan. Bonerus Rege volente, ac Senatu persuadente adeptus est, cuius solertia ac dexteritate Andreas Koscieleczius salinarum ordinem restituit, quas illius nomine longe maiori commodo publico administrauit. Eo quoque mēse Ioan. Thurzo Episc. Vratisl. à Frider. Duce Lignicensi legatus Cracou venit, vt matrimonium inter eum atque

Rex Cracouiam reuersus, Reginā male affectam offendit.

Legatus à Frid. Duce Lignicensi ad Regem de sorore Regis in matrimō petendā

atque Elisabetham sororem regiā nuper Rege Posonii absente inchoatum ad finem perduceret. Negotio expedito legatus ad Fride. Ducem sub finem Septembris rediit. Interea ex magna aquarum inundatione & prauis exhalationib. aere infecto contagiosi & pestilentes morbi exorti plerosque Cracouiæ sustulerunt. Extincta etiā est Barbara Regina subita morte, anno postquam in Poloniā venerat, quarto, magno cum mœrore ipsius Regis & omnium Ordinum Poloniæ, quæ ob mores pudicos, vitam castam, ac ob admirabilem pudoris ac verecundiæ famam Esthera vulgo fuit appellata. De eius morte opiniones variæ: nonnullis apoplexia tactam credentibus, aliis culpam in medicum reiicientibus. Constat tamen, inde à partu ad mortem vsque male habuisse. Cuius mors incidit in 2. Octob. ætatis cum vix expleuisset annos 20. Funus eius multa exequiarum pompa ac ceremoniis elatum, ad corpus in eo sacello, quod postea Sigismundus Rex regali sumptu ac magnificentia à fundamento extruxit, sepultum. Rediit sub idem tempus Ioannes Lascus Archiepiscopus Gnesnensis Roma, vbi biennium Lateranensi consilio interfuit: qui secum ius legationis perpetuæ sibi & successoribus Archiepiscopis à Leone decimo Pontifice concessum attulit.

Regina subita morte extincta.

Lascus Archiepiscopus Roma reuersus.

Rebus in Polonia constitutis, Rex mense Nouemb. Brestam Lithuanorū contendit, vbi moratus aliquantisper cum procerib. Lithuanis de bello proxima æstate Moscis inferendo, vel potius prosequendo consilia iniuit. Quā uis n. Moscus superiori anno ad Orsam magna victus ciade fuisset, tñ vindictæ cupiditate accensus bellum instaurabat, fiducia auxiliorum à Maximiliano Cæsare promissorum, ignarus eorum de quib. in Viennensi conuentu inter Reges transactum erat. Verum Maxim. Cæs. reuocato legato, quē pridem ante Regum conuentum ad Moscum concitandi eius causa ad bellum Sigismundo Regi faciendum miserat, alium Balthasarem Ederum submisit, per quem Basilium Moscorum Ducem ad pacis studium cum Rege Polon. est cohortatus. Is pro exploratore habitus per mensem in carcere fuit detentus, post tamen dimissus, re infecta ad Cæs. reuersus est. Is ratus, Moscum aduersi prælii memoria nil hostile tēraturum, verum sponte sua belli inducias tantum postulaturū, Sigismundo Regi autor fuit, à bello abstiteret. In Prussia interim ab vltimo fœdere inter Polonos ac Crucigeros facto alta pax fuit vtrisque fines suos tranquille defensanrib. vtrorum q; reb. per eā tranquillitatem crescentib. vsq; dum Ioan. Albertus Valachis infelici successu bellum mouisset, quo Tieffenius Magister Ordinis Leopoli obiit, cui Frid. Saxoniæ Dux suffectus, qui sæpius de homagio seu fidelitatis iuramento præstando Poloniæ Regi cōpellatus negotio suspenso paulo post reb. humanis exēptus est. Eo extincto de alio Magistro siue Principe ei sublegendo, in Cōmendatorum siue Præf. conuentu sententiæ dissimiles fuerunt, nonnullis posthac nullum principem eligendum suadentib. ne potentia sua cōfisi & auxiliorū à cognatis Principib. accipiendorum spe lactati, de ordine in pristinā libertatē restituēdo cogitarent, sicq; noua bella Cruciferis à Poloniæ Regib. attraherēt, vel alias ingentib. sumptib. populum onerarent, vel etiā Prussiā hæreditariā facere conarentur. Cæterum aliis visum est, quorum sententia vicit, Albertum Marchionem Brandeburgicum Sigismundi Regis ex sorore nepotem adolescentem vicennarium eligendum, quod consanguinitatis nexum pacis atque amicitiæ vinculum futurum sperarent.

Rex in Lithuaniam contendit.

In Prussia orientali

Friderico Saxoniæ Magistro defuncto.

Albertus M. Brand. Magister Ordinis fit. Ann. Christi 1516.

Sequenti post anno Petricouiæ comitia indicta sunt, quibus Casimirus March. Alberti frater interfuerat, cuius interuētione Albesti electio his cōditioni-

Comitia Petricouiæ.

ditionibus approbata est, vt intra semestre more prædecessorum obedientiam ac subiectionem regno Poloniæ iuraret, atque cum ex Ordinis instituto perpetuum bellum aduersus infideles gerere tenerentur, eius autem in Prussia Christianis prouinciis ac gentibus circumdata nulla sit occasio, locum eis in Podolia & Russia cum annuo bis mille aureorum stipendio à Rege assignandum, vbi perpetuo cum Tartaris atque aliis Christiani nominis hostibus belligerentur. Eas conditiones Casimirus fratris & Ordinis nomine acceptas, honorifice à Rege habitus donaturque ad Albertum fratrẽ detulit. Sigismundo Rege Brestæ Lithuanorum agente, Albertus Ordinis Magister ad homagium præstandum accersitus, acceptas à fratre Casimiro conditiones reiecit, causatus, se eas probare non posse, nisi cum Germaniæ & Italię Magistrorum consensu. Laboratum interea summo studio tum apud Romanum Pontificem, tum apud Maximilianum Cæsarem, vt perpetuæ pacis conditionibus abrogatis aliæ conditiones ferrentur. Eam ob causam Ioannes Lascus Archiepiscopus Gnesnensis Romam missus biennio apud Pontificem detentus fuit. Maximilianus vero Cæsar, solicitatus à Cruciferis ad opem ferendam, propter affinitatẽ & fœdus cum Rege Sigismundo initum recusauit. Atque sic Rege domum reuerso tum ex coniugis obitu, tum etiam nouis motibus, & aliis curis ac negotiis distento, res Prussicæ eo anno neglectæ fuerunt. Circa idem tempus moritur Vladislaus Rex Vngarię Bohemiæque Sigismundi frater, princeps benignus, beneficus, pacificus. Ludouicus filius tunc octenuis successit, qui propter ætatẽ tot gliscẽtib. inter proceres simultatib. & odiis paternis regnis administrãdo nõfuit. Maximilianus Cæsar à Rege Sigismundo rogatus, vt Regis pueri ac pupilli rebus auxilio & consilio adesset, nec eum in intestinorum motuum tempestate periclitantem desereret, licet Italicis bellis implicitus, id tamen summa fide exequi conatus est. Missi fuit etiam à Rege Sigismundo ad regni Vngariæ proceres Ioan. Lascus Archiepiscopus Gnesnensis, & Christophorus Szidlouiecius Palatinus Cracouiensis, qui Ludouici Regis rebus in Vngaria vtcumque compositis domum redierunt. Missis & ad proceres regni Bohemiæ Andreas Tencinius Palatinus Lublinensis, qui à Bohemis honorifice exceptus. Cæsareis aliquandiu frustra expectatis legatis Ludouici Regis rebus ex sententia confectis in Poloniam reuersus est. Rebus Vngarius ac Bohemicis vtcumq; per legatos pacificatis, Rex ad bellum Moscouiticum se accincturus Mendlingeri Tauricanorum Principi promissum pendit stipẽdium, ea conditione, vt ineunte vere Moscouiam populabundus ingressus, eam ferro & igne deuastaret. Tartarus facturum se pollicitus, præter expectationẽ Regis, fide data scelleratissime violata, cõtracto trecentorum milliũ equitum exercitu, omissa Moscouia per syluã nigrã Podoliam ac Russiam maximo cum incolarum terrore ad damno misit. In exercitu erant quatuor Tartarorũ duces, ipsum Mẽdlingerẽ Principẽ arcta sanguinis necessitudine attingentes, qui ad Luscũ castris positis quarta exercitus parte ad castrorum defensionẽ apud se retenta, reliquũ exercitum in cohortes diuisũ ad Russiã quaqua versus vastandã emiserunt, iussos ad dictã diẽ cum præda ac captiuis redire. Tartari plus q̃ ferina truculentia fertilissimas Russiæ terras omni cladis genere affliuerunt, vnde pauor, fuga, & trepidatio vndiquaq; ea calamitate ad Vngariã vsq; penetrãte, sed lõge immanius Russiã, Belzensem, & Lublinẽsẽ tract⁹ depdati sunt, innumeris oppidis & villis flãma deletis, prędaq; ingẽti hominũ pecorũq; vastã çãporum planiciẽ replentiũ coacta. Hominũ fuisse

Albertus M Brand. ad homagium accersitus, non venit.

Vladislai Regis Vng. & Bohem. mors.

Legati à Rege Pol. in Vng. & Boemiam missi.

Tartarorum in Podoliam ac Russiam irruptio.

fuisse feruntur supra quinquaginta millia in seruitutem acta, è quorum numero plurimæ fuerunt matronæ ac puellæ nobiles, ad nefandam suam libidinem ab illis explendam raptæ, non computatis senibus atque infantibus, propter virium imbecillitatem ad iter minus idoneis; quos partim conciderunt, partim inter fugiendum exanimes reliquerunt. Dum hanc immanem barbari crudelitatem exercent, Martinus Camienecius Palatinus Podoliæ, Stanislaus Lanczkoronius cum Ioanne Tuorouio coactis, quas in tumultu adeo inopinato contrahere potuerunt, copiis, Tartaros equites octingentos diuersis locis prædas agentes mascule adorti ad Trebouliam cruento prælio cæciderunt, & ad Podhaicziam quingentos alios ad internecionem trucidarunt. Alibi ab aliis ducibus Polonis innumeri hostes occubuerunt, parte prædæ recepta. Turmæ quædam Tartarorum captiuorum multitudinem maximam ducentes Polonorum aduentantium agmi num maximo cum ardore confligendi conspicientes captiuos misere truncarunt, ac plerosque omnes priusquam ad manus cum Polonis ventum esset, peremerunt. Quo conflictu plurimi cæsi fuerunt Tartari, quæ tamen clades propter hostium infinitum numerum vix notari poterat. Nicolaus Fitleius Palatinus Sendomirienſis supremus exercitus dux duo equitum lectissimorum millia eo adduxerat, verum quod equitum numero ac viribus longe esset inferior Tartaris, Busco discedentes cum præda ad Visniouecium vsque eminus insecutus, nil ausus à periculo præsenti suos reduxit. Tartari cum ingenti præda & quinquaginta circitrr Christianorum captiuorum millibus mense Augusto in Tauricam reuersi. Sunt qui longe plura & ad centum mortalium millia in seruitutem tunc rapta asserunt. Erat Rex tunc in Lituania, de bello Moscouitico mox suscipiendo deliberans, qui audita Tartarorum in Podoliam irruptione, quod ipse ob loci distantiam malis succurrere tam cito non posset, Tartaris reditum accelerantibus, proceribus quibusdam ac castellorum præfectis iniunxit, vt armati hostem insequerentur, adorirenturque, ac Reipublicæ periclitanti opem ferrent. Sed surdis canebatur fabula. Itaque Rex illato eo damno & iniuria vehementer exacerbatus, ad Mendlingerem Tauricanorum Principem nuncios ablegauit, qui eum fœderis violati ac perfidiæ accusarent. Ille per legatos scelus excusauit, in natos ac nepotes parum obsequentes, ac effrenem iuuentutem omni culpa reiecta, antiquum fœdus renouare cupiens, pollicitusque arma in Moscos se illico conuersurum. Nec mora, vt sunt Tartari ad bella aggredienda expeditissimi, eadem adhuc æstate numerosissimum exercitum ad Moscouiam vastandam misit, qui ad Occam vsque fl. in Volgam se infundentem progressus magna Moscouæ parte feiro flammaque atrociter deuastata ingentem pecorum & captiuorum prædam in Tauricam reduxit. Eo ipso anno belli cũ Turcis ansa fuit præbita præsidiariorum in Podoliæ finibus militum petulantia, qui Prædislao Lanczkoronio duce in Turcas ad Tyræ fl. ostium multarum ouium greges pascentes irruerunt, pastoribus subita irruptione plerisque fuga dissipatis, & non paucis cæsis oues abegerunt. Turcę Moncastrenses prędidiarii sumptis repente armis iniuriæ vlciscendi cupidi Vidouo lacu, in quem Tyras se exonerat, superato Polonos ouium greges abducentes insecuti, cum eis confligunt, ancipiti aliquandiu pugna, Turcis tamen victis ac fugatis.

Moscus Tartarorum damnis, quæ sibi illata, cognitis, exercitu, quem an-

Mulo tudo in seruitutẽ actorum à Tartaru.

Camenecen sis Præfectus. Poloni Tartaros insecuti cruento prælio cæciderc.

256

Rex Pol. ad Tartarum legatos mittit defœdore violato.

Tartari Moscouiam ferro flammaque vastant Polonosum cum Turcis belli occasio.

Moscus Tartaros inse-

qui iussit.

te Tartarorum in Moscouiam impressionem ad Lithuaniam vastandam missurus erat, reuocato, nouisque copiis additis cum præda & aliquot millium captiuorum turba abeuntes insequi iussit, quos præda onustos non lõge à Tanais fontibus insequuti se ad conflictum parant. Tartari hostium aduentu inopinato nil perculsi, captiuis cum exercitus parte in Tauricam præmissis, animose ad certamẽ se pararant, prælii signo dato acerrime concurſum, certatumque horis aliquot marte dubio. Victi tandem fuerunt Mosci, ac fugati cæsis eorum viginti millibus. Tarrari in Tauricam cum hostium exuuiis & captiuis reduces, habito nouo militum delectu, relictisque ad expeditionem minus idoneis ac sauciis, Borysthene trãsmisso, ad syluam vsq; nigrã properãter redierunt, castris ibi fixis. Rex de eo certior factus per exploratores, superiorum damnorum memor, metuens, ne Podoliam iterum deprædarentur, præfectis copiarum limitanearum mandat, vt ad Tartaros reprimendos coirent. Tartarorum aduentu in Podoliam audito, Christophorus Szidlouiecius Palatinus ac præfectus Cracouiensis Procerum quorundam Mielecii concilium constituit, vt missa Nobilitatis publica expeditione, quę tarda esse soleret, ad copias in Podolia iam paratas mille stipendiis conducerentur, cumq; illis consociarentur, Constantinus etiã Ostrogiæ Dux omnẽ Volyniam ad arma concitauerat, cum Polonis auxilia coniuncturus. Tartari apparatu ũ bellicorum fama territi, incertam martis aleam tertio tẽtare, duabus expeditionibus eo anno feliciter confectis, nõ ausi aruspicibus, qui ex corde ruffi hominis captiui futura augurantur, cruẽtam eis cladem, si vlterius procederẽt, minantibus: ideoq; protinus Tauricã repetierũt. Moscus quãuis binis maximis cladibus, vna à Sigismundo Rege, altera à Tartaris affectus esset, de bellicis tamen consiliis nil remisit, sed de reparando exercitu cogitare serio cœpit. Lithuani etsi à bello aperto cum Moscis immunes essent, metu tamen & suspicione, vehemẽter angebantur. Eo tempore Albertus Crucigerorum Magister expeditionem contra Samogetas ad Chronium fl. fecit, verum nullo cum successu, Præfecto gentis ad propulsandam iniuriam accurrente, quæ fuerunt haud obscura hostilis Alberti aduersus Regem auunculum animi argumenta.

Mosci à Tartaris cæsi.

Tartarorũ in Podoliam excursio.

Albertus Marchio cõtra Samogetas expeditionem suscepit.

In Masouia motus intestini.

Hac æstate in Masouia intestini morus exorti fuere, Annæ Ducis, quæ Stanislai ac Iaruſſii filiorũ nomine Rempublicam administrabat, Masouiis eius imperium ferre amplius detrectantibus, ac Stanislaum maiorem natu Conradi olim Masouiæ Ducis filium, qui iam annos natus sedecim, & ad gubernationem idoneus videbatur, manu armata matri extorquere conantibus. Verum ea Zaleuscii aulici sui suasu ac consilio administrationem abdicare noluit. Qua mulieris pertinacia irritati Masouii, augescente odio magis magisque armis correptis in arce Makouia eam cum filiis ducibus aliquandiu obsederunt: nec multum abfuit, quin Stanislaus Dux ex arce forte prospiciens per errorem sagitta traiectus fuisset. Qui tumultus Ioannis Lasci Archiepiscopi Gnesnensis studio ac prudentia sopitus & ad comitia proxima Varsauiensia suspensus fuit. Quæ transacto in bellum rursus erupisset, nisi Poloniæ proceres ex comitiis Petricouiensibus Stanislaum Ostrorogium Castellanum Caliſſiensem cum aliis in Masouiam misissent, qui turbis compositis Stanislaum Ducem Masouiæ gubernationi præfecerunt. Verum Anna matre ipsorum regimine abire renuente, Ducemque filium subditis liberum dimittere recusante, ad arma ite-

iterum deuentum est: quæ tandem metuens, ne grauius aliquid in se tentatur, filio cessit, Rege, ni faceret, minas intendente. Per id tempus Leo decimus Pontifex iubilæum Polonis ad tempus certum indulsit, cuius pecuniæ collectæ parte contra barbaros Regi decreta, residua Camieneciæ arcis munitioni, ac Gnesnensis ecclesiæ instaurationi cederet. Verum hominum deuotione vel frigescente, vel de eiusmodi indulgentiis remissius sentire incipiente, non multum contributum est. Mense Septembri detestandum facinus Cracouiæ à Franciscani sodalitii monachis commissum est, qui Albertum Fontinum Italum Prouincialem suum nuper in Poloniam missum, virum pietatis ac doctrinæ eximiæ, vt ipsis præesset, conscelerato cõsilio obtruncarũt. Nam cum monachorum dissolutam vitam ac petulantiam liberius reprehenderet, illi hominis peregrini imperium non ferentes, conspiratione inita, quinta Septembris dormiente effracta ianua, atq; nudum ex lecto extractum concionatore illorum carnificis vices agente miserum in modum iugularunt. Sequenti luce concionatore excepto reliqui decem comprehẽsi in carcerem compacti sunt Lipouiecii, vbi carcer eorum, resq; ad Pontificem perscripta. Rex parricidiale illud scelus detestatus, Pontificem per literas rogauit, ne impunitum relinqueretur: cuius mandato anno sequenti 1517. Cracouię mense Februario sceleris complices, sacris de more exutis, quatuor, duo quidem capite truncati, reliqui perpetuo carceri adiudicati sunt. Paulo post parricida ipse concionator Bardeouiæ in Bohemia captus, Cracouiamq; adductus mense Maio pœnas capite quoq; luit. Qui carceribus perpetuis erant mancipati, ruptis repagulis, ad vnum omnes fuga elapsi sunt. Eodem anno Maximilianus Cæsar memoriæ fœdus Viennensis & Sigismundi amore motus Prædislaũ Suiciouiũ Bohemum à consiliis ad Sigismundum Regem in Lituania tunc morantẽ misit, eum de secundis nuptiis contrahendis solicitans, oblato ei gemino maiestate eius digno matrimonio, promissa ad eam rem cõficiendam opera sua. Verum Rex Vladislai fratris, ac Reginæ coniugis suæ obitu mæstissimus, atq; etiam de belli Moscouitici euentu summe solicitus, à coniugio tum alienus erat. Cæsar prioris fœderis fiducia pacem ei à Mosco se impetraturum per Sigismundum Herbersteinium receperat, qui, quamuis cum morbo cõflictaretur, tamẽ collega, Petro Moraxio defuncto legationis munus obiuit. In Prussia interim regia inter Nobilitatẽ ac Gedanenses diffidia fuerunt exorta, quæ Matthiæ Dreuicii Episcopi Vladislauiensis prudentia fuerũt composita. Sub brumã illius anni, cum nullus esset ab hostibus metus, Tauricani quadripartito exercitu in Podoliam effusi Chmienicensem, Mielzibozensem, Zincouiensem, & Camienicensem Præfecturas omnis sæuitiæ genere depopulati sunt. Stanislaus Lanczkoronius Præfectus Camienecensis ab equitatu mercenariorum satis instructus, qui in Podolia, vt Mielecii fuerat constitutum, fuit conscriptus, cum Podoliæ Nobilibus, quorum agri vastabantur, Tartaros aggressus, maximis cladibus affectos, præda omni exuit, reliqui, qui ad Buscum vsque excurrerant, internecione sunt cæsi, multis copiarum ductoribus captis, & ad Regem Vilnam trophæi loco transmissis. Romanus Constantini Ostrogii nepos fugientes Tartaros lõge insecutus sagitta traiectus interiit. Feliciori successu Paulus Pharurcy præliatus est, qui ad Miedzibozum quadringentos Tartaros nocturno prælio concidit & fugauit. Alibi ad Zincouiam Iacobus Sancigouius

Iubilæus Polonia à Pontifice indultus.

Monachorũ Cracouien. facinus detestandum.

Maximil. Cæsaris legatio ad Regẽ de secundis nuptiis.

In Prussia regia inter Nobilit. & Gedanenses diffidia.

Tartarorũ Tauric. in Podoliã excursio.

Tartari à Polonis internecione cæsi.

An. Ch. 1517.

mille equites Tartaros post dubium ac cruentum conflictum fudit.

Proximo post hunc anno, qui fuit millesimus quingentesimus decimus septimus, inter Lithuanos & Moscos de Smolensco arce, illis eam recuperare, his conseruare satagentibus, sæpius pugnatum est acriter, Maximiliano Cæsare inter partes sequestrum agente, paceque inter Sigismundum Regem & Basilium Moscorum Ducem componete per legatos annitente. Verum Moscis Smolenscum reddere recusantibus, ad arma reditum est. Itaque Sigismundus Rex numeroso exercitu ex Lituanis, Russis, Masouiis, & ex mercenariis tam equitibus quam peditibus collecto sub finem Iunii Vilna mouens vicesimis castris ingenti cum apparatu Polociam venit, eo fine, vt prouincias illas, quæ olim Casimiro Regi parebant, in potestatem redigeret Moscis inde eliminatis. Rex circiter viginti dies Polociæ moratus, ad copias, quæ vndique aduentabant, recipiendas Præfecto Polonicis copiis Ioanne Suirczouio, Lituanis vero Constantino Ostrogio Plescouiam versus iter ingredi eos iussit, ipse Vilnam reuersus, de rebus, quę exercituii tanto futuræ opus essent, prospecturus, atque etiam expeditionis euentum expectaturus. Polonicus exercitus Moscouiam ingressus, eam longe lateque crudelissime ferro ac igne vastauit, compluribus oppidis, vicis, ac villis direptis & incensis, pauoreque & trepidatione omnibus impletis. Polonicæ turmę ad Plescouiam excursione facta nõ longe ab ea signa retrouerterunt, ingenti præda inde abducta multis cum captiuis. Redeuntem exercitum remorata est Opocia arx & loci situ, & validissimo Moscorum ac vicinorum Liuonum præsidio munitissima. Eam enim in eminenti colle sitam amnis circun fluens munitiorem reddit, qui late stagnans multas paludes efficit, quibus oppugnantes, ne prorsus accedere possint, prohibentur, ex materia quidem lignea, vt omnes fere in Moscouia arces extructæ sunt, mœnibusq; ligneis terra tamen aggesta repletis cincta, sed quæ glandium violentiæ essent impetuia. Arx primo aspectu paruo negotio expugnari posse videbatur. Qua opinione inflati Poloni milites hostium contemptu, ac nullis munimentis ad emissos ex arce globos excipiendos, arcemque & mœnia tuto subeunda excitaris tumultuarie ab vna parte, vbi facilior accessus, impetum in arcem fecerunt. Mosci & Liuones immoti stantes, defensionis signo ostenso, in Polonorum mœnia iam subeuntes, maximam glandium procellam eiaculati sunt, quibus plurimi perierunt. Adhæc truncos maximi ponderis in milites subeuntes deuoluerunt, quibus illi obtriti deorsum prouoluebantur, aliique perimebantur, alii membris fracti, ad pugnandum reddebantur inepti. Suirczouius infelici oppugnatione suorum atque etiam clade visa, signo receptui dato, suos ab oppugnatione reuocauit. Et sane arx adeo valido præsidio ingentique tormentorum apparatu erat firmata, vt potentissimi etiam exercitus vim eludere potuissent. Polonicus exercitus desperata expugnatione, bruma iam ingruente cum opima præda, quam ex Vielicoluco, nec non Toropecensi & Plescouiensi Præfecturis congesserant, Polociam sese receperunt. Multorum opinione Opociæ arcis cum tanta Polonorum clade oppugnatæ culpa in Suirczouium reiecta fuit, quod disciplinæ militaris immemor, oppugnationem non prudenter instituerit. Incidit hæc expeditio Plescouiam versus, ac magnæ partis Moscouiæ vastatio in annum decimum septimum supra sesquimillesimum, quo sub initium brumæ Tauricani Volyniam

B. llum Moscouiticum.

Poloni Moscouiam crudeliter populantur.

Opocia arx munitissima.

Clades Polonorum & Lituanorũ ad Opociã.

niam ac Belzensem tractum ingressi, fœdissime & atrocissime eas terras populati sunt, onustique prædanullo accepto incommodo in Tauricam se recepere.

Rex motibus Lituanicis vtcunque sopitis, finibusque suis firmo præsidio communitis, vt contra subitas hostium incursiones ea loca essent tutiora, Cracouiam Calendis Ianuarii anni subsequentis millesimi quingentesimi decimioctaui reuersus est. Eo regni proceribus conuocatis, conuentum egit, in quo multa Reipublicæ salutaria atque vtilia constituta, præsertim vero pecunia agrorum colonis & oppidanis in stipendium militum, qui fines Poloniæ tuerentur, imperata, Mense Decembri die D. Nicolao sacra Sigismundo Regi Bona Sphortia Ioannis Galeacii Sphortiæ Ducis Mediolanensis, & Isabellæ Arragoniæ filia virgo ætatis florentis & formæ præstantis Maximiliani Cæsaris opera Neapoli per legatos ad hoc deputatos desponsata fuit. Ea veris initio matre comitante Neapoli ad portum Manfredonienscm, inde Prospero Columna Duce per mare Adriaticum deducente Forumiulii appulit. Ibi aliquot diebus quieti datis ob nauseam & iactationem marinam Hippolytus Cardinalis Ferrariensis eius consanguineus exceptam, eam per Carinthiam, Styriam, Austriam, ac Moraviam comitatu splendidissimo in Poloniam vsque ad Regem deduxit. In itinere occurrit sponsæ regiæ Casimirus Marchio Brandeburgicus Regis ex sorore nepos, centũ armatorum equitum turma instructus, & finibus Poloniæ appropinquanti Rex obuiam misit proceres, qui eã exceptã Cracouiam comitarentur. Rex ipse extra vrbẽ duo millia passuũ honoris ergo processit à Stanislao & Ianussio Masouiæ Ducibus, & maximo procerum atq; equitum numero stipatus, & in campo sub tentorio aduenientem sponsam præstolatus est. Descendenti ex equo sponsæ regiæ postquam Ioannes Lascus Archiepiscopus Gnesnensis luculenta oratione aduentum fuisset gratulatus, Rex ex tentorio passus aliquot via panno rubro instrata progressus suauissime eam excepit, principibus inde viris, qui cum sponsa aduenerant, dextra porrecta. Quo tempore ad testificandum gaudium, ex aduentu Reginæ nouæ perceptum, ingenti fragore tormenta prope vrbem disposita reboabant. Finita salutatione, equis que rursus conscensis, vrbem versus itum est, vbi armati equites hastis concurrentes iucundum aduentantibus spectaculum præbuerunt. Sub solis occasum in arcem ingressam sponsam regiam Petrus Tomicius Episcopus Præmislienſis regni Procancellarius Prælatorum, vt vocantur, ac Canonicorum eius templi nomine insigni oratione salutauit. Post sacris peractis in contiguum regale palatium Regina noua deducta, vbi triduum, dum nuptiarum solẽnitas præparatur, cũ matronis ac virginibus à longioris itineris defatigatione se refecit. Proximo die sacro Regina Polonię inaugurata est ab Archiepiscopo Gnesnensi, Episcopis non paucis præsentibus, & Regum ac Principum exterorum legatis nuptiarum festiuitatem cohonestantibus. Nuptiarum & coronationis ceremoniis peractis, nuptiale epulum præbitum fuit splendidissimum omnis generis spectaculis ad animos oculosque hospitum exsatiandos intermixtum, quæ exceperunt choreæ. Postridie coronationis sponsa in thalamum regium aulæis auro argenroque intertextis exornatum introducta, continuataque complures dies conuiuia, choreæ, militaria ludicra, & alia spectacula. Victoribus Rex præmia distribuit, Casimiro Marchio-

Rex Cracouiam rediit An. Ch. 1518.

Bona Sfortia Regi desponsata.

In Poloniã venit.

A Lasco Archiepiscopo oratione excipitur.

258

& à Petro Tomicio Episcopo Præmisl.

Regina Pol. inaugurata ab Archiep. Gnesnen.

Nuptiales epulæ.

Ludi militares.

Varia Gallia spectacula.

ni Brandeburgico præsertim, cuius in hastiludii equestri certamine & concursu illustris fortitudo enituit, eique palma victoriæ attributa: Secundas Ioannes Tarlo Regis prægustator tulit, qui cum Casimiro Principe repetito concursu hasta eum ex equo deiecit. Post nuptiarum solennitatem Hippolytus Ferrariensis Cardinalis & Prosper Columna Italus princeps, postea à Carolo quinto Imp. summus exercitus dux contra Franciscum Gallorum Regem in bellis Subalpinis factus, magnis muneribus affecti dimissiq; sunt, vt etiam alii Principes, Principumque legati, qui ad regias nuptias honestandas aduenerant, amplissimis donis fuerunt condecorati.

Legati à Rege ad Ludouicum Rogem missi.

Post Andreas Tenczinius Palatinus Lublinensis & Ioannes Carnkouius Præpositus Scarbimirienſis ad Ludouicum Vngarorum ac Bohemorum Regem, eiusq; regni proceres à Sagismundo Rege missi fuerunt, ad res Vngaricas intestinis procerum odiis ac dissensionibus grauiter affectas sopiendas. Eadem ferme causa ad Maximilianum Cæsarem missi Erasmus Vitellius Episcopus Plocensis, & Raphael Lesczinius, qui rebus apud Cæsarem Oeniponti ex sententia confectis in Poloniam rediit, Vitellio Romã profecto.

Mosci ad Polociam profligati à Polonis.

Sub illud tempus ex Lituania nunciatũ, ad Polociam cum Moscis feliciter fuisse pugnatum ab Alberto Gastoldo Palatino Polocensi, & Ioanne Boratinio Polonici equitatus ductore. Septẽ Moscorum equitum millia Polociã insperata obsidione cinxerant, spe eam arcem vel proditione in potestatem redigendi. Poloni equites, qui ad arcẽ liberãdam propere adcurrerant, erãt bis mille, inter quos erãt quingẽti Poloni equites cataphracti, verum quod vltra Duinam amnem arx sita esset, Polonis, cum Duina vado transiri non posset, difficilis erat transitus. Itaq; euenisse insperato ferunt, vt Ioanne Boratinio ripam fluminis adequitante, vadumq; diligentius scrutante, adolescens quidam insigni vectus equo, augustiore forma & amictu candido ei apparuerit: hac, hac, inquit, exclamans, me sequimini. His dictis incitato equo calcaribus in flumen insiluisse, vadoque ostenso, ad ripam vlteriorem omnibus stupẽtibus euasisse, posteaq; disparuisse. Adolescens vero ille beatus Casimirus Sigismundi Regi frater creditus est fuisse. Eius consilium subsecuti regiarum copiarum duces ea parte exercitum omnem traduxerunt, instructaque acie progressi in Moscos nil tale veritos magno impetu irruerunt: qui exorto tumultu armis correptis defensionem parabant, sed Polonis fortissime instantibus, & illi suorum strage conspecta in fugam præcipitem se coniecerunt, in qua plurimi cæsi, & captiui Sigismundo Regi in signum trophæi missi, castris hostium victores potiti, & arx Polocia metu atque obsidione liberata est. Eius victoriæ nomen Ioanni Boratinio adscriptum est, quem Rex ob rem strenue gestam maximo fauore complexus liberalissime muneratus est.

Tartarorũ Tauricanorum in Valachiam irrupto.

Mense inde Augusto Tartari Tauricam quindecim equitum millia Borysthene & Tyra fluuiis traiectis in Moldauiam irruptione facta, magnam eius terræ partem atrociter ferro & igne vastarunt multis hominum millibus in perpetuam seruitutem abductis. Bogdanus Moldauiæ Palatinus tribus millibus equitum Polonorum, qui in vicina Podolia limites regni custodiebant, in auxilium aduocatis, Moldauisque ad arma commotis Tartaros cum diuite præda se recipientes propere forti cum exercitu insequitur. Haud mora, Tartaris multitudine sua confisis, infracto animo vtrinque concurritur, Tartatis pro præda, Moldauis & Polonis pro recuperatione

ratione suorum & iniuriarum vindicta fortiter dimicantibus. Cessit postremo victoria Moldauis Poloniſque fusis ac omni præda exutis Tartaris. Cuius victoriæ fama Sigismundus Rex summopere exhilaratus, pro ea publice priuatimque Deo gratias agi iussit. Mense dein Octobri, qui ex superiore clade euaserunt, Tartari in Volyniam incursionem fecerunt, ex quibus octingentos Constantinus Ostrogius Dux, Eustaphius vero Præfectus Circassiensis trecentos cæcidit ac profligauit. Sub finem anni huius, qui multis rebus contra barbaros bene gestis, ac felici Regiæ BONAE coniugio auspicatus fuit, Sigismundus Rex Lituanorum procerum conuentum Brestæ egit, Regina Cracouiæ grauida relicta, quæ anni sequentis initio Rege ex Lituania reduce die Priscæ virginis filiam enixa est, cui in baptismate sacro Isabellæ nomen impositum.

Tartari à Moldauis & Polonis victi.

Tartarorũ in Volyniã incursionẽ facientes Ab Ostrogio Duce profligantur.

An. Ch. 1519.

Isabella Regina nata.

Mense post Februario Rex Petricouiæ conuentum regni procerum celebrauit, in quo decretum, vt nouo plebi tributo imposito pecunia colligeretur in 3000. mercenarorum stipendia, qui contra Tartarorum excursiones Podoliæ confinia tuerentur, ac necessitate vrgente tota Nobilitas ad repellendos barbaros concurreret, vtque milites limitanei Palatini Moldauiæ ex fœdere contra Tartaros opem ferrent, hicq; illis vicissim. Regi Petricouia Cracouiã reuerso non multo post nunciatum est, Maximilianum Cæsarem diem obiisse. Quo defuncto Electores Imperii Francofordię ad Mœnum conuenerunt, Imperatoris noui elegendi causa. Eo Rex Sigismundus patruus & tutor Ludouici Vngariæ Bohemiæque Regis adolescentis Bohemiæ ratione suos etiam legatos Matthiam Dreuicium & Raphaelem Leaszinium misit, quamuis Ludouicus Rex suos eo ablegarat, summaque contentione duobus potentissimis Regibus Carolo Hispaniæ Imperatoris Maximiliani nepote, & Francisco Galliarum Rege Imperii Candidatis, post longam concertationem Electores concordibus suffragiis Carolum Hispaniarum Regem designarunt, quibus Ludouici Bohemiæ Vngariæq; Regis legati suum adiecerunt calculum. Circa id tempus Basilius magnus Moscorum Dux Tauricanorum Tartarorum Principem magnis muneribus ad Russiam Poloniæ prouinciam omni cladis genere deuastandam inuitauit, ipse diuersa parte à Borysthene, Beresina, & Duina fl. Lituaniam inuasurus. Tartarus cum Mosco, magnis ab eo acciptis muneribus, pactus, mox quadraginta millium equitum exercitum transmisso Borysthene ad Poloniam desolandam misit. Qui per Volyniam mense Iulio Russiam ingressus Bugn fl. transmisso lõge late q; cædibus & incendiis omnia miscẽtes Lublinensem, Belzensẽ, ac Leopoliensẽ tractus atrocissime vastauit: ad Vistulam vsq; fl. terrore ac excursione barbarorum penetrante. Agrestes innumeri, qui fuga dilabi non poterant, in manus hostium inciderunt, à quibus pecoribus adligati, vt eo minus fugere possent, in tristissimam seruitutẽ rapti sunt. Erant in Podolia equitum mercenariorum tria millia, quos Cõstantinus Ostrogius per nuncios monuit, ad Bugum propius accederent, vt suorum Volyniorum iunctis cum illis copiis redeuntem cum præda hostẽ opportuno aggrederentur. Illis monitis Ostrogii Ducis obsecuti, regiis etiã mandatis cũ eo se coniungere iussi, vt Tartaros in præda agenda occupatos inuaderẽt. Occidentem versus profecti prope Bugum fl. & arcem Socalum cum Volyniorum mille circiter equitibus ac Constantino Ostrogio conuenerunt, redeuntem ibi hostem licet numero ac viribus longe impares audacter

Maximil. Cæsar obiit.

Regis legati ad comitia Francofurtensi.

Tartarorũ in Poloniã irruptio.

Pugna ad Socalum.

audacter aggressuri. Tartari Orientem versus omnibus copiis cum captiuis & cætera armentorum præda reditum ad sua instituerant, tanta multitudine, vt vastissimos campos locustarum instar replerent. Iamque aduersi exercitus tam propinqui erant, vt Bugus duntaxat & oppidum Socalense, quod Tartari primo impetu exusserant, vtramq; aciem dirimerent. Ostrogius ingenti hostium numero, quod periculosissimum iudicaret cum Tartaris equitibus subito retrocedentibus & insilientibus in ea planicie confligere, Polonos ductores hortatus est, vt ad locum alium paludibus angustum & impeditum, quo eorum nonnihil protegeretur paucitas, & Tartari, quominus suas late copias extendere possent, impedirentur, castra referrent: aut sin secus videretur, eucstigio aut vincendum fortiter, aut honeste cadendum, ipsi citra Bugum tantisper quieti expectarent, donec media Tartarorum pars flumen transiuisset, tumque repente maximo impetu in eos ferrentur, quos facile essent victuri, reliquosque horum clade territos sponte sua fuga dilapsuros, nullo negotio opprimendos. Ostrogio quidam ex ductoribus Polonis assentiebantur, castra transferenda, aut cum dimidia Tartarorum parte confligendum censentes: alii præsertim rei militaris minus periti, quibus feruidius erat ingenium, & ob id omnis moræ impatientes, ea obaudiebant, vel contemnebant, pauorem ignauiamque ei obiicientes, nec ab aliis criminationibus, ac si Polonis victoriæ laudem inuideret, abstinentes. Ostrogius pertinaci eorum pugnandi proposito animaduerso, iunctis eos palmis obtestatus, pugnam in sequentem diem differrent, monebat, cum hic dies (erat autem Martis) sibi semper omnibus præliis funestus fuisset: considerarent, quanta Poloni exercitus exiguitas esset, qui ad quina hominum millia vix se extenderet, rursus quanta hostilis exercitus magnitudo, qui equitum esset millium quadraginta, auxiliares etiam copias postera die adfuturas. Expectabantur siquidem sexcenti equites Moldaui, viri fortes ac bello exercitati: insuper Ioannes Tuorouius cum quingentis ex Podolia equitibus bellis Tartaricis assuetis, pluresque alii proceres, qui ad prælium properabant, Lituanorum etiam turmas equitum, quæ non loege abessent, expectare consultum esse, addens. Sed temerariis & imperitis iuuenibus salutaria eius monita spernentibus, probrisque eum incessentibus, ac metum ei obiicientibus, ira accensus equum pernicitate insignem sibi adduci iussit: quo conscenso, inter suos milites aliquandiu cunctabundus substitit, cum prima Polonorum agmina, pugnæ signo non expectato, Bugum transire cœperant, Tartaris structa acie ad conflictum intentis iam arcubus paratis. Erat in vlteriore fluminis ripa, in quam Tartaricæ stabant acies, oppidum à Tartaris incendio absumptum: singulæ ferme domus cellas habebant, area eminus plana ac solida videbatur. Tartari post oppidi rudera & suburbii sepimenta incendio illæsa quiete stantes Polonos tumultuarie transeuntes præstolabantur. Qui in locum eum delati, ignari in specus cellarum ac foueas cum equis præcipites ruebant. Alii qui transiuerant, ad septa illa progressi, à Tartaris sagittis, quas grandinis instar eiaculabantur sauciabantur & interficiebantur. Illi vero claustris illis impediti, nec manus cum eis conferre, nec lanceis in eos impetum facere poterant. Quo periculo viso Ostrogius Dux laborantibus Polonis opem laturus, vado in loco paulo inferiori reperto, Volyniorum copias traducit, cumque hostibus prælium acerrimum & crueutum com-

mittit. Polonorum etiam copiis superatis locis iniquis multo suorum periculo, in apertum iam transgressis, & cum hostibus manus conferentibus. Pugnatum acerrime, cadentibus vtrinque plurimis, sed ex Tartaris, quorum corpora armis minus tecta erant, longe pluribus. Verum strages hæc propter eorum multitudinem vix notata fuit. Polonis maximo fuit incommodo in agris equorum vngulis excitatus pulvis tanta densitate, vt se inuicem dignoscere non possent. Quam opportunitatem nacti Tartari sensim circumdatos Polonos in medio cæciderunt. Protractum est aliquandiu prælium Ostrogio discurrante, & Polonos ac Volynios ad prælium incitante, quorum tandem virtus superata est. Constantinus Ostrogius Dux, Martinus Camienecius Palatinus Podoliæ, atque Stanislaus Haliczius regni Marescalcus supremus regiarum copiarum duces vbi Tartaros vincere suorum aciem in apertam fugam inclinatam conspexerunt, & ipsi prælio excessere, melioribus patriæ temporibus sese reseruaturi. Cecidere ex Tartaris victoribus eo prælio quaterna millia: ex Polonis ac Volyniis mille ducenti, quã cladem temerario paucorum feruore, qui Ostrogii consilium fuerant aspernati, acceptam satis constat: qui tamen in primo congressu fortiter pugnantes occubuere: fugientium complures in arcẽ propinquam tutum habuere receptum. Rex fama aduersi prælii ad Socalum ad eum perlata, veritus ne hostes vlterius in Poloniam procedentes, maiora damna inferrent, minoris Poloniæ Nobilitatem ad arma vocauit, Sendomiriam profectus, vt hosti occurreret. Sed Tartari suorum fortissimis in conflictu amissis, nil vltra ausi, cum præda, quam rapuerant, & captiuis retro abiuerunt per Volyniam ad Borysthenem in Tauricam eodem, quo venerunt, itinere instituto. Atque hoc exitu pugnatum ad Socalum die mensis Augusti secunda anno salutis supra sesquimillesimum decimo nono.

Ostrogius Polonis laborantibus accurrit.

Clades Polonorum ad Socalum.

Sigismundus Rex recepta Tartarorum fuga simili cognito per exploratores, paucos Sendomiriæ dies moratus, Cracouiam rediit. Ibi ex Lithuania ei nunciatum, Moscorum millia 50. magnam Lithuaniæ partem depopulatos, duodenis à Vilna milliaribus signa retrouertisse, quos abeuntes Poloni præfecti Lithuanique proceres iusto exercitu comparato insecuti, multis postremi agminis hostium cæsis, magnam prædæ partẽ eis eripuerunt. Hoc nuncio accepto, publice in templis Cracouiæ Deo Rex gratias agi, laudesq; decantari mandauit. Sub autumnum quiete à barbaris parta, Gedano Regi significatum, Albertum Marchionem Brandeburgicum Crucigerorum Magistrum, qui subiectionis ac fidelitatis iuramentum Regi Sigismundo præstare hactenus detrectarat, in Prussia bellum contra Regem omnib. virib. moliri, militum delectus facere, auxiliares equitum ac peditum copias à Germaniæ Principibus petiisse, vnde etiam expectet grandia fulminalia, ad vrbes, quæ vltro deditionem facere recusarent, expugnandas. Rex à Gedanẽsibus de his edoctus, vt periculo immi nẽti tempestiue obuiam iret, ne Prussia tot præclaris vrbibus & commodis portubus exornata, multo Polonorum sanguine acquisita, sua cunctatione amitteretur, licet in Poloniæ exitium omnes vndique exorientes hostes quasi conspirasse viderentur, animo tamen neutiquam fuit abiecto, verum omnia ad bellum Prussicum necessaria mature parauit, & Regina vterum ferente Cracouiæ relicta in Prussiã iter ingressus, Calendis Decemb. Toruniam appulit. Vbi indicto regni Poloniæ ac Prussiæ Ordinum conuentu, communibus suffragiis in Albertum

Rex Cracouiam reuersus.

Mosci Lithuaniam populantes à Polonis cæsi sunt.

260

Bellum Prussicum.

Rex Torunium aduenit.

Crucigerorum Magistrum bellum decretum, eiq; id per literas sub excessu anni denunciatum. Hac belli denunciatione cognita, Fabiano Lusiano Episcopo Varmiensi, quod à Regis partib. staret, se hostem professus, Brunsbergam oppidum eius amplum & commodo portu celebre ad Habum Calendis Ian. ex improuiso occupat, à ciuibus obedientiæ iuramentum exigit, illudque equitum & peditum præsidio munit. Iacta ab Alberto Prussici belli alea, Rex in conquirendo exercitu nil amplius cunctandum, necessitate ceritatem postulante, ratus, decem equitum ac peditum mercenariorũ millia illico conscribit, in quorum stipendia à terrarum nuntiis tributum agrarium agrestibus duplex imponendum haud grauate concessum est. Is exercitus circa medium Decemb, contra hostem ire iussus est, Nicol. Firleio Palatino Sendomiriensi duce. Qui Torunio in hosti cum progressus, Cruciferorum terris deuastatis, oppida munita & arces pleraque partim vi, partim deditione in potestatem redegit Olstino, Golgenburgo, Ilauia, Schonberga, Lubemela, Morungo Libstadio, Salfeldo, Preusmarco, & aliis Magistri atque Episcopi Pomesanien sis vallo ac fossis munitis oppidis atque arcibus, continuo victoriæ cursu captis, Ianuar. ac Febr. mensibus anno salutis 1520. quo toto anno in Prussia vario successu bellum gestum est.

Ann. Chri. 1520.

Brunsberga à Crucigeris intercepta.

Nic. Firleius Crucifer. terras deuastat.

Ad rumorem accensi belli in Prussia Pontifex Rom. nuncios ad Regẽ misit, qui pacem vtrinq; æquis cõditionib. facerent. Rex Pontif. cognitioni atque arbitrio ius suum in Prussiam lubenter se submissurum respondit, optareq; vt perpetua pax à Crucigerorum Magistro subiectionis ac fidelitatis iuramẽto præstito, post atrocissimũ bellum sãciretur, & sancitũ obseruaretur. Firleius, tot oppidis ac castris spacio non plane bimestri expugnatis, ac militari præsidio cõmunitis, Hollandiã contendit, vt Albertum March. incautũ opprimeret, q̃ cognouisset per exploratores, eũ cum trecentis equitib. eo se recepisse. Verũ Marchio, vt Polonorum copias aduentare persensit, Hollãdia valido præsidio instructa, noctu in tutũ abiit, conatib. ducis exercitus elusis. Qui ne frustra videretur laborẽ eum suscepisse, oppidũ & arcem arcta obsidione circũcluserat, aliquoties oppugnatione repetita. Ne aũt in vnius oppidi expugnatione diuturniore hærendo hostib. tẽpus ac spaciũ cõcederet vires recolligẽdi, maiore exercitus parte in Hollãdia obsidione relicta, assũptis trib. equitũ millib. Crucifericã ditionẽ populabũdus ingressus, lõge lateq; oĩa vastauit, prædaq; ingenti parta, ad Hollandica castra, hoste nusquã cõparere ausũ, reuersus est. Inde mense Martio Regis iussu ad Quidzinũ siue Mariæerderium, q̃ solũ ad Istulam Cruciferorum Magister tenebat, expugnandum cũ parte copiarum pperauit, quo Rex tormenta bellica grãdiora transportauit, quorũ continuis fulminib. oppidum tridui interuallo magna vi est expugnatum, Episc. Pomesanien si arq; Canonicis deditionem facere coactis, qui Torunium ad Regẽ supplices veniẽtes, se & sua omnia Regis potestati permiserunt, iuramento subiectionis ac fidelitatis ei præstito. Gedanenses interim è regione Balgæ, portum Regiomõtanum demissis in fundũ ingentib. arcis ac nauib. grandi lapidũ mole repletis obstruxerunt, quas tẽpestas orta dissipauit. Atq; ita oẽs terra & flumine aditus ad Cruciferorũ ditionem, vndiq; à Polonia cinctam, claudunt, & Episco. Varmiensi oppida, Vormiã, Reselam, Heilsbergam conniuente Episc. præsidiis muniunt. Post Pascha denuo Poloni direptionib. ac incendiis Brunshergã, Heiligenbeilã, Rastenburgum, Fridlandiam grassati, ad Bartensteinũ Liuonos milites, qui ex

Pontificis nuncii ad Regem de pace.

Holandia à Firleio obsessa.

Insula Mariana à Polonis expugnata.

Gedanenses pontum Regiomontanum obstruxerunt

Liuones à Polonis profligati.

ex Liuonia à Valtero Plettenbergio Magisto Liuonum Crucif. auxilio venerant, ad pugnã eliciunt ac profligant, duob. Ordinis Liuonici Cõmendatoribus captis. Hollãd. etiã ad deditionẽ cogitur, & captiui se regi sistere iubẽtur.

Holandiæ ad deditionem coacta.

Circa id tempus à Germaniæ Principib. primariis, videlicet, Archiepisc. Moguntino, Marchio. Alberto patruele, Georgio Duce Saxoniæ, oratores ad Regem Toruniũ venerunt, qui de pace aut induciis laborarunt. Hi à Rege comiter benigneq; accepti & habiti, in Senatu regio cum pacis cõditiones parum æquas & Polonis præiudicio ac damno futuras proponerẽt, post multas cum Rege disceptationes, re infecta in Germaniã ad suos Principes reuersi sunt, qui omni pacis spe abiecta, copias equestres ac pedestres terra mariq; in Prussiã mittendas cõscripserunt. In Prussia interim à Polonis prospere dimicatũ, & Cruciferi multis ab illis affecti cladib. fuerunt. Iacob. Sencignouius centũ equites totidemq; pedites Germanos ad Preusmarcum cæcidit. Alibi Stanislaus Masouiorũ Dux mille Cruciferorũ equites, ac nõ pauciores peditee ad Pissiam insigni prælio profligauit. Ab altera parte Masouii Nideburgensem, Reinensem, Lyckensem, ac vicinas præfecturas vastant, & Iohansburgum potestati suæ faciunt. Firleius Quidzino oppido & arce præsidio munitis cũ tormentis, quib. oppidũ veberatũ expugnatũque fuit, ad Hollandiam contendit, quorum violẽtia horribili muris dirutis oppidũ cũ arce captũ sub finem Aprilis Hollandia expugnata, præsidio impositio Firleius Brunsbergã, à Cruciferorum Magistro interceptam mouit, cuius loci expugnatione desperata, Passariã fl. omnib. copiis traductis, ad Heiligenbeilam castra transtulit, q̃ oppidũ cũ arce primo accessu expugnauit. Sencignouius ad agrum Brunsbergẽsem vastandum equitũ aliquot turmis à tergo relictus, cum Germanis, q̃ Brunsberga eruperãt, congressus sexcentos partim interemit, partim cepit. Heiligenbeila ad Brandeburgũ itum, quod tormentorum maximo fragore à Polonis cõcussum, expugnatũ, ac valido firmatũ præsidio est. Egerat interea Episc. Varmiensis apud Regẽ, adiunctis eriam ex Nobilitate ac Ciuitatib. ordinis legatis, vt Principi Alberto ipsi ad Regẽ venire, ac de pace tuto tractare liceret. Inducię igitur 14. dierum, dũ Toruniũ iret rediret Albertus, factę, & literæ fidei publicæ ei missæ, ea tñ adiecta cõditione, qua Torunii homagiũ vt vocat, Regi ac regno Poloniæ præstare teneretur. Recusanti fidẽ publicã non seruandã, ipsumq. pro hoste habendum. Dum Torunii in Senatu de his agitur, Firleius Brandeburga arce præsidio cõmunita, ad Regiomontum sedẽ ipsius Ordinis Magistri motis castris, ea ad Pregelã fl. metatus est. Cum eo Princeps Albertus, literis salui conductus vt vulgo loquũtur, à Rege acceptis, colloquiũ expetit, statimq; sub fide publica in castra Polonica se cõtulit. Ibi cũ Firleio, ac reliquis Polon. Præfectis adeo familiariter cõuersatus est, vt omnia iã pro Rege & regno Poloniæ vel le facere videretur, testatus, se Torunium iturum, vt belli cõsiliis depositis, Regi totũ sese dedat. Moritur interim Anna Sigismũdi Regis filia natu minor, q̃ ex Barbara Scepusia susceperat, magno cũ dolore ac mœrore patris Regis. Quã secutus est Ioan. Lubrãscius Episc. Posnanien. cui Pet. Tomicius Episc Præmislien. regni Procancell. Regis voluntate ac Põtificis assensu surrogatus. Haud multo post venit Torunium Albertus Cruciferorum Magister iusto cum comitatu ad Regem, cum quo aliquoties collocutus, saluo expirante commeatu, in verba Regis iurare iussus fuit. Quod procul dubio fecisset, infelici fidere eadẽ vespera quidẽ Ordinis Cõmẽdator, Regiomõ o

Principum Germaniæ legatio ad Regem Pol.

Cruciferorum cladες ad Preussmarcum & Pissiam.

Holland. à Firleio expugnata.

Heiligenbeila item.

& Brandeburga.

Inducię dierum aliquot cum March. Alberto.

March. Alberti cum Firleio in ea stris colloquium.

Mors Annæ filiæ Regis. Albert. Marchio Toruniam ad Regem venit.

præterspem aduenienS Magistro nunciasset, Haffnia 4. millia peditum Memelatũ, inde Regiomontum appulisse, magna præterea aliarum copiarum spe, equitum ac peditum, qui terrestri aduenirent itinere, ipsi facta. Magnis itaque spebus iam plenus Princeps Albertus, promissis pridie Regi factis reuocatis, summo mane à Rege discedendi veniam petiit. Rex quamuis obdatam fidem iustam retinendi Magistri causam haberet, tamen eum vndecima, à qua venerat, die abire permisit, Præfecto Opocensi, qui eum in Sambiam tuto deduceret, ei adiuncto, sicque pactis, de quibus fuerat conuentum resciss is, bellum recruduit.

A Rege discedendi veniam petit. Bellum recruduit.

Reuersus Regiomõtum Marchio Albertus Germanico hastatorum instructus peditatu, exercitu ex oppidanis atque agrestibus collecto, nauibus aliquot militum cohortes per sinum Varmiensem Brunsbergam transportari curauit, quibus Gedanensium naues numero superiores occurrentes, pugna nauali commissa, naues multas submerserunt, quibusdam captis, omnibus fere militibus cæsis. In castris regiis ad Regiomontem hærentibus decibus deliberatum est, qua ex parte Cruciferis, quibus animi virium externarum accessione creuissent, obuiandum. Aliis censentib. in Sambiam omnibus copiis traiiciendum, hostibusque prælii copiam faciendam: aliis ad Progelæ fl. superiora castra transferenda Bartensteinum atq; inferiorẽ Prussiam versus, vbi plurima Cruciferorum oppida expugnari breui possent, atque Alla & Pregela fl. pontibus iungi, per quos facili transitu facto in Sambiã Princeps Albertus ad aleam vniuersi certaminis adigi posset: Nonnullis vero arbitrantibus, Sambia & inferiore Prussia missa, Brunsbergã vallo, fossis, ac muro octanos pedes crasso, atque etiam valido præsidio egregiè munitum oppidum, qua parte Passaria fl. in sinum Varmiens. se effundit, primũ oppugnandam. Senatui regio visum est, iniquo Prussiæ fato, vt maiora stragili terræ damna inferrentur, bello longius protracto, vt Firleius ad Brunsbergam transportato exercitu, eum locum multorum opinione inexpugnabilem obsidione cinctum oppugnaret. Persuaserant id Regi etiam Gedanẽses, quod facile exercitui commeatus aquis subuehendus esset, nec reliqua incommoda, quod locus propemodum inexpugnabilis, ideoque diuturna obsidio futura esset, & ingens pecuniæ vis in militum stipendia profunden da, fuerunt perpensa. Firleius mandatis Regis acceptis Brunsberg. versus castra moturus Regiomonte, magnam equitatus partem ad inferiorem Prussiam vastandam misit. Inda maximi armentorum pecudumque greges abacti ad castra regia Brunsbergã obsidientia, sufficiẽtem militib. commeatum subministrarunt. Soluente Regiomonti obsidionẽ exercitu, Brandeburgum arx magna ex parte diruta, desertaque est à Polorus. Castris ad Brunsbergã positis, tormentis in vrbis mœnia & turrem prætorii altam fulminari cœptum, cuius fastigium crebris globorum ictib. decussum: mœnib. ob eorum crassitiem parum allatum incommodi. Et quia propugnatores acerrimos agebant milites præsidiarii, ab Ordinis Magistro ibi collocati, & à sinu maris, cui oppidũ ab vna parte imminet, minime impeditus nauib. hostilib. patebat accessus. Hisce remoris diuturna facta est obsidio, incredibilesq; sumptu ad mercenarios milites alendos faerunt faciendi. Nideburgo 100. equites Cruciferi Masouiã depopulaturi eruperant, q; à Masouiis circũuenti, præter Cõmendatorem vnum, qui equo pernici vectus elapsus fuerat, ad internecionẽ cæsi sũt. Magister Crucig interea ciues Regiomont. nouis exactionib. onerat,

Pugna nauals Gedanen. cum Cruciferis.

Castra Polontrum ad Regiomontum.

Obsidio Regiomon. soluta. Castra Polonorum ad Brunsbergam.

Crucif. vi ad Nideburgum à Pol. cæsi.

onerat, argentum extẽplis assentiente Epis. Sãbiense in arcẽ Regiomont. cõuehit, monetario signandũ tradit preciis nummorum supra modum auctis.

Sub id tempus duo Tartarorum millia, quod opportunitatem rei præclare gerendæ, Polonis Prussico bello impliicatis, neutiquam negligendam censerent, in Podoliam irruptione facta diris modis cum vastarunt, quos abeuntes Trzebinius regii equitatus centurio cum quingentis Polonis ac ducentis Volyniis aggressus, magnam partem coneidit, præda omni recuperata. Iacobus Struszius Tartaros fugientes longius insecutus, multos interimendo, quod laboranti nemo cito opem ferre posset, à Tartaris circumuentus obtruncatus est. Hæc victoria periculoso eo rerum statu non mediocri. Regem perfudit gaudio, qui vt in bellum Prussicum omnes vires suas conuertere posset, decreuit cum vicinis barbaris pacem aut inducias pacisci. Et peropportune tunc Basilius magnus Moscorum Dux legatos misit, qui pacem à Rege Sigismundo, captiuorumq;, qui Vilnæ asseruabantur, restitutionem poscerent. Rex legatos ad Moscam se missurum pollicitus, paulo post Polocensem Palatinum in Moscouiam misit, per quem, nec pacem, nec captiuorum restitutionem vllam fieri posse, nisi Smolensco reddito, respondit. Moscus eo accepto responso, vt qui Smolensc um restituere serg uersaretur, l gatus Regis re infecta in Lituaniam rediit, sicq; cum Moscis res ancipiti erant loco, nec pax certa, nec apertum bellum. Inter eos bellorum motus Regi exoptatissimus allatus fuit nuncius, Reginam filium, cui sacri fontis aqua tincto patris nomen inditum est, peperisse ipsis Calendis Augusti, à quibus & cognominatus Augustus. Quem natum Ioannes Zaremba Palatinus Calisiensis primus Regi Toruniæ nunciauit. Habebat is in gynæceo regio cognatam quandam, quæ præ reliquis Reginæ semper præsto ad quæuis officia aderat, cum ea ita fuerat pactus, vt simul ac Regina enixa fuisset, de fenestra quadam arcis, ad quam eius oculi assiduo intenti erant, fasciam, qua infantes inuoluuntur, diuersi coloris, pro infantis recens in lucem editi sexus conditione suspenderet. Zatemba itaq; eo signo de filio Regi nato edoctus, dispositis iam ante hinc inde equis celeribus, præpropere Toruniam accurrit, Regiq; nuncium tam lætum impertiuit. Quo facta magnam à Rege iniuit gratiam, & munifice ab eo donatus fuit. Quam lætitiam Rex publicis editis ludis testatam fecit & inde maiori animo ac viribus cœptum bellum prosecuturus, Ioannem Suierczeuium, qui ante sexennium Moscos ad Orsam fugarat, ad exercitum, qui Brunsbergam obsidebat, missum, collegam Firleio adiunxit, quod oppidum, quo maiore stadio & apparatu oppugnabatur, eo pertinaciori diligentia atq; cura à Cruciferorum Magistro defendebatur. Obsidione ea durante, à Ludouico Vngariæ & Bohemiæ Rege Laurentius Episc. quidam & Andreas Trepka Polonus aduenerunt. Venit & Elias Mursa à Tauricano Principe legatus.

Tartarorũ in Podoliã irruptio. Tartari à Polonis conc. si.

Iac. Struſſius à Tartaris occisus.

Moſci legatio ad Regẽ de pace & captiuis. Regis per legatum responsum.

Sigism. Augustus natus.

A Rege Vng legati. A Tauricano P. item.

Marchio Albertus receptis Germanicis mari aduectis auxiliis cum eis sine mora ad Heilsbergam oppidum & arcem munitissimam oppugnandam contendit, quæ vbi opinione firmiora reperit, desperata expugnatione incensis suburbanis, agros vicinos depopulatus cum omnibus copiis ac tormentis ad oppugnationis fortunam in oppido & arce Resselia tentandam profectus est, vbi validissimum erat præsidium mille octingentorum equitum Polonorum Iacobo Sencignonio præfecto. Eius quoque oppidi potiundi spe Princeps Albertus deiectus, Rastenburgam mouit. Sencignonius

Heilsberga à Cruciferis oppugnatur.

Reſſela erumpens, extremum agmen adortus, in quo erant ſexcenti cataphracti equites Germani, acri cum eis certamine conſerto, trecentis ex eis interfectis & captis, reliquos in fugam vertit. Eius cladis nuncio Princeps conſternatus, cum reſiduis equitum peditumque copiis fugienti ſimilis ſe Raſtenburgum recepit. Pari ſucceſſu cum Cruciferico Liuonũ equitatu ad Bartenſteinum pugnatum. Princeps poſteaquam Heilſpergam ac Reſſelam ſuſtra tentaſſet, Melſacum oppidum noctu ac inſperato vi cepit. Erant illic duo regii præfecti equitum Myſcouius & Zalinius, qui vbi oppidum mœnibus maxima tormentorum violentia deiectis ſe tueri non poſſe animaduerterent, in arcem, non adeo munitam, ſe receperunt. Cuius defenſione deſperata obſeſſi deditionem fecerunt, rerum & perſonarum ſalutem pacti, quæ promiſſio eis data & ſeruata. Ad Vormitham inde Marchio Albertus caſtra tranſtulit, oppidum maius ac munitius, cui præerat Raduankouius equitum Præfectus cum Polonorum præſidio, qui primũ hoſtium impetũ ſuſtinuit: verum poſt à Marchione ad colloquium primum euocatus, poſt promiſſis ampliſſimis ad prodendum oppidum pellectus eſt. Aduerſabantur ei hac in re non ſolum tribuni militum, ſed etiã oppidani, ipſæque mulieres, argentum omne ſuum ac mundum muliebrem ad oppidi defenſionem offerentes. Corruptus auro Raduankouius, porta Marchioni patefacta, oppidumq; ei traditum eſt, ad res Crucigerorũ muniendas in primis opportunum. Hæc menſe Auguſto geſta ſunt, quo fere toto maxima fuerunt tonitrua & aſſidui imbres, quibus Iſtula adeo intumuit, vt longe lateq; eluuione obrutis campis, damna accolis nõ exigua intulerit. Citatus poſtea ob Vormithæ proditionem Radankouius ad Petricouienſia comitia, infamia publico iudicio notatus eſt. Quod cũ puer eius vidiſſet, ſubito gladium corã hero proiecit, hiſce obiectis: Tamdiu, inquit, ab obſequiis fueram tuis, quoad, vt ea, præſtarem tibi, non indignus videbare: iam vero, ne tu quidem dignus es, qui hunc gladium mihi à tergo geſtes. Menſe inſequente Poloni cum ducentis Cruciferis Bartenſteino egreſſis conflixerunt, quorum parte maiori trucidata alios in fugam coniecerunt. Sub finem Septemb. rumor increbuit de inſtructiſſimo Germanorum exercitu, qui in auxilium Cruciferis contra Regem Sigiſmundum in Pruſſiã veniret, ductoribus Volfgango Schonbergio, & Vilhelmo Comite Iſenburgico. Res initio ficta ob ſimiles vanos rumores antea ſæpe ſparſos putabatur, donec exploratores regii rem ita ſe habere affirmarunt. Deliberatum itaq; eſt in ſenatu, quæ rationes ineundæ, vt tot hoſtibus incumbentibus reſiſti poſſit: hinc Crucigerorum Magiſtro; inde recenti exercitui ex Germania infeſtis ſignis per Marchiam venienti. Re varie diſputata, ẽ re futurum iudicatum, vt Marchioni Nobilitas Pruſſica, & miles mercenarius obiiciatur, iſque arces & oppida Eccleſiæ Varmienſis tueatur: contra Germanos vero, qui per Marchiam lectiſſimo peditum equitumq; exercitu, maximoq; tormentorum atque alio belli apparatu venirent, viſum maiorem Polonicæ Nobilitatis partem ad bellum commoueri, alios ad Podoliæ fines contra Tartaros conuerti. Nobilitati Polonicæ ad Vangrouecium oppidum vnius diei à Poſnania itinere locus conueniendi datus. Rex expeditione Nobilitati publica per literas imperata, ipſe Torunio mouens quarta die, quæ fuit Octobris quinta, Vangrouecium prior venit. Sexta eius menſis exercitus Germanicus ad Francofordiam Oderam fl. tranſmiſit. Interim, dum Polona Nobilitas ad locum dictũ conuenit, Fridericus Lignicenſis Dux ad Regem Vangroueciũ venit,

Melſacum à Crucif. captum.

Vormitha proditione capta à Cruc.

German. auxilia Cruciferis auxilio venerunt.

Expeditio publica Nobilitati.

rit, acturus de pace, aut etiam exploraturus, num Rex oblatas Torunii conditiones approbare vellet. Verum Rex reſponſo primo Torunii dato non potuit dimoueri, oſtendens, Germanorum minis ſe nil terreri, vireſq; ac potentiam ſibi non deeſſe ad longe maiorem hoſtium vim ſuſtinendam. Non multo poſt ſub Octobris initium Regi à Sigiſmundo Schonbergio ſummo Germanicarum copiarum duce Vangrouecium literæ allatæ, quibus Regi & regno Poloniæ bellum indiciebatur; quam clarigationem Rex ac proceres aſſiſtentes flocci fecerunt. Germani ab Oderæ tranſitu tertius caſtris ad Miedzireciam, quæ in finibus Poloniæ eſt, peruenere: quã obſidione cinctam, ac biduo quadraginta maioribus tormentis quaſſatam, magna ſtrage murorum edita, quod exiguo præſidio defenderetur, vi expugnarunt. Verebatur itaq; Rex, ne ea arce capta Germani Poſnaniam recta caſtra promouerent. Ideoq; Rex mille delectos pedites ſclopetarios, qui vbi præſidio eſſent, eueſtigio miſit, paratus ipſe omnibus cum copiis, ſi eo hoſtis contenderet, ad Poſnaniam Vartamq; fl. proxime accedere. Germani Poloniæ fines ingreſſi, à Polonis ſubitis irruptionibus ſæpe infeſtati ſunt, vbi nõ pauci periere, multi capti, equorum ſiquidem agilitate Germanis ſuperiores erant. Prædislaus Lanczkoronius & Andreas Tenczinius aliquot equitum turmis Germanos in campis palantes cruenta clade affecerunt, in fortitudinis ſuæ teſtimonium Germanis captiuis Regi non paucis miſſis. His velitationibus Germani attriti atq; territi, Poſnaniam appropinquare nõ auſi, à Miedzirecco directo ſiniſtrorſum itinere, ponte, qui mandato Regis deiectus erat, refecto, Vartam cum vniuerſo exercitu Squerzinam tranſiuere, & Poloniæ finibus relictis, per nouam Marchiam iter Pruſſiam verſus continuarunt. Pruſſiã ad Tuciniam & Valciam arces ingreſſi, à Polonico equitatu protinus prælio excepti ſunt, quo octoginta pedites Germani interfecti, triginta capti. Poloni tumultuariis prœliis aliquoties victis Germanis Kamienũ reficiendorum equorũ gratia conceſſere. Magna noctis pars lætis compotationibus conſumpta, reſiduũ noctis quieti datũ: mane nunciatur, Germanos propinquũ nemus iã egreſſos prope adeſſe. Eo rumore exciti Poloni magno tumultu ac trepidatione armis correptis equos conſcenderunt: iis vix conſcenſis, ecce equitatus Germanicus terribili armorum ſtrepitu adeſt. Quibus cũ Poloni, licet numero impares, cõgreſſi, poſt anceps aliquandiu certamen in pacatũ conceſſere, impedimentis & equis fere centẽ amiſſis: oppidũ Germani diripuere. Ad famã exercitus Germanici venientis Magiſter Cruciferorũ Albertus diuerſa parte ſex milliũ peditũ ac ſeptingentorũ equitũ exercitu collecto, Regiomonto mouens ad Heilſpergæ obſidionẽ redit, collocatiſq; noctu tormentis, magnã muri partẽ deiecit, vt prima luce oppidũ omni conatu oppugnarer. Marchio haud dubie oppidũ expugnaſſet, ni Iacobus Sencignouius paulo ante cum millibus equitum Polonorũ adueniſſet. Qui vbi mœnia vaſto hiatu ſtrata vidit, nõ ſolicitus de reparãda ruina torméta ibi diſpoſuit, ipſe cũ ſuis armis egregie inſtructis poſt tormenta ad certamen paratus ſtabat, miſſo ad Cruciferorũ Magiſtrũ caduceatore, vt oppugnationẽ ſine longiori mora inſtitueret. Marchio animaduerſo ſuorũ, ſi oppugnationẽ aggrederetur, præſenti periculo, nil tẽtauit amplius, tertia poſt, qua venerat, die ſoluta obſidione Raſtenburgũ petiit. Rex exercitũ Germanicũ fines Pruſſiæ ingreſſum, & à Slochouia munitiſſima arce haud lõge abeſſe cognoſcẽs, veritus, ne Germani ſui [illegible] ſi trãſito cũ Magiſtro Cruciferorũ caſtra

Frid. Lignic. Dux ad Regem venit de pace.

Bellum Regi & regno Pol. indictũ à Cruciferis.

Medirecia à Germanis expugnata.

Germani à Polonis in campis palantes clade affecti.

Kamienum à Germanis diripitur.

Heilſpergia à Cruciferis obſeſſa.

Muri pars deiecta.

castra iungerent, ac de Gedano astu occupando consilia agitarent, statuit totis cum copiis Gedanum propius accedere. Ita Vangrouecio 2. Nouemb. profectus, Bidgostiam properauit, vbi communicato cum proceribus consilio Ioannem Zarembam Palatinum Calissiensem mille cum equitibus Polonis Gedanum misit, quo non multo ante Storcium cum Polonico peditatu præmiserat. Ioanni Koscieleczio Præfecto Matiæburgensi iniungit, vt Germanos Istulam transire conantes remoraretur, ac fluminis trāsitu prohiberet. Germani Slochouiæ oppugnationem loci munitione ac præsidio valido deterriti, ne conati quidem sunt aggredi. Choinicia nullo firmata præsidio, oppidanis vltro se dedentibus, facile potiti, vt & alia oppida cum Kissaua & Stargardia parum munita, in eorum venerunt potestatem, ex quibus locis annona exercitui subministra. Derssauiam inde itum, oppidum ad Istulam, quo itidem occupato Germani aduectis vndique nauigiis flumen transmissuri erant. In vlteriore littore Koscieleczius cum aliquot Polonorum cohortibus, tormentis aduersus Germanos locatis, eorum nauigia ad traiiciendum parata adortus est; qui se flumen transire non posse aduertentes, Regē quinetiā cum quadraginta millibus equitū armis instructorū Bydgostiā venisse, ac nō longe abesse per exploratores cognoscentes, mutato repente consilio Gedanum versus signa verterunt, castrisque ante vrbem positis, Schonbergius per emissarios Proconsulem vrbis ad deditionem solicitauit. Sed cum responsum, quale petebat, non acciperet, minari, & tormentis vrbis mœnia verberare cœpit. Ciues & Præfecti regii, qui in Gedanensi præsidio erant, nil his territi, quæ ad defensionem necessaria, apparare omni studio pergebant. Poloni equites crebris eruptionibus in Germanorum castra impetum facientes, cæsis & captis semper nonnullis, victores in vrbem magno cum ciuium applausu redibant. Rex Gedano motuens, ex omni exercitu septem equitum millia elegit, quos duce Nicolao Firleio Palatino Sendomirien si ad hostes persequendas, oppidaque amissa recuperanda misit. Firleius eo equitatu contra Germanos profectus, Stargardiam & Derssauiam primo accessu recepit: cuius aduentu nunciato Schonbergius, & alii Cruciferiarum copiarum ductores rati totum regium aduentare exercitum consternati, veritiq;, ne à regio equitatu circumsepti ipsi in medio cæderentur, motis protinus castris, multisq; impedimētis relictis, in Pomeraniam iuxta littus maris fugientium instar abitum moliuntur. Zaremba Polonico equitatu, qui in præsidio Gedani erat, præfectus, postea quam Germanos castris motis abire vidit, facta ex vrbe eruptione, extremum hostium agmen carpebat, trucidatis & captis non paucis. Firleius, cum statim post aduenisset, partem equitatus Pomeraniam versus, ad hostes insequendos, misit, ipse cum reliquo exercitu ad Choiniciam ac requa oppida recuperanda profectus est. Illi, qui ad insequendos Cruciferos fuerunt missi, extremum assecuti agmen, sexcentos primo congressu, altero nongentos trucidarunt, centum quadraginta equitibus captis. Firleium Choiniciæ obsidio nonnihil demorata est, quod trecenti pedites præsidio à Schonbergio relicti, fortiter propugnarent, postremo præsidii præfectum ad colloquium euocatum minis promissisq; ad deditionem perpulit. Atq; sic Choinicia Regis Sigismundi auspicio & felicitate, Nicolai vero Firleii virtute ac dexteritate recepta. Est autem exercitus Germanici disciplina militaris ac moderatio merito deprædicanda, qui in expeditione ab incen-

Gedanum à Cruciferis obsessum

Cruciferorum discessus fuga similis.

Quos Zaremba insequutus non paucos trucidat & capit.

Choinicia obsidio.

Choinicia à Firleio recuperata.

Exercitus Germanici disciplina militaris.

incendiis vicorum, cædibus, aliisq; iniuriis plane abstinuerunt: ac non modo nil sunt deprædati, sed etiam commeatum numerata coëmerunt pecunia, virginum insuper atq; matronarum pudicitiæ religiose parcentes. Inde factum, vt agrestes omni depositio pauore, omnis generis cibaria ad eos ipsos aduecta, venum iusto precio exponerent. Poloni vero eadem illa, quæ Germani, per transeuntes loca, non secus, ac si in hostico versarentur, vicos regios deprædati neglecta disciplina militari, nullis non iniuriis miseros agricolas affecerunt.

Polonorum erga suos crudelitas.

Rex, Germanis Gedano relicto in Pomeraniam contendentibus, soluto exercitu Brestam Cuiauiensem profectus est, quo ad eum Soracinius Morauus, qui Regi cum aliquot equitum peditumq; cohortibus in Prussia militauit, debiti stipendii petendi causa venit, quo accepto, in Morauiam cum suis militibus recessit. Venerunt & alii plures equitum præfecti, & tribuni militum Brestam, quos omnes Rex ad prosequendum bellum in Prussiam remisit. Nam Marchio sub Germanorum in Prussiam aduentum, Rege Vangrouecii exercitum cogente, ne rebus suis deesset, Heilspergam, in quam Episcopus Varmiensis se abdiderat, capturus, secundum arcta obsidione cinxit, quem locum Sencignouius magna virtute atq; constantia, vt ante, tutatus est. Per illud tempus, quo Heilspergam Crucigerorum Magister obsedit, Alexander Ilouius cum ducentis equitibus Polonis, Cruciferis infesta omnia crebris excursionibus reddidit, carpenta atque currus, quibus commeatus ad castra hostium vehebatur, intercipiendo & exurendo, ita vt castra Cruciferorum fame affligerentur, cum Cruciferis quoq; aliquoties feliciter præliatus est, coactusq; Marchio Heilspergæ soluere obsidionem. Sencignouius post oppido egressus, abeuntis Marchionis cū suo equitatu extremo agmini Rastenburgum vsq; adhæsit, magna Germanorū cæde edita. Rege Bydgostia Brestam profecto, Marchio Albertus Heilspergam tertium obsedit, eamq; per biduum acerrime oppugnauit, Sencignouio non minore, quam ante, virtute obsessum Episcopum defendente, vt coactus fuerit Marchio oppugnationem toties repetitam cum dedecore damnoq; deserere. Qui ad alia loca expugnanda conuersus, Nouum forum, & pleraq; alia oppida proditione cepit, vsque dum Rex Toruniam rediret, quo tempore Regiomontum se recepit, ibique Dionysia agitauit.

Rex Brestiā profectus.

Eodem tempore Sencignouius cum aliquot equitum Polonorum turmis, Ilouio socio circum Fridlandiam, Gerdauiam, & Velauiam, Cruciferorum terras longe lateq; depopulatus est: Seburgi ducentos pedites Germanos ad internecionem fudit, & centum quinquaginta pagis exustis, copiosa onustus præda Heilspergam victor rediit, vbi non diu moratus, Passenheimum oppidum suam in potestatem redegit. Ad Guttstadiam inde sequenti anno cum Cruciferis conflixit, septuaginta ex eis trucidatis, quatuordecim nobilioribus captis. Princeps Albertus tot cladibus à Polonis illatis fractus, per duces suos inter hæc mense Martio Elbingam ex insidiis tentat. Cumq; iam illi portam interiorem & muros vicinos occupassent, & clathros deiectos securibus aperire conarentur, ciues perfracta lapidum fornicatione de portæ turri lapides & aliquot vasa cineris & calcis in eos deturbant, vt nullo operæ precio facto decedere cogerentur. In muro etiam peditum præfectis globo traiicitur, quo cadente, animi quoq; militum cæterorum conciderunt, qui fugientes plurimi tormentis icti perierunt. El-

Poloni Cruc. terras depopulantur.

Passenheimum à Polonis occupatum.

Ann Chr. 1521.

Elbinga à Cruciferis ex insidiis tentata.

bingenſes, vt vim ſibi à Cruciferorum militibus illatam vltum irent, fugatis hoſtibus Hollandiam erumpunt, & arce illius oppidi, quod Crucigerorum Magiſtro antea paruerat, ſolo æquata, machinas omnes Elbingam tranſportandas curant. Atq; ſic Elbingenſium virtute fideq; vrbs Pruſſiæ ex tribus primariis munitiſſima conſeruata eſt, quæ, ſi in hoſtium veniſſet poteſtatẽ, compoſitionem pacis plurimum fuiſſet interturbatura. Marchio ſpe potiundæ Elbingæ fruſtratus, rebus indies in peius ruentibus, ad pacem vel inducias cum Rege ineundas inclinare cœpit. Ideoq; Rege Breſta Torunium ad bellum proſequendũ reuerſo, ſequenti die Lignicenſis Dux de pace tractaturus ad eum venit, nec multo poſt Georgius Marchio Brandeburgicus Alberti frater eodem acceſſit. De pace inter Principes cum conuenire non poſſet, induciæ duntaxat quadriennales factæ ſunt, hac lege, vt loca vtrinq; capta reſtituerentur, quo interea de pace perpetua commodius agi poſſet. Sicque bellum cruentum ac periculoſum inter Polonos ac Germanos, in Pruſſia accenſum, ſeſquiennio, poſtquam cœpit, & varia fortuna geſtum eſt, conſopitum fuit ſub menſis Martii finem anno ſalutis milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo. In hoc Torunienſi conuentu agitata etiam fuit controuerſia de peculiari Prutenorum conſilio. Rege cauſas terræ illius indigenarum conſilio decidere ex antiquo more eouſq; ſolito: quæ res Polonico Senatui ſummopere diſplicuit. Etenim quod res Pruſſicæ à Polonis ſummis viribus defenderentur, æquum illis videbatur, cum iiſdem in eodẽ ſenatu in commune conſulere, tanquam eiuſdem Principis ſubditis, & vnius corporis membris. Ideoq; æquitatem ipſam poſtulare, vt cum ipſis in eiuſdem Senatus conſeſſu vnanimiter ac fideliter, vt fidis Regis ſubditis dignum, de bono publico conſilia conferrent, quod maximum momentũ ad felicem Reipublicæ ſtatum eſſet allaturum. Nam Pruſſiam ſemper male fuiſſe adminiſtratam gemini iſtius Pruſſici ac Polonici Senatus ſciſſione. Eam rem Senatus Pruſſiæ diligenter perpenderet, quid q; *ipſis animi & ſententiæ* ſit, indicaret, vt tandem concordi animorum ac ſententiarum coniunctione arctius in vnum Reipublicæ corpus coaleſcere queant. Reſponſum à Prutenis: Poloniæ Regibus ſummæ curæ fuiſſe Pruſſiam, priuilegiaq; à laudatiſſimæ memoriæ Rege Caſimiro incolis conceſſa, atq; etiam confirmata: qui ſi animaduertiſſet, è re atq; vſu prouinciæ eſſe, Pruſſicum conſilium cum Polonico coniungi procul dubio peculiare conſilium eis non permiſiſſet. Ideoq; confidere ſe, Regem immunitatibus ſuis & conſuetudinibus, vt hactenus, ita porro quoq; patrocinaturum. Communem autem prouinciæ pacem quod attinet, quam conſeruare Poloniæ plurimum intereſſet, nunquam leſe, ſi eiuſmodi aliquis cuſus incidiſſe, à communi conſilio ſeiunxiſſe: de priuatis negotiis libertatibus, atq; immunitatibus Pruſſiæ neminem rectius conſultare poſſe, eos im grauaminibus atq; difficultatibus indicatis, quam eos, qui inibi nati educatiq; quotidie ea tractarent. Orare ſeiterum Regẽ ſubiectiſſime, ne grauetur, vt hactenus feciſſet, porro quoq; grauamina ac cauſas Pruſſiæ in priuato conſilio ſuo cognoſcere ac diſceptare, quemadmodum etiam Lituanis liberam de rebus ſuis deliberandi conſuetudinem antiquam aſſeruiſſet. Ad quæ nomine Regis hanc in ſententiam reſponſum datum à Chriſtophoro Szidlouiecio Palatino Cracouienſi, & regni Cancellario: Regem ſemper priuilegiorum Pruſſiæ tuendorum fuiſſe percupidũ, tamen nõ videri ei conſultum, quod ſe è Senatu Polonico ſubdu-

Holandia arx ab El. bingenſ. ſolo æquata.
Elbingenſium virtus.
Lignic. Dux venit Breſtam ad Regem de pace vel induciis.
Inducia quadriennales.
Conuentus Torunii.
Controuerſia de peculiari Prutinorum conſilio.

ſubducere niterentur, cuius fidem hoc tempore & durante bello ipſi haberent perſpectam: neque iniquum ſibi videri, vt, quandoquidem Polonorum armis Pruſſia defenſa eſſet, conſilio quoque ab iiſdem iuuetur. De Lithuanis quod obiicitur, eos peculiarem habere ſenatum, liquet ſatis, eos Polonorum conſilium nunquam tergiuerſando defugere. Verum quia ad illa pluribus reſpondendum eſſet, pauciores que hoc tempore ex Senatoribus Polonicis adſint: Rex reſponſo eo hac vice acquieſceudum, & ampliorem tractationem ea de re in aliud tempus reſeruandum cenſuit. Monere ſe interim eos, vt cum Senatu Polonico, ſi fieri poſſit, ea de re conſenſum aliquem ineant, quo in conuentu regni proximo, quibus conditionibus inter illos conuentum, Ordinibus indicari poſſit. Reſpondit Epiſcopus Culmenſis Ioannes Konopacius, Prutenos ſemper operam atq; fidem ſuam Regi regnoque probaſſe, & ſuperioribus temporibus in rebus ad patrem publicam, ac regni huius ſalutem ſpectantibus, communibus cum Senatu Polonico conſiliis omnia fideliter ac pro virili egiſſe. Quia vero iureiurando Pruteni peculiariter ratione Pruſſiæ Regi obſtricti ſint, non vero regno, ſperare Ordines, ſibi non vitio vertendum, quod iurisiurandi huius ratione habita Senatum Pruſſiæ peculiarem vrgeant, eumq; à Polonico ſeiunctum ex conſuetudine veteri atq; Regum indulgentia habere, grauaminaq;, & omnes, quæ incidunt, difficultates ac lites Regi ipſi coram proponere cupiant, à quo collatis cum Senatu Pruſſico ſententiis iudicentur atq; decidantur. Ea excuſatione Rex acquieſcens, ſequentibus diebus aliquot Pruſſico Senatui ſolus interfuit, terrarum Pruſſiæ priuilegia immunitateſque confirmauit, grauamina & publica mala, quæ irrepſerant, ſublaturum ſe recepit. Inter cætera de hoc præcipue fuit controuerſum, quod Poloni articulum de officiis ac Præfecturis demandandis ſic interpretarẽtur, quod de alienigenis is eſſet accipiendus, ideoq, ſe à dignitatum ac Præfecturarum iure nequaquam excludendos, quod externi non eſſent, ſed vna cum Prutenis communem Principem Poloniæ Regem agnoſcerent: ideoque Prutenos ægre ferre non debere, Regem quarundam arcium in finibus & in ipſa Pruſſia ſitarum præfecturas Polonis attribuiſſe. Regeſſerunt Pruteni, vigore priuilegii non ſolum externos, ſed etiam omnes eos, qui non eſſent indigenæ, excludi: cumque inter ipſos aliquot ante annis communibus omnium ſuffragiis de pecunia contribuenda ad arces oppignoratas redimendas conuentum fuiſſet, qua pecunia liberatæ fuere Slochouia, Suecza, Tucholia, & alia, Regem contra priuilegia ipſorum feciſſe, dum iterum Slochouiam vni ex Polonicis proceribus Raphaëli Leſzczinio indulſiſſet, in præiudicium ac detrimentum Prutenorum. Excuſauit ſe Rex inferens, Priuilegia ac libertates ipſorum nunquam ſibi propoſitum fuiſſe imminuere, vel etiam infringere: quod ſi de priuilegiis eorum probe edoctus fuiſſet, quæ ante hac ſibi viſa non eſſent, præfecturam Slochouienſem potius indigenæ conceſſurum fuiſſe. Verum arcis poſſeſſione iam Polono tradita parum ſibi fore honorificum, eandem ipſi adempram alteri tradere: ideoque ſe ab iis contendere, vt hac vice præfecturæ iſtius collationem ratam habeant, poſthac ſe priuilegii tenore hanc reliquaſque præfecturas nonniſi indigenis collaturum. Adhæc ſummo grauaminis loco adductum, regias commiſſiones de fundis terreſtribus plures æquo introduci, ac ſine delectu ex regia Can-

cellaria quibusuis impertiri quo pacto ordinariis iudiciis plurimum erroris ac fastidii, litigantibus autem plurimū difficultatis, qua pecunia exhauriretur, exhiberetur: vnde tandem fieret, vt plebs inobediens erga legitimum magistratum ex mera petulantia redderetur. Ad ea Rex responsum eiusmodi dedit, se commissiones siue recuperationes de fundis, quæ ad terrarum Prussiæ ius pertinerent, restricturum, nec temere quibusuis concessurum: cæterum quoad regios fundos, de iis sine commissionibus eiusmodi non posse transigi, eorumq; causa ad Regem prouocandum: in reliquis, si quid præclarum Senatus Prussicus in iudiciis constituere ac efficere possit, non fore id Regis voluntati aduersum. Præterea, de appellationibus à Senatu Prussico ad Regem iterū difficultas mota est, multis exaggerata, quod tenuioris conditionis hominibus, qui eiusmodi longinqua iudicia persequi non possent, incommoda exorirentur plurima, ad quæ vitanda, vt pauperiores simul ac ditiores ius consequi suum possent, prouocationes antehac veteri more terrarum Prussiæ limitibus circumscriptas fuisse, quibusq; appellare lubitum inde esset, Culmam prouocare, non vlterius licuisse, ac quæcunq; sententia ibi lata, ea standum: ita causis, quæ ibi erant decisæ, in rem iudicatam transeuntibus. Quam consuetudinem in Prussia seruandam deinceps Ordinibus omnino videri, quæ vt rite administrarentur, Regi succedaneum aliquem deligendum esse, qui eius loco plena cum potestate præsideret, atq; etiam ordinandum, in quibusnam & quanti momenti causis prouocandum esset. Postulatum etiam à Rege, vt iudicium generale institueretur, semel quotannis Mariæburgi celebrandum, ad quod ab aliis iudiciis cuiuis, qui sibi iniuriam aliquam factam quereretur, appellare integrum esset, quæq; ibi pronunciata sententia fuisset, ea citra vlteriorem aliquam cognitionem aut appellationem acquiesceretur. Responsum tandē ad ea à Rege: iniquum esse, summam autoritatem suam adeo accidi, vel circumscribi, siquidem apud omnes Christianos Principes, imo etiam barbaros consuetudine receptum, vt cuilibet, qui iniquius secum in iudicio aliquo inferiori actum arbitraretur, ad iudicium superius, Principisq; sui cognitionem prouocare liceret. Ideoq; postulatum eorum iniquum esse, ne appellationes à iudiciis Prussicis ad se concederentur. Exinde mos introductus, vt prouocationes in ciuilibus ex Prussia ad aulam regiam fierent magno cum incolarum damno, criminalium enim decisio ex antiqua consuetudine, & inde à Cruciferorum temporibus citra vlteriorem prouocationem penes quælibet Prussiæ iudicia mansit. Episcopis quoq; regalia sua integra illibataq; relicta sunt, ita vt subditis suis nullam vlteriorem permiserint appellationem: quin & alii casus in diuersis causis, quæ vigore priuilegiorum atque immunitatum sine prouocatione permanserunt, in hodiernum vsque diem hoc modo vsurpanrur. Circa illud tempus, quo Rex rebus Prussiæ compositis Cracouiam rediit, Tartarorum quinque millia Borysthene traiecto, Mosiriam oppidum direptum, incolis trucidatis aut abductis exusserunt. Post Lituaniam ingressi, magnam eius partem inter Sluscum ac Pinscum miserandum in modum sunt depopulati: tandem multis cum captiuis & opulenta pecorum præda in Tauricam nemine persequente illæsi reuersi sunt. Haud multo post Mahometkereius Tartarorum Tauricanorum Princeps Nogaiensium Tartarorū, quos paulo ante subegerat, accessione longe potentior factus, cum ingenti exercitu ac terribili belli apparatu

Tartari Lituaniam vastant.

paratu Tanai ac Volga traiectis, Casanam Scythiæ metropolim ad Volgā fl. & Casanā, à qua nomē duxit, sitā, Basilio Mosc. Principi tūc parentē expugnauit, Casanensib. sibi tributariis redditis. Moscus Casanam eamque gentē totam sibi ereptam dolens, copioso exercitu coacto, iniuriam vindicare, amissamque prouinciam recuperare decreuit. Quod cum Mahometkereius resciuisset, cum exercitu 80. millium equitum in Moscouiam irruis, Occamque fluuium se in Volgam exonerantem, transgressus, regionem nullis ante bellis afflictam, celerrime peruastauit, & ante ipsam Moscouiam vrbem per duo milliaria castra metatus est, facta ei, qui etiam numerosum comparasse exercitum, & vires omnes suas in vnum locum cōtraxisse perhibebatur, pugnandi copia. Verum Mosco pugnam detrectante, Mahometkereius hosti pauorem iniecisse contentus, præda ingenti, innumeraque hominum multitudine abacta in Tauricam reuersionem fecit. Ferunt supra tercentena hominum millia ex Moscouia tunc fuisse in seruitutē abrepta, senibus ac pueris, qui per ætatem hostem trucem sequi non poterant, crudeliter necatis. Quos post mercatores Turcici Astracani in emporio emptos trans Pontum auexere, mancipiisque Moscis Cappadociam, Bythiniam, Asiam minorem, atque Thraciam repleuere.

Mahometkereius Tartarus Moscō Casanam eripuit.

Moscouiam infestat.

Prædam ingentem abegit.

Moscorum captiuorum numerus ingens.

Regnabat per id tempus in Vngaria Ludouicus Iagellonius Sigismundi Poloniæ Regis fratris filius, decimum sextum tum agens annum, qui per ætatem adhuc rerum imperitus, eoque etiam suis despicatui erat, vnde omnium, quæ secutæ sunt, calamitatum semina iacta fuere. Quibus malis Ludouicus Rex mederi non potuit, vt qui nec ad eam, quæ Regem decoret, gratiam educatus fuisset. Proceres regni, ac præcipui Principes ecclesiastici luxu pene incredibili diffluebant, & certabant, quasi æmulatione quadam tum inter se, tum cum Baronibus, vt alios profusione ac splendore vincerent. Idem Nobilitatem partim beneficiis ac præmiis, partim etiam potentia ac metu sibi obnoxiam reddebant, vt plures asseclas haberent, ac eorum studiis & acclamationibus in conuentib. publicis iuuarentur. Mirum dictu, qua pompa, quo apparatu, ac quibus equitum vtriusque armaturæ copiis Budam ingressi sunt, præcinentib. tubicinibus ad cuiusdam quasi triūphi speciem. Porro in regiam cum irent, aut inde redirent, tanto deductorū ac stipatorum comitatu vndique septi incedebant, vt vici & plateæ vix cateruam caperent. Cum vero prandendum esset, tota vrbe ad ædes cuiusque tubæ non aliter atque in castris resonabant, & producebantur prandia in multas horas, quę somnus & quies excipiebant: cum contra quasi solitudo quædam esset circa Regem, & fines regni interea destituti necessariis præsidiis, impune ab hostibus vastarentur. Episcopatus, dignitates, ac præcipua quæq; officia promiscue, non pro meritorum ratione conferebantur: & quo potentię plus, hoc etiam plus iuris habere credebatur. Itaque laborabat iustitia, & premebantur inferiores: ac omni bono ordine sublato atq; euerso subinde inueniebatur aliquid, quod Reipublicæ labem cum subditorum detrimento afferret. Denique ea erat in vniuersa Vngaria omnium rerum inclinatio, vel potius confusio, vt quiuis vel minimam experientiam habens, regnum hoc tot malis obnoxium, etiamsi nullum vicinum haberet hostē, mox oportere pessum ire prospiceret. Non latuere hæc Turcarum tyranniū Selymum, qui subactis ad Orientem regionib. Europę totus inhiabat. Nec minus imperge Cæsar Maximilianus ad bellum se cōparabat, oīm fere Christiano-

In Vngaria confusio.

ſtianorum Principum auxiliis ſubnixus, & rẽporum commoditate adiutus, ſic vt omnia in tyranni exitium conſpirare viderentur. Verum Cęſare morte abrepto, tam pii, tamq; neceſſarii belli cura omiſſa. In Thracia quoq; inter ea peſtis peſtẽ abſumpſerat, Selymo peſtilentiali morbo ſublato: cuius mors vt exigui temporis quidem Vngariæ peperit: ita ſtolida Vngarorum ferocia breui poſt exitiale bellum conciuit. Solymannus n. patri Selymo ſuccedens cum de more finitimis Regibus ſe paterni imperii hæreditatem adiiſſe, & portam ſuam omnib. ſiue pacem, ſiue bellum petentib. patere denunciaſſet, tanta Vngarorum fuit ſtoliditas atq; inſolentia, vt Turcam hoſtem vicinũ & præpotentem non modo ſupercilioſe contemnerent, ſed etiam legatos Solymanni captiuos detinerẽt, & iniuriis probriſq; aduerſus ſe irritarẽt. Hęc cum ita in Vngaria geri inaudiuiſſet Sigiſmundus Poloniæ Rex, velut è ſpecula futuram proſpiciens tempeſtatem, Vngaros monuit, pacem oblatã ne repudiarent, neque Solymannũ tam potentẽ hoſtem in hac immatura Regis ætate, rerumq; oĩm perturbatione in ſe cõcitarent. Quod Regis optimi cõſilium cum apud homines temerarios, ſuiſque viribus nimium fidentes nõ valuiſſet: ſecuta eſt illa, quæ inuoluit & affixit omnia, tẽpeſtas. Solymannus nãque in oẽm occaſionem intẽtus, Syria & Aegypto pacatis, arma protinus in Vngariã conuertit, Cõſtantinopoliq; cum exercitu validiſſimo profectus menſe Maio in Raſciã peruenit, eo animo, vt Belgradũ (quod ab aliis Nandoralba, ſiue Alba Græca indigitatur) firmiſſimũ totius Vngariæ propugnaculum, vbi Sauus in Danubiũ ſe exonerat, à cuius oppugnatione quondam Amurathes illius abauus & Mahometes proauus, magnis acceptis detrimẽtis repulſi fuerãt, expugnaret, atq; in ſuã poteſtatẽ redigeret. Initio ergo mẽſis Iulii Belgradum arcẽ terra & aqua, ne quid ad obſeſſos auxiliorum aut cõmeatuũ importari poſſet, arctiſſime obſidere cœpit Ludouicus Vngariæ Bohemiæq; Rex periculoſo bello inſtante perculſus, Vngaris omnib. ad arma cõuocatis, auxiliiſq; vndiq; cõtractis, Sigiſmundi Regis patrui per oratores opem etiam implorauit, ex regni Vngariæ ruina quãta Polonię pericula impendeant velut incendio vicino oſtẽdens. Tã triſti nepotis ſui ex fratre petitione Rex Sigiſmundus motus, exercitum protinus conſcribi iuſſit mercenariorum militum equitum peditumq; 6000. quib. Ioan. Tarnouium bellatorẽ eximium pręfecit, ſtatimq; tormentis bellicis aliiſq; ad expeditionẽ neceſſariis inſtructum in Vngariã ire iuſſit. Ludouicus Rex Vngaris ad inferiora Danubii cõdicto, vbi cõuenirent, loco mẽſe Iul. contra Turcas Buda coactis omnib. copiis mouit. Solymannus aduertãte Vngarorũ exercitu Belgradum omnib. viribus oppugnauit. Erat turris in arce vaſtæ magnitudinis ſublimior cæteris, ex qua præſidiarii Vngari arcẽ fortiter oppugnabãt, quæ tormẽtorũ violentia maxima ex parte primum deiecta eſt. Alterã turrim altis cuniculis, iiſq; puluere ſulphureo repletis & incenſis ingenti fragore diruendam curauit. Vngari ruinas ſummo ſtudio ac labore reparabant aggeſta terra, fimo omniq; alia materia, quã pręſens neceſſitas offerebat, & oppugnantib. Turcis maxima pertinacia, licet plurimi tormentis ſternerentur, ſe imperterrito animo opponebant, plurimos occidentes. Verum apud Turcas abundante multitudine cæſis & feſſis ſubinde integris ſuccedentib. prælĩũq; redintegrãtib. victa eſt poſtremo Vngarorũ virtus & cõſtantia: q arcẽ amplius ſe tueri nõ poſſe animaduertentes deditionẽ fecerunt. Capta eſt Belgradẽſis arx 29. Auguſt., quo tempore & Sabacenſis arx quinq; inde paſſuũ millib. diſtans,

Selymus Tyrannus morbo peſtilentiali ſublatus.

Succeſſorem reliquit Solymannum filium.

Vngarorum ſtoliditas & inſolentia.

Solymanni in Vngar. expeditio.

Belgradum à Turca oppugnatum.

Ludou. Rex per legatos Regis Pol. opem implorat.

Rex Polon. mittit auxilia Ludouico Regi.

Belgradum expugnatum.

diſtans, ad Sauum expugnata eſt. Solymannus ea expeditione Sauum ab ea parte imperii ſui limitem conſtituiſſe contentus, retro Conſtantinopolin abiit, territus etiam magno Vngarorum exercitu & auxiliaribus à Rege Poloniæ Sigiſmundo ſubmiſſis, quæ ad Danubium vſque & Futacum oppidum progreſſæ, ſpeciem exercitus duplo maioris habebant. Tyrannus ruinis ac propugnaculis Belgradi magna celeritate reparatis validiſſimo illi præſidio relicto, eodem, quo venerat, itinere, in Thraciam rediit. Tarnouius Polonicarum copiarum dux ex aduerſo Petri Varadienſis cum exercitu ſuo caſtra metatus, ad traiiciendum commode Danubium, vbi à Solymanno Belgradum vi occupatum accepit, & ipſe ad Ludouicum Regem ſalutandi eius gratia profectus, poſt in Poloniam cum omnibus copiis reuerſus eſt.

Turca in Thraciam rediit.

Rex Sigiſmundus ob Tartarorum continuas excurſiones, quibus damna maxima Polonię inferebantur, vehementer anxius, conuentũ procerum Petricouiæ indixit, vt de reprimendis illis conſilia inirentur. Verum quod Bydgoſtienſi conuentu vniuerſæ regni Nobilitati Rex permiſiſſet, vt ante generale Ordinum regni concilium, particulares Nobilitatis in ſingulis Palatinatib. cõuentus haberentur, hos primum conuentus Rex, miſſis ad omnes Palatinatus regni literis, agi voluit. Poſnanienſis ac Caliſſienſis Palatinatus Nobilitas cũ ſuis Senatorib. Srodæ conuenerunt. Ibi de nunciorũ ad regni comitia electione cũ plena vel limitata poteſtate magna eſt inter Nobilitatẽ exorta cõtentio, tanto partium ſtudio, vt pene ad arma ſit deuentũ, conuentuſq; hic quorundã contumacia re infecta ſit ſolutus. Rex, ne regnũ ex hoc diſſidio damnũ acciperet, nouo miſſo mandato alium conuentũ Srodæ haberi imperauit: in quo poſt longã altercationem tandem nuncios, qui pecuniæ cõtributionẽ ad conducendos milites ſuo ſuffragio approbarent, elegerunt, ea conditione, ſi nunciorum reliquorum maiori parti idẽ placeret, quib. cum cõuenire ſunt iuſſi. In reliquis Palatinatib. Nuncii electi ſunt vnanimi omniũ conſenſu, cumq; abſoluta ſuffragandi poteſtate. Petricouiã vbi ventum, frequenti regni Senatu Rege præſente conſultatũ eſt de regni finib. cõtra Tartaros Tauricanos defendẽdis, qui excurſionib. perpetuis ęſtatis tẽpore tranſmiſſo Boryſthene Podoliam & Ruſſiã atrociter vaſtabãt. Sed quia publica Nobiliũ regni expeditio, qui Regem ad quoslibet bella ſequi, fineſq; regni tueri tenẽtur, cõtra Tartarorũ irruptiones, q præpropere aduolãtes pari velocitate recederẽt, & ſtatariæ pugnæ copii non facerẽt, nõ adeo cõmoda videbatur, procerib. magis è re fore viſum eſt, vt pecunia ad mercenariũ militẽ cõſcribendũ ab agricolis & oppidanis exigeretur. Cui Senatus ſententiæ à nunciis Prouincialib. aſſenſum nõ eſt, quaſdã à Rege prærogatiuas prius cõcedi petẽtib. ad ſuarum immunitatũ incrementũ. Prolatis ab iis multis capitib. aliquot dierũ cõſultationib. in Senatu res agitata eſt, Rege & Senatu ad æqua, reiectis aliis, conſentiẽte. Quo impetrato, Nũcii cõcordib. ſuffragiis in pecuniæ ad ſcribẽdum militẽ ab agrorum colonis & oppidanis exactionẽ adſenſũ prębuerunt. Quatuor ergo cętũ millia colligi, acin Podoliã ſub veris initiũ mitti placuit. Rex regni ſaluti ac defenſioni cũ cõſuluiſſet, acin induciis aliquot dies cauſarũ litiũq; cognitioni tribuiſſet, in Lithuaniã cõtẽdit, eius quoq; prouincię reb. ac periculis prouiſur⁹. Mẽſe poſt Octob. Moſcus Vilnã ad Regẽ legatos miſit, induciaſq; in quinquennũ ab eo obtinuit.

Ann. Chri. 1522. Comitia Petricouiæ ind;cta.

Maiorum Polonorum diſſenſio in electione nunciorum.

Publica Nobilitatis expeditio in fructuoſa.

Pecunia in militem mercenariũ exacta.

Nunciorum tergiuerſatio.

Nunciorum adſenſus in tributum.

Moſcus à Rege Polon. Sigiſm. petis inducias.

Conuentus Prutenorum Graudentinus de moneta.

Hoc ipſo anno in Pruſſia conuentus Grudentinus habitus eſt, in quo Senatores quidã Polonici, eam ad rem deſignati, tum etiã Pruſſici de vſu monetæ

multis

multis egerunt, cuius valor superioribus bellis decreuerat, & à Magistro Cruciferorum recens amplius fuerat diminutus, In primis autem ab iis fuit pensitata eo rerum statu inopia argenti, cuius si noua moneta cudenda esset, prius ingentem argenti vim comparandam, quę tum acquiri non posset, quod Fuggari, & aliæ mercatorum societates, qui in Portugalia aromatum causa negotiarentur, vndique omne argentum conflauissent, quod Portugaliæ Rex argento puro minimeque signato sibi satisfieri, nullis autem mercibus vellet. Vtrinque variæ sententiæ sunt propositæ de moneta, valore nouo aut veteri cudenda, multis adducti rationibus vetusne an noua monetæ æstimatio esset vtilior, in eoque omnibus modis allaboratum, vt Regi Poloniæ subiectæ prouinciæ oēs, Polonia, Lithuania, atque etiam Prussia vnanimi consensu monetæ eandem æstimationem acceptarent. Post longā vltro citroque disceptationem tunc nil fuit aliud conclusum, nisi in moneta ista vulganda, siquidem prouincia commodum inde & emolumentum percipere deberet, nullum lucrū quærendum. Qua de re dum cōsultationes habitę fuerunt, Nicolaus Copernicus Canonicus Varmiensis, à Collegio Varmiensi legatus, æstimationem siue precium cuiusuis valoris monetæ diduxit, Senatoribusq; exhibuit. In eo consilio fuit etiā actum, qua ratione Prussicæ monetę æstimatio siue precium ad Polonicam esset reducenda. Qua de re hoc conuentu, & sequentib. etiam aliquot annis sæpe fuit tractatum, antequam de rei summa conueniri potuit.

Sententia de moneta.

Nic. Copernicus precium cuiusuis valoris monetæ diduxit.

Ann. Chr. 1523. Pax cum Mosco quinquennalis.

Anni sequentis MDXXIII. initio Rex cum Mosco pace quinquennali Vilnæ facta, ex Lithuania in Poloniam rediit. Nec multo post Mosci legati 500. equitum comitatu Cracouiam aduenerunt, qui iusiurandum inducia rum, de quibus Vilnæ conuentum, à Rege exegerunt, quod Moscus coram regiis legatis ex fœdere prius præstiterat. Mense Maio Rex exgraui morbo decubuit, ad quem secessit periculum aliud. Nam accensis prima noctis horā facib. in supremo arcis cubiculo in eum post fenestrā stamem globus sclopeto manuali est emissus, qui in interiore cubiculi parte hæsit. Autor tanti facinoris diligenter etiam proposito præmio quæsitus, reperiri tamen non potuit, licet de quibusdam fuerit suspicio. Initio veris eius anni Mahometkereius Tauricæ Princeps cum numeroso exercitu iuxta paludem Mæoticā instituto itinere profectus, Tanai superato, Tartaros inter Tanaim & Volgā ad Hircanum vsque mare late habitantes sūę subiicere constituerat ditioni; illi vero hostis consilio diu ante cognito, ad Volgæ ostia, quib. in mare Caspium se effundit, sensim retrocesserunt, pauorem simulantes: sicque ad interiora Scythiæ pertractum coadunatis omnib. suis copiis & virib. Mahometkereium sunt aggressi. Concursum est magnis vtrinque animis, eruentumque commissum prælium, equitib. Scythicis Parthorum more tantam sagittarum vim emittentibus, vt densitate solē inducere viderentur. Certamē diu anceps fuit, donec prœualentib. Scythis, pro patriis sedibus, pro libertate, pro incolumitate vxorum, liberorum, facultatumque suarum prœlianti bus, Tauricani Tartari ingenti cū cædefusi fugatiq; sunt. Mahometkereius dū huc & illuc discursat, & ad virtutē suos cohortatur, sagitta ictus ex equo moribundus decidit. Fugæ illius opportunitate Ostaphius Circassiorum Præfectus ad ripam Borysthenis, ante annum aduerso prælio à Tauroscythis, captus, ex Tauri a peninsula profugit, & ad Circassos reuersus est. Sub medium ferè æstatis Turcæ in Vngariam populabundi infusi, Seueri-

Rex sclopeto impetitus.

Tauricanorum Principis expeditio in Tartaros Zauolgenses.

num arcem Moldauiæ validam ad Istrum expugnarunt, loco ad Transyluaniā & Vngariam infestandā peropportuno. In Taurica Chersoneso cæso Mahometkareie Sedetkereius frater assensu Solymanni Turcarum Imperatoris dominatum adeptus est. Qui rerum apud Tauroscythas potitus, protinus ad Regem Sigismundum legatos de fœdere ac societate cum eo iaeunda misit, contra quosuis hostes Scythica ei auxilia pollicitus, eosdemque non secus ac suos omni cladis genere persecuturus. Legati Tartari à Rege benigne habiti, atque cum donis etiam dimissi, gratum iniri fœderis & amicitiæ responsum Principi suo retulerunt, etiamsi Tartaris, quæ gentis est in amicitiis colendis perfidia, non multum fidendum Rex sciret. Eadem æstate Turcæ non solum Vngaris, sed etiam Polonis infensi, quatuor millium exercitu Bialogrodensium Tartarorum auxiliaribus copiis sibi adiunctis Podoliam inuaserant, eamque longe lateque deprædati sunt. Crassolouiam arcem expugnare conati, cū muura suorum cæde repulsi sunt. In reditu Rohatinum ob Turcam captiuum non restitutum, post aliquam defensionem expugnarunt. Oppidani mœnibus ligneis perruptis in templum, quod murorum robore ac situ munitissimum erat, confugerunt, illisque se tutati sunt. Turcæ vero incenso oppido illæsi abierunt. Fama erat, à Iacobo Sencignouio mille equitum Præfecto, Turcas profligari potuisse, si eos, equis relictis, pedes oppidum oppugnantes, à tergo adortus fuisset. Sed ipse paucitati copiarum diffisus, haud procul inde immotus subsistens, aliquid moliri ausus non fuit.

Seuerinum arx in Moldauia à Turcis expugnatum.

Tauricani P. Sadetkerii legatio ad Regem Pol. de fœdere. Turcarum cum Tartaris in Podoliam inuasio.

Sub anni sequentis vicesimi quarti supra millesimum quingentesimum initium, Bonæ Reginæ Poloniæ mater Isabella Dux Barensis vitam cum morte commutauit, vel hoc solo beata, quod filiam Bonam potentissimo Regi nuptam vidisset. Cuius obitu vacantem Ducatum Prorex Neapolitanus occupauit, præsidio arci Barensi imposito. Sed regina, ad quam hic Ducatus matris morte deuolatus erat, extemplo ad Carolum Imp. Regem Hispaniarum legatum misit Staruslaum Borgium Canonicum Cracouiensem, qui in Hispaniam profectus, singulari fide ac studio Ducatus Barensis restitutionem Reginæ Bonæ ac liberis eius à Cæsare impetrauit, eo ab Imperatore in feudum recepto homagioque Regis & Reginæ nomine præstito liberam Ducatus sui administrationem consecuta est. Solicitauis insuper Carolum Imper. Regis Sigismundi nomine, vt, cum Regibus Christianis pace inita, in Turcas Vngariam Poloniamque continuis infestantes irruptionibus, arma viresque conuerteret, Ludouicumque Vngarorum Regem, qui periculo proximus esset, neutiquam auxilio suo destitutum desereret. Facta est suppetiarum ferendarum spes Polonico oratori, si modo per Gallos id liceret, qui grauibus bellis Italiam, quam ipse in suam recep sset fidem atque protectionem, miscere non desisterent. Per id tempus diuersorum Regum ac Principum ad Regem Sigismundum aduenerunt legati, à Friderico Daniæ & Gustauo Sueciæ Regibus, Pomeraniæ item & Mechelburgensi Ducibus, fœdus & amicitiam Regis Signismundi expetentes. Initum est fœdus cum his omnibus, idque eo libentius Rex fecit, vt Gedanenses per mare Balthicum liberius nauigare, merces que ex Anglia & Hispania tutius in Poloniam importare posset. Eo anni mense Aprili Ioanne Konario Cracouiensi Episcopo mortuo, Petrus Tomicius regni Procancellarius ex Episcopa Posnaniensi ad Cracouiensem euectus est,

An. Ch. 1524. Isabella Dux Baren. mater Regina Pol. mortua.

Diuersorum Principum legati ad Regem Pol. de fœdere.

A Rege Vng. legatio ad Rege Pol.

Rege Sigismundo eum nominante, & collegio ecclesiæ Cracouiensis eligente, Pontifice vero Romano suo assensu electionem ratam habente. Mense Iunio à Ludouico Rege Vngariæ & Bohemiæ orator Cracouiâ venit, edictum, quo Poloni negotiatores Vratislauiam merces conuehere, aut mercimonia ibi frequentare prohibebantur, abrogari petens. Vratislauienses, enim merces, quæ citro vltroque conuehebantur, retinendi facultatem in vrbe sua emporio designato impetrauerant, eaque commodirate vsi, rerum precium arbitrio suo auxerant vel minuerant. Rex suorum querimoniis assiduis permotus, edicto cum Vratislauiensibus commercia subditis suis interdixit, vnde ad Vratislauienses damna redundarunt maxima. Rex tamen Ludouici Regis precibus victus, edito reuocato, permisit suis subditis, pristina cum Vratislauiensibus commercia ac negociationes. Petiit præterea Ludouicus Rex à Sigismundo Rege patruo, vt ex proceribus suis aliquem Pragam mitteret, ad res Bohemicas, intestinis motibus turbatas, pacandas. Missus est Andreas Tenezinius Palatinus Cracouiensis, qui Pragæ pace inter Bohemiæ proceres composita, magnam insignis prudentiæ laudem in Poloniam reportauit. Ea æstate Podolia & Russia Turcicis ac Tartaricis armis fuerant infestatæ. Turcæ ac Bulgari Istro ac Tyra transmissis (tredecim circiter equitum millibus) Podoliam hostili modo ingressi Zincouiam inopinata irruptione ceperunt, direptamque exusserunt, arcisque contiguæ Stanislai Ochoionufii tentata oppugnatione cum multa cæde reiecti sunt, inde in Russiam effusi omnibus circa Leopolim agris ferro & igne ad Comarnum vsque immaniter deuastatis, retroecesserunt. Pugnatum est cum eis aliquoties à Præfectis regiis præliis tumultuariis, quibus Ioannes Tarnouius insigne fortitudinis ac militaris peritiæ laudem consecutus est: perierunt ex Turcis diuersis locis & conflictibus ad tria millia. Quingenti Turcarum Tyram seu Niestrum fluuium transgressi, Pocuciam Transtyranam Poloniæ prouinciam depopulati sunt, quos per propinquam Moldauiam breuiori itinere ad Istri ostia transeuntes Moldaui habitu & armis Polonis ementiti à tergo ferociter aggressi, præda omni exutos ad internecionem fuderunt. Alia Turcarum agmina per Podoliam ad Tyræ ostia & Mocastrum seu Bialogradum iter direxerunt, quos equites Poloni insectati, extrema exercitus carpendo, plurimos ceperunt atque obtruncarunt, qui ad Regem Sigismundum deducti omnes ferreis compedibus constricti sunt, & ad regiorum operum labores adhibiti. Turcis pulsis Tartarorum quadraginta millia traiecto Borysthene, maiore longe tumultu ac horribili rabie Volyniam Russiamque inuaserunt, ac Leopolim maximis agminibus transeuntes ad Moscisum oppidum castra locarunt. Ibi Aslan Sultanus Tauricani patruelis cum parte copiarum subsistens, triginta equitum millia turmatim quaquauersum in terras regias grassabundos immisit, qui in penitiora regi Poloniæ ingressi omnem Russiam vastarunt, incolis, qui poterant, pauore ac metu passim diffugientibus, oppidis ac vicinis omnibus incensis, atque mortalibus innumeris inopina incursione oppressis, inque seruitutem morte acerbiorem raptis. Plurimi in nemora vasta se abdiderant, quos Tartaris vndique circumuentos, conclusosque indagine veluti inde extrahebat, qui arbores excelsas conscenderant, frondium densitate tecti seruatique sunt. Fama tam horrendæ

Emporium Vratislauiæ sublatum.

Podolia & Russia à Turcis & Tartaris infestata.

Turcæ à Moldauis & Polonis fusi.

Tartarorũ in Russiam & Volyniã irruptio.

Ad Moscisci castra figunt.

Inde Russiã totã vastãt in seruitutẽ innumeris abductis.

rendæ Russiæ vastationis Rex minime perturbatus, Christophorum & Nicolaum Szidlouiecios, nec non Rogouium Præfectum Opocienſem, Nobilitatem ad arma concitatum Sendomiriam præmisit, Nobilitate minoris Poloniæ Sendomiriam conuenire, ac oppidanis certum peditum armatorumque numerum mittere iussis. Confestim Rex ipse Cracouia subsecutus Sendomiriam, vt equites & pedites citius conuenirent, Tartarique late dispersi aduentus sui fama exterrerentur. Nec opinione sua Rex falsus est. Nam Tartari, vbi Regem omnem aulæ suæ equitatum præmisisse, Nobilitatem ad arma conuocasse, ipsumque Cracouia mouisse resciuerunt, non vltra excurrere ausi, cum rapta præda Moscisum ad Aslan Sultani castra se contulerunt. Redeuntes præfecti regii plerisque locis tumultuariis præliis adorti, multos in campis palantes præda iis erepta peremerunt. Interea Rex paucos Sendomiriæ dies moratus, dum equestres pedestresque copiæ coiuissent, Leopolim contendit. Cuius aduentu Sultanus & Tartari expauefacti, à Moscisco castris repente motis, fugæ se dederunt. Quos Rex iusto exercitu insecutus, decimatertia Septembris Leopolim peruenit, vbi ei nunciatum, Aslan Sultanum & Tartaros fugientium instar magnis itineribus abire, & regias copias eos nequaquam assequi valere. Incredibile dictu est, quanto dolore Rex, qui fremens in hostem vindictæ desiderio ferebatur, affectus fuerit, tantoque maiore, quod per recentia exustarum villarum ac oppidorum vestigia, locaque adhuc fumantia transiens, horribilem regni sui populationem contueri cogeretur. Qui postquam Tartarios desecta Podoliæ ingressos assequi se non posse accepit, Leopoli aliquandiu moratus, non multo post dimisso exercitu secunda Nouembris Cracouiam rediit, prouisurus, ne talia deinceps damna à Tartaris inferrentur, cuius etiam Rex compos factus, diuturna pace cum Tartaris pacta, ita vt Russia ac Podolia excursionibus atque vastationibus Tartarorum fere desertæ, frequentiori hominum incolatu, castellis, atque munitionibus multis locis exædificatis, refloruerint, vectigaliaque solita regio ærario dependerint. Ea tempestate in Italia bellum inter Carolum Cæsarem & Franciscum Galliarum Regem ob Mediolanum & Genuam interceptam exarsit. Quibus motibus exitio orbi Christiano futurus, tandem, nisi sedarentur, adductus Rex, iterũ Ludouicũ Vngariæ Regem, eiusq; regni proceres per oratores Andream Critium Episcopũ Præmisliẽsem adiuncto ei Castellano Piocensi, obtestari & hortari, vt pacem à Turca oblatãne repudicarent, neq; Solymanũ tantum hostem in tãta rerum omniũ perturbatione concitatent. Se Tartaricis bellis impeditum eis opẽ ferre non posse, & potẽtiam Turcicam eam esse, cui Vngariæ vires conferri nullo modo queant, & nisi mari quoq; instructissima Christianorũ classe oppugnẽtur, inuictos semper fore. Ludouicus Rex, etsi patrui Regis monita verissima esse iudicaret, pacẽq; cum Turcis vellet, tamẽ proceribus, fato quodam rebus ipsorum ad interitum inclinantibus, secus visum est, palam iactantibus, gentem Vngaricam bellis assiduis assuetã, assiduaq; exercitatione militari gentẽ ocio, ac pace torpescere & elanguescere, Turcasq; simulata & cõmodo suo facta pace plus eis semper nocuisse, quam bello aperto. Instabãt insuper Põtificis Romani ac Venetorũ legati, Turcarum vires ab Vngaris infringi cupientes, vt interim Italia Vngariæ periculo, bello in eam translato, quieta esset. Ad quod etiam pecuniæ vim ingentem

Nobilitatis minoris Polon. expeditio in Tartaros.

Rex Leopolim venit.

Clades à Tartaris ac cepta.

Rex Cracouiam reuertens.

Bellum inter Cæsarem & Gall. Regem in Italia.

Legato à Rege Pol ad Vngar. Regẽ & proceres.

Vngarorum arrogantia & contemptus hostis.

Regi Ludouico in stipendia militum pendebant, quam proceres quidam Vngari summa pollentes autoritate inter se partiti sunt, militibus stipendiis fraudatis: quo factum sæpius est, vt limitaneæ arces atque munitiones Vngaricæ, decedentibus defectu stipendiorum militibus præsidiis vacuæ à Turcis interuerterentur.

Moldauiæ Legatio ad Regem Pol. de fœd. rib. & pactu.

Haud multo post Stephani Palatini Moldauiæ Oratores ad Regem venerunt, fœdera & pacta à maioribus suis cum Regibus & Regno Poloniæ inita Palatinum obseruare velle sancte pollicentes. Præterea Regem rogarunt, limitaneis castellorum præfectis hoc iniungeret, latrocinia prohiberent, ac de illatis iniuriis ad ipsos querimoniam deferentibus, quod iuris esset, exequerentur, vtque Palatini Moldauiæ legatis ad Basilium magnum Moscorum Ducem per Poloniam ac Lithuaniam liber pateret transitus. Legatis ad duo priora benigne responsum, Regem fœdus cum maioribus ictum constanter seruaturum: hortarique eum, in officio permaneret, ac pactionibus cum regno Poloniæ dudum initis maiorum suorum exemplo diligenter staret. Ad iustitiæ administrationem quod attineret, Regi nil magis in votis esse, quã vt Moldaui cum incolis Podoliæ amicitiam traderent, mandaturumque terrarum illarum præfectis, vt cum Moldauis confœderatis pacem seruarent. Tertium, vt oratores Moldaui in Moscouiam irent redirentque libere, Rex concedere noluit, quod res suspicione non careret, periculumque esset, ne gentes religionis Græcæ, diuersæ à Polonis & Lithuanis, facta conspiratione terras regias ex diuersis septentrionalibus & orientalibus locis inuaderent.

Regis responsum ad legationem Moldauicam.

An Ch. 1525. Dux Pomer. ad nuptias inuitas Regem Pol.

Sub anni sequentis initium Barnimus Pomeraniæ Dux, Regis ex sorore Anna nepos, per legatum Regem ad nuptias inuitauit, petens insuper maternam dotem, promissam quidem, sed nondum solutam. Et quia contra Ioachimum Brandeburgicum Electorem pro finium defensione bellum moliretur, auxilia sibi mitti petiit, Rex, legato benigne dimisso, ad Barnimum Ducem misit, qui Principis consanguinei nuptias honestaret, auxiliorumque spem, si quando opus foret, ei faceret. Eodem temporis interuallo Gedani tumultus exortus, durauit integrum diem sequentem. Eius causa fuit plebis in dogma Lutheri inclinatio & studium. Cui senatus per biduum aduersatus, tandem victus cessit. Sicque vulgo præualente, priori senatu depositio, ex ciuium numero alii in senatum lecti. Templa inde & cœnobia ingressi, omnem supellectilem sacram, ex gemmis, auro, argentoque constantem abstulerunt, & visitatos Ecclesiæ ritus mutarunt. Literis post ad Regem datis, facti rationem exponunt, Regem obtestantes, rem totius populi consensu factam approbaret, quæ summo iuri Maiestatis ipsius nulli esset præiudicio, neque de vestigalibus, aut debita ipsi ac regno Poloniæ fide atque obseruantia aliquid detractura esset: populum vniuersum digitis erectis Regi & Regno Poloniæ cum nouo magistratu solẽni iureiurando sese obstrinxisse, tumultum sedatum, ac statum ciuitatis compositum esse. Eæ literæ in comitiis Petricouiensibus lectæ multorum animis scrupulum iniecerunt, metuentium, ne Gedanum quadriennalibus induciis exeuntibus motuum istorum opportunitate ab Ordinis Teutonici Magistro interceptum à regno abstraheretur, aut in aliud incurreret discrimẽ. Itaque summa opus esse iudicatum fuit prudentia, ad gliscentes Prussiæ motus pacandos, quod post singulari Regis felicitate ac prudentia factum. Etenim

Tumultus ob religionis mutationẽ Gedani.

enim in Prussia Orientali, cuius Princeps erat Albertus Marchio Brandeburgicus, Regis ex sorore nepos, forma Reipublicæ in Ducatum hæreditarium commutata in Regis Sigismundi fidem atque clientelam, tota ab Imperio Romano auulsa, concessit. Cum enim quadriennes inducię inter Regem Sigismundum & Marchionem Albertum Crucigerorum Magistrum initæ fuissent, inter quas arbitri vtrinque delecti Carolus Imperator, vel Ferdinandus frater, & Ludouicus Vngariæ Bohemiæque Rex controuersiam de Dominio Prussiæ & iuramento subiectionis, quod Regi præstare Marchio Albertus detrectarat, cognoscere debebant: Marchio quanquã dilgẽter instans, tamen ob varia intercedentium Principum impedimenta, & Cæsaris Italicis Gallicisque bellis occupati absentiam induciis ad finem vergentibus ad Epiphaniam huius anni ineuntis primum obtinuit, vt partes vtrinque à Ludouico Rege & Ferdinando Archiduce Austriæ Posonium euocarentur. Quo Marchio Albertus vna cum Imperii, & Principum primariorum oratoribus, & suorum etiam subditorũ, ac Ordinis legatis aduenit. Verum nec ex Polonia, nec ex arbitris quisquam accessit. Nam Rex Poloniæ terminum nimis breuem congressui præscriptum causabatur, intra quẽ regni Ordines cogere, ac de tam graui negotio cum illis deliberare non posset. Itaque & arbitri emanserant, nec tamen Marchioni Alberto Crucigerorum Magistro diem renunciarant. Qua de re grauiter apud Ludouicũ Regem Marchio questus, quod adeo negligenter toto compromissi tempore pro alterius partis voto, fructu, atque commodo actum esset, protestationem Budæ solennem interponit. Etsi autem de producendis in aliquot annos saluo compromisso induciis oratores suos Cęsar, Pontifex Romanus, & Ludouicus Rex ad Regem Poloniæ mittebant: tamen Poloni iure suo & belli proximi successibus confirmati, & inducias bello magis noxias rati recusant, bellumque redintegrant. Cum itaque Marchio Albertus Ordinis Magister omnino spe frustra niti, & à Cæsare procul in Hispania absente, & cæteris imperii Principibus ac delectis arbitris negligi ac deseri videret, & inducię iam exspirarent, nec suis viribus Regi Poloniæ resistere diutius posset necessario ad alia consilia, vel iurandæ pacis sempiternæ olim cũ D. Casimiro Poloniæ Rege factæ, vel nouæ cõpositionis instituendę discedendũ sibi esse videbat. Itaq; Vratislauiam legatii Prussię suæ redire iussis, qui Olemuncii, in itinere actionem Posonii non procedere inaudientes, substiterunt, deliberationem cum iis nouam instituit, ac communi cõsilio Georgium Marchionem Brandeburgicum, & Fridericum Ducem Lignicensem ac Bregensem fratrem & sororium rogat, vt ipsi inter Regem & Principem cognatum dissidentes sese interponant, intercedantque, & vel solidam pacem cum Crucigeris factam mitigatis quibusdam capitibus instaurent, vel aliam tolerabilem concordiæ viam ineant, qua & Marchioni Alberto sua dignitas, & subditis priuilegia ac possessiones sartæ tectę maneant. His Cracouiam ineunte mense Martio profectis, Marchio Albertus cum suis Beutenam siue Bithomiam oppidum ditionis Opolienſis, vndecim Cracouia milliaribus se contulit, vt minori ex interuallo commodius accitius ad eum referri omnia possent. Intercessores Beutenam reuersi, nullam in cõclusionibus perpetuæ pacis mitigationem à Rege impetrari posse ostendũt. Verum si Regem Poloniæ Marchio Albertus dominũ agnoscere, & inuestituram, vt Iure consulti loquuntur, à Rege accipere, & Episcopo

Varmienſi oppida erepta reddere velit: Regem viciſſim interceptas prioti bello Crucigerorum arces oppidaque reſtituere, ac ſi abſq; hæredibus maſculis Marchio decedat, fratres illius, Caſimirum, Georgium, & Ioannem ad hæreditariã in feudo Pruſſiæ ſucceſſionem admiſſurum. Nuncii Nobilitatis & ciuitatum Pruſſiæ ſententiam rogati, nil minus ſe Pruſſia excedentes, & cæteros, à quibus ablegati eſſent, tũ cogitaſſe aiunt, quam pacis eiuſmodi conditiones propoſitum iri. De quibus cum nihil in ſua informatione haberent, nec ſibi à præſcripto mandato diſcedere liceat, domum ad ſuos omnia prius referri petunt. Fridericus Dux hoc reſponſo offenſus regerit, ſe plena agendi mandata Polonię Regi petenti monſtraſſe, quæ ſine dedecore ſummo reuocare nequeat. Triuium iam ipſis propoſitũ, vt vel bellũ finitis proximo menſe induciis nouum expectent: vel pacem in perpetuũ ſancitam iurent: vel oblaras conditiones admittant. Quas vt acceptarent, Marchioni Alberto Cruciferorum Magiſtro ab omnibus Ordinis ſui membris, ac cæteris Principibus deſtituto legati Ordinis Erhardus Queis Epiſcopus Pomeſaniẽſis, & Fridericus Heideccus Baro autores eraut. Nobilitatis & ciuitatum nuncii tardius aſſenſi, primũ conſiderari volebant, an Princeps ſuffragiis Ordinis Magiſter creatus, hãc mutationem feudi eccleſiaſtici in politicũ à Rege & Regno Poloniæ recognoſcendum, cæteris ſui Ordinis mẽbris in Germania, Belgio, & domi in Pruſſia relictis probare & excuſare, & pericula ex diſſidiis ſubditorum hinc orituris auertere. & legatis, nequid ex hac actione dãni, iniuriarum, & infamię ipſis emergat, cauere poſſit. Deinde cum de hac inexpectata mutatione nil domi deliberatum in mandatis habeant, ſi in eam conſentire debeat, vt Marchio Albertus datis literis atq; ſigillis internuncios excuſet, ac de priuilegiis, iuribus, ac libertatibus ſubditorum veteribus, quibus ſub Crucigeris fuerãt vſi, in arce Culmẽſi, immunitate, ac vectigatibus nouis in futurũ quoq; aſſerẽdis idonee caueat. Præterea cõfecta cum Poloniæ Rege pacificatione recta in Pruſſiam redeat, & rerum à ſe per triennium actarum ſeriem, & qua neceſſitate ad extremam hanc rei cõficiẽdæ viam ineundam coactus eſſet, ſubditis exponat, vt facilius in principis ipſius & legatorum actionibus acquieſcant. Inprimis autem Principẽ obteſtãtur, ſi ad exitum hęc cum Poloniæ Rege conciliatio deducatur optatum, vt prouinciã deinceps nõ per alienigenas, ſed indigenas gubernari patiatur. Caput vero de ſucceſſione fratrum hæreditaria ad Principis deliberationem & Ordines prouinciæ in aliud tempus reiiciunt. Cum vero Marchio Albertus cognita hac deliberatione defenſionem conſilii & facti ſui internũciis promitteret, non dubitans, Regem Poloniæ feudi Dominum patrocinium ac tutelam ſubditis debitam præſtiturum eſſe & inſuper omniũ priuilegiorum confirmationem literis ſolennibus cõprehenſam, & internũciorum apud ablegantes excuſationẽ polliceretur. Si etiam aſſenſum prębuerunt. Eapropter cõmuni conſilio Marchio Albertus, & Ordinis, Nobilitatis, ac ciuitatum oratores Georgio Marchioni, ac Friderico Duci interceptoribus inſtructionem, ac mandata tranſigendo cum Rege negocio decernũt, rogantq;, vt oppida Brunsberga, Tolckienuta, Nouum forum, quæ nunc in Marchionis Alberti poteſtate eſſẽt, ex gratia Poloniæ Rex Alberto Marchioni relinqueret. Verum hæc obtineri nequiuerunt, quod in inauguratione ſua Rex iuraſſet, nullum ſe oppidum, vel arcẽ à regno abalienari paſſurum, & nominatim ommia in Pruſſia occupata regno aſſerturum. Quatuor millium

liũ aureorũ Rhenanorũ fructus ad tẽpus vitæ Marchioni Alberto aſſignat.

Regis Poloniæ tũ Marchio Alberto Cruciferorum Magiſtro tranſactio.

Marchio Albertus & ſubditi pacis cum Rege & Regno Polonię conſtãtis formulæ cupidiſſimi, de conſilio Principum interceſſorum ipſi Cracouiam menſe Martio proficiſcuntur, vbi comitet Marchione Alberto excepto his tandẽ cõditionibus tranſactum. Cum ſuperiorum temporum diſſenſiones ac bella inter Regem Poloniæ ac Ordinis Teuronici in Pruſſia Magiſtrũ ex hoc fonte potiſſimum emanarent, quod nullus certus Princeps, isque hæreditarius, ſed diuerſorum procerum capita Pruſſiam hactenus adminiſtraſſent: Sigiſmundus Poloniæ Rex Alberto Marchioni Brandeburgico, ac hæredibus illius maſculis, terras, ciuitates, oppida, & arces Pruſſiæ orientalis in perpetuũ ac indiuiſum feudum concedit, eumq; Ducem in Pruſſia hæreditarium creat. Qui viciſſim Regi fidem ac obedientiam à cliente & beneficiario debitã iurat, ac Ducatum hæreditario iure in liberos ex ſe natos vel iis deficientibus, in fratres, Georgiũ Caſimirũ, Ioannem eorumque liberos aut nepotes trãſmittit. Quibus extinctis, demum Pruſſia ad Poloniæ Regnum reuenit. De quo Pruſſiæ ſtatus chirographis ſuis Regi regnoq; ſe obligabunt. Rex contra omnia Principis ac ſubditorum priuilegia iuri maieſtatiq; Regis & regni non contraria tuebitur. Princeps proximum à Rege locum in conſiliis, comitiis, aliiſq; congreſſibus publicis occupabit. Nil ex Ducatu, niſi cõſcio Rege, alienabit. In expeditionibus centum cum equitibus haſtatis Regi ad fines vſq; Pruſſiæ militabit: extra fines educti ſtipendio, vt cæteri, regio fruẽtur. Offenſionũ ac iniuriarum bellis pręteritis inter Magiſtrum Ordinis ac Maſouiæ Duces, Epiſcopos Varmienſem ac Culmẽſem, & alios Regis ſubditos, vtrinq; datarum, acceptarumq; amneſtia ſancitur. Oppida & arces in bello vtrinq; captæ cũ machinis vtrinq; reddentur. Nobiles & agricolæ à iuramentis, quibus durante bello alienis Dominis ſeſe ſacramento obligarunt, liberabuntur, defectionis, & aliorũ præteritorũ facinorum veniam conſequẽtur. Epiſcopo Varmienſi prouentus à ſubditis Ducis Pruſſiæ ſoliti pendẽtur. Si Epiſcopus probare poſſit, Eccleſiaſticos ab antiqua diſceſſiſſe religione, Dux Epiſcopum in eiuſmodi corrigendis autoritate ſua iuuabit. Diſſidia inter Regem & Ducem exoritura à conſiliariis æquis iudiciis obſtrictis Mariæburgi aut Elbingæ diiudicabuntur. Si Nobiles, aliiue ciues actionem duci intendere volent, coram Ducis Vaſallis ſeu beneficiariis ad iudicium obligatis ius ſuum perſequentur, à quibus appellatio ad conſiliarios Regis Duciſque Mariæburgi deſignatos integra erit. Ex reliquis Pruſſiæ incolis quiſque in eo iudicio, vbi bona ſua poſſederint, aut reus domicilium habuerit, conueniri, & ad externa iudicia neutiquam vocari debet, nec alterius partis ciues in alienis iudiciis interdicto Magiſtratus diſcedere prohibeantur, quod areſto attineri vulgo vocant. Nauigationes & negociationes liberas incolæ habebunt: fora ſeu mercatus in pagis abrogabuntur. Vectigalia noua tum Rex, tum Dux, niſi de conſenſu Ordiuum, nulla imponent: bona naufragorum poſſeſſoribus reſtituentut: Neuter alterius ex profeſſo hoſtem aut hoſpitio, aut ſubſidio leuabit: Vterque ſuos hoſtes & criminis alicuius reos in alterius territorio perſequendos, & iudiciis, vbi comprehenſi fuerunt, ſiſtendos ac puniendos curabit. Priuilegia Ordinis Teutonici omnia à Cæſaribus, Pontificibus, Principibus, vel ipſis Poloniæ Regibus indulta, conuentioni iſti repugnantia, Dux renunciatione ſolenniter facta Regi ipſi

reddet:

redder: cætera Rex noua conferret. Regni ac Prussiæ Ordines literis suis hanc se pacificationem semper gratam ratamque habituros, & ab obitu Marchionum se nullialii, quam Regi ac Regno Poloniæ obnoxios futuros promittent. Postremo aduersus omnes huic transactioni contrauenientes Regi Poloniæ Marchiones cum Prussiæ Duce pro virili suppetias ibunt amicos inimicosque communes habebunt. Idem Rex Duci Prussiæ necessitate vrgente præstabit. His ita peractis biduo post pompa solenni Dux Prussiæ Albertus à Rege inauguratus est. Exin litteris omnibus obsignatis Oratores Russiæ ordinum per Massouiam in Prussiam reuersi, nuncium de pace in perpetuum sancita cum Regno Poloniæ exoptatum suis impertiunt. Dux Prussiæ nouus cum Friderico Duce Lignicensi sororio suo Lignitiam profectus, ibidem ad Pentecosten vsque mansit. Redux in Prussiam magno omnium Ordinum gaudio, ac fausta acclamatione exceptus, Nobilitati ac Ciuitatibus conuocatis eo in negotio pacis à se per triennium acta ordine cōsignata prælegi iussit. Cui gratias publice à tota prouincia Georgius Polenez Episcopus Sambiensis egit, simulque Episcopæ suæ regimen politicum cum omnibus sibi subiectis Duci renunciat, quod Episcopi Euangelium docere, non politica imperia & dominatus administrare debeant. Princeps Prouincialibus in testimonium vocatis, quod non petente aut postulante se Episcopus vltro Episcopa se abdicasset, non inuitus accepit: altero Episcopo Pomesanensi cum silentio astante, qui ad vitæ finem Episcopam administrauit. Non multo inde tempore interiecto Regis Commissarii, prout conuentum erat, Achacius Czema, & Georgius Baisenus regium diploma Duci Russiæ nouo tradunt, quo Rex recipit, se Duci tanquam Principi hæreditario Brussiæ Ducatum & ipsi, & subditis priuilegia, libertates, immunitates, iuraque eorum perpetuo concessurum, ac patrocinium illorum aduersus omnes susceperum. Contra cuncti Prouinciæ illius Ordines iusiurandū fidelitatis subiectionisque hæreditarium prælectum, primum Regi Poloniæ, dein Prussiæ Duci præstiterunt. Dux etiam incolis obtestantibus diploma confirmationis Priuilegiorum sigillo Ducatus nouo munitum dedit. Quod Magistratus Regiomontani fidei asseruandum Prouinciales concrediderunt, hac lege, vt exempla, sicubi opus esset, Nobilitati ac ciuitatibus exigentibus impertirent.

Marchio Albertus Crucifer. Magister à Rege Pol. Dux Prussiæ inauguratus

Gedanensium legatio ad Regē de mutata religione.

Gedanenses noui Ducis in Prussia creati ac præstiti ab eo Regi Sigismundo iuramenti nuncio perterrefacti, primarios ex nouis senatoribus ad Regem ablegarunt, factum mutatæ religionis, ac depositi senatus veteris excusaturos. Quos Rex dissimulata ad tempus ira, ne pœnarum metu ad desperationem adacti extrema tentarent, benigno cum responso dimisit. Quibus domum reuersus, priores senatores, qui per tumultum amoti erant, Cracouiam venerunt, statum vrbis miserabilem, ciuiumque suorum audaciam cum insolentia coniunctam coram Rege deflentes, demisse orant, vt Rex ciuitati exitio propinquæ succurreret. Cumque rerum magnitudo summaque necessitas eius præsentiam flagitent, ipse Gedanum venire non grauaretur, omniaque pro arbitrio suo constitueret, & ad pristinam reuocaret formam, sontibus punitis; Senatum omnem veterem, ciues honestores, magnam denique plebis partem Regem secuturos: alios etiam, qui seducti essent, cum sponte, tum metu ad officium redituros. Rex eos consolatus, bono animo esse iussit, spe illis facta, rebus Poloniæ compositis,

Regis responsum.

sui

sui Gedanum aduentus: interim sedulo prouiderent, ne vrbs nouis turbis forte exortis grauioribus afficiatur incommodis.

Legatus Pontificis ad Regem.

Pontifex Romanus Clemens Septimus tot bellorum ac victoriarum fama Regis contra Turcas, Tartaros, Moldauos, Moscos, & Crucigeros motus, ensem consecratum, vt vocant, deauratum in vagina argentea, quo in bello contra Barbaros vteretur, cum pileo gemmis ac vnionibus coruscante, ei transmisit. Cuius Legatum Rex amplis donatum muneribus dimisit, Pontificique pro dono misso permagnas literis gratias egit. Ea tempestate in Taurica Peninsula inter Tartaros Præcopienses intestini exorti fuerunt motus.

Tumultus inter Tartaros.

Satkereius enim Tauricæ Princeps, quem Turca eis præfecerat, ex aula sua missum, quod mitioribus præditus videretur moribus, minusque, quam Tartari alias sunt, ferus ac truculentus, ab eis Principatu deturbatus est. Eo ex Taurica Constantinopolim ad Turcarum Tyrannum profecto, de iniuria questum, Tartari Aslan Sultanum Satkerei patruelem Principem sibi delegerunt. Quam dignitatem ea lege suscepit, si eum Turca approbaret. Turcę siquidem omnes fere Tauricę portus quaquauersum obtinent cum Capha, ideoque Turcarum potentia Sultano & Tauroscythis terrori erat.

Aslan Sultani legatio ad Regem Pol.

Verum Turcæ Sultani virtus ac ferocia suspecta erat, quem earum in Taurica turbarum, quarum apud ipsum esset accusatus, potissimum credebat esse autorem. Itaque ei infensus Satkereio in Taurica olim Principi Sedetkereium ipsius fratrem successorem dedit. Cum id Aslan Sultanus ex amicorum literis accepisset, Turcæ potentiam vehementer timens, ad Poloniæ Regem oratores misit, supplicatum, vt, si Turca bellum sibi intentaret, liceret in campis regiis Borysthenidis adiacentibus castra locare, cum equitum millibus septuaginta, magno subsidio contra quoscuis futuris, regemque Patris nomine dignatus filii locum ac defensionem ab ipso petiit. Responsum à Rege legatis: se Sultanum filii loco habere, eique felicia quæque precari: Turcam eius electionem ratam non habere, dolere: si ipsi arma inferat, tutum in campis Borysthenicis fore receptum, opibus etiam suis atque commeatu eum pro viribus iuuare paratum esse. Responsum hoc ex Oratoribus reuersis gratum Sultano accidit.

Responsum Regis.

272

Fœdus inter Principes initum aduersus Cæsarem.

Circa idem tempus inter Cæsarem ac Galliæ Regem nouorum dissidiorum ac simultatum iacta sunt semina. Cæsaris enim potentia aliis Principibus formidabilis erat. Itaque fœdus inierunt, vt alter alteri opem, si quicquam moliretur Cæsar, ferret. Rex Sigismundus videns, Rempublicam Christianam eo fœdere in duo quasi corpora diuisam & factiones scissam, & tunc maxime, cum Turcicæ potentię necesse esset ire obuiam, indoluit, eamque temporum calamitatem non solum familiaribus colloquiis, sed literis etiam ad Cęsarem scriptis deplorauit, atque deprecatus est.

Cæsaris cum Rege Pol. fœdus.

Ob quod conciliandæ inter Principes concordiæ studium Imperator Regem Sigismundum singulari affectu prosequutus, eum sibi perpetuo iunxit fœdere, in societatem aurei velleris equitum eo ascito, & torque aureo gemmis ac vnionibus decorato.

Ineunte anno sequente Rex conuentu Petricouiæ habito ac finito

Ann. Chri. 1526. Regis Sigis. in Prussiam aduentus.

Gedanum versus ad fidem senatui amoto liberandam turbarumque ac nouationis autores puniendos decima nona Februarii iter ingressus Torunium primum, inde Marięburgum peruenit. Gedanenses religionis mutatę sibi conscii, Regisque aduentu in Prussiam perculsi, clam congressibus habitis deliberarunt, consultum ne videretur Regem in vrbem admittere. Cordatiores euentum pensitantes, censuerunt, nil in re tanti momenti præcipitanter agendum.

Consultatio Gedanen. de Rege intromittendo in vrbem.

Etenim cum illi Regibus ac regno Poloniæ semper fidem antehac sinceram præstitissent, læsæ maiestatis crimen commissuros, si sua Regem, cui omnes iuramento subiectionis ac fidelitatis obstricti essent, vrbe excluderent à cuius maioribus tot ornati essent beneficiis, tot priuilegiis atque immunitatibus donati: quæ omnia contumacia ac defectione eorum irritatus Rex reuocare posset: adhæc ipsam ciuitatem Gedanensem commerciis Polonorum detractis ne quaquam florere diu posse. Hic cum vltro citroque diu disceptatum esset, in id tandem communi consilio itum est, Regi omnia obsequia ac fidelitatis officia deferenda, inque vrbem cum comitatu venientem honorificentissime excipiendum.

Senatores regni à Rege Gedanum præmissi.

Rex Mariæburgi de omnibus, quæ Gedani agerentur, à suis edoctus, ante suum Mariæburgo discessum Christophorum Szidlouiecium Castellanum Cracouiensem, Andream Tenczinium eiusdem loci Palatinum, Lucam Gorcanum maioris Poloniæ Præfectum Gedanum præmisit. Eos aduentantes summa humanitate omnibusque officiis Gedanenses prosequuti sunt, iidem post in Senatum introducti, humanissimis verbis omnem irati Regis suspicionem exemerunt, adeo vt illi nil magis in votis, quam Regis ipsius aduentum habuerint, eaque de causa protinus ablegarint, qui Regi de aduentu gratulantes eum maiorum suorum exemplo in vrbem inuitarent. Inter nuncios erat præcipuus Ioannes Salicetus Iurisperitus, acerrimus religionis Lutheranæ propugnator, qui vt ad Regem ablegaretur, autor fuit Philippus Bischouius, à Lutheranis se non alienum simulans: Eos vt Rex clementer exciperet, proceres Gedanum à Rege præmissi, Regi suaserunt, id quod factum.

Gedanenses. um nuncii ad Regem.

Nuncii aduentum felicem Regi in Prussiam senatus populique Gedanensis nomine gratulati, eum, vt iniunctum erat, demisse ad se inuitarunt. Rex eorum precibus annuens, nuncios, qua acceperat, fronte non indonatos remisit. Nec mora, Marięburgo mouens amplissimo cum comitatu Gedanum perrexit. Quo appropinquanti, ad primum ab vrbe lapidem magna populi multitudo cum vxoribus ac liberis spectandi, officiique causa se effudit. Vrbem ingressus Rex, cum rerum suarum securitati cauisset, Senatui Gedanensi mandat, vt portarum valuæ, nuper cardinibus emotæ, reponantur, portarumq; claues sibi tradantur, pacem se attulisse, nec hostem vllum extimescendum.

Regis Gedanum ingressus.

Id cum exequi cunctarentur, Rex repressa aliquantisper ira, Palatinos & Castellanos Prussicos, ac magnam Nobilitatis Prussicæ partem acciuit. Aduenit etiam eodem insperato salutandi Regis gratia Barnimus Pomeraniæ Dux è sorore nepos: habebat præterea secum Rex ingentem procerum atque equitum Polonorum numerum, procul dubio vt Gedanensibus terrorem incuteret: nihilo tamen minus Regis tanti comitatus multitudine

Dux Pome. Gedanum uenit.

territi, religionis Lutheranæ exercitia frequentabant. Audaciam eiusmodi Rex non amplius ferendam arbitratus, opificum magistros in publicam mercatorum domum conuentui designatam cogi iussit. Hi cum frequentes conuenissent, Petrum Kmitam Regni Mareschalcum ad eos misit, qui scipione silentio imperato quęsiuit, an vellent iuramento Regi regnoque Polonię dato stare, nec ne? Vnanimi voce annuentibus, iussit, qui partium essent regiarum, in latus concederent dextrum.

Gedani Lutheranæ religionis publicæ exercitia.

Id cum bona ciuium pars haud cunctanter fecisset, aliis, qui ancipiti erant animo, nonnihil tergiuersantibus, & ipsi tandem, ne palam rebellasse viderentur, in dextrum latus ad reliquos coiuere. Quorum fide Mareschalcus commendata, fidelitatis atque subiectionis sacramentum iterato ab eis exegit. His factis transactisque, Rex de statu ciuitatis reformando, senatu vetere restituendo, & Catholica Romana religione postliminio restituenda consiliatur.

A Gedanensibus iusiurandum exactum.

Ex in Regis mandato Ioannes Salicetus, & septuaginta circiter mutandæ religionis autores, comprehensi in carceres coniecti sunt. Salicetus obiectis criminibus purgare se volens, petiit, vt cum Rege coram loquendi facultas sibi daretur. Colloquio impetrato, complura obiectorum diluendorum suæque innocentiæ probandæ causa adduxit, magno ciuium numero adstante. Coram quibus Philippus Bischouius ex eo quæsiuit, cur sacras ædes aureis argentisque vasis spoliasset, & cur conscenso suggesto primus ipse Lutheri dogmata proponere ausus fuisset? Cur furcam, rotam, gladium ante prætorium erigenda curasset? Eo inficiante, ac tandem ciuium adstantium iussu ea se fecisse asserente, ciues constanter factum negarunt, suoque cum periculo talia ausum esse respondérunt. Quorum verbis reuictus, ab iisque desertus conticuit. Itaque iussu regio in carcerem reductus, ac postea cum tredecim eiusdem criminis reis capite plexus est: reliquis in exilium actis.

Autores mutatæ religionis comprehensi.

& capite plexi.

Sumto de sontibus supplicio Rex vrbis statum ex arbitrio suo composuit, vasa argentea aureaque, sacras item vestes edicto seuero restitui templis præcepit, Catholicæque Romanę ecclesiæ sacra ac ritus iterum exerceri sacerdotibus restituris mandauit. Portum inde, qui in littore maris est, ad Vistulæ occidentale ostium Rex inuisit. Hic naui animi gratia conscensa per mare sui iuris vehi voluit, vt terræ illius ac maris dominum se facto ipso comprobaret.

Tribus eoque amplius mensibus Rex Gedani commoratus est, omnium rerum copiam Gedanensibus ipsis eiusque comitatui affatim submini-

Dux Pomeran. Regi Pol feudalis.

strantibus. Ibidem subsistens Georgio Pomeraniæ Duci ex sorore nepoti Lauemburgum Bythouiamque præfecturas Prussis finitimas beneficii iure concessit. Inter hæc Ianussius & Stanislaus fratris Massouiæ Duces postremi & antiqua Regum Poloniæ stirpe prosati, paucorum dierum interuallo sine liberis decesserunt. Quos intemperantia vitam sibi multi credunt abrupisse, plures tamen veneno sublatos opinantur. Massouiæ Ducatu ad Regem Poloniæ expactis & iure feudi deuoluto, Massouiam totam titulis regiis adiunxit, cum non multo ante Cruciferis Prussia exterminatis omnis Prussia iisdem accessisset, magna cum Poloniæ accessione. Ad extremum subiectionis fidelitatisque iureiurando à Senatu populoque Gedanensi accepto, vicesima quarta

Ducum Masouia postremorum obitus.

Iulii abit, & celebrioribus Prussiæ locis perlustratis sub exitum mensis Augusti Varsauiam ingressus, defunctos Duces, quorum corpora ad Regis vsque aduentum asseruata magnifica exequiarum pompa sepelienda curauit. Massouiæ possessione accepta, Præfectos, præsidiaque locis præcipuis imposuit. Atque ita Massouii Regni Poloniæ membrum facti, postquam Regi fidem dedissent, & in regni Senatum allecti essent, post quadringentesimum fere annum ad corpus Poloniæ redierunt.

Massouia ad Pol. iam rediit.

Turca Vngaris belliū infert.

Hoc ipso anno Solymannus Turcarum Tyrannus, toties ab Vngaris irritatus, bellum illis infert. Cum enim cognouisset, Vngaros amissa ante quinquennium Nandoralba de animi tumore non modo nil remisisse, nec pacem, quam vltro ipsis obtulerunt, accepisse, sed etiam minas atque vindictam spirare, exercitu trecentorum circiter millium contracto, Sauo traiecto & Belgrado, Salanca, & Varadino Petri in potestatem redactis, ad Vileccum oppugnandum contendit. Et quia verebatur, ne Poloniæ Rex Vngaris laborantibus, vt & ante, subsidio veniret, Tauricanum Tartarum instigauit ad Poloniam eodem tempore, quo ipse Vngariam infestaret, inuadendam, vt Rex Poloniæ domestico rerum suarum periculo perculsus auxiliis Ludouico Regi ferendis supersederet. Id quod nulla mora interiecta Tartari Taurico tyranno gratificaturi præstiterunt, in Lithuaniam primum, inde in Volynensem, Belsensem, ac Lublinensem tractus irruptione facta atrocissime eas regiones depopulati sunt. Rex in Prussia tunc absens, ob longius locorum interuallum his malis mederi nequibat, auxiliares etiam copias, quas in Vngariam contra Turcas destinauerat, ad regni sui fines tutandos adhibere compulsus. His motus Ludouicus Vngariæ Bohemiæque Rex ex eorum, qui tunc secum erant, consilio conuentum indixit publicum ad Diui Georgii martyris diem: ad quam cum frequentes omnes omnium prouinciarum ordines conuenissent, decernuntur ibi ea, quæ ad regni defensionem pertinere videbantur, illudque imprimis, vt ad secundam mensis Iulii diem omnes regni proceres ac nobiles Tolnam armati conueniant, hosti inde cum Rege obuiam ituri. Rex interim, ad bellum quæ requirebantur, parat: Principes Christianos periculi communis admonet, maxime Cæsarem Carolum, & Regem Galliæ Franciscum appellat, ne se in tanto deserant discrimine. Instat & apud Pontificem de pecuniario subsidio ad tantum bellum necessario. Mittit præterea ad Ferdinandum Austriæ Archiducem sororium suum, & ad alios Imperii Principes, qui tum comitiis Spiræ interfuerant. Bohemos etiam, Morauos, ac Silesios solicitat de auxiliis debitis. Idem à Poloniæ Rege patruo petit. Venit non multo post Ludouicus Rex Tolnam cum tribus peditum equitumque millibus. Præcipua spes erat in Iohanne Scepusio Comite, Transyluaniæ Palatino, qui à validis Transyluanorum copiis instructus erat. Ei ancipitem deliberationem cum nunciorum vanitas, tum Regis mandata secum ipsa pugnantia faciebant. Rex enim à quodam,

Ludouicus Rex indicit conuentum publicum.

Cæsarem Regis & Principis de auxilii compellat.

Regis Ludouici Tolnam aduentus.

dam, cui hostium consilia explorata erant, clam admonitus fuerat, nil fore consultius, quam si Transyluaniæ Palatinum cum Transalpino (nam & huius fides Regi hac in parte perspecta esse videbatur) vel à tergo hostem aggrederentur, vel illo ad Vngariæ interiora progresso, iunctis viribus Thraciam omni præsidio vacuam inuaderent. Ita enim fore, vt hostis vel in medio opprimeretur, vel ab incepto desistens ad sua defendenda recedere cogeretur. Hoc consilium cum multis suspectum esset, diu res fuit ventilata: cum vero nil certi expediri posset, iussus Transyluanus facere, quod magis è Republica arbitraretur, ac si id duceret vtilius, vires suas & Transyluanorum cum Transalpino ad illa loca conuerteret. Quæres magna ex parte in causa fuisse videtur, quod Transyluanus ad prælii tempus adesse non potuerit. Dum hæc aguntur, præterierat iam tempus conuentui Tolnensi designatum, & nemo adhuc ad eum locum venisse audiebatur: videbanturq; omnes ad Regem respicere, nec prius venturi, quam Regem prædicto loco iem esse intellexissent. Vnus Andreas Barboreus ad Penteleum cum regiis se coniunxit. Ibi nuncius à Transyluaniæ Palatino adfuit his cum mandatis, nondum se quidquam certi constitutum habere, ob tantam nunciorum varietatem: modo iussum se cum Rege copias coniungere; modo hostem à tergo aggredi: inde iterum priora mandata repetita: se quidem, quæcunque Rex mandauerit, impigre executurum. Cæterum illud de hoste à tergo circumueniendo serum iam nimis esse, & valde periculosum. Iam enim Transalpinum coactum in Turcarum castra obsidem mittere filium, quem vn cum habebat, nec quidquam moliturum. Quocirca consultissimum sibi videri, vt consociatis viribus hostium castra adoriantur. Rex collaudata hac sententia nuncio mandat, vt dies noctesque itinere continuato ad Transyluaniæ Palatinum festinet, eumq; quam celerrime suis cum copiis ad Regem venire iubeat: tum potestatem ei facit, cuiuscunque conditionis homines, modo per ætatem arma ferre possent, in militiam euocandi. Missi quoque, qui vndique auxilia corrogarent. Dum Tolnæ Rex exercitum cogit, nuncius adfertur, Turcas Vilecco expugnata ad Ezeckum pergere. Designantur itaque ex proceribus nonnulli, qui hostem Draui transitu prohiberent. Ex his quidam intempestiue admodum priuilegia sua allegant, quibus cautum, ne Barones, nisi sub vexillis regiis, militarent. Rex grauiter commotus, in magna Senatus frequentia: video, inquit, ego, vnumquemque capite meo excusationem & salutem capiti suo quærere. Ego quidem eo hanc suscepi expeditionem, vt caput meum pro huius regni ac vestra omnium salute extremis obiicerem. Ne quis igitur sit, qui excusationem possit aliquam ignauiæ suæ capite meo prætendere: ibi ego Deo fauente cras vobiscum eo, quo alii sine me ire nolunt. Ad hæc cum obstupescerent præsentium animi, nec quisquam iam esset, qui non vltro etiam prouinciam, quam paulo ante omnes, excepto Vngariæ Palatino, detrectarant, subiturus esset. Regis iussu signa canuntur, posteraque die iter indicitur, quibusdam non ignorantibus, quid inde periculi sequi posset, ac profectionem huiusmodi frustra dissuadentibus. Tolna igitur postridie egressus decima quarta Augusti Zeckzardum, inde secundis castris Batham peruenit. Erat inter cæteros duces Paulus Tomoræus Archiepiscopus Colocensis, è familia Franciscanorum monachus, ignarus quidem rei

Rex Ludouicus Tolnam egressus.

militaris, ac tanto oneri impar: sed manu animoq; promtus, qui cum non semel Turcas ab exercitu digressos longius concidisset, vel moratores excepisset, existimationem tantam consequutus est, vt cum de summo belli duce consultaretur, vnus, isq; cucullatus tot viris bellatoribus sit prælatus. Ei adiunctus fuit collega Georgius Comes Scepusiensis Palatini Transyluaniæ frater, qui id munus diu pertinaciter deprecatus est: sed tandem ea lege consensit, vt simulac frater aduenisset, liberum ei esset statim eo munere se abdicare: His peractis exercitus recensetur, qui vltra viginti quinq; millia non excessit. Inde ad locum castris non procul oppido Mohaczio capiendum proficiscuntur. Loco igitur castrorum idoneo capto, cucullatus ille Imperator ad eos, quos vltra confluentes in castris habebat milites, abit, illos, si fieri posset, castris regiis adiuncturus. Erant vero ad sex equitum millia, quorum pars bona iam ab initio Monachum secuti, aliquoties secundo euentu cum hostibus ante velitati fuerant: cæteros vero Franciscus Perenius, & alii adduxerant. Quo vbi Tomoræus peruenit, militum concione aduocata, de Regis & sua procerumq; sententia reducere se eos velle in castra regia significat. Tum vero fremere omnes, sese ab hoste, cui iam dudum obuiam iri opottebat, abduci: fugam hac ratione iniri, non pugnam: talia suadentes, ocio esse inertiæq; adsuetos: veniat modo Rex, & secum in hostem arma ferat: victoriam in manibus esse: illud etiam compertum sibi, omnem illam strenuam olim Turcarum manum primum in Belgradi, deinde in Rhodi expugnatione cecidisse: duces modo strenue munus suum exequerentur, propere omnia cæsura: auellant Regem, & egregium quenq; militem ab illa socordi sacerdotum, aliorumq; pugnam detrectantium turba, qui Regem etiam ipsum animo & corpore præstantē ignauis artibus emollire conentur. Hæc dum fiunt, iam ad Mohaczum omnes loca sibi designata sub tentoriis occuparant. Rex vero in noua villa quadam Macedoniorū inter Batham ac Mohaczum cum paucis se continebat, non sine periculo, si hostis, qui non procul inde aberat, paucitatem regii exercitus cognitam habuisset. Sed eius factum in aliud tempus, vbi glorioſius pro patria occumberet, Deus reseruauit. Adferunt interim proceres ad Regem nocte intempesta trepidum nuncium, Turcici exercitus magnam partem iam Drauum transiisse, reliquam traduci: mouenda quam primum castra, & hostem in traiiciendo occupatum inuadendum: prælium diutius sine discrimine differri non posse. Rex suis consultis, non satis, quod statueret, inueniebat. Occurrebat Transyluanus, damnans consilia eorum, qui Regem tantillis cum copiis hosti tam propinquo obiecissent, dictitans: Regi vel Budæ fuisse expectandum, vel alibi, vbi minus periculi, subsistendum, donec regni vires contraherentur, externaque auxilia aduentarent: hortatus Regem, ne bis ad eundem offenderet, nec ante aduentum cum hoste confligeret. Addidit & hoc Transyluanus, venturas secum breui copias, cum numero, tum militum genere præstantissimas, in quibus Rex vel præcipuam victoriæ spem ponere posset. Et hæc Regi obuersabantur, animusq; ancipiti deliberatione hæsitabat. Anxius itaq; procerum animos explorare statuit, vtrum vel Transyluanum expectandum, vel castra in tutiorem locum transferenda censerent. Mittitur ergo eadem illa ferme hora, qua nuncius venerat, in castra Cancellarius, suasurus proceribus, inprimis belli ducibus, vt prælium differri paterentur. Commemorat ordine omnia à Transyluano & aliis

Monachus supremus exercitus dux.

Locus castrorum.

Oratio Cancellarii ad proceres.

& aliis Regi nunciata, ponit ante oculos præsens regni exitium, si Rex cum proceribus ac militiæ flore sese tam manifesto periculo exponeret. Si. n. Rex, quod absit, succumberet, nil obstare posse, quo minus hostis totā Vngariam in suam redigat potestatē, longe satius videri, donec subsidia aduenant, exercitum tutiorē in locum deduci, vel retro hoste vrgēte cedere: minus inde calamitatis exspectandum. Proceres his auditis nil magis moti, ac si nunquā quicquā audiuissent, spe certaminis auidi, & verecūdia dissuadendæ pugnæ, cuius desiderio videbant militū animos accensos, occupati. Rex igitur prima luce in castra ipsos tentaturus venit, quod per Cancellarium paulo ante frustra factum. Conuocatis cōsiliariis, refertur ad consilium militare, quid facto sit opus, cum nemo adhuc eorum, qui ex Transyluania, Slauonia, Croatia, Bohemia, Germaniaq; expectarentur, adesset, quorum pleriq; propediem sperarentur adfuturi: hostis autē in propinquo pugnam non esset dilaturus. Huic consultationi Tomoræus quoq; intererat, proxima nocte ex alteris castris hanc ipsam ob causam accersitus: qui cum & ipse, vt pleriq; alii, prælii conserendi autor esset, Rex miratus, quæ res tantos ei animos adderet, rogat, ecquid suorum, quos sub signis haberet, militum numerum haberet exploratum? deinde quid de hostium multitudine ei compertum esset; respondit ille: in omnibus castris non esse opinione sua supra viginti armatorum millia: in hostis vero circiter trecenta millia. Hic omniū animis obstupefactis subiecit ille, non esse hostes propterea extimescendos, multitudinē illam & inermem magna ex parte, & imbellē. Rex iterū percōtatur, quot nā millia pugnæ apta existimaret: septuaginta millia, inquit, ille. Is quoq; numerus Vngarorū copias longe superare visus est, præsertim cum tormēta etiā bellica grandiora apud hostē constaret esse trecēta & amplius. His diu multumq; disceptatis, & tā Monachi suasu q̄ sponte sua omniū fere animis ad pugnā pronis, exceptis paucis, qui, ne timidi viderentur, non audebant animi sensa pferre, superuenere ex alteris castris, qui in senatū introducti dixerunt, se cōmilitonum suorum nomine tā ad Regem, q̄ ad Senatū ipsius mandata habere. Cū Rege solo primum collocuti, postea ab eo egressi, monent Senatū, ne Regem à pugna dehortētur, habere se hostiū vires satis exploratas, victoriā certā esse, modo fortuna & occasione diuinitus oblata vtantur: cū Rege ergo castra sua cōiungant: si qui secus Regi persuadere annitantur, illis paratū vt hostibus exitiū. Hac tam atroci denunciatione pugna de cōmuni consilio decreta, ad eā quisq; accingere sese iubetur. Causæ vero prælii ineundi etsi multis dehortantibus fuerint tales, quæ sumos etiā imperatores impellere potuissent, incredibilis nempe ac fatalis quasi militū ardor, indubitata in omnium animis victoriæ spes, nō satis tutus ab hoste recessus, cū præsertim hostis ad nullā rem magis aptus esset ob leuē armaturam, q̄ ad psequendum cedētes. Pugna igitur decreta, necessaria ad eā apparantur. Ante omnia Tomoræus in castra sua, in proximo posita, profectus, à suis vix impetrat, vt aliquantulū recederēt, seq; cū exercitu regio sociarent. Interim naues, tormenta bellica, pyrius puluis, aliusq; apparatus appellunt: è proceribus etiam nonnulli cū copiis in castra veniunt, sequutum triduū consumtū est partim in pugnæ præludiis, non infelicibus ex Christianorū parte, partim in cōsultando de acie instruenda, ac tormentis collocandis. In primis diligēter fuit quæsitū, quid Rege faciendū censebāt, quidā eum cū millibus aliquot selectis, procul ab acie collocandū, vt in omnē pugnæ euētū intētus esset: se d-

275

sed hoc cum exercitus neutiquam laturus videretur, agitatum illud, vt Regis personam alius mentitus regiis armis indueretur: sed id quoq; videbatur sine ingenti exercitus incommodo fieri non posse. Tandem igitur huc itum, cum anceps pugna instaret, vt ex Nobilitatis flore legerentur, qui Regis curam haberent, & si quid secius accidisset, extra aleam periculi subducerent. Acies disposita est ex consilio Leonhardi Gnoinii Poloni, & aliorũ, qui consultissimum iudicabant, si curribus, quibus regius exercitus abundabat, acies vndiq; cingeretur, acsi intra munimenta prælium fieret, hoc enim pacto futurum, vt hostis multitudine abundans nõ ita facile vniuersam regiam aciem circumdaret. Ea cura demandata Gnoinio, & quibusdam aliis, sed serius, & eodem vespere, quo postridie cum hoste pugnatum. Locus, vbi acies instructa erat, à Mohaczo vno, à Danubio vero præterlabente dimidio milliari aberat. Erat ibidem lata planicies, neq; siluis, neq; virgultis, neq; aquis impedita: nisi quoad ad læuam intereum locum & Danubium erat locus paluſtris & limosus, arundine caricibusq; plenus, vbi postea plurimi periere, Regiæ aciei collis obiectus erat, in longum protensus, in theatri quodammodo formam, vltra quem Tutca castra habebat: in colle decliui pagus exiguus cum templo: ibi positæ machinæ hostiles, loco quodam depresso, vnde postea Vngaris plus terroris, quam damni intulerunt. Acie sic ordinata, paulo post solis exortum die Augusti vicesima nona admodum sereno cœlo Palatinus Vngariæ Regem per vniuersum exercitum circumducit: ibi eum præsentem, de quo nonnulli dubitarant, omnibus manu ostentans, paratumque dicens, omnia extrema, vel mortem ipsam subire pro patria, pro religione, pro coniugibus ac liberis eorum. Præstarent igitur se quoque viros, Vngaros se meminerint, & eos, qui tum sua ipsi sæpe, tum maiorum virtute tot victorias claras ex eodem illo, cum quo præliaturi essent, hoste retulissent. Nec hostium multitudinem formidandam, cum non in numero, sed in robore militum sita sit victoria: Deum ipsum pro patria pugnaturis adfuturum: in manu ipsorum esse non patriæ solum, sed totius Christianæ Reipublicæ salutem. Hæc & talia Palatinus, tum etiam Rex militi animando locutus: Rex in ordinem suum renersus est. Maior inde diei pars in hoste expectando consumpta est, qui paucis emissis velitandi causa post colles se continebat, incertum, quo consilio, sic diu satis expectantibus tandem apparuit hostium agmen per vallem, quæ ad dextram collibus subiecta erat, tacite incedens, sola hastarum summitate illud prodente. Aduolat statim Tomoræus, & è ducibus, qui ad Regem erant, vnum cum equitum ala mittit exploratum, quid hostis moliretur. At cum nil certi referretur, vtrum eo die hostis in prælium descensurus esset, quidam è primoribus moræ pertæsi, receptui canendum, & in castra redeundum censebant. Quod vbi cucullatus militum dux sensisset, iterum cum collega ad Regem properat, pugnam nullo modo esse differendam monens: satius nunc cum parte copiarum hostilium, quam postero die cum iusto exercitu congredi: nec de victoria ambigendum. Rex signa canere iubet, & simul cum tubarum clangore ac tympanorum strepitu exoritur clamor militum Iesu Nomen inuocantium. Eodem pene momento ingens copiarum hostilium vis è colle sensim descendit: vbi & ipse Turcarũ tyrannus erat. Tum demum Regis capiti galea est imposita, vehementer expallescentis, & quasi euentum præsagientis. Signo pugnæ dato, intrepide cum hoste

Locus aciei.

Palatini Vng. oratio ad exercitum.

hoste congressi sunt hi, qui in prima acie: exonerantur tormenta, sed paruo cum hostiũ damno: conseruntur rursus manus multo alacrius, quã pro numero Vngarorum: multi ex hostibus, sed & ex Vngaris non pauci cadunt, quibus fortissime pugnãtibus hostis sine Vngarorum impressione coactus, siue vt ad tormenta eos pertraheret, cedere cœpit. Aduolat ad Regẽ Bathoreus, hostes terga vertere nuncians, promouendum esse gradum, & hostẽ fugientem persequentes adiuuandos. Rex igitur cum suis properat: verum vbi ad eum locum ventum esset, in quo paulo ante certamen fuerat cõmissum, ibi cõplura hostium cadauera, multa etiam Christianorum sparsa videbantur, quidam etiã semiuiui adhuc & spirantes. Interim Vngaris instantibus, & strenue dimicantibus, agmine regio, etiã, quantum à cataphracto milite fieri poterat, festinante, inclinare dextrum cornu cœpit, & plæriq; ex eo fugã capessere, tormentis, quæ hostis tunc primum exonerare cœperat, exterriti: eodemq; tempore Rex in sua acie non amplius apparuit, siue pugnandi ardore cæteros ordines prægressus, siue intempestiue à suis subductus. Hic vehementer turbatis ordinibus diu tamen etiam postea fuit pugnatum, iam non in latiore illa planicie, sed ante ipsa hostium tormenta: quę quamuis altius librata, nil Christianis aut parum nocerent: tamen non solum terrore, sed etiam fumo omnia replente, ac prospectum eripiẽte, coacta fuit magna exercitus pars in vallẽ, aquis illis paluſtribus iunctam descendere, reliquis adhuc ad ipsa tormenta masculè pugnantibus. Cæterum cum hi quoq;, qui se in vallem receperant, rursus ad pugnam instaurandam restitutis ordinibus erupissent, neq; iam vlterius vis tormentorum & fumi sustineri posse vllo modo videretur: magna exercitus parte in fugam dilapsa, ipsi idẽ facere sunt coacti. Fugam igitur ad vnum omnes arripiunt per ea potissimum loca, quæ paulo ante læti ac vana spe victoriæ inflati, cum hoste conflicturi, calcarant. Certamen durauit sesquihoram, intra quod breue spatium ingens edita strages Nam præter eos, qui vtrinq; in acie ceciderant, non pauci paluſtri illa voragine absorpti sunt. Regis quidem corpus repertum fuit in hiatu quodam terræ prærupto, dimidio supra Mohaczum milliari, ad pagum Czelie, ita vt fuerat armatum, equo superincumbente, quo in loco plures alii perierunt. Tomoræus primo statim conflictu temere in hostes prouolãs, fortiter pugnãdo cecidisse perhibetur, eiusq; caput detruncatum, ac per hostium castra circumlatum, hastæ affixum postea ad tentorium Sultani statutum ferunt. Die pugnã insecuto, mille & quingenti ex Vngaris capti, & inter hos magna præcipuorũ nobilium pars corã exercitu victore capite truncati fuerunt, pauci ex captiuis seruati, vt essent, ex quibus Turca, quæ vellet, sciscitaretur. Inter hos Nicolaus cognomento Hertzkius quæstor regius, Ioannes Macierouius, & Ioannes Pilecius Poloni Regis cubicularii; à quibus postea Regina multa cognouit, quæ breuitas historica commemorare nõ sinit. Perierunt in eo prælio & fuga præter Regẽ ex Antistitibus Ladislaus, Archiep Strigonienſis, Paulus Tomoræus Colocensis, belli dux, Varadinẽsis, Quinquecclesiensis, Iaurinensis, Canadiensis, Bonensis Episc. Ex proceribus Georgius Comes Scepusiensis alter belli dux, Ioannes Draffyius curiæ iudex, Franciscus Orzag, Petrus Corlatheius, Andreas Trepka Polon. Simon Horvvath, Sigismundus Banffius, Ioannes Bathianus, Stephanus Schlickius Bohemus, & nonnulli alii Bohemi ac Motaui. Præter hos & alios è præcipua Nobilitate amplius quingenti desiderati sunt. Cum præter tria

Conflictus Vngarorum cum hostibus.

Rex in sua acie non visus.

Fuga Vngarorum, & Clades.

Regis Ludouici interitus.

quatuorue peditũ millia pauciſſimi tunc euaſerunt. Tormenta itẽ bellica omniſq; apparatus caſtrenſis & naualis in hoſtiũ venit poteſtatẽ. Inde hoſtis populabundus crudelitatis nil prætermiſit, obuia quæq; ferro flamaq; vaſtans & comburens. Illud inter alia inſolens eſt, infantulos viuos, ne vagitu proderentur, à matribus in terram defoſſos, ibidemq; hoſte aduentante & matribus dilapſis miſere ſuffocatos. Hoſtis paucos dies in prælii cõmiſſi loco commoratus, omnibus deinde à præda reuocatis Budã verſus mouit: ad quã ſextis aut ſeptimis caſtris cum peruenisſet, oppidis & villis obuiis omnibus exuſtis, eã omni præſidio deſtitutam cepit & cõbuſſit, arce ſola, ſtabulo regio, & viuario relictis. Inde dimiſſis in omnes citerioris Vngariæ partes prædatoribus omnia Iaurinum vſq; depopulatus eſt: arx tamen Strigonienſis à Præfecto deſerta, per infimæ ſortis hominem, Viſſegradenſis vero per ruſticos ac Monachos fuit conſeruata. Sed & Tata, Comarum, Alba regalis furorẽ hoſtilem euaſerunt, quod hoſtis, incertum, quo conſilio regnum vaſtare tantũ contentus, de arcium & locorum munitiorũ expugnatione non multũ laborauit. Nuſpiam hoſti magis repugnatum fuit, quam ad Strigoniũ in loco, cui Marotho nomen. Omnium vero tam cæſorum, quã captorũ numerus vtrinq; putatur exceſſiſſe ad ducenta ferme hominũ millia. Cĩ præſertim Viennenſibus incuſſo, ponte ſuper Danubium facto, Tyrannus in Vngariam vlteriorem tranſiit, emiſſis inde ad omnes partes inter Danubium & Tibiſcum, qui omnia ſimiliter vaſtarent.

Turcarum Tyranni Budam ingreſſus.

Cæſorum numerus.

Ludouico Rege ſic miſerabiliter extincto, & Solymanno Turc. tyranno ex Vngaria Cõſtãtinopolim propter motus domeſticos ſe abſente ortos regreſſo Ioan. Scepuſius Comes è Tranſyluania Regi opẽ allaturus ſerius aduenit, nõ obſcure Regis interitu, vt fama iactabat, lætatus, q; aſpirare ipſe ad Vngariæ regnum crederetur, opinione claritatis familiæ inter Vngariæ proceres, & propter victoriam de agreſtibus partã, nulla præſertim regia ſobole maſcula extante. Spe itaq; plenus regni potiundi, ſingulos proceres prenſans obteſtatus eſt, ne ſummam rerum ad externum deferrent. Meminiſſent, quantam cladem ante hac perpeſſi ſint externorum Regum culpa. Documento Sigiſmundus Bohemus ad Nicopolim magna clade fuſus, Vladislaus Polonus ad Varnam internecione cæſus, vt reticeantur detrimenta, quæ Vladislai indulgentia, ac Ludouici filii eius adoleſcentia ſint accepta. Superesſe proceres antiquæ ſtirpis, qui regni gubernaculis digniſſimi ſint. Ac de me auſim policeri, me (quod citra cuiuſq; contemtum ſit dictum) animi magnitudine ac regni adminiſtrandi cura nulli ceſſurũ eſſe, ſi veſtris ſuffragiis eo honore dignus iudicabor. Qua oratione Scepuſius multorum procerum ſtudia conſequutus, eoq; facilius, quod Ferdinandus Auſtriacus Ludouici Regis ſororibus eandem dignitatem ambiret, in ſpem erectus à Stephano Bathoreo procerum Vngariæ non poſtremo, paulo ante in Bohemiã profecto. Itaq; cadauere Ludouici Regis in Mohaczziana palude Czetricii armigeri S leſii equitis indicio reperto extractoq;, & Albam Regiam relato, ibique pompa regia ſepulto, concilium comitiale armatæ multitudinis priſco regni more indictum eſt, cuius autoritate Rex crearetur. Eius hic fuit exitus, vt Scepuſius, nemine in publico luctu ſe competitorem profiteri auſo, magno omniũ applauſu Rex fuerit ſaluratus, ſtatimq; à Petro Pereno, in cuius cuſtodia ex rudi auro Vngarici regni corona aſſeruabatur, à Paulo Archiepiſc.

Ioan. Comitis Scepuſii de nouo Regis electione ad proceres oratio.

Corpus Regis Ludouici Albæ Regiæ ſepultũ. Scepuſius Rex ſaluatus.

chiepiſc. Strigonienſi, & Stephano Brodarico Epiſc. Vacienſi rite coronatus eſt. Quæres funeſtis bellis inter Reges Ferdinandũ ac Ioannem occaſionem præbuit. Proximi deinde anni, qui fuit ſupra 1527. principio Tartarorũ viginti ſex millia per paludes & aquas gelu induratas in Lituaniam irruptione facta ad Pinſcum vſq; penetrantes, loca alia bellis intacta paludibus tunc glacie concretis vaſtarunt, & incendiis ac rapinis omnia miſcuerunt. Conſtantinus Oſtrogius dux parato exercitu abeuntes optima cũ præda & captiuis aſſecutus, in ſecuros, & nil hoſtile molientes ſummo mane impetũ fecit, qui cum ſagittis inſtar grandinis emiſſis ſeſe aliquandiu defendiſſent, equitum Lituanorum ac Volyniorũ virtute profligati ſunt, cædes magna edita, quod equis ſuis, in pratis haud longe inde pabulantibus, deſtituerentur, pauci fuga elapſi, captiq; ſeptingenti, & captiuorum Chriſtianorũ, qui in Tauricam abducebantur, quadraginta millia liberata. Hac inſigni victoria omnes lætitia affecti ſunt incredibili, & Oſtrogius ob fortitudinem, ſolertiam, ac celeritatem militarem ſummis laudum encomiis fuit celebratus. Cui Cracouiam ingredienti ſigna militaria hoſti erepta, captiuis Tartatorum præeuntibus prælata ſunt. Eum Rex ob rem ſtrenue geſtam amplis cumulauit muneribus. Fuit initium huius anni duplici de nomine tam Lituanis, quam Polonis felix & lætum. Nam præterquam quod Tartari magna clade profligati ſunt, Moſci legati quadringentorum equitum comitatu ad Regem ſexennes inducias petitum venerunt, quibus obtentis in Moſcouiã redierunt. Necita multo poſt Rex publica regni munia ac dignitates vacãtes diſtribuit. Andreas Critius Epiſc. Premislienſis Raphaele Leſzczinio defuncto Plocenſem Epiſc. adeptus eſt, cui in Premislienſi Ioannes Karnkouius ſublectus. Chriſtophorus Szidlouiecius Caſtellani Cracouienſis, Ioannes vero Tarnouius Palatini Ruſſiæ dignitate cohoneſtati ſunt. Ea æſtate Leopolis in Ruſſia igne abſumta eſt, eoq; ipſo tẽpore Franciſcus Galliæ Rex Sigiſmundum Regẽ per oratores rogauit, vt Ioanni Vngariæ Regi contra Ferdinandum Bohemiæ Regẽ nuper creatum opem ferret, queſtus de fratre ipſius Cæſare, quod cũ contra Turcas laudatiſſimo maiorũ ſuorũ exẽplo belligerari deberet, bellis inteſtinis totũ orbẽ Chriſtianũ inuolueret, & trecenta aureorũ millia pro filiis obſidibus accipere recuſaret. Reſpõſum ei legationi à Rege, ſibi dolori magno Principũ Chriſtianorũ inteſtina odia & diſſidia eſſe, quibus Europa in ſua ipſius viſcera armaretur, ideoque bella Chriſtianorũ ſemper ſibi fuiſſe abominationi. Vngaricis motibus vt ſe implicet atq; immiſceat, integrũ ſibi nõ eſſe, neutrarũ partiũ fore policitus, daturũ tamen operam per legatos, vt inter diſſidentes Reges pacẽ componat. Hortari & obteſtari viciſſim Galliæ Regem, vt cum Cæſare pacificatus iunctis viribus Turcarũ Tyranno terra mariq; bellũ intentaret. Sub idẽ fere tẽpus, dum Ioannes nouus Vngarorũ Rex rebus regni ordinandis ac firmãdis ſtudet, Ferdinandum Auſtriæ Archiducem Bohemorũ Regẽ creatũ inaudiuit. Oſtẽdebat is ius quoddã vetus ex veteribus de ſucceſſione pactis inter Frider. III. Imp. & Matthia Vngar. Regẽ, deinde inter Maxim. I. Imp. ac Vladiſlaũ Vngar. Regẽ initis, cuius iuris vindicãdi, Vngariciq; regni conſequendi tẽpus aduenisſe cõmodiſſimũ arbitrabatur, idq; eo facilius, q; Bohemicis viribus inſtructus, à Carolo Cęſare fratre auxilia nõ contẽnenda ſperaret, ne Germanis quidẽ Principibus ei hac in parte defuturus. Quã ad rem eo magis fuit accẽſus, q; Vngar. quidã pceres Ioanni regnũ inuidẽtes, tanq; co-

Ann. Chr. 1527. Tartari Lituaniam populantur. A Conſtantino Oſtrogio duce profligati.

Moſci legatio ſplendida ad Regẽ Sigiſm. de induciis.

Leopolis cõflagrauit. Regis Galliæ legatio ad Regem Pol. Reſponſum ad legationem.

Ferdinandus Boem. Rex creatus.

mit is minus rite celebratis, aliis proceribus præreptum, ei fauerent. Itaque Ferdinandus eorum instinctu, repetendi iuris sui cupidus, Bohemorum ac Germanorum auxiliis instructus Budam recta contendit. Ioannes aduentu Ferdinandi consternatus, quod copiis ad occurrendum destituere-tur, neq; etiã genti satis fideret, cum cohortibus suis Pestum traiecit, indeq; continuatis itineribus Tibiscо superato ad Toccaium castra metatus est. Posthæc ad Sigismundum Regem comitia regni Petricouiæ agentem legatum misit, Archiepisc. Colocensem Franciscanæ familiæ monachum, perq; eum auxilia contra Ferdinandum Bohemorum Regem obnixe petiit, illius ambitione accusata, & Vngariæ periculis exaggeratis, cuius ruina etiã Poloniæ vicinæ esset futura exitio. Quod si Poloni auxilia sibi submittere recusarent, Turcæ opẽ implorandam, eumq; dignitatis suæ defensorem asciscendum. Legato responsum à Rege, res suas non pati, vt Christianorũ bellis se ingerat, qui perpetuum & internecinum cum Tartaris bellum gerat. Neutrarũ se fore partium, & allaboraturum omni studio, legatis ad Ferdinandũ Regem missis, vt pax inter eos ex bono & æquo concilietur. Ferdinandus Buda sine vlla sanguinis effusione potitus, ducũ suorum consilio hostẽ perterritum insecutus est, summaq; celeritate vsus Tibisco transito Toccaium structa acie cũ Ioanne conflicturus peruenit, qui infelici ducum suorũ consilio prælium cum Ferdinando init, ac post acrem vtrinq; pugnam victus in Poloniã profugit. Victor exercitus in Transyluaniam penetrans, totã proui-nciam in ditionem suam nullo negocio redegit, statimque Ferdinandus Vngaris ferme omnibus ad eum transeuntibus, Rex Vngariæ salutatus, veteriq; aurea corona à Pereno, qui à Ioanne iã defecerat, ei delata, cum coniuge sua Albæ regiæ inauguratus est. Quo facto præsidibus constitutis, qui Vngariæ regnum ipso abiente administrarent, in Bohemiam redit.

Budam cõtendit.

Legatus Ioannis Regis ad Regem Pol. de auxilis.

Ioannes victus in Poloniam fugit.

Ferdinandus Rex Vng. salutatus inauguratur.

Ioannes aduerso fortunæ casu iactatus in Poloniam secessit, vbi inter reliquos proceres etiam Hieronymo Lasco Palatino Siradiensi, viro præter stemmatis nobilitatem sapientia ac doctrina, multipliciq; rerũ vsu illustri innotuit. Cui nil antiquius fuit, quam Regem exulem humanissime accipere, eiq; opes omnes suas, ac singularẽ industriam ad recuperandum regnũ offerre. Inter quos tandẽ de hoc conuenit, auxilium eo rerum statu vnius Solymanni Turcarum Imper. implorandum esse, qui supplicis preces minime aspernaturus esset, si se clienrẽ eius, beneficioq; ipsius regnaturum proficeretur. Videbar.n. Lascus, Solymannum elati animi Principem illustrandi eã nominis sui occasionẽ neutiquam neglecturum. Quod consilium vt Ioannis exuli maximo futurũ vsui videbatur, ita Vngariæ totiq; Reipublicæ Christianæ summe exitiosum fuit. Nec multo post Lascus, legatione susceptа, Constantinopolim petit, quo vbi peruenit, aditu sibi largitionibus ad purpuratos, quos illic Bassas vocant, & præcipue ad Lufftibeium & Ebraimum (qui Bassarum Princeps regiiq; sigilli custos erat) & per hos ad ipsum Solymannũ patefacto, ab eodem virum Christianum ad colloquiũ minime admittere solito, ad eosdem Bassas remissus fuit. Summa petitionis fuit, vt Ioannes à Ferdinando quorundam Vngariæ procerum perfidia regno exutus in regnum reduceretur, beneficiarius & cliens Solymanni perpetuo futurus, Ioannẽ in publico Vngarorum omnium conuentu legitime Regẽ appellatum, & ex antiqua regni consuetudine coronatum fuisse: nunquam, si in tutelam reciperetur, tanti beneficii memoriam ex animo depositurum, Solymannumque quoad viueret, constanti fide cultuque prosecuturum, eique tributa clientelę nomine quotannis persoluturum esse. Quod ei non solum summe futurum sit glorioſum, sed etiam maxime vtile, vt qui beneficiarium Regem habere vicinum potius cupere debeat, quam Ferdinandum Bohemorum Regem, qui Caroli Cæsaris fratris & Germanorum potentia opibusque fretus bellum ei illaturus potius, quam sua defensurus existimari possit. Ad ea non difficilem se præbuit Solymannus, glorię potentięque auidus, qui Ioannis preces admissurum se ea lege respondit, si, quæ ab eo postulaturus esset, præstaret, fidemque datam tueretur. Ferdinandus interim Vngariæ regnum sibi contra Turcæ vim stabiliendum existimans, Solymanni amicitiam petere decreuit, ratus, ad eam facile eum perttrahi posse, si ei ius, quo legitimus eius regni hęres sit, probasset suum. Ad quod legationis munus delegit Ioannem Oberdanscum Vngarum, quem splendido exornatum comitatu, muneribusque Bassis exhibendis instructum Constantinopolim ablegit. Oberdanscus Constantinopolim vbi peruenisset, licet à Solymanno comiter acceptus, patienterque in consessu purpuratorum auditus fuisset, duro tamen & superbo cum responso fuit dimissus. Respondit enim Solymannus, Ferdinandum induciis magisque amicitia sua indignum videri, qui alieni iuris regnum inuasisset, cum eius iura antiqua, quæ obtenderet, sua de Ioanne victoria reportata plane obliterasset, tantisque etiam iniuriis se ab illo affectum esse, vt eum in gratiam recipere nonnisi violatis maiorum suorum institutis queat. Ideoque sibi propositum esse contumeliam acceptam armis vindicare, Vngariamque tanta armatorum multitudine iterum ingressurum, vt Ferdinandus in ipsa quoque Germania non sit tutus futurus. Quo responso legatum præpropere Constantinopoli abire iussit. Oberdanscus Viennam reuersus, omnia, quæ de Solymanni aduentu regiis præsidibus referebat, confícta ab ipso credebantur, nemine Germanorum ei assensum præbente. Quare vt eam calumniam effugeret, ad Ferdinandum Regem, qui Spiræ tunc comitiis aderat, profectus, legationis responsum à Turca retulit inexpectatum. Quo nuncio non mediocriter Ferdinandus perculsus fuit, vt qui probe sciret, Turcam, quę esset minatus, dubio procul executurum, metusque eo maior erat causa, quod Cęsare fratre bellis Italicis implicito auxilia à Germanis petere non auderet, thesauri quin etiam & Cæsaris & sui continuis bellis exhausti essent.

Lasci consilium de patrocinio Turcico implorando Vngariæ & totis Reip. Christianæ exitiosum.

Lascus à Ioanne Rege ad Turcam legatus.

Summa legationis.

Legatio Ferdinandi Regis ad Turcam.

Responsum Solymanni inexpectatum.

In Podolia ea æstate Iaslouiecius & Iscricius regiarum copiarum duces ad Cameneciam mille equites Tartaros cæciderunt, & Cracouia eodem tempore à porta noua ad ædem Diui Stephani incendio vastata est, flamma extra mœnia vehementia venti delata, Clepardiam exussit. Eo incendio centum circiter regia tormenta, quæ inter muros adseruabantur, liquefacta sunt, sed postea Germanorum opificum opera refusa atque instaurata. Sub excessum Octobris Prædislaus Lanczkoronius Chmielnicensis, Ostiphius Circassiensis Præfecti, nec non reliqui agminum ductores, mille ac ducentis equitibus Polonis & Russis coactis ad Ozacouiam arcem Borysthenis ostio adsitam excurrerunt. Polonici iuris olim ea arx fuerat, sed tunc Tauricanorum Tartarorum præsidio tenebatur. Poloni itaque Tartaris cęsis & victis, triginta pecudum millia, & quingentos equites de abegerunt.

Tartari in Podolia cæsi.

Cracouiæ incendium ingens.

Tartari iterum à Polonis cæsi ad Ozacouiam.

Ann. Chri. 1529. Comitia Petricouiæ.

Primis ineuntis anni diebus Petricouię conuentus à Rege indictus est, vbi primum Masouię proceres in consilio de regni commodis cum reliquo senatu sententias dixerunt. Post longas cum nunciis Prouincialibus disceptationes à Senatu tandem decretum, vt ad finium Lithuaniæ ac Podoliæ defensionem contra Turcas, Tartaros, ac Moldauos infensissimos regni hostes, pecunia agrestibus & oppidanis imperaretur, ad eandemque & Massouiæ incolę, qui in regni corpus postliminio cooptati fuissent, eorumdemque cum Polonis iurium ac priuilegiorum essent participes, adstringerẽtur: qua pecunia milites Podoliam & Russiam ab incursionibus hostilibus tutarentur. Quibus insuper constitutum, vt Russica ac Podolica Nobilitas equis armisque semper instructa, ad Tartarorum eruptiones reprimendas, opem ferret. Soluto conuentu Petricouiensi, Rex in Lithuaniam profectus est sub Aprilis decursum, Regina, Sigismundo Augusto filio, & Isabella liberis comitatibus. Aliquot dieb. post Haliczio regni Marschalco rebus humanis exempto Petrus Kmitha Scepusiensis & Præmisliensis Præfectus surrogatus est. Rex Vilnam vbi venit, febri ardente correptus fuit, adeo vt de vita periclitaretur: breui tamen opera medicorum conualuit. Ea æstate mille equites Poloni finium Podoliæ defensioni præpositi, præclare aliquid agendi desiderio incitati, Pontum Euxinum versus ad Oczacouiam arcem, quam Tauricani Tartari possidebant, expugnandam, expeditionem susceperunt, ne Tartaris circa Borysthenem aliquis superesset tutus receptus. Infeliciter tunc euenit, vt Aslan Sultanus Tartarus in campis Circassiis Tauricanorũ Principis patruelis sui insidias declinans Regis Sigismundi permissu castra metari solitus, triduo ante Polonorum ad Oczacouiam aduentum, pace cum hoste patruele transegerit, Oczacouia ei tradita. Poloni Aslan Sultanũ Regi fœdere iunctum offendere nolentes, pacis inter patrueles Tartaros factæ interim ignari, trecentos Aslan Sultani Tartaros, quos Tauricanos esse arbitrabantur, in campo deprehensos trucidarunt, totidemque aut pluribus alibi cæsis. His Poloni successibus elati, ad Oczacouiam cursu directo, primum tria circiter equorum millia, qui in campo & pascuis libere versabantur, Tartaris abduxerunt. Aslan Sultanus iis auditis, ad Iaslouiecium copiarum Polonicarum ducem misit caduceatorem, indicatum, Aslan Sultanum Sigismundo Regi amicum & socium mirari, cum Poloniæ prouincias ab incursionibus aliorum Tartarorum summa fide sit tutatus, ab eius equitibus aliquot centenos ex suis interfectos, equosque, quos ad regium ministerium aleret, interceptos. Orare, equos restituendos curet, ne culpa eius, qui acerrimus regni Polonię militum defensor contra Tartaros hostes fuerit, infestissimus Polonis esse, & iniũriam suam armis vlcisci cogatur: monere, vt priuato secum colloquio de iniuriis ac damnis illatis ex bono & æquo sibi satisfaciat. Iaslouiecius eo perterrefactus nuncio, quod Aslan Sultanum Regi fœdere iunctum læsisset, metuens Regis indignationem, si ad eum delatus esset, Sultano respondit Aslan Sultanum amicum & confœderatum Regis sui iniuria damnisque à Polonis affectum esse, summopere dolere, Errore factum, putantibus, Sultanum procul inde abesse, quosque in campis reperirent Tartaros, non ipsius, sed Tauricani Principis fuisse milites Regis sui hostes: petere, quicquid ignorantia admissum esset, sibi ignosci. Equos, qui abducti essent, paratum se restituere, permittereque Tartaris, vt equos suos ipsimet repetant. Aslan eo responso lætus protinus equos abducendos curauit, Iaslouiecio spe ineundæ amicitię atque so-

Polonorum excursio ad Oczacouiam.

cietatis ad se Oczacouiam inuitato, cum à Tartaris, quib. equos vltro restituerit, nil hostile ei metuendum esset. Iaslouiecius nil fraudis suspicatus, licet plerique ex sociis blandæ Sultani orationi non temere fidem habẽdam suaderent, ad Aslan Sultanum Oczacouiam se contulit. Ad quem cum venisset, Tartari conscensis subito equis, Polonos nil hostile suspicantes impetu facto circumuentos sagittis impetierunt. Constiterunt aliquandiu Poloni immoti, scutis duntaxat sagittarum multitudinem excipientes. Confestim Aslan Sultanus vim fieri Polonis videns, Scythica succinctus phanetra aduolat, præliũ dirempturus, & per confertos Tartaros irruens, magno clamore eos à certamine auocare conatur, serio ne, an simulate incertum. Verũ Sultanus cum suos non posset abstrahere, aut certe videretur, secessit, Tartarique Polonos certatim adorti sagittis confecerunt. Poloni, quid agendum absente duce, *ancipites in fugam* per vastos campos se effuderũt, Russis, qui Polonis coniuncti erant, primum fugientib. Quo viso Tartari Polonos insecuti complures trucidarunt, multos ceperunt, qui posteaſoluto redemptionis precio in Poloniam reuersi sunt. Stanislaus Pileczius, vbi omnes in fugam ruere vidit, desperatis rebus equi pernicitate hostium manus euasit. At Hieronymus Latalscius viriliter cum Tartaris aliquandiu præliatus, turpe fugere censens, à Tartaris captus est. Vbi aliquandiu seruire coactus à Ioanne fratre Episc. Posnanensi numerato lytro liberatus est. Aslan Sultanus, vt facto ipso probaret, eam se inuito stragem passos Polonos, Iaslouiecio, qui ad eũ sub fide publica venerat, dimisit. Calamitatis illius culpa Iaslouiecio adscripta fuit, q̃ nimis facile Tartaro credẽs, redditis equis, eius fidei se permisisset. Qui si mãsisset. Poloni procul dubio licet numero inferiores, equis tamẽ, armis, & virtute lõge superiores, omnem hostilem à se iniuriã propulsassent. Clades hac accepta die Augusti 3. quo tempore ad Bũgum fluuium & Socalum aliquot annis ante cum Tartaris infeliciter fuit pugnatum.

Poloni à Tartaris circumuenti & cæsi.

Cladis cul. pa Iaslouiecio adscripta.

Hoc ipso anno Turcarum Tyrãnus Solyman. ingentib. copiis maximoq; apparatu Budã contẽdit. Quo cũ venisset, Ioan. Vngariæ Rex ipsius beneficiarius inligni procerũ comitatu stipatus, Lasco etiã comite, ad Tyrannũ honoris agendarũq; gratiarũ causa, qui eum cl'ẽtela dignatus fuisset, obuiã processit, dextræq; osculo cũ patronũ ac vindicẽ libertatis suæ agnoscere est testatus. Solyman. nõnihil è puluino adsurgẽs, graui sed amico vultu dextrã ei porrexit, fidei amicitiæq; pignus, testatus, nil sibi optatius à Deo cõtigere, q̃ si miseris indigna ab hostib. perpessis succurrere possit. Itaq; bono animo sit, oĩa n. se, quæ eo bello hosti erepturus esset, ei cõcessurũ. Budẽses aduentãtis Turcæ fama perculsi, ferme oẽs in finitimas vrbes Strigoniũ, Albã regiam, & Posoniũ ꝓfugerũt. Itaq; Buda deserta potitus, arcẽ cũ Germanico præsidio oppugnat, Turcæ actis cuniculis fundamẽta subruere moliti, vt suppositis ignib. arcẽ excinderẽt. Præsidiarii viã elabẽdi nullã videtes aliã, de deditione cũ Turcis agitãt. Prẽerat arci Thom. Nadastus Vng. is milites cũ hostib. trãsigere ꝓhibet, perfide ignauiæ eos accusãs, supplicĩũq; ni extrema quæq; adeãt, cõminatus. Verũ vbi ex dilabẽtiũ Turcarũ specie corruiturã turrim prẽuiderẽt, metu cõsternati Nadastũ aduersantẽ in vincula cõpingũt, cũq; hostib. de abitu paciscũtur. Itaque 70. circiter ex pacto cũ sarcinis Posoniũ abituri exeũt. Tyran. de eorũ perfidia & Nadasti fide ac cõstãtia edoctus, trucidari oẽs iubet: Nadastũ vero stipẽdio ad se inuitatũ, cũ abnueret, clemẽter dimittit. Inde Viẽnã mouet Budę relictis Io. Rege & Lud. Gritto cũ 5. peditũ ac 3. equitum

Buda potitur.

Inde Viennam petit, eamque obsidet.

Expeditio Turcæ in Vngariam.

Qui

militaris, ac tanto oneri impar: sed manu animoq; promtus, qui cum non semel Turcas ab exercitu digressos longius concidisset, vel moratores excepisset, existimationem tantam consequutus est, vt cum de summo belli duce consultaretur, vnus, isq; cucullatus tot viris bellatoribus sit prælatus. Ei adiunctus fuit collega Georgius Comes Scepusiensis Palatini Transyluaniæ frater, qui id munus diu pertinaciter deprecatus est: sed tandem ea lege consensit, vt simulac frater aduenisset, liberum ei esset statim eo munere se abdicare: His peractis exercitus recensetur, qui vltra viginti quinq; millia non excessit. Inde ad locum castris non procul oppido Mohaczio capiendum proficiscuntur. Loco igitur castrorum idoneo capto, cucullatus ille Imperator ad eos, quos vltra confluentes in castris habebat milites, abit, illos, si fieri posset, castris regiis adiuncturus. Erant vero ad sex equitum millia, quorum pars bona iam ab initio Monachum secuti, aliquoties secundo euentu cum hostibus ante velitati fuerant: cæteros vero Franciscus Perenius, & alii adduxerant. Quo vbi Tomoræus peruenit, militum concione aduocata, de Regis & sua procerumq; sententia reducere se eos velle in castra regia significat. Tum vero fremere omnes, sese ab hoste, cui iam dudum obuiam iri oportebat, abduci: fugam hac ratione iniri, non pugnam: talia suadentes, ocio esse inertiæq; adsuetos: veniat modo Rex, & secum in hostem arma ferat: victoriam in manibus esse: illud etiam compertum sibi, omnem illam strenuam olim Turcarum manum primum in Belgradi, deinde in Rhodi expugnatione cecidisse: duces modo strenue munus suum exequerentur, propere omnia cassura: auellant Regem, & egregium quenq; militem ab illa socordi sacerdotum, aliorumq; pugnam detrectantium turba, qui Regem etiam ipsum animo & corpore præstantē ignauis artibus emollire conentur. Hæc dum fiunt, iam ad Mohaczum omnes loca sibi designata sub tentoriis occuparant. Rex vero in noua villa quadam Macedonierū inter Batham ac Mohaczum cum paucis se continebat, non sine periculo, si hostis, qui non procul inde aberat, paucitatem regii exercitus cognitam habuisset. Sed eius factum in aliud tempus, vbi glorioſius pro patria occumberet, Deus reseruauit. Adferunt interim proceres ad Regem nocte intempesta trepidum nuncium, Turcici exercitus magnam partem iam Drauum transiisse, reliquam traduci: mouenda quam primum castra, & hostem in traiiciendo occupatum inuadendum: prælium diutius sine discrimine differri non posse. Rex suis consultis, non satis, quod statueret, inueniebat. Occurrebat Transyluanus, damnans consilia eorum, qui Regem tantillis cum copiis hosti tam propinquo obiecissent, dictitans: Regi vel Budæ fuisse expectandum, vel alibi, vbi minus periculi, subsistendum, donec regni vires contraherentur, externaque auxilia aduentarent: hortatus Regem, ne bis ad eundem offenderet, nec ante aduentum cum hoste confligeret. Addidit & hoc Transyluanus, venturas secum breui copias, cum numero, tum militum genere præstantissimas, in quibus Rex vel præcipuam victoriæ spem ponere posset. Et hæc Regi obuersabantur, animusq; ancipiti deliberatione hæsitabat. Anxius itaq; procerum animos explorare statuit, vtrum vel Transyluanum expectandum, vel castra in tutiorem locum transferenda censerent. Mittitur ergo eadem illa ferme hora, qua nuncius venerat, in castra Cancellarius, suasurus proceribus, inprimis belli ducibus, vt prælium differri paterentur. Commemorat ordine omnia à Transyluano & aliis

Monachus supremus exercitus dux.

Locus castrorum.

Oratio Cancellarii ad proceres.

& aliis Regi nunciata, ponit ante oculos præsens regni exitium, si Rex cum tot proceribus ac militiæ flore sese tam manifesto periculo exponeret. Si. n. Rex, quod absit, succumberet, nil obstare posse, quo minus hostis totā Vngariam in suam redigat potestatē, longe latius videri, donec subsidia aduenient, exercitum tutiorē in locum deduci, vel retro hoste vrgēte cedere: minus inde calamitatis exspectandum. Proceres his auditis nil magis moti, ac si nunquā quicquā audiuissent, spe certaminis auidi, & verecūdia dissuadendæ pugnæ, cuius desiderio videbant militū animos accensos, occupati. Rex igitur prima luce in castra ipsos tentaturus venit, quod per Cancellarium paulo ante frustra factum. Conuocatis cōsiliariis, refertur ad consilium militare, quid facto sit opus, cum nemo adhuc eorum, qui ex Transyluania, Slauonia, Croatia, Bohemia, Germaniaq; expectarentur, adesset, quorum pleriq; propediem sperarentur aduturi: hostis autē in propinquo pugnam non esset dilaturus. Huic consultationi Tomoræus quoq; intererat, proxima nocte ex alteris castris hanc ipsam ob causam accersitus: qui cum & ipse, vt pleriq; alii, prælii conserendi autor esset, Rex miratus, quæ res tantos ei animos adderet, rogat, ecquid suorum, quos sub signis haberet, militum numerum haberet exploratum? deinde quid de hostium multitudine ei compertum esset; respondit ille: in omnibus castris non esse opinione sua supra viginti armatorum millia: in hostis vero circiter trecenta millia. Hic omniū animis obstupefactis subiecit ille, non esse hostes propterea extimescendos, multitudinē illam & inermem magna ex parte, & imbellē. Rex iterū percōtatur, quot nā millia pugnæ apta existimaret: septuaginta millia, inquit, ille. Is quoq; numerus Vngarorū copias longe superare visus est, præsertim cum tormēta etiā bellica grandiora apud hostē constaret esse trecēta & amplius. His diu multumq; disceptatis, & tā Monachi suasu q̄ sponte sua omniū fere animis ad pugnā pronis, exceptis paucis, qui, ne timidi viderentur, non audebant animi sensa pferre, superuenere ex alteris castris, qui in senatū introducti dixerunt, se cōmilitonum suorum nomine tā ad Regem, q̄ ad Senatū ipsius mandata habere. Cū Rege solo primum collocuti, postea ab eo egressi, monent Senatū, ne Regem à pugna dehortētur, habere se hostiū vires satis exploratas, victoriā certā esse, modo fortuna & occasione diuinitus oblata vtantur: cū Rege ergo castra sua cōiungant: si qui secus Regi persuadere annitantur, illis paratū vt hostibus exitiū. Hac tam atroci denunciatione pugna de cōmuni consilio decreta, ad eā quisq; accingere sese iubetur. Causæ vero prælii ineundi etsi multis dehortantibus fuerint tales, quæ sumos etiā imperatores impellere potuissent, incredibilis nempe ac fatalis quasi militū ardor, indubitata in omniū animis victoriæ spes, nō satis tutus ab hoste recessus, cū præsertim hostis ad nullā rem magis aptus esset ob leuē armaturam, q̄ ad pſequendum cedētes. Pugna igitur decreta, necessaria ad eā apparantur. Ante omnia Tomoræus in castra sua, in proximo posita, profectus, à suis vix impetrat, vt aliquantulū recederēt, seq; cū exercitu regio sociarent. Interim naues, tormenta bellica, pyrius puluis, aliusq; apparatus appellunt: è proceribus etiam nonnulli cū copiis in castra veniunt, sequutum triduū consumtū est partim in pugnæ præludiis, non infelicibus ex Christianorū parte, partim in cōsultando de acie instruenda, ac tormentis collocandis. In primis diligēter fuit quęsitū, quid Rege faciendū censebāt, quidā eum cū millibus aliquot selectis, pcul ab acie collocandū, vt in omnē pugnę euētū intētus esset: sed d-

275

ne difficultate, quod nullius frugi futurum, & Rempublicam turbaturum nonnulli dicebant. Hic etiam defensionis causa contra barbaros ad militem conscribendum pecunia agrorum colonis & oppidanis imperata est. Post initium vero anni, qui proxime secutus est, Rex è comitiis Petricouiensibus Cracouiam rediit. Quo etiam regni proceres confluxerunt ad Sigismundi Augusti inaugurationem, quæ mense Februario peracta est à Ioanne Lasco Archiepiscopo Gnesnensi. Eam celebritatem cohonestauit Dux Prussiæ cum fratre Vilhelmo Marchione Brandeburgensi: Archiepiscopus Gnesnensis nouem cum Episcopis. Palatini item & Castellani complures. Aderant & Nobilitatis internuncii atque ciuitatum. In hoc conuentu Rex cum Regina regni Ordinibus cauit, non teneri eos obedientiam Regi iuueni præstare, donec adultior factus priuilegia iuraque eorum iuramento confirmet. Hic etiam Dux Prussiæ proposuit de loco in Senatu regni sibi concedendo & de voto suffragioque in Regis electione ferendo, quod sibi competere persuasum habebat, ac de nouo Prussiæ Magistro nuper à Cæsare in comitiis Augustanis creato, ne quid detrimenti Respublica Polona propter Prussiæ mutationem accipiat. Prius ad proxime futura comitia reiectum etiam, in quibus totius regni iura corrigenda. De nouo autem Prussiæ Magistro mandatum est Ioanni Dantisco Sigismundi Regis Oratori in aula Augusta, vt inibi negotii satageret, ne ob id Polonia Prussiaque periclitetur. Sub id tempus Ioannes Catianerus Ferdinandi Regis copiarum dux tredecim Polonicæ ditionis in Scepusio oppidis iniuriose tractatis Nedeciam arcem oppugnauit, vicinia tota direpta. Quam iniuriã etsi proceres nonnulli, vt Rex armis vindicaret, suasores erant, maluit tamen ad Ferdinandum Regem literis de Catianeri violentia, ditionibus suis illata, conqueri, postulauitque, audaciam hominis tempestiue coerceret, ne ex parua scintilla magnum, vt sæpe fit, oriatur incendium. Interim Rex de transactione inter Ferdinandum & Ioannem Reges per legatos allaborauit. Cum Ioanne quidem per Sebastianum Opalinium regni Secretarium. Cum Cæsare & Ferdinando Rege per Dantiscum. Firmioris vero pacis tractandæ arctioriscue necessitudinis cum iisdem contrahendæ gratia Ioannes Latalscius Posnaniensis, & Andreas Critius Plocensis Episcopi, Petrus Kmitha Cracouiensis, Ioannes Tarnouius Russiæ Palatini, Lucas Gorcanus Castellanus Posnanensis, & Ioannes Choinius Cracouiensis Archidiaconus Posnaniam ad conuentum ablegati sunt. Cui aderant à Cæsare & Ferdinando Legati, Iacobus Episcopus Vratislauiensis, Sigismundus Herbersteinius Baro Austiacus. A Rege Ioanne Franciscus Archiepiscopus Coloczensis, Stephanus Verbecius Cancellarius, Hieronymus Lascus Palatinus Siradiensis, & alii, qui negocium hoc pertractantes ad D. Martini, perq; aliquot hebdomadas frustra laborantes inducias saltem annuas inter Reges pacti sunt, & filiam Ferdinandi Regis Elisabetham impubem adhuc Sigismundo Augusto impubi etiam desponsarunt. Circa idem tempus comitia Imperii Augustæ Vindelicorum celebrata sunt, vbi Alberto Prussiæ Duci nouus Oodinis Magister Valterus Cronebergius litem mouit, quod Prussiæ Magisterium feudumq; in Ducatum hæreditarium Ordinis fociis in Germania inconsultis conuertisset, eoque nomine eum ad Cæsarem ac tribunal Imperii citauit. Quum vero non compareret, à iudicio Imperiali solẽni ritu sub dio promulgata sententia proscriptus

An Ch. 1530. Sig. Augustus Cracouiæ inauguratur.

Ducis Prussiæ postulatio.

Catianerus Ferd. Regis exercitus dux arcem Nedeciã in Scepusio oppugnat.

Rex Pol. de trãsactione inter Ferd. & Ioannem Reges allaborat.

Inducia annuæ inter Reges Vngariæ.

Comitia Imp. Augustæ Vindelicorum.

Duci Prussiæ mouet litem nouus Ordinis Magister

scriptus est. Qui causam ad Regem per Oratorem defert, patrocinium opemque eius implorans. Ei à Rege responsum, missurum se ad Cæsarem legatum, quo efficiat, ne in posterum Dux ad iudicium extraneum euocetur, nec de cætero molestia ipsi exhibeatur, Cæterũ ad citationẽ de Regis cõsilio respondendum visum est per oratorem Ducis eo mittendum, non agnoscere se, rebus sic immutatis, præterquã Regis Poloniæ præcipui sui magistratus, iurisdictionem aliam, & vt inhibitionem regiam ibidem repræsentet.

Dux Prussiæ à Iudicib. cameralib. proscriptus. A Rege Pol. opem implorat.

Vere subsecuti anni adulto decessit Ioannes Lascus Archiepiscopus Gnesnensis, vir consilii magni, eloquentiæ singularis, qui cum primum Præpositus Scarbimirien sis, ac in Cancellariæ munere probe exercitatus fuisset, ad summam Cancellarii dignitatem ascendit, tandem Archiepiscopam Gnesnensem fructũ virtutis & laboris sui vberrimum consecutus. Concilio Lateranensi Romæ interfuit, ac legationis perpetuæ honorẽ à Pontifice Leone decimo suis in archiepiscopa Gnesnensi successoribus obtinuit. Et Matthias Dreuitius Episcopus Vladislauiensis suffectus. Vladislauiensem vero Episcopam Ioannes Karnkouius Premislien sis, Premislien sem Ioannes Choinius Regis Secretarius adeptus est. Quas electiones arbitrio Regis factas Clemens septimus Pontifex approbauit. Atque eodem tempore literæ, seu (vt alias vocant) Breue Regi allatum est, quo eum, vt ad generale Concilium propediem celebrandum suos destinaret legatos, ad religionis controuersias, quibus Germania plena erat, conciliandas, hortabatur. Haud multo post calendis Augusti Cometes apparuit, quo tempore mille ducẽti equites Poloni Nestro fl. superato Moldauos, qui in Pocucia ditionis Polonicę prouincia præsidiarii erant, adorti, vno altero q; prælio commisso, hostibus victis fugatisq; Pocuciam post liminio regno Poloniæ adiunxerunt. Eam victoriam cõsecutus Ioannes Tarnouius exercitus dux haud procul à Guosdecia arce cum sex Moldauorum millibus ita conflixit, vt magna strage patrata Guosdeciam exturbatis Moldauis recuperarit, ac Polonorum præsidio imposito munierit. Inde paucos post dies retro abeunti Tarnouio nunciatum est, Petrum Moldauiæ Palatinũ cum ingenti duũm & viginti milliũ exercitu multisq; tormentis celeriter aduentare, iamq; Polonię fines ingressum haud longe castra metari. Tarnouius vero quatuor solũ habebat millia equitũ ac peditum, quę copię cũ hostili exercitu cõparatę admodum exiguæ erant, plurimorũq; iudiciũ erat, hoste non expectato tormentisq; relictis ilico Haliciã versus abeundũ, hostẽq; frementem eo modo ludificãdum. At Tarnouius imperterriti animi vir, absit vero, inquit, vt tormenta regia fidei meæ concredita vnquam deseram, hic hic gradum sistere oportet, & cum Moldauo omnes etiam suas vires adducẽte prælium omittendum, & aut vincendum, aut masculo occũbendũ. Eo Tarnouii responso Poloni ad cõflictũ animati, castra perpetuo carrorũ munimento vallare cæperũt, peditibus sclopetariis ante currus collocatis: equitibus gtauis & leuis armaturæ medius fuit datus locus. Tarnouio ordines obequitãte, & animo se militares firmãte ad operã strenue nauãdã, Moldauus ingẽti belli apparatu ac maiorib. copiis appropinquat, castris ex aduerso Polonorum metatis, & tormẽtis circitet so. lõgo ordine dispositis, de hoc solo anxius, ne Poloni copiarũ ipsi⁹ magnitudine cõsternati fuga elaberẽtur, ideoq; copias omnes turmatim diuisas circa Polonica castra consistere iussit. Cœptũ inde fulminari tormẽtorũ horrendo fragore ac boatu, horisq; aliquot in castra Polonica

An Ch. 1531. Io. Lasci Archiep. Gnesnensis obitus.

Episcoporũ successiones

Breue à Pontifice ad Regẽ Pol. missum

Cometes.

Pocucia à Polonis recuperata.

Ex Moldauis victoria reportata.

Palatini Moldauiæ in Polonię fines ingressus.

Poloni castra carrorũ munimento vallant.

Moldaui castra ex aduerso Polon. metati.

fuit detonatum, multo maiore Moldauorum strage quam Polonorum: qui peritiores habebant tormentarios magistros, destinatisque ictibus Moldauos feriebãt: pedites etiam sclopetarii extra curruum vallum dispositi innumeros interimebant. Quorum clade territi Moldaui pugnandi ardore elangueſcente retrocesserunt. Eo viso Tarnouius equites in hostem impetum facere iussit: quos irruentes Moldaui præsenti animo manuque excepere. Certatum est vtrinque acriter plurimis cadentibus, Tarnouio rem viriliter agente. Qui, cum pugnatum per duas ferme horas ancipiti marte fuisset, vniuersas copias in hostes per alteram castrorum viam immisit, in quos tormenta non sine strage detonuerunt. Moldaui violentum Polonorum impetum cum sustinere non possent, paulatim pedem retulerunt, tandemque in præcipitem fugam sunt acti: quos fugientes insecuti Poloni cædem in fuga ingentem ediderunt. Moldauus in colle proximo exitum expectabat, qui vbi suos fugere conspexit, & ipse in fugam se coniecit: ac nisi perniciſſimo equo vectus fuisset, in Polonorum stremue persequentium manus incidisset. Castra hostium direpta, tormẽta omnia capta. Hanc celebrem Poloni de Moldauis victoriam ad Obertinum reportarunt die Augusti vicesima quarta, nocte, quæ præcessit conflictum, cometa clarius solito apparuit, & altera à victoria die disparuit, quę res portento victoriam Polonorum dẽ Moldauis, & horum cladẽ insignem significante non caruit. Cecidere eo prælio Moldauorum quatuor millia, capti supra quadringenti, inter quos fuere scrinii Magister, & familiæ præfectus. Hos omnes & tormenta circiter quadraginta octo Tarnouius ad Regem Cracouiam perduxit, eiusque pugnæ hypotyposin eleganter depictam ad posteritatis memoriam in templo dicauit. Post pro re contra Moldauos auspicato gesta in templo arcis Deo gratiis actis tria præcipua vexilla militaria Palatini Moldauiæ & gentis Valachicæ ad D. Stanislai tumulum fuerunt defixa. Tarnouio pro re bene gesta Rex in signum singularis gratiæ binorum grossorum in mansum contributionem decreuit publicam, qui honos antea nulli fere contigit. Exinde Moldauus tanta clade accepta aliquandiu conquiescere visus est, ita tamen, vt Moldaui à latrociniis nil cessarent, nec à Transiluanis, vel ipsis quoque Transalpinis gentis suæ finibus abstinerent: sed inueterato quodam & clade ea exacerbato odio Polonis infesti, in eandem Pocuciam irruendo prædandoque eam sæpe infestarent. Quibus de causis Rex, ne semper aduersus repentinas incursiones exercitus iustus magnis impensis cogendus esset, inuadendæ ac delendæ potius inquietæ gentis consilium cepit. Nil tamen ante conandum ratus, quam animum Solymanni Turcici Tyranni explorasset, quod Petrus, Valachique in ipsius clientelâ essent. Itaque Constantinopolim ad Solymannum Iacobum Vilamouium misit, per quem ei significauit, ingentes Valachorum copias à se profligatas, & Pocuciam recuperatam esse, orans insuper, Moldauo, cum eius esset vectigalis, mandaret, Poloniæ prouincias armis ne vexaret, sed intra suos fines se contineret: se nuper ea tantũ pœna, in quam illi temere armis sumptis incurrissent, contentum fuisse, cum miles suus facile persequendo victoriam, ac in intima Moldauiæ penetrando profligatos ad internecionem delere potuisset. Turca Regi de illustri victoria gratulatus, Ottomanios, respondet, consueuisse chentes suos, qui ipsorum maiestatem imperiumq; obseruarent, ab iniuriis aliorum vindicare, in eosdem humani iuris

Moldaui retrocedunt.

Moldaui fuga.

Moldauorũ clades ad Obertinum.

Moldaui in Pocuciã irruptio.

Regis Sigis. ad Turcam legatio.

Turcæ resp. ũ.

iuris oblitos delinquentes grauiter animaduertere: ideoque Regem Poloniæ hunc ab se amicitiæ fidelis fructum percepturũ, vt nullo suo cum labore ac periculo Moldauum, qui tot modis punitus non cessaret, pœna affectum audiat. Euestigio legatum ad Moldauum misit, iubens enim cum Rege pacem colere, & à Polonia vexanda abstinere, arma & exitium, ni obtemperaret, interminatus. Cæterum quia Moldauiæ Palatinus illata à Polonis clade minime consternatus bellum redintegraturus ferebatur, iniunctum etiam equitum præfectis, qui in Pocucia arcium defendẽdarum causa relicti erant, vt in Moldauiam incursionem facientes ferro ignique omnia vastarent. Quod cum aliquoties feliciter magna inde abacta præda fecissent, vnus ex equitum præfectis cum ala equitum in insidias cum præda dilapsus, in hostium venit potestatem. Ioannes Vngariæ Rex eius gentis miserrus, Ioannem Statilium Episcopum Transyluaniæ ad Moldauiæ Palatinum misit, eique vt à Poloniæ Rege pacem peteret, suasor fuit. Moldauus belli infelicis ac damnorum, quibus à Polonis afficiebatur, pertæsus, Regis Vngariæ intercessione à Sigismundo Rege inducias anni vnius petere, tormentaque aduerso prælio capta repetere decreuit, postea cum eo de pace tractaturus. Vngariæ Rex postulatis Moldaui satisfacere, rebusque eius consulere cupiens, Franciscum Præpositum Albensem siue Transyluaniæ ad Sigismundum Regem ablegauit, qui per Moldauiam itinere susceptо Petrum Palatinum ad inducias à Poloniæ Rege petendas, & oratores cum eo mittendos Regis sui nomine iterum cohortatus est. Moldauus persuasioni Vngari assensum præbens, literas, quibus tormenta bello capta sibi restitui, & inducias annuas fieri petiit, ad Poloniæ Regem dedit. Legatus Vngariæ Regis Cracouiam vbi peruenit, Regis sui, Palatini Moldauiæ, & Ioannis Statilii Transiluaniæ Episcopi literas Regi reddidit, induciasque Palatino obtinuit. Hoc anno Rex non solum à Turcis; sed etiam à Tartaris Tauricanis gente ex rapto viuere adsueta pacem habuit, nõ illorum voluntate, sed Turcici Tyranni mandato, qui bellum eis fuit comminatus, ni à Polonia infestanda abstinerent. Etsi vero Tartari Podoliam ac Volyniam nonnunquam incursabant, damna tamen non admodum magna inferre, à regio præsidio facile propter ipsorum paucitatem repulsi, potuerunt.

Io. Regis Vng. legatio ad Regẽ Pol. & Valachũ.

Inducię inter Regem Sigism. & Moldaum.

Mense Decembri eiusdem anni edicta à Rege comitia Cracouiæ, quę in proximi post hunc anni mensem Ianuarium finita sunt. Ibi legati Ducis Prussiæ hoc responsum acceperunt, qua ad Regis Poloniæ electionem, esse legibus & consuetudinibus regni edictum, ne quispiam Principum familia ad electionem admittatur, eo, ne tam sua, quam aliorum potentia munitus, vel seipsum, aut propinquum consanguineumque superiorem in regnum imponat, intrudatque. Apologiam quod velit Dux Prussiæ aduersus recens creatum Ordinis Magistrum euulgare, non consultum sibi videri, illa enim ipsa multorum animos offensum iri præsertim religioni Romanæ addictorũ, & rẽ esse potius virorũ doctorum, non Principis Edidit tamen post Prussiæ Dux scriptum, quo facti sui rationem explicat, & quemadmodum extrema necessitate coactus, & ab imperio destitutus, in Regis Poloniæ clientelam concesserit, ostendit. Eodem tempore Poloni equites ex Pocucia in Moldauiam irruptione facta regionem incautius depopulantes, improuiso à Valachis ad Tirasonce profligati sunt, ducentis circiter peremptis & captis, reliquis fuga dilapsis. Nec ita multo post Aslan Sultanus Tauricani

Comitia Cracouiæ.

Responsum Duci Prussiæ datum.

Poloni à Moldauis profligati.

Aslan Sultanus Tar-

Tartarus à Tauricanis victus.

in Circassiã arcem fere cepit.

Legatio illius ad Regẽ Pol.

A Ludou. Gritto legatus ad Regẽ.

Principis frater transmisso Tanai in Tauricam ingentibus cum orientalium Tartarorum auxiliis expeditionem suscepit, & commisso cum Tauricanis prælio victus fugatusque in Circassiam arcem, cui Ostaphius Regis nomine præerat, se recepit, missisque ad Regem Sigismundum legatis impetrauit, vt sibi in littoralibus Borysthenis aliquot cum equitum alis tuto subsistere liceret. Cui Rex, vt sibi beneficio eum deuinciret, munera trãsmittit, quæ tam grato barbarus accepit animo, vt deinceps patris nomine eum salutarit, magnisque subsidiis postea contra Moscos ei fuerit. Aduenit postea ad Regem Præfectus Sylistriæ à Ludouico Gritto legatus, nuncians, Solymannum Turcarum Imperatorem dissensionem Moldauicam eidirimpiendam cõmisisse, hortatus Regem, vt ex proceribus aliquos ad statã diem in finib. Moldauiæ esse iubeat, idem Petrum Moldauiæ Palatinum Solymanni iussu facturum. Venerunt etiam sub id tempus Ioachimi Marchionis Brandeburgici Electoris, vt & Barnimi Ducis Pomeraniæ Oratores, questum de latrociniis, quæ ex arce Tuczinia in eorum prouincias patrabant. Rex arcis possessore ad se vocato factum exprobrat, qui ex odio illam accusationem profectam ostendens iureiurando innocentiam suam demonstrauit, operamque se daturum sancte promisit, vt latrones aliunde venientes coercerentur, & cum vicinis Principibus pax illibata maneret. Ineunte vere Satkereius Tartarorum Princeps ægre ferens, Aslan Sultanum fratrem hostem suum infensissimum, quem non multo ante victum ex Taurica eiecerat, ad Circassiam Regis Poloniæ permissu castra metari, necessariaque ei ab Ostaphio illius loci Præfecto, & aliis præfectis regiis subministrari, mille quingentis Turcicis peditibus & tormentis quinquaginta à Turcarum Imperatore in auxilium acceptis, ex Taurica instructo cum exercitu Borysthene ad Thauaniam traiecto ad Circassiam arcem obsidendam profectus est, dispositisque tormentis violenter eam Turcarum tormentariorum vsus opera concussit. Aslan Sultanus aduentu Satkereii cognito, castris subito motis, in vlteriore Borysthenis parte Moscouiam versus rei euentum expectauit. Circassiam Ostaphius summis oppugnatam viribus masculè defendit, suburbia audito aduentu demolitur, ne incensis iis arx ex lignea materia constructa ob vicinitatem & ipsa incenderetur. Tauricanus arcem strenue à præsidio regio defensam se expugnare non posse animaduertens, puluere nitrato iam deficiente, & Turcis peditibus cum multis Tartaris cæsis, Ostaphium arcis Præfectum ad colloquium fide data euocauit. Qui barbaro non fidendum ratus, obsides ad se in arcem mitti primariæ notę tres proceres Tartaros postulauit. Iis in arcem missis, & custodiri iussis, ipse aliquot hydromellis vasis absumptis ad Satkereii castra se contulit, vbi aliquandiu cum eo humaniter colloquutus, mensæque eius adhibitus, hilari & largiori hydromellis Lituanici potu pacem & amicitiam inter se iunctam confirmarunt, postquam diebus tredecim Tauricanus in Circassiæ arcis oppugnatione frustra hæsisset. Posthæc ambo Tartarorum Satkereius & Aslan Sultanus ad Regem missis legatis, Satkereius quidem Regi reconciliatus est pace facta, Aslan vero Sultano exulanti, & in campis Borysthenicis oberranti missa sunt munera.

Ab Electore Brandeb. & Duce Pom. legati.

Turtarus frater fratrem oppugnat.

In Vngariam ea æstate Solymannus Turcarum Tyrannus numeroso exercitu iterato expeditionem suscepit, Viennam, à qua paulo ante strenue repulsus fuerat, expugnaturus. Ferdinandus Vngariæ Bohemięque Rex

Turca in Vngariam bellũ mouet

Rex certior factus ad eum cum muneribus, ac de pace fœdereque ineundo Oratores misit, qui in Triballorum seu Bulgarorum finibus Tyranno obuiam facti, comiterque suscepti, castra sequi fuerunt iussi, Quibus Ratisponam nunciatis, Cæsar Principesque Germaniæ non diutius cunctandum rati, conuentum dimiserunt, ne hostis interim accelerato itinere damni aliquid inferret, communi omnium Ordinum suffragio Friderico Palatino Principi ob rem bello priori prædare gestam belli summa fuit commissa. Qui expeditionem iudicans maturandam, paucorum dierum spacio Abudiacum Danubianum peruenit. Vnde ad Cæsarem & fratrem eius Ferdinandum Regem profectus, de belli gerendi ratione cum iis deliberauit, qui se cum exercitu in Italia ac Hispania cogendo propediem adfuturos promiserunt. Eorum mandato iustructus Palatinus celeribus equis Boiodurum ad Ernestum Bauariæ Ducem profectus, cui cura submittendi commeatus demandata erat, eum ad officium recte administrandum serio animauit. Illuc Croneburgum digressus Viennensi vrbi præfectos ad se vocauit, Cæsaris & Regis Ferdinandi mandata eis expositurus, qui cum postero die comparuissent, de castris metandis & communiendis fuit agitatum. Ibi cum hærerent, nunciatum est, Turcam numerosissimo, vti fama ferebat, cum exercitu Vngariam ingressum Gunczam oppidum exiguum ad lacum piscosum summa vi obsidere. Præerat ei arci Nicolaus Iuritsch vir animi præsentis centum cum militibus tantum, qui viginti quinq; dierum spacio validissimi exercitus acerrimam sustinuerunt obsidionem, quæ tandem hostibus spe expugnandæ arcis deiectis, Ebraimo Bassa consulente, ne potentissimo imperatori exigui castelli oppugnatio diuturnior aliquid derogaret, soluta fuit. Præfecti illius fortitudinem admiratus, ad se vocatum, oppido eum illo donauit, præmio rei viriliter gestæ. Quam etiam donationem Ferdinandus Rex ratam habuit. Vlterius hostis progressus Carinthiam, Styriam, atque Austriam misere diuexauit. Quem vbi Cæsar prouincias Austriacas ferro flammaque depopulari accepisset, cum eo prælii aleam experiri constituit. Habebat is tum ex Italis, Hispanis, Belgis, Bohemis, Morauis item, atque Polonis lectissimum exercitum. Ferdinandus Rex de Turcarum immanitate edoctus, Principem Palatinum hortatus est, ne impune Turcas grassari pateretur, qui communicato cum reliquis militiæ præfectis consilio diuisis copiis eos passim ingenti clade affecit. Turca tanto Cæsaris ac fratris eius Ferdinandi belli apparatu, licet ipse longe maiorem haberet exercitum, territus, cum mense fere integro conflictum expectasset, vbi Cæsarem & Ferdinandum Regem itinere diei Vienna abesse resciuit, castris motis in Vngariam rediit, ac Budæ triduum, donec pons naualis in Danubio sterneretur, substitit, copiisque omnibus traiectis in Thraciam iter conuertit. Post hæc Sigismundus Rex ad eum ex Austria reducem misit Oratorem Petrum Opalinium Castellanum Landensem, petitum inducias ab eo, quæ, quoad viueret Princeps vterque, & vtriusque filii Sigismundus Augustus ac Mustapha, durarent, vtque legato ad Moldauiæ Palatinum misso mandaret ei, desineret Poloniam armis vexare. Annuit postulatis Turcarum tyrannus, Satkereioque Tartaro, quem Turca Tauricanis Principem dederat, itidem in regia Turcica præsenti imperatum, vt cum Poloniæ Rege pacem & amicitiam coleret, eumque nulla iniuria lacesse-

Friderico Palatino bellũ summa cũ missa.

Gunczã oppugnatur.

Austriaca prouincia infestata.

Turca redit ad suos.

Regis Pol. legatio ad Turcam de induciis.

Turca rogat pacem.

lacesseret, Turca vero à Rege hoc duntaxat postulauit vicissim, ne hostes suos clam palamue iuuaret: ipse vero Regi contra quos suis auxilia itidem promisit.

Moſci ad Regem Pol. legatio.

Sub exitum anni Orator Moscorum Principis Basilii aduenit, de iniuriis questum, quæ à Lituanis inferrentur Moscis finitimis, orans, vt fœdus inuiolatum seruaretur, ac negotiatoribus tam Lituanis quam Moscis libere ac secure vltro citroq; negotiari liceret. Ad hæc Rex legatis benigne exceptis respondit, maiores Lituanis à Moscis iniurias illatas esse, à quibus mercatores Lithuani spoliati sint, æquumq; esse vt à Principe ipsorum eius rei diligenti inquisitione facta res ablatæ restituantur: quin necessarium etiam futurum ad fœderis intemeratam conseruationem, vt certis statisque anni temporibus Principis vtriusque Proceres in finibus conuenientes de damnis & iniuriis vtrinque, quod iuris esset, exequerẽtur. Venerãt quoq; ab Aslan Sultano Tauricano Principe nuper creato ad Regem legati, quem Tartari post Satkereiex Taurica fugam Principem elegerant. Aslan Sultanus Tauricæ impetio præter expectationem potitus, Regem ea de re certiorem fecit, veterem amicitiam & societatem cum eo renouare cupiens, auxilia etiam conrra hostes quoscunque ei pollicitus, Orauit, vt munera prioribus Tauricanis Sultanis consueta sibi mitteret, quibus Vlani & Mursæ gentis suæ Proceres in officio, ne Polonis & Lituanis damna inferrent, continere possint. Rex de Principatu Aslan Sultano gratulatus, cum eo fœdus atque amicitiam iunxit, deque promissis auxiliis gratias egit, munera etiam aliqua, maiora postea missurus, misit. Circa illud tempus Christophorus Szidlouiecius Castellanus Cracouiensis ac magnus regni Cancellarius post aliquot liberorum funera & ipse subsecutus est, vir heroicis virtutibus præditus. Is à Rege Sigimundo ad summam secundum Regem dignitatem euectus, multas legationes ad Maximilianum Cæsarem, aliosque Reges ac Principes obiuit, magna sua cum laude emolumentoque. In hoc parum fœlix, quod nullam prolem masculam reliquerit, facultatesque eius omnes per filias in alienas familias illatæ sint. Accedit ad laudum eius cumulum, quod Opatouiam maiorem, Samboriam, & Luceuiam oppida cum arce Chmielouia, quæ loca antea Tartarorum incursionibus obnoxia erant, vallo, fossa, mœnibus, ac propugnaculis maximo cum Poloniæ bono firmanit.

Aslan Sultani item de amicitia & societate renouanda.

Regis cum eo fœdus.

Christoph. Szidlouiecii mors.

An. Ch. 1533.

Proximo deinde, qui fuit supra millesimum quingentesimum tricesimus tertius, anno circa epiphaniam comitia Petricouiensia celebrata sunt, non sine magno propter nunciorum prouincialium dissidium tumultu. Maiores siquidem Poloni seditione paucorum temeritate Srodæ excitata, nuncios ad comitia nullos miserunt, sino quibus Sendomirienſis, Cuiauienſis, & Lenczicienſis tertæ nuncii nullam se habere potestatem asserebant. Nouem alii Palatinatus seu satrapiæ Senatui regio accessere, ea conditione, vt Petricouiensis conuentus Senatusconsultum de pecunia pro regni defensione contribuenda ad Corcinensem & Colensem conuentus reiiceretur. Ad eam rem licet nouam & pessimi exempli (quia maioris conuentus decretis à minoribus conuentibus derogandum erat) senatus assẽtiri compulsus est, ne limites regni eo anno militari nudati præsidio Tartarorum ac Valachorum deprædationibus impune paterent. Omnes tandem Palatinatus Corczinum & Colum nunciis missis Petricouiensium

Comitia Petricouia.

uiensium comitiorum decretum, quibus pecunia pro regni defensione conferri mandabatur, approbarunt, pecuniaque in ærarium regium ab omnibus collata, etiam in Posnanienſi & Calissienſi Palatinatibus. Qui quamuis ad comitia nuncios ablegassent nullos, regiis tamen diplomatibus, & maioris partis regni consilio ac decretis paruerunt. Qua in re prioribus annis Regi aliquoties se opposuerunt, eo forte prætextu, quod à Tartarorum incursionibus longissime abessent. In iisdem comitiis Aslan Sultani Tartari legati fœdus & amicitiam cum Poloniæ regno testati, auxiliaque contra quosuis policiti munera ipsorum Principibus dari consueta petebant. Ad ea adfuit quoque Ostaphius Præfectus Circassienſis, Tartarorum ac Moscorum bellis clarus, qui paulo ante arcem Circassiam, contra Satkereium forti defenderat animo. Is in Senatu periculorum ac laborum testimonio exantlatorum fulminalium ingentes globos protulit, qui in arcem Circassiam, irrito tamen conatu, fuerant explosi. Rex ac Senatus collaudata eius virtute certatim ipsi pecuniarium subsidium & munera largiti sunt. In Senatum accersitus rogatus, qua ratione Tartarorum incursiones prohiberi possent, eam in sententiam multa prudenter locutus, suasit, vt aliquot nauium classe instructa, eique duorum millium peditum præsidio imposito inferiores Borysthenis partes communirentur, quibus quadringenti equites, qui commeatum peditibus curarent, adiungendi essent: posse his exiguis copiis ingentes Tartarorum exercitus, qui magno cum periculo Borysthenem tranarent, transitu arceri. Esse præterea frequentes toto Borysthene insulas, vndique præruptis saxis inaccessis, quarum aliquæ tantę essent magnitudinis, vt in eis non modo arces, sed oppida & vici exstrui possent, ad Tartarorum excursiones inhibendas peropportunæ. Hoc Ostaphii consilium ab vniuerso Senatu magno fuit consensu approbatum: verum quod absque Lithuanorum procerum consilio ac voluntate, qui illam Borysthenis partem tenerent, negotium hoc perfici non posset, placuit rem ad Procerum Polonorum ac Lithuanorum in finibus arbitrium differre, vt de muniendo Borysthene, Tartarisque transitu arcendis deliberarent. Postea coram Rege ac Senatu Turcarum Imperatoris legatus Kardeius gente Polonus, qui in Podolia à Turcis captus, post sectam Mahometicam amplexui est, comparuit, qui Rege Principis sui verbis salutato, illique prospera omnia tanquam fratri precatus, hoc modo verba fecit: Solymannum Cæsarem præterita æstate iusto cum exercitu per Vngariam in Austriam vsque progressum, Ferdinando Bohemiæ Regi pugnandi copiam feciſſe, eumque cum Germanis suis diu expectasse, cumque nusquam compareret, Styria, Carinthia, atque Austria ferro ignique peruastatis, captiuorum etiam circiter centum millibus abductis, cum spoliis opimis in Thraciam incolumem reuenisse. Rex vicissim Solymanno ob prosperum expeditionis successum ac felicem in Thraciam reditum vt fratri suo gratulatus, illique fausta quæque, ac gubernationem diutinam reprecatus, legatum benigne satis habitum ac donatum dimisit. Qua liberalitate etiam comitateque erga Aslan Sultani legatos est vsus. Rege inde ex comitiis Petricouiensibus Cracouiam reuerso venit ad eum à Palatino Valachiæ Transalpinæ legatus, perpetuum fœdus ac societatem cum Rege inire cupiens, eius virtutis & prudentiæ eximiæ fama, qua aliis Principibus anteiret, adductum ad id Principem suum dictitans. Sub vernum

Legatio Aslan Sultani ad comitia.

Ostaphius Circassiensis præfectus

Eius consilium de Tartarorum incursionibus prohibendis.

Turcæ legatus ad Pol. Regem.

Eius oratio.

Regis Pol. responsum.

Valachia Transalp. P legatus de fœdere.

Tartari Podoliam vastant.

tempus octingenti plus minus Tartari ingressi Podoliam, limitaneo præsidio militum carentem ad Zincouiam depulsi sunt. Quos cum præda redeuntes Palatinus Kiouiensis adortus, centum propemodum ex iis trucidatis prædæ partem recuperauit.

Regis Sigism. in Lithuaniam abitus.

Eiusdem anni æstate circa solstitium æstiuum Rex Cracouia egressus cum Regina, nec non Sigismundo Augusto & Isabella liberis in Lituaniam iter suscepit. Nec multo post cometes cum longa satis coma

Cometes.

in sydere tauri fulsit, qui Septentrionalibus gentibus, vt & Basilii magni Moscorum Ducis mortem, ac prodigiosas inundationes, quæ duabus continuis æstatibus Poloniam afflixerunt, portendit. Rex Vilnam lectissimo quatuor equitum millium ingressus comitatu, incredibili eius gentis procerum concursu ac gaudio exceptus est. Cum quibus com-

Rex Pol. à Mosco Smolensum repetit.

municato consilio ad Moscum Oratores misit, qui Smolenscum ab eo repeterent, pacemque ei restituta arce offerrent. Moscus postulatis

Moscus sprensum.

cognitis, Smolenscum se reddituram præcise negauit, pacem aliis conditionibus se haud grauate initurum.

Eo responso accepto, legati nil præter hæc tentantes in Lithuania omni spe pacis abiecta rediere, videbaturque res ad arma spectare. Conuentus etiam de pecunia pro militibus mercenariis conscribendis habiti, de-

Contributio in milites decreta.

cretumque, vt agricolæ singulis annis per triennium duodenos conferrent grossos.

Tartarus Moscouiam infestat.

Pari temporis spatio Aslan Sultanus Tartarus cum exercitu triginta millium equitum in Moscouiam irruptione facta, miserandum in modum eam peruastauit. Occurrit Tartaris Mosci exercitus pari ferme numero. Signis collatis ad Occam fl. quindecim à Moscouiæ metropoli milliaribus pugnatum est, Moscis post cruentum conflictum

Moscorum clades à Tartaro.

fusis fugatisque. Aslan Sultanus insigni potitus victoria grandi cum præda in Tauricam reuersus est, & ad Sigismundum Poloniæ Regem legatis missis eum de Moscouiæ vastatione ac victoria parta certiorem fecit. Rex de victoria ipsi gratulatus, Moscumque Tartarico bello distractum in Lithuaniam nil hostile moliri posse lætus, munera Tartaro mox submissurum se policitus est. Quæ serius mitti barbarus indignatus magno cum

Tartaro munera missa à Rege Pol.

exercitu Lithuaniam ac Podoliam infestare decreuit. Oportune tunc Borysthenes assiduis imbribus adeo intumuerat, vt quatriduum & quadrimestrium integrum exercitus in eo tranando magno cum labore detentus fuerit: in quo opere occupatis commode Regis legati cum muneribus superuenere, quibus Tartarus placatus paulo altius

Basilii Moscorum Principis mors.

Borysthene rursus traiecto Moscouiam in Regis gratiam effuse vastauit.

Circa brumæ initium Basilius magnus Moscorum Dux, cum ex graui morbo aliquandiu decubuisset, vitam cum morte commutauit anno ætatis suæ quadragesimo septimo, relictis filiis, Ioanne Basilio, & Georgio exsecunda vxore Helena Basilii Glinscii filia fratris Michaelis, qui ex carcere diuturno dimissus vna cum aliis duobus tutor filiorum à Basilio constitutus fuerat, Georgio & Andrea puerorum patruis, quia res nouas moliri, & ad dominatum aspirare videbantur, exclusis. Ac Georgius quidem captus gubernatoribus ac tutoribus custodiendus traditus est.

Andreas

Andreas vero fuga post elapsus, conflato exercitu, tutoribusque formidabilis factus, puerorum curatorem aliquandiu egit, Georgioque fratre ex custodia liberato, Michaelem Glinscium vnum ex puerorum tutoribus, quem singularem ob prudentiam, & animum nouationis cupidum suspectum habebat, captum in eundem carcerem detrusit. Inde Moscouia variis turbata est motibus, proceribus de

Moscouia variis turbata.

Principatu contendentibus, & rerum summam ad se trahentibus. Illius anni hyeme in Septentrionalibus illis oris frigus intensissimum fuit, & niues altissimæ, quæ ad tempus vsque veris fere durauerunt.

Frigus intensissimū.

Consequenti anno sub æquinoctium vernum Ioannes Tarnouius Russiæ Palatinus exercitus regni dux, non obscure præuidens, Tartaros rapto viuere assuetos nequaquam quieturos, sed ad primam anni opportunitatem in Podoliam irrupturos, mature occurrere periculo voluit. Itaque Gorlicino profectus lectissimo cum equitatu in Podoliam ad Bugum fl. Chmielnicumque contendit: quo ad eum venit instructissimus equitatus Russiæ ac Podoliæ, cui insignes duces præerant, quos Tarnouius humaniter exceptos liberaliter tractauit. Chmielnici subsistens oppidum arcemque instauratam communiuit.

Ann. Chri. 1534. Io. Tarnouii vigilantia pro Podolia.

Aduentu Tarnouii in Podoliam agricolæ animosiores redditi, agros liberius excoluerunt, rusticasque operas exercuerunt. Tartari etiam Præcopienses sola nominis eius fama territi, nil hostile tota ea æstate in Podoliam ausi sunt, quamuis Tarnouius verno adhuc tempore domum redierit.

Eodem fere tempore Tartarorum aliarumque vicinarum gentium barbararum metu, complures in Russia ac Podolia arces à nonnullis procerib us ac præfectis regiis sumptu non exiguo ac celeritate incredibili fuerunt excitatæ. Ad Starodubum Mosci munitionem inde Tarnouius exercitum duxit, oppidoque puluere tormentario ductis cuniculis subito incendit, ac diripuit: arx quod præsidio defenderetur validissimo, expugnari non potuit. Ad Radohosciam arcem post castris promotis cum Seuerienſi Præfecto prospere pugnatum est, mille ex hostibus cæsis fugatisque: oppidum ipsum direptum & incensum, arx eodem victoriæ cursu capta & flammis absumpta.

Arces in Podolia multæ constructæ.
Starodubii à Polonis in censum.
Mosci ad Radohosciæ cæsi.
Oppidum diraptum.

Illis successibus inflati animatique Lithuani copiis bipartitis, pars vna Palatino Kiouiensi duce Czernihouum progressa est, altera ad Ryphæos montes & Smolenscum iter direxit: vbi cum hostibus aliquoties ex voto velitatum est, oppidumque Smolenscum exustum, arcis in vlteriore Borysthenis ripa sitæ oppugnatio, quod firmiori teneretur præsidio, tentata non est. Instante autem bruma, & frigore magis magisque inualescente Lithuanorum exercitus in hyberna fuit distributus. Mosci transfugæ duo summo loco nati Vilnam ad Regem adducti, comiter ac clementer ab eo habiti sunt, possessionibus illis conditione ipsorum dignis attributis. Cum Lithuanos in hyberna dilapsos resciuissent hostes, mille equites Mosci Lithuaniæ fines ingressi Polociam ac Vitepscum ad Dunam fl. sitas ar-

Lithuanorum in Moscouiam irruptio.
Smolenscū ab illis exustum.
Mosci duo transfugæ illustres ad Regem Pol. transeunt.

cesque insperato impetu incenderunt, villisque aliquot exactis domum reuenerint.

In Vngaria turbæ.

Lud. Grittus à Turca in Vngariam missus.

In Vngaria eo anno non parui motus exorti fuerunt ex hac occasione. Venerat Ludouicus Grittus à Solymanno Turcarum Tyranno ad Ioannem Vngariæ Regem missus amplissimis cum mandatis, vt Budæ dignitatem & nomen Turcicum tueretur, nec pateretur Ioannem temere se bello implicare cum Ferdinando, Solymanno contra Persas bellum moliente. Constantinopoli itaque profectus Valachiam tendit, adducens secum aliquot Turcarum equitum alas, peditum item delectum numerum, inter quos Ianiczari plerique erant. Habebat multos præterea ministros & familiares Italos, & ante alios Vngaros duces duos cum suis turmis Vrbanum Barbianum, & Ianum Dociam: qui omnes septem millium numerum implebant. In Moldauiam cum venisset Grittus, Petro ipsorum Principi Solymanni literis ac muneribus exhibitis, postulauit, vt sibi in Vngariam eunti consilio atque auxilio adesset, mandata enim se habere à Solymanno, vt cum Ferdinando Rege pacem faceret, regnumque Vngariæ perturbatum pacaret. Moldauus acceptis donis fidem dedit, se nec Solymanni causæ, nec ipsi iure hospitii defuturum. Grittus Moldaui amicitia ac societate elatior factus, in Transyluaniam ingressus est, edicta passim proponens proceribus, ciuitatumque legatis, vt ad se, tanquam rerum omnium arbitrum, Solymannique Imperatoris Turcici legatum, & Vngariæ causatum omnium disceptatorem confluerent. Præfectus tunc erat Transyluaniæ Emericus Czibacus Episcopus Varadinensis, quem Ioannes Rex à se secundum esse voluerat. Ei Ianus Docia admodum infensus erat, quod in quadam altercatione vociferanti os contudisset. Emericus Grittum Transyluaniam ingressum, quod cunctantius ei obuiam procederet, ac non ita eius aduentu commoueri, Solymannique nomen, vt par erat, venerari videretur, admodum offendit, existimantem, reliquos proceres ac Nobiles Præfecti Emerici exemplo motos minus obsequentes fore. Fama etiam circumferebat, Emericum ab amicitia Turcarum alienum esse, neque passurum, vt Turcæ Transyluaniæ finibus insuescant, vtpote qui diligenter cauendum existimaret, ne prouincia viris & equis abundans, rerumque omnium ferax in potestatem Turcarum deueniret. Braxouiæ cum esset Grittus, nunciatur ei, Emericum decem millibus passuum inde abesse, & cum lectissimo comitatu ad ipsum excipiendum aduentare. Ea re Grittus vehementer fuit commotus, quod cum Emerico veluti hoste in apertis campis agendum esset. Orta enim erat inter illos simultas ex honoris eiusdem æmulatione, hoc Turcico fastu parem pati nolente, illo vero superiorem in prouincia sua ferre iniquum iudicante. Exacerbatum suum erga Emericum animum tum prodidit Grittus, cum è conuiuio discedens, & non obscure minitans obedientiam detrectantibus, tegumentum Turcicum capiti suo detraxit, inquiens, hoc duo capita non capit, necesse est, vt vni tantum aptetur. Ad quem sermonem Docia vindictam spirans, recte, inquit, assimilas Gritte, nam & hæc prouincia duos Præfectos non capit, nec tu potestatem tuam tranquille exercere poteris, nisi Emerico è medio sublato, qui nec Solymannum Cæsarem curat, nec Regem Ioannem veneratur, & te quoq; flocci pendit. Quod si iusseris, hominem ambitiosum & insolentem facili negotio è medio sustulero. Grittus Docia collaudato, quod facere constituisset, maturare iubet, Emericumq; adoriri. Fertur Grittus Emericum saltem comprehensum cupiuisse, vt catenis vinctus Constantinopolim ad Solymannum mitteretur, prouincia vero administranda traderetur Hieronymo Lasco Palatino Siradiensi, qui propter obitas legationes multas de Ioanne Rege præclare erat meritus. Quod quidem ante Ioannes Rex Lasco promiserat, sed animaduertens, hominem peregrinum, & linguæ non adeo peritum, nonnisi cum periculo genti alioquin feroci præfici posse, Emericum necessitate quadam ipsi prætulit. Quare offensus Lascus, & delusum se existimans, grauiter conquestus, deinceps à Rege animo fuit alieniore, & in Gritti familiaritatem se insinuauit, vt Solymanni Cæsaris Turcici auspiciis & ope aliam fortunam experiretur. Docia mandati Gritti memor, valida Turcarum ala, & inprimis Vngarorum turmis acceptis ad castra Emerici subito aduolat, qui paulo ante per speculatores cognouerat, eum in patentibus campis æstus vitandi causa, iuxta pagum tentoriis collocatis, sine vllo metu ac militum præsidio cum pueris & familiaribus in tabernaculo pernoctare, comitatumq; eius in pagos diuersos, ita vt facile coire non possent, dispertitum esse. Itaq; Emericus infortunii sui ignarus, cum inimicos contemnere potius, quam timeret, à satellitibus Docianis opprimitur, cui vix à cubicularijs expergefacto, Docia caput amputat, Turcæq; magno clamore ac fremitu vndiq; irruentes equos ornamentaq; diripiunt, Emericique ministri ac familiares Turcis agnitis inermes metu perculsi diffugiunt. Docia perpetrata cæde ad Grittum reuersus Emerici caput exhibet, qui illud Lasco, eius cædis & consilii eius ignaro, & ad spectaculum atrox cohorrescenti, monstrat, inquiens, antu Lasce non agnoscis hoc derasum caput? magni quidem viri est, sed ambitiosi & superbi. Ad quæ Lascus tristi vultu respondet, tale sibi non esse visum, cum humeris adhuc esset affixum, veluti qui plane id facinus non probaret. Emerici cædes vbi innotuit, propinqui, & prouinciales rei indignitate commoti ad arma concurrunt, ac Præfecti optime de patria meriti mortem in Gritto & Docia vindicandam ipsis etiam Siculis & Saxonibus ad opem ferendam euocatis, tantaq; cupiditate vindictæ omnes illi coiuere, vt intra paucorum dierum spatium ad quadraginta millia peditum & equitum confluxerint, ducibus Gothardo quodam Saxonicæ stirpis, & Stephano Mailato. Grittus rumore aduentantis multitudinis ad ipsum persequendum perculsus, consilii anceps ad oppidum Megesium prospere confugit. Oppidani Turcis eminus conspectis initio portas aduentantibus aperire recusabant, tamen Dociæ & Bathiani precibus in inferioris oppidi parte copiæ fuerunt intromissæ, ipsi autem in editiora se subduxerunt. Grirto propositum erat muris refectis nouisque munitionibus adiectis tantisper inuadentes sustinere, donec auxilia conuenirent, quibus incondita hostium multitudo ab obsidione repelleretur. Dum itaq; aggeres extruit, locumq; firmat, & ad impetrandam opem plures nuncios emittit, superueniunt prouinciales, qui magno impetu, sed temere, nec bellica ratione in munitiones irruentes à sagittarijs Turcis & sclopetarijs, præsertim Ianiczaris, non mediocri suorum cum clade fuerunt repulsi. Quo damno accepto Mailatus aliter obsidionem instituendam

Grittus Transyluaniam turbat.

Emericus Czibacus Episcopus Varadinẽsis Transyl. Præfectus.

Emericus trucidatus à Docia.

dam censens, docet, si breuem obsidionis moram tolerent, breui sine ipsorum vulnere obsessos fame cogente deditionem facturos. Quam ob rem distributis circa oppidum copiis arctissime id fuit obsessum. Interea Grittus adeo arcta obsidione pressus, in morbum incidit, quem auxit auxiliorum, de quibus nil audiebat, desperatio. Quibus malis circumuentus, per Vngaros profusis largitionibus Transyluanos ab obsidione auocare conabatur, sed vindictæ libido adeo alte animis eorum insederat, vt omnem pecuniam præ illa contemnerent. Demum ad Petrum Moldauum hospitem amicitiæ iure opem eius implorans suppliciter confugit, gemmis & vnionibus ei dono missis, vt se cum liberis ex composito irrumpentem ex periculo eriperet. Itaque dubia spe ad condictam horam per portam ad Moldauos ducentem erupit, dextra diplomata Solymanni ostentans, sed Moldauis non inuentis, in Franciscum Scendenum Emerici propinquum incidit, qui magna vi eum adortus, tegumentum capitis precio-sum Turcicum de capite ipsius detraxit, eumque comprehendi iuber. Quo facto Transyluani horrendo vlulatu eius comites inuadentes, in fugam vertunt, partimque capiunt, partim, Turcas præsertim, concidunt. Grittus ante prætorium armatis circumdatus, cur Emericum interfici iussisset, rogatus, constanter negauit, id iussu suo factum. Verum cunctis conclamantibus, vt supplicium de eo sumeretur, Mailatus eum tradit Francisco, à quo postridie vltimo supplicio affectus est, mane brachiis, sub meridiem pedibus, vesperi capite ei amputatis. In eius sanguine proceres & propinqui penulas militares intinxerunt, vt secum memoriam sumptæ vindictæ circumferrent. Docia vero tanquam cædis illius administer, supplicio affectus maiori, discerptus est. Bathianus paulo ante vitæ suæ fuga ex oppido consuluit, veteribus quibusdam amicis, quos in castris habebat, eum periculo subtrahentibus. Eo motu Ioannes Rex territus, Hieronymum Lascum Palatinum Siradiensem Varadini hærentem, seu vitæ eius metuens, seu cædis Episcopi conscium esse putans, quasi eius consilio vsurus, ad se accersiuit. Actutum eum trecentis equitibus Budam ad Regem venit, ab eoque comiter exceptus, diebus aliquot colloquiis tributis in Transyluaniam redeundi ei potestatem fecit. Quem Danubio superato longius iam progressum, per larocium Polonum aulicum suum reuocauit, iussum paucis cum equitibus ad se Budam reuerti. Quem arcem ingressum apparitores regii comprehensum quodam conclaui coquo ac altero familiari Polono ei adiunctis incluserunt. Lascus queri, immerentem se adeo ignominiose tractari, cum cædis Emerici omnino conscius non sit, causamque captiuitatis scire cupienti, custodes Regem eius salutis causa in illis Vngariæ turbis id fecisse responderunt. Lasco in potestatem redacto, Rex Buda Taradinum se contulit ad motus illos, vt præ se ferebat, sedandos. Aduenit interim Andreas Tenczinius Castellanus Cracouiensis, Hierosolymis terrestri itinere domum reuertens, peropportune Budam, Lasciique colloquio enixe, sed frustra expetito, Taradinum ad Regem iuit, cum eam ob causam ad Lascum liberandum, quasi ex composito Ioannes Tarnouius, Russiæ Palatinus ex Polonia à Rege Sigismundo missus aduenisset. Eorum intercessione Lascus libertati pristinæ restitutus est, Rege Ioanne sancte testante, se ipsum, ne vna cum Gritto, cui arcto necessitatis vinculo fuisset coniunctus, periclitaretur, in custodia detinuisse. Venit Lascus

Grittus horrendo supplicio affectus.

Hieron. Lascus in custodia detentus.

Lascus libertati restitutus.

Lascus Buda Taradinum, cui Rex vt ipsi de iniuria ea satisfaceret, aliquot aureorum millia se daturum promisit, Debrecino oppido, vt de pecunia securus esset, ei tradito. Atq; hic exitus est tragœdiæ Transyluanicæ.

Mense Octobri eiusdem anni Tartarorum Tauricanorum decem millia Borysthene transito Podoliam deprædari decreuerant: verum captiuis Podoliam valido Polonorum præsidio firmatam referentibus, ac consulto numerum augentibus, cum tria tantum militum mercenariorum millia essent Tartari exercitus magnitudine perterrefacti, omissa Podolia Volyniam horrendo impetu inuecti, eam immani sæuitia depopulati sunt, Zaslauiensis arcis suburbio deuastato. Damnum eo maius à Volyniis acceptum, quod insperantes hyemali tempore à Barbaris oppressi fuerunt, omni præsidio destituti.

Tartari Volyniam depopulantur.

Anno, qua subsecutus est, Moscimense Februario nil sæuissima hyeme & altis niuibus territi, fluuiis ac palustribus locis frigore concretis, Lituaniam tri fariam diuisis copiis ingressi, miserandum in modum ingentibus illatis damnis deprædati sunt, qui à Plescouia & Polocia irruerunt, vltra Bratislauiam progressi, maximæ incolis formidini fuerunt, recta Vilnam, à qua octodecim milliaribus aberant, duntaxat excursuri, nisi à Sigismundo Rege ibi agente metus eorum impetum inhibuisset. Nam Regis mandato in ea celeritate Lituanorum equitum septem millia contracta, hostibusque occurrere iussa, cum illos iam ad fines suos peruenire rescisuissent, retro abierunt, vindictam in proximam æstatem differre satius esse putantes. Quæ expeditio vt optato cum successu susciperetur, septem circiter equitum ac peditum millia in Polonia conscripta fuerunt, quibus regni proceres mille equites & totidem pedites adiunxerunt, ductore Andrea Gorcano Calissiensi Castellano, supremo vero exercitus duce Ioanne Tarnouio Russiæ Palatino. Appetente æstate Rex ex Lituania in Poloniam appulit, & ad nuptiarum solennitatem Heduigis filiæ, quæ nuptui dabatur Ioachimo Marchioni Brandeburgico Electori Romani Imperii, Ioannem Vngariæ Regem affinem inuitauit, vbi pro Hieronymo Lasco Palatino Siradiense intercessit, vt ei summa quindecim millium aureorum, quam in oppido Debrecino hypothecæ nomine possidebat, numeraretur. Inde Poloni iunctis viribus cum Lituanis, duce Nicolao Radiuilo Palatino Vilnensi Holmiam arcem in finibus Ducatus Seuerinensis obsidione cinxerunt, eaque potiti sunt. Post progressi Starodubum, cui præerat Ouczyna, cum quindecim armatorum millibus, qui in arcis eius præsidio fuerant, igne pulueri tormentario subiecto, expugnarunt, funditusq; euerterunt, magna hominum ac rerum preciosarum præda abacta, cuius tamen potior pars inibi conflagrauit. Capti quamplurimi etiam ex insignioribus, inter quos antesignanus Ouczyna fuit. Huius victoriæ nuncius Regi nuptias filiæ facienti Cracouiam allatus, dici vix potest, quantopere eum exhilararit, adeo, vt etiam emerita stipendia militi soluerit, eumque insuper donatiis affecerit. Exin Rex, comitiis ad diem D. Catharinæ sacrum Petricouiæ indictis, in Lituaniam se contulit ad bellum intentandum Moscis. Eo ad postulata Nobilitatis, quæ in Lituaniam ad Regem ex comitiis superioribus miserat, à Rege responsum allatum fuit. In hisce comitiis prima constitutio promulgata erat de executione omnium legum: altera, vt antequam Rex Sigismundus Augustus iura

Ann. Chr. 1535. Mosci Lituaniam infestant.

Nuptiæ Ioach. Elect. Brand. cum Heduigi Regis Pol. filia.

Poloni cum Lituanis Holmiam obsident & capiunt.

Starodubiū expugnant & euertunt.

Comitia Petricouiæ.

iura & priuilegia regni, iureiurando confirmaret, templorum atq; cœnobiorum omnium, Ciuitates Prussiæ, Gedanum & Torunium, priuilegia atq; immunitates proximis in comitiis producerent: in quibus, si quæ iuri communi contraria forent, rescinderentur. Decreta etiam est hic expeditio publica aduersus Moldauum, qui non ita pridem Russiam igne ferroq; populatus est. His constitutis Rex binas literas restibus alligatas (quæ ex eo restium nomen sortitæ sunt) in omnes Regni partes Vilna quinta Ianuarii die anni sequentis, qui tum agebatur millesimus quingentesimus tricesimus sexus, dimisit, quibus vniuersa Nobilitas certo loco præsto esse iussa est. Oppidanis etiam currus commeatu onusti ad numerum imperati sunt, vt publicatis ternis restibus parati essent, quo ire iuberentur. Tandem missæ sunt tertiæ restium literæ sexta Martii, quibus edictum, vt cuncta Nobilitas Glinianos ad D. Ioannis Baptistæ natalem conueniret, hac conditione tamen adiecta, si alia ratio defendendæ patriæ non occurrat præterhanc, vt Nobilitas propterea conuentus generales, vt vocant, instituerent. Ad quos missi à Rege erant legati Colum & Carczinum. Ac Coli quidem tributum agrarium octo grossorum in mansum scitum est, oppidanis more vsitato cereuisiale & census imperata. His ita transactis, expeditio publica omissa est. Eo ipso anno nil præterea memorabile accidit, præterquod in comitiis Lituanicis Sigismundus Augustus Lituanis iura & prærogatiuas ipsorum diplomate confirmauit die Marco Euangelistæ sacro.

Publica expeditio aduersus Moldauum decreta.

Litera restium in Poloniam dimissa.

Ann. Chr. 1536.

Comitia Lituanica.

Comitia Cracouiæ

Hoc ipso anno comitia Cracouiam ad calendas Nouembris edicta erant, sed post ad diem D. Martino consecraneam translata, ad quæ obeunda Rex ex Lituania venerat. Absente Rege duæ partes arcis Cracouiensis, non ita pridem magnifice exædificatæ, magno omnium cum dolore exustæ sunt. Vnde futura comitia turbulenta ominabatur, quod & euentus comprobauit. Durabant comitia hæc in quartum vsq; mensem anni sequentis. Ibi Anna Massouiæ Dux Conradi Ducis Massouiæ filia vna cum marito Stanislao Odrouanzo Podoliæ Palatino in ius vocata fuit, ratione bonorum, quæ, innupta cum esset, Regis beneficio in Massouia possidebat, cum inde cedere noller, bona illa secundum fratrem iure sibi vendicans. Verum causa disceptata bona illa iure feudi ei abiudicata sunt. Odrouanzo vero Leopoliensis & Samboriensis cum Rouensi, quam nunc Barensem vocant, Præfecturæ sunt ademptæ, redditæ ei summa pecuniaria, qua Præfecturæ illæ oppignoratæ erant. Mense Februario Rex Augustus proceribus ac Nobilitati solenni more iusiurandum dedit, quod rite secundum leges à patris morte regnum administraturus sit, & quod summa rerum penes patrem, quoad ille viueret, esse debeat. Id quod Rex senior diplomate peculiari dato Regni Ordinibus cauit. Post de nonnullis capitibus inter Senatum & Prouinciarum nuncios disceptatum est, in quæ non pauci consenserunt, Rex itidem ea nonnullis exceptis approbauit. Quæ cum non ex sententia succederent, comitia rebus infectis soluta sunt. Sub idem comitiorum tempus sigillum Ioanni Choinio Episcopo Plocensi collatum est, addita & Episcopa Cracouiensi post Ioannem Latalscium, qui defuncto Andrea Critio in Archiepiscopam Gnesnensem translatus erat. Plocensis vero Episcopa, Choinio ad Cracouiensem euecto, Petro Gamrato Episcopo Premislensi mandata est. Cuiauiensis vero mortuo Ioanne

in quartũ mensem.

Ann. Chr. 1537.

Anna Dux Massouiæ à Rege in ius vocata.

Sig. Augustus Poloniæ solenniter iurat.

Inter Senatum & nuncios contentio.

anne Karnkouio Lucam Gorcanum successorem accepit. Cum itaq; indicta expeditio aduersus Moldauum publica ob comitia turbata non succederet, Rex, antequam comitia finirentur, restes per Poloniam misérat, ac primas quidem decima Februarii, alteras octaua Martii, tertia feria Paschatis tertia, edicens, vt ad visitationem D. Virginis ad Treboulam Russiæ oppidum armati adessent. Conuentus etiam Nobilitatis particulares Rex edixit. Edicta etiam per Prouincias promulgat, quo modo Nobilitas in procinctu & castris se gerat. Expediebat se igitur domo Nobilitas, & Leopolim contendebat. Eo quoq; Rex cum Senatoribus aduenit. Ibi cum esset, exortæ sunt Nobilitatis querelæ aduersus Regem & Senatum, quasi Rex iuribus & immunitatibus ipsorum præiudicaret, Senatu partim ad id conniuente, partim Regi suffragante. Ea propter Nobilitas secessione facta Leopoli in cœnobio cœtus inter se agitarunt, vbi voces liberæ ac plenæ expostulationum fuere. Postulatum à Rege, vt capita rerum quarundam, de quibus leges ferri vellent, scripto comprehensa atq; oblata approbaret, alioquin se contra hostem ire nolle. Rex postulata Nobilitatis ad proxima comitia Petricouiæ habenda reiicit, omnia se ex æquo facturum recipiens, nunc se flagitare vt arma in hostem vertant. Verum frustra, detrectabat enim militiam Nobilitas, nisi Rex ipsorum postulatis sine vlla tergiuersatione annueret. His vltro citroq; actis, autumnus præ foribus erat. Hæc dum ita fiunt ad Leopolim, ecce familiares magnatum, præsertim nobili ortiundi gene re, heris suis desertis tumultuanti Nobilitati se adiungunt. Hoc vero inprimis ægerrime ferebat Nobilitas, quod quidam ex Senatu Regi auo res erant, vt Nobilitatis, quæ pari dignatione omnis censetur, exæquata quodam tempore omnium conditione discrimen esset, prout consuetudo gentis Bohemicæ fert. Accessit ad hæc, quod cum Senator primarius Nobiles minorum gentium, qui pedibus eo venerant, nauci fecisset, adeo Nobilitatem vniuersam commouit, vt, nisi diuinitus concitatæ Nobilitatis conatus prodigiosa tempestate disturbati fuissent, parum abfuerit, quin Nobilitas in Senatores impetum fecisset, ac Regi obedientiam renunciasset. Hostis his cognitis voluptatem inde percepit maximam. Rex vero partim dolore, partim pudore affectus, quod hostem vlcisci per Nobilitatis obstinaciam non posset, exercitum, ne animi magis irritarentur, domos dilabi passus est. Atq; ita expeditio illa concidit. Cæterum Rex, ne regni limites militari destituerentur præsidio, reliquit ibi duo millia circiter equitũ sub imperio Andreæ Tenczinii Polanecensis, & Nicolai Sieniauii Belsensis Castellanorum. Atq; ita Cracouiã mœstus rediit. Ioannes quoq; Tarnouius, Castellanus Cracouiensis, exercitusq; dux, quod à Nobilitate ibidem exagitatus esset, domum se recepit, prouincia sua Sieniauio demandata.

Expeditio aduersus Moldauum non succedit.

Restes per Poloniam missæ.

Nobilitas Leopolim contendit.

Nobilitatis querelæ aduersus Regẽ & Senatũ.

Eius secessio & postulata à Rega.

Nobilitas aduersus Senatum.

In Vngaria mense Octobri clades Ferdinandi Regis exercitui à Turcis ad Ezekum, quod ab illis firmo tenebatur præsidio, illata est. Inde Mahometes Belgradensis præfectus, cui Turcarum Tyrannus limitum præfecturam commiserat, frequentes prædas agebat, ac damna plurima ex insidiis inferebat, inducias nil moratus, quæ pro veteri consuetudine his in locis velitationes, & extraordinarias incursiones admittebant. His Ferdinandus Rex irritatus iustum iterum è Germanis, Italis, Vngaris, & Bohemis exercitũ cogit, octonum millium equitum, & sedecim peditum, cum copiose omnis generis tormentorum apparatu. Dux exercitus erat, Ioannes Catianerus,

Clades Christ. anorum ad Ezekum.

Turcarum prædatio.

Ferdin. Rex exercitum cum tormẽtis Ezekum mittit.

Duce Ioan. Catianero

quem defensæ nuper Viennæ fama clarum Ferdinandus Rex ad summum militaris imperii decus euexerat. Mahometes eo cognito, è proximis Vngariæ præsidiis milites accersit, & copias nec numero, nec virtute Christianis inferiores colligit, ad Ezekum Christianos expectaturus. Delectu habito edictum sub capitis pœna proponitur, vt nemo Turcam viuum capiat, vel vltro se dedentem, nisi confecto prælio, nemo itidem prædæ inhiet, cum æqualiter illa in milites sit distribuenda. Hoc edicto promulgato, iter, quod planius apparebat, ingrediuntur, tertioq; die perueniunt in vallem quandam, aduersum ab Ezekolapidem, ibidemq; castra metantur. Post propius Ezekum castris locatis, & leuibus prœliis cum hostibus, maiore cum Christianorum clade commissis, exercitus fame, ac rerum necessariarum penuria laborare cœpit. Itaq; ducibus visum est ad expugnationem Hermandi castellli cum exercitu proficisci, in quod maxima commeatus copia à Turcis congesta ferebatur. Hic in vicino pago, cum pauxillum vini, minus autem tritici inuentum esset, castra mouentur ad Hermandum: castellum oppugnatum tandem Turcis deditionem facientibus expugnatur. Quo aperto, bina tantum farinæ, tritici, & totidem milii vasa reperta sunt. Incommodo à ducibus dissimulato, ac commeatus copia exercitui promissa, pons à Turcis deiectus instauratur. Verum cum tabulatum ferendis tantis tormentorum oneribus non esset, potioribus traductis, pons intersciſſus est. Quo facto Turcis persequendi, Christianos facultas erepta. Deliberatum hic, an maiora tormenta, quo expeditius sit iter, confringenda sint, nec ne? Eius sententiæ autor fuit Catianerus, qui Valponium contendendum rebatur: alii per Bosnam redeundum dicebant, & oppidum Iuuancham protinus expugnandam, in quo magna frumenti & vini copia adseruari dicebatur. Eodem impetu ad Iitum in proximo castellum Gara, omni genere commeatus abundans, expugnari posse videbatur, antequam hostis superueniret: neq; tormenta diffringenda, sed potius clauis ferreis esse configenda. Huic sententiam eam & Catianerus, quamuis contrariam suæ, indictaque profectione, quod ex continuis imbribus iter difficilius videbatur, ipsa quoque tormentorum tarditate impediris in locis sæpius hærebatur, ægre sub vesperam Christiani & Turcæ vno eodemque tempore ad Iuuancham peruenerunt. Erat oppidulum adiunctum, quod desertum ab ipsismet Turcis & incensum fuit, Hic tum conclamatur ad arma, & illucescente die diuersis in locis varia vtrinque fortuna dimicatum. Tandem Christiani à Turcis magnis affecti incommodis, cum neq; vllum aduersus famem subsidium, neque alia auxiliorum spes affulgeret, extremæ calamitatis casum omnes horrebant. Cum vero in campum Garæ subiectum esset peruentum, nunciatur, in proximis siluis Christianis eorumque tormentis atque impedimentis iter arboribus deiectis esse præclusum. Quæ res euulgata in castris spe Christianos prorsus deiecit, duabus tantum viis se offerentibus, quarum neutram poterant ipsi citra discrimen adire. Mahometes de his per exploratores certior factus, & spe victoriæ plenus, infestis itineribus curiose Christianorum progressum obseruabat, eo consilio, vt, cum Christiani castra mouerent, impeditis in locis sæpe dissipatos opportunis in locorum angustiis inuaderet. Ita enim peditatum equitatumque suum circa notos nemorum saltus disposuerat, vt magna quadam lunati flexus indagine

Turcæ non minores, nec inferiores copias habent.

Edictum proponitur militib. Christianis.

Castra ad Hermandi mouentur, quæ à Christianis expugnatum.

Deliberatio de tormentis confrangendis.

Christiani à Turcis incommodis affecti.

gine circumdatos inclusisse videretur. Exacta fere secunda noctis vigilia omnibus exeundi signum expectantibus, nonnulli ducis iniussu discesserunt.

Discessus initium ortum esse aiunt ab Hussaris, vti eos vocant, qui tramitum & nemorum notitia freti, Valponium versus cursum intenderunt, quos Vngari cum Styriis subsecuti sunt. Interim Catianero nuntiatur, Hussaros effugisse cum reliquis Vngaris & Styriis, cæteros non expectato tubæ signo eandem adornare fugam. Tum vero Catianerus equum conscendit, oblitusque signi dandi, quod alios iam præcessisse crederet, se se inermis in eandem fugam eiecit. In eo dilabentium tumultu Lodronius excitatur, & cum ministri ducem effugisse dicerent, respondet, fieri non posse, vt ab illo tam perfide desereretur, atque vt erat peruigilis diurnisque laboribus fatigatus, in tabernaculum rediens quieti se dedit. Paulo post nuntio ad Mahometem allato, Turcæ se se ad inuadendos hostes comparant. Sed Mahometes fraudem subueritus, expectandam lucem censet, suosque instructos subsistere, ac prodeundi signum cum silentio præstolari iubet. Exorto sole rursus excitatur Lodronius, auditoq; imminentium hostium fremitu pedites suos ad virtutem hortatur. Ad quem Carinthii equites, Saxones item, Austriaci, & Bohemi, qui ignominiosæ fugæ comites esse noluerant, concurrerunt, obsecrantes, vt pro desertore duce imperii munus susciperet, se imperata facturos, & extrema quæque pro patria, proq; Rege masculeadituros. Non suscepit delatum munus Lodronius, eo se indignum professus, exercitus tamen sortem miseratus tandem suscepit. Vix primæ cohortes sublatis vexillis castris fuerant egressæ, cum Turcæ vndiq; ingruentes truci vlulatu edito vndiquaq; se circumfuderunt, & Christianos, licet fortiter impressionem sustinentes, longe propulerunt. Pugnatum etiam alio in loco est cruento satis prælio, Saxonibus, Turingis, & Francis rem viriliter agentibus, duce Lodronio, qui in palustrem locum adactus grauiter sauciatus, Turcis spe vitæ facta se se dedit, cumque ob vulneris grauitatem perduci viuus non posse videretur, ab iis cum reliquis fere omnibus trucidatus est. Mahometes nullo prope sanguine tanta potitus victoria, ac laudatis palam præfectis, qui egregiam eo die nauassent operam, signatæ pecuniæ complures culeos sibi adferri iussit, è quibus depromptos aureos & argenteos nummos, pro meritis donatiui nomine militibus dedit. Catianerus interim non modo rei male gestæ, sed perfidiæ accusatus, & iudicio experiri non ausus, ad Mahometem fugit, & cum alios, tum inprimis Nicolaum Serinium ad proditionem incitauit. Is scelus detestatus, eius comprehendendi negotium suis dedit, & captum supplicio affecit, omnibus extinctionibus à Ferdinando Rege virtutis ergo donatus.

Subanni exitum Rex comitia in proximum annum Petricouiæ edixit ipsis epiphangiis. Eo Ordines omnes exulceratis venerant animis. Ac quia ad comitia hæc internuncii tam à Senatu quam Nobilitate electi venerant, magnæ inter eos contentiones exortæ sunt. Facessebat præterea negotium Regi causa Nicolai Rusocii Castellani Biechouiensis, qui ad comitia citatus ob cædem Thomæ Lubranscii Castellani Brestensis comparuerat, magna propinquorum caterua stipatus. Is internuncios

Fuga initium ab Vngaris & Styriis.

Catianerus in fugam se dat.

Carinthii, Saxones, Austriaci & Bohemi fugere nolunt, à quibus Lodronius dux creatus.

Qui cum reliquis Germanis à Turcis trucidatus.

Catianerus ad Turcas fugit.

Post à Serinio captus, & supplicio affectus.

Comitia Petricouia.

Nic. Russocius Castellanus Biechouien. à Rege ob cædem citatus.

enixe obtestabatur, vt Rex de rigore iuris, quo eum erga se vsurum esse metuebat, remitteret. Sed veritus, ne quid durius in se statueretur, iudicio se subducens domum reuersus est. Citati postea erant à Rege quidã ex Nobilitate primores, qui duces & authores motus Leopolienſis habebantur, sponsione militari à Rege obligati. Verum postea intercedente Senatu clementer à Rege culpa ipsis condonata est. Interea mercenarius miles, à Rege ad fines tuendos in Podolia relictus, in Valachiam eruptionem fecit, ac præda ingenti abacta, oppida aliquot exussit. Moldauius par pari referre cupiens, in Podoliam irruit, atq; incolas maximis affecit incommodis, ferro & igni longe lateq; grassans. Contra quem equitum Præfecti, qui dispositi erant per oppidain hybernis, se pararunt, licet inter ipsos intestina dissidia essent. Adorti itaq; eos primum sunt castrorum situ ac magnitudine exercitus non explorata. Andreas Tenczinius Rohatinensis, & Nicolaus Sieniauius militiæ campestris præfecti cum nonnullis aliis ordinum præfectis ad Serethum fl. consederunt, subsecutis sensim reliquis cohortibus. Valachi, quorum erant ad viginti millia cum Turcis, acies suas instruxerant. Expediebant & arma sua Poloni. Dextrum cornu tenuit Sieniauius, sinistrum Tenczinius. Concurrunt infestis animis Moldaui, ac strenue cum Polonis manus conserunt, qui eorum impetum non diu sustinuere, nec etiam illorum ordines perrumpere paucitate sua potuere. Itaq; loco cedunt. Perierunt in fluuio non pauci, capti complures, de nobilioribus sexaginta, de gregariis octingenti circiter desiderati sunt. Clades hæc accepta ferebatur ductorum discordiæ & æmulationi. Quo nomine Rex grauiter illis iratus. Nuntius cladis ad comitia allatus minori negotio offensos animos in concordiam reduxit. Atq; sic in comitiis tributum in mansum duodenûm grossorum impositum est. Constitutiones etiam comitiales conscriptæ typis mandatæ. In Silesiam & Vngariam iter mercatoribus Polonis clausum erat à Rege multas ob iniurias subditis illatas, eoq; mercium exportatione interdictum. Ideoq; à Ferdinando & Sigismundo Regibus Glogouiã post mense Maio Commissarii ablegati erant, qui inter Reges pacta firmarent. Edictum insuper publicatum, ne quisquam Nobilium ad externam militiã proficisceretur, cum Rex ipse milite mercenario opus haberet. Durantibus adhuc comitiis missus erat à Rege ad Turcarum Tyrannum Erasmus Kretkouius Castellanus Brestensis, cuius legatione effectum, vt Turca, veritus, ne Rex Poloniæ Valachiam occuparet, eum anreuocaret, exercituq; in Valachiam præmisso, eam suæ potestatis fecerit. Eo deinde Rex misit Ioannẽ Tarnouium exercitus ducem cum milite mercenario, qui cum ad Chocimum mense Augusto castra metatus esset, cuniculis sub mœnibus ad pyrium puluerem subiiciendum actis, bellum interea inter ipsos opera Ferdinandi & Ioannis Regum sopitum est. Subsequebatur in expeditione Tarnouium Sigismundus Augustus, nec dum per ætatem regni capax, vt martis aleam tentaret. Sub id ipsum tẽpus, ad finiendum Sigismundi Augusti cum Elisabetha Austriaca Ferdinandi Romanorum Regis filia matrimonium, missi erant ad Ferdinandum Rẽgem, Ioannes Dantiscus, Episc. Varmiensis, & Ianussius Latascius Palatinus Posnanienſis. A comitiis Ioannes Choinius Episc. Cracouiensis idemq; regni Cancellarius in viuis esse desiit, vir ingenii, & consilii magni, erudition is non vulgaris, dexteritatisq; in rebus agendis raræ, constantia, integritate, ac libertate in defendenda iustitia, & iniustitia oppugnanda singulari. Cui Petrus Gamratus Episcopus Plocensis à Rege suffectus est: munus vero Cancellarii Samueli Maciciouio addita ei paulo post Episcopa Chelmensi.

Meldaui in Podoliam incursio.

Pugna Polonorum & Moldauorũ ad Serethũ.

Clades Polonorum.

Iter in Silesiam & Vngariã Polonis mercatoribus clausum.

Ferdinandi & Sigismundi Regum Commissarii Glogouiam missi.

Legatio Regis Poloniæ ad Turcã.

Turca Valachiam suam facit.

Bellum inter Regem Pol. & Valachum sopitum.

Legati ad Ferd. Rẽgẽ de filia Elisabetha missi.

Ioan. Choinii Episcopi Cracouien. mors.

In Moldauia mutatio Reip.

Ea tempestate in Moldauia Stephanus Petri Palatini, vt volunt, frater, propter suspicionem affectati dominatus in exilium eiectus fratrem Petrum scelerum eius commemoratione Turcis magis inuisum reddit, pauloque post Solymannus Turcarum Tyrannus ingenti cum exercitu è Thracia profectus Danubio traiecto in Moldauiam penetrauit. Eius aduentu Petrus territus, omnibus eum deserentibus, in fugam per tesqua se coniecit. Nam in arce Siczauiæ, quam munierat, obsidionem timens, subsistere non ausus, in Transyluaniam fugit. Verum Moldauo à latere incumbente, Polonis fines seruantibus, Turcis vndique instantibus, atque adeo hostili classe mari effugiendi facultatem eripiente, cum diu oberrasset, magnaque aliquot flumina equi celeritate ac virtute prospere tranasset, Aluia fl. assiduis aliquot dierum imbribus vehementer inflatus fugam ipsius sistit, adeoque erat fame, lassitudine, & sæuæ mortis metu delectus, vt vorticibus fluminis absorberi mallet, quam in rruculenti fratris ac Turcarum potestatem deuenire. In his angustiis constituto saluti ei fuit piscator Transyluanus, forte ripam subiens, qui magnis eius pollicitationibus ac precibus victus eum traduxit, ac per siluosos notosque tramites Siczauam pedes deduxit, quo aduentu Turcarum cognito vxorem cum liberis atque supellectile paulo ante deportari curauerat. Turcarum Tyrannus, vbi Petrum Moldauia discessisse cognouit, Moldauis in fidem receptis Stephanum Petri fratrem eis præficit. Ioannes Vngariæ Rex de Turcæ in Moldauiam aduentu certior factus, cum triginta equitum millibus in Transyluaniam propere aduolat, sub prætextu, vt studium suum Turcarum tyranno probaret, tanquam ei subsidio futurus, sed reuera, vt fines suos tutaretur: vehementer enim metuebat, ne Turcæ per simulationem petendæ Moldauiæ ea occupata in Transyluaniam irruerent. Etenim Ioannes propter pacem cum Ferdinando Rege secreto factam, quæ à Lasco priuata iniuria admodum accenso Constantinopoli Bassis fuit indicata, adeo suspectus Tyranno factus, vt multis legationibus suspicionem eam ægre à se amolitus fuerit, excidisset que gratia, nisi purpurati effusis largitionibus ab ipso prensati causam eius apud Tyrannum diligenter egissent. Ideoque liberatus ea solicitudine, vbi Petrum principatu eiectum Siczauiam se recepisse accepit, ad eum obsidendum cum exercitu accurrit, vt eadem opera & veteres iniurias vlciscereturr, & Tyranno fidem suam probaret, & Stephani noui Moldauiæ Palatini beneuolentiam hoc beneficio sibi conciliaret. Verum obsidio ea expectatione fuit diuturnior, vtpote, quæ vltra quatuor menses durauerat, obsessis commeatu affatim suppetente, & Petro infracto animo omnia obsidionis incommoda perferente. Sed præsidiariis, qui ex Transyluanis & Moldauis constabant, dissentientibus omnibus, nisi intra triduum deditionem facerent, extremum supplicium denunciatum. Petrus, priusquam suorum dissensio in apertam seditionem ac cædem erumperet, necessitati parendum ratus, facta deditione Regi portas aperuit, testatus, id circo se seipsum, vxorem, fortunasque omnes eius fidei tradere,

Turcæ in Moldauiam aduentus.

Petri Palatini fuga in Transyluaniam.

Stephanus Petri frater Moldauis à Turca præfectus.

Ioan. Regis Vngar. in Transyluaniam aduentus.

Ioannes Rex Turcæ suspectus.

Ioan. Rex Petrum Siczauia obsidet.

Petrus facit deditionem

quod probe nosset, Ioannem in iniuriis obliuiscendis esse facilem, atque confidere, sibi adflicto apud eum, qui in simili calamitate aliquando fuisset versatus, humanitatis locum neutiquam defuturum. Ioannes Rex bono animo Petrum esse iussit, seque Sczauia contentum fore affirmauit, quod oppidum illud olim Vngarici iuris fuisset, arcis possessione ipsi vxorique, præsidio tantum mutato, relicta, in qua ab iniuria tuti meliorem rerum euentum expectarent. Stephanus vbi didicit, fratrem Ioanni Regi deditionem fecisse, per legatos Solymannum obtestatus, vt eum sibi à Ioanne tradi mandet, quod eo superstite Moldauia ab intestinus motibus nunquam futura sit immunis. Ioannes Rex à Turcico Tyranno frequentibus literis ac nuntiis de Petro tradendo solicitatus, negat sibi licere per summam perfidiam calamitosum hostem prodere, verum vt Solymanno obsequium præstaret, curaturum se, vt Petrus in eadem illa arce tamdiu tuto adseruetur, quamdiu ipsi videretur, quo Stepanus in Principatus possessione interim securus sit. Tandem Tyranno eum seuerissime repetente, & Bassis ea cunctatione Maiestatem eius lædi dictitantibus, rescripsit, se Petrum non tanquam captiuum, sed legatum Constantinopolim ornatissimo cum comitatu transmissurum, vt à culpa coram se purget, modo Solymannus minime dubiam gratiæ ac veniæ spem ei faciat. Tyrannus clementiæ laudem affectans, petitioni eius assensit. Itaque Petrus Constantinopolim missus, præ cæteris purpuratis seu Bassis Luphtibeio fuit commendatus, cuis patrocinium summa apud Tyrannum autoritate valentis, amplissimis ei donis exhibitis, sibi promeruit, per quem ad Tyrannum accessu pateracto adeo luculenter causam egit suam, vt cum motorum à se bellorum causas ac successus, quibus ærarium admodum fuit exhaustum, Gritti causam, fratris, & procerum dolos, ac antiqua finium iura cum Polonis explicasset, veniamque delictorum supplex petiisset, inique cum ipso actum videretur, præsertim purpuratis iniquum censentibus, virum tam fortem aduersis eiusmodi casibus iactari. Cæterum Tyrannus Petrum iudicio suspenso neq; condemnauit, neq; liberum pronunciauit, ne Iohannis Regis fidem erga se in dubium vocaret, vel sceleratis æquior præter morem videretur. Idcirco in Peram Ligurum coloniam relegatus est, magno beneficio ipsius, cum ibi in exilii solatium ac spem Principatus recuperandi cum Christianis ei conuersari liceret. Cuius sui voti paucos post annos factus est compos.

Stephanus Solymannii erat, vt Petrut ei à Rege Vng. tradatur.

Turca Petrum à Rege Vnga. Ioanne repetit.

Petrus Constantinopolim missus.

Causam suam agit.

Iudicio suspenso

in Peram relegatus est.

Proximi anni mense Februario pax inter Ferdinandum & Ioannem Vngariæ Reges Varadini confecta est, sed eo rerum statu necessaria potius quam honesta, Vngaris autem exoptata, quibus vel in partes eius distractis conditionibus cauebatur, vt fortunæ incolumes manerent, vel his, qui antea Ferdinandum secuti solum vertissent, vrbesque, oppida, vicos arces, quæ tum in potestate essent, suo quisque præsidio tueretur: Ioannem vero Ferdinandus Regem appellaret, cum eum antea sermone ac literis Vaiuodam siue Palatinum è vetere Transyluaniæ Præfectura vocare consuesset. In tabulis autem conscripti obsignatique fœderis diserte fuerat appositum, subscribentibus Vngariæ proceribus, vt, si Ioannes vita decederet, Ferdinandus totius Vngariæ regno potiretur. Ea conditio sum suppressa est metu Turcarum tyranni, cuius id regnum esset tanquam belli

Ann. Chr. 1539. Pax inter Ferdinandum & Ioannē Reges.

Pacis condiciones.

belli iure captum, ac beneficiario duntaxat nomine Ioanni concessum. Cum de concordia Ioannes Rex consuleret Tyrannum, is non probarat modo, sed amice etiam suaserat, vt calamitoso atque ancipiti bello certam ac honestam pacem præferret, vtpote qui contra Parthos in Asiam traiecturus nullam omnino noui belli materiam in Europa relinquere vellet. Verum res Tyranno post innotuit. Ferunt enim, Hieronymum Lascum Palatinum Siradiensem, qui à Ioanne superioribus annis defecerat, pro Ferdinando Rege susceptalegatione Constantinopolim Tyranno conditiones detexisse, quibus pacem duo Reges inter se iniissent. Vnde ingens odium Ioanni conflatum. Cæterum Ioannes Rex re cognita vehementer sibi timens, peridoneos homines operam dedit, vt eius facti calumniam multis donis opportuno dilueret. Sed tantam postea contumeliam, quæ non suam modo, verum Reipublicæ salutem in discrimen vocaret, à Ferdinando Rege indigne sibi impositam apud Principes graviter est conquestus, misso ad id Ioanne Statilio Albæ Iuliæ Episcopo, qui ad Pontificem Venetosque, ac demum ad Franciscum Galliæ Regem probrosum eius iniuriæ nomen detulit.

Eodem anno Iohannes Rex regno in spem pristinæ felicitatis restituto, Budaque præsertim admirandis operibus communita, vxorem duxit Isabellam Sigismundi Regis filiam ex Bonæ Sforziæ coniugio primogenitum. Abhorrebat ille quidem à nuptiis, iam ea ætate valetudine infirma, verum procerum Vngarorum precibus id dederat, suadentium, vt cælibatum abrumperet, & Vngarici sanguinis proles legitimo illustrique coniugio susciperetur, quæ Patri aliquando succederet, stirpemque propediem intermorituram propagaret. Accedebat & affinitas cum Sigismundo Rege, qui in priori coniugio sororem Ioannis habuerat: videbatur enim vicini Regis iterata affinitate res Vngaricas maxime confirmatum iri. Probabat & has nuptias Turcarum Tyrannus, qui antea in Ioanne cœlibis vitę statum improbabat. Sed non æque placuerat Ferdinando, quanquam & ipse Sigismundi Regis filium Regem Poloniæ designatum sibi generum adsciuisset, vt pote qui præuideret, Vngaros contemptu odioque externæ gentis superbos puero ex hoc coniugio suscepto protinus in sui sanguinis prolem studia conuersuros. Deducta est noua nupta in Vngariam ad sponsum à Stanislao Tarlone Episcopo Premislienſi, & Petro Opalinio Castellano Gnesnenſi magna cum pompa atque apparatu.

Ioan. Rex Vng. vxorem ducit.

Subsecuto anno venit Cracouiam mense Februario legatus Pontificius Hieronymus Rosarius, qui à Paulo III. Pontifice Sigismundo Augusto parentibus præsentibus pileum & ensem Iohannis dedicatum ceremoniis in templo arci contiguo obtulit, hortatus & obtestatus eum Pontificis nomine, vt religionem Catholicam tueatur, atq; exemplum capiat de Germanis, qui defectione sua ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ Romanæ in summas difficultates coniecti ciuilibus malis agitarentur. Cui Sigismundus Augustus respondit: agere se gratias Deo pro luce illa, qua illustrare se dignatus sit, velle per Dei gratiam in ea constanter ad extremum vitæ habitum perseuerare, Catholicamque Ecclesiam Romanam pro viribus propugnare. Inde Rex Sigismundus ad Ioachimum Marchionem Brandeburgicum Electorē generum suum, qui in ditione sua religionis reformationē instituerat, Romana è finib. suis exterminata, legatū misit Lucā Gorcanū Episc. Pomaniensē, qui Electo-

Ann. Chr. 1540. Legatio Pontificis ad Sig. Augustum. Responsum ad legationem Sig. Augusti. Legatus Regis ad Electorem Brādeb. de religione mutata.

Responsum Electoris.

Electorem ad constantiam religionis Catholicę Romanæ regio nomine cohortaretur. Cui ab Electore hanc in sententiam responsum: Principio se consilio pio & ea moderatione, quæ Principem Christianum decet, in ecclesiis suæ ditionis manifesta vitia correxisse, & ea quidem moderatione vsum, vt non solũ nil contra Catholicæ Ecclesiæ Christi sentẽtiam receperit, sed ne quidem authoritati Episcoporum quidquam detraxerit. Causam dein adducit principem, quod cum DEVS non simulatis aut fucatis officiis, sed vera pietate colendus sit, superstitiones autem multæ & næui veteres in Ecclesiam irrepserint Episcoporum negligentia atque Doctorum insciitia: grauem se ac piam causam habuisse ea vitia emendandi. Ad hæc non solum disciplinam laxatam incusat, sed etiam discordias ipsos inter Doctores obortas. Proinde vt populus sciat, quid amplecti, quid fugere debeat, Ecclesiæ se sinceros Doctores præfecisse. Itaque nunquam discessurum se à scopo ac sententia Catholicæ Ecclesiæ Christi. Quod vero exempla obiiciuntur aliorum Principum, qui nimii fuissent in innouanda religione, non sine discrimine se omnia correctũ iuisse, nec vlla suppliciorum immanitate consilium suum stabiliuisse. Contra autem affirmat, consensum Catholicæ Ecclesiæ se amplecti, qui in scriptis Propheticis atque Apostolicis, veteribus canonibus, ac probatę fidei scriptoribus extet, policitumque Synodo, si quando rite conueniret, non de futurum esse. Ac diu quidem se cõcilium expectasse legitimum: verum cum animaduertat, Pontifices non admodum expetere, committere noluisse, vt suæ ditionis Ecclesiæ dissiparentur, aut in solitudinem redigerentur. Concludit tandem, sperare se, Regem non improbaturum hanc ipsius in moderandis abusibus quibusdam voluntatem, præsertim cum & coniugis suæ filię ipsius Regis accedat consensus. Cæterum de ritibus se non admodum puguaturum, modo doctrina sit salua. Circa idem fere tempus in Prussia Lutheri doctrina incrementa cepit. Torunienses enim, Gedanenses, & Elbingenses ab Ecclesia Romana etiam secessionem fecerunt, ac ritus consuetos nonnihil immutarunt. Id vbi Rex cognouit, dat ad eos literas, mandans, vt & religionem veterem, & quæcunque alia pristinum in locum restituant, pœnam, ni pareant, constituens. Cum vero illi, præsertim Gedanenses, facti rationem redderent, probarentque, doctrinæ suæ confessionem sacræ scripturæ consensu niti, id quod Rex non concedebat, edicta postea regia ad se missa de re frumentaria frumentoque vendendo nec promulgare, nec affigere voluerunt.

In Prussia Lutherani dogmatis incrementum

Io. Regis expeditio in Transyluaniæ Præfectos.

In Vngaria Ioannes Rex expeditionem aduersus Transyluaniæ Præfectos suscepit. Erant ii Mailatus Gritti cæde celebratus, & Balassus, quem Rex Mailato collegam addiderat, qui perfidia summa petierat à Solymanno Turcarum tyranno, vt authoritate eius Transyluaniæ Rex salutaretur. Quod si obtineret, sacramentum Turcicis Imperatoribus se daturum policebatur, quotannisque pensurum tributi nomine centum auri pondo. Verum Tyrannus hominis perfidia commotus de tota re literas ad Ioannem Regem misit, vt vel inde moneretur, quorum hominum fidei prouinciam commendasset. Ita Mailatus contumelioseiectus à Tyranno, Ioannique detectus ad Regem Ferdinandum transiit, ne postquam regni spe decidisset, præfecturę quoque honore vindicante id facinus

Mailatus ad Ferd. Regem transit.

Ioanne

Ioanne Rege cum perfidiæ nota amoueretur. Accidit autem peropportune turbandis rebus, vt Ioannes Rex Transyluanis pecuniam imperaret, qua Solymanno tributa biennio intermissa penderẽtur. Id erat nouum acerbumque genti feroci, quæ vel ob id iniuriam ferre non poterat, quod aurum e natum in patrio solo ad immanes Turcas indigne exportaretur. Itaque concitati ad arma, non obscure imperia detrectabant, Mailato Balasioque rem proclinatam adiuuantibus. Ioannes Rex vbi videt eorum contumaciam ad arma propendere, gliscentis mali initiis occurrendum statuit, præmissisque ducibus ipse nondum confirmata valetudine in Transyluaniam festinat. Itaque diuisis inter se copiis duces diuersas vno tempore regionis partes inuasere, diffusoque terrore belli Regisque clementia ostentata ita rem gessere, vt plures, qui Præfectorum inductu defecerant, ad officium redirent. Mailatus enim viri us impar nusquam consistere ausus, incertis itineribus per campos syluasque vagabatur, ad extremum errando fessus vndique vrgente hoste in oppidum Fogaros se contulit, in quod thesauros prædæ Griticæ condiderat, Itaque duces admotis castris prolatisque tormentis, obsidere atque oppugnare cœperunt. Constiterat Ioannes ad Sibinium, quod vnius diei itinere à Fogaris distat. Ibi in consilium aduocatis Prouinciæ Ordinibus, cum de Mailati perfidia grauiter esset questus, exposuit, quantæ necessitatis esset Turcarum amicitiam tueri, à qua nisi magno cum incommodo, & haud dubia clade discedere non possent. Interea Regem acrior inuasit morbus, quem inter susceptibelli curas à solstitio graues æstus, ac longi itineris præpopera vectatio adauxerunt. Obsidebatur interim Mailatus, cum decumbenti allatum est, Reginam felici partu filium enixam. Tum vero Vngari incredibili lætitia affecti, ad Regem gratulatum irrumpunt, tormenta de more disploduntur, paraturque conuiuium, in quod vel inuitus Rex procerum manibus infertur. In eo cum liberalius genio indulsisset, denuo accensa est febris, cuius vim diu sustinere non potuit. Finem vero vitæ animaduertens, filium testamento reliquit hæredem, Georgium Martinusium Episcopum Varadiensem, vulgo Monachum cognominatum, propter fidem ipsius, ac Petrum Vichium sanguine sibi coniunctum tutores instituit, obtestatusq; est singulos proceres per antiquum Vngarici nominis decus, vt sui sanguinis potius, quam externæ gentis Regem in Vngaria paterentur. Futurum eni n, vt Solymannus regni tutelam susciperet, si ad eum legati cum muneribus protinus mitterentur Suppressa est tantisper mors eius, dum cum Mailato de compositione transigeretur, cui significatum, Regem in tanta suscepti filii lætitia priscinæ gratiæ memorem, Præfecturæ munus ei singulari clementia relicturum, si in suum filiique futuri Regis verba iuraret. Non detrectauit conditionem Mailatus pluribus malis circumuentus. Atque ita funus Sibinio comitante magna exercitus parte delatum est Albam regalem. Verum priusquam Sibinio mouent castra, consilio habito eandem, quæ instructa viuente Rege fierat, legationem ad Turcarum Tyrannum decreuerant. Quam Ioannes Exechius Quinqueclesiensis Episcopus, & Stephanus Verbetius obiuerunt, munera Tyranno ferentes, pateras ex auro decem, cælato autem argento inauratas centum, aurique simul signati quinquaginta pondo, quę biennalis tributi nomine penderentur. Interea ad Albam regalem insigni pompa apparatuque Regis funus celebratum est, impositaque infantis capiti so-

Idem Fogaros se recipit, quod obsidetur.

Ioannis Regis morbus.

Et filius natus.

Cui tutores instituti.

292

Ioannis Regis mors.

Legatio Vngarorum cum donis ad Turcam.

Funus Ioannis Regis ad

Albam regiã celebratum.

lennibus ceremoniis antiqua illa corona, quæ Stephani Vngariæ Regis primi fuisse dicitur. Isabellæ vero Reginæ ius imperii communi Procerum studio delatum, ea lege, vt in publicis literis filii matrisque nomen præscriberetur, eodemque titulo regia moneta cuderetur, Georgius vero Monachus summam potestatem erarii arciumque habebat, armorum militumq; cura Valentino erat demandata. Medius inter hos Petrus Vichius, quod Regem sanguine attingeret, tutor que esset adscriptus, pro suo iure & authoritate multa monere, corrigere, mandareque poterat.

Ferd. Rex molitur bellum Vngaricum.

At Ferdinandus Rex nunciata Ioannis Regis morte ad occupandum regnum animum adiicit, multis ad id eam incitantibus regni proceribus, qui occasionem dignitatis recuperandæ minime negligendam dictitabant. Idem & Germani asserebant, qui militiæ dediti aut primos honores, aut alarum cohortiumque præfecturas in exercitu sperabant. Verum Hieronymus Lascus Palatinus Siradiensis consilio potius quã armis repetẽdum Vngariæ regnum suadebat, illudq; à Solymanno Turcarũ tyranno beneficiario iuris nomine, quod id dono datum accepisset Ioannes, petendum.

Leg. ad Turcam.

Non displicuit consilium Ferdinando Regi, & ipsum Lascum, qui iam in Turcica aula nõ ignotus erat, id legationis munus obire voluit. Interim nihilominus Ferdinandus à belli cogitatione minime sibi discedendum ratus, mittit Nicolaum Comitem Salmensem ad Reginam viduam, qui eam admoneat recentis cum marito defuncto pactionis, cuius ea summa erat: vt eo defuncto regnum ad Ferdinandum deuolueretur, hortaretur-que, vt sponte regno decedat. Id si faceret, Ferdinandum Regem filio eius Scepusianam prouinciam concessurum, vti antea diserte extabulis interditus. Sin recusaret, sciret, neque Cæsari, neque Ferdinando Regi de futura media, quibus regnum reperirent, tanquam antiquo iure & nouo multorum Vngariæ procerum consensu Austriacæ domui attributum. Legatus vbi Budam venit, ægre tandem ad Reginam admissus, proceribus quibusdam id impedientibus. Accessu permisso, id demum à Regina, multo etiam tum mœrore ex mariti obitu perturbata, responsum tulit. Eam esse fortunam sexus ac ætatis suæ, vt orbata Rege coniuge corporis animique doloribus fracta, neque suscipere, neque definire consilium queat, cum in re longe grauissima Poloniæ Regem patrem omnino consulendum existimet. Perere se proinde spacium, quo Pater consuli possit, se enim ab eius sententia minime discessuram, ac idem facturos proceres. Quod si id moræ spatium denegetur, atque armis agendum putent, egregiam certe laudem non ferent, inquit, Cæsar & Rex, si viduam fletu consumptam, & vagientem in cunis puerum oppugnatum aduenerint. Legatus ad Ferdinandum Regem reuersus, postquam regni statum, ac qui illic rerum potirentur, explicuit, sua oratione id effecit, vt Rex actutum conscriptus Strigonium, cui præerat cum imperio Leonhardus Velsius è Rhetia superiori, qui multis de causis aperiendum iter Budam versus arbitrabatur. Occurrebat enim à Strigonio euntibus Budam medio ferme itinere Vissegradum, quod diebus nouem oppugnauit, resistentibus acriter præsidiariis. In qua oppugnatione ducenti circiter milites strenui desiderati. Tum vero Velsius Vissegrado profectus classe amnem transmittit,

Ferd. Rex Reginã viduã bellum infert.

Vissegradũ oppugnatũ & expugnatum.

rit, Pestumque occupat ab hostibus desertum, & ad Vacciam eadem celeritate contendit, eamque sine sanguine potestatis suæ facit. Extemplo ad citeriorem ripam conuersa classe reuertitur, promotisque inde castris ad Budam est profectus, vt per colloquia Budensium animos tentaret, exploraretque Reginæ consilia, & ex propinquo ostentatis copiis atque tormentis terrorem vrbi incuteret. Cæterum Velsius obsessurus potius, quam oppugnaturus vrbem, ad aquas calidas castra locauerat. Sed non tentata oppugnatione ad Vissegradum iterum se conuertit, vt præaltam illam arcem expugnaret. Nec diu Vngari præsidio imposito vim ingentium globorum tulerunt, cum eadem ruina, qua turris ad Danubium adaperta conciderat, splendidi ædificii testudines, pinnæque, & propugnacula nil intermissis ictibus concussa frangerentur. Capta per deditionem arce, paulo post ad Albam regalem contendit, vt Ciuium primores tentaret: nam Perenus, Vir apud Albanos insignis authoritatis, peridoneos homines adhortando, pollicendoque immunitates ac præmia, nonnullos perpulerat, vt à Regina deficerent. His persuasionibus celeriter effectum, vt ciuitas, quæ vi expugnari non poterat, promissis blandisque colloquiis in Ferdinandi Regis potestatem venerit. His gestis, Velsius ad Strigonium castra redux t. vel ob id, quod Germani cum Vngaris rixas miscerent, statimque instante iam hyeme, ac militibus stipendia perentibus, in hyberna copias dimisit, Pestumque inprimis præsidio imposito, ac nouis erectis munitionibus firmauit, eo quod frequentibus nunciis adferretur, Turcas finitimos arma parare, vt Budensibus auxilio mature venirent. Regina Isabella, vbi à Ferdinando bellum parari cognouit, consilio Georgii Monachi è vicinis Turcicis præfectis mature opem petendam iudicauit. Verum cum diu frustra eos solicitasset, ad legatos, qui Constantinopoli erant, de periculo suo certiores fecit, vt per eos Solymanno idem innotesceret. Nondum peruenerat Constantinopolim Lascus, morbo in itinere detentus, qui præmiserat Ptolemæum Atiminensem medicum ad purpuratos, Lustitbeiumque imprimis familiaritate sibi coniunctum, magnisque antea conciliatum muneribus, per quem omnia se impetraturum sperabat. Sed irritus fuit Ptolemæi conatus. Solymannus enim magno sibi commodo, ac magnæ item gloriæ futurum arbitrabatur, serio necne ostentato pietatis studio, viduam pupillumque tanta in calamitate protegeret. Itaque aduocatis legatis, eo se animo Ioanni regnum concessisse dixit, vt ad liberos eius transmitteretur, tam diuque posteri eius stirpis Vngariæ regno potirentur, quam diu accepti beneficii memoriam retinerent. Proinde ad declarandam promissionum suarum constantiam, se arma sumpturum, daturumque operam, ne hostes illati belli exitu lætarentur, tradiditque legatis puero Regi deferenda susceptæ turelæ insignia, purpuream auro intertextam togam, & clypeum elaborato vmbone rotundum, ferream item clauam, manubrio aureo, & incuruum gemmata vagina gladium. Exinde Vstrepho Bosnensi, Mahometique Belgradensi præfectis seuere mandauit, vt illi eo Reginæ opem ferrent, necaduersam hyemem causati moras necterent. Vix dum Vngari legati cum donis Budam discesserunt, cum Lascus Constantinopolim venit, ibi edoctus à Ptolemæo de successu legationis,

Pestum occupatum & Vaccia.

Buda obsidetur à Ferdinandi Regis exercitu.

Vissegrad. arx capta.

Alba regia ad Ferd. Regem transit.

Isabella Regina viduã auxilium Turc. implorat.

293

Responsum Solymanni legatis Vng. datum.

cum mandata exponerer, & æqua conditione regnum peteret, assidueque in ore Cæsarem fratrem totius Germaniæ copiis aduturum haberet, commoto ob id Tyranno custodiæ traditur, frigidam suffundentibus puratis. Interea Mahometes & Vstrephus, nil deterrente hyeme, dispersos in hybernis equites ad signa vocant, classemque in Danubium deducunt. Sed tam intensum per eos dies inualescente iam hyeme frigus fuit, vt adstricto prælta glacie Danubio cuncta nauigia ad Tolnensem ripam vadis inhæserint vsque adeo, vt marginibus late gelu concretis vix in medio tantus amnis apertus profluere spectaretur. Ea res magno incommodo Turcis fuit, cum ad tuendam classem ibi consistere, atque castra ponere, ferreque subtentoriis hyemis asperitatem cogerentur. Verum mitescente hyeme, & vere insequentis anni appropinquãte nil cũctatus Mahometes remiges supplet, pedites Marteleſios ex Illyricis montib. accersit. Idẽ quoq; facit Vstrephus, & vtrisq; Valẽtinus cognomẽto literatus militũ præfectus, Bũda obuiã profectus strenua cum Vngarorum manu cõiungitur. Regina exercitui Turcico commeatum suppeditante, ac tormenta ad oppida expugnandum, præfecti inito consilio Danubium copias traducunt, Vacciamque delati capiunt, trucidatique nonnullis protinus incendunt. Inde Pestum oppugnatum eunt, quod egregie à præfectis castelli defendebatur. Regina interim parcius cõmeatum Turcis præbebat, vtpote, quæ sibi annonam, nisi parce metiretur, priusquam frumenta marurescerent, defuturam timerer. Hanc ob causam, & quod passim equi interirent, Turcæ re infecta, traiecto rursus Danubio, restitutisque tormentis intra fines redierunt. Vngari in abeuntes irruptione facta nouissimos cædendo longo itineris spatio persecuti sunt. Id vbi Ferdinandus Rex in comitiis Ratisponensibus accepit, Cæsari facile persuadet, vt Vilhelmus Rogendorffius aulæ magister nouis cum copiis in Vngariam mittatur. Is ad priorem exercitum vbi peruenit, Budã oppugnare instituit, sed ab aliis omnino locis, secus ac ipse antea animo concepisset. Ad oppugnandam igitur arcem, terrendãmque Reginam, tormentis productis adeo quassauit turrem in arce, vt ingentibus disrupta pilis collapsura videretur, verum triplex arcis murus maiorem expugnandi, intercedente præsertim vallo, difficultatem ostendebat. Itaque Rogendorffius tempus sumptusque comparsurus per fecialés Reginam hortatur, vt deditionem conditionibus honestissimis, quæ ei pridem propositæ essent, faceret, sin abnueret, extrema quæque interminatur. Ad ea Monachus respondet, non esse adeo insipidam Reginam, vt Vngariæ regnum Scepusiano Principatu permutare velit. Nec multo post Rogendorffius à monte Gerardo ad sepulcra Iudæorum motis repente castris omnem tormentorum apparatum transtulit, & inde ad arcem, qua regii visuntur horti, tanta vi concussit murum, vt pars perfracta procideret, pars vero premente atque impellente interno aggere, quem intus Budenses subitariæ munitionis causa mœnibus adstruebant, inexpectato casu in exteriora laberetur. Quæ res propugnantes magnopere conterruit. Cæterum vsque adeo mœnia tormentis adaperta prostrataque conspiciebantur, vt in longitudinem vnius fere stadii eminente tantum ad altitudinem staturæ hominis antiquo aggere, vel breuibus scalis se facile scansuros, ac in vrbem irrupturos milites dicerent. Idcirco aliquot prolatæ sunt scalæ, & per tenebras magno silentio iuxta ruinas appositæ eo consilio, vt sub auroram compositis ordinibus conferti milites subirent.

Lascus Ferd Regis legatus custodiadatus

Turcæ Isabellæ Reginæ opem ferunt.

An Ch. 1541.

Vaccia à Turcis capta.

Pestum obsessum.

Turcæ re infecta domũ redeunt.

Vilh Rogendorffius in Vngariãmissus.

Buda à Ferd. Regis exercitu obsessa.

subirent. Verum Budenses ab hostili mora spatium nacti, nouum intus aggerem protinus aggesserunt, animaduersisque hostium scalis, eas continuo abripuerunt, Germanosque sub aurora instructa acie per accliuia subeuntes, & magna vi munitiones adortos non sine strage insigni in fugam verterunt. In quo receptu eo maius damnum acceptum ab illis, quod quo longius à mœnibus recedebant, eo atrocius atq; frequentius tormentariis glãdibus sternerentur. In eo conflictu Rogendorffius vltra octingentos deside rauit. Pari quoque euentu, sed minori damno accepto Perenus ad Sabatinam portam reiectus est. Exinde Budenses adeo hostes contempserunt, vt erumpere sæpius non dubitarint. Tentauere demum Germani duces effossionibus atque cuniculis murum subruere, inditoque, ac demum succenso intus tormentario puluere, adapertisque mœnibus subitarium in vrbem aditum parare. Sed Budenses deprehensis hostium consiliis fossas introrsus ex obliquo egerunt, per quarum spiramina acensi puluueris flamma sine damno erumperet: vrgebantur tamen tanta variarum rerum inopia, vt neq; aquam paulo longiorem sustinere obsidionem posse viderentur, parumque abfuit, quin vrbs ipsa proderetur opera cuiusdam Vngari.

Exercitus Ferdinandi à Budensib. fugatus.

Budensium constantia.

At Solymannus Turcarum Tyrannus cognitis, quæ à Cæsare fratreq; eius aduersus Reginam viduam parabantur, diuisis copiis vndiquaque statuit occurrendum. Imprimis vero Mahometem Bassam natione Dardanum, qui obsessæ Reginæ opem ferat, in Vngariam proficisci iubet, deligiturque & Vstrephus ex Illyrico, qui Mahometem subsequatur, subsistatq; Belgradi intentus ad ferendam opem, si Mahometes firmiores hostes inueniret. Et quia Solymannus Mailatum in Transyluaniam Ferdinandi Regis rebus studere, bellumque moliri didicerat, aduersus eum Nicopolitanum præfectum ire iussit, imperauitque Moldauiæ Palatino, vt Nicopolitano præfecto bellum gerenti adesset. Is Turcarum copiis triginta millia suorum equitum adiunxit, magnoque astu Mailatum in potestatem redegit.

Solymãnus Reginæ viduæ opẽ fert vndiquaq;.

Aduersus Mailatum ire iubet.

Mailatus in potestatem redactus.

Mense deinde Iulio Mahometes in Vngariam appulit, adiuncto sibi ex itinere altero Mahomente Belgradensi, & Bosnensibus copiis euocatis. At Germani, vbi de Turcarum aduentu certius cognouerunt, ex consilio Rogendorffii castra in aduersam vrbis partem ad Gerardi montis radices transferunt, vt aduentantes Turcæ, quos nihil à classe flumineque discessuros videbant, contra rectam tormentisque munitam castrorum frontem procedere cogerentur. Mahometes vero Belgradensis per colles, qui Gerardo monti coniunguntur, editiorem capit locum, Vngarorum magis quam Germanorum castris propinquum. Binis vtrinque eo modo constitutis castris, binæ quoque Germanorum & Turcarum classes accedebant. Pugnatum post quotidie minutis præliis iuxta planitiem ab equitatu, & ad superiores munitiones, ac in monte ab extraordinariis peditibus. Transierant iam multi dies ab aduentu Mahometis, magisque ac magis Turcis atque Budensibus animi crescebant. Porro Austriacos ancipitis pugnæ omine sinistro debilitatos sustentabant tamen Ferdinandi Regis literæ frequenter superuenientes. Cum sic vtrinque quotidie tormentis maioribus ac minoribus certaretur, Turcæ ab editioribus locis, & è proximo promontorio conspicati segnes in insula militum stationes, vt è duobus castris vno tempore diuersas hostium munitiones inuaderent, exoriente sole in insulam cum expeditis nauigiis aduolarunt, adortique magno silentio

Turcicæ præfecti in Vngariam appulerunt.

Germanica castra mutãt.

Velitares pugnæ frequẽtes.

Austriacorum clades.

Austriacorum clades.

semisopitos, pene priusquam sentirentur, supra sexcentos trucidarunt, reliquos vero ex repentina clade tantus inuasit pauor, vt cum perfugerent in castra, nec perturbatos angusti pontes facile caperent, multi vtrinque decidentes in præterfluente mergerentur, transeuntes vero è Turcarum classe, quæ in aduersum pontem proras adegerat, tormentorum glandibus interficerentur. Tumultu & trepidatione tota castra fuerunt repleta, Turcis pluribus simul locis magno clamore, ac ingenti tormentorum strepitu munitiones inuadentibus, parique metu ac periculo reliquis Germanis, Bohemis, atque ipsis Vngaris desperato pene subsidio præliantibus. Sequentibus diebus Turcæ, tametsi illa in parte munitiones expugnare nequiuerant, propugnaculoque Bohemorum fere capto, inde multis vulneribus expulsi fuerant, magis tamen ac magis trepidatione Christianorum alacriores facti, tanto contemptu ex omnibus locis lacessendo infestabant castra, vt illi diutius ea se tueri posse, crescentibus hostium copiis atque animis desperarent. Sed præter singularem Germanorum Bohemorumque in omni labore atque periculo perseuerantiam magno vsui fuerunt Pestanorum tormenta, quibus Valentini copiæ intercedente Danubio petebantur. Ferunt ea die Valentinum nil Vngaris exulibue, sed Germanis maxime infensum, certo iure priuatæ amicitiæ per equitem fidum Pereno suasisse, vt se Vngarosque omnes festinanter imminenti clade eriperent, quoniam bellua ingens, quæ vniuersos vno hiatu deuoraret, aduentare nunciaretur. Itaque Perenus apud Rogendorffium duces que libere locutus, quæ accepisset, retulit, testatusque est, nisi de recepta decerneretur, sibi atque Vngaris ad salutem esse consulturum. Inter hæc Hussari duo perfugæ ad Georgium Monachum Valentinumque institutæ fugæ consilium detulerunt, ab his extemplo certiores facti duo Mahometes, totis pene copiis ad oppugnanda castra contendunt, terribilique vlutatu edito stationes adoriuntur. Tum vero Austriacis animus concidit, resistunt tamen acriter Bohemi, iisque Germani, qui iuxta flumen ad insulæ pontem excubabãt. Trepidatum autem fuit vndique, & in ripa maxime, cum quisque pauore concepto ad naues conscẽdendas nullo pudore vel per mutua vulnera properaret. Rogendorffii autem in tenebris tantoque fremitu suorum ac hostium clamore reboantibus vndique tormentis nullum erat imperium. Cæteri peditum duces, cum iam transuectis equitibus fugam, quæ sibi eriperetur, vehementer inuiderent, hærebant potius quam irruentibus hostibus repugnabant. Itaque superiora primum castra vbi Perenus constiterat, à Turcicis occupantur, Germanique toto Gerardo monte præcipiti fuga dilabuntur. Tum vero tormenta vndique in fugientem classem directa, & nauigia etiam ad incertos ictus petita sunt, consertoque prælio nauali lintres aliquot militibus pleni capriuntur, nonnulli tormentis perforati demerguntur, repletur fluuius cadaueribus, miserabilique præsertim turba nautarum, & militum enatare conantium. Die autem illucescente circiter tria millia, qui ad Gerardi templum erectis vexillis cõfluxerant, trucidata sunt, eorum tamen pars fere tertia, cum proiectis ad terram armis salutem peteret, deditionem fecit, maiore suo cum modo, quam si cæsi fuissent. Eodem tempore Cossonus, qui classi præerat, victrice classe ad Pestanam ripam delatus, tantum terrorem his, qui euaserant, vel solis clamoribus & tormentorum boatu intulit, vt equitatus & Germani

Perenus discessum suadet.

Turca castra inuadunt.

Clades Christianorũ ad Budam.

Pestum à Turcis captum.

Germani curribus desertis inermes profugerent. Hæsere tamen Hussari, apud quos prædæ cupiditas plus potuit, quam metus mortis, diripiendarum mercatorum tabernarum causa. Cæterum Cassonus nemine mœnia aut portas defendente protinus irrupit, prædantiumque aliquot cæcidit, & ne ægris quidem, quorum magnus erat numerus, fœminisque lixarum more Germanorum castra sequi solitis pepercit. Traduntur eo conflictu supra viginti millia Christianorum interempta: tormenta autem muralia capta sunt Pesti & in castris, insulaque & in nauigiis in ripam nondum exposita triginta sex, minora autem, quæ curribus imponerentur, centum & quinquaginta. Porro tormentarii pulueris pilarumque ferrearum, ac armorum atq; telorum, & parati commeatus in totam hyemem, adeo ingenti copia potitus est hostis, vt ea præda potior victoriæ pars censeretur. Ipse autem Rogendorffius, cum expugnata munitone mediis in castris pugnaretur, & concidi in tabernaculo, quam tantæ cladi superesse mallet, vel renitens à medico & cubiculi præfecto sublatus, nauiculęque impositus, ad Comaram insulam ascendit, atque ibi paulo post Samario in vico extinctus est.

Numerus Christianorum casorũ. Præda Turcarum ex Christianis

Rogendorffi mors.

Solymannus vbi de suorum victoria certius cognouit, quintis demum castris Budam appulit. Ibi contedit in aduersa ad Budam veterem regione offensus fœtore cadauerũ, & fœditate amnis tot corpora per omnes ripas euoluentis. Exinde statim captiuos produci iubet, quorum erant circiter octingenti, qui prælongis vincti restibus coram ducibus ac omni exercitu Turcico ludibrii causa tracti, ex his duces nobilesque aliquot, quibus parceretur, delecti sunt, reliquos ad vnum omnem, alioqui clementiæ laudem affectans, & nunquam antea in Christianos crudelior, eo conspectu abductos tyronibus trucidandos dedit. Patrata ea sæua clade, Tyrannus infanti dona misit, phaleratos tres equos eximiæ pulcritudinis, frenis habenisq; aureis & gemmatis ephippiis exornatos, totidẽ textas auro vestes; proceribus vero præter singulares togas talares, aureos etiam torques. Cæterum Reginæ referri iubet, cupere le puerum videre, petitque, vt in castra sibi mittat. Quo perterrefacta, cum aliud non posset, hortatu procerum mittit, vna cum nutrice, comitatum turba nobilium. Exceperunt aduentantem progressæ aliquantum è castris honoris causa ornatissimæ equitum turmæ, & inter castrenses vias prætorianæ cohortes. Vbi in tabernaculum Tyranni ventum est, ille quidem infantem humaniter inspicit, blande cum eius nutrice loquitur, filios suos Selymum & Baiazetem præsentes infantem complecti exoscularique iubet. Sed interim dum Vngari proceres cum Bassis prandent, immissis in vrbem militibus Budam tradi sibi vult. Neque enim ipsis eas vires esse, quibus ab hoste eam defendere possint, & sibi subinde redeundum eo cum exercitu fore, quod valde & molestum, & sumptuosum sit. Atque ita fraude ab ipso occupata est Buda. Nocte ingruente Tyrannus infantem remittit in vrbem, sed proceres detinet. In iis erat Georgius Monachus, in quem totius huius Vngariæ calamitatis culpa præcipue conferebatur. Porro Regina his omnibus consternata supplices scribit ad Tyrannum literas, quibus eum datæ fidei admonet, oratque vt proceres remittat. Postridie Budam ingreditur Tyrannus, & in templo D. Virginis more suo expiato sacra faciendo Reginam ex vrbe & arce excedere, cumque puero in Tran-

Eius crudelitas in Germanos.

Infãs regius in castra Turca missus.

Buda fraude à Turca occupata.

Solymannũ Budam ingressus.

Transyluaniam ire iubet. Ipse vero præsidiis Budæ Pestique relictis reliquum exercitum domum reducit, & in itinere Lascum Ferdinandi Regis legatum, qui Belgradi ob interceptos interfectosque Cæsarem Fregosum Genuensem, & Antonium Rinconem Hispanum quondam apud se Regis Galliæ legatos detentus erat, liberaliter dimittit.

Legatio à Ferd. Rege ad Turcam.

Ferdinandus Rex vbi suorum stragem cognouit, noua eaque insignia munera mittit, quibus animum Tyranni sibi conciliaret. Legati eius à Turcis honorifice excepti, postero die cum Bassis pransi sunt. Inde ad Tyrannum introducti, eius animum oblatis muneribus mirifice exhilararunt. Verum cum legati peterent Vngariæ regnum Ferdinando beneficii nomine concedi his conditionibus, quibus id paulo ante Lascus Constantinopoli petiisset, hoc biduo post responsum tulerunt, vt si pacem vellet Ferdinandus regni finibus Vngarici excederet, & insuper quotannis ex Austria Turcis tributum penderet. Legatis dimissis, Tyrannus Belgradensem longe lateque citra Danubium Austriæ fines populari iussit, sed prædabundos magno impedimento plenis imbribus inflati amnes morati sunt. Exin præficitur Budæ cum imperio Vngarus quidam nomine Solymannus, qui ab ineunte ætate bello captus Mahometis impietatem sequebatur. Redeunti in Thraciam Tyranno nunciatur, Stephanum Mailatum Ferdinandi partes secutum, atque ex professo Turcarum hostem dolo comprehensum in Petri Moldauiæ Palatini potestatem deuenisse, pacatamque ex omni fere parte Transyluaniam in fidem concessisse. Ea re Tyrannum magnopere lætatum ferunt, Mailatum enim Ioannem bellicosum ingenio regnandi cupido & vafro vehementer oderat, cum ab eo Ludouicum Grittum & Turcas interfectos meminisset, Transyluanosq; dubio bello potius, quam certa pace gaudentem ab eo concitatos perspiceret, quos moderato benignoque imperio placare, quam iusta vi atque armis subigere malebat.

Turca respõ sum.

Austria à Turcis vastatur.

In Moldauia magna mutatio. Stephanus Palatinus à suis occisus.

In Moldauia sub idem tempus Stephano, quod impotentius dominaretur, à suis occiso maximæ exortæ fuerunt mutationes, plebis studiis in Petrum exulem inclinantibus, & Nobilitate contra pœnas abirato, si in patriam reuocaretur, pertimescente, ac quemuis alium præferendum censente. Verum proceribus longiorem moram non ferentibus Alexandrum Moldauum, qui diu in Polonia exularat, reuocatum Principem constituunt, eique Soczauiæ firmissima, à quibus defenderetur, præsidia assignãt. Constantinopoli vbi rumor increbuit de Stephani cæde, Petrus imspem recuperandi Principatus venit, ideoque Bassas ingentibus muneribus præsertim Liffibeium in suas studet pertrahere partes. In quo cum esset totus, Moldauorum legati à proceribus instructi Constantinopolim aduenium, petentes, vt Alexander ex Principum sanguine oriundus, communique omnium incolarum consensu Princeps electus à Solymanno confirmaretur. Contra Petrus Bassas obtestatur, ne Alexandro Principum genus ementito fidem adhibeant, qui malitia atque inuidia procerum, vt ipse auito principatu per iniuriam excluderetur, electus esset. Quã ob causam Moldaui, ac præsertim, quod in eligendo Principe Solymanni animum non prius exploràssent, minus beneuole auditi sunt, Proceres Moldaui cum resciuissent à legatis, Petrum Bassarum animos largitionibus ac muneribus sibi conciliasse, legatos dissimulato habitu ad Carolum Cæsarem, ac Ferdinandum Regem ire iubent, quos de Moldauiæ statu atque periculo edocent, peditum

ditum auxilia submitti petentes. Quæ si consequantur, Moldauos Christianorum Regum confœderatos, & Turcarum hostes perpetuos futuros. Verum Cæsare & Ferdinando Rege in comitiis occupatis, quod res difficultatis plena videretur, nec pecunia suppeteret ad militem conscribendum, negocium successu caruit. Verum enimuero legatione ea per emissarios Constantinopoli cognita adeo Turcarum studia in Petrum fuerunt accensa, clientem se Tyranni Turcici futurum iureiurando politentem, vt non multo post Tyrannus Himbrachorem stabuli magistrum ad Petrum regiis ornatum insignibus in Moldauiam reducendum constituerit, qui propere exercitu coacto ad Danubium contendit. Proceres aduentu Petri auxiliis Turcicis instructi de Alexandro obtruncando consilium cepere, prioris rebellionis culpam nonnisi insigni aliquo facinore expiari posse iudicantes. Itaque impetu in Alexandrum facto, ei caput amputant, illudque Petro eo munere animum eius exacerbatum placaturos se sperantes transmittunt. Petrus mitigati animi speciem donum exoptatum ferentibus ostendit, vindictæ decretum ad discessum vsq; Himbrachoris distulit, qui passim ab incolis benigne acceptus, amplissimis donatus muneribus Constantinopolim reuersus est. Exiguo interiecto interuallo proceres circiter viginti vindictæ occasione oblata, alius aliam ob causam, comprehensi, capitali afficiuntur supplicio. Misit post Petrus Moldauiæ Palatinus sub decursum anni legatos ad Sigismundum Poloniæ Regem, Principatus restitutionem significans, & captiuos quosdam ex fœdere repetens.

Sub initium anni insequentis, qui erat supra millesimum quingentesimum quadragesimus secundus, ipso quadragesimali tempore comitia Petricouię celebrata sunt, quibus Rex in Lithuania agens tum non interfuit. Verũ per legatos Bernhardum Macieiouium Castellanum Lublinẽsem, & Andream Czarncouium causas, quarum gratia comitia habenda erant, regni ordinibus exhibuit. Ibi Petrus Lubomirsclus Regis aulicus, quem Rex ad Isabellam filiam Reginam Vngarię in Trãsyluaniam ablegarat, reuersus, retulit, Isabellam Reginam vehementer sibi metuere, ne Constantinopolim in perpetuam abducatur seruitutem. In hisce comitiis leges complures latæ, tributumq; duodenũm grossorum in mansum decretum, binis vicib. pensitandum. De quibus omnibus nuncii ad Regem à Senatu atque Nobilitate expediti retulerunt. Postea vero Senatores cum inaudiissent, in comitiis Pragensibus bellum aduersus Turcam decretum esse, Regem de eo certiorem faciunt, demisse orantes, vt quam primum in Poloniam veniret, veteri enim se, ne, si Turca Regis absentiam sentiat, in Polonos imparatos impetum primum faciat. Quibus Rex permotus, sub Maii finem in Poloniam reuenit.

Ann. Chr. 1542. Comitia Petricouia.

296

Mense Iunio Ferdinandus Vngariæ Bohemięq; Rex expeditionem cõmunib. Germaniæ auxiliis aduersus Turcas suscepit, omnibus superiores binas clades ad Ezekum & Budam acceptas vindicare cupientibus. Cæterum decreto bello coacta sunt à Principibus & Imperialibus ciuitatibus Germanię ad triginta peditum & equitum septem millia, duce belli supremo designato Ioachimo Brandeburgico Electore. Viennam vbi deuentum, accessere Ferdinandi Regis copiæ, quæ præter Germanos ex Vngaris, Bohemis, & Austriis constabant, quibus Pontifex Romanus tria circiter millia pedi-

Ferdinandi Regis expeditio in Vngariam ad Budam recipiendam. Ioachimus Brandebur. Elector dux belli.

tum auxilia miserat ductore Alexandro Vitellio. Omnium igitur animis ad expeditionem erectis, Elector Brandeburgicus nulla mora interposita Danubium transiturus, castra ad Vacciam oppidum promouet. Turcæ illis cõspectis Vacciana porta erumpunt, prælium que committunt tumultuarium æquo successu. Vitellus à Septentrione propinquum muro locum cepit, Germani vallatis castris paulo remotius tetenderunt. Postero die cum Vitellus, vt tormentis locum exploraret, tribus cum cohortibus, & duab. Sfortianis turmis ad mœnia processisset, nec quisquam hostium conspiceretur, Turcæ eruptione repentina è duabus portis in Christianos inuaserunt, initumque certamen paribus primo animis ac viribus, sed noua manu peditum equitumque subsidio aduenientib. Austriaci pedites primo mox & equites perturbati dissipatiq; Ianiczarorum vim sustinere nequiuerunt. Vitellius suis receptis ad sarciendum incommodum dolore vehementer incitatus hosti parat insidias, anteq; alios Perenum admonet, vt occasioni gerendæ rei intentus sit. Ipse Turcarum erumpentium impetum densatis ordinibus excipit. Vehemeni strepitu prælium misc etur, multi cadunt & Turcæ pertinaci audacia inuecti cuneis Christianorum aciem effringere conantur, sed cohortes strenue resistunt. Interim cum iam Turcæ atque Ianiczari portis se effudissent, & muli pariter à Buda contemplati certantium agmina, vt victoriæ interessent, transuecti nauigiis citeriorem ripam complessent, Vitellius oportune timorem simulãs, sensim sed confecta acie se recipit. Tum vero hostes clamorem attollunt, & vehementius ex omni latere Christianos vrgent, equite sque ad cædenda terga discurrunt. Id Perenus cousp icatus, expeditas turmas inter oppidum & auersos hostes inducit, celeriter turmæ locum occupant, & regressurum hostem portis interludunt. Accurrit cum reliquis Perenus, validaque Germanorum equitum manus Mauritio Saxoniæ Duce Vngaros consequitur. Tum vero Turcæ, animaduerso periculo, in dagine se clausos videntes, in fugam conuersi sunt, quos Vngari & Germani inuadunt, ac in medio trucidant. Ab hac victoria Christianis adeo creuerunt animi, vt Marchio Elector tormenta proferri, ac cõtinuo murum quatt iuberet. Expectantibus cunctis, vt incundæ pugnę signum daretur, Vitellius Italos ad impetum incitauit, Perenus Vngaros, Hessus Germanos. Signo dato quatuor vexilliferi sequentib. cohortibus audaci cursu in murum per ruinas euolarunt, sed dum vexilla defigunt, & fossam munitionesq; hostium mirantur, repentina grandine sagittarum perinde ac gladium obruuntur. Nihilo secius adhortante Vitellio alii atq; alii succedũt, quibus partim è propugnaculo, partim à transuerso aggere prosilientes spirantibus spolia detrahunt, & capita amputant, & mox eos glandib. sagittis, ac maxime lapidib. incessũt. Eo conflictu 70. ex Christianis desiderati ferunt. Cognito post aduentu Achmatis Bassæ, duces inde castra mouenda Viennamque redeundum censent, præsertim hyeme instante, multisq; militibus è contagione pereuntibus. Tum vero Turcę Christianos discessisse cognito omnes sese effundentes, postremis agminibus institerunt. Hic fuit euentus belli in Vngaria hoc anno gesti.

Hieron. Laj cius obitus.

Eodem anno è viuis decessit Hieronymus Lascus Palatinus Siradiensis, Vir magnus, ac magnis in rebus versatissimus, multisque legationib. apud exteros Principes clarissimus. Hic cum in patria præmulis emergere non posset, Regi Vngariæ Ioanni, qui tum cum Ferdinando Rege bellum gerebat,

bat, operam suam nauauit, consilioque suo apud Turcarum Imperatorem patrocinium atq; regni cõfirmationem ipsi impetrauit. Quo nomine apud Ioannem Regem gratia authoritateque valebat summa. Verum postea, cum Ioanni suspectus esset, quasi colludente Gritto Vngariæ regnum affectaret, in carcerem eum coniecit. Vnde opera Regis Sigismundi liberatus, ad Ferdinandum transiit, cupiens Ioannem vltum ire. Quod & reipsa præstitisset, si diutius superuixisset.

Ann. Chri. 1543.

Comitia Cracouia.

Sequentis anni initio comitia Cracouiam indicta fuere, vbi tributum in mansum denũm grossorum sancitum. Et quia hic decretum, quo commercium Polonis cum Silesiis & Vngaris interdicebatur, nondum erat antiqua tum, conuentus Glogouiam Ferdinandi ac Sigismundi Regum Cõmissariis ad D. Bartholomæo diem sacrum designabatur, qui de iniuriis vltro citroq; illatis & acceptis vtrinq; arbitrarentur, atq; transigerent. à Comitiis designati à Rege Sigism. ad Ferdinandum Regem filiam eius Elisabethã in coniugium Sigismundi Augusti expetitum legati, Samuel Macieiouius Episc. Plocẽsis, Regniq; Procancellarius. Ianussius Latascius Posnanien sis, & Felix Srcẽscius Plocensis Palatini, qui sponsam regiã 5. Maii Cracouiam adduxerant. Postridie noua nupta in æde D. Stanislai solenniter inauguratur & coronatur à Petro Gamrato Archiepisc. Gnesnensi, adstantib. Nicolao Dzierzkouio Cuiauien si, & Sebastiano Branicio Posnanien si Episcop. Legati vero ad cohonestandas nuptias regias venerunt: à Carolo V. Imperatore Georgius Marchio Brandeburgicus, Regis Sigismundi ex sorore nepos, à Ferdinando Romanorum Rege Ioannes Dubrauius Olomucensis, ac Balthasar Promnicius Vratislauien sis Episc. Nicolaus item Salmensis, & Franciscus Batianus Comites, ac Sigismundus Herbersteinius Baro Austriacus notæ primariæ Consiliarii. Peracta nuptiarum celebritate ablegatur ad Ferdinandum Regem à Sigismundo Rege Andreas Zebridouius Episcopus Camenecensis in causa Reginæ Isabellæ filiæ, eam pro vitrili excusans, non ipsius, sed aliorum culpa pacta cum marito defuncto inita temerari. Haud multo post Sigismundus Augustus in Lithuaniam secessit, relicta Cracouiæ coniuge sua, quam, vt videbatur, fastidire cœperat, quod nonnullorum animos nonnihil offendit.

Legatus Regis Sigism. ad Ferdinand. Reg.

Eodem anno Solymannus Turcarum Tyrannus de infelicibus Christianorum successionibus certior factus, omnibus modis belli aleam iterum iacere constituit. Ducto igitur ad Drauum exercitu, vt omnia à tergo pacata reliqueret, cohortes aliquot ad Volponium arcem in finibus Bosnię, Croaciæ, atque Vngariæ sitam expugnandam misit, quam fere per tres menses totos frustra obsedit. Deditio postea facta est, sed perfidia militum, qui Præfectum omnia potius experiri, quam dedere se volentem comprehendere, Turcisque tradidere. In quem Tyrannus non solum non crudelis, sed munificus etiam fuit: dedititios vero omnes mactari mandauit. Erant iam proximi Quinquecclesienses, qui in superioribus bellis in fide data constanter permanserant: sed territi virium hostilium magnitudine, ac inprimis prædictarum arcium iactura, Episcopus & reliqui proceres plus in fuga, quam in vrbis munitionibus præsidii posuere, & multitudinem Barbaris prædæ reliquerunt. Hinc ad Socolosium adductus exercitus, captum primo statim impetu oppidulum, direptum, atque incensum,

Volponium obsessum à Turcis.

Deditio Volponi

297

Quinque ecclesia direptæ ab iisdẽ. Socolosia capta & euersa.

incensum, tandem etiam, qui in arcis præsidio erant, desperatis auxiliis deditionem fecerunt, ea conditione, vt cum fortunis suis incolumibus abire liceret. Quæ res pauperioribus saluti, ditioribus exitio fuit. Turcæ enim tenuioribus missis, reliquos, quibus fortunarum aliquid relictum esse suspicabantur, trucidarunt: inde Tyrannus castris motis, Budam ingressus est, vndecimo calendas Augusti mensis, pauciſque diebus post vniuerso cum exercitu ad Strigonium expugnandum perrexit, cui tum præerat Franciscus Salamanca, & Lascanus, vterque Hispanus, cum mille ac trecentis circiter militibus.

Strigonii obsidio.

Huius obsidionis rumor magnum Christianis terrorem incussit, qui locum eum neque munitum, neque à rebus necessariis satis instructum non ignorabant. Duo tamen restabant, in quibus aliquantulum spei reliquum erat, quod & Vissegradum media inter Budam ac Strigonium via, facile Turcicas naues aduerso flumine subuectas, prohibere, vel etiam incendere, & diripere posse videretur, & quicquid erat in aduersa Danubii ripa regionum, Christianorum præsidiis teneretur. Nec prior spes fefellit, siquidem Vissegradenses circiter duodecim naues, & in his aliquot machinis ac puluere tormentario onustas submerserunt, Verum Turcarum animos sub initium statim erexit, quod Christiani oppidulum immunitum illud quidem, sed ad arcem tuendam imprimis opportunum relictum exusserunt. In quo oppugnando Turcæ, cum nullas adhuc maiores machinas in promptu haberent, non parum temporis atque etiam virium erant consumpturi, præterquam quod Christianorum classis, quæ ibi tutum portum & stationem habebat, non tam facile hostibus cessisset. Turcæ igitur aduentantes in ruderibus ac vicinis locis castra locant: at præsidiarii, quanquam arx à tormentis satis esset parata, iis tamen vsi prius non sunt, quam vniuersus Turcarum exercitus iam consedisset. Causa erat, quod Iuliano Salazario pro tessera dederant, ante Turcicæ classis aduentum maiores machinas non adhibituros. Verebantur ergo, ne, si qua auxilia in via essent, tormentorum displosione ceu obsidionis iam captæ signo aduerterentur. Cum vero nulla amplius subsidii spes esset, principio Turcas, qui incautius castra metati erant, tormentorum glandibus tanta strage affecerunt, vt tentoria transferre, ac retrocedere fuerint coacti. Quare eminus vineas agere, aggeres & moles iacere, eamque arcis partem, quæ orientem spectat, tormentis ita infestare cæperunt, vt paucis diebus & templum, & quicquid inter ædificia eminebat, deiecerint, areamque etiam interiorem adeo afflixerint, vt nemo se vlla ex parte ostentare auderet, sed quo se ab ictibus tutarentur, pars humi prostrati, pars sub tabulatis, quæ in muris hærebant, hostis ascensum expectarent. Necessariis igitur ad oppugnationem præparatis, octauo Idus Augusti ante solis ortum signum oppugnandi datur, concurritur vndiquaque: alii per anfractus & occultos tramites, alii per loca aperta, quisque pro se eniti: contra obsessi omni telorum genere defendere se, saxa, malleolos, ignes artificiales in temere subeuntes conijcere, ex loco superiori deorsum per decliuia montis protrudere, hi pro salute, illi pro victoria nil non conari. Tandem pugna in octauam vsque horam protracta, & septies recentibus in fessorum locum submissis, Turcæ irrito conatu ab oppugnatione recesserunt. Obsessi vero per castellum

castellum aquæ ductuum eruptione facta, hostium alios ad naues, alios alio compulerunt, magnumque totis castris terrorem incusserunt. Tria Turcarum millia eo die occubuisse narrabatur, præter sauciorum multitudinem infinitam: Christianorum vero prope ducenti vulnerati occisiue sunt. Sub eius diei noctem, ac postridie Turcæ rursus velut de nouo oppugnationem aggrediuntur, tanto cum ardore, vt obsessi multum de pristini animi ferocia remiserint. Aliis ergo metu torpentibus, aliis mortem expectantibus, Italus quidam vexillifer, cum videret suos vndique premi, ac sentiret, omnia cuniculis suffossa, commilitibus suis, incertum fraudene an desperatione, edixit, vt à iaculatione abstinerent, ipse duobus comitatus de muro in castra hostium se demisit. Perductus ad proximum Bassam, petiit vt deditionem omnium nomine saluis rebus armisque facere, deque ea publica fide paciſci liceret. Qua conditione data acceptaq;, duobus Turcis comitatus in arcem rediit, & Salamancæ Præfecto suo mandata Bassæ, quæque cum illo acta, exponit. Nec tamen interea Turcæ ab oppugnatione inferioris castelli cessant, Christianisque in superiorem arcem se recipientibus, id inuadunt. Salamanca igitur de consensu aliorum in castra egressus, indeque redire prohibitus, postridie ad suos diploma Turcicum misit, quo pacto illa superiora de libero cum armis omnibusque impedimentis abitu confirmabantur. Iussus est etiam Lascanus ad Turcam claues arcis deferre. Custodiis igitur murisque relictis, dispicit vnusquisque quid potissimum inter multa impedimenta secum auferret. Dum sic omnia conuasantur, ac milites abitum parant: Turcæ vndiquaque ad diripiendum irrumpentes, præsidiarios circumsistere, hi mœsti terram intueri; modo arma, modo loca mox relinquenda extremum adspicere, neque amplius vllam vitæ aut honestæ mortis conditionem expectare. Obuersabantur exempla eorum, qui Volponi & Scolosiæ præsidio nuper contra fidem datam erant interfecti. Vbi vero adsunt, qui sclopos, hastas, ac bipennes in proximam fossam abiicere iusserunt, omnium vultus non aliter, quam ad præsentem mortem mutari: at cum portam egressis alii adsunt, qui gladios adimunt, & vbi in vicum peruentum, cætera arma illis detrahunt, exquisitæ cuiusdam crudelitatis mortem expectare. Tandem tamen, cum diu secum Tyrannus deliberasset, præter omnium opinionem vitam illis donat. Postremo per interpretem rogat, ecqui sibi militare vellent, quam conditionem non pauci acceperunt, metu fortassis mortis non aliter euadendæ, alii ne minis quidem aut terrore mortis adduci potuerunt.

Strigonium à Turcis captū proditione Hispani.

Hunc in modum Turca loco munitissimo potitus, non cessandum ratus, ad Tatam & loca circa Comaram exercitum duxit, illamque mox deditione accepta demolitus est. Inde retro conuerso itinere Albam regiã obsedit, oppidum vndiquaque cinctum altissima palude, præter vnam atque alterã, aut ad summum tres vias, quæ per eminentiores aggeres in oppidum ducebant. Per has solas oppugnandi facultas dabatur, erantque hæ viæ, quam ipsum oppidum ædificiis frequentiores. Præsidiarii, quæ obfutura sibi opinabantur, demoliti, vnum suburbium operibus validissime munierunt, tum templi ac monasterii cuiusdam turrim, quasi pro arce in ipsis munimentis constituerant, vnde & hostibus magnam cladem intulerunt. Erat extra has munitiones ædicula quædam sacra, quam Turcæ principio statim summis viribus oppugnabant. Præsidiarii, quasi inuiti locum

Tatam Turca deditam demolitus. Albaregiæ obsidio.

deferentes, diu restitere, ac tandem quasi victi, se ad suos receperunt. Eam ergo occupatam cum hostes munire statim, machinasque eo adducere cœperunt: interim ignis sub materia, atq; aliis velut temere ibi desertis fomite attemperato accensus, & ædem illam disiecit, & magnam hostium stragem dedit. Tum Christiani in hanc occasionem intenti erumpentes, multis damnis illatis victores, in oppidum rediere. Hostes nihilo segnius omnia, quæ ad oppugnationem facerent, diligenter administrare, moles ex lignis & terra congerere, pontonibus atque tabulatis per paludes iter sternere. Sed vna res eorum maxime conatus adiuuit. Erat vicinum nemus quoddam: hinc sexcentis quotidie curribus tantum cæsæ materiæ conuexerunt, vt paludem, quam oppidani hactenus inuiam putauerant, spacio duodecim dierum plurimis locis peruiam perfecerint. Hinc effossis transuersim semitis ad fossas sub ipsum vallum accesserunt, & frustra aliquoties repetito assultu tandem nebulæ densissimæ beneficio in ipsas oppidi munitiones euaserunt. Oritur, vt in resubita ac perdita, miserabilis clamor, concurritur vndique, & pugna crudæ admodum miscetur, dum hi pro obtinendo loco, in quo omnem victoriæ spem, illi pro defendendo, in quo vitam suam & calamitatem positam videbant, totis viribus contendunt. Verum vt quisque proximus erat, ita promptissime dimicabat, reliqui enim, qui longius ab ipso periculo aberant, illud modo dispiciebant, quo modo in interiorem oppidi partem penetrare possent. Hi cum fugæ initium petiissent, etiam reliquos secum traxerunt, & hostibus faciliorem expugnationem, minusque cruentam victoriam præbuerunt: Multi inter fugiendum cœno & aquis absorpti, multi ab hostibus cæsi, pauci in vrbem recepti. Sed neque hic melius sese res habebat, occupatis præsenti periculo atque terrore omnium animis, & occisis ducibus, vix quoquam in medium aliquid consulente. Hinc in rerum omnium desperationem adducti cum præsidiarii, tum ciues, maluerunt dedendo se clementiam victoris, quam immanitatem hostis experiri. Vitæ ergo fortunarumque incolumitatem pacti Germani & Itali, dimissi, sed in itinere à Tartaris prædæ inhiantibus disiecti, abiectis sarcinis fuga per paludes & syluas salutem quærere sunt coacti. Interea dum Alba obsidetur, Tyrannus equitatum Tartarorum, cuius alioquin ad obsidionem exiguus vsus erat, ad populandum proxima loca emittit, hi rapiendi studio incautius vagantes ab Vngaris circumuentu, & amissis suorum plus tribus millibus in castra rediere. Conuertit hoc loco omnium oculos animosque in se captiui vnius crudelitas, cui in pera dimidia pars infantis bimuli nondum comesta de obsonio superarat. Dum Turcæ Albam regiam expugnant, iam Ferdinandi Regis copiæ circa Posonium conuenerant, cum quibus Ferdinandus Posonii ex vtraque parte Danubii castra metatur, triduum in construendo trans fluuium ponte consumpsit. Cum ita parata essent omnia, neque difficilis plerisque videretur, quin eodem anno non solum Alba regia, sed & Strigonium recuperari potuissent: ex improuiso tam horribilis tempestas exorta, tanti moles continuis diebus delapsi, vt vix locus editior metandis castris ibidem reperiri potuerit: Fuit insuper ea ventorum procellarumque vis, vt nec tabernacula erigi, nec ignes in castris excitari possent. Quæ causam præbuerunt, vt Bohemi, qui se solum suos fines tutari velle dixerant, difficulter mouerentur, meruebant enim,

Albaregia à Turcis occupata.

enim, ne, si semel pontem transiissent, illo interrupto, quo nollent, inuiti ducerentur. Orant ergo Regem, ne hyeme ingruente in hostem pergat ducere: sese primo vere omnes adfuturos, quocunque etiam vellet. Rexitaque partim eorum voluntatem, partim necessitatem sequutus, quod videret, sub dio & pellibus militem contineri non posse, exercitum dimisit, & Viennam reuersus, omnes cogitationes, quibus artibus & viribus bellum anno subsequenti geri posset, intendit.

Comitia Petricouiæ. Ann. Chr. 1544.

Extremis anni diebus indicta erant Petricouiam comitia, ad diem Andreæ Apostolo memoriæ dicatum, sed ea propter pestem in Epiphaniorum diem anni sequentis, qui erat à nato Christo supra sesquimillesimum quadragesimus quartus, prorogata. Vbi cereusiale duntaxat scitum. Actum deinde non tantum de Regni aduersus hostes defensione, sed etiam de eius statu recte constituendo. Sub idem tempus miserat Isabella Regina, monente patre Sigismundo Rege, legatum ad Ferdinandum Regem in comitiis Spiræ agentem, qui præsente Cæsare paratam Reginam Isabellam Transyluaniam decedere, ea conditione, vt ei Ferdinandus in Silesia Opolienſem, Ratiborienſem, ac Glogouienſem Ducatus attribuat. Verum incassum, Ducatus enim grandi illi oppignorati erant pecunia, qui in ppræsens redimiægre possent. Ne tamen nihil denegare videretur, postulauit, vt Regina vidua suos ad proxima Imperii comitia legatos decerneret. Inibi Ferdinandus Rex contra Turcas longe lateque grassantes auxilia petiit. Eiusdem mensis die vicesimo quarto fuit insolens solis ecclipsis pleno die, adeo vt non sine admiratione conspiceretur. Lunæ quoque tress hoc anno fuerunt ecclipses plenæ, res prodigiosa, & quam à Caroli Magni tempore non accidisse Astronomi scribunt. Hic Cæsar Wolffgango Ordinis Teutonici Magistro ceremonia solenni palam inaugurato Prussiæ magistratus insignia contulit, quam dignitatem multis iam annis Albertus Marchio Brandeburgicus vxore iam ducta vsurpauerat, eoque nomine proscriptus fuit à Tribunalis Imperii supremi iudicibus, Poloniæ interim Rege velut beneficiarium atque clientem defendente, & Regis legato Nicolao Myscouio regiæ mensæ structore palam profitente, hanc inaugurationem vitiosam esse, neque suo Regi, sub cuius fide & tutela contineretur Prussia, derogari quicquam posse. Comparuerunt & Vngari superioris anni strage expositi, opem & auxilia ab Imperio petentes, quæ si ipsis denegarentur, facturos omnimo se se, quod rebus desperatis fieri soleat, & quod à nemine reprehendi possit: subituros q; quantumuis iniquas conditiones, & seruitutem ipsam potius, quam vt reliquis ociosis ac spectatibus in exilium voluntarium ruant. Re diu multumq; deliberata, placuit Ordinibus in futurum bellum Turcicum corrogari pecuniam viritim per omnem Germaniam, pro cuiusq; facultatibus ac censu, nemini immunitate concessa, ne quis exteris militet, grauissimis pœnis edicitur, & magistratui permittitur, vt in contra facientes deprehensosq; animaduertatur.

Isabella Reginæ legatio ad Ferd. Regem.

Eclipsis solis insolens. Lunæ tres eclipsis.

Sequenti anno ad octauum Idus Ianuar. edicta sunt comitia Cracouiæ, quæ ob Ordinū studia diuersa, inq; factiones scissa nullo operæ precio facto soluta sunt. Cui malo Rex annis grauis morboq; fractus mederi non potuit. Ne tamen Regni fines præsidio militari destituerentur, cereusiale ex oppidis regiis atque ecclesiasticis decretum est in militum stipendia, qui in Russia merebant. Post propidie calendas Maias mane circa octa-

Ann. Chri. 1545. Comitia Cracouiæ.

Tonitru horrendum in Polonia.

octauam primo horrendum tonitru auditum est, quo incolæ in stuporem dati: post tres rubeæ cruces orientem versus apparuere: duæ iuxtim se positæ, tertia subtus: in medio earum vir armatus cum gladio ignito, contra quē exercitus instructus peditatu equitatuq; progressus, cum eo ad meridiem vsq; dimicauit. Quo vincente omnes disparuere copiæ, soluſq; armatus inter cruces substitit, tanquam victor & triumphator. A tergo immanis Draco victorem adortus, & ipsum, & arma absorpsit, simulq; cruces euanuere. Inde totum cœlum duabus amplius horis ignitum visum: demum tenebræ densissimæ incubuere ad sequentis diei Nonam vsq; antemeridianam. Tandem cœlo sereno facto, tres itides amœnissimæ supra se positæ conspectæ, quibus angeli species insedit aspectu iucundissimo, & amplius horam videndum se præbuit: Ad extremum omnia discessere, tempestasq; serena subsecuta. Quid eo significatum, lector arbitretur. Mense Iunio morte extincta est subita Elisabetha Austriaca Sigismundi Augusti coniunx ipso absente & quidem, vt fama ferebat, non citra pharmacum, magno cum omnium Ordinum luctu, anno ætatis decimo octauo, prole relicta nulla, fœmina animi atq; corporis dotibus, quas secum ipsa certans natura congessit, ornatissima. Eam paucis diebus consecutus est Petrus Gamratus Archiepiscopus Gnesnensis, idemq; Episcopus Cracouiensis, tribus vix annis in archiepiscopa exactis. Huic in Archiepiscopa Nicolaus Dzierzgouius Episcopus Cuiauiensis, in Episcopa vero Cracouiensi Samuel Maciejouius Episcopus Plocensis successores à Rege dati sunt. Aduenit eodem temporis interuallo à Cæsare, facta post aliquot annorum bellum cum Francisco Gallorum Rege pace, legatus ad Regem Sigismundum, per quem ad concilium Tridenti indictum promouendum eum solicitauit. Legationis summa fuit, Cæsarem multis iam annis in hoc totum fuisse, vt orbis Christiani auspiciis communibus bellum contra Christiani nominis hostem infensissimum suscipiatur: quam rem omnium prope Christianorum Principum animi promptitudinem solum religionis dissidium remoraretur. Itaque illud vt amice componatur, ita postulantibus Principibus protestantibus Tridenti concilium magna Cæsaris industria indictum esse. Proinde rogare se pro amicitia mutua Regem Sigismundum, vt missis eo legatis suis eam solennem actionem cohonestare, ac decreta ibi pro rebus sacris sancienda confirmare ne grauetur. Quia vero non dubiret Cæsar, Protestantes, quæ ipsorum est pertinacia, ab Augustana Confessione neutiquam discessuros, nec decretis etiam publicis obsecundaturos esse, necessitatem flagitare, vt Reges ac Principes eos ad obedientiam armis compellant. Cum autem eius eximia sit inter Reges pietas & autoritas, rogare, vt Concilium Tridentinum calculo suo approbet, ipsumque consilio, auxilioque contra Protestantes, ni pareant, iuuet: quod idem alii quoque Reges se facturos polliciti sint. Ad ea à Rege hoc responsi datum: Nihil sibi optatius accidere posse, quam videre illum diem, quo Reges ac Principes Christiani studiis belli depositis, ac motibus sedatis intestinis, omnes vires suas in Turcam conuertant: nec se futurum in postremis. Reipublicæ quin etiam & Ecclesiæ tranquillitatem adeo sibi esse cordi, vt Concilii salutarē cupiat esse euentum. Quo etiam legatos missurum suos, & in re plane nulla, quæ publici boni interesit, Cæsarem pro amicitiæ atq; affinitatis iure operam suā desiderari passurum esse. Sub anni finem alia comitia indicta erant Cracouiam

Elisabetha Austriaca Reginæ mors.

Petri Gamrati Archiepisc. Gnesn. mors.

Episcoporū successiones.

Legatis à Cæsare ad Regem Pol.

Responsum Sigism. Regis.

Alia comitia Cracouia.

uiam ad D. Catharinæ diem, in quibus Nobilitatis postulata fuere de Lituaniæ, Prussiæ, Massouiæ, Zatorienſis, & Osuiecimensis Ducatuum cum Polonia coniunctione. De appellatione Ducis Prussiæ, ne ea subdiris denegaretur, etiam agitatum fuit, quam is omni studio declinabat.

Ann. Chr. 1546.

Alterum subsecutus annus nil memoratu dignum atrulit, præter mortem Petri Moldauiæ Palatini. Erat is vir acri atrociq; ingenio, varias fortunæ vicissitudines expertus. Nam & à Sigismundo Poloniæ Rege ad Obertinum duce Ioanne Tarnouio fusus cæsusq;, & auxilio eius Ludouicus Grittus à Transyluanis trucidatus, demum à Ioanne Vngariæ Rege captus, Constantinopolim ad Turcarum Tyrannum missus, Peramq; Ligarum insulam relegatus, tandemq; à Tyranno in patrium Principatum, fratre ipsius à Valachis interempto, restitutus est. Ei in principatu successit Elias filius pari fere ingenio, ac crudelitate non inferior patre, qui suos ad Regem oratores de fœdere renouando, ac profugas deposcendo ablegarat. In Vngariam vero misit Rex Sigismundus ad Georgium Monachum, Episcopum Varadinensem, Reginæ viduæ ac infantis tutorem, qui sensim ad se omnem potentiam attraxerat, Andream Iacubouium, Monachum officii admonens, ne omnia pro libidine ageret, neue Reginæ porro molestus iniuriusq; esset. Qua in re etiam ad Turcarum Tyrannum idem legatus ire iussus est. Decurrente mense Ianuario succedentis anni absoluit vitæ suæ pensum Anna Iagellonia Vladislai Vngariæ Bohemiæq; Regis filia, regnorum eorundem hæres, Ferdinandi Regis Vngariæ Bohemiæque coniunx, ac multorum liberorum mater, partu filiæ, quæ fuit decima quinta proles, extincta, anno ætatis suæ quadragesimo quinto. Quam Carolus Cæsar exequiis Vlmæ celebratis honorauit.

Petri Moldauiæ Palatini mors.

Cui succedit filius Elias.

Legatio Regis Sig. ad Georgium Monachum in Vngariam.

Ann. Chri. 1547.

Annæ Iagelloniæ cōiugis Ferd. Robitus.

Mense post Septembri comitia Imperii Augustæ Vindelicorum celebrata sunt, ad quæ à Rege Sigismundo Stanislaus Lascus Palatinus Siradiensis negotii Prussici causa missus, qui coram Cæsare ac Principum Senatu in hanc sententiam Latine perorauit; Causam Prussicam non semel iam iudicio ventilatam esse, sed quia semper in alios reiecta sit conuentus, habere se in mandatis, vt rursus illam proferat. Regem igitur sperare, quoniam & liberaliter ei sæpe responderint, & æquitate causæ nitatur, futurum, vt ipsius rationem habeant, non quidem vt iudices, verum vt Principes amici & vicini. Ac ptincipio quidem, inquit, de Ordine Crucigerorum nonnulla sum dicturus, quo res omnibus innotescat. Poloniæ Principes Prussiæ bonam partem huic Ordini, qui vulgo Teutonicus audit, ea lege attribuerunt, vt in Christiani nominis hostes eorum opera vterentur: verum illi beneficiorum immemores violatis sæpe pactis in suos patronos arma verterunt. Itaque bella inter ipsos sæpe, sæpe iterum pax constituta, renouatis pactis, quæ nunc commemorare necesse non est. Illud duntaxat, quod paulo ante memoria nostra accidit, in medium adducam. Casimirius Rex Sigismundi pater ingenti prælio fusos Crucigeros nolentes volentes ad pacis conditiones adegit: Ibi inter alia pactum, vt illi Poloniæ Reges dehinc pro suo Magistratu fide iureiurandoque dato agnoscerent. Verum fuerunt postea nonnulli Ordinis nominati Magistri, qui pactis temeratis tutelæ aliorum sese dederunt. Eorum ex numero fuit Albertus Marchio Brandeburgicus, Regis Sigismundi sororis filius, qui cum ex pacto deberet Poloniæ Regi auunculo fidelitatis præstare iuramentum

Reg. Pol. legatio ad comitia Imp. Augustana.

Oratio Stanisl. Lasci ad Cæsarem & Principes.

inſtra ſemeſtre, detrectauit. Quam ob rem à Rege pacis alias cupidiſſimo ad arma neceſſaria itum eſt. Quamuis vero de ſumma rerum nunquam pugnatum ſit, vaſtationibus tamen & incendiis, atque velitationibus direptionibuſque plurimum damni datum, adeo vt Marchio Albertus cum eſſet impar, inducíarum cauſa ad Regem venerit. Superueniente autem Germanorum milite ſubſidiario infecta re diſceſſit, bellumque renouauit. Sed non multo poſt deſertus ab illis, quod antea ſimularat, ſerio coactus fuit petere pacem, quæ demum conſtituta fuit, intercedentibus quibuſdam Principibus, propinquis, his legibus, vt Regi fidem daret, eaque faceret omnia, quæ beneficiarium & clientem decent. Hinc patet, Pruſſiam ab eo tempore, quo Chriſtianam religionem amplexa eſt, Poloniæ ditionis tam iure belli quam pactis fuiſſe. Si qui enim alii iuris aliquid in eam ſibi arrogarunt, id Magiſtrorum Ordinis culpa factum: qui cum eſſent noſtrorum quidem Regum permiſſu origine Germani, ſæpius conati ſunt Pruſſiam ad alienos transferre. Quæ ſane res & multis offenſionibus inter Germanos atque Polonos occaſionem præbuit, & decretum etiam hoc extorſit, quo Marchio Albertus, proſcriptus. Cæterum quid iuris habent ii, qui proſcripſerunt clientem alienum? nam quod iudicio ſe non ſtitit, in ius vocatus à non competentibus iudicibus, id Regis mandato fecit, in quem omnis culpa, ſi qua tamen eſt, conferenda: ſin eo nomine proſcriptus, quia pro Magiſtratu Regem agnoſcit, id ſane eſt iniquum, aliquem videlicet eo puniri, quod officio ſuo non defuerit. Vt ergo proſcriptionis decretum illud iniquum ac illegitimum aboleatur, petere Regem & à Cæſare, & à Principibus Ordinibuſque. Neque vero eſt, vt ambitione quadam & ampliandi Regni cupiditate Regem quis exiſtimet velle Pruſſiam teſtatis ſuæ facere: nam qui regna etiam vltro oblata recuſarit, quomodo in rei huius ſuſpicionem vocetur? Certe non eſt ei tanti hæc Prouincia, quin facile eam, ſi per leges poſſit, ſit neglecturus: cum vero ad Poloniæ regnum proprie pertineat, iure Rex facit, qui ipſius patrocinium ſuſcipit. Nam quod ſæpiuſcule contentiones propter ea inciderint, ipſorum id ſemper culpa accidit: quam audaciam iniuriamque Deus iuſtiſſimus vindex ſubinde vindicauit. Nota hæc Cæſar & Ferdinande Rex auo veſtro Maximiliano Cæſari, qui memor iniuriarum, tum ipſi, tum Friderico patri ab illis illatarum, ſancte promiſit Sigiſmundo Regi in congreſſu Viennenſi, & promiſit quidem tam ſuo, quam veſtro etiam nomine, nulla ſe auxilia Crucigeris contra Regem miſſurum. Idem fecit ante Sigiſmundus Cæſar cum Vladislao Iagellone Rege Principis mei auo. Idem proauus veſter Fridericus Cæſar cum Caſimiro Principis mei patre, qui vires & arma coniunxit in Vngariæ Regem Matthiam, & Cruciferos tunc fœdere iunctos. Et quamquam Rex Caſimirus bello cum Crucigeris implicitus Friderico Cæſari non poſſet copias auxiliares ſubmittere, pecuniam tamen ſuppeditauit, quantam ex pacto debebat. Ex his itaque liquet, Ordinem illum hoſtili ſemper animo fuiſſe in familiam Auſtriacam, quæ Poloniæ ſemper & fœderum & affinitatum vinculis coniuncta fuit: cuius quidem rei Sigiſmundus Rex habere rationem à vobis petit. Nam ſi qui ſunt eius Ordinis, qui ſe obligatos exiſtimant, vt fidem & Chriſtianam religionem propugnent, ii ſane, quod nunc agant in Pruſſia, non habent. Nam finitimi

finitimi circum circa Chriſto nomen dederunt: alia igitur loca petenda, vbi ſeſe exerceant. Eſt Hieroſolyma dudum ab hoſte barbaro occupata, cuius ad defenſionem Ordo hic fertur inſtitutus: tenetur etiam abb eodem Conſtantinopolis, hic Rhodus, hic ſaltus. Sin nimis longinquum iter videtur, ſunt alia Chriſtianæ Reipublicæ propugnacula à Tyranno eodem expugnata. Eo Ordo proficiſcatur; ibi amiſſa recuperet, auut, quæ reliqua, ab hoſte defendat: Si ciuili bello magis delectentur, coognomento hoc digni non ſunt. Verum ita res habet: in hoc Ordine ſemper eſt deſideratus Ordo. Quapropter non è Pruſſia tantum, ſed Boheemia etiam ante duo ferme ſecula fuerunt eiecti: neque tamen ea Boheemiæ loca, vnde eiecti, quiſquam ſibi reſtitui poſtulauit: ſed ſolam Poloniam ſibi delegerunt, cui moleſtiam faceſſerent, cum tamen ante omnes ei parcendum eſſet. Nam quamuis multis admodum Ordo fuit grauis, Poloniæ tamen inprimis. Etenim paucis exceptis, præſertim qui ſub initium, vix vlli eius Ordinis Magiſtri ſuum fecerunt officium: imo plerique barbaris neglectis in Magiſtratum ſuum Poloniæ Reges arma ſumpſerunt: quin etiam Tartaros genus hominum crudele, & nomini Chriſtiano infeſtum ſolicitarunt ad fœdus, vt de Michaele Sternbergio cognomento Kuchmeiſtero memoriæ proditum. Itaque ſi quis rationem ineat, & conſideret labores, pericula, ſumptus, bella, turbas, prælia, cædes, deuaſtationes, quibus hic Ordo præ cæteris cauſam præbuit: vix illum tanti eſſe deprehendet. Vt ergo malorum finis aliquando fiat, Rex maxime optat: & ſi quis Alberto in Pruſſia Duci bellum faciat, non poteſt omnino Rex illius iniuriam negligere, quoniam & autunculus eſt, & patronus.

Perferuntur ad Regem criminationes aliquorum, quod ei ſane auditu graue, vtpote Principi pacis ac concordiæ Orbis Chriſtiani amanti: verum ſi quis vim faciat, inuitus, quidem ad arma pertrahetur, quæ quidem arripuit, vt ſe ſuoſque defendat, Amicitiam ille cum omnium Principum, tum potiſſimum veſtram Cæſar ac Ferdinande Rex appetit, eamque perennem eſſe optat. Ante hac ſæpe egit per literas & Oratores, vt in Albertum Principem decreta tollerentur: id quo minus adhuc factum, non tam vobis, quam temporum difficultati tribuit. Nunc vero cum expoſitæ vobis rationes omnes, putat, poteſtatem habere vos eius conficiendi, quod aliquando prolixe recepiſtis, quando non vnis literis voluntate magis quam facultate vos eſſe paratos ei gratificari, ſignificaſtis. Quod ſi forte nolit Ordo quieſcere, ſed diſcordias atque bellum moturus ſit, plane vos maiorum veſtrorum Maximiliani ac Friderici Cæſarum pacta ſeruaturos confidit. Alterum; quod in mandatis habeo, pertinet ad Gedanum & Elbingam Pruſſiæ vrbes, hæ quanquam ſint iuris Polonici, tamen ad Imperii conuentus euocantur. Petit ergo Rex, ne quid poſthac eiuſmodi fiat, & cum præter ipſum nemo quicquam habeat iuris in illos, vt ſuis legibus vti permittantur.

Reſponſum Ordinis Teut. Magiſtri ad Laſci orationem.

Ad Laſci orationem Wolffgangus Ordinis Teutonici Magiſter ſic reſpondis: ſibi videri totius negotii cardinem in hoc verſari: vtrum Pruſſia ſit ditionis Polonicæ, an Imperii: & poſterius hoc ſe demonſtraturum promiſit

promisit. Repetita ergo ab ouo Ordinis Teutonici origine, dicit, in Asia
» & Affrica religionis propagandæ causa ante quadringentos annos Ordi-
» nem institutum, post à Conrado Masouiæ Duce, qui à Prussis tunc adhuc
» paganus ipse Christianus fuit bello attritus, euocatum auxilio, Culmen-
» semque agrum & Prussiam omnem, si occuparent, præmii loco attribuisse.
» Donationem eam à Cæsare Friderico secundo ratam habitam, nec minus
» ab ipsis Pontificibus Romanis confirmatam. Felici deinde successu Cruci-
» feros cum Prussis bella gessisse, Prussiam occupasse, ad religionem Christia-
» nam adduxisse, episcopatibus atque vrbibus exornasse, ac vere murum atq;
» propugnaculum Germaniæ ad plagam illam septentrionalem excitasse.
» Cum dein Lituani Tartaris coniuncti bellum fecissent Polonis ac Maso-
» uiis, Cruciferos in Lituaniam ingressos, eam longe lateque vastasse: itaque
» cum Polonis pacem & amicitiam diuturnam Ordini fuisse, donec extincta
» vetere Poloniæ Regum stirpe, Lituaniæ quidam Princeps Poloniæ Rex
» creatus, gentis suæ cladem vlturus, bellum illis repente intulisset, & ma-
» gnum damnum dedisset. Compositam deinde rem Cæsaris Sigismundi ac
» Regum Vngariæ Bohemiæque intercessione: adeoq; Poloniæ Regem tunc
» acquieuisse, vt nec dominum, nec hæredem Prussiæ sese venditet, aut vl-
» lus Regum posthac sit venditaturus. Sed mox ea pace rupta, ac seditione
» inter Nobilitatem ac ciuitates Prussiæ orta, septuaginta circiter oppida at-
» que arces simul ad Poloniæ Regem Casimirum defecisse. Coactum tunc
» Ordinis Magistrum conditionibus iniquis cum Rege transegisse, & capi-
» strum accepisse tale, vt singuli Magistri intra sextum ab inito magistratu
» mensem Poloniæ Regem adirent, ac dicto iuramento dominum agnosce-
» rent, Polonos etiam in Ordinem reciperent, deniq; acquirendas facultа-
» tes ad Regni clientelam deferrent. De his conditionibus Germaniæ igno-
» miniosis, Ordini vero damnosis sæpe quidem questos Ordinis Magistros
» ad Pontificem, ad Cæsarem, & alios Reges, sed frustra: in fide tamen Im-
» perii ac clientela permansisse. Albertum etiam Brandeburgicum Ordinis
» Magistrum Imperii primum comitiis Norinbergæ interfuisse, ac decretis
» Imperii, vt membrum eius, subscripsisse: sed acceptis aliquot cladibus po-
» stremo in Poloniæ Regis gratiam, deterioribus longe conditionibus,
» transegisse: quod idem & ab aliis factitatum. Quo igitur iure possit Polo-
» niæ Rex petere, vt sibi iuramentum præstet, ab Imperioue deficiat? cum
» à Cæsaribus, vt clientes, fuerint semper habiti. Ingratitudinem & viola-
» ta pacta quod alleget, in eo Ordini iniuriam fieri, idque literarum monu-
» mentis doceri posse, raro seruatam à Poloniæ Regibus fuisse fidem. Cæ-
» sares superiores quod nominet Ordini infensos, rem longe aliter se habe-
» re. Sigismundum enim, Fridericum, ac Maximilianum Cæsares semper
» & Ordini fauisse, & saluum auxiliis etiam subministratis voluisse. De Hie-
» rosolyma quod facete obiiciat recuperanda, contra se quærere, cur Rex
» Poloniæ non repetat à Mosco occupata dudum, & cur à Tartaris infestis
» suos non defendat? Bohemia quod Cruciferos exterminatos obiiciat, ex-
» emplum esse non solius Ordinis expulsi, sed & aliorum religioni pontifi-
» ciæ addictorum, nisi forte Poloni in ipsis idem imitari velint. Bella
» cũ Polonis ab Ordine gesta, fateri se quidem, sed semper iuris vel defenden-
» di, vel repetendi causa. Quod de fœdere cum Tartaris inito obiectum, id ip-
» sos fecisse Polonos ostendit. De Gedano & Elbinga rem esse claram, Or-
dinis

dinis vrbes esse, & ad Imperium pertinere, nec aliud ibi ius habere Poloniæ »
Regem, quam quod ciuium defectione consecutus sit. Concludit tandem, »
coratque, pridem lata sententia in executionem deducatur. Huic responso »
La scus scripto quidem contrario respondit, sed non exhibuit. Vtriusque e-
nim partis rationibus delecti fuerunt arbitri, qui causam cognoscerent. E-
ius iudicii summa fuit, sententiæ in Albertum Brandeburgicum Marchio-
nem pronunciatę standum esse, qui tamen visa maxima executionis diffi-
cultate ad Cæsarem omnia reiecerunt.

Moscorum Principis legatio ad eadem comitia.

Ad eadem comitia Ioannes magnus Moscouiæ Dux misso legato & lite-
rris ad Cæsarem, amicitiam, quæ patri Basilio cum Maximiliano & Carolo
Cæsaribus intercesserat, renouat, ac desiderium coniunctionis cum Impe-
rio aduersus Turcas, & concordiam in religione ineunda, suum exponit,
quam missis ad liberum generale vel Nationale in Germania Concilium
Oratoribus promouere cupiat. Petit igitur, legato suo facultas fiat aliquot
Theologos, qui de Latinę Ecclesiæ doctrina ac ritibus se suosque instituant
& viam ad concordiam monstrent. Iureconsultos deinde & Politicos, qui
barbaricas gentes à se haud ita pridem subiugatas legibus, iudiciis, disciplina
ac moribus ciuilis vitę excolant, expoliantque: architectos item, qui tem
pla ac munitiones in Scythiæ finibus exædificent, nec nõ artifices & fabros,
armamentarios, laminarios, loricarios, fusores, tormentarios, polliones, pi-
ctores, statuarios conducendi, ac in Moscouiam ducendi præberi. Ad belli
vero Turcici sumptus immensam auri vim apud Fuggaros Antuerpiæ vigin
ti annos deponendam, & reditus inde annuos aliquot chiliades auri, quas
vulgo tonnas vocant, ad belli Turcici impensas asseruãdos pollicetur. Huic
Cæsar responsum pridie Calendas Februarii dedit, postulatisque benigne
annuit. Quare artifices omnis generis alios q; trecentis amplius legatus Mo-
scorum Principis conducit, eosque patentibus Cæsareo diplomate atq; pu-
blica fide munitos Lubecam conuenire iubet, vt inde nauigiis in Liuoniam
ad Moscouiæ fines traiiciant. Cum vero Lubecenses progredi eos prohiberent, Cęsaremque docerẽt, nulla ratione Moscum orbis Christiani hostem
ficate omnia agentem, & perfidum à Cæsare contra Imperii subditos, quo-
rum exitium atque oppressionem omnibus viribus molirentur, instruen-
dum armandumque esse, totum illud Mosci consilium irritum, & condu-
cti ab eo homines dilapsi sunt.

Responsum Cæsaris ad legationem.

Subsecuto anno ipso Paha, quod tum incidit in Aprilis Calendas, Sigis-
mundus Rex vitæ glorięque satur mortalitatem exuit, relicto regno pacatis-
simo, annum agens octogesimum secundum, cum supra vnum & quadra-
ginta annos tranquille feliciterque regnasset. Princeps singulari pietate,
prudentia, iustitia, fortitudine, constantia, temperantia, iniuriarum obliui-
one, & aduersarum rerum tolerantia præditus, ingenio acuto, memoria fe-
lici, corpore sanus, ac robustus, adeo vt ætate florenti ferreas equorum so-
leas manibus diffringeret, funes canabinos crassiores rumperet, balistam
manu intenderet, & chartularum lusoriarum fasciculos discerperet.

Ann. Chri. 1548. Regis Sigismundi mores & virtutes.

Sepultus in delubro basilicæ Cracouiensis, quod
vocant regium sacellum.

HISTORIÆ POLONICÆ

Liber Octauus.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS REX.

Sigiſ. Aug. Rex Cracouiam ad exequias patru venit.

NVncio mortis paternę accepto Sigiſmundus Auguſt. circiter calendas Maias Cracouiam ad funus patri celebrandum venit, & nō multo poſt diē funeri dicit ad diem D. Iacobo Apoſt. conſecratam. Cui præter Caroli Cæſaris & Ferdinandi Vng. Bohemiæq; Regis legatos Alber. Dux Pruſſiæ, Albertus item Marchio Brandeburg. Anſpacēſis, defuncti Regis ex ſorore nepotes, interfuerunt. Iuſtis patri regio more perſolutis, Rex ſequenti die epulum hoſpitib. lautiſſimum prębuit, in quo carnes tum primū in menſa regia feria 4. quæ eſt dies Mercurii, appoſitæ ſunt. Quæ res Polonos nō vulgariter offendit, eo quod illi ea die carnib. veſci nō ſolerent, in memoriā Seruatoris à Iuda vēditi. Quod factum Rex German. præſentia excuſauit, apud quos vt dies, ita etiā cibi eſſēt indifferētes, neq; quieq̄ apud illos inter piſcē atq; ferā eodem die intereſſet: quib. tñ ita ſe Rex accōmodaret, vt iis etiā, qui religione eius diei tenerentur, piſces apponeret, vt quiſq; quod vellet, ederet. Peracto funere, legati Cęſaris & Regis Ferdinādi cæteriq; Principes liberaliter à Rege dimiſſi domū diſceſſerunt. BONA etiā Regina vidua mox à funere Varſauiam cum filiab. profecta eſt, vt eā prouinciam ſibi dotalem primo quoq; tempore ſui iuris faceret. Rex vero nō multo poſt Vilnā petiit, & quod matrimonii nexu ſolutus eſſet, voluptatib. quibus Principes iuuenes plerumq; capiuntur, indulgere cœpit, cuius rei adminiſtros facile inuenit. Erat aūt id temporis vidua quędā illuſtris, Barbara Radiuilia, Stanislai Gaſtoldi Palatini quondā Trocenſis coniunx, Georgii Radiuili Caſtellani Vilnenſis filia: quā Rex ſemel atq; iterum intuitus, eius cum formæ elegantiatū morū ſuauitate captus ac delinitus, deperire cœpit, eāq; vxorē ducere cōſtituit. Diſſuaſum hoc ei à q̄plurimis, & præter alios à fratre Nicol. Radiuilo Regis pocillatore, poſtea quidē Trocenſi, & demū Vilnenſi Palatino. Verum amorē quo plures diſſuadebāt, eo magis is accendebatur. Itaq; affectu indies creſcēte cū ea, vix anno poſt patris obitū exacto, nuptias Vilnæ celebrauit, admirātib. & indignātib. nōnullis ex procerib. q cōſilio autoritateq; Senatus, nō vero priuata libidine Regib. vxores ducēdos aſſerebāt.

Carnes die Mercurii in menſa regia prima vice appoſita.

Rex Vilnā contendit, & voluptatib. indulget.

Nuptiæ cum Barbara Radiuilia celebrat.

Mēſe poſt Octob. indicta fuerūt Petricouiæ comitia, licet ſub principium anni ſequentis, qui fuit ſupra 1549. demum fuerit cōuentum, adeo frequēti omniū concurſu, & fremitu plurimorum, vt fatua comitia vulgo dicerentur. Initio Ordines Regē, vt videbatur, ſatis demiſſe ac reuerenter ſalutauerunt. Verum inter prouinciales nuncios, qui ad Regē publico nomine verba fecerunt,

Comitia Petricouia indicta. Ann. Chr. 1549 Comitia ſatua.

cerunt, Ioānes Sierakouius, poſtea Palatinus Lenczicienſis ab eodem Rege creatus, hoc eius matrimonium magna libertate reprehendit, multis eam in rem adductis rationibus & exemplis vetuſtatis ad perſuadendum: id maxime inculcans, Reges in Polonia ad regēdum, & nō ad imperandū eligi, atq; Caſimirum auum eius Eliſabethā Alberti Auſtriaci Imperatoris & Vngaria Bohhem. regis filiam Cracouiā adductā, licet minus pulchrā, inuitum etiā vnanimi omniū Ordinum cōſenſu & authoritate retinuiſſe. Æquius lōge videri, à ſuis affectib. regēdis gubernationis initiū auſpicaretur, quā ab imperando aliis. Ad illa Rex ipſemet nunciis Nobilitatis reſpondit: fidē ſuam erga Rempp. publ. immerito in dubium vocari, quā etiā ipſa vita ſua habeat charioré, pro qua, ſi opus ſit, ſangu nem profundere ſe paratum. Verum cum hæc apud NN obilitatē ratio & oratio nō valeret, ſententiis rogatis Nicolaus Dzierskouius Archiep. Gneſnēſis Princeps Senatus ſimplicia e prudenti admonitione ad regē vſus, aliud matrimonium boni publici cauſa regi ineundum potius fuiſſe, quā per hoc variis motib. & probris anſam præbere dixit. Poſt Samuel Macieiouius Epiſc. Cracouienſis, regniq; Cancellarius cum trib. aliis Epiſcopis, & Ioan. Tarnouio Caſtellano Cracouiēſi dicere iuſſi, regi quidē minus aduerſari videbantur, ita tñ, vt licet nō admodum regis factum probarent, tolerandū tñ potius, quā ad vulgus cū eius ignominia pari inuidia cō iuncta traducendū cenſerent. Ad Petrum Kmitam Cracouienſem Palatinū & ſummū regni Mareſchallum vbi ordine vē tum, is errore regio Rempub. tuurbari, vt defectu ſolis naturā aſſeruit. Verūenimuero quæſtio illa, vt creditū eſt, nō tam boni publici cauſa, quā à potentū ambitione excitata eſt, q cū dilicendo iure multum apud regē pollerent, & adhuc plus pollere cuperent, & vt vt opib. honoribuſq; ſeipſos augerēt, partim quidē autoritatē ſuā tueri, partium ad interregnum deducere rē hac occaſione conati ſunt. Verū cum ii, q reegi aduerſabātur, hac ratione nil effectum animaduerterēt, aliā viam, quæ reegē ipſum cōcernebat, excogitarunt. Nā ſenatu & Nuuciis Prouincialibus reegis in propoſito conſtantia ſpe ſua fruſtratis, flagitarunt, vt à iuriſdictione reegia exercenda, bello ac tributo imperando tātiſper abſtineret, quoad authoritate comitiorū fuiſſet aliquid cōſtitutum. Quod ipſorum poſtulatū vt probabiliter iuſtū videretur, iuramētum illud, cuius vigore Sigiſm. pater fiſco regnū reſignarat, allegabāt, cui præter alias hæc quoq; fuit adiecta cōditio, ne prius Sigiſmundus Augnſtus ius in regnum haberet, quam is Lithuaniam, Pruſſiam, & Zatoriam cum Polonia coniungeret. Sed alii contra regiis excuſandi cauſa mirari ſe dicebāt, quonam iure tādiu Rex Auguſtus hactenus dictus fuiſſet, ſi in regno nullam habuiſſet poteſtatem. Ad conditionum illarum cōplementum opus eſſe tēporis ſucceſſu & occaſione, cū prouinciæ ſuis legib. & iurib. per longum tēporis interuallū vſæ longeq; à ſe inuicē diſtinctæ, tācito coaleſcere nequeant. Hæc Macieiouii Epiſc. Cracouiēſis, & reliquorum cum ipſo ſentiētium Epiſcoporum ſentētia: Hæc Tarnouii Caſtellani Cracouienſis fuit. Cui Petrus Kmita Palatinus Cracouienſis ſemper fere in Republica aduerſari ſolitus, iudiciorum dicę appetente, Regi prius honore exhibito, ſceptroque humi depoſito, ex Senatu abiit teſtatus, nolle ſe ibi eſſe, vbi totus Reipublicæ conuelleretur ſtatus. Quem reliquus Senatus ſecutus eſt, præter Macieiouium, Tarnouium, & nonnullos alios, qui à Rege ſtabant. His non adeo motus Rex, ius omnibus ex æquo dixit, & ad comitiorum finem Petricouiæ manſit. Comitiis ſic ſolutis, Rex li-

Ioan. Sierakouius matrimonium Regis exagitat.

Regis reſponſum.

Archiepiſcopi Gneſnen. ac reliquorum Senatorum ſententia.

Eorundem poſtulata ad Regem.

Quæ mitigata à quibuſdam Senatorib.

Comitiorū finis.

Rex literas ad Senatores & Nobilitatem præcipuam de Comitiorum actis.

Rex literas ad Senatores & equites præcipuæ notæ, quibus eos de illis, quæ in comitiis acta, & quo modo ab eorum internunciis omnia conturbata fuissent, libertatis defendendæ prætextu, edocuit. Qua eorum licentia non modo nil obtentum, sed cuncta summum in discrimen potius adducta, quod nonnulli in eo saltem fuissent, vt contra imbecilliores potentiam suam ostentarent, atque amplificarent, autoritati regię sese opponendo. Se tamen Reipublicæ defendendæ studio & amore ductum, ipsis cordate restitisse, neque iuris dicundi, vxoremque retinendi facultate se passum priuari. Ideoque non debere eos neque de sua erga ipsos, totamque adeo Rempublicam fide ac voluntate, neque in pactis seruandis constantia vllo modo addubitare. Quibus literis per prouincias publicatis Regis causa non parum fuit confirmata atque stabilita.

Scholasticorum Cracouiensium cædes.

Secuta est comitiorum æstum sub finē Maii famosa illa Scholasticorum Cracouiensium cædes, à familiarib. Andreæ Czarnkouii, qui annis aliquot post Episcopus Posnaniensis factus, patrata. Cum enim sub noctem à lena quadam scortum alicui adduceretur, propter ędem omnium Sanctorum Scholastici ex ædis eius Schola, precario victum quæritantes, scortum vexare, & lenam exagitare cœperunt. In illos famuli Czarnkouii, quib. lena dubio procul questa est, incidunt, arma expediunt, inermes Scholasticos in scholam persecuti, alios misere tractant, alios morte mactant. Postero die re publicata fit concursus ad cæsorum corpora, adsunt è scholis atque collegiis omnes Scholastici, facinus insolens atque miserabile vociferantur, ac

Eorum querela ad Regem.

in arcem ad Regem contendunt, neciam familiam, sed ipsum herum cædis reum agunt. Exoritur in arce clamor, & loco, & Rege indignus, quo excitus Procancellarius, & Stanislaus Macieiouius Regis aulicus ex atrio prodeūt, tumultuantes Scholasticos obiurgant, officiique admonent: Regem adesse, à quo, si quid vellent, submisse petendum. Scholastici repulsam passi, ad interemtos reuertuntur, eos humeris sublatos in forum proferunt, testificantur cædem, ac per præconem de more conclamant cædis autorem ipsum Czarnkouium. Frequenti foro resacta miserabili cum eiulatu. Sub vesperam tandē necatos sepulturæ mandant, & à funere recta ad Nicolaum Schadecum Rectorem, & Samuelem Macieiouium Episcopum Cracouiensem,

Ad Rectorem & Episcop. Crac.

Academiæ patronum ac Cancellarium, se conferunt, minis precibusq; instant, causam suscipiant, neque tam immanem eædem inultam esse sinant. Quod si in gratiam Czarnkouii cunctentur, se ad vnum omnes Cracouiam deserturos, & vacua Collegia relicturos. Rector rem ad Collegas refert, consilium expetens. Sed dum illi moras trahunt,

Scholastici à Rege vocati auditig.

Rex Scholasticorum vociferatione motus in arcē ad se illos vocat, ac potestatē dicēdi corā facit. Queruntur pridie per vim se reiectos, nec ad Regē admissos: orāt suppliciter, ne Rex de iure libertatis Scholasticæ quicquā imminui, aut cædē impunitā dimittat. Aderat Czarnkouius, qui diligēter se excusabat Regi, testesq; in rē producebat, se domo tū, cum cædes fieret, abfuisse, cęnasse foris apud amicum, nil actū suo vel scitu, vel iussu. Rex Scholasticis sibi illorū factū pridie displicuisse respōdit, quod officii immemores se illo importuno clamore offēdissent, ad quē facilimus in fimo etiā cuiquā accessus. Eo factū, vt excluſi fuerint. Nunc se rem tenere, & ne impune abeat, prouisurum. Sed quia Czarnkouius iurisdictionis ecclesiasticæ sit, iudicio illum regio non esse obnoxiū. Idcirco eius facti cognitionē se integrā permittere Episc. Cracouiēsi, cuius

Regis respōsum.

iurisdictionem agnosceret Czarnkouius. Recepit causam Episcopus, Academicos citat, ac Scholasticos adesse iubet. Adsunt cum Rectore Collegæ, è SScholasticis nemo, qui per literas absentiæ suæ causas reddunt. Verum eo non venisse dicebantur, quod familiaris reo iudex illis suspectus esset. Episcopus ignoscere se iuuentuti eorum, quod non comparuerint. Interea tamen constituit, qui inquirant in Czarnkouium, ac de iure omnia agit. Fit inquisitio, testes ac iudices sistuntur, locus tempusq; cum coniecturis conferuntur. Consul etiam cum Senatu cædis autorem inuestigat, iuramentoque testes obstringit, ac nil omnino, quod ad inquisitionem acerrimam pertineret, prætermittit. Quæ delata ad Episcopum, fidem illi fecerunt, CCzarnkouium à culpa vacuum. Cæterum familia illius eadem illa inquisitione cædis rea deprehensa, autoresque Regis iussu capti, in vincula coniecti sunt, vt certo accusatore supplicium luerent. Verum Scholastici, quoniam iam semel reum cædis Czarnkouium publice arguerant, actionem captiuitis intendere nolebant. Et cum illis non satisfieret, ad vrbem, gymnasia, atque scholas destituendas conspirant. Cum itaque inuidia æstuaret non solum Czarnkouius, sed etiam Episcopus, & vero Scholastici abitum molirentur, Tarnouius Castellanus Cracouiensis, qui tum haud procul aberrat, à Rege accitur, cui dat negotium motus componendi, ac Scholasticorum retinendorum. Conuocati in ædem D. Francisci Scholastici, adsunt cum Rectore atque collegis vniuersi. Episcopus etiam sacerdotibus comitatus venit. Habita à Tarnouio concio grauis, qua illis suadebat, vt à pertinacia discederent, simulque illos cohortatus est, ne huiusmodi consilia susciperent, quibus Rex lædi possit, non fore impunitam cædem, teneri cædis autores, iure modo agerent, idque curarent, cuius causa à parentibus Cracouiam missi. Inflectere Tarnouius illorum animos videbatur, quod illis cohortandis laudem reprehensioni admiscuisset. At cum Episcopus orationem Tarnouii subsequutus cædem eleuaret, auxit illum dolorem, vt se lymphatorum instar ex æde proripuerint, ac iu patriam reditum crastino die suscipiendum proclamarint. Postridie primo diluculo adsunt vniuersi, & abitum parant, Ciues etiam adeunt, eisque valenon sine lachrymis dicunt. Postremo Cracouiam magno egrediuntur comitatu, illud solenne concinentes: Ite in orbem vniuersum. Plena erat vrbs fletu eiulatuque, nec miserabilius quicquam ante id tempus in Polonia visum, cum gymnasia contacuissent, collegia deserta essent, ac nullus fere esset, qui vel in templo presbyterum, vel in gymnasio scholae iuuaret magistrum. Cracouia igitur egressi, Diui Floriani ædem, quæ in suburbio est, salutarunt, vbi sacro facto ab illis ex psalmis decantatum: Spiritus Domini replcuit orbem terrarum. Inde progressi, in viæ initio humi prouoluti, vnanimes cecinerunt illud quoque: Contere Domine fortitudinem inimicorum Ecclesię tuæ. Post patriam pars repetiit suam, pars etiam in Germaniam, pars in Prussiam ac Bohemiam profecti, partes Lutheri auxerunt, eiusque dogma domum reuersi propagarunt. Triste spectaculum hoc accidit Regi, quare ex itinere nonnullos reuocari curauit. Verum paucis reuersis, reliqui omnes cœptū persecuti iter vindictam illam sanguinis innoxii Deo permiserunt. Dilapsis ita Scholasticis, accusatore non comparente, Rex quoque ob cædem captos absoluit, ac dimisit. Cæterum hanc Scholasticorum cædem meretrix illa, propter quam cædes facta, non multo post supplicio expiauit

Episcopus causam cognoscit.

Conspiratio Sch. Lasticorum.

Tarnouio negotium cōponendi datur.

Sed irrito successu.

Sch lastici abitum moliuntur Cracouia discedunt.

Varie dispersi, quos Rex reuocat pauci reuersi. Captidimit cuntur.

304

Meretricis supplicium. Lena item. Arcis Cracou. incendiũ.

suo quæ matrem lenæ suasu interemit, quod illam libidinari nollet. Illa enim in culeum parricidarum more insuta in Vistulam præcipitata, lena vero forcipibus candentibus carpta in idem flumen demersa est. Casam hunc excepit arcis incendium, cuius dimidia pars meridiem versus combusta, vnde tota arx cum æde Diui Stanislai plumbo albo tecta periclitabatur, Rege ipso inspectante ac trepidante: verum arrientium concursu, Regisque præsentia, quæ vrgebat enixius opem ferre, flamma sedata, atque arx asserta.

Tartarorũ in Russiam irruptio.

Exeunte Septembri Tartari in Russiam irruptionem fecerunt, in qua omni crudelitatis genere grassati, ingentem hominum iumentorumque prædam abegerunt, Peremirco castello incenso, & Constantino Visnieuiecio cum vxore liberisque in seruitutem raptis. Quod ob periculum regni Ordinibus conuentum flagitantibus Archiepiscopus Gnesnensis Cracouiam propere accurrit, Regem ad comitia indicenda hortatus, ni faceret, se communi Reipublicæ periculo vrgente conuentum indicturum. Rex causatus in publicis Ordinum conuentibus quosdam seipsos tanquam in theatro ostentandi potius, quam publicum regni bonum promouendi studio ductos consilia regia solere eludere, se inuito neminem denũciaturum conuentum respondit. Aliquot igitur dies Archiepiscopus Cracouiæ cum substitisset, nil eorum, quæ minatus fuerat, ausus Louiczium reuersus est.

An. Ch. 1550. Comitia Petriconiæ.

Sequenti anno Rex Ioannis Tarnouii suasu comitia Petricouiæ mense Maio habuit, quibus per regni Cancellarium significat, quanto in periculo versetur summa Reipublicę, cum aliud comitiis agitur atq; regni ratio flagitet, hortari, vti ad Rempublicam perinde seruandam animo curaq; omni omnino euigilent, quam interim dissidii causa præsidio carere quam sit exitiale, vel nuper in Russia acceptã cladem docere. Sententiam dicere iussus Senatus, quorum Archiepiscopus Gnesnensis Senatus Princeps suam ab hoc proposito auertit, & ad illius scripti inuidiam retulit, quo se Regem purgasse de comitiis turbulentis anni præcedentis, cuius scripti aculeus in Senatus contumeliam cum vergere videretur, Archiepiscopus de Republica rogatus, respondit: non sibi eam rationem in Republica probari, quę regnum præter detrimentum publice etiam infamaret, parum fuisse visum anteactis comitiis nullam Reipublicæ partem constitutam esse, nisi etiam regiis literis Senatus ignominia notaretur, quæ cum Latino perscriptæ essent sermone, exteros etiam homines intestinæ discordiæ conscios facerent. Hortabatur itaque Regem, vt ab eiusmodi in posterum scriptis abstineret, atque alio mitiori scripto prioris asperitatem temperaret, quo etiam gratia dissoluta domi sarciretur, & foris nulla præberetur nomini Polonico detrahendi occasio. In huius non pauci ex Senatus sententiam iuere. Agitatum postea per nuncios de iliis ipsis conditionibus explendis, de quibus etiam in superioribus comitiis tractatum erat: quibus donec satisfaceret Rex, tantisper à iurisdictione abstineret. Regessit Rex iniquum sibi videri, eas ob conditiones iudicia non exerceri, in tantis præsertim iniuriis hominum, quare velle se causas ad tribunal suum appellantium diiudicare. Interea tamen relaturum ad Senatum de conditionibus præstandis. Deliberatum itidem hic est de executione legum, cuius rei nomen cum ambiguum esset, alii alium instituebant exequendi modum. Alii enim tantum leges à Ioanne Alberto &

Eorum alia

tuo, & Alexandro Regibus latas, alii vero omnes exequendas iudicabant. Sub summa verborum contentione Senatus atque internunciorum disceptatum est, quis potior esset exequẽdi modus, eo enim plerique omnes ibant, quod è re sua fore putabant. Qui enim principium exequendi à Ioannis Alberti, & Alexandri Regum legibus statuebant, id inprimis spectasse ferebantur: vt Cancellarium de Cancellariatu, Tarnouium vero Castellanum Cracouiensẽ Præfectura Sendomirien si deponerent, quod his duobus singularis apud Regem gratia, summaque autoritas magnam vulgo inuidiam conflaret. Itaque cum lex in Polonia illis Regibus rogata esset, ne Cancellarius ex maioribus Episcopis designaretur, non licere Macieiouio cũ Cracouien si Episcopa Cancellariatum contra eam legem obtinere Nuncii affirmabant. Cum Macieiouius & Tarnouius legibus satisfeciss ent, docuissentq; inuidiam nil illis incõmodare posse, executionem ad initium legum referre nitebantur. Quorum sententiam amplexus Rex alteri parti respondit se susceptro regno non iurasse, vel in has, vel in illas leges, sed generatim in omnes, secundum id iusiurandum ergo se leges executurum. Perculit vehementer oratio eam partem, quæ captabat executionem, vt desistere Regem illa plerique cuperent. Multi enim è Senatu & Nobilitate veteribus obnoxii erant legibus, quas si in executionem deduceret Rex, pœnam damnatos sequi oportere præuidebant: ea enim pœna illis legibus irrogatur iis, qui comitiis restituere, quæ contra fas & ius occupassent, admoniti è vestigio nollent. Verum enimvero antiquas illas leges si Rex in Polonia executioni mandare vellet, totum illi regnum necessario retexendum. Nam vt mores aliarũ ætatum alii sunt, sic leges aliorum temporum alię videntur esse. Ioannes certe Tenczinius Palatinus Sendomiriẽsis acerrime hanc executionem impugnabat, qui sella ob senium illatus in curiam, cum eadem de re sequẽtibus comitiis quoque ageretur, hæc præter cætera locutus fertur: En iam sepulchro proximus, rapite me, dum licet, ac viuum sepelite, si huius executionis, quam instituistis, principium vllum ante exitum inueneritis. Leges enim uero antiquæ cum moribus antiquitatæ, & mores noui à legibus gubernandi sunt nouis, placet exequi leges veteres, placeat etiam de pœna nil recusari veteri, quam leges irrogant iis, qui contra deliquerunt. At cum ita postulante Republica multi multa consuetudine longa, cui lex cedit, contra leges priscas obtineant, id ne nobis fraudi erit, quod à maioribus per manus traditum contra leges antiquas accepimus. Credo ego fuisse aliquando in Polonia tempus, quando lex illa de magistratibus, ac de possessionibus regiis vetus regno erat vtilis, sed casus subsecuti, qui in Republica multum valent, tacite illam legem abrogarunt, & aliam moribus & consuetudine introduxerunt, perfeceruntque, vt ne res ea damno esset, si ego, aut quisquam alius in aliqua prouincia magistratum contra legẽ, cuius ciuis non sum, obtineã, aut si possessiones regias à veteribus Regibus maioribus meis obligatas habeã, salua existimatione & pecunia mea. Quapropter cum semper tempori cedat lex, & legem vsus coarguat, censeo, vt à Ioannis Alberti & Alexandri Regum legibus initium exigendi fiat. His verbis executionem à capite legum dissuadebat, & ad leges à Ioanne Alberto & Alexandro Regibus sancitas referebat. Ita illa executio, quam initio omnes flagitabant, in dubium venit, vt vtra parte susscipi tuto posset, non liqueret. Nuncii certe plus sibi ac Nobilitati ab illa,

Disceptatio super legum veterum ac nouarũ obseruatione.

Io. Tẽczinii oratio in leges vetcses.

305

quam Senatoribus cauendum putabant, quod verebantur, ne illa executione in dubium Nobilitatis bona vocarentur. In his comitiis Nobilitas Ordini Ecclesiastico propter potentiam eius nimiam infensa, ansam inde arripuit eum liberius exagitandi. Occasionem præbuit Ioannes Driadusius Episcopus Premislienſis, qui Stanislaũ Orichouium Canonicum Præmislienſem ob cœlibatum oppugnatum dœcesi sua exterminauit. Hic vt contra Episcopum se tueretur, rem totam Nobilitatis nunciis in comitiis exponit, petitque, vt causa ad Regem delata Episcoporum iurisdictionem reprimendam curent. Nuncii iam ante aduersus Episcoporum potentiam exacerbati, causam suscipiunt, & ita agunt coram Rege, vt libera accusatione Episcoporum animi in stuporem fuerint dati. Insuper impetrant, vt ipsi Orichouio causam coram Rege agere liceret. Hic Orichouius in cælibatum Romanum inuectus, ab Episcopis interpellatur, & causam citra Pontificis Romani læsionem dicere iubetur. Quod etsi primum nonnihil interturbauit sermonem, tamen amicorum pone adstantium cohortatione confirmatus, vitæ suæ rationem oratione extemporanea ita exposuit, vt diceret, se bono Rege bonum Ciuem esse studuisse, rogaretque, vt infami Episcopi Premislienſis interdicto regia authoritate absoluatur. Rex deliberaturum se respondit, prius auditis & aliorum contra Episcopos querelis. Interim Episcopi metuentes autoritati suæ, Orichorium ad colloquium in curiam Archiepiscopi Gnesnenſis euocant. Hic cum comitatu splendido magnificoque stipatus (aderant autem Nicolaus Radiuilus Vilnenſis, Martinus Zborouius Calissienſis, Nicolaus Brudzeius Lenczicienſis, Raphael Leszinius Brestẽsis, Cuiauiẽsis Palatini, & Andreas Horcanus Posnanienſis Castellanus) curiã assendisset, attoniti Episcopi negãt in tanta turba deliberationem suscipi de rebus ecclesiasticis posse, reque infecta eum dimittunt. Qua insolentia tantum odii ad priorem inuidiam Episcopis accessit, vt internuncii per duodecim viros Collegii primarios Archiepiscopo denunciarint: Orichouio paratum à Nobilitate subsidium satis firmum, nec eos in capita ac fortunas Nobilium impune grassaturos.

Nobilitas Ordinem Ecclesiasticum exagitat.

Stanisl. Orichouius Canonicus Premislien.

Inuehitur in cælibatũ Rom.

Conuentu irrito successu finito, Rex Cracouiam itẽr vertit, Senatoribus fere omnibus, qui in comitiis Petricouienſibus Regis coniugium improbarant, comitatus, quorum non postremus erat Petrus Kmica Palatinus Cracouienſis. Hi iam mitigati, æquioresque Barbaræ Regis coniugi facti, magno eam honore & afficiunt, studiaque eidem sua deferunt. Inprimis vero Petrus Kmica, qui adeo immutatus erat, vt non solum Barbaræ Visniereuium inuitatæ epulum sumptuosissimum dederit, sed & muneribus eam amplis honorarit. Quo facto omnes priores offensiones abolere conabatur, & vt eo magis Regem sibi demereretur, omnia quæ in rẽ Regis & Coniugis ipsius honorem erant, administrabat. Cærerum cum Regi nil prius, nilque antiquius esset, quam vt vxorem diadematam videret, studium & operam ei suam Kmita præstabat. Itaque consilio ipsius Principibus Prussiæ ac Pomeraniæ regno addictis, qui nondum fidem suam Regi nouo obstrinxerant, diem repetendis fœderibus indixit, vt ea occasione Senatoribus conuocatis non solum fœdera faceret, sed etiam vxorem illis præsentibus coronaret. Itaque ad quintum Idus Decembris nullo scito publico, nec decreto Barbara ab Archiepiscopo Gnesnenſi Cracouiæ in æde D. Stanislai solenniter inaugurata est, paucis regni proceribus, sed paucioribus s

Regis Cracouiam reditus.

Barbara Regis vxor diademate insignitur.

ribus exterorum Principum legatis festiuitatem illam cohonestantibus. Vnus Dux ille Ioannes Lignicensis Dux fatuus dictus, qui per ebrietatem multos confodisset, ibi spectabatur. Cui à Rege magnus fuit habitus honos, ab eodemque magnis affectus muneribus, partim quod vetusta Regum Poloniæ stirpe oriundus esset, partim vt absentibus egre faceret.

In Liuonia exeuntibus iam induciis, quas Valterus Plettenbergius olim optimis conditionibus post binas de hostibus partas victorias cum Moscis sanxerat, Iodocus Episcopus Derpatensis illarum prorogationem per legatos à Ioanne Basilide Moscorum Principe petit. Is quinquennium pprioribus hac conditione addit: & templa Russorum destructa Liuones iinstaurent, ac suæ gentis hominibus illic negociantibus liberum religionis eexercitium, & mercaturæ cum exteris exercendæ facultatem restituant, ac ttributum ex dicœsi Derpatensi antiquitus Plescouiensi Russorum Duci ddebitum persoluant. Episcopus communicato cum quibusdam aliis Liuoniæ Ordinibus consilio conditionum approbationem suspendit, & statim ppostea tempestatem à Moscis, si petita non præstarentur, imminentem prospiciens, collecta ex oppugnatione prædiorum Episcopæ pecunia, quantam maximam conficere, & conuasatis omnibus, quæ ex Liuonia asportare poterat, in Vestphaliam abiit, substituto in locũ Hermanno quodam Vesaliense, vicini cœnobii Abbate. Moscus interea cum Tartaris Casanis & Astracanis, quorum vrbs ad ostium Volgæ in mare Caspium se exonerantis ita, bellum gerit, & vtroque dominatu occupato imperii sui limites ad Caspium vsquo mare prolatat.

Liuones à Moſco inducias petunt.

Mense Octobri extinctus est hydrope Samuel Macieiouius Episcopus Cracouiensis ætatis anno quinquagesimo secundo, qui à Rege Sigismundo primum Episcopus Chelmensis, ac post Regni Procancellarius creatus: progressu temporis Plocensis Episcopatus & Cancellariatus vna contra regni leges ipsi à Rege collatus. Vnde mortuo Petro Gamnato Cracouiensis ei Episcopa à Rege assignata. Vir in concionibus grauis, in iudiciis mitis; in aliorum vitiis indulgens. Lutheranæ confessionis homines metu magis, quam pœna continebat: in quibus cum cætera damnaret, calicis vsum communem, & Sacerdotum Coniugium tulit. Huic succedere in Episcopa Andeas Zebridouius Episcopus Cuiauiensis: in Cancellariatu vero Ioannes Ociessius, Ioanni Przerenbio Præposito Cracouiensi Procancellariatu relicto.

Samuelis Macieiouii Episcopi Cracouien. mors.

Hæc dum fiunt, Idies à Ioanne Przerembio Proepiscopo Cracouiensi Nicolao Olesnicio dicitur, quod nouam, vti vocabant, religionem Pinczouiium oppidum iuris sui induxisset. Venit hic cinctus cognatorum atque familiarium turba. Proepiscopus cum Sacerdotum Collegio tanquam iudex considet, turbamque amoueri iubet: sed probris exceptus, parum abfuit, quin vis ei inferretur. Proepiscopus videns malum maius esse, quam vt sedari per se posset, rem ad Regem defert: coram quo & Episcopi, & in primis Andreas Zebridouius Episcopus Cuiauiensis Olesnicium grauiter accusant eius factum, quantum possunt, exaggerantes: rogant Regem, exemplum in Olesnicium statuat. Pro Olesnicio verba facit Nicolaus Reius, causam in Monachos conferens, quorum ob vitæ turpitudinem conscientia eos in oppido manere non pateretur. Iussus secedere paulum Olesnicius, Rex Senatorum sententias exquirit, qui agendum cum illo ex legibus con-

Nic. Olesnicius citatur à Proepiscopo Cracouiẽ. ob religiouẽ nouam.

cra hæreticos latis iudicant. Intercedit seueriori sententiæ Valentinus Dembinius Castellanus Biecensis rogatus, Rex familiæ splendori atque ætati ignoscat, nec primâ ignominiæ notam huic in Polonia haud postremæ familiæ inurat. Mediam iiaq; Rex ingressus viam, per Ioannem Tarnouium Castellanũ Cracouiensem pronũciat, & Olesnicio reuocato indicat, quid meritus sit, si summo iure agere velit, suæ oblitus clemẽtiæ, Regẽ hac vice ignoscere, & mandare, à sacris externis abstineat, monachis molestus ne sit, idq; mille aureorum vadimonio caueat. Additum deinde à Rege edictum, vt cuiuscunque Ordinis aut sexus deprehensi fuerint hæretici, ab illis supplicium iuxta leges Reipublicæ per Præfectos regios sumatur.

An. Ch. 1551. Orichouius vxorẽ ducit

Veniente anno Stanislaus Orichouius, cum iam ante cælibatum Romanum impetiisset, mense Februario connubio sibi iunxit Magdalenã Ioannis Chelmscii filiam, conciliantibus matrimoniũ hoc Martino Zborouio Palatino Calisiensi, & Andrea Gorcano Castellano Posnaniẽsi, quod ad labefactãdum cælibatum Sacerdotum plurimum videbatur allaturum. Instigatus ergo à Sacrificulis Episcopus Premisliẽsis dicam illi scribit ad diem post Pascha quartum, spatio per breui concesso, videlicet ne Orichouius se amicorum muniret vel consilio, vel comitatu. Tandem absentem excommunicat, hæreticumque pronunciat, bonis honoribusque exutum diœcesi eiicit. Sub idem tempus Synodus Petricouiæ agebatur, in qua Archiepiscopus Gnesnensis Nicolaus Dziergouius magno contra hæreses zelo ferebatur, adeo, vt vsitato iuramento nouum adiiceret, cum inter ipsos Episcopos non pauci essent suspecti. Cumq; decretum ibi factum esset hæreticos bello persequendi, pecuniæ vi magna Ecclesiasticis imperata, prius Regem sibi cõciliare statuunt: vt qui nossent, si quid mulctæ extorsissent, id Regẽ sibi ex legibus vindicaturũ. Ad id Concilium Orichouius familiarem quendã mittit, qui Archiepiscopum & Episcopos fere omnes infensos admodum deprehendit. Appellatio itaq; illius non modo nõ est lata, sed & ab Archiepiscopo pronunciatũ, recte Orichouiũ condemnatum sententia Episcopi Premisliensis esse, eumq; hæreticum Regi deferri iubet, ac per literas instat, in eum vt animaduertatur. Accipit Rex delationẽ, & è Lituania per literas Petro Kmitæ Palatino Cracouiensi, ac Præfecto Premisliensi mandat, ex lege in accusatum hæreseos Orichouium agat: quod vrsit & Episcopus Premisliensis vnice. Verum Kmita, vel iudicii iniquitate, vel rei misericordia motus, de die in diem extraxit, & ad comitia sequentis anni reiecit. Mense Maio eiusdem anni decessit Cracouiæ Regina Barbara Radiuilia, omnibus ornamentis & dotibus, quæ in fœminam cadere possunt, cumulata, sexto post coronationem mense, ex morbo, quem medici cancrum vocant. Eam Rex Cracouia æstiuis caloribus magno comitatu sumptuque in Lithuaniam deportauit, ac Vilnæ in basilica arcis D. Stanislai in sacello D. Casimiri pone primam coniugem Elisabetham Austriacam deposuit.

Qui citatus ob id ab Episcopo Premisl. Absens excommunicatus & bonis exutus.

Synodus Petricouiæ. Ecclesiasticorũ

Orichouii appellatio ad Synodũ.

Moritur Barbara Regina.

Elias Valachiæ Palatinus Mahometis impietatem amplexus est.

Haud multo post Elias Valachiæ Palatinus Petri filius auerruncata religione Christiana Mahometicam idolomaniã amplexus est. Cum enim is nil tuti in Valachia videret, quod multos de primoribus interfecisset, multos in exilium eiecisset, tam manes extinctorum, quã mirabas viuẽtiũ expauescere necessum habuit. Accersitum igitur se à Solymanno Turcarum Imperatore, simulat, neq; quenquã cõsilii participem facit: conuasataq; gaza paterna simulatione officii Constantinopolim ad Tyrannum proficiscitur, Valachia Stephano fratri natu minori relicta, Exceptus à Tyrãno perbenigne fuit, & ceũ aduentus sui causas, quas initio dissimularat, exposuisset, Tyrãnus aduentu eius gauisus est, quod ante hanc diem Christiani nominis Principũ nemo sponte à Christo ad Mahometẽ defecisset. Quamobrem circũduci illũ per aulam frequẽtem iubet, ad ludibrium nominis Christiani, & ad extremũ de Tyrãni atrio inter duos Bassas, qui illius latera claudebant, prodit, inq; media aula gratulatione militũ ingenti Christi nomen deponit, pro Eliaq; Mahhometes acclamatione militari salutatur. Et quoniã Turcarũ Tyranno vltro se dederat, ideo Saniarchæ honorem, quod apud Turcas officiũ est vnũ ex præcipuis, ab illo perfidiæ præmium tulit, qui honos vt nõ immerito ad illum delatus videretur, coacto ex Tartaris exercitu trãsfugam viæ ducẽ nactus, cum inusitatis itinerib. exploratores elusisset, Braczlauiã oppressit, atq; exussit. Qua victoria elati, multa cum præda in Scyrhiam læti redierunt. Erat enim tum Russia præsidio nudata, Rex etiam in Lituania aberat, qui contra incursionẽ illam subsidio venisset. Ac nisi Spitco Iordan regni Thesaurarius Ioannis Tarnouii Castellani Cracouiensis hortatu mutuo pecunias in rem militarem accepisset, eaque militem tumultuarie conscripsisset, Tartari cladem geminassent, inque penitiora Poloniæ populabundi peruenissent. Hoc perfidiæ principiũ in Mahometis sectam transeuntis Elias dedit, quod tamen non diu impune ille tulit. Nam cum suspecta in Mahometem Tyranno illus esset fides, breui è medio sublatus est, adeo, vt illius neque viui neque mortui indicium esset vllum. Eodem tempore ingenti in Polonia & Lithuania fame laboratum est, tantaque annonæ fuit penuria, vt modium silliginis Cracouiæ, quod alioquin in Polonia insolens est, tribus florenis veniret.

Eius à Tyranno præmiũ.

Braczlauiam oppressit & exussit.

Apostasia & eiusdem supplicium.

Mense Octobri debitum naturæ persoluit Andreas Gorcanus Castellanus Posnanienſis, ac maioris Poloniæ Præfectus, in quo multa naturæ atq; fortunæ bona gloriæ splendor æquauit, relictis filiis tribus, Luca, Andrea, & Stanislao, qui post omnes Senatorii Ordinis fuere. In quibus, cum absq; liberis decessissent, stirps Gorcanorum tota plane defecit. Eius in locum à Rege Petrus Czarnkouius Castellanus Posnanienſis, Ioannes vero Kosielecius maioris Poloniæ Præfectus surrogati sunt.

And. Gorcani Castellani Posnaniẽ. mors.

Hoc ipso anno Episcopus Premisliensis ob religionem mutatam Stanislaum Stadnicium, nil tale ab ipso expectantem, ac Prossouicium ad conuentum profectum aggreditur, eumque in oppido ipsius Dubiecii edicto absentem pro concione per sacrificulum citat, die tertia Brzozouii dicta, ne scilicet reuersus præsens causam diceret. Vbi dies aduenit, citatur Stadnicius absens: pro quo respondet Dubiecii procurator, herũ Reipublicæ causa abesse, temporis angustia excludi, proferri tempus rogat. Contra Episcopus, cum hæreticis breuiter agendum, siue adsint, siue non, missis ambagib. condemnandos, proscribendos, tollendos. Iterum citari iubet reum, qui cũ non cõpareret, pro contumaci hæretico damnatur, excõmunicatur, infamis pronũciatur, ac bonis publicatis proscribitur. Procurator rei atrocitate cõmotus, ad herãredit, quanto in periculo ses sit, indiciũ facit. Illa vt fœmina territa, celerib. nũciis maritũ de sẽtẽtia in se lata certiorẽ facit, Hic ad cõuẽtũ refert Episcopi præcipitẽ sententiã, &, quo in discrimine libertas cõmunis versetur, ostendit. Condemnatos arte simili esse in diœcesi Premisliensi annoscribitur.

Stanisl. Stadnicius ab Episcopo Premisliens. citatur ob religionem mutatam absens.

Damnatur excõmunicatur, infamis fit, proscribitur.

Qui ad Cōuētum Prouinciē Episcopi sententiam refert.

no ſupēriori multos viros bonos, Martinum Opocrynium, Martinum Kronicium, nuper etiam Stanislaum Orichouium, qui confictis potius, quam veris criminibus capitis eſſent arceſſiti: ita & ſe abſentem non auditum, damnatum, regnoq; eliminatum eſſe. Simile iudicium paulo ante de Cōrado Krupka Epiſcopus Cracouiēſis Andreas Zebridouius tulerat, ſed diuerſo tamen modo. Dederat enim reo ad certum diem legitimum tempus, adhibuerat ſacerdotes publicos, Collegium Philoſophorum, Iureconſultorum, Theologorum bis ampliatum, tertio in corona circumſtantium publice ſententiam pro tribunali dixit. Id quamuis ſpeciem iuſti iudicii præ ſe ferret: tamen, quod indignum videretur, quoſuis reos epiſcopalibus iudiciis fieri, inuidia non caruit: quam auxit, quod curiam tunc præſidio armato munierat, vna duntaxat ianua ingreſſuris relicta, portis clauſis, qua Krupcę dabatur facultas cum paucis in ius veniendi: qui cum ſecum ad iudicium multos viros illuſtres adduceret, indignum viſum, in illo hominum ſplendore delectum ab Epiſcopo haberi. Quare aut omnes, aut nemo cum Krupka introiret, ſtantes ante curiam flagitabant. Martinus Zborouius Palatinus Caliſſienſis per Hieronymum Oſſolinium, & Stanislaum Stadnicium generos Epiſcopum monuit, vt & arma remoueret, & ne de iure regio ſibi quicquam arrogaret. Epiſcopus nihilominus, vt in Synodo Petricouiæ conuentum, Krupkam, cum ad nomen non reſponderet, hæreticum pronunciat, condemnat, bonis publicatis aqua ignique ei interdicit. Idem Archiepiſcopus Gneſnenſis fecit in Iacobo Oſtrorogio, & Chriſtophoro Laſſocio, quos Vnicioui eiuſdem hæreſeos nomine damnarat. Ita Epiſcopi, dum in Nobilitatem quaſi dato ſigno inſurgunt, Poloniam vehementer perturbarunt, adeo, vt cum Rex ad calendas Februarii comitia Petricouiæ indixiſſet, ac de more cōuētus in Palatinatibus per legatos ante egiſſet, in nullo non eorum de poteſtate pōtificia inhibēda poſtulatum fuerit, oppreſſis ab Epiſcopis hinc inde opem familiarium implorantibus. Orichouius certe Viſnæ in conuentu, cum ibi Archiepiſcopus Leopolienſis Petrus Starzechouius adeſſet, flens Nobilitatem appellauit, ac, ne ſe ad ſupplicium dedant Epiſcopo Premislienſi, obſecrauit, adeſſe iam mandatum Regis, quo ad necem derur, niſi celeriter ſubueniatur. Archiepiſcopus his motus, non probari ſibi quidem talia Epiſcoporum iudicia dixit, ſed tamen nec reſcindi in præſentia poſſe, quæ ſuperiorum calculo iam approbata eſſent: datutum autem operam, vt Orichouii cauſa integra ad comitia deferatur. Nobilitas itidem Ruſſica lectis nunciis Orichouium diligenter commendauit, ac de nulla re prius, quam de Epiſcoporum potentia abroganda agi voluit. Similia in aliis cōuentibus Nobilitas poſtulabat. In Tranſyluania exeuore anno Georgius Martinuſius, Monachus vulgo conuominatus Epiſcopus Varadinenſis, paulo ante creatus Cardinalis, ambitionis ſuæ vel etiam ob ſocietatis Turcicæ ſuſpicionem pœnas luit. Erat is pupilli Ioannis Stephani tutor, adiunctus à Solymanno viduæ in Tranſyluaniā abeunti, non vt comes tantum, ſed vt imperii pars, & ærarii poteſtas penes ipſum eſſet. Sed Reginæ pecuniam in ſumptus maligne ſuppeditante, & ea inconſulta, pleraque omnia ſuo arbitratu adminiſtrante Monacho, Regina conqueſta eſt Solymanno, qui literis officii ſui Monachum grauiter admonuit. Sed hic multo quam ante inhumanius Reginam habuit, conſiliaque cum Nicolao Salmenſi Comite, Ferdinandi Regis per Vngariam legato, agitauit, ſpe ei facta

Iudicium ſimile de Cōrado Krupka, ab Epiſcopo Cracouien. latum.

Idem ab Archiep. Gneſn. ac Oſtrogio & Chr. Laſſocio accidit

Orichorius Nobilitatē flens appellat.

Georg. Monachus Epiſcopus Varadinen. in Tranſyluania occiditur.

acta Tranſyluaniæ Ferdinando tradendæ. Hos eius conatus Regina cum Tyranno quamprimum patefeciſſet, Monachum comprehendi ſtatum aut interfici iuſſit. Cognitis inſidiis Monachus mature ſuæ ſaluti conſulendum ratus, Saſſebeſſæ impoſito 4000. Cęculorum præſidio ſe continuit. Regina quoq; exercitu conſcripto, & Turcicis auxiliis ſubnixa, Monachi conatibus obbuiam ire conſtituit. Verum Tranſyluanis contra Monachum arma ferre recuſantibus: Turcicus legatus Budæ Præfectum, itemq; Moldauiæ & Trāſalpinæ Palatinos euocauit, qui coniunctis viribus caſtella quædā de nouo à N Monacho excitata, à ſe obſeſſa in poteſtatem redegerunt. Monachus tot vrgentib. hoſtib. conſultum duxit cum Regina in gratiam redire. Quo impetrato, 50000 contractum exercitū ex Tranſalpinis aliquot eorum millia occidit: inde Budēſem quoq; Præfectum, trecentis circiter interceptis equitib. domum redire cōpulit. His ita geſtis, Reginæ nihilominus interceſſione Solymanno reconciliatus eſt, eiq; Tranſyluani parere iuſſi. Paulo poſt Monacho fidem datam & promiſſa nō ſeruante, Regina à Tranſyluaniæ Proceribus poſtulauit, vt in ſua filiiq; verba iurarent, & contra Monachi molimina, ſi quid ille attentaret, auxilia promitterent. Monachus inſigni contumelia ſe affectum queſtus, iterum ad Ferdinandum ſe inclinauit, prætendens, niſi promiſſa ſibi quāprimum præſtentur, propediem Tranſyluaniam Turcicum ingum accepturam. Et ſi vero nota erat omnib. Monachi ambitio, ſibi potius quam Ferdinando regnum acquirere ſatagentis: ne tamen in re tāta quidquam negligeretur, mille equites Vngarici cum tormētis aliquot ad eum miſſi: ſocius deinde belli adminiſtrandi ei additus Ioan. Baptiſta Caſtaldus Italus, cui Ferdinandus Rex in mandatis dedit, vt reb. Tranſyluanis diligentiſſime inſpectis, quid opus facto eſſet, Regem admoneret. Regina interim hinc Ferdinandi vires, hinc Monachi verſutias metuēs, Caſtaldum adiit, docet, quo minus vetera pacta ſeruata ſint, per ſe non ſtetiſſe, ſed quicquid contra factum, Monacho imputandum, modo Ferdinandi, modo Reginæ partib. fauere ſe ſimulanti, modo etiam, prout ei commodum videretur, veluti tertiam, eamq; ſuam factionem Tranſyluanorum procerum ſtudiis alenti. Re inter Caſtaldum, Monachum, & Tranſyluanos diu multumque diſceptata, hoc tandem modo trāſactum, vt Regina Tranſyluania Ferdinando cederet, ac viciſſim Caſſouiam, & vicies quinquies mille aureos ex Ducatu Opolienſi annuos perciperet, eius vero filio Ferdinandi filia maior natu cum centum aureorum millib. vxor ſponderetur: hiſq; de reb. Monachus ad Reginā ferre iuſſus. Inter hæc ipſa habito cum Caſtaldo colloquio, conditiones ſibi placere, dixit, neq; ſe vnquam à mariti pactis diſceſſiſſe, omnium vero malorum, quæ ex hac contentione nata eſſent, Monachū cauſam eſſe. Eius ambitionem, cum ſine periculo retundere non poſſet, Ferdinandus muneribus explere ſtatuit. Nam & Præfectura Tranſyluaniæ iiſdē conditionib. quib. Ioanne Rege viuo obtinuerat, itemq; Strigonienſi Archiepiſcopatu eum donauit, tandem etiam ad Cardinalatus dignitatē promouit. Sed ne hęc quidem ad ambitionem eius ſatiandam ſuffecerunt. Facile enim intelligebat, non eam poteſtatem ſibi ſub Ferdinandi imperio fore, & ſe, qui ante omnia, etiam Reginam ipſam ad nutum ſuum habuiſſet, in ordinem redactum iri. Quare Regina autor fuit, vt pactionem reſcinderet: idq; Regina ipſa ad Caſtaldum non diſſimulauit. Is ergo tanto magis acceleradam ratus, Tranſyluanorum conuentum Coloſuarię ſiue Claudiopo-

li indicit. Eo cum Regina ipsa media inter Castaldum & Monachum equitans venisset, primum omnium regalia insignia in medium fuere allata. Monachus coronæ inhiabat, idq; agebat, vt ea sibi custodienda daretur: contra Regina talem coronam Monachi caput minime decere dixit. Eam deinde Castaldus ad Ferdinandum cum cæteris insignibus transmisit, & prolixa oratione commemoratis omnibus, quæ inter Ferdinandum Regem & Reginam viduam trãsacta essent, solenne iusiurandum Regis sui nomine præstitit, & ab ordinibus vicissim accepit. Solymannus accepto nuncio Transyluaniam in Ferdinandi potestatem concessisse, Græciæ præsidem quamprimum eo proficisci, & bipartito exercitu Transyluaniam inuadere iubet. Interim Castaldus Lippam obsidet: in qua oppugnatione Monachus summam alacritatem simulabat. interim vehementer pro Lippensi præsidio laborans, clandestinis colloquiis cum multis habitis, quinetiam aperte præ se ferens, malle se Turcis amicis, quam hostibus vti. His igitur de causis Castaldus eius interficiendi Andreæ Lopeczio dat negotium, adiunctis viginti quatuor Hispanis militibus, aliisque consilio ac manu promptissimis. Cum his Lopeczius mane Sassabessam, vbi tũ Monachus erat, profectus, per portam patefactam introductos milites, sub Turcico habitu arma occulta gerentes, idoneis locis disponit: inde cum Sfortia Palauicino, M. Antonio Ferrario, ipso etiam Castaldo, & quatuor Hispanis militibus ad Monachi cubiculum contendit. Ibi eos conspicatus Monachi secretarius, ad herum introrumpere conabatur, certiorem de hospitum aduentu facturus, sed à Castaldo retentus, quamprimum Sfortiam ad Monachum deducere iussus fuit. Is igitur, siue quod nil de eo viro mali suspicaretur, quem sciebat hero suo familiarissimum, omniumque secretorum esse conscium, siue metu suspicionem aperire non ausus, ostium pulsat, & per cubicularios ministros hero nunciat, adesse Sfortiam, qui Viennam profecturus, valedicere ei, deque re non parui momenti colloqui cum eo cupiat: simul literas porrigit ad Monachum perferendas. Hic dum literas legit, iamque subscripturus, mensæ assidet Ferrarius pugionem ei intra pectus & humeros defigit: ad quem ictum exiliens Monachus (nec enim vulnus lethale erat) manu pectore percusso Mariam Virginem crebro inclamans, ad mensę oram retrocedit. Ad hanc vocem & strepitum irrumpens Sfortia, nutantem gladio ferit, & graui vulnere medium quasi caput diuidit, cum ille interea Dei nomen inuocaret, & eos fratres appellando fidem requireret. Hunc exitum habuit ambitiosus Monachus, in quo illud memorabile est, quod nemo eorũ, qui cædis autores fuerant, vel violentam mortem, vel exilium, vel insignem aliquã calamitatem euasit. Mors etiam eius, in qua multi spem salutis posuerant, plus incommodi Reipublicæ Christianæ attulit, quam emolumenti, breuique post Transyluania omnis à Ferdinando defecit.

Ann. Chri. 1552. Comitia Petricouia. Propositio Regu.

Mensis Februarii initio anni sequentis Rex Petricouiam ad comitia indicta venit, vbi magna inuidia ordo Ecclesiasticus ob dominatũ laborabat. Confluit ergo eo ingens multitudo, exitum comitiorum visura: Episc. iurisdictionem suam. Nobilitate libertatem prætendentib. totisq; virib. propugnantibus. Rex à sacrificio de more orsus, per regni Cancellarium comitiorum indictorum causam exponit, pericula à Tartaris, Turcis, ac Valachis cõmemorat, Bratislauię exustæ culpã in dissensionẽ ciuilẽ confert, nũcioso, Nobilitatis de externa vi reprimenda deliberato inprimis iubet. Hi per Raphaelem

Raph. Leszczinii oratio ad Regem.

phaelẽ Leszczinium, vicũ præter alias virtutes heroicas hoc nomine illustrẽ, quod comitiis superiorib. regni legib. satisfaciens, & Palatinatu Bretensi ab dicato, ad equestrem redierit ordinem, responsum dant: Nõ tam externam vim, quam Episcoporum tyrannidem regno formidabilem, qui potestate ad regni perniciem abusi, audacter regiam sibi arrogant. Pestem igitur domesticam primum tollendam, deinde de externis hostibus videndum. Hic cium audientiam sibi fecisset re noua, multa aspere ac libere in Episcopos dixiit, hypocritas illos indigitans, qui ab aliis vitæ rationem poscerent, cuius ipsi reddere non possent. Tum illud cordate ad Regem: Isti sunt, Rex, qui nos infamia, publicatione, exilioque mulctant, qui hic ouium habitu sedẽt, intus lupi rapaces: qui nos liberos, vt perduelles, condemnant, ad cędemq; ti ibi designant. Nos te liberis suffragiis Regem elegimus, tuæ fidei, ac potestati vitam fortunasq; nostras cõmittimus, cuius nullum mortaliũ socium habere te volumus, hac cum spe à fratribus nostris huc venimus, vt ius tuum regium integrum nobis serues, vt Episcop. impotens dominatus authoritate publica in ordinem redigatur. Summa hæc, vt tibi soli pareamus, præterea nemini. Rex, Episc. obmutescentib. de re initio proposita consultare iubet. Intercedit Ioannes Tarnouius Castellanus Cracouiensis, negans æquũ videri, vlla de re sententias prius dici, quam præsens sublatus sit iudiciorum episcopaliũ motus. Eũ secuti sunt alii Senatores, inprimis Martinus Zborouius Palatinus Calissiensis: qui, si hoc ius, ait, in Nos Episc. erit: mox reb. omnib. cõnuasatis Poloniam excedam, vita & fama comite. Idẽ Nuncii orabant, ne quid prius salute omnium Rex haberet. Rex conspiratione tanta Senatus atq; Nunciorũ à proposito excl usus, precib. illorum locum dans, vtriq; parti æquum se præbuit. Episc. cum aliter caderent comitia, quã ipsi speratãt, vehementer pœnituit sui accessus, & processus iudiciarii, quippe conuitiis vbique obnoxios. Solus Ioan. Droiouius Episc. Cuiauiensis exẽptus hac contumelia erat, qui mitius cum Nobilitate agendum cẽsuerat. Honor ob id huic habitus, actæq; gratiæ, qui rationem eius Ordinis duxisset, vnde ipse ortus. Cæteri Episcopi omnium sermone vapulabãt, inprimis vero Premisliensis. Cui Tarnouius salurandi causa ad se venienti, vt hosti & priuato, nõ vt Senatori, & amico dexteram porrexit, & insuper ei tyrannidem palam exprobrauit. Ille confestim queribundus ad Archiepisc. Gnesnensem, dicere, se vnum pro omnib. pati. Cui Archiepisc. iure pro nobis pateris hæc, qui tantum nobis malorum peperisti, vnde hæ in nos turbæ. Orichouius occasione oblata per literas Episcopis libere oppressionem sui exprobrat, Petricouiam abit, cuitatis insidiis Volboriã venit. Inde Episcopo Crauiensi se salutemq; suam commendat, & Petrum Kmitã Palatinum Cracouiensem per Herbuitos literis supplicib. sibi conciliat. Inauditum iam id Episcopis, itaq; Archiepisc. Orichouium fide data Petricouiã euocat, vbi libere causam suam agere possit. Et fuisset eius causa statim sopita, nisi minorum gentiũ quidã Sacerdotes id impediissent, ac contendissent, ite votum cælibatus omnibus laxatum iri. Videns itaq; Orichouius animos Sacerdotum implacabili odio erga se incẽsos, totum se Ioanni Tarnouio Castellano Cracou. dedit, qui Ioan. Latalscii Palatini Posnaniensis, aliorũq; Procerũ adiutus ope, graue illud Nobilitatis & cleri certamen renouat, actyrãnidẽ Episc. ita exaggerat, vt fere cõsilii inopes de sua iurisdictione desperarẽt. Cracouiẽsis interim Episco. obiurgatis collegis, qui supplicẽ Orichouiũ reiecissẽt, suadet in gratiã cũ recipiendum,

Idem omnium sermones vapulãt.

Orichouius ab Archiepiscopo Gnesnen. Petricouiam fide data euocatus.

309

Qui certamen Nobilitatis & Cleri ortum,

vt præcidatur occasio illis dignitatem episcopalem oppugnantibus. Mouit hoc Episcopos reliquos, accedente Petri Kmitæ autoritate, qui autor fuit, ne ob vnius alias religioni Romanę addicti matrimonium suam & Pontificis Romani dignitatem in discrimen adducerent. Causa proinde Episcopo Cuiauiensi commissa. Reuocatur Orichouius, qui cum fide ab Archiepiscopo accepta Episcopis se stitisset. ac confessione edita, Pontifici Romano & Ordini Ecclesiastico obedientiam promisisset, ab Episcopis absoluitur, & culpæ apud Pontificem depeccandæ spatium datur. Ita periculo liberatus, & gratia ab Episcopis impetrata, suis etiam intercessoribus, præsertim Petro Kmitæ gratias solenniter egit.

Lis inter Nobilitatem & Episcopos de Iurisdictione.

Magna tunc fuit lis inter Nobilitatē & Episcopos. Hi n. iudicium de hæresi sibi ac Pontifici Rom. arrogabant. illi Regi soli causas eiusmodi subiicendas contendebant. Quę controuersia cum Regi digna deliberatione videretur, iubet Ecclesiasticos consultare, nū quid Nobilitati de suo iure possint vel intue remittere. Decernitut ab illis, non modo nō velle se, sed ne posse quidem in Pontif. præiudicium vel tantillum remittere de eo iure, quod nō ipsi tulissent, sed longa tēporum serie accepissent. Rex præsentiscens, ad vtramcunq; partē ipse accessisset, eam victricē cum alterius detrimento fore, leniendis animis negocium trahit, ac duobus amplius mensibus suspendit. Tandem per Cancellarium Ioannem Ociessium neutris cedentib. pronunciat, iudicium de hæresi, vt pietas & leges priscæ iubent, Episcopis relinquere. Quæ sententia ita offendit amicos, & qui ab eorum partib stabant, vt ex Senatu omnes præ dolore discesserint. Egerunt deinde Nuncii per Petrū Boratinium cum Episcopis, ne ex decreto regio statim agerent, sed pacis potius ineundæ consilia caperent. Intercessit ergo annus iurisdictione vacans. Interea tamen in animis Nobilitatis exacerbatis odium illud creuit, vt ne quidem ex decreto regio Episcopi agere potuerint, & sectæ in omnibus regni prouinciis propagarentur, ac Romanæ iurisdictionis potestas vilesceret.

Isabella Regina Vngariæ Ferdinando cedit.

Hoc interim spacio Isabella vidua Vngariæ Regina ex pactionibus Ferdinando Regi Transyluania cessit, ac Cracouiam mense Februario cum filio aduenit, quam Rex à Ioanne Bonero Castellano Chelmensi, ac magno arcis Cracouiensis procuratore excipiendam, aliquotque diebus prolixe habendam curauit. Eam postea Rex Crepicii Opoliam proficiscentem circa bacchanalia adiit, coram de incolumi in patriam aduentu gratulatus, & cum Opoliensis Ducatus reditus priori conditioni suæ non responderent, inopiam eius attributis & Panocensi & Crepiciensi Præfecturis subleuauit. Cui BONA Regina mater etiam Vielunum adiecit, vt pro dignitate vna cum filio inde se sustentare posset.

Rex Gedanum profiscitur.

Conuentu Petricouiæ soluto, placuit regni Ordinib. vt Rex à curis Reipublicæ nonnihil solutus, Gedanum, quod vrbs ea ab Imperii fisco subinde solicitata fuisset, vel ad exiguum tempus se conferret, quod timendum esset ne memoriæ pristinæ Regis Sigismundi defuncti animaduersionis, & plebis cum Senatu dissidii occasione, ni malo gliscēti occurratur, tumultuaretur. Rex profectione decreta, dignitatis suæ & maioris securitatis causa præter ordinariū aulicū comitatū præcipui nominis ꝓceres secū eo ꝓficisci voluit. Gedanū vbi venit, nō in curia seu prætorio, vt alii Reges, sed in ædib. priuatis diuertit Regis aduētu suspensi fuerant oīm animi, nec tutus vsquequā aulicis hospitādi locus fuit, cū & puluis pyrius sub prętorio recōditus dicebatur.

Vrbs metu.

Itaque

Itaque vt metus, qui vtrorumq; animos incesserat, minueretur, & quid rei vtere esset, cognosceretur, Ioannes Tarnouius Castellanus Cracouiensis, & supremus belli dux Gedanensium primores quosdam priuatim sic est affatus: Scire eos probe, quantopere hactenus eorum Respublica propter commercia cum Polonis, & fidem, qua regno Poloniæ essent obstricti, Regium suorum beneficio floruerit, qua cum regno coniunctione fiat, vt alias Germaniæ vrbes multas & magnas optime constitutæ gubernationis forma ac legibus longe superent. Regem Gedanum venisse, non eripiendi ipsis iura & priuilegia causa, sed ea potius ex propensa sua erga eos voluntate conseruandi augendiq;. Ideoq; nil esse, cur sibi à Polonis metuant, qui nil indignum nomine & virtute sua essent admissuri, modo etiam Gedanenses bene factorum acceptorum memoriam apud se recentem esse facto ipso testarentur, atq; demonstrarent. Qua Tarnouii oratione etsi suspicio eis fuit omnis exempta, tamen, vt fieri in magnis conuentibus consueuit, subinde aliquæ animorum offensæ litesq; exoriebantur. Vnde in procliui conijcere, Gedanenses ad vim repellendam, si qua inferretur, minime fore lentos ac remissos. Nam pleræque domus militibus plenæ, & quæ passim per vrbem erant præsidia armatorum disposita, tutum ad sua diuersoria comitatui regio non dabant receptum, imo etiam aut iniuriis, aut ipsa adeo vi repellebantur. Eo etiam tempore Rege Gedani subsistente, nisi custodiæ Gedanensi præfectum, tumultu ex quadam occasione excitato, in Polonos violenter agentem Petrus Boratinius Petri Kmithæ regni Marescalli magister familiæ inhibuisset, grauis ea nocte data esset cædes. De quo motu postridie vigilum præfectus ab ipso Rege rogatus, animo præsenti respondit, sibi stationis curam eo modo esse demandatam, vt, si solus vim tumultuantium sustinere non posset, æris Campani signo reliquos ad opem ferendam euocaret. Quod ne facere cogeretur, adiisse se Marescallum, rogasseque, vt Polonos officii admonendos curaret, ne vrbs tot iniuriis contumeliisque affecta vim vi repellere necessum haberet. Verum in eo tum statu res erant, vt non modò non in Præfectum illum aliqua secuta fuerit animaduersio, sed etiam maius periculum, si conuentus ille cito solutus non fuisset, metueretur. Huic modo Tarnouius primum opportuna oratione, deinde & Rex ipse controuersias ciuitatis diiudicans remedium attulit, & maximam sibi apud Gedanenses autoritatem conciliauit. Appulere tum Gedanum vno die simul quingentæ manes, quas singulas Rex, vnde aduenirent, rogans, classiariorum & nautarum sermonis diuersitate vehementer delectabatur. Vtque etiam populo conspiciendum se præberet, plurima exhibuit spectacula, quibus populi applausum, cui ista videre erat volupe, promeruit. Rex Gedanensium rebus constitutis, eos ad constantem erga se, & regnum Poloniæ fidem, ac moderatum suorum priuilegiorum vsum cohortatus, medio Septembri Gedano profectus, & ab Alberto Marchione in Prussia Duce semel atque iterum demisse inuitatus Regiomontum petiit. Aduentantem Regem Princeps Albertus veneranda canicie conspicuus longius extra vrbem suo cum aulico comitatu progressus, sub missione tanto hospite & Rege patrono suo digna excepit. Sed dum Rex Regiomonto appropinquat, periculum vitæ magnum tum adiit. Nā cum more Germanico ingenti bombardarum reboatu salutaretur, casu quodam ignorantia tormentarii magistri, cum ignitam pilam tubus mor-

Io. Tarnouii ad Gedanenses priores oratio.

Nauium quingentarum appulsus Gedanū vno die.

Rex Regiomontum petit.

Eius ibidem casus miserabilis.

tarii eieciſſet, ea fere ipſum attigiſſet, niſi Deo ſic prouidente equus regius loco opportune ceſſiſſet, armigero tamen eius Viſnieniecio, qui eum pone ſequebatur, caput pila volans abſtulit, vt Regem cerebro reſpergeret. Quod omnes ita exterruit, vt tantum non arma à Polonis in Ducem verterentur. Quare cum ſuos Polonos Rex fremere, & contra Ducem aliquid moliri animaduertiſſet, bono animo ſuos eſſe iuſſit, inquiens, iam Foxii Aſtrologi vaticinium in irritum cecidit, qui me hodie periturum dixit, lætabundus exclamauit. Ducis etiam in tormentorum magiſtrum excandeſcentiam, qui eius necis errorem non ſuum teſtari voluit, placide cohibuit.

Temeſuaria à Ferdinando Rege capta.

In Tranſyluania hoc anno Ferdinandus Rex Temeſuariam arcem in Tranſyluania nobiliſſimam occupauit: qua re audita Solymannus duos præfectos cum totidem exercitibus in Vngariam immiſit, & Mahometem quidem Temeſuariam oppugnare iuſſit, quam Stephanus Loſoncius tenebat. Is cum oppugnationem maſcule aliquandiu ſuſtinuiſſet, ac hoſtes duorum transfugarum indicio in ipſius munitiones iam penetraſſent: deditionem tandem rerum neceſſariarum ac commeatus inopia laborans, certis conditionibus fecit, quarum tamen nullam Turcæ ſeruarunt, ſed ducem cum militibus contra datam fidem crudeliter & perfide trucidarunt. Hinc Lippam corruptis omnibus, quæ hoſtibus vſui eſſe poterant, à præſidio deſertam & vicina caſtella nullo negotio in poteſtatem redegerunt. Alterum exercitum Alybaſſa Budenſis ducebat, qui Veſprimio, multiſque aliis locis occupatis, mox Budam rediit, inde cum Mahomete ſe coniuncturus. Caſtris Chriſtianorum ad Prægelam hærentibus, Turcæ eos aggreſſi ingenti clade affecerunt. Hoc ſucceſſu elatus Alybaſſa ſcribit & Mahometem & Beglerbegum, Zolnoco & Agria occupatis, facile totam Vngariam in poteſtatem redigi poſſe, ſe igitur ea oppida obſeſſurum, breuique expugnaturum. Hoc conſilium cum Mahometes approbaſſet, Alybaſſa Zolnocum obſidione cingit. Erant in præſidio trecenti Germani, ducenti Vngari, centum Bohemi, & Hiſpani quinquaginta. Principio ſtatim oppugnationis Vngari ſarcinas ſuas collectas plauſtris impoſuerant, quaſi mox fugam inituri. Ea re moti Germani & Bohemi præfectum adeunt, & quandoquidem Vngari ad fugam ſe parent, nec ſe quidem manſuros indicant. Ille Vngaros excuſans, non fugiendi animo, ſed ab incendio, ſi quod forte oriatur, fortunas ſuas conſeruandi, id ab illis factum dicebat. Cum hac non ſucceſſiſſet, alia via rem aggrediuntur, & ſtipendia magno cum tumultu poſcunt, quæ illis Præfectus, argento ab amicis ſumpto, perſoluit, iterum obteſtatus, ne locum tam munitum per ſummam ignauiam deſererent. Verum nil eos mouere potuit, quo minus de fuga dies noctesque cogitarent. Eius tutiſſima eſt viſa ratio, ſi ſcaphis Tybiſcum traiicerent. Quod eorum conſilium Hiſpani Præfecto indicant, petentes, fugam commilitonum impediri: ille conſtanti animo eſſe iubet: ſe enim cymbas omnes perforatas demerſurum. Interim Hiſpani, dum vigilias obeunt, Germanos & Vngaros cum impedimentis ad fugam paratos conſpicantur. Eos Præfectus ab Hiſpanis admonitus orat, obſecrat, ne Regem, ne Vngariam, atque adeo totam Chriſtianam Rempublicam hoſti tam turpiter prodant. Sed illi in cœpto perſiſtentes, per poſticum vi effractum erumpunt: Præfecto, quod ſceleris

Turcis deditionem facit.

Lippa à Turcis in poteſtatem redacta.

Zolnocum à Turcis oppugnatum.

leris eorum parriceps eſſe noller, cum paucis in arce remanente. Turcæ, qui tumultuantium ſtrepitum paulo ante audiuerant, repentino ſilentio, id quod erat, ſuſpicantes, ad arcis portas accedunt, vbi omnia ſilere animaduertunt, in arcem portis vi reuulſis irrumpunt. In qua nil deprehenſum præter Præfectum, è quo cum Alybaſſa, quæ acciderant, cognouiſſet, fugientes inſequi iubet, & omnes occidi: Præfectum vero vt fortem virum collaudatum comiter habet. Fugientes, dum ſcaphas cœnoo & aquæ immerſas à terra propellunt, à Turcis ſuperuenientibus oppreſſi ſunt. Vngari tamen vadum nacti euaſerunt, itemque Hiſpanoruum multi, Turcis Germanos obtruncantibus, in aduerſam ripam enatarunt.

Agrienſes ad deditionem à Turcis ſolicitantur.

Zolnoco expugnato, firmiſsimoque præſidio communito, Alybaſſa ad Agriam literas per ruſticum mittit, quarum hæc erat ſententia: ſe occupatis omnibus, quæ ad vtramque ripam Temeſis & Maruſii eſſent, oppidis & caſtellis, nunc quoque ad ipſos oppugnandos valido cum exercitu venire. Saluti igitur ſuæ conſulturos, ſi oppidum quamprimum deederent, alias extrema ſibi exſpectanda ſcirent. Sed præſidiarii nil his minis perterriti has leges inter ſe perſcriptas ſanguine ſanxerunt: Vt ſi quis poſthac cum literis ad ſe mitteretur, vna cum his Vulcano traderetur: Ne quis durante obſidione cum Turcis colloqueretur: ne vſpiam conuenticula haberentur, ſed omnia palam gererentur. Vt quicunque deeditionis mentionem iniiceret, morte id lueret. Turcico exercitu caſtra ad Agriam promouente, Stephanus Meczkeius è Præfectis vnus vicinnorum conuentus Sixi egit, expoſitaque periculi magnitudine, ſi ſe ſuaoſque agros, adeoque totam patriam conſeruare cuperent, mature ſubbſidia ad tolerandam obſidionem comparare iuſſit. Econtrario Alybaſſa hanc multo, quam Zolnoci faciliorem expugnationem ratus, ſegniius omnia adminiſtrabat, & cum tyronibus tantum ſibi rem fore, magnam exercitus partem exauctorauit, quos tamen breui poſt, cum minus ſuccederet oppugnatio, reuocauit. Circumfuſo vndique exercitu, præſidiarios Baſſa iterum ad deditionem hortatus eſt, ſed illi, nullo dato reſponſo, fandapilam nigro panno tectam è loco ſublimi oſtenderunt, indicantes, nolle ſe viuos inde diſcedere, ſed vrbem pro ſepulchro habituros potius, quam hoſti dedituros. Ita cœpta ſummis viribus oppugnatio, per aliquot dies fuit continuata, incredibili hoſtium iactura. Eorum itaque conſtantia victi, Turcæ obſidionem ſoluerunt, & vicinis omnibus agris incenſis & deuaſtatis, copias admodum acciſas Peſtum reduxerunt. Hæc Agrienſium victoria res Vngariæ iam inclinatas aliquantulum erexit, illique, quorum illa ope parta fuit, ob virtutem honoribus & præmiis cumulati ſunt.

Iſabella Vng. Regina de Tranſyluania recuperanda cogitat.

Valachi & Turcæ opem implorat.

Dum hæc ita geruntur, Iſabella Regina eorum, quæ cum Ferdinando tranſegerat, pœnitudine ducta, eo ſuas cogitationes & ſtudia conuerterat, quomodo Tranſyluaniam ſibi filioque recuperaret. Cauſata igitur à Ferdinando promiſſa non præſtari, Valachiæ Tranſalpinæ Palatini Stephani, & Solymanni opem implorat, qui pecuniam, exercitumque pupillo eſt pollicitus: ille vero Moldauos per literas admonuit, vt, quibus poſſent, eum copiis adiuuarent. Sed & Claudius Ferentius, & Petrouicius Vngari exercitum coligebant, ſpecie quidē, vt Reginæ contra Ferdinandū

auxilia-

auxiliarentur, reuera autem, vt Monachi necem, ita mandance Solymanno, vltum irent. His cognitis Castaldus, quantas potest, copias contrahit, & ad vim sustinendam se parat. Interim Nobilis quidam Moldauus ad eum venit, cui Bugeronio nomen, seque cum viginti equis stipendia sub eo meriturum promittit: addit, è Moldauiæ Principum se ortum sanguine, quibus Stephanus per vim principatu occupato ius suum prætripuisset, ac proin, quicquid posset mali Palatino inferre, paratum, de eoq; occidendo rationem initurum. Mox itaque promissis oneratus, in Moldauiam discedit, sed cum propositi tuto exequendi nulla daretur facultas, & conspiratio interea esset detecta, in Poloniam aufugit. Inde missis literis Castaldum de omnibus certiorem facit. Sed, ne cœptum negotium tanquam desperatum relinqueretur, addit consilium apprime astutum: edit nomina duorũ, quorum magna apud Moldauum auctoritas. Ad eos confingi literas iubet, hoc argumento, vt, quod de tyranni cæde inter eos esset constitutum, diligenter cauerent, ne quidquam emanaret. *His illi literis lectis*, stupentium similes, diu quid facerent, ancipites hærebant; nam nec supprimere eas, nec ostendere tyrannoalias suspicionibus plus æquo indulgenti tutum videbatur. Interim puer, qui literas tradi duobus illis viderat, & è vultus mutatione singulare aliquid iis contineri coniiciebat, ad Palatinum indicium defert. Euestigio accersiti, literas exhiberi iubentur. Illi excusare se, fraude id vitæ suæ insidiantium factum, dicere deniq;, si tale vnquam cogitassent, diris omnibus sese deuouere. Palatinus quanquam, quid credendum sibi esset, non satis constitutum haberet, proditores tamen eos nihilominus inclamat, omniaq; supplicia illis minatur. Illi suppliciter genibus aduoluti, purgant se, ac tyrannum placare nituntur, sed nil aliud obtentũ, quam vt fortunis & honoribus priuati, vita precario fruerentur. Hæc cum ita, vt gesta erant, ad Bugeronium delata essent, literis in tyrannum quam inuidiosissime scriptis irritatum animum eorum tam insigni iniuria accensum magis inflammat, vtq; coniunctis consiliis ac viribus tyrannum quamprimum tollerent, hortatur. Illi igitur, vbi sermonem & consilia cum amicis, aliisq;, quos Stephanum Palatinum æque etiam odisse sciebant, communicassent, in caput ipsius atq; vitam coniurant, occasionem interim exspectantes, qua oblata, Tyrannum in tentorio suo confodiunt, comitatum eius dissiciunt, ac, ne quis superesset, qui mortem vlciscereturr, matrem, coniugem, liberos, cum omni inuisa stirpe è medio tollunt. Tantam autem immanitatem in eos exercuerat, vt passim ex Valachia homines, etiam ex nobilioribus plurimi fuga elapsi, in Poloniam fugerent, ac inter reliqua cruciatus genera excogitarat plumbum feruens, quo in aduersum os coniecto affligerentur homines, tanto cruciatu intra viscera concepto, vt ne, cum optarenr quidem, statim emori possent. Hæc cædes vt rebellium Transyluanorum conatus aliquantisper inhibuit, ita Castaldi rebus apprime fuit opportuna. Eadem tamen paulo post iterum turbauit militum stipendia efflagitantium insolentia, qui multis iniuriis ciues passim hominesque rusticanos affectos ita exacerbarunt, vt quomodo Castaldum cum omnibus copiis eiicere possent, consilia agitare cœperint. Huc accessit, quod eodem tempore Turcicus venisset legatus, qui cum spem pacis adferre diceretur, Transyluani Ferdinandum Regem rogarunt, vt cum eo sibi agere liceret. Necille abnuit, modo pax iisdem, quibus Ioanne antea Rege fie-

Castaldus contra vim se parat.

Bugeronii Maldaui molimen.

Mold. Palatinus à suis trucidatus.

Eiusdem immanitas.

ge, fieret conditionibus, & Vesprimum, Lippa, Drægela, Temesuarum, Zolnocum restituerentur. Instituto ergo Vsraële Ferdinandi Regis permissu colloquio, Turcicus legatus longe alia, quam Transyluani sperauerant, mandata exponit, vt scilicet expulso Ferdinandi milite quamprimum Ioannem (cui in baptismo Stephani nomen inditum, sed post mutatũ fuerat) Regem acciperent. Quo facto, tributa Solymannum abiis accepturum, suaque gratia dignaturum: sin, grauissime se in ipsos factum vindicaturum. Literas deinde Andreæ Bathoreo, præcipuæ inter Transyluanos autoritatis, inscriptas tradit, quibus conquerebatur Solymannus, quod externum militem recepissent, à quo cum alia multa insolenter facta sunt, tum Georgius Monachus, quem ærario præfecisset, nefarie occisus sit. Ad hunc simibus eiiciendum se primo vere ingenti cum exercitu adfuturum, ac, nisi interea imperata fecerint, omnia crudelitatis exempla in eos editurum. His minis territi Transyluani, mox Castaldum literis de Solymanni mandatis certiorem faciunt. Is protinus Vsraelem profectus, in procerum conuentu Solymanni minas superbas eleuans atque confutans, plerisque ominibus persuasit, vt quocunque periculo Turcicæ seruitutis iugum excuterent. Decretum igitur, vt legato tributum promissum solueretur, quod ista accipere recusaret, finibus quamprimum excedere iuberetur. Qui nihil aliud impetrare se posse videns, accepto tributo Belgradum, inde Constantinopolim rediit. Interea Castaldi milites multa licenter passim faciebant, adeo, vt Transyluani iterum ad defectionem spectarent, quam Castaldus, quantum potuit, impediuit, & paulo post deducto omni præsidio Ferdinandi Regis iussu Viennam concessit.

Transyluanorum cum Turcis actio.

Anno, qui subsecutus est, Rex Lublini comitia egit, legatione magni Moscouiæ Ducis, quæ tum primum ad eum venerat, data: sed maiorum Polonorum absentia, & cum minoribus, ceu quadam de ea re altercatione, tum & iudiciis, non rite administratis damnosa & exosa. Nam in frequenti Senatu plurimos infamia notatos, & in his fœminam quandam Nobilem cædis falso insimulatam, quibusdam er Senatu autoribus, qui postea eius occuparunt bona, multatam memorant. Quæ quidem omnia Regi, & quod iterum in Lituaniam secessit, vbi lubencius & frequentius, quam in Polonia agebat, inuidiam potissimum conflarunt. Quo tempore rursus proceres, cum Regem sine vxore esse nollent, de matrimonio ei conciliando deliberationem susceperunt. Proponebatur vero iterum ex domo Austriaca, vidua Francisci Mantuæ Ducis relicta, Catharina, prioris coniugis germana: quæ non multo post à fratre Ferdinando Austriæ Archiduce Cracouiam fuit adducta, decennio fere post Elisabethæ nuptias, & anno, cuius proximus peste & annonæ caritate fuerat luctuosus. Nuptiæ igitur mense Iulio ex dispensatione Pontificis Cracouiæ ingenti cum lætitia & pompa splendida in multorum Principum exterorum ac procerum regni panegyri magno cum omnium applausu celebratæ sunt. Quibus peractis, rursus in Lituaniam se contulit, & lites controuersas Knischni in Podlachia aliquandiu diiudicauit. Quarum prima & maxima Beatæ Koscielecziæ Eliæ Ducis Ostrogiæ viduæ cum Demetrio Sanguscone fuit. Qui cum à Rege ob raptum eius filiæ vnicæ Elisabethæ proscriptus esset, desperata salute ad Ioannis Tarnouii Castel-

Ann. Chri. 1553. Comitia Lublini.

De Regis matrimonio deliberatio.

Catharina Austriaca Regis sponsa Cracouiam adducta.

Rex in Lituaniam tendit.

Causa Ducis Ostrogia Vidua de raptu filiæ cũ Sanguscone.

Quigroiscriptus in Bohemiam fugiens à Mart. Zborouio occiditur.

lani Cracouiensis arcem Raudnicensem in Bohemiam profugit, magna quidem celeritate, nec suiipsius, nec puellæ equo impositæ ratione habita, quod ex hoc matrimonio amplissimam opum vim sperarat. Quem fugiente Martinus Zborouius tum Palatinus Calissiensis assecutus, vna cum filio cognomine Castellano Criuinensi Plissæ tribus à Praga milliaribus lethalibus affecit vulneribus, & Iarmirium semiuiuum retraxit, in spem certissimi matrimonii puella retenta: Verum Lucas Gorcanus cum Stanislao Koscielczio Palatino Siradiensi, & Beata puellæ matre superueniens, eam rursus Sborouiis eripuit. Nam cum Gorcanus ex quodam matrimonii cõtractu Varsauiæ autore Rege ipsam deberi sibi existimasset, non diu nec omnibus lætatus est ipsius bonis, nec Zborouiis res adeo feliciter cessit. De ipsorum enim in Bohemiam irruptione, deq; iuiuriis regno suo illatis Ferdinandus Rex graniter Regi Augusto questus est, & Zborouius Iarmirii Sangusconis epitaphio contra eum tanquam occisorem probroso posito notatus est.

In Liuonia cum quinquaginta annorum induciæ inter Valterum Plettenbergium & Moscum olim initæ expirassent, & Ioannes Basilides Moscorum Princeps aduenies, ingentibus victoriis aduersus duos Tartarorum

Liuonum ad Moscum legatio de pace.

Principes Casani & Astracani regna tenentes partis, & imperio suo illorum prouinciis subiectis Liuoniam deinceps inuasurus videretur: Liuoniæ Magister Henricus Archiepiscopus Rigensis, Vilhelmus Hermannus Episcopus Derpatensis, & cæteri Ordines legatos pacem prorogaturos ad Moscũ in Moscouiam communi totius Liuoniæ nomine denuo miserant. Quib. cũ inusitatas & intolerabiles fere conditiones de tributo ex prouincia Derpatensi à singulis incolis pendendo, & alias Moscus tulisset: re infecta in Liuoniam reuersi, postulata Mosci ad Liuoniæ Magistrãtus retulerunt. Qui non leuiter consternati, mox ineunte hoc anno denuo legatos in Moscouiam ablegant, vbi post longam de tributo disputationem ad extremum quindecim annorum pacem his conditionibus obtinent, vt intra triennium de omnibus cum magno Moscouiæ Duce controuersis capitibus, ac in his de tributo transigant: Templa Russorum siue Moscorum in vrbibus Liuoniæ restituant: Moscis mercatoribus cũ Liuonibus & transmarinis libere merces suas permutare permittant: Tributum de singulis capitibus marcã Rigensem diœcesi Derpatensi Episcopus colligat, & deinceps singulis annis pendat: Omnibus seruire Mosco volentibus, vndecunq; veniant, liberum itum reditumq; concedant, nec Poloniæ Regi & magno Lituaniæ Duci auxilia vlla ferant. Pendente autem cum Mosco tractatione, Ordines Liuoniæ, vt potentiore hoste opposito eum à se auerterent, per legatos Gostauum Sueciæ Regem ad bellum Mosco omnibus viribus intentandum inuitant, ac se idem facturos pollicentur. Sed promissã, certis tamen conditionibus iam expositis, à Mosco pace Liuones expeditionem postea, vt conuenerat, in Mascouiam suscipiente Gostauo Rege, domi se continuerunt, ac ciuile bellum interea cum Archiepiscopo accenderunt. Moscus vero in res suas intentus, ante exitum triennii in pactis de pace constituti, ad Episcopum Derpatensem de tributo mittit. Qui Cancellarii sui suadentis, promittendum in præsentia tributum, nec tamen præstandum, sed postea in Cameræ iudicio causam iure defendendam, consiliis non sat perpensis obsecutus, literas de pendendo tributo obsignatas Mosci legato tradit. Quæ

Eorum ite, rata legatio.

Pax quindecim annorum firmata.

Ciuile Liuonum bellũ.

Moscus ab Episcopo Derpat. tributum flagitat.

Episcopi

dire voluit. Ac primum quidem per Isabellam Vngariæ Reginam sororem, me de dissessu cogitaret, persuadere matri conabatur: & cum hoc non succesisset, ad terrorem in foro patibulum erigi iussit, voceq; præconis omnibus Regina m matrem comitaturis mortem interminatus est. Sed vt semper in vetita nitimur, & negata eo magis cupimus, Regina indignabunda Antonium Tercianum Iureconsultum suum ad Regem ablegauit, per contatum, cur discessum ipsius prohiberet. Cui Rex, à matre, quam ipse coram alloqui posset, legatos mitti nõ decere replicuit. Regina n hilominus iter in Italiam omnibus modis vel inuito ipso Rege ac Senatu adornauit. Cumque precario discedendi facultatem à filio Rege impetrare non posset, subito ad larggitiones conuersa, Regis & procerum animos sensim sibi conciliauit, causam eius agente Stanislao Tenzinio Palatino Cracouiensi, & Ioanne Ociessisio regni Cancellario, principem autoritatis & gratiæ locum apud Regem tenentibus. Permultum etiam matrem iuuit Isabella Regina vidua Vngariæ, quæ à matre stabat, huic rei se interponens, annulo cum gemma admodum pretiosa, quę stella vocabatur, Regi à matre dono allata. Fruſtra autem reenitebantur alii harum rerum largitionumque ignari, quibus ne obnoxius esse, aut culpam aliquam retulisse Ioannes Tarnouius Castellanus Cracouiensis videretur, decem aureorum millia, à Regina Bona sibi mutuo antea data, mature ei restituit, ac de consueta sua illa senatoria dicendi libertate nihil quicquam remisit. Eodem anno Sophia Regis soror Henrico Duci BBrunsuicensi à Rege nuptui data, & Wolffenbutelum splendido cum commitatu ad sponsum deducta est.

Eius discessus impeditus.

Stanislaus Tenczinius Palatinus Cracouiẽ.

Sophia Regis soror Duci Brunsu. nuptui data.

Hoc ipso anno Ioann. magnus Moscouiæ Dux apud Cæsarem Carolum cæteroſque Imperii Ordines superioris legationis, cuius anno 1548. mentio facta, postulata scripto prolixo repetit, & se suosque subditos veros Christianos esse, & sacra biblia, Missam, epistolas, euangelia, Symbolum Nicenum, baptisma retinere profitetur: nec propterea, quod sacramenta sub vtraque specie iuxta Christi institutionem vtantur, pro impiis se habendos. Misisse maiores suos ante centum & 40 annos Gregorium Nouogardiensem cum aliis 5. Episcopis Russis ad concilium Constantiense. Basilium patrem suum && cum Maximiliano Imp. & cum Pontificibus Adriano ac Clemente, Demmetrio Roman. legato, de concordia ecclesiarum eg sse. Patrem & se multas barbaras Scytharum gentes, Permios, Iubros, Condoros, Lucomoros, Ceremissos, Loppos solem & lunam antea adorantes, non tam sibi quam Christo subiecisse: deniq; nullũ in tota Moscouia adeo puer ũ esse, in cuius pecto ræ nõ crucifixi imago dependeat. Deinde oratorẽ se perpetuũ in Germania allere, & pecuniam ad Turcium bellum promissam recepta obligatione mutui apud Fuggaros Antuerpiæ deponere, nec intra 20. annos repetere, & moto bello aliquot Moscorum millia sumptu suo adiungere velle ostendit. Hius erga Germanos affectionis suæ singularis causam esse integritatem, virtutem, & fidem ipsorum, cuius nomine præ cæteris gentib. prædicentur: ac q vicini ipsi, & Scythiæ regiones antiqua Teutonum sedes in sua ditione sint. Alioquin ex Italia & Gallia se artifices, ac duces militares nãcisci posse Quod in Ægypti Sultano olim, & Sophi Persarum Regi Mahometico cõtra Turcas bellum gerentibus militem, tormenta, & arma Christiani miserunt: multo minus sibi Christianam fidem profitenti deneganda. Nec se plus vna legione militum, & duabus turmis equitum ex Germania conducturum,

Eius dem promissa.

Moscorum Principis legatio ad Cæsarem.

quibus non aduersus vllos Christiani nominis populos, sed regionum suarum illustrationem & defensionem, & hæreditarii hostis Turcæ & Tartari oppugnationem vti velit. Promittit cũ omnib. vicinis suis Christianis, Polonis, Lithuanis, Suecis, & Liuonib. petentib. se perpetuam pacem culturum, eiusq; obsides 25. Principum filios in Germaniã missurum. Postremo ad religionis vnionẽ denuo hortatur, ne, vt Hebraicę linguę Ecclesias in Palęstina, Syria, Ægypto, Chaldæa: Græcas in Asia minore, Thracia, Macedonia, Turcæ intestinis dissidiis attracti deuorarint: sic Latinæ etiam ecclesiæ regna, ex quib. iã Vngaricũ propemodum ablatum sit, opprimant. Promittit, se Armenios quoq; ad religionis societatem, in Concilio ineundam, admonitione, & exemplo suo inuitare, ac interea, dum Conciliũ celebretur, iuxta institutam superiore anno in Imperio religionis pacẽ, omnia sinceræ beneuolentiæ & fidei officia Latinæ Ecclesiæ præstare velle, vt occupatum à Turcis Constantinopolitanum imperium ex fœdissimi latronis manu rursum extorqueatur. Hæc magnifica promissa in fumũ postea abierunt, illato post biẽnium Liuonib. bello exitiali, & totos 25. annos cõtinuato. Ad q̃ primo accẽdendum animosiorẽ Moscum intestini Liuoniæ coadiutoris Vilhelmi Furstenbergii, & cæterorum Ordinũ aduersus Archiepisc. Rigensem hoc anno motus reddebant, quorũ hæc fuit causa: In cõuentu Ordinũ Liuoniæ Volmarienſi decretũ cõmuni oĩm consensu factũ, & ab ipso Archiepisc. subscriptum, subsignatũq; ne vlli deinceps exteri Principes vel domini ab vllo Liuoniæ Magistro, Episc. aliisue statib. in Liuoniã vocarẽtur, nec coadiutor ad optaretur, nisi cõmunis & liberrimus oĩm ordinum Liuoniæ tã minorum q̃ summorũ cõsensus accederet: qui secus faceret, vt huius collegæ, Collegia, Præfecti, Nobilitas, & cęteri subditi ab obedientia & fidelitate domino iurata liberi, cæteros Ordines recessum, vt vocant, illum seruãtes iuuare contra suum dominum teneantur. Aliquot annis post Vilhelmus Archiepisc. Rigẽsis, ex Brandeburgensium Marchionum familia, inscio collegio & consiliariis, ac Nobilitate diœcesis Coadiutorẽ sibi adiunxit Christophorũ Ducem Megapolitanum adolescentẽ Ioan. Alberti & Vlrici fratrẽ, ab Imper. Rom. Regibus Poloniæ & Daniæ, ac plerisq; Imperii Electorib. & principib. commendatum. Qui cũ comitatu mediocri adiunctis à fratre Ioan. Alberto consiliariis in diœcesin Rigensẽ appulit. Actum primum antesignani collegii, Præpositus, Decanus, & Cellarius, cæteris collegis ac prouincialib. incõsultis, ab Archiepisc. persuasi, instrumento à se signato Ducem Christophorum Archiepisc. coadiutorem legitime postulatum & receptum esse testati sunt. Verum ordinis Magister Henricus, & Coadiutor illius Vilhelmus Furstẽbergius, Hermannus Episc. Derpatensis, Ioan. Osiliensis & Curẽsis, & cæteri archidiœcesis, & reliquæ Liuoniæ status huic postulationi, quæ ex diametro Volmariẽsi recessui repugnaret, cõstanter aduersati sunt. Archiepisc. patrocinio & auxiliis Sigismundi Augusti Poloniæ Regis Archiepisc. protectoris & fratris Alberti Ducis Prussiæ, aliorumq; Principum, q̃ Christophorum commẽdarunt, fretus in p̃posito perseuerat. Cum autẽ Magister Liuoniæ, & cæteri Ordines cõuentum Vendæ instituissent, & Nobilitatẽ ad cæteros Archiepisc. subditos hortarẽtur, vt iuxta Volmariense decretum deserto domino suo Archiepisc. secum ad cõmunis decreti propugnationẽ cõiungerẽtur, Archiepisc. etiã collatis cum fratre Alberto Duce, & Sigismundo Aug. Rege Poloniæ cõsiliis, se ad defensionẽ parat. Accidit autẽ paulo ante, vt in noui Coadiutoris Magistri Liuoniæ electione Caspar Munsterus summus post Princi-

quæ post in fumum abierunt.

In Liuonia motus intestini. Eorum causa.

Christoph. Dux Megapol. coadiutor Archiepisc. Rigen.

Archiepisc. ad defensionem se parat.

Episcopi temeritas, vbi publice innotuit, ingentem fremitum in cæteros Liuoniæ Ordines excitauit & prætextum speciosissimum Mosco de summa vanitate & perfidia Episcopi, & aliorum aliquot Ordinum literis & iuramento sibi promissa non seruantium conquerendi, & vi armata eos persequendi tribuit.

Mensis Septembris ipsis Calendis expleuit mortalitatem Petrus Firleius Russiæ Palatinus, Nicolai Castellani Cracouiensis filius vnicus, columen familiæ suæ, quæ ipso solo nitebatur. Is in aulis Vladislai Vngariæ, Boheemiæque ac Sigismundi Poloniæ Regum compluribus annis non sine exemplo versatus, post quasi sydus quoddam in Sigismundi Regis Senatu fulsit, relictis ex Catharina Tenczinia Ioanne Nicolao, & Andrea filiis, qui omnes dignitate Senatoria perfuncti sunt. Eum aliquanto post mense veniente subsecutus est Petrus Kmita Palatinus Cracouiensis regniq; Mareschallus, familiæ suæ nouissimus: Hic primos ætatis annos apud Maximilianum Cæsarem in morum cultu linguaq; Germanica addiscenda exegit. Inde ad aulam Sigismundi Poloniæ Regis se contulit, & ab eo aulæ Mareschallus creatus, post ad magnum regni Mareschallatum ac mox ad Sendomirienſis, tandemq; Cracouiensis Palatinatus dignitatem euectus. In eo stirps Kmitarum mascula desita patrimonio amplissimo Stadniciis ac Barriis sororum suarum filiis relicto.

Petri Firleii Russiæ Palatini obitus.

Petri Kmitæ Palatini Cracouien. mors.

Proximo post hunc Gostauus Sueciæ Rex ab Ordinis Liuoniæ Magistro, qui bellum eodem tempore Moscis illaturum promiserat, instigatus, & iniurrias suas à Moscis recens acceptas vlturus, expeditionem naualem contra Moscum suscepit, & præmisso Iacobo Baggio, qui idibus Iulii Viburgum appulit, ipse vigesimoquinto Septembris eodem peruenit. Præcesserant etiam copiæ Suecorum terrestres. Sueci Noteburgam obsessuri primo agmine occurrentium Moscorum profligato, nemine aduersante, ad ripas fluminis & lacuum, in quibus sita Noteburga, accesserunt. Cum autem propius octingentis passibus ob paludes interiectas admoueri ab vna parte tormenta nequirent, & ab altera parte, ex insula fluminis rapidissimi oppidum alluentis, sola oppugnari machinis munitiones firmissimæ oppositæ insulæ possent, & vicino agro per Moscos ipsos vastato, commeatus nullos ex propinquo suppeditante: Sueci relicta obsidione Viburgum redierunt, suam copias Moscouiticas in itinere eos carpentes, fortiter tum quidem repulissent. Sed irritati ea expeditione Suecorum Mosci sequenti hyeme multo maiorib. copiis ad Finnoniæ fines accedunt, & pagos omnes, ad Viburgi mœnia vsque concremant, donec tandem Gostauus, missis Nouogardiam legatis, pacem cum Moscis instaurat, quę receptis ceremoniis iureiurando vtrinq; dato confirmata est. Liuoniæ interea Magistro, qui simul se bellum aduersus Moscos moturum Gostauo Regi vane promiserat, intestinum Archiepiscopo Rigensi bellũ inferẽte: quo sibi ac toti Ordini Liuoniæ pernicie & interitum tandẽ attraxit. Cum n. hoc anno Christophorus Dux Megapolitanus ab Archiepiscopo Rigensi Vilhelmo coadiutor adscitus mediocri comitatu in Liuoniam veniſſet, Magistri iam ætate inclinata vices gerens Vilhelmus Furstenbergius, inflammatis cæteris Ordinibus, non ferendum peregrinum Principem in ea dignitate, idque pugnare cum pactis Volmariensibus diserte exprimentibus, ne quis Princeps aut Comes extrarius, nisi de communi omnium Ordinum, non minus summorum, quam infimorum consensu ad dignitates in Liuonia admitteretur, disputabat. Inde bel-

Ann. Chr. 1554. Regis Sueciæ Gostaui expeditio naualis contra Moscum.

lum intestinum exarsit, quo Rex Poloniæ Sigismundus Augustus primum ab Archiepiscopo vocatus in Liuoniam attractus est, eoq; tumultu vix compósito Moscorum impressiones secutæ.

Ann. Chri. 1555. Legatus à Pontifice ad Regem.

Altero deinde anno Aloysius Lipomannus Episcopus Veronensis à Pontifice ad Regem sub idem tempus aduenit, quo familiæ potentes tam in Polonia, quam Lituania religionem Lutheranam amplexæ ecclesiasticum Ordinem impetebant. Iis igitur legatus Pontificius se opponens in odium ingens apud plerosq; omnes incurrit, variis insuper opprobriis ab illis affectus, adeo, vt non solum scripta in eius ignominiam edita, sed etiam vita ipsius appetita fuerit. Eadem fere tempestate Stanislaus Lutomirscius Koninensis Tussinensisq; Plebanus vulgo dictus ab Archiepiscopo Gnesnensi de hæresi Louiczium citatus est. Verum ille sacris bibliis & magna propinquorum caterua stipatus cum venisset, ad Archiepiscopum admissus non est. Quare domum reuersus, religionis suæ confessionem scripto edidit, eamq; Regi, Archiepiscopo, ac compluribus regni proceribus transmisit, ac post typis euulgauit. In Prussia Albertus Dux filiam Annam Sophiam, ex priori Coniuge Dorothea Friderici Daniæ Regis filia susceptã, Duci Megapolitano Ioanni Alberto nuptui dedit. Cum qua nuptiæ Vismariæ celebratæ. Ibi is legato Polonico Petro Barzio cum Danico de loco exorta. Assignatus tamen Polono prior, quod Danus æge ferrens in diuersorium impransus abiit.

Ferdinandi Regis Vng. legatio ad Turcam de pace.

In Vngaria induciis, quæ in quinquennium factæ fuerant, iam prope circumactis, Ferdinandus Rex Antonium Verancium Episcopum Agrienſem, & Franciscum Zaium Cassouiæ Præfectum Constantinopolim ad pacem à Solymanno petendam ire iussit. Hi dum absunt, Bassa Budensis de damnis iniuriisque eorum, qui Zigethum, Babociam ac vicina loca præsidio tenebant, grauiter conqueritur: ea re non pacem peti, sed inducíarum fidem, ac ius gentium violari testatus. Nec sane querelæ eius ratione carebant, quod Haidones, vt vulgo vocantur, genus hominum latrociniis deditum, nullo stipendio merentes, ex rapto viuerent, omniaque infesta redderent. Nec Rex eiusmodi prædones vagos coërcere poterat. Tandem Budensis noua quadam commotus iniuria, decem millibus suorum coactis Caposuyuarum deditione accepit, itemque Babocziam nil grauius expertam. Eadem de Zigetho spes erat, sed vana. Cum enim non longe inde cum exercitu consedisset, & magni ponderis globus in tentorium ipsius aduolasset, periculo territus retrocessit.

Ann. Chri. 1556. In Polonia omnia turbata. Regina BONA in Italiam cogitat.

In sequenti, qui erat à nato Christo 1556. turbatæ erant in Polonia omnia, & Regina BONA, quæ pene quadriginta annos in Polonia consenuerat, prætextu valetudinis curandæ in Italiam proficisci cupiebat. Quæ res Regis & Procerum animos non nihil perturbauit, non solum, quod thesauros haud contemnendos, quorum hæreditas ad Regẽ Augustum & sorores eius redire debebat, secum asportaturam, sed etiam exiguo cum Regis regnique honore in illo Italiæ angulo regiam dignitatem tuituram esse haud obscure præuiderent. Cuius profectionis autores erant Reginæ Laurentius Papagolà, & Camillus Btacantius Neapolitani familiares aulæ ipsius, qui eam. Proregis Neapolitani officiis functuram, maximaq; dignatione & honore ibi futuram spem ei faciebant. Quibus cum antea quoq; Rex succensebat, tum vero hoc consilio audito omnibus modis ipsorum conatus impedire

Principẽ equitum magister, ad quẽ defuncto Principe ius successionis proxime spectare ipse existimabat. se contumelioſe præteritum, & Furstenbergium sibi prælatum ægre ferens, aduersus nouum Coadiutorem, qui viuẽte adhuc Hẽrico sene Ordinis Magistro plæraq; administrabat, multa seditioſe molliẽs, & cum vicinis Principib. Rege Poloniæ, Duce Prussiæ, & Archiepis. Rigẽsi cõsilia aduersus Ordinẽ participãs, ideoq; se inuisum Ordini suo, & de vita periclitari se animaduertẽs, exclusus arcib. suis, primũ ad Archiepisc. Rigẽsem, deinde ad Poloniæ Regem confugeret, auxilium & opem aduersus Ordinem implorans. Quare vt anteuerteret aduersariorum molitiones Furstenbergius, dissuadente Magistro sene, coniunctis sibi cæteris Liuoniæ statib. Episc. & ciuitate Rigensi Archiepisc. suo infensa, contractis copiis Archiepisc. Kockenhusii obsidẽt, eũq; in suã potestatẽ vna cũ Coadiutore nouo redactũ capiũt, & per integrũ annũ in custodia Principe indigna detinẽt.

Caſp. Mun. steri moliti.

Quæ repreſſa.

Archirpiſcopus Rigen obſeſſus ca ptusque.

Eadẽ tẽpestate Bassa Budẽsis in Vngar. magno cũ exercitu reuersus Zigethũ obsidione cinxit. Defẽdebatur oppidum strenue, cui præfectus erat Marcus Horuatus Kereczinio suffectus. Ferdinãdum Regẽ tum Trãsyluanicus distinebat tumultus à Petrouicio excitatus. Agrienſẽ etiã agrum Georgius Bebekius infestabat, castellis quibusdã Valachorum ope expugnatis, inter quæ Baboczia fuit. His tot tantisq; hostib. circumsessus Ferdinandus Rex cõuenit ibb. prouinciarum hinc inde habitis, oratores suos Ratisponã ad Principes auxiliũ flagitatũ misit, ipse cuestigio militis per Germaniã cõscribẽdi negotium dat Nicolao Boluilero, viro rei militaris peritia claro. Quæ copiæ delectu habito omnes ad Canisiã Styriæ oppidũ cõuenire iubẽtur. ibi cũ diu deliberatum esset, qua ratione obsessis auxiliũ ferri possit, illa cõmodissima visa est, vt Baboczia vicina Zigetho arx obsideretur. Turcę ea re cognita, omissa Zigethi oppugnatione, quã primũ maturato itinere ad Babocziã cõtenderunt ibiq; in locis editioribus tormẽta collocarunt, quib. Christianos exciperẽt: cuius rei vtpote improuisæ nuncius magnum Christianis attulit terrorẽ, præsertim quod periculum esset, ne tormentorũ vi turbatis ordinib. equis horrendo sonitu perterritis, oẽs in fugã agerentur. In hoc ancipiti casu Zerinius Comes, & cæteri Præfecti præsidiarios ad fortitudinẽ adhortati sũt. Cũ itaq; toto die extracta pugna esset, & ad summã virtutẽ nil reliqui fecissent Christiani, nõ semel deniq; in proximas paludes barbaros cõiecissent: postremo tũt destituti puluere tormẽtario, & quod expediri in his turbis tormẽta regia, quæ procul aberãt, nõ possẽt, cedere Turcis numero & loci cõmoditate superiorib. fuerũt coacti. Ne tñ fugę instar discessus ille videretur, Babocziã castrũ ex itinere adorti sũt in ẽtib. animis, q si pulueris tormẽtarii tũ copia adfuisset, in medio turmarũ hostiliũ, ceu ad spectaculũ circũfusarũ, expugnaturi locũ fuissẽt. In eo discessu accidit res pene incredibilis, q nõ oĩo 300. equites Austriaci cũ vniuersa prope Turcarũ multitudine cõgredi ausi, dũ nũc eminus, nũc comin⁹ explosis sclopetis insequẽtes à tergo morãtur, cędẽ ingentẽ fecerint, cõiectisq; in fugã hostib. adiuuãtib. leuis armaturæ equitib. Vngar. viã salutis primi suis ostẽderint. Non incruẽta hosti illa fuit victoria, in qua melioti ac maiori parte exercitus amissa loco insuper cedere coactus est. Dũ hæc ad Babocziã fiũt, Ferdinandus incolumem exercitum reductum certior factus, Comitem Zerinium imprimis, & Boluilerum peditum legatum, & reliquos militum præfectos ob res fortiter gestas liberaliter prosecutus ornamentis dignis condecorauit: & ad belli exitũ intentus Bohemos & Moravos

Zigeto relicto Baboczia obſeſſa à Turcis.

Zerinii fortitudo.

Chriſtianorum impar pugna cum Turcis, ſed felix.

rauos ad arma conuocat, designato delectus loco ad Straſnitium, haud procul Auſtriæ Vngariæq; finibus, atque filium Ferdinandum exercitui ducem

Ferdin. Archidux Auſtr. à patre exercitui præficitur.

designat. Quæ copiæ antequam Viennam conuenire poſſent, Turcæ Zigethum denuo, ac grauiore obſidione premere pergunt: oſtenſisque Chriſtianorum à ſe occiſorum capitibus, eos ſponteneam ad deditionem perfractis muris, iteratiſque oppugnationibus hortabantur: quod ſi pertinacius reſiſterent, pro honorib. & muneribus, quæ ampla pollicebantur, in omnem ſexum & ætatem gladio ſe læuituros minabantur. Ea vero tum omnium fuit conſtãtia, vt ſurda aure minas atq; promiſſa barbari omnia exciperent: quin etiam ad Babocziam illi cladem illatam exprobrabant, ſperare ſe addentes, niſi quam primum diſcederet, id caſtrum à ſe expugnatum, inq; cineres redactum iri. Sed præcipue inſignis fuit præfecti Marci Horuati virtus, qui quamuis magna commeatuum, tum imprimis pulueris tormentarii inopia premeretur, ad extremum tamen, neceſſitate adductus, ac pene depoſitis reb. auſus eſt, vltro facta irruptione, cum Turcis dimicare. Quod cum ſæpe & id quidẽ feliciter tentaſſet, relatis identidem in caſtris opimis ſpoliis, ad extremũ Alybaſſam Turcicarum copiarum Præfectum eo adegit, vt diffidens reb. ſuis, ac nullius, niſi præſentis, quod à Chriſtianis imminebat, periculi metu de diſceſſu conſilium ceperit. Quod vbi fama ad Regem fuit perlatum, filium Ferdinandum ducem expeditioni conſtitutum, antequam nouę ex Turcia, Seruia, Boſniaq; copię confluerent, maturius ad exercitum cum ſupplemento mittendo exiſtimauit. Is ſub exitum Auguſti menſis Vienna bonis auſpiciis ipſo ſolenni D. Bartholomæi die egreſſus, in caſtra ad exercitũ peruenit, qui

Ferd. Auſt. exercitui ſubſidio venit.

ad Caniſiam aduentum eius præſtolabatur. His auxiliis Auſtriacis exercitu confirmato, de explorandis hoſtium conſiliis, de eorum incommodis augẽdis, deq; Zigetho communiendo conſultari cœptum, eo quod præſidium illud ad inuadendos hoſtes maximam opportunitatem, ad defendẽdos fines commoditatem ingentem præberet, ſi frequenter erupturis egreſſus facilis ac tutus pararetur, ac commeatus, pecunia, mileſque, quæ eum in finem adduxerant, immitterentur. Prouidebant nõnulli, id eſſe rem ſummi diſcrimi-

Deliberatio obſidionis tempore habita.

nis, quoniam plura oppida natura & opere ferme inexpugnabilia in vicinis locis reliqua eſſent, quę rectã illam viam facile intercludere, & excurſionib. omnem regionem infeſtam reddere poſſent: quorum inſultantiũ perpetuoque inſidiantium arma metuenda, & pericula ſubeunda quotidie fore maximam ſitam quoq; in propinquo Carothnã arcẽ cum oppido munitiſſimã, hoſtib. non ſine ſummo periculo adimi poſſe. Hęc ſententia etſi multũ periculi præ ſe ferre videretur, omnium tñ calculis fuit cõprobata, quod bellũ trahere pernicioſum admodum pleriq; exiſtimarent. Itaq; cum inſigni alacritate in ſpẽ prope certam erectos Princeps ſingulorum animos videret, ne mora incõmodi aliquid adferret, Boluilerum cũ legione ſua & Auſtriacos equites cataphractos cum aliis aliquot expeditioris armaturæ equitũ ad occupandã Carothnam præmittit, qui in omnem euentum ac fortunã intenti, viriter

Carothna oppugnata & expugnata.

oppugnationem aggreſſi, oppidum primũ, deinde arcem quoque capiunt, præſidiariis omnibus trucidatis. Ita Carothna à Chriſtianis recepta fuit, cuius rei fama perculſa reliqua, quæ in Baboczia, Sancto Martino, Gereſgalio, Calamancia, atque Sallia erant, præſidia omnia, igne ſuccenſis caſtris, ac machinis corruptis, effuſa fuga Quinqueccleſias ſe receperunt, vbi hoſtis ſubſidia ex Vngaria, Seruia, Thracia, & Boſnia colligere dicebatur.

Secutus

Secutus eſt tum eadem tam lætæ victoriæ veſtigia Zigetho Præfectus Marcuss Horuatus, ac cum præſidio ad fanum vſque S. Laurentii Salliamque, ac pene ad ipſa Quinqueccleſiatum mœnia excurrit, occupatiſque, quæ Turcę reliquerant, munimentis, cum opulenta præda ad ſuos eſt reuerſus. Ferrdinandus Archidux maiore cum exercitus parte Boluilecum ſecutus Caaniſia Czorgonem vſque, vbi ex nunciis Carothnæ expugnationem cognouiſſet, lætus his belli primitiis cum ſuis de reſiduis etiam expugnandis caſtellis conſilia agitauit. Quibus quanquam animus non deeſſet vlterius progredi, ac cætera ante paucos annos amiſſa munimenta, Veſprinum præſertim & Capoſuiuarum recipere, non eſt tamen viſum inconſulto Rege pantre quicquam vlterius tentare aduerſus hoſtem vaferrimum, & qui vndique ex omnibus pene Vngariæ, Myſiæ, ac Croatiæ partibus milites conuocarire dicebatur, atque inſtructa iam acie Quinqueccleſiis Calamanciam vſq; prœceſſiſſet, ductis ſecum ingenti numero ac mole tormentis, exploratores inſi ſuper in caſtra Chriſtianorum ſubmiſiſſet, qui capti & quæſtionibus ſubiecti ſexaginta armatorum millibus exercitum Turcicum conſtare affirmabant. Protinus literis à Patre, ne in diſcrimen exercitum ſuæ fidei commiſſum adduceret, diligenter cauere iuſſus fuit: frigore brumali primum omnium ex anni tempore incidente, penuria dein rei frumentariæ quotidie magis creſcente, cum & militum corpora morbis contagioſis & lethalibus, dyſyſenteria maxime, confecta, in regione Germanis ſemper aduerſiſſima, non ſatis ad longiorem profectionem idonea viderentur. Itaque ſatis & ad gloloriam nominis ſui, & regni vtilitatem geſtum arbitratus, ſi obſidione liberato Zigetho, ac cæteris ſuccenſis, ſoloq; æquatis munimentis Baboczia, Gereſgallio, Sancto Martino, Salliaque, quo patefactum iter Zigethanis maianeret ad commeatus inuehendos, victorem exercitum incolumem reduxit.

M. Horuati virtus.

Ferd. conſilium de reſiduis caſtellis expugnãdis

Ferd. exercitum incolumẽ reducit.

In Liuonia inteſtino incendio exardeſcente, Poloniæ Rex à Caſparo Mũunſtero, qui ad illum transfugerat, ſolicitatus (cum aliquem Rex ſe Archiepiſcopæ Rigenſis protectorem profiteretur, & captiui Archiepiſcopi conſanguineus eſſet) indictis prius Varſauiæ comitiis, de inferendo Liuonibus bello cum proceribus conſultauit. Quo decreto, Nicolaoque Mieleccio Podoliæ Palatino ſũmæ rei præfecto, menſe Iulio ineunte florentiſſimũ exercitum centenis millibus equitum ac peditum conſtantẽ, ipſe ſupremus belli dux præſens, in expeditionẽ duxit, eo animo, vt omnino prælium cum Liuonibus committeret. Cui ſe quoque cum copiis ſuis Albertus Pruſſiæ Dux ad opem ferendam, & fratrem captiuitate liberandum adiunxit. Sed commodum Ferdinandus Cæſar, & Imperii Electores, Chriſtianus item Daniæ Rex ab Alberto Duce ſororio ſuo, & Ioanne Alberto Principe Megapolitano excitati, legatos in Liuoniam de liberando Archiepiſcopo, & controuerſiis illis ex æquo & bono componendis mittit. Ac Danici quidem legati cæteros anteuertentes, iam pacis conditiones has confecerant, vt Archidiœceſis Rigenſis, quæ tota in poteſtate Magiſtri Ordinis erat, Epiſcopo Derpatenſi & Oſilienſi ſequeſtris traderetur, Archiepiſcopo ex cuſtodia liberato quatuor Præfecturæ, Chriſtophoro totidem vtendæ fruendæ relinquerẽtur, donec reliquæ cõtrouerſiæ iure vel compoſitione arbitraria deciderentur. Quas conditiones Rex Poloniæ ratas habere noluit, cum Archiepiſcopo inter cætera permoleſtum eſſet, quod iuriſdictio dimi-

Comitia Varſauiæ de inferẽdo Liuonibus bello.

Regis Pol. exercitus numeroſus.

Cæſaris & aliorum interceſſio pro captiuo Archiep Rigẽ.

Ord. Magister Henricus moritur

dia in vrbe Rigensi non restituta, sed in dubium litis euentum commissa esset. Inter hos tumultus Magister Ordinis Henricus senex muneri suo prorsus renuncians, & Vilhelmo Furstenbergio plenam Liuoniæ administrationem tradens, paulo post rebus humanis exemptus est. Tandem Rege Poloniæ cum exercitu instante, & iam ad Posuolum castris metatis, intercedentibus Ferdinandi Cæsaris, atque Principum Electorum Commissariis res sic transacta est: Vt Liuoniæ Magister in castra ad Regem veniret, bellum deprecaretur, Archiepiscopum captiuum in pristinum dignitatis statum restitueret. Dux Megapolitanus Christophorus ipsi successor posthabito illo Volmariensi decreto confirmaretur. Ita tum bellum ingens à Rege Augusto intra vnum mensem & cœptum, & confectum est. His ita gestis, Rex ex Lituania Crasnostauum contendit litium diiudicandarum causa: quo etiam ad Regem venit Æmilius Maluetius vir præcipuæ Nobilitatis Bononiensis, laute & honorifice vbique à Polonis, in quos propendebat, habitus, à Rege quoque dona tulit non exigua, præter ab eodem pensionem annuam ei assignatam. Crasnostauoitum Varsauiam, ex qua Rex ob Reginæ incommodam valetudinem, impedimentis omnibus relictis, Cracouiam excurrit.

Transactio inter Pol. Regem & Magistrũ Liuõ.

Bellum magnum breui tempore cõfectum.

Rex Crasnostauum contendit.

Moscus Liuonib bellũ indicit.

Liuonibus intestino bello fatigatis & exhaustis, cum minuẽdorum sumpruũ causa militem omnem dimisissent, omniaq; pacata atque secura arbitrarentur: Ioan. Basilides magnus Massouiæ Dux mense Nouemb. bellum Liuonibus indixit, his prætensis causis: quod Derpatenses non seruassent pacta superioribus annis conuenta de reparandis ac restituendis templis Moscorum Derpati, & aliis in locis Liuoniæ, à Lutheranis dirutis atque destructis: quod negotiatorib. Moscorum liberam negotiationem ac permutationem armorum bellicorum, loricarum, puluueris tormentarii, aliarumq; rerum ad vsus bellicos necessariarũ interdixissent: quod Episcopus Derpatensis tributum multorum annorum ex prouincia Derpatensi sibi debitum vt aliquoties tabulis pactorum obsignatis fidem dedisset, non persoluisset, cuius fere summa erat quinquaginta Ioachimicorum, quos à valle Germani vulgo Taleros vocant, millia. Hanc pecuniam si dependissent Mosco, eum à ceruicibus suis & suorum auertissent. Sed turpe videbatur Ordinibus Liuoniæ certo pretio & pecunia ab hoste barbaro pacem emere, cuius rei post eos pœnituit, sero cum saperent Phrygum instar.

Causa offensionis Moscii in Liuones.

An. Ch. 1558. Moscus exercitum numerosum in Liuoniã mittit.

Ineunte anno sequente Ioannes Basilius Moscorum Princeps collectum exercitũ ex trecentis millibus Moscis in Liuoniam misit, qui vicesima quarta Ianuarii Nieuhusium arcem cum ditione Derpatensi magnam Archiepiscopatus Rigensis partem, territorium ipsius Magistri Lidam & Virlandiam ferro igneque deuastauit: circa quadragesimæ vero principium Naruense territorium ingressus diripuit, opimisque spoliis onustus in Moscouiam regressus sit, nemine ipsi resistente. Hac clade accepta, conuentus equitum & reliquorum Liuoniæ statuum media quadragesima agitur, in quo rebus hinc inde deliberatis & discussis tandem placet legatos ad Moscum mittendos, & pacem sexagies septuagies millibus Ioachimicorum redimendam esse. Mittitur itaque à Liuonibus in Moscouiam ad inducias petendas quadrimestres, ac liberum pro pace componenda accessum veredarius, quem non multo post legati subsequũtur. Qui cum ad Moscum appulissent, inueniunt animum eius perturbatum, & Liuonibus infensum,

Conuentus Liuonum.

Eorum ad Moscum legatio.

fensum; vtpote qui nullam pacem nullasue inducias ab ipso obtinere potuerunt. Causa offensionis hæc fuit: Sita sunt in Liuoniæ & Moscouiæ finibus duo oppida è regione posita, quæ fluuiolo Narua interlabente distinguuntur. Alterum Germanica Narua dicitur, estque ditionis Liuonicæ, alterum Russica, quæ alio nomine Iuanogradum nominatur, Mosco subiecta. Furstenbergius Liuoniæ Magister in suam Naruam Commendatorem seu Præfectum trecentis cum peditibus, & centum quinquaginta equitibus præsidii loco, Moscus vero tria millia collocarat. Constitutis autem induciis inter Moscum & Liuones quadrimestribus, accidit, vt vix vno induciarum mense exacto quidam ex præsidio in Germanica Narua è turribus prospicerent, viderentque ingentem turbam in Narua Russica obambulantem, in qua illi vel proteruia & temeritate, vel largiore potu accẽsi duo tormenta bellica displodunt, & ferreas glandes in mediam Moscorum turbam eiaculantur, existimantes, vt & cæteri Præfecti ministri, inducias iam expitasse. Mosci vero, quibus religio erat inducias violare, nil contra Liuones moliuntur, ne telum vllum quidem emittunt, sed celerrime rem de violatis induciis Principi suo indicant, & hoc nuncium eodem die, quo Liuonum legati ad Moscum peruenerant, ad eundem perfertur. Qui indignabundus Liuonum legatos re infecta cum muneribus domum remittit, & simul se hanc insignem perfidiam ferro flammaq; vindicaturũ minatur. Legatis in Liuoniam reuersis, illico Mosci exercitus Naruam Germanicam obsidet, & cum ignis in cuiusdam chirurgi domo exortus per totum oppidum grassaretur, illico Mosci tormentis bellicis portas & muros demolientes, ingressum sibi paratunt, octauoq; obsidionis die oppidum occuparunt. Oppidani cum præsidiariis in arcem confugerunt, sed paulo post commeatu destituti, Præfectus deditionem facere coactus est hac conditione, vt sibi cum omnibus militibus tuto hostium castra transire liceret. Data est eis ab hoste fides, sed quoad facultates non seruata, & Naruenses Præfecto discedente Mosco se iuramento obstrinxerunt. Direpto & desolato Naruẽsi territorio, circa natalem Diui Ioannis Baptistæ exercitus Mosci ex octoginta millibus constans in Derpatensem prouinciam progreditur, & vicesima septima Iunii die primariam Episcopi arcem, cui à noua domo nomẽ, obsidet, cumque bis mille equites & trecenti Episcopi Derpatensis obsessis in auxilium missi, circa castrum Kirempe tentoria figentes otio luxuriæque indulgerent, deditione capiunt. Hæc videntes reliqui equitum Liuonum Præfecti, metu ingruentium periculorum arces turpiter suas deseruere: arces quoque Etzum, Varnebeccum, Lassum, Ringa, & Ouerpala desertæ in prædam ac possessionem hosti venerunt. His peractis, Præfectus Moscouticarum copiarum Petrus Sisegaleider (sic dictus à septem triremibus, quibus piraticam exercuerat, marique præfuerat) animum ad obsidionem & expugnationem Derpati oppidi adiecit, quod Moscus tributum ab Episcopo nondum acceperat. Hermannus enim Episcopus illorum, quod antecessor Iodocus bona Episcopatus oppignorata reliquerat, thesauroque collecto in Germaniam concesserat, in quæ redimẽda suas facultates impenderat, soluendo non erat, & Nobilitas, cum his malis subuenire posset, tamen noluit Episcopus. Itaque Hermannus occulta cum Cancellario suo agitare consilia cœpit, quo modo in Mosci tutelam ac patrocinium ipse recipetetur. Verum obsidio Derpatensis euentum horum

Qui legatos re infecta remittit.

Narua Germanica à Moscis obsessa. & occupata

Mosci in Derpatensem prouinciam irruunt.

Nieuhausiũ obsessum & captum à Moscis.

Mosc. copiarum præfectus de Derpato obsidẽ. cogitat.

consiliorum cuertit. Præfectus enim Moscouiticarum copiarum quatuor agminibus, in quibus triginta Tartarorum, & duodecim millia sclopetariorum erant, Derpatum quinto idus Iulii obsedit, decimaque nona eiusdem mensis per deditionem sine cæde & sanguine cepit, Episcopo in Moscouiam abducto, ibiq; mortuo. Ingentẽ ibi thesaurum auri argentique ab Ecclesiasticis Canonicisq; Reualiensibus, ac reliqua Nobilitate eo aduectum, & tantum, vt aliquot inde exercitus ali possent, accepit. Dedito Derpato, Bernhardus Schmerten Præfectus Vittensteini terrore hostis fractus, arcem munitam & opulentam Vittensteinum deseruit, quam milites Derpatenses dimissi & exauctorati prætereuntes apertam & vacuam hominibus inuenerunt, ingressi eam largo potu ciboque se refecerunt, & ablatis secum rebus quæ placebant, discesserunt. Magister itaque vni ex Crucigeris Casparo Oldenborckio eam commendauit, qui cum præsidiariis militibus se arcemque firmasset, aliquoties Moscum oppugnationem tentantem inde repulit. Eadem æstate mẽse Iulio Franciscus Anstelius Præfectus Reualiensis arcem deseruit, & cum supellectili ac thesauro cõpilato in Vestphaliam concessit. Ante discessum tamen arcem Christophoro Munchausio commendauit, eaque conditione tradidit, vt missis legatis ad Regem Daniæ Christianum arx cum adiacentibus ipsi traderetur, qui Reualensium legatos hæc offerentes comiter quidem audiuit & excepit, sed nil præcipitanter agendum in tantis tumultibus censuit, nihilominus tamen illos bona spe confirmatos, cum machinis quibusdam bellicis, puluere tormentario, & aliquot aureorum millibus ad sustinendam arcis obsidionem domum remisit, paulo que post vitam cum morte eommutauit. Eodem tempore Petrus Suiscius Plescouiensis gubernator Reualiensibus eorumq; Præfecto Munchausio bellum indixit, ex quo vrbem suam oppidani ita muniuerunt, vt à tanta hostis potentia tuta maneret.

Derpatũ à Moscis obsidione cinctũ & occupatũ

Vittensteinum desertũ à Bernh. Schmerten.

Arx Reualiensis itidẽ.

Reualiẽsib. legati ad Daniæ Regem.

Reualiẽsib. P. Suiscius bellum indicit.

Eadem anno in Vngaria Ferdinandus Rex cum Turca inducias pepigit, quas tamen Transyluanici motus interturbarunt. Isabella enim Regina vidua eiectis omnibus, qui Ferdinando fauebant, rerum summam ad se retraxit, cum populi fauore, tum Solymanni amicitia, & Regis Poloniæ Sigismundi Augusti fratris sui auxiliis freta, idque tanto ei fuit facilius, quod multis hominum millibus peste absumptis maxima esset tota regione solitudo, Nec tamen Ferdinandus Rex arma statim sumpsit, Rege Poloniæ, & aliis Principibus de pace diligenter agentibus. Petebat à Ferdinando Ioannes Sigismundus Transyluanus, vt quicquid trans Tibiscum esset, sibi concederetur, tum se eo, quod eis esset, libenter cessurum, præterea vxor è Cæsaris stirpe cum centum aureorum millibus dotis nomine sibi daretur: matri vero ex Vngariæ prouentibus reliquum debiti persolueretur: bello autem inter Ferdinandum & Turcas exorto, Ioannes se medium gereret. Ad reliqua Rex Ferdinandus, paulo ante Imperator creatus, assensit: vt vero Transyluania cederet, induci nullo modo potuit. Interim cum ea occasione Turcæ Vilecum expugnauissent, omniaque ad bellũ atrocissimum rursus spectare viderentur: ecce velut à media tempestate subita affulsit tranquillitas. Nam Solymannus, cum Ferdinandi Regis legatos Antonium Verancium, & Franciscum Zayum Constantinopolim de pace misSos per totum biennium detinuisset, tandem tolerabilibus conditionibus pacem fecit, quam etiam Ferdinandus, quoad vixit, inuiolatam seruauit.

In Vngaria inducię inter Ferdin. Regem & Turcas.

Quæ abiſab. Regina interturbata.

Transyluani postulata à Cæsare.

Pax inter Cæsarem & Turcam.

Anni

Anni sequentis millesimi quingentesimi quinquagesimi noni principio comitia Petricouiæ frequenti Procerum atque equitum concursu celebrata sunt. Cupiebant tum Ordines de interregno, eiusque remediis aliquid constitui, ac modum futuræ Regis electionis præscribi: cum post tertium Regis connubium de prole ipsius iam quodammodo vulgo desperatum esset. De qua re etiam Rex ipse, cui Astrologus quidam Cracouiensis, prouinciã regno eum adiunctũ, sed nullos liberos relicturum forte prædixerat, aliquid commentari voluit. Verum ea in lucem prolata cum non vsque quaque probarentur, auctis etiam suspicionibus, irrita omnia facta sunt. Mortua iam fuerat Regina Bona in Italia vel hoc anno, vel secundum alios anno post discessum è Polonia sequenti, nulla hæreditate liberis relicta. Quod Laurentius Papagoda in Polonia redire cogitanti venenum propinasset, & supposititio testamento condito Ducatum Barensem à Rege Augusto filio eius abalienasset. In hisce comitiis matri suæ Rex exequias fecit. Cum itaque Barensem Ducatum Reginæ morte Philippus Hispaniæ Rex tanquam regni Neapolitani partem ac feudum ceu supremus dominus occupasset, Rex Augustus Albertum Kriscium ad eum id temporis in Belgio, quo ex Anglia iuncta sibi matrimonio Maria traiecerat, ablegauit. Qui Barensem Ducatum veluti hæreditarium Regis sui nomine ab ipso petiit. Interrogante autem Rege Philippo, beneficione suo eum obtinere, an verro iure ac vigore testamenti materni adire vellet. respondit Kriscius, se nil, quod Regis sui honori aliquo modo detraheret, concedere, aut etiam facere posse, vel debere, sed iure eo, quod Rex in illum Ducatum habeat, eum repetere: Ibi subiecit Rex: Bene se rem habere, eundum igitur Neapolim, iureque ibi experiendum. Missus est paulo post Ioannes Visscius Abbass Landensis Romam, Adamus Konarseius Neapolim, & Ioannes Przerembius Archiepiscopus Gnesnensis, Viennam ad Ferdinandum Imperatorem, arbitrum eius litis de Ducatu Barensi inter Sigismundum Augustum & Philippum Reges futurum.

An. Ch. 1559 Comitia Petricouia.

BONA Poloniæ Regina in Italia mortua.

Legatus Regis ad Philip. Hisp. Regem de Ducatu Baren.

Conuentu Petricouiæ soluto, Rex Cracouiam reuersus, de casu infelici Philippi Padnieuii, qui paulo ante in comitiis regni Procancellarius factus erat, non sine dolore cognouit. Comitabantur Procancellarium ex arce iin vrbem redeuntem, vt fieri solet, plurimi: ex quibus quidam, de quo nulla erat suspicio, ob splendidas vestes cum reliquis familiarib. Procãcellarii in conclaue ingressus torquem aureum, cui sigillum regni appensum, à Padnieuio in penitius cubiculum se recipiente, in mensa depositum abstulit, protinusq; in pedes se coniciens eadem nocte Bochnam vsque peruenit. Padnieuius inopinoto hoc casu vehementer perturbatus, in quem nam culpam transferret, dubius erat. Rex ipse eadem de re è Nicolao Trzebuchouio camerę Præfecto certior factus, attonitus hærere, & eam in rem ad facti atrocitatem exaggerandam exempla quędam vetera commemorare, addens tandem, proculdubio non defuturos artifices Cracouiæ, qui huic non absimile sigillum essent confecturi. Sed ecce dum aula & vrbs furto illo personat, suspensaque est, fur Bochnæ à Krzicæio salinarum administro deprehensus Cracouiam mittitur, & torques sigillo regio iam contuso Procancellario restitutus, & fur supplicio facinore eo digno affectus, candenti sigillo per vrbis compita lancinatus, laqueo vitam finiuit. Inter hæc Rex per bimestre Cracouiæ commoratus, in Lituaniam rursum profectus

Rex Cracouiam redit.

Procancellario torques aureus cum sigille regni sublatum.

Fur Bochnæ capitis supplicio afficitur.

Rex in Lituaniam iterum confert.

est,

-est, vrbano magistratui & populo, apud quem postremum se ante mortem visendum præbuit, valedicens, ibique Ioanne Lasco Hieronymi Palatini Siradiensis fratre ætate iam decrepita tum non illibenter viso, qui ante an. 30. circiter ad Angliæ Regem Henricum octauum profectus, ibique liberaliter habitus, postliminio in patriam à Rege reuocatus rediit. Quem postea ad Albertum Prussiæ Ducem, apud quem erat gratiosus, abire iussit.

Hoc anno Isabella Iagellonia Vngariæ Regina, Sigismũdi Regis Poloniæ filia, fœmina præter ætatẽ ac dignitatẽ subitaneas fortunæ vices experta, vitæ pensũ absoluit. Quę Ioanni Scepusio Vngarię Regi in matrimonium à Sigismundo Rege patre elocata, non multo post & Regem & regnum amisit, ad eamq; inopiã per transactiones Ferdinandi Regis atq; Georgii Monachi Quæstoris sui deuenit, vt absq; subsidio fratris Sigismundi Augusti Regis contracte admodum vitam cum suis tolerare necesse habuerit.

An. Ch. 1560 Anno deinde 1560. ineunte Moscus tertium irruptionem in Liuoniam fecit, Mariæburgũ arcem munitam in finibus Moscouiæ sitã per deditionẽ Cõmendatoris Caspari Sibergii sine cæde suam fecit, totũ Archiepiscopatũ Rigensem depopulatus, equitũ aliquot turmas ipsi occurrentes cæcidit, circaq; Rigam castra metatus, depopulationib. & deprædationib. nemine prohibẽte omnia repleuit, per Curlandiã vagatus elapso triduo in Moscouiã rediit. Postea Magnus Holsatiæ Dux Christiani tertii Daniæ Regis filius in Ossiliam insulã Liuoniæ obiectam appulit. Cum enim tertia Holsatiæ pars, quã pater Christianus Danię Rex possederat, inter tres fratres Fridericũ Regem, Magnũ, & Ioannẽ æquali portione diuidenda esset, Fridericus vt Magni partẽ in Holsatia sibi cõseruaret, diœceses Ossilienſem & Curonienſem in Liuonia (quas paulo ante Episcopus Ioan. Mũchausio persolutis sibi aliquot Ioachimicorũ millib. Regi cesserat) fratri Magno, renũciãti suo in Holsatia patrimonio, procul in Liuoniã ablegato tradidit, quib. paulo post Reualiensis etiã diœcesis à Moscis & Suecis iam occupatæ ius à Mauritio Vrangel Reualiẽsi Episcopo postremo adiunctum est. Statim autem in primo aditu Magnus, multis ad cũ ex Nobilitate Liuonica, qui nouo Principi potentissimi Regis filio quam Ordinis Magistro subesse malebant, & plus ab eo defensionis, præmiorũ, & honorũ exspectabant, confluentib. multa imperiosius iusto à Magistro & Ordine exegit. Quæ cũ recusarent, noui intestini belli incendiũ exarsurũ videbatur, niti Archiep. illiusq; coadiutor Christoph. Dux Megapolitan. institutæ Parnouiæ tractatione se interposuissent. Vbi dũ Cõuentus Principes isti agunt, Moscus circa Pentecostes festum iterum incursionem in Harriam fecit, cuius Reualia metropolis est, in qua bona Episcopi Reualiensis & magnæ partis Nobilium diripuit, exercitu sedecim millium Moscorum constante. Inde in Lettoniam progressus, equitum Liuonicorum exercitum in Lettorum regione circa Ermissam fudit, ductores eius, inter quos fuit prouinciæ Mareschallus, & Commendatores tres, captiuos in Moscouiam misit, vbi etiam fustibus & virgis cæsi, perque plateas nudi cunctis spectantibus ducti tandem capite plexi sunt. Exeunte deinde Iulio Moscus Felinum obsidere cœpit, & disiectis horribili tormentorum impetu muris, & globis igneis in tecta coniectis oppidum exussit. Arcem vero milites, partim laborum ac periculorum obsidionis pertæsi, partim quod stipendia eis per aliquot menses non essent soluta, mense Augusto Moscis tradiderunt, pacti tamen corporum ac bonorum, quæ secum efferre

Moſci ter tia in Liuoniã irruptio

MAGNVS Holſat. Dux in Oſſiliam admittit.

Moſci irruptio in Harriam.

Felinum oppidum à Moſcis exuſtũ.

Felinũ arx Moſcis tradita.

efferre possent, incolumitatem, ac tandem cistis direptis Furstenbergii heri sui, & reliquorum Nobilium ac ciuium, qui imminente hoste, quæ charissima habebant, in arce illa tuto custodienda deposuerant, discedunt. Furstenbergius captiuus in Moscouiam ad magnum Ducem cum triumpho abductus, vbi spectantibus duobus captiuis Tartaricis Principibus Casanensi & Astracano non sine sarcasmis eos prætuectus, & ad locum constitutæ captiuitatis perductus est. Militibus vero perfidis Moscus liberum quidem transitum concessit, sed eos præda egregie spoliauit. Parta hac insigni victoria, & Felino bene præsidio firmato, Mosci tribus distinctis agminibus, alii arcem Vittensteinum, irrito tamen euentu, oppugnant: alii circa Vendam & Volmariam prædas abigunt: alii Vickensem ditionem, qui tractus inter Reualiam & Parnouiam Holsatiæ Duci Magno tum parebat, peruagati ad ipsas vsq; Reualiæ portas excurrerunt. In tantis angustiis cum versarentur Liuones, nec vlla in Imperio, vel propria virtute & viribus spes defensuris appareret, Reualienses necessitate adacti extrema, Moscis assidue excurrentibus ad eorum portas, & non solum pecora, sed ciues & incolas vrbe egressos abducentibus, ab Erico Sueciæ Rege vicino pecuniam mutuam, ac, si à Mosco vrbs obsideretur, auxilium & defensionẽ petiuerunt. Cum autem Suecus non esse pecuniã regno Sueciæ aliis mutuo dandam responderet: verũ si imperio & tutelæ ipsius se ciuitas Reualiensis subiiceret, se non cupiditate proferendi fines sui regni, quod alioquin satis amplũ haberet, sed Christiana charitate, ac vt Moscũ vicinũ, si ea vrbe potiretur, regno suo intolerabilem futurũ arceret, se patrocinium ac defensionem illius vrbis suscepturum, omniaq; priuilegia & immunitates antiquas vrbi relicturũ polliceretur: Reualienses, re cũ Nobilitate vicina & ciuibus cõmunicata, Magistro Liuoniæ iuramentum fidelitatis superiori anno præstitum renunciantes, Suecorum Regi, qui paulo ante patri Gostauo successerat, se subiecerunt.

Magiſter Liuoniæ in Moſcouiã abductus.

Reualienſes à Sueciæ Rege auxiliũ petunt.

Ipſi ſe ſubiiciunt.

Proximo post hunc anno Rex Poloniæ Sigismundus Augustus, ad cuius patrocinium & tutelam Ordinis Liuoniæ Magister, Archiepiscopus Rigensis, ac Nobilitas illis subiecta confugit, cum distractiones Liuonię intestinas varias ac multiplices, & Reualiam tota cum vicinia Sueco se subiecisse, aliquot etiam prouincias à Magno Holsatiæ Duce teneri videret, non amplius teneri prioribus pactis, de defensione cum Ordinis Magistro & Archiepiscopo initis, multo minus speciem defensionis alicuius aduersus Moscos ostendere voluit, nisi Archiep. & magister Ordinis cum omnib. subditis suis se Poloniæ & Lituaniæ penitus subderent, & solenni subiectionis iuramento obligarent. Cũ igitur Archiepiscopus & ordinis Magister ab Imperio Romano, cuius auxilium & opem assiduis legationibus supplices implorauerant, se plane desertos animaduerterent, & ingentia Liuoniæ iam magna ex parte à Mosco & aliis occupatæ ac vastatę vulnera remedium præsens flagitarent, extrema coacti necessitate, vt reliquas adhuc Liuoniæ prouincias, ne in Mosci potestatem peruenirent, nomini & religioni Christianæ conseruarent, conditionem subiectionis à Rege Poloniæ flagitatam subire coacti sunt. Quare post multorum mensium tractationes tandem Rex Nicolaum Radiuilum Palatinum Vilnẽsem plenis cũ mandatis in Liuoniã misit, vt permissas sibi ab Ordinis Magistro arces, prouincias, documẽta, & literas acciperet, & à Rigensi Ciuitate iuramentum fidelitatis nomine Regis exigeret. Promiserant autem Rigenses subiectionem regno Poloniæ & magno

An. Ch. 1561.

Rex Pol. Liuonibus defenſionẽ negat, ni ſeipſos dedant.

N. Radiuilus à Riga in Liuoniã miſſus.

Ducatui

Ducatui Lituaniæ, accepta à Radiuilo cautione, qua pollicebatur Rex, se ciuitatem Rigensem iuramento, quo Cæsari & Imperio deuincta erat, sine vllo Ciuitatis incommodo liberare, & aduersus Moscum, ac quoscunque alios hostes defendere, & religionem præsentem, ac priuilegia illibata integraque conseruare velle. Quod si Ordines regni Poloniæ subiectionem his conditionibus factam non reciperent, vt nec magno Ducatui Lituaniæ consociati essent, & contra orto inter Regem aut regnum Poloniæ & Lituaniam dissidio aut bello, Ciuitas Rigensis neutris se adiungere, vel opem ferre teneatur. Quod si hoc Rege mortuo Poloni & Lituani duos Reges crearent, integrum Ciuitati Rigensi sit, vel ad Poloniæ Regem solum, vel magnum Lituaniæ Ducem solum, vel neutrum, sed alium Principem Christianum, cuius se tutelæ cõmittat, applicare. Verum hanc conditionem subiectionis Senatus & Ordines Poloniæ ratam habere recusarunt. Cum igitur de subiectionis Liuoniæ Regi Augusto faciendæ conditionibus inter Liuoniæ Ordines ac Poloniæ Regem Vilnæ iam transactum esset, vt executioni illæ mandarentur: die quinta Martii in arce Rigensi Magister Ordinis Gothardus Ketlerus coram regio Commissario atque vicario Nicolao Radiuilo Palatino Vilnensi Ordinem suum resignans, primum crucem, deinde sigillum, postea literas & diplomata omnia, quæ Ordo à Cæsaribus & Pontificibus acceperat, præterea claues arcis Rigensis & portæ Ciuitatis, officium commendatoris, ius cudendæ monetæ, vectigal piscium, & omnia alia, sua & Ordinis sui iura Poloniæ Regi cedit ac tradit. Statim autem facta resignatione, Gothardus Ketlerus à Radiuilo nomine Regis Poloniæ Curlandiæ & Semigalliæ dux solenniter proclamatur, cui eueſtigio Nobilitas Curlandica & Semigallica velut hæreditario domino suo sacramentum dixit. Postridie vero Dux Curlandiæ ab eodem Radiuilo Prorex & gubernator Liuoniæ in curia Rigensi publice renunciatus, & claues arcis & portæ ciuitatis ipsi redditæ sunt.

Goth. Ketlerus ordinem resignat. ac Regi Pol. omnibus cedit.

Idem Dux Curlãd. proclamatus.

Eodem anno Albertus Lascus Palatinus Siradiensis Hieronymi Palatini itidem Siradiensis filius collecto mediocri ex Polonis, Vngaris, & aliis exteris exercitu, eoque per Scepusium & Vngariam, quod per Poloniam ei non liceret, ducto, Ferdinando Cæsare Bohemię & Vngarię Rege conniuente, Iacobum quendam Heraclidem natione Græcum (qui ab antiquis Valachiæ regulis genus suum repetebat, seq; insularum in Aegęo Sami Despotam & Pari Marchionem nominabat) contra Alexandrum Valachię Palatinum armata manu in Valachiam deduxit. Erat tum Alexander ob tyrannidem & crudelitatem erga suos infamis, ideoque omnibus inuisus. Hunc numeroso instructũ exercitu Lascus longe impar copiis fudit, & Moldauia exuit, totamq; ditionem armis domitam Iacobo Despotæ possidendam tradit. Ante conflictum Lascus ad milites in hanc sententiam verba fecisse fertur: Non tam elatum animum, neque tam superbam mentem Dii immortales dedere mihi Commilites, vt auiditate dominandi in dubium Martis discrimen eos huc in alienam & nobis omnibus prorsus ignotam terram ex pattiis sedibus educere constituerem: neque tam diuitiarum cupidam, vt earum studiis & vitam meam, & sanguinem etiam vestrum periculo obiicerem. Si enim nullum vnquam triste imperium in eos, quos mihi natura subiunganit, exercui, & si tot ditiones iure hęreditario ad me deuolutas parui semper feci, quis quęso erit, qui me vel superbe prensantem imperia,

Alb. Lascus Palatinus Sirad. Iacob Heraclidẽ in Valachiã introducit.

& Alexandrum fudit Despotas è Valachia tradit.

Oratio Lascei ad milites.

Periia, vel auare ambientẽ diuitias aut esse existimet, aut me huc veniſſe propterea putet? Fama, milites, fama atq; immortalitatis studium eo me pertraxit, vt immemor quietis domesticæ atq; vitæ priuatæ (quam hi tantum felicem putant, qui sub dio somno se dare inhonestũ existimant, & iniurias ventorum, niuis, frigoris, algoris, inediæ, ac vigiliæ subterfugiunt) vobiscum vna huc me contulerim: iniquissimi ac crudelissimi tyranni vitam salutemq; perſecuturus. Antiqua secula Herculem non modo laudibus & gloria prosecuta sunt, sed etiam in numerum Deorum immortalium retulerũt, ea propter, quod is contra Diomedem Thracum Regem (qui carnib. hospitum ac sanguine ipsorum equos suos pascebat) bellum mouisset, deuictumq;, & in frusta dissectum in pabulum prębuisset. Phylantum quoq; Dryopum Regẽ, Apollinis Delphici tẽplũ violare ausum (Deũm hæc iniuria fuit) regno spoliauit, illudq; Melienſib. incolendum dedit, quod ab eo factum multi autores sunt, non vt regnum appeteret, sed vt & iniuriam diuorũ, hominum deniq; vltum iret, & famam virtutis suæ ęternitati consecraret. Is animus mihi est, Commilites. Bellum n. fuscepi gloria magis, quam diuitiarum aut imperii cupiditate ductus, & suscepi cõtra eum, qui nec Diis, nec mortalib. vnquã peperciſſe videtur, & cui præter inferendas iniurias, & exercendam crudelitatem nihil pensi vsquam fuit. Non veretur homo omnium, quos terra fert, sceleratiſſimus in dona Deũm auaras, in sanguinem autem mortalium cruentas manus iniicere. Quod n. fanum ab illius auaritia intactum mansit? Tot ho homines ab illo contra ius fasq; violenter trucidatos, quorum sanguine hic fluuius sæpe inundauit: cadauerib. autem hæ syluæ, hæc prata repleta, & volucres in aere volitantes pastæ sunt. Hęc eius voluptas est: in conspectu vxorum maritos, ante oculos liberorum parentes mactare. In hunc modum iusti Principis officio se perfungi existimat, vbi fana & delubra Deorum sacrilęge expilarit, liberos in parentum pręsentia trucidauit, in iustum ęque ac iniustum sæuierit, neminem nisi fraudis & cædis alicuius reum in suis reposuerit. Ad quem vindicandum hæ arbores, quas cernitis, milites, hi lapides, qui pedib. vestris calcantur, hic fluuius, qui equos vestros vosque metipsos potat, hic locus denique, quem occupatis, hi etiam montes, quos videtis eminere, si sensus illis ineſſet, consurrexiſſent, ostensuri tam atrocem ac crudelem tyrannum nequaquam ferendum esse. Qui vbi alienam patriam fraude aſtuque occupauit, in delitiis id vnum habere videtur, vt eam sanguine humano conspergat: ostendens nimirum, se hic aduentitium & peregrinũ, non hæredem: tyrannum, non iustum dominum esse. Nam si patria hæc esset ipsius, non vtique eam tam immaniter depopularetur? quin verus hæres, veræ hæreditati parceret. Si legitimus Princeps, lege ageret, nõ subditorum violenter occuparet bona: si iustus gubernator, iuste ad supplicia condemnaret. Sed non est ita, Commilites, facta quenquam sua, qualis quisque sit, declarant, & orbi demonstrant, vt & hunc iam satis liquido demonstrauerunt, esse illum omnium bipedum nequiſſimum. Videtis, qui mihi adstat, Despotam nobiliſſimum, nobiliſſimæ & antiquiſſimę familiæ virum, verum huius prouincię successorem ac hæredem, cuius ille sedem & patriam longo iam satis tempore malis artibus occupauit, & contra quem exercitum nunc parauit, milites coegit, vt patria prius spoliatum vita nuncetiam ipsa spolier. At ego, qui certo scio, apud tyrannum Imperatorem milites metu magis quam amore imperatoris rem agere, ita persuasum habeo, et-

« iam numerosissimam phalangem, vbi ad conflictum ventum fuerit, exigu-
« am & satis imbellem futuram. Qui enim præsentem metuit, absentem o-
« dit: id quod de militibus ipsius certo persuadere vobis potestis. Oderunt
« eum, & nonnisi inuiti militiam susceperunt. Non est itaque, quod exigui-
« tatem vestram respiciatis commilites, in robore militum & bonitate cau-
« sæ victoria, non in numero hostium, consistit. Et Macedonum Regem
« parua manu magnas copias fudisse constat. Cogitare autem inprimis,
« periculo ingenti maximum præmium propositum esse: Totus orbis virtu-
« tem vestram, si eum superauerimus, admirabitur, & in cœlum vsque effe-
« ret. Hi autem, quos è tyrannide veluti è faucibus inferorum in libertatem
« asseruerit is, non modo gratias acturi sunt, sed etiam omnia sua vobiscum
« communia existimabunt. Nihil erit ita eorum, quod non æque idem sit ve-
« strum. Sed quid ego de præmio dico, & apud vos differo? qui nunquam huc
« pedem intulissetis, si me non singulari quodam amore persecuti essetis. Ita-
« que vos oro & obsecro, si vobis mea salus (quæ in eodem cardine, in quo
« & vestra, vbi ad prælium ventum fuerit, versabitur) si fama & gloria (cu-
« ius studio & vos eduxi in hanc prouinciam, & omnibus pene discrimi-
« nibus obieci) curæ est, ostendatis, vos eos esse, quibus nihil æque
« displicet, quam vitam sine gloria ac bellicæ artis fama transegisse, &
« euitamini, vt ego vestra virtute vincam. Nam vt vos salui sitis, secnndum
« Deum mea virtute operam dabo. Resistebat quidem his Lasci conatibus
« Rex Augustus, & Polonia cuncta metuebat, ne vt pater olim in Vngariam,
sic filius nunc in Poloniam Turcas attraheret. Quod institutum ille vt
commodis celaret suum, Despotæ fuit autor, vt simulato morbo decumbe-
ret, posteaque tanquam defuncto solemni pompa funus sibi fieri patere-
tur, id quod Kesmarci in Scepusio factum est, Regis Augusti & ipsius Vala-
chiæ Palatini Alexandri legatis spectatibus, qui eo ab expeditione illa eum
dehortandi causa venerant. Dum eo Lascus, licet viribus impar decimo quar
to calendas Decembres congressus ingentes ipsius copias fudit, Tyrannum
dominatu exuit, totamq; ditionem armis subactam Iacobo Heraclidi possi
dendam tradidit, qui profusis ad Portam Turcicam largitionibus à Solymã
no impetrauit, vt in occupato Principatu pro consuetudine confirmaretur.

Concilium Episcoporũ Pol. nationale.

Ab his Valachiæ motib. concilium Episcoporum Poloniæ nationale ante Oecumenicum Tridentinum conuocandum prius è re visum est. Itaque ineunte statim vere Ioan. Przerembius Archiepisc. Gnesnensis, & Philippus Paduieuius Episc. Cracouiensis non mediocri cum comitatu Varsauiam venientes, quorum numerum Senatores etiam quidã, & inter hos Ioan. Ociessius Cancellarius auxerant, feliciter inchoarunt, & legatos ad concilium Tridentinum mittendos Regis voluntate & autoritate censuerunt. Cõmorabatur aũt, vt fere semper, Rex in Lituania, præterquã quod hyberno tẽpore Lõzam semel excurrerat: vnde redux de copiis in Lituaniã mittendis, & ducib. rei militaris peritis eis præficiendis consultauit: inter, quos supremi exercitus ducis munere functus est ob multiplicem rerum vsum Florianus Zebridouius Castellanus Lublinensis, iã ante comitatus aulici Præfectus. Qui vicissim legatum suum Stanislaum Lesnouolscium Castellanum Czechanouiensem cum exercitus parte contra Moscos bellum molientes misit, adiuncto ei Stanislao Zamoiscio veterano militum Præfecto, cuius consilio pr●re & tempore vteretur. Pugnatum à Polonis collatis si,nis cum Moscis

Polonorum pugna cum

scis ad Neuelam magno cũ successu, in quib. conflictib. eminuit maxime virtus & fortitudo Stanislai Zamoiscii, Nicolai Sienauii, Ioan. Zborouii, Ioan. Potocii, Iacobi Sencignouii, turmarum Præfectorum. Nam cum illi agmen tantum 1500. ducerent, exercitum tamen Mosci 40000. constantem repressserunt, magnaq; ex parte profligarunt. Post hanc expeditionẽ, quod Rex diutius Polonia emansisset, quàm quidem salus Reipub. pateretur, sæpius reuocatus est à Poloniæ procerib. missis ad eum publico nomine in Lituaniã Iordane Spitcone Melstinio Palatino Sendomirien si, & Alberto Przyiemscio, monentib. Regem se Polonię esse meminisset. Quorum precib. motus Rex, interiecto modico tẽpore in Poloniam venit ad indicta Petricouiæ comitia celebranda, vt inter alia etiã cõsuleretur, qua ratione Mosco Astracanis Casanisq; Tartaris deuictis insolescẽti, deq; capienda Polocia cogitanti esset resistendũ. Erãt aũt comitia hæc tũ ob nouã quandã nuper legũ executionẽ cœptã, tum ob Episcoporũ iurisdictionẽ nonnihil accisam summe odiosa. Quæ res ipsis magno fuit dolori. Questi sunt etiam Ordines de immẽ sis Regum largitionib. de accisis regni vectigalib. & tributorum nouorum subinde impositione. Quæ querimonia non tam Reip. causa promouendæ, quam priuatæ vtilitatis gratia mota esse videbatur. Nam qui regiis ditati erant bonis, inuidia laborabãt, & præcipue Ociessius regni Cancellarius vulgo male audiebat, quod non solum regiorum bonorum possessione locupletatus esset, sed legum etiam executionem impediret. Quam suspicionem vt à se amoueret, adductis ad comitia secum filiis paruulis, priuilegiorum, quæ Rex concesserat, diplomatib. discerptis, dira eis precatus est, si damno Reipublicæ vnquam regiis bonis ditati essent. Reuersus post ex comitiis Cracouiam, paulo post diem suum magno multorum cum dolore obiit, in cuius locum Valentinus Dembinius regni Thesaurarius cooptatus est.

Mosci ad Neuelam.

Comitia Petricouia.

Ibi quid actum.

Hoc ipso anno autumni tempore Ioannes Finlandiæ Dux Erici Sueciæ Regis frater iuncta sibi matrimonio Catharina Regis Augusti sorore, nuptiisq; Vilnæ celebratis, in Finuouiam reuersus est. Cum vero illis ipsis nuptiarum diebus Rex Augustus fœdus cum Daniæ Rege aduersus Ericum Ioannis fratrem iniisset, & centum viginti Ioachimorum millia mutuo à Ioanne Finlandiæ Duce fororio accepisset, pro quibus arces & Præfecturas Liuoniæ aliquot pignoris loco ipsi tradiderat, Ericus Rex postea moto bello fratrem conscium, aut etiam socium fœderis aduersus se facti fuisse suspicans, cum quidem tantam Regi Augusto hosti suo mutuo dedisse pecuniam non ignoraret, primum belli impetum in eum conuertit.

Ioan. Finlandiæ Dux iungit sibi matrimonio Catharinam Regis sororem.

221

Exeunte anno Erici Sueciæ Regis Reualiæ gubernator Parnouiam oppidum maritimum, & portu cõmodo munitum, quod Poloniæ Regi Sigismũdo Augusto ab Ordinis Magistro traditum erat, deditione capit. Vittenstei-num leruiæ prouinciæ arcem præcipuam, vi aliquandiu oppugnatam, fame tandem expugnat, cum superiori autumno Padisum quoq; monasterium sexto à Reualia lapide, & Magno Holsatiæ Duci attributum possedisset. Quibus grassationib. violentis in Liuonia potentissimos aduersus se hostes Sigismundum Augustum Poloniæ & Fridericum Daniæ Reges magis etiam irritauit. Christophorus etiam Dux Megapolitanus Archiepiscopi coadiutor, qui superiori anno Poloniæ Regi Imperatore deserto subiectionẽ detrectarat, in Germaniam profectus est, cum nihil ab Imperio spei certæ labẽtib. Liuoniæ reb. affulgeret, noua consilia cum Erico Rege Suecorum Re-

Parnouia à Sueco occupata.

Vittenstei-num expugnatum.

ualiam, & alia Liuoniæ oppida iam tenente, prima specie læta, tractatu dura, euentu tristia susceptit. Ad hunc Stockolmiam profectus est de coniugio minimæ natu sorori, Erici Regis Elisabethæ, quam post octodecim annos demum duxit, cum eo transegit, & Archidiœcesin Rigensem se Erici auspiciis & auxiliis occupare & possidere velle ostendit. Sub exitum vero Decembris Ioannes Basilides Moscorum Princeps in Lithuaniam ingentibus copiis expeditionem suscipit, & sequentis anni principio Polociã oppugnato, admotisque machinis currulibus tormentisq; muralibus ducentis, quorum nonnulla immensæ capacitatis duodecim pondo æquantes ferreas pilas eiaculabantur, mœnia indesinenter diuerberantur, & vndiq; patentior ruina efficitur. Tandem immissis pyrobolis ac malleolis aggerem, quem frustra immenso studio ciuium labor expresserat, perrumpit, vrbemque amplam mense Februario diripit, præda incredibili ditatus. Qui rumor cum quinto à Polocia capta die Petricouiam fuisset allatus, varie proceres affecti fuerunt, nonnullis in gratiam Regis damnum illud extenuantibus, Rege autem ipso & cordatioribus vehementer dolentibus. Occupatæ vero Polociæ culpam tribuebat Rex quibusdam Lithuanis, quam etiam ob causam Vilnam reuersus Victorinum quondam Mostensem Præfectum quæstionibus subiectum, & post damnatum tanquam proditorem supplicio affici iussit.

Moscus Polotiam oppugnat.

Ann. Chri. 1563.

ac tandem expugnat.

Eriti Ducis Brunsuicẽ. in Prussiam expeditio.

Hoc eodem anno Ericus Dux Brunsuicensis militarium rerum, quam otii & quietis, studiosior, cum militem veteranum in antiqua Saxonia conscripsisset, 12. millibus peditum, ac duobus equitum selectorum in Prussiam sub signis ire iussit, copiasque illas Sueciæ Regi adducere contra Danũ præse tulit. Cum itaque nemo consilium ipsius exploratum satis haberet, ac nihilominus illi per Marchiam eundum esset, Electori Brandeburgico id graue accidit. Itaque suos in armis esse iubet publicato edicto. Facta tandem fide, pacato agmine sine maleficio suorumque molestia iturum affinitati amicitiæque id dat: vt diuisim & singillatim extremis Marchiæ veteris finib. traducerent. Cæterum incredibile dictu est, quanta fuerit militis illius proteruitas. Transmisso Albi ad Ioannem Marchionem Brandeburgicum ablegauerat, qui commeatum exercitui & per fines suos transitum peteret: is vero patientiam suam tentari, tentatamq; contemni ratus, vel quod non satis fideret ipsi, vel ne imparatus opprimeretur, aut vt à suis militis prædantis iniurias auerteret, misso caduceatore eum finibus suis abstinere vult: simul habito suorum delectu militem cogit, excitam Nobilitatẽ præsto sibi esse præcipit, ciuibus arma imperat, cõmeatum iis, qui pagatim habitant, aduectisque tormentis bellicis Custrino, longitudinem nouæ Marchiæ in finib. Pomeranorum instructis copiis emensus, ne pedem quidem figere intra limites ditionis suæ passus est. Iam Cassubiam siluarum densitate, ac montium asperitate, collibusq; angustiorib. impeditam præterue ctus erat Ericus Dux, & in monasterio Oliuensi statiua habebat, neq; pœnitebat virium, multum robori peditũ, plus aũt equitatui confisus. Præsenserat Albertus Prussiæ Dux partim fama renunciante, partim agnatis per literas atq; internuncios submonentib. cõtra se exercitũ illũ duci. His igitur monitorib. à reb. licet omnibus imparatus, & nil minus q̃ bellũ à Brunsuicensi exspectans, cautius observabat, quid cõsilii caperet. Quẽ vbi cõperit, superata Cassubia, recensitis copiis, motisq; castris Oliua, atq; Dantisco, iter instituere, & magis ad Vistulæ orã deflectere, tũ magis sibi cœpit cauere, misitq; legatos ad ipsum sciscitatũ, amicus

Cuius militis in Marchia transitu prohibitus.

In Prussiam venit.

Diffidentia Prussiæ Ducis.

amicus ne an inimicus Prussiam peteret: simul suos omnes in arma concit. Omnibus persuasum erat, tantum bello Principem neminem ea tempestate gerendo vel sustinendo esse. Trepidatum itaque est admodum Quibus motus, non omnino diffisus rebus suis ad Polonorum opem confugit, re cum Archacio Czema Palatino Mariæburgensi communicata. Gedanenses quoq; portas Erico clauserunt, nec commode satis aut amice, fulminali capacitatis eximiæ è turri exploso in aream Oliuensis monasterii vna eiaculatione ad tantum interuallum occupantes, acceperunt. Nunciari illi Prussiæ Dux curat, se nequaquam hostilia ab eo expectare, mirari autem cum primis, in quem tot armatos eduxisset: Si in Sueciam eundi animus esset, iret bonis auspiciis, itaq; existimare commodissimum fieri, si ex portu Gedanensi solueret. Concedere transitum per suam ditionem, neque sui iuris, neq; potestatis esse, neque scire, vtrum expediat. Principem ipsum amicum atq; affinem se cum comitatu aulico, qua posset comitate atq; liberalitate, non inuitum hospitio excepturum, inuitare etiam amanter, reliquum vero exercitum admittere sibi integrum non esse, petere, id ne alior sum accipiat, neque ex eo hostilem animum metiatur. Potius veniret felici omine, aduentum eius sibi gratissimum futurum, & si quibus in rebus opera sua ipsi prodesse posset, nil se desiderari passurum. Cum autem Brunsuicensis legatis ita respondisset, vt non satis aperte semet explicaret, ostenderet etiam, se vel subuculam suam cõcrematurum, si eam consilii conscium sciret, non amplius morandum ratus, præmissis tormentis bellicis Regiomonto, ipse quamuis minus commode valeret, iactationemque itineris grauiter ferret, carpento vectus, interdum etiam lectica, cum morbus vires sumeret, comitatus Alberto Friderico filio cum copiis suis vndique contractis progressus ripam Vistulæ insedit, vt illum transitu prohiberet, & apud insulam Marianam statiua habuit. Ericus autem Dux, cum omnia maioris difficultatis esse animaduerteret, quam sperauerat, & de copiis Prussiæ Ducis apparatuque belli apud Polonos accepisset, reducere exercitum cœpit, castra metatus in monte Vrbi imminente, cumque militibus promissis oneratis emerita stipendia non soluerentur, discincta erat disciplina militaris, & sibiipsis prospicientes bona agrestium hostiliter inuadebant, & rapto viuebant: neque tamen exauctorari poterant, neque imperium Ducis audiebant. Tandem communi contributione aliquantum æris procusum publice, quo emolliti, Ericus Dux cum de reliquo spem feciſſet, conclamatis vasis ad suos reditum impedimentis præmissis adornauit, bellumque magnis viribus repente ortum, repente etiam extinctum. Albertus Prussiæ Dux insperato hoc casu oppressus, consternatione senili, dum vix mediocres colligendi copias ipsi facultas relinqueretur, morbum contraxit acutum, quem paralysi non absimilem credebant, vsumque linguæ pene amisit. Etsi autem Medicorum ope aliquantulum melius habere inciperet, ad pristinam tamen redeundi sanitatem vires defuere, quibus magis magisque accedentibus, insuper fatumq; vrgentib. morbis nouis deficiens, ad res gerendas idoneus minime fuit.

& ad Polonorum opẽ confugiente.

Eiusd. cum Brunsuicen. expostulatio,

qui & ei occurrit.

Brunsuicum exercitum reducit, non sine tumultu militum.

322

Mense Nouembri Vilhelmus Brandeburgicus Archiepiscopus Rigensis postremus naturæ satisfecit, cum triginta tres annos partim cum antecessore, partim solus præfuisset. Rediit autem paucis ante diebus in diœcesin Christophorus Dux Megapolitanus, coadiutor illius, aliquot turmis

Vilhelmi Brandeburgici Archiepiscopi Rigen. vltimi mors.

equitum ac peditum Suecorum comitatus; qui Archiepiſcopum decumbẽtem non inuiſit: ſed poſt illius deceſſum ſtatim gubernationem diœceſis inuaſit, nec tamen vllam ſubiectionis & obedientiæ Regi Poloniæ præſtandæ ſignificationem præbuit. Cum autem apertum inter Reges Poloniæ ac Sueciæ bellum gereretur, & Chriſtophorus Erici Regis Sueciæ Polonorum hoſtis patrocinio & auxilio palam nitens occupare diœceſin conaretur à gubernatore in Liuonia Curlandiæ Duce, & militum Polouicorum Præfecto Erneſto Veiero in arce Dalenſi captus, & in Poloniam miſſus, totos quinq; annos in cuſtodia detentus eſt, partim ob conſpirationem cũ Sueco contra Regem Poloniæ initam, partim quod Stanislæum Vanſouicium militum etiam Præfectum ad menſam pugione transfixiſſet. Archidiœceſis vero Rigenſis gubernationem Rex Sigiſmundus Auguſtus Proregi in Liuonia ſuo Gothardo Curlandiæ Duci tantiſper, dum ab Ordinibus diœceſis nouus Archiepiſc. eligi commode poſſet, adminiſtrandam commendauit. Quæ tamen poſt triennium petentibus Archidiœceſis Ordinibus Ioanni Chodkieuicio commiſſa eſt. Is Archiepiſcopam in Ducatum Tranſdunanum conuertit, & Nobilibus Canonicis prædia eccleſiaſtica tanquam feuda ad hæredes tranſeuntia attribuit, nouoſque Caſtellanos, & alios ad Reipublicæ Lituanicæ formam magiſtratus creauit. Hoc interim temporis ſpacio Ericus Suecorum Rex denunciato ſibi non ſolum à Danis & Lubecenſibus bello, ſed etiam à Poloniæ Rege, à quo Ioannes Finlandiæ Dux Erici frater ducta Regis ſorore recens redierat, ſuſpicatus fratrem conſcium aut etiam confœderatum eſſe Regi affini, & cæteris hoſtibus Sueciæ, quod nil de eorum fœdere & conatibus aduerſus communem patriam hoſtilibus ſignificaſſet, primum belli impetum in fratrem conuertit, eumq; in oppido Finlandiæ A oppreſſum & captum, cum coniuge ac miniſtris domeſticis Holmiam Duci & publice coram iudicio accuſatum in cuſtodiam dari, & familiares ipſius multos ſupplicio affici mandauit.

Chriſtoph. Megapolit. Dux captus à Veiero.

Archidiœc. Rig. gubernatio Curl. Duci commendata.

Poſt Ioann. Chodkieuicio, qui eam in Ducatũ conuertit.

Ericus Suec. Rex fratrẽ Findl. Ducem cuſtodia dat.

Iacob Heraclides à Valachis truncidatus.

Eo ipſo menſe Iacobus Heraclides, qui ſe Deſpotam vocabat, à Valachis ſuis fraude circumuentus trucidatur. De quo hoc memorabile eſt, quod moriendum ſibi videns, nullum abiecti animi ſignum dedit, ſed indutus amictu regio, vultu intrepido oratione libera recte à ſe Rempublicam geſtam, multaque ſingularia beneficia Valachis ſuis exprobrauit, Deum precatus vindicem, vti perfidiam asque ingratum animum barbaræ gentis vlciſceretur. Fuit ſtatura mediocri, robuſto tamen & neruoſo corpore, vultu præditus liberali, capillo nigro, lingua diſerta, rebus in omnibus quandam præ ſe ferens dignitatem, homo Græce, Italice, Gallice, ac Latine doctus: verum non ita, vt dicebat, in Laſcum gratus, qui eius cauſa bona ſua non pauca oppignorauerat. A cuius interitu vocatur à Valachis Demetrius Viſnouiecius, in bellis exercitatiſſimus, qui non multo poſt captus Conſtantinopolim abductus, ibidemque vnco appenſus eſt, Vir tantus tanto infortunio indignus. Rex interim Sigiſmundus Auguſtus clam nunciis prouincialibus, quibus Senatores exagitarentur, & regia bona miſſa facerent, ſuggerebat conſilia, eoſque in ipſos concitabat. Quibus vt ſe gratum præberet, quod ab eius partibus ſtetiſſent, dignitatibus ac bonis regalibus eos donauit. Inter alia vero, de quibus Rex ſolicitus erat, hæc eius animum cogitatio torſit, qua ratione Lituania cum Polonia firmo perpetuoque fœdere vniri atque coniungi poſſet: nondum enim hæ

Demetrius Viſnouiecius à Valachis vocatus, uncoq; appenſus.

Regis de Lituania Poloniæ cõiungen. cura.

duæ

duæ gentes pactorum nexu firmo coaluerant. Quam ob rem etiam vnionis ſeu fœderis illius ſtabiliendi gratia alia Varſauiæ comitia indixit, in quibus Ioannes Firleius Palatinus Lublinenſis magnus regni Mareſchallus à Rege creatus eſt, quem paternorum & auitorum meritorum memoria non minus, quam & propria ipſius dignitas eo euexit.

Comitia Varſauia.

Moſcus detentis diutius oratoribus Lituaniæ, in Moſcouia exercitum celeriter conſcripſit, quem dimiſſis Oratoribus in Lituaniam populabundum miſit. Hic exercitus diuiſus eſt in duas partes, quarum vna duce Srebrnii, qua Smolenſcum itur, altera, qua Polociam tendebat, duce Suiſcio miſſa eſt, qui in campis Czaſnicienſibus ad Vlam caſtra metatus eſt. Quod cum Nicolaus Radiuilus Palatinus Vilnenſis, dux exercitus Lituaniæ ſupremus, & Gregorius Chodkieuicius campeſtris militiæ præfectus ab exploratoribus reſciuit, hos ſtatim aggrediuntur, magnaque ex parte cædunt, ac trucidant, reliquos fugant, quorum multi per ſyluas & agros palantes partim à colonis cæſi, partim aquis ſuffocati ſunt. Triginta autem millia in ipſo conflictu occiſa eſſe memoratur. Ibidem Petrus Suiſcius Dux exercitus Moſcouitici vulneratus, fuga euadens, à ruſtico quodam ſecuri magno cum dolore Lituanorum, quod viuus captus non eſſet, occiditur. Altera porro exercitus pars, quæ Smolenſco ad Orſam cum duce Srebrnii contendebat, audita ſuorum cruenta clade, metu perterrita, bellica & copioſa ſupellectili abiecta, auxilium à pedibus petiit. Eodem anno in ipſo feſto D. Margaretæ Præfectus copiarum Stanislaus Pacz magni Ducatus Lituaniæ dapifer collegit ex Vitepſcenſi Palatinatu exercitum adiunctis ſuis familiaribus & aliis cohortibus, quibus præfecerat Iſidorum vexilliferum Vitepſcenſem, & Ioannem Snieporodum tenutarium vt vocant, item Vitepſcenſem. Hi cum duobus millibus equitum leuis armaturæ contra Moſcum, qui id temporis Iezieriſciam tredecim millibus armatorum grauiter oppugnabat, proceſſerunt, manuſque acriter cum hoſtibus conſertis eorum, perrupta acie tormentis potiti ſunt. Inde vlteriorem exercitum, qui fugam ceperat, inſequuntur, Quos aſſecuti ſternunt ac contrucidant, nonnullos capiunt. Octo millia Moſcorum cæſa, cæteri armis abiectis, quacunque potuerunt, fuga ſalutem quæſiuerunt. Poloni vero omnem ſupellectilem, & vniuerſa hoſtium arma, tormentumque quoddam grande, tela ignea, vexilla, fulminalia, & id genus alia abſtulerunt. Sicque incolumes, ac ſpoliis onuſti, paucis ex ſuis in conflictu deſideratis, Vitepſcum redierunt. Georgius autem Toumak exercitus hoſtilis dux vix elapſus, poſtea viribus reſumtis eandem arcem Iezeriſciam acerrima oppugnatione & igneis telis expugnauit.

Moſci in Lituaniam irruptio.

Moſci à Lituanis cæſi.

Petr. Suiſcius dux à ruſtico occiſus.

Moſcorum iter. cades.

323

Eodem anno obiit Ferdinandus Cæſar, cui Maximilianus filius vix exequias celebrarat, imperiumq; auſpicatus erat, cũ ecce nouus ei è Tranſyluania motus nunciatur, Princeps enim Ioanes Sigiſmundus, qui Turcica pace comprehenſus, & regiæ affinitatis ſpe allectus, in officio aliquandiu perſtiterat, ſiue vltro, ſiue maleferiatorum hominum conſiliis incitatus, vel etiam, vt nonnulli volunt, iniuriis prouocatus, Zatmariam ſtrategemate occupauit. Ei Ferdinandi nomine præerat Melchior Baſſa vir impiger, qui & ipſe antea nonnulla oppida licet non magni momenti in Tranſyluaniæ finibus Tranſyluano eripuerat. Tranſyluanus igitur Stephanum Bathoreum Somlianum, eum maxime ad eam

Cæſaris Ferdinandi mors.

Tranſyluanus Zatmariam ſtrategemate occupat.

rem

rem idoneum putans, quod id oppidum in ditione eius antea fuisset, ad se vocat, ac rei gerendæ occasionem ostendit: militum promtissimos pulueri ab armentis domum è pastu redeuntibus excitato immiscere se iubet: ipse non procul inde cum reliquis copiis constitit. Ponti viciniores iam facti, subito prosiliunt, portas & vallum occupant: mox Bathoreus signo dato cum suis accurrit, & oppidum ingressus nemine resistente capit, ac Balassæ fortunis direptis, vxore item & liberis captiuis abductis, præsidio firmat. Balassa vicissim (qui grauiter sauciatus ægre euaserat) ex vulnere refectus, Debrecinum non incelebre in iis locis emporium insidiis occupat, & direptis itidem ciuium bonis incendit. Insperatum fuit Maximiliano de capto Zatmaria nuncium, tantoque acerbius, quod tum grauissimis curis vndique distineretur, tum Transyluanum etiam ante sua intercessione semper apud patrem Ferdinandum iuuisset. Nec quidquam Transyluanus contra pacis leges feciſſe videri volebat, culpamque omnem cum in alios, tum Balassam inprimis reiiciebat: ab iis initium iniuriarum ortum, suos insolitis decimis & tributis exhaustos, & militum quotidianis excursionibus vexatos. Ea de re etsi grauiter non semel sit conquestus, neminem tamen hactenus remedium adhibuisse: nec iniquum videri debere, si iniurias illatas vlciscerentur. Hanc tantam insolentiam minime ferendam arbitratus Maximilianus, Lazarum Suendium rei militaris peritia excellentem euocatū bello Transyluanico administrando præficit: sed cum is regionum earum, & Vngaricæ militiæ nondum satis gnarus esset, socios & comites adiungit, Andream Bathoreum, Melchiorem Balassam, & Gabrielem Perenium, omnes in aduersariorum rebus diu versatos.

Laz. Suendius bello Transylu. præfectus.

Comitia Varsauia.

Ad comitia Varsauiæ indicta Poloni quidem Proceres magna frequentia, ex Lituanis non nisi Nicolaus Radiuilus Palatinus Vilnensis publico nomine venit. Is in Senatu disserta oratione de vnione siue coniunctione Lituaniæ cum Polonia habita adeo Regis commouit animum, vt se à lachrymis, admiratione ipsius facundiæ captus, vix abstineret. Nec ita multo post Ioannes Megapolitanus Dux captiui frater natu maior aduenit, non tam fratris liberandi causa, quam Archiepiscopam Rigensem à Rege filio suo eiusdem nominis impetrandi gratia. Cuius voti sui forte compos factus fuisset, si misso ad Regem legato suo Bielscum, cum eo rite pactus fuisset. Peractis Varsauiæ comitiis, ineunte vere primum Bielsci, & post Parczouiæ mense Augusto vnionis causa conuentum fuit. Verum Bielsci negotium turbauit arx cælitus tacta, & Ebraimi Strasi Turcici legati aduentus. Parczouiam vero Lituani non accesserunt, patriæ turbulentum statum causati. In his tamen comitiis Ordinum consensu æris alieni in bona regia inferendi trecentorum primum millium, & non multo post ducentorum summam Rex consecutus est potestatem. Post hæc comitia Rex in Lituania nunc Vilnæ, nunc Grodnæ diuersos egit conuentus, & honores ac dignitates, quæ forte vacabant, etiam sibi aduersantibus proceribus contulit. Gubernationem enim Liuoniæ, amoto Curlandiæ Duce, mandarat iterum Ioanni Chodkieuicio, cuius familiæ Radiuiliæ quodammodo erat æmula. Quanquam tantum abfuerat, vt per id Radiuilorum minueretur autoritas, vt etiam Nicolai Radiuili formidabilis iam existeret potentia, qui omnibus viribus Regis conatus in negotio Vnionis seu Coniunctionis impedire perhibebatur. Patruelis vero ipsius cognominis eam

Ibi Nic. Radiuili oratio pathetica.

Ducis Megapol. Varsauiam aduentus.

Conuentus Bielsci & post Parczouiæ,

acta in illis.

Diuersi cōuentus in Lituania.

Gubernatio Liuoniæ Chodkieuicio mandata.

eam adeptus fuerat autoritatem, vt communis tuendæ libertatis acerrimi dicerentur defensores. Qui arce Tauris multo ante expugnata grandes Moscorum copias eo tempore magna cum gloria profligarat.

Cæterum Chodkieuicius in sua illa Liuoniæ administratione non adeo bonam Regi & Reipublicæ nauasse operam fertur, siquidem sęua hyeme Vlā forti Mosci præsidio communitam audacter magis quam circumspecte oppugnās non mediocrem cladem accepit. Quinetiā sub eius gubernatione ob immodicas lagitiones, aut etiam ob Polonorum ac Lituanorum in alienis domibus insolentiam ac petulātiam in peius ruere cœpit, hostium viribus magis magisq; inualescentibus. Ericus n. Sueciæ Rex mente alienatus copias subinde recentes in Liuoniam mittebat, non cogitās interim de fratre captiuo Regis Poloniæ sororio liberando, contra quem adeo Vatiniano odio erat inflammatus, vt per nobilissimas regni sui matronas coniugi eius Catharinæ persuadere fuerit conatus, maritū desereret. Verū illa recusante, eam vel minis adigere tētauit, vel reluctantem Mosco transmissurum est interminatus. Contra quem Rex Polonię Augustus cum Friderico Danię Rege per Franciscum Russecium Castellanum Naclensem, & Nicolaū Graboueciū, quib. post Martinus Cromerus, & Demetrius Solicouius adiunctus fuerat, fœdus icere laborabat. Sed plus spei, quam rei consilia illa habuerūt. Nam Rex Augustus licet sumptus in Liuonia ingentes faceret, defendendo eam à vi hostium, negligebatur tamen eius à Liuonibus potentia.

Suecus copias in Liuoniā mittit.

Contra quē fœdera tentata, sed irrito.

A Grodnensi conuentu in Liuonia habito, Rex sequenti anno, qui fuit supra sesquimillesimum sexagesimus quintus, comitia Lublini edixit, in quibus de diuortio cum Catharina coniuge sorore Maximiliani Cæsaris in Senatu deliberatum fuit, causatus eius sterilitatem, sed magis forte eum repulsa Ducatus Barensis hæreditatis maternæ ad eam rem impulit. Quod idem iam ante apud Pontificem & Cæsarem secreto tentauerat, sed successu irrito. Quam rem cum insolentem in Polonia Iacobus Vehanscius Archiepiscopus Gnesuensis dixisset, mox Nicolaus Volscius Episcopus Vladislauiensis crimen læsæ maiestatis ei obiecit. Quo senex partim perterrefactus, partim rei indignitate motus ad Regis pedes prouolutus, ne vxorem dimitteret, supplex eum rogauit. Verum Archiepiscopi ad Regem oratio passim risu excepta est. Stantibus illis comitiis, rediit Neapoli Adamus Konarscius Episcopus Posnanienſis, cum aliquot aureorum millibus, qui Regi Augusto quotannis ex Hispania nomine census pro pecunia à matre Regina Bona Philippo Hispaniarum Regi mutuo data numerabantur: de Ducatu interim Barensi altum silentium, & desperata eius per legatos videbatur petitio. Quæ repulsa adeo Regem commouit, vt cum illam alia ratione vlcisci nequiret, per diuortium Catharinæ eam vindicandam in animum induxerit. Hæc dum ita fiunt, & Rex Floriani Zebridouii Castellani Lublinensis, qui iisdem diebus obierat, exequias regia præsentia honestasset, nuptiisque Nicolai Zborouii, cui Tencinia nuptum dabatur, interesse dignatus esset, milites stipendia flagitantes magno cum impetu in arcem irruere conantur, Regem ad solutionem vi adacturi. Id cernens Philippus Padnieuius Cracouiensis Episcopus, qui cum Rege è fenestra prospiciebat, illam militum audaciam tormentis maioribus in eos displosis coercendam pronunciauit. Qua re summum odium omnium fere Ordinum in se concitauit.

An. Ch. 1565. Comitia Lublini,

In quib. de diuortio Rex agitat,

Adami Konarscii Regis legatus Neapoli reuersus. 324

Militum tumultus ob stipendia nō soluta.

Parnouia Suecis Polonia erepta.

In Liuonia Parnouia à Suecis ante triennium occupata Germanorum equitum, qui Sueciæ Regi ante militauerant, proditione à Polonis capta est. Ex dimissis enim à Sueco equitibus quidam in oppido remanentes cum cæteris, qui ad Poloniæ Regem & Curlandiæ Ducem transierant, paciscuntur, vt patefacta porta nocte octaua Paschæ oppidum ingrediantur. Equites illi, velut valedicturi, ante discessum amicis conuiuium in domo senatoris portæ vicini, à quo claues illius custodiebantur, vesperi apparant, In quo tum cæteris, tum hospite præcipue somno vinoq; immerso, clauibus portæ potiti, cæteros equites, qui duodecim milliaria pridie confecerant, intromittunt. Qui statim Germanis omnibus, si quieti sint, se parsuros proclamant, Suecos obuios trucidant. Arce, quæ à Suecis adhuc per sesquimensem defendebatur, vna cum machinis bellicis omnibus pridie Pentecostes potiuntur. Moscus hoc Germanorum facto cognito, metuens, ne simili strategemate Derpatum amitteret, Germanos omnes Derpato in Moscouiam abduxit. Parnouienses præsidiarii iam insolentiores ad Reualiæ mænia mense Augusto excurrunt, vbi in querceto vbi vicino castra metati, à Suecis oppressi atque profligati sunt.

Suendhi à Cæsare petitio. Regis Pol. ad Cæsarē legatus de pace cum Transyluano.

Eodē anno Lazarus Suendius summus copiarum Cæsarearum Præfectus exercitū in Scepusium educit: dein à Cæsare contendit, vt suo arbitratu bellum gerere sibi liceret, nec prius semper ad Cæsarem referre cogeretur, quod sæpenumero multæ occasiones rerum gerendarum cunctatione elaberentur. Hoc rerum statu Rex Poloniæ Sigismundus Augustus Oratores ad Cæsarem mittit, qui ostenderent, plurimas ob causas hoc sibi bellū maximopere displicere: cumq; Transyluanus arcta necessitudine sibi sit coniunctus, velle se pro virili anniti, vt ab armis discederet, modo ipse quoq; nil in eum hostile moliretur. Et Cæsar quidē amice respondit: nil tamen de studio belli prosequendi remisit. Et quia Toccaia arx castellū natura ac arte firmissima, commodissimo in Transyluaniā aditu sita, potissimū obiiciebatur: eius oppugnationē Suendius præcipite iam hyeme aggressus est, & quod vnū maxime obfuturum videbatur, hyemis sc. rigor, conatus eius apprime promouit. Tibiscus n. & Bodrogius amnes, quibus arx alluitur, glacie tum congelati stabant. Per eos igitur sine vllo labore traductus miles, ad mœnia vsque oppidi procedit, & per aditus tormentis patefactos irrumpit. Oppido capto, præsidium in arcem interiorem se recepit, sed cum & hæc fortiter oppugnaretur, & Præfectus arcis Franciscus Nemethius glandis ictu occubuisset, deditionem fecit. Inde Suendius Seretschinum vix tentatum eadem felicitate, itemq; Zatmariam ab hostibus metu desertam, nec non Erdodiū occupat, Batara, Caboro, Vibania, & fano S. Andreæ vltro se dedentibus. Transyluanus igitur viribus suis diffisus, à Turca auxilium petit, qui, cū bellum Melitense summo studio vrgeret, legatos ad Maximilianum Cæsarem misit, specie quidem, vt de iniuriis Transyluano clienti suo factis expostularent, & aliquam pacificandi rationem inirent: reuera autem, vt Maximilianus in medio rerum prospere gestarum cursu sisteretur, & Vngarorum animi spe pacis torpescerent. Nihilominus Temesuariæ Præfectum ad quædam castella capienda mittit, vt Iulam postea commodius oppugnare posset. Ad Transyluanum quoq; indies maior Turcarum numerus confluebat, adeo vt breni iustum conficeret exercitum.

Toccaium à Suendio oppugnatur.

Oppidum captum,

cum arce ac reliquis oppidis.

Turcæ legatus ad Cæsarem.

Zigethani clade à Tur

Per eos dies Zigethani infelici omine absente Præfecto Nicolao Zerinio ad præ-

ad prædam egressi, à Turcis inopinato superuenientibus magna clade sunt affecti. Suendius interim totus in eo erat, vt Zatmaria à Turcis relicta & incensa instauraretur. Quem eius conatum impediturі Turcæ cum Transyluanis propinquum quendam locum capiunt, qui eis ad operis impedimentum summe opportunus videbatur. Qua re cognita, Germani summa celeritate hostes adorti sunt, ac securos, quod in opere occupatos eos esse existimassent, subito aduentu oppresserunt, qui partim cæsi, partim præcipiti fuga in flumen proximum delati, ibi submersi sunt. Iam ante Solymannus è rebus contra Melitenses minus prospere gestis summum in Christianos conceperat odium, tum vero his etiam etsi exiguis cladibus magis irritatus, omnes vires ad eos Vngaria expellendos conuertere deliberatum habebat. Suendius itaque cui ad tantam vim sustinendam satis virium non suppeteret, & ipse ad Cæsarem proficiscitur, & noua auxilia petit. Dum abest, Turcæ, vt priorem ignominiam delerent, Erdodium obsident, paulo ante à Germanis expugnatum, verum præsidio non adeo munitum. Haud procul oppido sylua erat, è qua breuissimus patebat in oppidum transitus. In eam Germani trecentos noctu abdunt, & in oppidum clam irrumpere iubent: sed cum id difficile factu esset propter assiduas hostium ibi stationes, tubas & cornua inflant, & quam possunt maximum clamorem tollunt. Eo territi hostes, ingentemque aduentare exercitum suspicati aufugiunt, ipsisque liberum ingressum relinquunt. Hæc virium accessio vt obsessorum animos confirmauit, ita Turcas ad accelerandam, omnique vi vrgendam oppugnationem vehementer incendit. Res itaque summis vtrinq; conatibus per aliquot dies agebatur: & hostes quidem erectis munitionibus plurima damna & incommoda oppidanis inferebant, sed non leuiora ab ipsis accipiebant, donec amissis ducibus gregarii milites ad pericula subeunda segniores facti, hostibus oppidum dediderunt, omnia prius extrema experti. Viennæ interim nihilosecius de pace actum, quam tanto studio vrgebant Turcæ, vt à plerisque serio agere crederentur. Iaurini tum Præfectus erat Eccius Comes Salmensis, cui cum Turcis actio erat suspecta. Quare etiam Cæsarem sæpe monuerat, ne diutius illudi sibi pateretur, sed armis insidiosa hostium consilia anteuerteret. Magna tum ac pene explorata spes Albæ regalis recuperandæ ostendebatur. Ciuium enim nonnulli cum Salmensi datis obsidibus ita pacti fuerant, vt tormenta è propugnaculis subducta corrumperent: Salmensis mane ad portam, dum pecudes pastum agerentur, aduolaret, & irrumperent interim ciues coniurationis conscii, Turcas opprimerent, iisque cæsis in Cæsaris potestatem redirent. Hanc præclaram tanti oppidi capiendi occasionem irritam fecit Cæsaris facilitas, qui id vnice operam dans, vt de pace conuenire posset, Salmensem quiescere, & ab omni iniuria abstinere iussit. Turcæ vero detecta conspiratione quadraginta ciues atrocibus suppliciis affecerunt. Non multo post certis indiciis cognitum, à Turcis pacem feris simulari, domi bellum summa cura parari. Itaque Cæsaris iussu, statim militum delecta habito, castra ad Tibiscum fl. non longe à Zatmaria promota sunt, quos Turcæ circumuenire conati, cognita fraude eorum, ipsi in insidias illecti sunt, multisque cæsis reliqui fuga elapsi fuerunt. Cæterum Viennæ ne sic quidem à pacis tractatione fuit cessatum, cum tamen tam Turcarum, quam Transyluanorum legati vel inuito

eis affecti.

Suendii de Zatmariæ instauran. consilium.

Eiusdem ad Cæsarem profectio. Erdodium à Turcis obsidetur.

De pace Viennæ actā.

Albæ regalis occupandæ spes offensa,

& quo stratagemate.

Cæsare ibi hærerent, & tractationem vrgere, siue eorum, quæ sui molirentur, ignari, siue, quod magis credibile, tempus protrahere cupientes, non desisterent. Inter Transyluanos legatus erat Stephanus Bathoreus, is, qui Zatmariam occupauit. Quare Balassa, cuius ille vxorem & liberos in vinculis habebat, multis precibus à Cæsare contendit, vt tantisper retineretur, donec sibi vxor & liberi restituerentur. Et Cæsar quidem ea de re diligenter cum Bathoreo egit, cum vero nil impetraret, ac Bathoreus diutius manere nollet, eum quamprimum dimisit, Balassæ respondens, Bathoreum legatum esse, qui citra iniuriam retineri inuitus non posset. Cum vero Cæsar non ignoraret, viribus Turcarum Tyranno parem se non esse, ab Imperii Ordinibus Augustam Vindelicorum euocatis, auxilia petit, qui exemptum in duodecim equitum, peditum viginti millia per octo menses, deinde in quatuor equitum millia per biennium & dimidium annum alenda promiserunt. Eodem tempore Carolus Archidux frater Cæsaris Maximiliani Vngarorum conuentus Posonii, Austriacorum Viennæ habebat, in quibus tanta omnium procerum facilitas fuit, vt plerique omnes, si vel Cæsar, vel fratrum eius quispiam bello interfuturus esset, in eam expeditionem profecturos se dicerent. Hoc ipso anno sub Maii decursum in viuis esse desiit Nicolaus Radiuilus Dux, Palatinus Vilnensis, ac magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarius, Regi de paucis charus atque intimus, vir magnus, magnisque opibus & clientelis potens. Hic primus Vilnæ reformatam religionem amplexis professisque in aula sua sacra agere indulsit, ac in interpretes typographosq; decem circiter florenorum millibus insumptis primus Biblia sacra ex Hebraicis Græcisque fontibus vernacula Polonis legenda præbuit. Ei in vtraque dignitate succesit Nicolaus Radiuilus patruelis.

Steph. Bathoreus Transyl. Principis ad Cæsarē legatus.

Maximil. Cæsaris integritas, qui ab Imperio auxilia petit.

Vngarorum conuentus Posonii, & Austriacorum Viennæ.

Nic. Radiuilus mors.

Sequenti anno Prussia Ducalis intestinis exarsit dissensionibus, ab externorum quorundam Principum conspiratione cum nouis quibusdam consultoribus prauis Alberto Duci adhærentibus facta. Cum enim Princeps Albertus ingrauescente iam ætate iudicioque decrescente multa, quæ Prussiæ Ordinibus exitiosa videbantur, permitteret, vt qui aliquot iam annis regeretur versuti hominis Pauli Scalichii consiliis, quem & præmiis ob id amplis donarat, miræ extitere turbæ. Nam veterator ille, quid euenturum esset, mature præsagiens, veteres Consiliarios indigenas Christophorum Kreyczium aulæ Præfectum, Eliam Canicium, Antonium Borckium, & alios qui molitionibus eius obuiam intrepidè ibant, ad Principem iam, vt prouerbio dicitur, iterum puerum perfidiæ insimulatos loco mouit, complices suos homines nouos, Ioannem Snellium, Ioannem Funccium, qui ex concionatore aulico ambitione præposterà ad politica munia obeunda se contulit, & Matthiam Horstium scurrilitate sua in aliquot Principum aulis gratum surrogauit. Hos Principi à consiliis esse iussit tantisper, dum ipse è Gallia, vnde iuniori Duci sponsam esset adducturus, (nam ea vanitate Principis creduli animum impleuerat) rediret, sed reuerà, vt tempestatem imminentem euaderet. Paulo autem antè Ioannes Albertus Megapolitanus Dux Alberti Ducis soceri sui visendi causa in Prussiam aduenerat. Interea Albertus Dux nouorum cõsiliariorum impulsu noua tributa contradicentibus Ordinibus imperat, ac Paulo Vobisséro ducentorum Ioachimicorum millium stipendio promisso

Ann. Chri. 1565. In Prussia Ducali dissensiones intestinæ, Autore P. Scalichio.

Complices eius.

Ducis Megapol. in Prussiam aduentus.

Albertus Dux noua tributa imperat.

misso mille equites in Prussiam adducere iubet, ea lege, vt si tanto tempore pecunia ea non repræsentaretur, Vobissero à Principis subditis per repressalia, vt Iureconsulti loquuntur, eam pecuniæ vim extorquere integrum esset. Vobisserus pro literis illis impetratis tribus Ioachimicorum millibus remuneratus Snellium & Horstium, per quē Dux Megapolitanus apud socerum effecerat, vt testamento ante facto, ac Regis Poloniæ autoritate confirmato, rescisso nouũ conderet: quo de filii tutela ac prouinciæ administratione, aliisq; capitib. à priori testamẽto diuersis sanxit, vtroq; testamẽto Ducis Megapolitani fidei concredito, eodemq; executore statuto. Hæc dum fiunt, Sigismundus Augustus Poloniæ Rex à Christophoro Kreyczio, Elia & Friderico Caniciis, aliisq; quibusdam de his edoctus, ex comitiis Lublinensibus amplissima cum potestate Commissarios Regiomontum, vbi prouinciales conuenerant, mittit. Erant autem hi Ioannes Sluzeuius Palatinus Brestensis, Petrus Zborouius Biecensis, Ioannes Kostha Gedanensis, & Nicolaus Firleius Vislicensis, Castellani. Hi causis commotæ camarinæ, quæ antea latebant, inquisitione diligenti erutis decreti regii capita Prouinciæ Ordinibus sequentia proponunt: Paulus Scalichius è Prussia ac tota Polonia extortis esto: eidem factæ donationes irritæ sunto: Princeps proscriptionem in suo Ducatu promulgari, executionique mandari curato: Principis testamentum nuper conscriptum pro cancellato habetor: vtrumque testamentum à Duce Megapolitano reposcitor, Regique traditor: ius successionis in Prussiæ Ducatu à Principe sene Marchioni Brandeburgico Electori tributum reuocator: Commissarii Regis obligationes omnes, priuilegia, ac debita Principis cognoscunto, æquitateque perspecta quæ seruari debeant, quæ non, declaranto: Veteres Consiliarii à Principe depositi in pristinum restituuntor, nouis à gubernatione remotis: nulla tributa noua posthac Princeps citra subditorum consensum imponito: prouincialium grauamina proximo conuentu proposita, de quibus Princeps nil dum respondit, nunc tandem tolluntor: Controuersiæ inter Principem & Eliam Canicium, qui à Principe proscriptus Commissariis regiis, non petita Principis fide publica, se adiunxerat, arbitri à Principe constituuntor: si recuset Princeps, Commissarii iudices eligunto: Rex Nobilitatis & omnium Prussiæ Ordinum priuilegia ac transactiones suo cum Principe initas tueto ac defendito. Quæ omnia Commissariis præsentibus Princeps exequetur: sin renuat, Commissarii communicato cum Prouinciæ Ordinibus consilio Rempublicam constituant, Prouincialium grauamina tollant, pacem sedatis motibus atque dissensionibus restituant, autoribus earum coercitis. Princeps sumptus non necessarios minuat, & quæcunque ad Prouinciam ex difficultatibus, quibus conflictatur, liberandam, malaque affinia imposterum auerruncanda facere videbuntur, decernat. Ea mandata Commissarii mense Septembri atque Octobri executi, primum totius Prouinciæ nomine criminalem accusationem contra Horstium, Snellium, Steinbachium, ac Funccium, tanquam rerum nouarum molitores, pacisque tum ecclesiasticæ, tum politicæ turbatores instituerunt. Hi à Principe Commissariis traditi, ac quæstionibus subiecti, eorum tres quidem ad mortem damnati sunt, Steinbachio vitæ gratia facta. Confirmata est quoque à Commissariis noua inter Principem & Prussiæ Ordines transactio, cuius capita primaria hæc: vt Episcopæ Sambiensis ac Pomesanensis instau-

Testamentum nouum condit.

A Rege Pol. Commissarii Regiomontum missi,

Qui regii decreti capita Prussiæ Ordinibus proponunt.

Criminalis actio contra Horstium, Funcium itē instituta.

Noua inter Ducem & Ordines transactio, eiusque capita.

instaurantur, ante Pascha adhuc duobus eis Præsulibus idoneis præfectis, qui vna cum octo ex equestri ordine delectis Principis consiliariis, ac totidem ex ciuitatibus iurisdictionem ecclesiasticam integram & quotannis visitandi copiam, ac Synodos particulares instituendi consensus in religione alendi fouendique gratia haberent. Episcoporum delicta ciuilia Princeps cognosceret, ecclesiastica in doctrina vel ritibus ad generalem Synodum reuocarentur. Scholæ atque Ecclesiæ, resque matrimoniales iuris Episcoporum essent: intra annum cum eruditis consilio inito ecclesiasticam ordinationem conscriberent: exulantes ministros Osiandrici dogmatis causa reuocarent: ciuilis administratio vigore priuilegiorum à Principe indultorum conformaretur, adscitis ad illam officiaque publica Nobilibus indigenis, exteris exclusis: Officialium domicilia arci vicina, nonnisi officio durante, incolant, Princeps eos nonnisi ob causas legitimas remoueat: iudicium aulicum quinque ex Nobilibus indigenis, ac tribus Iureconsultis exerceant: in Cancellariam & quæsturæ officium Prutenos alle gat. Exactiones nouas nullas subditis imperet, priuilegiaque ac immunitates illorum sarta tecta præstet: absque Regis Poloniæ Prussiæque Ordinum consensu cum nemine Principum fœdus pangat. Prouincialib. conuentibus indictis, eadem opera propositio in singulas præfecturas mittatur, vt matura deliberatione ante habita ablegati de responso dando cogitare queant: immodicæ vsuræ & largitiones enormes Principis reuocẽtur: sumptus & numerus famulitii aulæ contrahantur: mandatum, quo Scalichii securitati cauetur, ac libelli famosi ab eo editi aboleantur: de pecunia fisco præfecti rationem reddant, ex prouincialibus iudicibus designatis Princeps vnum seligat: ius Culmense & Constitutiones Prouinciæ typis euulget: nulla caupona noua intra vnum ab vrbe milliare citra singulare indultum aperiatur: Priuilegia & iura antiqua Prouinciæ incolarum Princeps adserat, & tueatur, secus si faxit, Ordinibus Prouinciæ liceat citra rebellionis crimen Poloniæ Regis patrocinium implorare, ac pactorum inter regem ac Principem initorum vi protectionem ab eo postulare. Hæc priuilegii noui siue interpolati præcipua fuerunt capita. Haud multo post Episcopatus Sambiensis ac Pomesanensis restituti, atque prouentibus aucti sunt. Ac Pomesanensi quidem Georgius Venetus Nobilis indigena Colberga ex Pomerania, vbi exulabat, Sambiensi vero Ioachimus Morlinus Brunsuico reuocati, præfecti sunt.

Episcopa Sambien. & Pomesanien. restituta.

In Transyluania interim non deerat sibi rebusque suis Ioannes Sigismundus Transyluaniæ Princeps, Regis Sigismundi Augusti sororis filius, qui vbi contra vim se instruxisset, Vngariæ Proceres ac Nobiles ad defectionem solicitabat missis literis, quibus mandato Turcici Tyranni ad fidem obsequiumque sibi præstandum hortabatur, vt fractis patriæ rebus succurrere, & imminentes Tyranni copias obsequio ac fide à se auertere velint. His Suendius contrarium scriptum edit: Cęsarem quidem hactenus nil nisi pacem apud Turcam ac Transyluanum quęsiuisse, sed ea ne fieret, huius potissimum ambitione factum, qui inducias varie violarit: quas contra ipse adeo sancte obseruarit, vt multarum rerum gerendarum occasiones neglexerit. Cæterum etiamsi nullus paci locus relinqueretur, eis tamen haudquaquam verendum, ne à Cæsare negligantur, qui Dei in primis auxilio, tum Germanorum etiam, atque adeo omnium exterorum Principum opibus adiutus, satis vi-

Transyluanus Vngaros ad defectionem solicitat.

Suendius contrarium suadet.

satis virium ad hostiles conatus infringendos sit habiturus. Itaque bono esse nt animo, nilq; de pristina fidelitate ac studio erga Principem suum ac Patriam remitterent. Postremo Cæsaris nomine vniuersis mandabat, vt posthac cum Transyluano nil omnino commercii haberent, nec ad eius conuẽtus quenquam ablegarent, nisi pro contumacibus haberi, grauissimaq; supplicia experiri velint. His vltro citroq; iactatis, cruentum cœptum est geri bellum. Turcæ Ainascum oppidulum absente Prefecto scalis applicatis occuparunt, omnibus ciuibus ac præsidiariis interemtis. Zigetum etiam eadem arte tentarunt, sed à Nicolao Zerinio ita excepti sunt, vt secum in fugam eos, qui in proximis pagis & Quinqueccleſiis morabantur, rapuerint. Sub exitum Maii Cęsar omnibus cum copiis Vienna Iaurinum contendit, cum Turcis marte aperto decertaturus. Verum alia tum Turca consilia agi tabat, qui Belgrado cum septuaginta millibus eodem pene tempore mouit. Ibi Transyluanus ad eum venit cum donis magni precii, actisque humiliter pro præstita sibi ope gratiis in Transyluaniam rediit. Interea eius oppidum non ignobile Hustum Suendius tum oppugnabat, qui audito Turcæ aduentu obsidionem magis magisque vrgebat, sed frustra. E diuerso Bassa seu Prefectus Palottam obsederat, iamque disiectis muris in extremas necessitates præsidium coniecerat. Nec tamen Georgius Thurius arci præfectus vlla vi aut periculo, quanquam grauiter vulneratus, adduci potuit, vt deditionem faceret. Interim duodecim peditum signa Iaurinum, è quibus nongenti cum octoginta curribus lignatum emissi, à Turcis speculatoribus forte sunt conspecti, qui mox magna cum trepidatione ingentis exercitus obsessis subsidio aduentantis nuncios ad suos attulerunt. Hacilli territi, obsidionem soluunt tanta cum festinatione, vt multa è castrensi supellectili impedimentis obsessis reliquerint diripiẽda. Hæc dum fiunt, Eccius Comes Salmensis Vesprimum oppidum successu felici obsedit, & quod non satis munitum esset, nullo negocio cepit. Vnde Georgio Thurio cum præsidio relicto, propere cum suis Iaurinum reuersus. Tatam ibidem Salmensis, prioris oppugnationis successu alacrior factus, aggressus suam in potestatem redegit, præsidiariis omnibus cęsis, exceptis quinquaginta, qui in turrim se abdiderant, inter quos cum nonnulli essent magnę dignitatis, in primis Præfectus Vesprimiensis, à Salmensi ad Cæsarem sunt transmissi. Vlterius deinde progressus Gestero castello Turcarum fuga deserto absque suorum sanguine potitus est. Copiis coactis Cæsar summum belli ducem constituit Ferdinandum fratrem, eique legatum adiungit Comitem Suartzburgium: tormentorum autem, quæ duodecim supra centum erant, curam Paulo Iadarensi demandauit: classem vero, in qua duodecim erant triremes, & triginta naues onerariæ, Rhodiorum equiti vni regendam commisit. Hoc cum exercitu Cæsar Altemburgum, inde Iaurinum perrexit, vbi cum de belli administrandi rationibus consultaretur, Strigonium quidam obsidendum censebant: sed id consilium cum temerarium videretur (siquidem vitari non poterat, quin totis copiis cum hoste decertandum, & in vnius prælii aleam summa rerum coniicienda esset,) obsidio in aliud tempus reiecta.

Ainascum à Turcis occupatum, Zigetum etiam.

Cæsar Viennam Iaurinũ contendit.

Contra Turcam Belgradum mouit.

Hustum à Suendio oppugnatum, A Turcis Palotta,

cuius obsidio soluta.

Vesprimum à Comite Salmensi captum, Tata item,

& Gesterum.

Ferdinandus frater Cæsar. dux exercitus constit.

De bello administrando consilium.

Interea Turcarum Tyrannus quoque ingentibus cum copiis ad Zigetum castra posuit, cui præerat Nicolaus Zerinius Comes, qui vbi

Zigetum à Turcis obsessum.

inpu-

Zigetum à Turcis obsessum.

innumeras Turcarum copias oppido vidit circumfusas, vocatis in arcis interioris aream ciuibus ac militibus, coram iis solenne iusiurandum concipit, quo cum iis victurum moriturumque, ac fidem Deo, & supremo Magistratui datam seruaturum promittit, & idem militiæ sacramentum ab ipsis exigit. Haud mora nouum oppidum, quod contra Turcas defendi amplius non posset, incendi iussit. Inde veteris oppidi mœnia tribus locis simul maioribus tormentis grassata fuerunt. Cum vero oppugnatione plurimos suorum perimi videret Tyrannus, statuit Zerinium spe ampliſſimorum præmiorum ad deditionem inducere. Sagittæ igitur literas alligatas in arcem iniecit, quibus totius Illyrici Præfecturam ac Croatię possessionem Zerinio offerebat, si deditionem faceret. Hac vbi via Tyranno non succesſit, quod sperabat, aliam est aggressus. Habebat in castris suis captum Zerinii filii tibicinem, cuius tubam Tyrannus, è qua pendebant depicta insignia Zerinii filii, & literas in arcem mittit, captumque filium ipsius tubę illius indicio persuadere conatur, & iam tandem tam sui quam filii rationem habere iubet. Verum ne sic quidem Zerinius infringi potuit, sed salutem & suam & filii patriæ saluti postposuit: Postea oratione grauissima præsidiarium militem ad virtutem & fidem seruandam animauit, vtque vel suo filiique casu exstimulati hostium immanitatem vltum irent, exemplo maiorum non vno proposito hortatus est. Tentata est post omnibus viribus à Turcis oppidi oppugnatio, cuius muros Ianiczari subeunt, prælium que atrox cum obsessis miscent, qui tandem viribus & spiritu deficientibus cedere, inque arcem se recipere compulsi sunt. Iam altero etiam oppido potiti Turcæ, sola arx oppugnanda restabat, quam tamen semel atque iterum infeliciter tentarunt. Ea etiam bipartita erat, ita tamen, vt pars interior iisdem munitionibus fuerit inclusa. Cum igitur exterius propugnaculum præcipuum igne suppositio Turcæ incendissent, & flamma vento acta late grassaretur, Turcæ etiam vndique irruerent: Zerinius cum iis, qui superarant, in partem interiorem sese inclusit, omnia ibi vltima experturus. Postremo obsessi, flamma totam arcem corripiente, per medios hostes erumpere, pulchroque certamine honestissimam mortem subire. Vnica pars, qua arx oppido ponte satis longo iungitur, ab igne erat immunis, quam tamen infinita Turcarum multitudo insederat. Quocirca ignis violentia, suorumque paucitate coactus Zerinius in hostes confertissimos cum suis erupit, vtg neroſe pugnando caderet potius, quam flammis absumeretur. Quare militum in portam, qua pons in oppidum ducit, aduocata concione iterum eos ad fortiter intrepideque pugnandum pro patriæ salute adhortabatur. Interea autem inualescente incendio cubicularium vestem holosericam violacei coloris, aliaque id genus, quibus in festiuitatibus vti solent, adferre, ducentos simul aureos promere iussit, eius, qui se interfecto potitus esset, sepulturæ præmium. Tum claues arcis ab eodem allatas in sinum condit: & has, inquit, à Cæsare mihi creditas nemo viuo eripiet. Arma cum adferrentur, quibus corpus muniret, recusauit, nil illis sibi opus esse dicens, nil aliud petenti, quam pulcram per vulnera mortem: è gladiorum vero numero, cum omnium aciē explorasset, acutissimum sibi deligit, hæc arma sufficere ei inquiens, qui expeditius pugnare, quam diutius cum morte certa luctari malet. Sic gladium dextra tenens, è conclaui suo proripuit, atq; post se parmam

Turca Zerinium ad defectionem pellicit.

Zigetum opp. à Turcis tentatum.

Zerinius ad extrema paratus.

seu

seu clypeum rotundum gestari mandat: cumque in arcam arcis interiorem venisset, omnes ibi milites in procinctu præstolantes offendit, qui armati strictis gladiis ducem suum operiebantur, cum eo ad certissimam mortem profecturi. Vexillo inaurato Laurentio Iuranitio tradito, qui sibi id præferret, Iesuque nomine ter inclamato, portas reserari iubet, ac machinas in hostes exonerari, cuius fumo conspectum hosti adimente defensus stricto gladio exigua cum parma ante suos exit, per confertissimos hostium ordines ferro obuia quæque sternēs, in ponte terribile spectaculum sui edit. Ibi enim circūfusus ab hostibus, ac telorum multitudine obrutus, tandem gemino globo traiectus concidit. Mortuo caput amputatum, triumphi speciē per castra circumlatum, post holoserico inuolutum ad Cæsarem missum est, ad cuius patrem Ferdinandum ante triginta annos idem Zerinius attulerat serico inuolutum caput Catianeri à se obtruncati. Cæterum Zigethi expugnationem Solymannus non vidit, triduo ante Quinqueccles is extinctus.

Eiusd conflictus acerbitas.

Dum Zigethum obsideretur, Solymannus Berthauo Bassæ Iulæ oppugnandæ negotium dedit cum Transyluanorum, Moldauorum, & Tartarorum auxiliis. Eius loci præfectum agebat tum Ladislaus Kereczinius, qui in pari necessitate minime pari cum Zerinio vsus est fortitudine, Initio Berthauus lente omnia agit: consilia obsessorū explorat, vt amne permultos riuulos sparso & auerso in sicco oppidum destituatur, machinis accuratt. Id vbi succesſit, amnem traiicit, & ad vallum vsque & fossas militem adducit, & tormentis propugnacula ita infestat, vt iam tum animi militum labascere inciperent. Quinto obsidionis die, cum sese obsessi impares & peerpetuis laboribus defatigati quererentur, oppidum incendunt, & in spaciosam admodum satisque munitam arcem à meridionali plaga oppido oppositam se recipiunt, indeque magna vagere, Turcisque insultare occipiunt. Quos tamen spes deditionis facta animabat, certos, non diuturnam fore pertinaciam, si consilia, quæ tum cum Præfecto agitabantur, euentum sortirentur. Is clanculum subornat, qui periculi magnitudinem exaggerantes, falsis rumoribus de Zigetho occupato militum animos frangerent, criminarenturque, nunquam vllis obsessis hactenus à Germnis latam opem: Suendio cum Transyluano & Tartaris dimicationem futuram: Cæsarem ad Iaurinum castris motis magno in periculo fore: Turcas bonis conditionibus vltro pacem offerre: aquæ iam subductam commoditatem. Hæc clam ita iactata: palam vero, vt omnis perfidiæ suspicio cordatioribus eximeretur, leges ad speciem voce præconis promulgantur, ne scilicet clandestina cum hostibus colloquia haberentur: ne literæ per sagittas aut alia quauis arte in arcem immissę aperirentur, vel recitarentur: ne denique quisquam vllam deditionis iniiceret mentionem, capitis pœna, qui contra ausi, constituta. Nec tamen Kereczinius cum complicibus animum ita tegere potuerunt, quin multa indicia suæ quotidie darent inconstantiæ, palam ægre ferentibus nonnullis Præfectis, qui fraudem iampridem subolfecerant, cæterosque ad immotam animi fortitudinem confirmabant. Quapropter quamuis Iula firmo equitum & peditum veteranorum præsidio munita, omnibusque ad obsidionem tolerandam necessariis abunde esset instructa, ne milites sibi quicquam metuendum putarent, quod penetrali integra arce ab omni vi tutos adhuc se scirent, falsis tamen quorundam rationibus

Iulæ eod. tẽpore à Turcis oppugnata.

Eius præfectus.

Ladisl Kereczinius.

sed malasi de.

328

Quæ dicta.

tionibus induci se passi sunt, vt in minorem arcem quadragularem cœctis lateribus ad ornatum magis, quam vim constructam confugerent, in eius loci defensione spem salutis omnem ponerent. Quæres suspicionem paulo sagacioribus auxit: nec minus digressus frequentes, & clandestini commeatus displicebant, itemque aliquot dierum admissa à vi cessatio. Per eos dies schedulam in castra hostium emissam deprehensam, in qua de deditione perscriptum erat. Id cum lege lata capitale esset, concurrunt præsidiarii, eius autorem inquirendum, nec vlli parcendum clamant. Adest mox Præfectus, factum illud de schedula excusans, habere se in hostium castris exploratorem suum, quem ad colloquium necessarium, & quod ad ipsorum quoque salutem pertineret, acciuerit, non vero vllo dolo id à se factum. Vt vero omnib. se purgaret, per præconem decretum illud iterari curat: quicunq; deditionis vel temere mentionem fecisset, virgis cæsum cæteris ad terrorem suspensum iri. His aliisq; cõmentis eluso militum vulgo, cautiores nihilominus inter se mussitabant, omniaq; tam intus, quam foris suspecta habebãt, tum vt cæteros à nefariis eiusmodi cõsiliis auerterent, capita vitamq; suam pro patria & Rege publice cunctis audientibus deuouebant. Paulo post disseminantur voculæ, venire Christophorum Bathoreum, Berthauum Bassam omnia benigne polliceri, integram saluamq; Iulam conseruandam, dimittẽdumq; præsidium conditionibus, quib. velint, satis sanguinis iam fusum, ac honori, & famæ luculente satisfactum: Temesuari etiam Præfectum ceu sequestrum se interponere, & datis obsidib. cum cæteris liberaliter agere paratum. His promissis cum plerorumq; animi deliniti essent, tandem in deditionem, paucis frustra reclamantibus, cõsensum. Eius mox leges à Turca præscribuntur, mittuntur Kereczinio, aliisq; purpuræ & dona, obsides dantur, quo ad per Bathoreum omnia essent definita. Ita arce dedita, præsidiũ secundo die Septembris, quinto vero ante Zigethi expugnationem excedere iubentur. Sed fides eis non seruata. Vix enim quarto lapide ab oppido progressos Turcæ ex insidiis prorumpentes inuadunt, & trucidant, præter paucos, quibus propinquus locus arundinibus frequens tutas latebras præbuit. Kereczinius deinde Constantinopolim abductus, finem vitæ miserrimum & proditione sua dignum habuit. Cum enim multi apud Selymum Turcarum Tyrannum conquererentur, se grauissimis persæpe iniuriis & contumeliis eius iussu affectos, & quod hos nasis, illos auribus, quosdam vero labiis oris, alios vero aliis membris inhumaniter mutilasset: vehementer Tyrannus commotus, militum libidini miserum hominẽ permittit, qui eum statim dolio clauis acutis perforato includunt, quo è montis fastigio per decliuia præcipitato, miserabiles inter cruciatus miserum in modum tandem expirauit, exemplo omnibus proposito, ne Turcicis promissis fidem adhiberent.

Iula tãdem dedita.

Dedititiis fides non seruata.

Rarfidia punita insigne exemplum in Kereczinio.

Dum ita Turcæ Zigetho & Iula oppugnandis occupantur, tertius eorum exercitus ad castra Cæsaris prope Iaurinum infestanda, Cæsarianosque crebris velitationibus ad prælium lacessendum missus fuit. Ex eorum numero cum quidam forte castris propiores facti, excubias aliquãto negligentius, quam in tanta hostis vicinitate par erat, seruari deprehendissent, suis nunciant, commode contra hostem rem geri posse. De communi igitur consilio delecti ex vniuersis copiis, qui fortunam tentarent, eisque Mahometes Bassa Albanus præesse iussus. Ita ergo in Christianos illati, plerosque in fugam egerunt, & aliquot, qui pabulatum excirant,

Turcarum excursiones ubbi facta.

interceperunt. Orto in castris tumultu, Vngari, Burgundi, ac reliqui continuo in equos insiliunt, eademque, qua venerant, Turcas celeritate repellunt, vtrinque paucis desideratis.

Sequentibus mensibus duobus Tartari cum Turcarum validissimo exercitu adiuncti, non solum per Vngariam, sed etiam Transyluaniam inaudita crudelitate, nullo sexus & ætatis discrimine habito, grassabantur. Nam etsi Turca Vngaria excesserat, Transyluanus tamen, ne nihil ageret, fretus Berthaui auxiliaribus copiis bellum prosequebatur, & Toccaium superiori anno à Suendio occupatum, recuperare statuit, iamqae Toccaium maximas im angustias redegerat, cum trepidus nuncius ad eum venit, ditionem suam à decem Tartarorum millibus, quos Selymus defendendi eum causa cum Turcis ac Valachis reliquerat, igne ferroq; deuastari. Vnde ipse obsidione relicta primũ per legatos monet, vt illinc discederent, & ab iniuria ac maleficio abstinerent. Quod cum facere recusarent, ipse cum suis palantes & incautos ad ortus ad sex millia trucidat. Tartari itaq; Turcis adiũctis cladẽ hãc vlturi, ipsũ Varadinũ vsq; cõpellunt, & inclusum ibidem obsedissent, si à machinis belli is instructi fuissẽt. Verũ Transyluanus noctis beneficio elapsus, quanta poterat celeritate, copias contrahit, & iterũ eos aggressus, multa millia ex illis partim cecidit, partim cepit, magnũq; captiuorũ numerũ, quos Turcę in seruitutẽ abducebãt, recepit. Post hãc stragem reliqui cum Turais ac Valachis Russiã Podoliãq; omni sęuitię genere deuastãtes, cũ Nicolaũ Sieniauiũ Russiæ Palatinũ in arce Miedribozẽsi obsidere molirẽtur, ab ipso validis copiis erũpẽte, ad vnũ oẽs. 12. tormẽtis bellicis amissis, internecione deleti fuere.

Tartari cũ Turcis Vngariam Trãsyluaniãq; vastantes.

à Transyluano trucidati.

Iterata clades eorum.

Ineunte inde anno proximo Suendius arcem Zaduarum nulla re necessaria præterquam milite destitutum occupauit. Ea ante parebat Georgio Bebeckio, qui belli inter Cæsarem & Trãsyluanum fax fuerat. Is obsessum se è videns, clãm inde aufugerat, præsidiarii paucitate diffisi, vitã & supellectilẽ pacti sese & arcem Suendio dediderunt. Vxor profugi illic deprehensa, cum mundo muliebri dimissa est. Post hæc pari felicitate Muncatiũ oppidũ subegit, auxiliis & cõmeatib. omnib. quos Transyluanus ad obsessos miserat, interceptis. E diuerso Turcæ Dedesium oppidũ Gabrielis Perenii ditioni subiectum in suam potestatẽ redegerũt, præsidio noctu per occultos tramites elapso: indeq; ad Agriam vsq; populabundi excurrerunt. Suendio itidem Huistam iterum irrito euentu oppugnante Transyluanus Couaram imperio suo, itemque aliud huic vicinum oppidum adiecit. Ad Zatmariam etiam Germani & Transyluani, orta ob decimarum ius altercatione, manus cõseruere, qua in pugna Germani superiores fuerunt. Non procul ab Iula quoq; ingens Turcarũ numerus indies cõfluebat, quæ sane res haud exiguã futuri belli suspicionẽ multis præbebat, idq; tãto magis, q̃ legatus Cæsareus pacis tractãdę causa Constantinopolim missus certo renunciaret, Selymũ nouas ibi copias parare, quas breui in Vngariã esset missurus. Is tamẽ postea certior factus, Cæsarẽ breui oratores amplissimis cũ mãdatis de pace missurũ, eorũ aduẽtũ exspectare proposuit. Legati fuere Anton. Verãtius Agriẽsis Episcopus, qui ante per quinquẽniũ apud Turcarũ Tyrannũ oratoris munere functus erat, & Christophorus Tiffenbachius. Hi splendido cum comitatu Vienna profecti, sub exitum Iunii iter Constantinop. sunt ingressi, munera secũ preciosa deferẽtes. Vbi Comarũ ventũ, præsto eis fuit à Turcarũ Imperatore missus Constantinopolitanus quidam, qui dux esset itineris, illisq; saluũ

An. Ch. 1567. Zaduarum à Suendio captum.

Dedesium à Turcis in potestatem reductum.

Couara à Transyluane occupata

Legatio Cæsaris ad Turcam de pace

præstaret commeatum. Ad ipsos quoque limites nonnulli ex præcipuis obuiam eis progressi, comiter susceptos Budam vsque deduxerunt. Eius loci Præfectum cum compellassent, muneribusque affecissent, Constantinopolim contenderunt, eoque vndecimo calendas Septembris peruenerunt. Paulo post salutatis purpuratis, à quibus multa humanitate sunt excepti, & communi mensę in regia domo abhibiti. Tandem ad Selymum introducti sunt, medii inter binos purpuratos, qui muneribus exhibitis mandata paucis coram exposuere. Postridie purpuratos adierunt, ad quos Selymus omnem eius rei tractationem reiecerat, cum iis de rebus omnibus sunt collocuti, Selymus interim Adrianopolim profectus, eo legatos subsequi iussit, atque ibi cum iisdem de pace eiusque conditionibus transactum. Ea inita, denuo Selymum conuenerunt, manusque, vti antea, exosculati abeundi facultate impetrata perhumaniter sunt dimissi. Eis comitem se Ibraimus Selymi ad Maximilianum Cæsarem orator futurus adiunxerat, cum quo Viennam pridie calendas Iunii anni sequentis peruenerunt. Erant autem induciæ ad octennium pactæ his conditionibus: vt quisque acquisita retineret: pace etiam Transyluanus comprehenderetur: agricolæ limitanei, qui censum hactenus Turcis & Cæsarianis numerare consueuerant, solis Turcis in posterum soluerent, eisque operas deberent. Causa, quæ Tyrannum ad pacem magno Vngariæ, imo totius Christianę Reipublicæ bono ineundam cum Cæsare impulit, præcipua fuit: quod omnis fere Arabia & populi finitimi deficere ab eo cœperant. Ad quos motus comprimendos magnam classem paulò ante omnibus rebus instructissimam in Syriam miserat, omniumque earum regionum Præfectis seuere iniunxerat, vt exortos tumultus quacunque ratione cohiberent, omniaque in pristinum statum reducerent.

Legatorum Cæsar. cum Turcico reditus.

Inducia Cæsari cũ Turca pactæ.

Petricouiæ post insequenti anno comitia celebrata sunt magna cum Ordinum omnium frequentia, vbi executio legum, & maxime earum, quæ de occupatione bonorum regalium sancitæ sunt, ad finem perducta est. Missi itaque sunt reuisores, & postea lustratores per vniuersas regni prouincias, qui iureiurando obstricti cogebantur omnia fideliter oculis perlustrare, perlustrataq; Regi deferre: delata autem Rex autoritate suam omniumque Ordinum executioni mandauit. Ibidem etiam quarta redituum omnium regiorum pars fisco Reipublicæ est illata, & Episcopales quas vocant, annatæ, siue reditus Episcoparum vacantium eidem destinatæ, vt inde exercitus ad defendendas prouincias Russiæ, aut aliam quamuis ob causam, necessitate flagitante aleretur.

An. Ch. 1568. Comitia Petricouia. Executio legum ad finẽ perducta. Quarta redituum regiorũ pars fisco illata & Annatæ

Ab his comitiis Rex in Lituaniam tandem reuersus, ex Polonis & Lituanis quibusque florentissimis stipendio conductis, exercitum ad Radoscouiciam duxit ipse in expeditionem. Toti autem exercitui à Rege tum præfectus erat Stanislaus Zamoiscius, postea Castellanus Chelmensis, vir à rei militaris scientia commendatus. Cæterum ea expeditio in autumnum longius protracta, cum ibi non tam fortibus facinoribus, quam commessationibus perpetuis vacaretur, sic in irritum abiit, vt adeo Moscus quibusdam suorum capitibus abscissis, & in castra regia missis Regi insultarer. Eiusdem mense Septembri Romanus Sangusko Lituanicarum capitum Præfectus Vlam & Susam arces Mosci munitas infestauit, ac tandem occupauit, sæpiusque eorum copias ingentes parua manu fudit. Eo ipso anno vicesima

Rex ad Radoscouiciã exercitum ducit, sed sine effectu.

Vla & Susa Mosci munitiones à Sãgusione occupata.

Martii moritur Albertus Marchio Brandeburgicus, primus in Prussia Dux, cum annos quinquaginta sex Prussiæ Ducatum rexisset, in arce Tapiau, natus anno millesimo quadringentesimo nonagesimo mense Maio. Quem paucis horis post coniunx ipsius Anna Maria filia Ducis Brunsuicensis Etici subsecuta est, relicto vnico filio Alberto Friderico quindecim annorum adolescente, qui in gubernatione patri successit. Missi ad funus cohonestandum à Rege Ioannes Kostka Castellanus Gedanensis, & Ioannes Dernnetrius Solicouius Regis Secretarius, qui sequenti die testamentum Ducis defuncti regio nomine resignarunt. Ducique iuniori ac Consiliariis eius trtradidere, quod postea Regis assensu roboratum.

Albertus Brandeb. Prussiæ Dux primus moritur, quem coniunx horis aliquot post subs. quitur

Subsecuto vero anno Lublini comitia habita, in quibus vnio seu coniunctio Lituaniæ cum Polonia felicius, quam vnquam antea, diu multumque tentata finem optatum adepta est. Reclamabant quidem huic rei nonnulli ex proceribus Lituaniæ, vtque præsentia sua id non confirmarent, insalutato Rege discesserunt. Verum absentia illorum non obstante, Rex in conscientiæ foro non prius se liberum fore dixit, nisi ea, quæ maiores sui sanctius solennius promiserant, iureiurando confirmauerant, reipsa præstaret. Itaque Rex antiquæ postulationi & pactioni satisfaciens, quasdam Lituanorum prouincias ad Poloniam spectantes, à Casimiro auo aliisque Principibus auersas, Poloniæ adiunxit, vniuit, vel, vt loquuntur, incorporauit. Inn his comitiis Albertus Fridericus Prussiæ Dux adolescens feudum & insignia Ducatus Prussiæ à Rege Augusto solenni ceremonia accepit, petentibus simul coniunctim Ducatus Prussiæ collationem seu inuestituram per legatos Marchione Georgio Friderico Anspacensi, Alberti Friderici patruele, & Ioachino secundo Electore Brandeburgico sobrino. Quod feudum Rex Augustus cum Alberto Friderico, tum quoque Georgio Friderico patrueli ipsius gratiose concessit. Electorem quoque Brandeburgicum, cui superioribus annis beneficio nouo ius feudi simultaneum in Ducatu Prussiæ ex singulari gratia fuerat indultum, Rex quidem etiam per oratores eius præsentes admisit, ea tamen conditione, ne quid per homagiũ à subditis Ducatus Prussiæ præpostere acceptum, cuius rescissionem à Cõmissariis regiis superiori tempore factam Rex confirmat, ratamque habet, suæ maiestatis iuribus derogetur: de quo Rex & regni Ordines etiam protestantur. Tradidit deinde Ioannes Firleius Palatinus Cracouiensis, & supremus regni Mareschallus Duci Prussiæ vsitato more vexillum, cuius anteriorem extremitatem Marchionis Anspacensis, posteriorem Electoris Brandeburgici oratores attigerunt. Iureiurando præstito, Rex manu sua torquem aureum collo in clientelam recepti Principis appendit, eumque ad sinistram considere iussit, donec equitibus aliquot leuiter percussis rursus in genua Dux cum cæteris oratotibus accidit, gratiisque solenniter actis, & Rege, & senatoribus assidentibus reuerenter salutatis, prælato vexillo in hospitium rediit. De religione Augustanæ confessionis, & appellatione ex Ducatu Prussiæ ad tribunal regium, de qua multos ante annos inter Regem & Ducem disceptatum fuerat, & qua petulantiam ac contumaciam subditorum aduersus se non confirmandam Dux Prussiæ iudicabat, peculiari diplomate Duci Rex cauit, quibus & Ducem ipsum, & omnes illius subditos se in doctrina religionis Augustanæ confessionis clementer conseruaturum, pro se ac successoribus suis pollicetur. Deinde de appellatione ad tribunal regium

An. Ch. 1569. Comitia Lublini, in quibus vnio perfecta.

Albertus Pruss. Dux filius feudũ à Rege accipit, cũ agnatis.

Cui Rex de priuilegiis cauet.

gium ſancit, ne ſuperſtite hoc Principe quiſquã Nobiliũ ad Regẽ prouocet, niſi iniuſta ac notoria violẽtia ab ipſo Principe enormiter læſus, & niſi iuſtitię adminiſtratio ipſi denegata fuerit: vel in priuatis litibus pro reuiſione actorum ſupplicans, aut ad iudicium Parium curiæ prouocans, etiam plebeius, non admittatur. Quibus ex animi ſententia confectis, nouus Pruſſiæ Dux in Pruſſiam rediit. Ad hæc comitia citatus fuit à Rege Nobilis quidam Mikolaieuius ob cędem Ioannis Lutomirſcii Caſtellani Siradienſis, & Theſaurarii regni ſupremi, qui exiſtimationem nominis atq; familiæ ſuæ vitæ anteferens, Lublini ſe ſtitit ad cauſam dicendam, ibiq; integra fama boniſq; ſaluis ob hoc facinus ex Regis decreto capitali ſupplicio culpã expiauit. Aduenerat etiam huc à Selymo Turcarum Imperatore Straſſus gente Polonus, à Turcis poſt Imbraimus cognominatus, vt non tam oratorem, quam exploratorem in patria agens, Turcis per deſerta & campeſtria loca Podoliæ Moſcouiam contendentibus, à Rege & Senatu facultatem impetraret. Tranſitu eis à Rege denegato, profectus eſt exercitus Turcicus Kazanum & Aſtracanum verſus per longas & deſertas itinerum ambages, Andrea Tatanouio Regis aulico vbiq; præſente. Periere ex illis ob victus & aquæ inopiam, & locorum incommoditatem ad triginta hominum millia cum equis, quorum pars fame morbiſq; confecta reb. penitus infectis reuerſa eſt. In his comitiis ordo Senatus regni cõſtitutus eſt, nõnihil ab antiquo mutatus, poſteaquã Lituani cum Polonis ſe coniunxere, & in vnum Reipub. corpus coaluere. Qui tamen ordo non tã accurate in conſeſſu, quã in dicendis ſententiis, ac ferendis ſuffragiis ſeruatur. Ad extremum Chriſtophorus Dux Megapolitanus, qui in caſtro Rauẽſi per ſexennium detentus erat, partim ob cauſam ſupra indicatam, partim ob Stanislaũ Vanſſouicium militum præfectũ & aulicum regium ab eo pugione transfixum ægre admodum liberatus eſt, In Pruſſia inteſtini quidam motus Gedani inter Senatum & populum enati ſunt. Cum enim ex ciuib. quidã aduerſus Senatum querelas ad Regem detuliſſent, & à paucis ex Magiſtratu publicos ciuitatis reditus & opes in priuatos vſus cõuerti, ac pro lubitu omnia in Republica adminiſtrari, & ciues occultis Senatorum odiis obnoxios in iudiciis præter fas & ius vexari atq; oppreſſi falſo diſſeminaſſet. Rex Commiſſarios ablegat in vrbem, qui Ciuitatis ſtatum ac bonorũ publicorum adminiſtrationem cognoſcant, emendẽtq;. Erant autẽ hi: Stanislaus Karckouius Epiſcopus Vladislauienſis, Ioan. Sierakouius Palatinus Lenczicienſis, Ioan. Koſtka Gedanenſis, Nicolaus Firleius Vislicienſis, Simon Subſcius Inouladislauiẽſis, Caſtellani. Quorum aduẽtu audito cum ciues quidã turbulenti, iam ante Senatui infeſti, inſolentius agerent, & voculas minitabũdas aduerſus quoſdam in magiſtratu emitterẽt: Senatus de vulgi motu ac Cõmiſſariorum mandatis ampliſſimis, nimiã libertatem ipſorũ refrenaturis, edoctus: obuiam illis mittit, & capita certa ab illis ſtipulatur, priuſquã in vrbẽ accedant. Commiſſarii vero ſe vrbe excludi indigne ferentes receſſerũt, & apud Regẽ de iniuria illa & crimine læſæ maieſtatis, quod in vrbẽ Regi ſubiectam intromiſſi non eſſent, grauiter queſti ſunt. Rex ira exacerbatus, extrema quęq; ciuitati minatur, nec placari initio vllis exculationib. potuit. Admiſſi poſt in vrbẽ Cõmiſſarii oĩm, qui ſe læſos iniuſtis Senatus ac iudicũ ſententiis videri volebant, querimonias audiuerunt: à Conſulib. & Senatu rationes adminiſtratarũ pecuniarum publicarũ flagitarunt: quibuſdã opificũ collegiis, vtpote laniis, ac cereuiſiæ coctoribinuſi-

Mikolaieuius decapitatur ob cædem Lutomirſcii.

Legatus Turcicus ad Regem.

Ordo regni Senatus conſtitutus.

Chriſtoph. Dux Megapol. cuſtodia liberatus.

Gedanen. motus inteſtini,

ad quos ſedandos Cõmiſſarii miſſi,

ſed non admiſſi.

Inde Rex exacerbatus.

Poſt admiſſi.

inuſitata & ampla priuilegia iuraq; Regis nomine cõcedũt: cõtractib. cũ Senatu antea ab illis initis, abrogatis. Portoriũ, q̃ ab vrbis initio ſolus Senatus ad portus maritimi & Viſtulæ aggerũ munitionẽ, aliaq; ædificia publica deſtinarat, geminandũ, ac de ſingulis marcis bonorũ importãdorũ exportãdorumq; quaternos numeros denumerandos eſſe decernunt, quorum dimidia pars ciuitatis fiſco, altera Regi deinceps ſolueretur. Atq; hanc vnicam eſſe Regis placandi, priſtinamq; ab eo gratiam obtinendi viam confirmant. Conſtitutiones etiã de Reipublicæ ſtatu, de iuriſdictione, de dominio & vſu maris, aliiſq; reb. ſanciunt, quas ſuis libertatibus ac priuilegiis multipliciter aduerſari Senatus querebatur, & tamen placationis literas, in quib. prætermille auri pondo portorii dimidiam partem Regi addicebat, hac ſpe Commiſſariis tradidit, quod Sigiſmundo tantum Regi ſuperſtiti, non regno aut ſucceſſoribus vectigal iſtud pendẽdum iudicaret: & viciſſim Commiſſarii piratarũ, & aliorũ omniũ, quæ contra priuilegia irrepſerant, abrogationem repromitterent. Quas quidẽ cõditiones diſerte literis Conciliationis includerre Senatus cupiebat. Sed à Commiſſariis, qui indigniſſime Regẽ laturum aiebant, ſi non putã & ſimplicem, ſed conditionibus adſtrictam placationẽ effidcerent, perſuaſi, per modũ ſupplicationis illa quæſiuerunt. Poſtea Cõmiſſarii in regni Senatu de actionibus ſuis referentes, literas illas placationis ac portorii medietatem Regi perpetuo ex vrbe ſoluendam publico decreto cõmuniri curant. Cumq; priuilegium à Rege Caſimiro Pruteni haberent, quo cauſas eorum maioris momenti adhibito Pruſſiæ Ordinum conſilio nuſquam alibi, quam in Pruſſia per Regem, aut eius legatum cognoſcendas & diecidendas ſtatuitur, tum nouo decreto Gedanẽſium & aliorum Pruſſię Ordinum cauſæ notabiles ad iudicium Senatus regni in Poloniam deuolutæ ſunt. Cum antea Pruteni αὐτονομίαν ſiue ius proprium retinentes, Regem ſolum, ſupremum regni caput, cuius ipſi non ſecus ac Poloni & Lituani libera membra eſſent, dominum profiterentur: quo deliberationes de controuerſiis Prutenorum grauioribus, de contributionibus in Pruſſia colligendis, & ſimiles non in Senatu regni, ſed adhibitis Pruſſię Ordinibus ac ſtatibus ſanciebat. Hæ Commiſſariorum actiones in tertium fere annum protractæ ſunt. Interea piratæ Poloni, receptum in portu Gedanenſi habentes, auſpiciis Regis Auguſti bellum cum Sueco & Moſco gerentis naues Neruam & Reualiam, quam Sueci tenebant, petentes occupare iuſſi, Danicas etiam naues ſubinde infeſtant & ditipiunt. Quam iniuriam vt Daniæ Rex vlciſceretur, Gedanenſium naues in regni ſui portibus ac ſtationibus viciſſim attinet, ac nauigationem Gedanenſibus liberam per freti Danici fauces denegat. Quamuis vero Cõmiſſarii indemnitatem Gedanenſibus piratarum cauſa nomine Regis promiſiſſent, & miſſis in Daniam legationibus naues repetitæ, actandem in Saxoniæ ac Brandeburgicum Electores compromiſſum eſſet, tamen vita decedente paulo poſt Rege Signiſmundo Auguſto, cum omnia prolatarentur, Gedanenſes vt liberam nauigationem in Belgium, Galliam, Hiſpaniam, Angliam, quæ regna niſi per fauces maris Danici nauibus accedi non poterant, haberent: ipſi nulla regni Senatus autoritate interpoſita cum Daniæ Rege tranſigunt, ac depenſis centum Ioachimicorum millibus naues ac metces interuerſas vna cum libera nauigationis commerciorum que facultate recipiunt.

Ab his Lublinenſibus comitis, quæ annum fere integrum magno cumſum-

Ciuitatis ſtatum reformant, & Placationis viã monſtrãt

Commiſſarii de actionibus in regni Senatu referunt.

Pirata Poloni naues Danicas infeſtant.

Dania Rex Gedanẽ naues detinet.

331

Geodanẽſium Rege Daniæ tranſactio.

sumptuum impendio produxit Rex, cogitasse dicitur de itinere Vratislauiam ad Maximilianum Cæsarem suscipiendo. Quod Regis consilium diu occultatum fuit: quam ad rem magis eum incitarunt legati Cæsarei, Guilhelmus Prussinouius Episcopus Olomucensis, & Ioannes Malczanus Baro Silesius ad comitia missi. Quod tamen abeundi Vratislauiam desiderium paulatim deferbuit, Malczano subito morbo extincto. Causa vero illius conuentus Vratislauiensis cum Cęsare magis dicis causa fuisse fertur, & vt Rex suos sumptibus exhauriendo, postea egentes haberet, obsequentiores. Hoc eodem adhuc anno ad Moscum ablegati Ioannes Krotossius Palatinus Inouladislauiensis, Raphael Leszcinius Præfectus Radeiouiensis, Ioannes Taluossius Samogitiæ Castellanus, & Andreas Iranouicius Regis Secretarius inhumanius ab illo fuerunt habiti: qui ostentatione Polonicarum opum ad inuidiam accensus, nulla iuris gentium habita ratione, quorundam Polonorum equos Thracios nimium exornatos dissecari mandarat. Quo barbarico facto Rex Augustus merito fuit admodum ira accensus. Eam ob rem Rex cum intellexisset ex Georgio Pruskouio Cæsareo Camerario, Cæsarem Vratislauiam venire minime posse, Varsauiæ comitia indixit, multis rebus, de quibus in iis actum, memoranda. Causas vero Vratislauiensis illius conuentus dissoluti Pruskouius Regi has indicauit, quod metueret Cæsar, ne Turcæ, alias suspicionibus nimis indulgentes, contra se aliquid clam tentari putent. Neque etiam Vngari inde occasione arrepta nouare aliquid auderēt. Demum Polonorum de domo Austriaca suspiciones varię, in quem, si Regi ipsorum Vratislauiæ al quid humani us accidisset, omnem eius rei culpam essent coniecturi. Varsauiam cum ordines conuenissent, cœptum agi de disquirendis, & in ordinem redigendis priuilegiis, ac veteribus Reipubl. monumentis, ex occasione causæ Gedanensium, quæ etiam Lublini erat ventilata. Adfuerunt Gedanensium internuncii, qui Regem sibi reconciliare omnibus modis studuerunt, eo quidem euentu, vt Ordinibus pro iis deprecantibus à Rege in gratiam fuerint recepti. Sub idem tempus Ioannes Transyluaniæ Princeps à medico suo, vt fama fuit, medicamentis enectus, diem suum in Transyluania obiit anno, postquam Transyluaniam à Ferdinando Rege suo deficientem occupasset, decimoquinto. Natus Budæ anno millesimo quingentesimo quadragesimo septima Iulii die, patre Ioanne Scepusio Vngariæ Rege, & matre Isabella Sigismundi primi Regis Poloniæ ex Bona Sfortia filia. Qui moriturus supellectilem suam, in qua etiam Matthiæ Coruini Regis Vngariæ quædam erant, Sigismundo Augusto Polonię Regi auunculo legauit. In eius locum Transyluani sequenti anno Palatinum elegere Stephanum Bathoreum Somlianum, frustra ad Principatum adspirante Caspare Bekeschio.

Rex Pol. iter ad Cæsarem instituit,

sed impeditum.

Legati Regis ad Moscum,

inhumanius habiti

Comitia Varsauia.

Ibi acta.

Transylu. Principis mors.

Reualia arx fraude Sueco ablata,

In Liuonia Reualiæ arx dolo ac fraude equitum Præfecti Nicolai Kurselii, & aliorum Nobilium collegarum ipsius occupata est, hoc prætextu, quod longo tempore Sueciæ Regi in Liuonia militantes stipendia nulla accepissent. Ideo se tantisper pignoris loco arcem & ditiones illis coniunctas tueri ac seruare velle, donec Rex militi plene satis feciisset. Gubernator arcis Gabriel Christiani ex improuiso oppressus, cum in promtu stipendia non haberet, assentire cogitur, vt arcem ad pentecosten vsque retineant: interea se de solutione apud Regem obtinenda laboraturum ostendit. Sed cum

alligant, verberibusque illas miserabiliter tractant, vngues iisdem euellunt, atque, diutius vt torquerentur, ita corpora earum paulatim carpunt, vt ne cita morte doloribus acerbissimis finis imponeretur: miseræ interea omnē corporum dolorē intolerabilem nomine Iesu sæpius inuocato leniunt, donec linguis exsectis verubus suffixæ, atq; in fauillas redactæ fuerunt. Sic igitur mariti vxorum, infantes matrum, matres paruulorum desleuere funera, donec fluuius rapidissimus ad vnū omnes de ponte præcipitatos absorpsit. Infanda tamen sæuitia hac Tyrannus minime exsaturatus, Moscouiam vbi rediisset, decem & octo furcas, totidemq; cruces in foro erigit: adferuntur deinde varia torquendis hominibus instrumenta excogitata, igniſque excitatur, & vasa ænea feruentes aquas ebullientia apponuntur. Quibus cum vniuersis terrorem incussisset, ipse cum delecta carnificum manu in publicum aduolat, & vicina circum loca armatis occupat, vt ita mactandis hominibus locus esset commodior. Concepto autem sceleri sacrorum diem delegerat, vt religionis prętextu immannitatem facilius patraret: mox deinde ad populum, ô ciues, inquit, faustissima vobis istæc dies illuxit, mortis enim sententiam in vos antea latam hoc quidem momento abolere statui, istum tamen proditorum meorum manipulum dignis excruciabo supplicіis. Tum ad destinatum intentus facinus, in theatrum produci iubet Ioannem Michaelem Viscouium Cancellarium, quem, cum criminum multorum accusaretur à Secretario, quorum nullius ille conscium se palam profitebatur, ad furcas tandem illas pronum suspendit. Cumq; satellitum præfectus rogaret, quo eum supplicii genere affici vellet? respondit Tyrannus: Vos aulici mei ipsum excruciate, ac dilaniate. Præfectus igitur equo desiliens, cultro auriculam illi amputauit, accessit alius, qui sinistram, & tertius, qui labra, atque ita ordine omnibus illum membris mutilarunt. Ex secretariis deinde quidam, vt Tyranno singulari aliquo facto industriam probaret suam, naturalia illi præcidit, vnde statim animam exhalauit. Quo viso Tyrannus conuersus ad Secretarium, & tu, inquit, conspirationis es conscius, proditori siquidem meo mortem acceleraſti, quo circa id, quod abscidisti, quamprimum absumito, aut par supplicium expectato: putabat enim, Secretarium ex commiseratione istud fecisse, vt citius è viuis Cancellarius tolleretur. Qui versam in se inuidiam temere admissi animaduertens, cum ad tormentorum atrocitatem expalluisset, pudenda illa deuorauit. Non multo post Cancellarii vxor omnibus exuta in carcerem coniicitur, filius in exilium pellitur: puellæ ad stuprum raptantur. Eodem modo & ipso momento Thesaurarius ipsius Tyranni Michael Funichoni Cācellarii intimus eadem ad furcas protrahitur, quē feruente simul frigidaq; aqua per vices perfusū inter stupēdos cruciatus crudeliter occidit. Post illum coquus Tyranni artuatim discerptus est, & simul ducenti viri nobiles in campum è carceribus educti, qui cum sese purgare vellent, signo repente tympanis dato impediti tumultuarioq; succlamantis turbæ iudicio dīnati immaniter fuere necati. Laniena hac Tyrannus Phalaride crudelior minime contentus iura germanitatis insuper polluit. Erat ei frater Georgius, quem à sycophanta aulico falso traductum inaudita causa tormentis exquisitissimis subiecit, eique inter excarnificandum omnem thesaurum extorsit. Inde semiuiuo iussu illius caput carnifex detruncauit.

Varia tormentorum genera à Moſco excogitata.

Cancellarii Moſci supplicium inauditum.

Thesaurarii ipsius laniena. & aliorum.

Tandē fratricidiā immanissimū.

cauit Fratriam ad pedes ipsius prouolutam, ac misericordiam implorantem abripi præcipit, detractisque vestimentis nudam populo turpiter prostituit. Iussus dein miles equum conscendere, eamque funi alligatam contento cursu in flumen trahere, aquis demergendam. Simili truculentia ipso die Eliæ Prophetæ sacro, qui dies festus apud Moscos est celeberrimus, Nobilem quendam Petrum Srebrinum virum & consilio & manu promptum ad se delatum carnifici frustatim concidendum ante oculos tradidit, ac pedes eius vna cum capite manibusque à trunco reuulsis linteoque opertos loco muneris vxori transmisit. Sic & alium Missoiedum, cuius vxorem ancillãque paulo ante constupratas in superiori suarum ædium limine suspendi, atque stranqulari fecit, incognita causa securi ferire mandauit. Quo peracto ex arce ad carceres furibundus procedit. Cumque ciues nonnulli inusitato illius satellitio nonnihil territi de via deflecterent, eos vt insequerentur suis imperat, correptosque in partes secarent. Inde carcerem ingressus, tres captiuos antiquæ nobilitatis viros Petrum Biekouium, & Albertum Bugasiũ Polonos & Ioannem Bessum Silesium equitem produci curat, quos Tyrannus manu sua necauit. Inde satellitium in reliquos quinquaginta captiuos immisit, &, vt membratim eos dissecarent, præcepit. Idem in secundo & tertio carcere factum: in singulis enim, cum ipse tres obtruncasset, reliquos centum viginti à militibus laniari iussit. In prandio quodam Demetrius Ocinius dignitate Tyranno proximus, quod poculum de manu Principis sumtum vnico hausturo non ebibisset, ac Principis maiestatem contemnere visus esset, interemtus est. Ex Secretariis, quos in aula plurimos alebat, quidam aliquando lucium à rustico quodam acceperat: accusatus igitur à sacerdote quodam aduersario suo, quasi ipso Principe lautius victitaret, in carcerem abductus, ac paulo post in flumine Mosqua submersus est, hac cum exprobratione Tyranni, abi, & apud inferos piscare, assuetisque delitiis animum tuum exsatia. Hæc igitur & alia crudelitatis exempla cum paucorum dierum edidisset, Dei indulgentia rem successisse ratus, thura adoleuit, genioque indulsit, nunquam tamen iucunde rebus sacris operatus, nisi peracto prãdio quotidie homines viginti septem orco, quod dicitur, immolasset. Alium præterea ex secretariis cognomento Leuecum tanto prosequebatur amore Tyrannus, vt ex ipsius manibus medicas potiones easdemq; frequentiores sumeret. Is infidelitatis ignarus, cuius apud Tyrannum insimularetur, captiuus flagris cæditur, & corpore diuerberato fractis manibus cruribusque in palò defigitur, filiis simul etiam & propinquis eius omnibus, ne quis ad imitandum facinus ex tam nefaria domo superesset, horrendo supplicio sublatis.

Nec ipse Tyrannus manum abstinet.

Demet. Ocinus ob non ebibitũ poculum occ sus.

Secretarius ob lucii esum aquis suffocatus.

Leuceci etiam fidelissimi miserabilis interitus.

Ann. Chri. 1572. Cathar. Regina Pol. decessus.

Sub decursum mensis Februarii anni subsequentis decessit Linczii Catharina Austriaca Poloniæ Regina, fœmina omni virtutum genere cumulatissima, cum qua Rex Sigismundus Augustus aliquot annis coniunctissime vixit. Verum postea, seu offensione quapiam; siue alia de causa soli Deo ac ipsis Principibus nota, ita disiuncti fuerunt, vt ea à Rege Maximiliano Cæsari fratri, dissuadente Archiepiscopo Gnesnensi Iacobo Vchanio, totoque regni Senatu, remissa fuerit. Qua re grauiter Cæsar offensus, ac in comitiis Spirensibus; nisi Ioachimus secundus Marchio Brãdeburgicus Elector, concordiæ & tranquillitatis publicæ amans Princeps, obstitisset, apud Imperii Status & Ordines aliquid contra eum molitus fuisset.

Eodem

cum à Magno Holsatiæ Duce Mosci cliente literas & legatos Kurselius acciperet, & milites præsidiarios plures ad se mitti peteret: Sueci eadem arte, qua prius in arce oppressi, arcem somno vinoque obrutam nocte diem parasceues præcedente receperunt opera duorum proditorum mercede ad id conductorum, qui per locum abstrusum foras spectantem proiectis scalis canabinis circiter trecentos Suecos induxerunt, qui paucis obuiis trucidatis cæteros inermes oppresserunt, ac Liuonibus Nobilibus in custodiam datis, exteros vadibus vel fide iterum se sistendi ab iis accepta dimiserunt. Qui fidei datæ obliti, plærique cum cæteris nobilibus Liuoni ad Moscos transfugerunt. De Kurselio defectionis autore & aliis supplicium sumptum. Quidam in Sueciam missi, intercessione Caroli Sudermaniæ Ducis seruati sunt. Eo casu Holsatiæ Dux MAGNVS, cum spe rem astu conficiendi excidisset, ad vim apertam se parat, & iis viribus, quibus Kurselio opem laturus venerat, in limite relictis, Derpato mouens ad magnum Moscouiæ Ducem profectus est, vbi impetrata captiuis Germanis à Mosco libertate ab eo quoque obtinuit, vt Liuoniæ Rex renunciaretur, acceptoque viginti quinque millium Moscorum exercitu in Liuoniam mense Augusto descendit, & ad Reualiam castra metatur, missis ad oppidanos literis, quibus se ad liberandam Liuoniam, exterorum armis misere discerptam, & iugo Suecico ac Polonico oppressam, & sub vnius Germani Principis imperium colligendam, cum exercitu aduenisse testatur. Singulari enim Dei beneignitate magnum Moscouiæ Ducem diplomate solenni ctu-cis osculo confirmato sibi & hæredibus suis, aut iis non existentibus regno Daniæ, vel vni ex Holsatiæ Ducibus Liuoniam regio titulo possidendam concessisse, nec quidquam sibi iuris in Liuonia, præter patroni ac protectoris nomen reseruasse, in quod fortunas omnes, & vitam ipsam impendere paratus sit. Ideo se cum exercitu ab eo ablegatum, vt Suecos hostes ex Liuonia pellat. Hortatur itaque Reualienses, vt sponte se ipsi tanquam Principi Germano ac hęredibus ipsius subiiciant, spe amplissimæ priuilegiorum atq; immunitatum, si obtemperent, & certo ineuitabilis exitii metu, si recusent. Accedebant Liuonum Nobilium, qui Mosco tum militabãt, assiduæ cohortationes atque obtestationes. Sed gubernator Suecicus cum Reualiensibus singulari fide, virtute, atque constantia obsidionem vltra semestre masculè sustinuerunt. Quam sequenti anno demum Mosci re infecta incensis castris soluerunt. Dum Reualia à Duce Holsato, quem Liuoniæ Regem Moscus nominarat, obsidetur, pax inter Ioannem, qui biennio ante Erico fratri successerat, Sueciæ, ac Fridericum Daniæ Reges, cum octennium totum nullis induciis interiectis bellum gereretur, post varias vltro citroque intercedentes disceptationes, controuersiis omnibus sublatis, Stetini sub exitum Nouembris composita est. Cæsaris nomine Ioannes Fridericus Pomeraniæ Dux, Ioachimus Comes Schlickius, Christophorus Carolouitius, & Christophorus Minguitius præfuerunt: Regis Poloniæ Martinus Cromerus nobilis rerum Polonicarum scriptor, & Demetrius Solicouius Regis Secretarius. A Daniæ Rege missi erant: Petrus Bilden, Nicolaus Caas, Henricus Ranczouius, Georgius Rosencranczius notæ primæ consiliarii. Sueci legati erant: Nicolaus Gildenstern regni Cancellarius, Benedictus Gilten, Georgius Gera, Ericus Gildenstern. Aderant & Galliæ Regis, & Saxoniæ

Eadem arte rursus cepta.

Holsat. Dux à Moscо Rex Liuon. declaratus.

Reualiã petit, & literas ad Reualienses mittit.

Qui nil rei spondent.

Pax inter Suec & Dan. Reges.

352

xoniæ Electoris Consiliarii. Lubeca etiam Danis fœderata eo binos consules cum Syndico ablegarat.

A. Ch. 1571. *Mosci Finlandiam populantur.*

In Liuonia sub anni proximi initium Mosci post solutam Reualiæ obsidionem Finlandiam Regis Sueciæ prouinciam ingressi atrociter populati sunt, vicis incensis direptisq;, & innumeris vtriusq; sexus in crudelem seruitutem abreptis. Quare grauiter commoti Germani, qui Tyranno militabant, & in iis Reinholdus Rosa præfectus equitum, in diœcesi Derpatensi moratus, re cum Ioanne Taubio & Elardo Crusio, qui immanitate Tyranni, qua sæuiebat in subditos, ed. sse, & ab eo deficere cœperant, participata, Derpatum ex improuiso occupare, exq; Mosci tyrannidis iugo liberare conabatur. Verum cum Rosa minus caute rem agerer, nec à ciuibus Derpatensib Germanis, consilii ipsius ignaris, adiuuaretur, à Mosci præsidio repulsus & cæsus exitium oppido, cui libertatem parabat, accelerauit, plerisq; ciuib. à Moscis crudeliter trucidatis, ac bonis eorum direptis. Taubius & Crusius, quos ad summum dignitatis fastigium Moscus euectos sæpe à fide commendarat, male sibi conscii ad Poloniæ Regem transfugerunt. Interea Moscouiæ metropolis à Tartaris Præcopiensibus ex improuiso oppressa, incendioque deleta est, arce tantum, quæ oppidi ampli instar muris cincta conseruata.

Derpatum à Rosa frustra tentatum.

Mosci Tyranni crudelitas.

Reuersus igitur paulo post ex Liuonia Tyrannus, cum aliam vindictæ viam non videret, quadringentos circiter captiuos ex Liuonia in Moscouiam transportatos in concionem aduocat, quasi de singulorum fortuna cogniturus. Quorum coacta multitudine, cum viros iuxta ac mulieres vna cum infantib. adstare supplices cernerer, in libertatem se omnes restituturum simulat, singulosq; interrogat, num in patriam aliquando reditum optent, cumq; cuncti annuissent, nil tamen vnquam, nisi prius Principis venia impetrata, in sese recepturos dixissent: ille excandescens, quasi ipsius regiones contempsissent, omnes capitis condemnat. Variæ inde querimoniæ capitali sententia audita exortæ sunt: viduæ enim & pupilli, senes, pueri, & puellæ miserabile quiritatum ediderunt, sed Tyrannus lamentabilem hunc captiuorum planctum risu excipiens omnes ne paruulis quidem exceptis, vrbe eductos necauit. Cumq; ad supplicii locum peruentum esset, raptæ sunt ad stuprum puellæ, quæ vim ac libidinem à corporib. suis nec prece, nec precio deprecari potuere. Eodem vero in loco in flumine Neglina ingens palus defixus erat, cui superstratus pons, in quo Tyrannus consistebat, clauaq; ferrea singulorum ceruices feriebat, vt statim ponte delapsi gurgitis impetu abriperentur. Atq; sic duplici mortis genere Tyrannus siue furore excæcatus, siue tetertima immanitate ductus, siue odio Germanicæ gentis efferatus, in promiscuam multitudinem est grassatus, & quasi iucundissimum voluptatis sensum percipiens, per solidum diem laniena isti adfuit. Quædam tum Germanici sanguinis luculentæ formæ puellæ cum ad idem supplicium raperentur, quamuis multi pro earundem lytro ingentem pecuniæ summam offerrent, nequiquam Tyrannus, alioquin tam auariissimus, motus, ne vnam quidem ex illis in libertatem asseri voluit. Quocirca omnes, cum frustra precibus omnia tentari viderent, iam immanem crudelitatem, iam ius belli violatum, iam perfidiam supra omnium hominum scelera Tyranno exprobrabant, implorata supremi Numinis vindicta. Quibus Tyrannus commotior optimum capiuos reliquos coram ipsis partim aquis strangulandos, partim gladiis dissecandos præbet, mox deinde puellarum manus ac pedes duobus asseribus fibula iunctis atq; discissis carnifices alli-

omni operę precio legato, cõfestim Bogdanus cum bis mille fere volũtariis militibos è Nobilitate in patriam irruit, quos traducto Nestro fluuio voluntate omnium Nicolao Mielecio propter prudentiam & rei bellicæ scientiam ducendos regendosq; committit. Is sibi collegam adiungit Nicolaum Sieniauium Præfectum Striensem, & ipsum rei militaris scientia clarum, cui breui post omnis oræ illius cura à Rege mandata. Horum ductu Valachiã ingressi rei frumentariæ paulo licentiosius studebant: qua re cognita, Mielecius furcam mediis in castris erigit, pœna capitis raptoribus enunciata: quod non ad hostes, sed ad suos venissent, quibus dominum conarentur restituere expulsum. Habitus est idem delectus militum, quorum septingenti bello gerendo parum idonei domum remissi, mille trecenti retenti, exigui numero, bello sed viuida virtus. Postero die iter ingressi, per syluam faginam (quæ quondam ab incolis callide succisa pernicioſa Polonis extitit) ad Prutum amnem appulere: vnde misso Bilauio centurione cum Bogdani famulitio, vt Chocimo tormenta bellica adueherent: ad Steponowczum (qui locus ad eundem fluuium est) processere. Vbi facti de vicinis hostibus certiores, visum ducibus, vt ad illos suis cum cohortibus proficiscerentur Stanislaus Lanczkoronius Scalensis, Michael Iaslouiecius Chmielnicensis, Præfecti: Nicolaus Herburtus, Stanislaus Volscius, Crussielnicius, Temrucus Pietiehorensis cum triginta Croatis. Hos Valachi conspicati, Pruto celeriter traiecto, terga dedere. Ibant ergo Poloni secundum alteram ripam, hostes ex aduerso secundum alteram, eius animi, vt sex millia Valachorum quadringentos Polonos non fuerint adoriri ausi. Poloni nulla re memorabili patrata in castra reuersi, ire rursus ad excubias agendas iussi, Profecti incidunt in Turcicos & Valachicos excubitores, qui multis in locis ignes excitarant, vt hac ratione, quamuis millenarium non excederent, plures viderentur. His Poloni die iam illucescente visis, etsi impares, tamen se continere non potuerunt, quin clamore sublato in eos irruerent. Turcę armis protinus correptis & ipsi conclamant: Volscianosq; & Croatas, qui eos inuaserant priores, à se propellunt. Sed postea quam Herburtus, Lanczkoronius, Iaslouiecius, Krusielnicius cum tympanis accessere, illico à pedib. salutem quęsiuerunt. Polonis fugientes pecudum more cædentibus, vigintiquatuor viui capti: Poloni omnes salui, Croatæ solũ vnius, cui equus cum esset effrenus & refractarius, à Turca caput acinace abscissum. Hic vbi quidam Temrukianus Scytha Volscii cohortem repulsam ab hoste vidit, inscius omnibus ad Mielecium cũm nuncio cæsorum Polonorum aduolat: cui præmii loco catenæ iniectæ, quod vano rumore militum animos eneruaret. Subiecti quæstionibus captiui, in proximo magnas esse suorum copias professi sunt. Quapropter turmarum præfecti, quisque suos protinus instruunt ordinantque. Mielecium de victoria, & hoste vltra montem delitescente edocent, maioraque auxilia aduocant. Præmittuntur ad illos, qui auxilium petebant, Ioannes Iordanus, & Matthias Kosielscius, quos Palatinus reliqua cum manu insequitur. Vbi conuenerunt, primum Deo autori salutis omnium, cædis vero hostium: post ipsis etiam pro opera prælii initio strenue nauata gratias egit. Interim Bielauius cum tormentis præsto est, Iordani fidei traditus. Progressi omnes ad Iasum animaduertunt, magna Turcarum Valachorumque agmina tumulos,

Eius in Valachiam irrupcio, Mielecio & Sieniauio ducibus.

Poloni Valachiam ingressi,

Quorum delectus habitus.

Stanisl. Lãczkoronius. Mich. Iaslouiecius. Nicol. Herburtus. Stan. Volscius.

Polonorum cum Valachis velitatio.

335

mulos Stephanowcios insedisse: adhęc Valachos cõspectis Polonis acies suas ostentare. Hic Mielecius, quid hostes auderent, periclitaturus, Herburtum Iaslouiecuicium, Temrucum eos ad præludium pugnæ proletare iubet. Verum ii animaduersis insidiis (posuerat enim Mielecius in occulto Czeremissios præstantes iaculatores) prodire in aciem noluere. Mielecius quoq; consideratis hostiũ viribus, nec ignarus, aliud resistendi, aliud sedẽdi tempus esse, regredi potius, quam temere cum paucis in Valachiam progredi consultum putat. Quare iubet in speciem quæri vada Pruthi, quasi Iasum iter flexurus, cum forte reditum Chocimum versus animo agitaret. Noluit enim numerosis hostium copiis exiguum suorum numerum auxiliis certis destitutis obiicere. Intercesserunt dies aliquot, cum Poloni ad Chocimum hostes sequentes prope magnis agminibus haberent, quorum audaciam minime ferendam Palatinus existimans, monet Herburtum, Lanczkoronium, & alios, vt illos à suis ceruicibus depellerent. Quod hi propter loci iniquitatem, & imminentem solis occasum tum detrectarunt, operam suam loco æquiori, temporeq; opportuniori polliciti. Proin Poloni procedebant vlterius, hoste incassum è decliui loco tormenta in eos exonerante, donec inter Pruthum & alium fluuiolum consederunt. Nocte cum excubiis transacta, animaduertunt prima luce, hostes id vnum conari, quo ipsos circumuenirent, & in angustias compellerent. Sed Herburtus sua cum turma, quæ semper extremum claudebat agmen, multitudine hostium falcatam aggressus, in aquas adegit. Tum ecce prosilit quidam è Turcarum exercitu hastatus, more militari aliquem ex Polonis ad duellum deposcens. Vix hæc effatus, intrepide adest è latere Stanislaus Vistempus, staturæ paruæ, sed animi magni, venabuloque Turcam vno ictu transuerberat. Accurrunt Turcæ auxilium laturi animam agenti, sed frustra. Contra Poloni cum Vistempo triumphant. Fit mediocre certamen, in quo Zebro turmæ Lanczkoronianæ occubuit. Quo amisso, Turcæ quieti fuerunt, vt pote die Veneris ipsis sacro. Sequenti die Polonos Chocimum tendentes magna Turcarum phalanx insecuta est, vbi rursum alius Stanislaum Ciolcum armis habituque inter cæteros fulgentem ad singulare certamen prouocat. Mox prouocatus ad Palatinum Podoliæ accurrit, ac duelli facultatem petit. Qui barbarum pugnæ genus abnuit: ẽre magis & laude Polonorum dicens futurum, si iunctis animis viribusque, ficubi opus esset, hostem aggrederentur. Ægre id tulit Ciolcus. Hoste prouocationem denuo vrgente, & lingua Slauonica veste pennisque nitentem prouocante obsecrat prouocatus, vt, si sibi integrum non sit, saltem cuipiam suorum id permittatur, ne impune Christianis insultasse videretur barbarus. Facta potestate, statim contra illum cum hasta proruit Paulus Chanzouius Turca nil expauescente, verum irrito vtrinque concursu. Tum Chanzouius districtum subito ensem fronti hostis infigit, vulneratumque ferrum hærens extrahentem, brachiis appendit. Hac colluctatione conspecta decurrunt ad commilitonem Stanislaus Vysga, & Stanislaus Niegoczius. Turca manibus Chanzouii elapsus, recepit se ad suos, qui subito lethali animaduerso vulnere complures adorti illos tres Polonos strenue se defendentes vndique cingunt. Laborantibus subueniunt Herburtus & Volscius, committuntur cædes magno clamore, barbaris in fugam versis: quos illi cædentes acrius persequuntur. Tum duces exclamare, pedem referrẽt, & ad signa redirent,

Duellũ Turcæ cum Polono.

Aliud duellum Turcæ cum Polono.

Cædes Turcarũ à paucis Polonis.

Eodem mense Nicolaus Mielecius Podoliæ Palatinus, & Nicolaus Sienauius Strienſis Præfectus cum militibus stipendiariis Bogdanum, Palatinum siue Principem Valachiæ Polonis addictissimum in Valachiam reduxerunt, & ad Tyram fluuium sub arce Chocimo in Valachia rem strenue gesserunt. Ac cum præter opinionem à Valachorum & Turcarum copiis ingentibus circumuenti fuissent, exercitum magna cum laude incolumem, re tamen infecta, in Poloniam reduxerunt. Sed non abs re erit altius paulo rem, descripta huius gentis origine, lingua, & moribus, accersere. Valachia, quæ olim Dacia, Tyra fluuio seu Nestro à Russia diuiditur; ab Occidente Iazygas finitimos habet; ab Oriente Hierasso siue Prutho & Istro siue Danubio fluuiis ab inferiori Mæsia, quæ nunc Bulgaria: à meridie vero eodem Danubio à superiori Mæsia, quæ nunc Bosnia & Seruia, disterminatur. Ea post multa bella cum Romanis gesta, ad extremum à Traiano Imperatore subacta, ac in prouinciæ formam redacta. Cum autem bellis superioribus exhausta esset, infinitas hominum copias ex Imperio Romano idem Princeps ad agros vrbesque colendas eo transtulit. Sed tamen haud multo post sub Galieno, ac deinde sub Aureliano Imperatoribus barbari eam vindicarunt. Deinde Gothi eam sub Gratiano Principe possederunt. Ita ex illa colluuie Romanorum & barbarorum commerciis & connubiis commixtorum Valachi orti, lingua noua ex veteri sua barbara & Romana confusa ac corrupta vtuntur. Permulta tamen retinent Latina: tametsi Russicam quoq; & Slauicam in vsu habeant, siue propter vicinitatem & cõmercia, siue quod à Slauis ea quoq; regio, quemadmodũ cæteræ in eodem tractu à Mæotide palude & Ponto vsq; ad mare Adriaticum pertinẽtes subacta fuit. Sunt autem Valachi gens dura, bellicosa, & fraudulenta. Vnde vero, & quando Valachi dici cœperint, incompertum est. Vulgaris quidem opinio est, à Flacco quopiam siue Præfecto, siue domino eos nomen hoc accepisse, vt primum Flacci, mox corrupto à finitimis barbaris vocabulo Vulassi & Valachi appellarentur. Polonorum quidem atque Flauorum lingua non modo hi populi, verum etiam omnes, qui sunt Italici generis, Valassi & Vulossi dicuntur: quod ipsum etiam argumento est, Italicam hanc gentem esse. Agros non magnopere colunt Valachi, sed armentis ac gregibus alendis fere victitant, eo quod optimis pascuis abundet eorum regio. Inde fit fortasse, vt Polonicis aliquanto maiores oues & boues ibi nascantur: quorum maximam ac pene infinitam vim non modo finitimis Russis atque Vngaris, sed etiam Polonis, Prussis, Silesiis, Boemis, Germanis, Slauis, Italis, Turcisque quotannis suppeditant. Religionem Christianam colunt Græcorum ritu, Vocatur etiam Moldauia hæc ipsa regio à flumine, an aliunde, non compertum. Posteriori quidem tempore gens hæc in duos dominatus diuisa, nominibus quoque distingui cœpit, sic vt ii, qui ad Orientem & Septentrionem vergunt, & Podoliæ finitimi sunt, Valachorum nomen retineant: qui vero meridionale Transyluaniæ latus attingunt, Multani à Polonis, à cæteris vero Trãsalpini vocentur. Nonnulli hos proprie Valachos, illos Moldauos appellant. Hæc ergo gens odio contra Bogdanum Principem suum concepto, quod Polonorum magna consuetudine in aula sua weretur, his plurimum fideret, horum beneuolentiam liberalitate demereretur, vni illorum sororem suam nuptam dedisset, ipse quoque vxorem Polonam ducturus esset: clam ineunt consilia de alio

Bogdanus Valach. Palatinus à Polonis in Valachiam reductus.

Descriptio & situs Valachiæ.

Valachorum mores,

Eorum originatio,

& religio.

Valachia etiam Moldauia dicitur.

Eius diuisio & duplex dominatus.

Valachorum aduersus Principem suum odium,

de alio in locum eius succenturiãdo. Erat tum apud Imperatorem Turcarũ Iuonia (sic illi Ioannem appellant) filius Stephani Principis illorum è cõcubina prognatus, qui anno 1561. Rege Sigismundo Augusto comitia Lublini agente Ioannis Firlei Palatini Lublinensis Mareschalciq; regni de famulitio fuit. Is Valachis visus est ad suscipiendum imperium satis idoneus. Ad hunc ergo de nouo Principatu sctibunt: quę & quãta à Bogdano ac Polonis perferant mala significant: si cito cum aliqua Turcarum manu veniret, prodituros se ei obuiam pollicentur: Polonosq; vna cum Bogdano & Petro fratre ipsius vinctos viuos in potestatem eius tradituros. Iuonia iamdudum cupidine dominandi flagrans, accepto tali nuncio, protinus colligit Imperatoris Turcici permissu circirer viginti millia Turcarum, Græcorum, & Serborum. Bogdanus factus de his consiliis certior à quodam Valacho, simulq; monitus, vt profectus in Poloniam ad amicos, mature pararet auxilia, quibus se ab iniuria tuererur, sicq; euitaret insidias: illo ipso, quo hæc accepit, die (qui fuit Dominicus præcedens bacchanalia) Valachia excedit: vbi primum Polonis familiaribus suis perfidiam insidiasq; subditorum aperit. Egresso Valachia Bogdano, ingressus eam est Iuonia magnis Turcarum copiis stipatus. Cui obuiam primores profecti, saluratumque reuerenter Iasum, vbi sedes Palatinorum, deducunt. Tum vero cognouere periuri Valachi, lusum ac iocum fuisse, quæ à Polonis perpessi erant, præillis, quæ à Turcis perferre cogebantur. Ipse etiam Iuonia vel ob leuissimum delictum pœnam capitis in fontes statuebat, viuos excoriabat, ad palos adfigebat, oculis priuabat (quæ pœna apud Valachos familiaris est) naso & auribus præcisis deformabat: imo si quis illo inuito vel racemum suæ vineæ, vel aliud quidpiam, ex quo census penditur, vendidisset; hunc ille aut occidebat, aut hamo per nares traiecto, manibus post tergum reuinctis, tortoribus, vel, si hi abessent, Attinganis vulgo Cziganis dictis per plateas scuticis cædendum exhibebat, & (quod immanius) ęsorum cadauera inhumata in publico destituebat, vt canes comestione illorum explerẽtur, homines exemplo tragico obedientiores redderentur. Hac tali immanitate tãtum sui metum amorẽq; (si in tyrannidis metu amor locũ habet) genti incussit, vt illũ postea non modo honorarint, metuerintq;, sed & fortiter pro eo depugnauerint. Est in Russia nobilissimæ prosapiæ Caspar Padnieuius, Præfecti Sidaczerienſis filius, huic Bogdanus sororem suam matre assentiente bona cum dote locauit. Ipse etiam Bogdanus Ioannis Tarlonis vexilliferi Leopolienſis filiam ducturus in matrimonium erat: cui filiæ matrique eius matito mortuo Rex Augustus tutores constituit Georgium Iaslouiecium Russiæ, Nicolaum Mielecium Podoliæ, Palatinos, qui puellam sponso nuptam elocaturi erant. Ad hos ergo Bogdanus vbi venit, opem illorum contra infidos Valachos implorat, atq; vt suppetias eant, rogat. Idem postulat & à militibus finium regni custodibus. Hi itaque omnes rei indignitate commoti operam suam ad recuperandum ius amissum obtulere. Miserat & ad Augustum Regem certos homines, qui idem ab eo peterent: sed fœdus cum Turcis antiquum auxilia ferre non permisit: tamen, quantum per fidem potuit, præstitit, misso ad Turcam Andrea Taranouio, vt Bogdano reconciliaretur, si qua offensus esset, vtq; ejectum in patrium Principarum restitueret, orauit. Egresso è Valachia absque omni

Iuonia eius in locum euocatio.

Iuonia in Valachiam ingressus,

eiusq; immanitas.

Casp. Padnieuius.

Bogdanus à Polonis opẽ implorat.

dirent Acclamant & centuriones, inhibentque frustra: adeo iam animi victorum incaluerant, vt reuocari ab incepto non possent. Quod cernentes alii turmarum præfecti, paucis in castris relictis, pugnantibus animos suo aduentu addidere. Tum vero omnes simul multo feruẽtius hosti validiori instare, cædere punctimque ferire, donec illos ad ipsa statiua Valachica compulerunt. Prouecti calore pugnandi vltra tubicines & tympanotribas, animaduertunt, se nimium procul à suis abscessisse: quapropter coacti in vnum ad suos redierunt. Reuersos palam obiurgat Mielecius, quod præter mandatum rem summi periculi pauci tentassent: qui alterius ducis Sienauii permissu feciſſe respondent, & Deo largiente victoriam, fuisse persequendam. Post loco quodam paludoso superato, qui haud procul Chocimo aberat, Turcę Polonos immani cum boatu iterum assequuntur. Inprimis autem Stanislai Czurili centurię turma petebatur, ad quod conuertente se Czurilo, procurrit cum malleo acuto siue clava acuminata Mielecii familiaris Radeczius, bellandi cum Turcis gnarus: quem capiti vnius vbi impegisset, eximere non potuit. Hunc secutus Czurilo centum cum equitibus, tantum hostium numerum aggressus est, vt Poloni intermixti non apparerent. At Mielecius extemplo negocium dat Ossouio, vt cum suorum equitum manu periclitantibus succurreret. Hic Turcæ visis pluribus Polonis ad se cum impetu irruentibus, è vestigio retrocesserunt. Sex tantum è Czurilianis desiderati, Turcis Valachisque non paucis passim concisis, contritisque. Appropinquantibus Polonis Nestrum, Turcæ suo incursu nouissimos pene carpebant, Triginta Czeremissii à tergo constituti sclopetis longioribus incursantes repellebant. Fuit ibidem palustris locus Polonis transeundus, ad quẽ hostes celeriter concurrerunt, aditu eos prohibituri. Verum iussu legati exonerata contra illos duodecim minora tormenta, & vnum grandius, contubernatos vltra montem reiecerunt. Eluctati ex istis Poloni, tandem ad Chocimensem arcem concubia nocte venerunt: quam Dobrosolouius paruo præsidio tenebat, & fide bona Bogdano tam diu seruabat. Vbi Turcæ Polonos iam securiores, & ordinis negligentes perfacile oppressissent, ni Temrucus tam diu illos detinuisset, dũ singuli suis sub signis consisterẽt. Godrisseuius prior è centuria Adami Goraii hostes sensit, deinde alii: qui celeriter à Sienauio ordinati, productis ante aciem tormentis, hostem operiebantur: nec res, tametsi Poloni copiis multo essent inferiores, certamini moram iniecit. Vetuerat autem Mielecius ne quid ipse Bogdanus attentaret, sed contentus iis, quæ alii pro eo subirent, in castris se contineret. Dehinc Turcæ Polonos inuadere premereque. Periclitante Ciemierinio, auxilia Herburtus & Temrukus à Sieniauio ferre iussi, respondent, minime committi debere velites loricatos venabulis vtentes cum Turcis hastatis & scutatis (nã nulla negotio ab eis dispersum iri) sed hastatos cum hastatis, vt æqua sit pugna: se vero præsto fore, vt hostem alia ex parte inuadant. Tali excusatione vsis succesſit Sieniauii mandato Ioannes Iordanus, cuius turma hastatorum ex iuuentute cordata constabat. Hi diuina ope implorata eo impetu in hostẽ irruunt, vt nullius hasta ab hoste aberrauerit: pugnantibus subueniunt à latere Herburtus, & Sigismũdus Rozenus, sed protinus resilierunt saucii Turcæ, quos hi insequendo vsque ad ipsorum castra variis viarum anfractibus fugarunt. Inter fugiendum autem astute illi arma, pileos, cæteraque impedimenta abiiciebant, vt se insequentes illis colligendis occupatos remorarentur:

Radecii cũ Turca congressus.

Poloni Chocimum reuertuntur.

Turcarum cnfactus cum Polonis,

Qui eos fugant.

tur: sed quia de vita & gloria certabatur, neglecta hæc à Polonis. Postquam Turcæ Polonos longe digressos, & omnibus destitutos auxiliis vident, de integro circiter sexcenti integri quadraginta defessos aggrediuntur, & magno concursu multi paucos premunt. Opportune autem tunc ad illos forte fortuna delati fuere Sigismundus Rozenus & Ioan. Radeczius. Tum Herburtus paucis socios cohortatur, ne animos hostium multitudine desponderent: quos diuino auxilio perinde vt ante disiecturi facile essent, cum audaces forte sque fortuna iuuet. Quibus dictis seq; sequi iussis, incitat equum in hostes imminentes. Iuuadunt in eos etiam reliqui. Instauratur acre prælium, si vnquã alias. Quo inualescente auulsum ab aliis Herburtum permulti impetunt. Et ipse quidem singulari fato patriæ seruatus est, verum de commilitibus quatuor cecidere. Vagabatur aliquandiu inter hostes Herburtus, sed pro Valacho ab illis habitus ex veste incolumis euasit. Verum ne ab illis sine damno illato discederet, opportunum tempus locumq; nactus, cuidam Turcarum graue infligit vulnus, seque subito fugæ mandat: fossam quandam mire latam & profundam equo incitato transilit. Clamore à Turcis excitato, vt occideretur, prouolant duo Turcæ, quorum vnus à dextro latere ipsum ad eo sarissa petit, vt ex ephippio pene iam excuteret, alter à sinistro eodem momento conatus traiicere, in equum subleuat. Periculo ita liberatus equo addit calcar. Fugienti capite humerisque gladio protectis obuius fit Slezinius armiger Lanczkoronii, hunc agnitum, sibi vt opituletur, orat, qui non impigre præstitit. Tunc Turcæ viso eo destitere cursu. In tam impari pugna præter hos, qui commemorati sunt, haud plures decem interiere, qui ex turma erant Lanczkoronii: & Iordani, quos inter nobilior fuit Stanislaus Gozdzikouius Iordani collega, vulnerati non pauci: cæteri ictus hostium incurrentium armis auertentes, incolumes ad castra reuenere. Venientes Kosielscius centurio, Turcas esse ratus, hastis excepissent, ni sermo Polonos prodidisset. Non desiere interea Turcæ in Kosielscianam turmam, quæ primam aciem tuebatur, impressionem facere, donec à Iacobo Iordano tormentis & peditatui præfecto abacti fuere. Post hæc Mielecius, rebus hostium probe cognitis, monitusque à Penkoslauio Iacobi Iordani vicario castra illinc mouit, ab hostibus ita infestata, vt cassidem Gabrielis Remboui Mielecii assectatoris glans ferrea attigerit. Tum autem Kosielscius & mandato ducis, & successu hortante priore castra adortus hostilia, complures inibi interfecit: tormentis insuper aliquot paruis, & signo militari rebro ereptis. Tam audaci incursu hostes haud mediocriter perturbati, frequentes paucis cessere. Quibus eo modo repulsis, castra promota ad Chocimum sunt. Hinc Bogdanus ad Iuoniam mittit Radeczium Mielecii famulia rem orans, ne sibi patrium Principatum, in quem ius haberet nullum, vi eriperet, alioquin non fore diuturnum inique acquisitum imperium: cogitaret, nil esse grauius, quam de statu pristinę dignitatis vi aliqua deturbari, ideo ab alio exspectaret paria. Deum enim hac ratione solere vlcisci omnem iniuriam. Quibus minime motus Iuonia legatum custodiæ Pyti Czausi tradit: dehinc cum nulla alia ratione quenquam è Polonis capere vivum potuisset, iure gentium violato, Selymo Imperatori Turcico eum transmittit. Perductum ad Mahometem Bassam, ait Pyrus, captum in prælio: quod negat Radeczius, sed eo tamen non recipit libertatem. Fuerunt tunc temporis Constantinopoli Poloni, Andreas Taranouius, &

Redintegratum inter Polon. & Turcas prælium.
Herburti ad suos adhortatio,
eiusque periculum.
Castra Polonorum mota,
ad Chocimum.
Bogdanus ad Iuoniam mittit legatum Radeczium,
qui custodiæ traditus,
& ad Turcam missus,

Christophorus Dzierscius: hic interpres, ille nuncius Regis. Hi nihil non tentauere, ne quid grauius in insontem statueretur. Verum Bassa, vbi de strage suorum in Valachia intellexit, non solum tulit hoc acerbissime, sed etiam captiuum more aliorum remigum toto corpore rasum triremibus adiudicauit. Vsus tandem est opera Dzierscii Mielecius in Radeczio liberando apud Bassam primarium: qui, cum & ex aliis Czausis (aulicos illi, qui huc atque illuc cum mandatis mittuntur, sic vocant) & ex Petro Bogdani fratre, qui post ibidem è viuis decessit, cognouisset, Radeczium non in prælio, sed legatione ad Iuoniam fungentem captum: diu perquisitum (iam enim triremes in pelago erant) reddi Dzierscio iussit, verum clam ei porrecto veneno, quod ipsi lethale fuisset, nisi alexipharmacum ipsi mature subministratum fuisset. Restitutus libertati, rediit post in patriam cum Martino Bronieuio, ad petendas inducias, dum in locum demortui Regis alius Rex substitueretur, misso. Mielecius videns indies copias Iuoniæ augeri, suas vero magis diminui, (dies enim aliquot equis Polonorum nullum aliud pabulum, nisi frondes & frutices erant) adhæc memor oraculi: Principes à Deo in solium tolli, ab eodemque deturbari, ne cum Deo pugnare videretur, neue, quos in Valachiam introduxisset, perderet, de reditu in patriam consilium iniit. Interim Iaslouiecius exercitus regni Poloniæ dux, cognito Valachiæ turbulento statu, iamiam erat Nestrum traiecturus cum equitatu octingentorũ, ni id Mielecius dissuasisset, ne forte magis irritatis barbaris maius in discrimen suos adduceret. Ne vero nil ageret, mittit quosdam è suis ad Præfectum Bialogrodensem Turcici iuris, qui hæc illi referrent: Hi, inquit, Poloni, quos Bogdanus neque Rege neque me conscio Principatum recuperaturus auitum è Polonia eduxit, amici mei sunt. Quibus Cæsaris tui voluntas, à Bogdano alienata, & in Iuoniam propensa, minime cognita: at vero, vbi ita se rem habere ex Turcicis quotidie crescentibus copiis acceperunt: reuerti illo, vnde exierant, voluerunt, sed à tuis impediti sunt. Quare, si tibi videtur, ita tuos compesce, ne quod nostris obiiciatur impedimentum: sin minus, necesse erit cum his paucis, quibus cum ad fines Poloniæ & tui Imperatoris veni, breui plures habiturus, me amicos ab omni iniuria tueri ac vindicare. Quod si factum, vereor, vt ne te consilii pœniteat. Præfectus simulatque hæc audiuit, continuo Turcas & Valachos ripa Nestri abscedere iussit. Traiicientibus Polonis angustis nauigiis quinque diebus flumen, multi equi ex eis præcipitati, vi fluminis abrepti, absorptique. Non discesserant autem à ripa omnes Valachi, qui extremum agmen carpere conati, cum à peditatu retrorsum collocato cum tormentis, tum ex ipsa arce Chocimensi telis repressi fuere. Poloni superato Nestro Deo inprimis, deinde ductoribus suis gratias egere: hi contra, illis, quod obedientes, quod fortes in præliis se præbuissent. Ibant postea omnes integro ordine Cameneciam arcem natura munitam. Atque ita Bogdanus infelix Principatu suo priuatus Camienecii omnibus gratias egit, quod ipsius causa in tantum discrimen se coniecissent, polliceturque se huius beneficii in vtracunque fortuna positum nullo non loco atque tempore memorem fore. Postea cum nonnullis Polonis in Moscouiam se contulit, ibique indigna calamitate vitam finiit. Porro relictus in arce Chocimensi

Pro quo Taranouius & Dzierscius intercedunt,
Qui post ad triremes damnatus,
Vnde liberatus in patriam redit.
Iaslouiecii ad Præfectũ Bialogrod. legatio,
de Polonis non ladendis.
Polonorum è Valachia in Poloniã reditus.
Bogdanus Principatu suo exsusus.
In exilio moritur.

Dobrosolouius cum septuaginta iaculandi peritis peditibus, strenuè illam à vi Turcica aliquot hebdomadis, factis interdum eruptionibus, defendit. Hunc Iuonia cum nec precibus, nec minis eo adducere posset, vt arce excederet: dat ad Iaslouiecium literas, quib. illam sibi tradi petit: fetale iusiurandum daturum promittens, quale Rex Sigismundus Augustus dari mandaret. Annuit Iaslouiecius, quod in mandatis à Rege illud haberet, iuramentumque ab Iuonia accepit. Posthac Dobrosolouius à Iaslouiecio Regis nomine iussus cum milite ex arte descendit.

Comitia Varsouia indicta. ob pestem non habita.

Eo ipso anno comitia Rex Varsauiam edixerat, quæ propter pestis contagium non poterant haberi. Ibi Rex recordatus se hominem esse, & casib. mortalium subiectum, testamentum sexta Maii condit, ac post Varsauia, vbi pestis iam inualuerat, Knischinum contendit, vbi lento morbo correptus, viribusque omnibus exhaustus, vitam cum morte commutauit ipsis calendis Iunii, ex Iagellonica familia vltimus, anno ætatis quinquagesimo secundo, regni post patrem vigesimoquinto. Princeps bonus, humanus, pacificus, modestus, bonæ spei nutritor, vigilans, prudens, iustitiæ atque æquitatis amans; patiens, frugalis sibi, liberalis aliis, diuersarum linguarum peritus, præsertim Latinæ, quam non solum intellexit, sed etiam genus dicendi & pondera verborum acutissime perspexit: musicæ harmoniæ, concentus, ac modulationum iudex peritus, Geometriæ, Opticæ, architecturæ, tormentariæ callens, naturæque diligens obseruator, acies instruendi, collocandi, currus ordinandi, exercitusque ducendi gnarus. Ante vitæ suæ terminum à Francisco Krassinio Episcopo Cracouiensi sacris procuratus, animam suam Deo, à quo eam habebat, & quam infirmitate humana multoties obnoxiam se fecisse fassus est, commendauit, ac eius misericordiæ permisit: corpus terra natum terræ reddi mandauit; officium suum Reipublicæ tradidit. Atque sic Iagellonum familia nobilissima hoc in Rege extincta est, postquam ducentis fere annis in Polonia regnasset.

Sigismun. Augustus Pol. Rex moritur,

In quo Iagellonica familia desita.

HISTO-

HISTORIÆ POLONICÆ

Liber Nonus.

INTERREGNVM.

REBVS humanis exempto Sigismundo Augusto Rege Knischini nonis Quintilis, primus ibidem Procerum conuentus celebratus est, & consultationes de interregni statu agitatæ. Eodem anno generalia comitia Procerum & Nobilitatis habita sunt prope Varsauiam ad pagum Kamienum de noui Regis electione, Quo aduenerant legati à Pontifice Romano, Cæsare Maximiliano, Rege Galliæ Carolo nono, & fratre eius Henrico Andium Duce, à Rege Sueciæ Ioanne, & aliquot Principibus vicinis. Inibi sancita est inter dissidentes de religione pax, seu, vt vulgo dicunt; confœderatio, hoc est, lex, qua prohibetur, ne alter alterum ob religionem iniuriis afficiat, aut in Reipublicæ muniis, siue palam, siue clam posthabeat: sed vtrinque in pace mutua viuant, & concordia ciuili, expectantes, donec tempora ipsa commodiorem concordiæ occasionem diuinitus suggestam offerrent. Hæc autem sapienti consilio fuerunt decreta, nempe, vt vitarentur motus, bellaque parricidialia; sancte & sine dolo se seruaturos inuicem promiserunt, & vt Reges quoque posteri in inauguratione idem iureiurando comprobarent, sanxerunt.

Comitia de noui Regis electione.

Post vnius ferme anni interregnum, quod fuit satis tranquillum, præterquam, quod pridie paschatis mille octingenti Tartari, in Podoliam irruptione facta, vicis aliquot & prædiis circumiacentibus succensis, spoliis onusti, domum redeuntes à Buczacio Camienecensi Præfecto cæsi atque fugati sint.

Ann. Chri. 1573. Tartarorũ in Podoliam irruptio.

Septimo deinde idibus Aprilis de electione noui Regis extra Vistulam Orientem versus ad Varsauiam in campo patenti, in quo tentorium magnum erectum erat, agi cœptum. Ad quæ Machmet supremus Constantinopoli Bassa literas nomine Imperatoris sui Selymi Senatui & Ordinibus Poloniæ exhibuit, quibus intercedebat pro Henrico Andium Duce, Caroli noni Regis Galliæ fratre, vt eum Poloniæ Regem crearent. Postea ab ipso Imperatore Turcico Selymo orator Achmet Czaus venit, Imperatoris sui gratiam, amicitiam, & beneuolentiam omnem regni Senatui offerens,

ferens. simulque rogans, si aliquem ex suis, quem eo honore dignarentur, Regem eligere animus esset, vnum ex his videlicet Iacobum Vchanium Archiepiscopum Gnesnensem, Ioannem Firleium Palatinum Cracouiensem, & regni Archimarschalcum, Georgium Iaslouiecium Russiæ, ac Nicolaum Mielecium Podoliæ Palatinos declararent. Quod si externum mallent, suasit, vt Regem aliunde sumerent eiusmodi, qui fœdus & amicitiam cum Imperatore Turcarum coleret. Itaq; longa consultatione habita Henricum Valesium Andium Ducem, Henrici secundi Regis Galliæ filium, Rupellas tum fratris nomine obsidentem, Poloniæ Regem designant, aliquot Palatinatibus siue satrapiis, videlicet, Cracouiæ, Sendomiriæ, & Podoliæ non consentientibus, priusquam de religione fuisset conuentum, & de iuribus, legibus, ac immunitatibus Nobilitatis sartis tectis conseruandis recte prospectum: sed tamen electioni Regis eiusdem, in quem cæteri consenserant, calculum suum adiecerunt. Archiepiscopus itaque Gnesnensis regni primas Henricum Andiæ Ducem electum Regem promulgauit, non citra bilem Mareschalcorum Poloniæ & Lituaniæ, quorum id officii erat, multis re suspensa domos suas repetere constituentibus. Postea dissidiis vtrinque compositis conuenerunt, dieque decima tertia & decima quarta Maii de pactis & conditionibus ad libertatem, immunitates, leges, & iura regni, magnique Ducatis Lituaniæ cum legatis Gallicis transegerunt, quæ omnia iuramento solenni Gallici legati confirmauerunt, & firmiter seruanda, augendaque semper à Principe suo Rege electo fidem dederunt. His ita confectis, tam Poloni quam Lituani vnanimi & concordi suffragiorum consensu electum Regem Poloniæ Ducem Andegauensem Henricum nuncupatum renunciauerunt, rituque solenni confirmauerunt.

Henricus Valesius Rex Poloniæ designatur.

Henricus proclamatur Rex Poloniæ.

Quem Ioannes Firleius Palatinus Cracouiensis, & regni Archimarschalcus Polonis, & Iohannes Chodkieuicius Samogitiæ Præfectus Mareschalcus magni Ducatus Lituaniæ Lituanis proclamarunt. Sicque omnibus transactis, Varsauiæ in templum diui Ioannis omnes congregati sunt, consentientibus animis & vocibus hymnum DD. Augustini & Ambrosii, & alia secundum ritum ecclesiæ Romanæ decantauerunt, bombardis, & tormentis maioribus ad lætitiam exprimendam explodentibus.

Legati in Galliam missi ad salutan. Regē electum.

Conuentu nondum dimisso, instrumenta electionis confecta sunt, & ad ea in Galliam perferenda, salutandumque Regem electum, delecti tam à Senatu Poloniæ & Lituaniæ, quam ab equestri Ordine oratores illustri loco nati. Legationis principem locum tenebat Adamus Konarscius Episcopus Posnanienſis, cui adiuncti fuerunt legationis socii, Albertus Lascus Palatinus Siradiensis, Ioannes Tencinius Gnesnensis, Andreas Gorcanus Miedziricensis, Ioannes Herburtus Sanocensis, Stanislaus Kriscius Racianzensis, Castellani. Nicolaus Christophorus Radiuilus Mareschalcus curiæ Lituanicæ, Ioannes Zameiscius Belzensis, Ioannes Zborouius Odolanouiensis, Nicolaus Firleius Casimiriensis, Præfecti, & Alexander Prunscius Palatini Kiouiensis filius. Qui petita quidem facultate, nondum tamen impetrata, per Germaniam eundi, Lutetiam decimo quarto calendis Septembris feliciter attigerunt; qui à Carolo Rege Galliæ

liæ perbenigne & liberaliter excepti, legatione sua exposita, Ducem Andium Poloniæ Regem salutarunt. Inter alias autem, easque magnificas & liberales promissiones, quas legati Gallici in comitiis Varsauiensibus Henrici Ducis Andegauensis nomine fecerant, si is Poloniæ Rex eligeretur, erant & hæ; quod Rex declaratus breui dissolueret omne æs alienum Regis demortui, & ab ipso regno Poloniæ publico nomine contractum: quod priuatis sumptibus bellum magno Moscouiæ Duci indictum gereret, omniaque loca superioribus bellis Poloniæ ablata recuperaret: omnes prouentus, vectigalia, & pecuniam, quæ ex Gallicis suis ditionibus annuatim colligeretur, ad ornandam excolendamque Poloniam conferret: classem in genrem ad impedienda Germanorum cum Moscis commercia pararet: centum nobiles iuuenes Polonos impensis suis in aula Gallica quotannis aleret, ac quinquaginta in Academiis exteris sustentaret. Quæ cum se præstiturum, iurisiurandi religione interposita, saucte recepisset, quarto calendas Octobris Parisiis, fratre Carolo Rege, Catharina matre, Francisco Alenconio altero fratre, & sorore Margareta, comitantibus discessit. Rex statuerat fratrem vniuerso cum comitatu ad regni fines prosequi, nec prius diuelli, quam ad Germaniæ limites ventum: verum medio itinere morbo correptus, dimisso fratre, ad sua redire coactus est. Vnde Rex electus Nanceum perrexit, à Duce Lotharingiæ sororio lautissime exceptus.

Henricus discedit ex Gallia.

Vbi tunc peroportune Claudia Ducis coniunx filiam recens enixa; pro qua in sacro baptismo Episcopus Posnanienſis, & collegæ rogatu Principis fideiusserunt. Discedens illinc Rex nouus Blamontum peruenit, vbi matre Catharina, fratre Duce Alenconiorum, Margareta sorore aliisque proceribus Galliæ valere iussis, vltimo omnes complexus est. Eum in Poloniam nuncius Pontificis Episcopus Montisregalis, & sexcenti Nobiles Galli illustri genere nati honoris causa comitati sunt. Blamontum vsque venerunt ei obuiam Principes Germaniæ, Ludouicus & Christophorus Comites Palatini, Friderici tertii Electoris, filii, per quos velut itineris duces Rex Tabernas Alsatiæ oppidum deducitur, vbi ab Episcopo Argentinensi hospitaliter susceptus. Inde Nemetibus ac Vangionibus, Palatinatu, Francofurto ad Mœnum, Fulda, Hassia, Saxonia, Marchia, à quarum ditionum Principibus vbique honorifice & magnifice acceptus habitusque est, feliciter perlustratis, tandem prospera vsus fortuna in Poloniam magna cum lætitia & congratulatione appulit.

Henrici iter per Germaniam.

Eius in Poloniam aduentus.

Hoc interim temporis spacio funus Sigismundi Augusti in aduentum huius noui Regis reseruatum est. Knischino, vbi defunctus, corpus eius Tykocinum arcem duobus inde milliaribus disitam, inde Varsauiam anno fere euoluto deportatum, Varsauia tandem Cracouiam magna cum procerum pompa Regis sorore Anna subsequente ad sepulturam, cum iam felix aduentus noui Regis Miedzieciam nunciaretur, aduehitur: omnibusque pro iustis exoluendis tanto Principe dignis apparatis, decimo quinto calendis Martii proceres ac equites, qui ad funus cohonestandum, & expectationem noui Regis vndiquaq; confluxerant,

Ann. Chri. 1574.

Sigismundi Augusti funus.

rant, lugubribus induti ad Annam Poloniæ Infantem in arcem omnes sese conferunt. Similiter matronæ illustres pullis velamentis capita obuolutæ concurrunt ad testandum dolorem, Infantemque consolandam. Hæc dum fiunt, interim æra in omnibus templis vrbis, & circumquaque in pagis vicinis parochialibus vbique perstrepebant, quibus & vrbs ipsa, & circum omnis vicinia late personabat. Sic omnes proceres Infantem Annam Prandnikum vsque prosequuntur. Inde funus plumbeo loculo inclusum & serico velamine nigro obductum, insignibusque regni ornatum, octo equis miræ nigredinis effertur, aulicis circumquaque serici villosi tegumenta longe per terram errantia tenentibus. Post sequebatur illustrium & nobilissimorum virorum comitatus, quibus omnibus vnus habitus. In his legati externorum Principum, Archiepiscopi, & Episcopi cum Abbatibus conspiciebantur. Infans Poloniæ à legato Pontificis Romani, & Venetorum oratore deducebatur. Hinc triginta duo feretra serico villoso & pannis Attalicis, holosericoque preciose tecta præferuntur cum insignibus regiis, & equi triginta tres eleganter instrati, vtrumque latus armis regni insigniti deducuntur. Demum singularum prouinciarum vexilliferi triginta vexilla armati equis insidentes circumferebant.

Ante funus regium Bernhardus Macieiouius totus cataphractus gladium auratum cuspide ad latus conuerso gestabat: quem sequebatur armiger atratus ferens hastam, cuspide in terram demisso, cum vexillo, scutum etiam, in quo insignia Regis depicta, regni ensifer gladium præferebat: tum pomum aureum, sceptrum, corona aurea à Senatoribus, quorum illud munus, gestabantur. Legati autem singularum prouinciarum antecedebant: Nobilitas, & vrbis senatus populusque longo ordine succedebat. Omnis clerus, literarum studiosi, phonasci, cantores, epicedia, nænias, & threnos decantabant. Hinc plus quam quatuor millia pullatorum cum funalibus accensis ibant. Vbi iam in arcem ventum, in ædem cathedralem, quæ vndiquaque defixis cereis collucentibus omnia collustrabat, funus cum honore debito deponitur, regalibus supra impositis, & inde finitis monodiis & canticis consuetis, sermonem funebrem habuit Abbas Mogilensis. Deinde sacrum piaculare inchoatum, sub quo eques ad feretrum cataphractus, cassidem habens vndique plumarum loco cereis ardentibus radiantem, equo delabitur, confractaque hasta gladium abiicit, cumque solenne illud Agnus Dei concineretur, Cancellarius & Procancellarius sigilla Regis mortui confregerunt: cæteri autem Senatores sua sceptra altari imposuerunt.

Peracto Regis Sigismundi Augusti funere, Henricus nouus Rex ingenti cum equitatu & peditatu biduo post Balicias sesquimilliari, Cracouia remotam villam Ioannis Firlei Palatini Cracouiensis aduenit. Vbi omnes regni Ordines, magni etiam Ducatus Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, ac cæterarum prouinciarum magnificis sumptibus inter se certabant. Hi aureis, isti argenteis; illi holosericis, hi polymitis; alii planis, alii villosis; hi infectis purpura, illi tinctis murice & cocco: quidam Attalica textura, quidam Phrygia elaboratis, inser-

tisq; cum vnionibus variarum gemmarum lapillis coruscabant. Cum autem Rex Lobzouium & Bronouice Ciuitatis vicos Gallis & Polonis cinctus adueniisset, ab Episcopo Plocensi Petro Miscouio facundissima oratione omnium ordinum nomine salutatus est. Bibraeus postea Regis nomine gratias Proceribus & Ordinibus regni egit, & ad omnia apposite respondit. Dehinc Cracouienses, Casimirienses, & Clepardienses eum humiliter salutant, à quo pleni bonæ spei discesserunt. Absolutis his, Rex singulas turmas perlustrat auide, quarum tanta erat multitudo & robur, vt etiam hosti potentissimo videretur posse opponi, totmentis interim maximo fragore reboantibus. Tandem Rex circiter primam noctis horam vrbem ardentibus facibus vbique resplendentem diui Floriani porta ingreditur, albo equo & sublimi, regiis phaleris conspicuo insidens, vt ab omnibus conspiceretur. Regem pone sequebatur Nuersius, Guisius, Dumenecius, Duces, Marchio Elbensis, aliique Galliæ primores, quorum singuli honoris causa inter binos Palatinos deducebantur. Sequebantur & anteibant tympanistarum, tibicinumq; multitudo, singuli suum taratantara resonantes. Succedebant quoque diuersorum Principum legati. Arcem ingressus Rex, in templo diui Stanislai cathedrali à Canonicis salutatur, & dum canticum eucharisticum DD. Ambrosii & Augustini suaui decantatur melodia, Rex ad solium deducitur: vbi vltro vtroq; gratulationibus factis post votiuas acclamationes in palatium auro fulgens cœnaturus quieturusue concedit.

Rex nouus Cracouiam ingreditur.

Postridie in Senatus consessum veniens, per Bibracum Cancellarium priuatum omnibus regni Ordinibus gratias egit, quod sibi integrum atque florens tantum regnum administrandum demandassent, Deum precatus, vt hæc inauguratio sibi, regno, atque adeo toti Reipublicæ Christianæ felix salutarisque esset, pollicitus insuper, daturum se sedulo operam, vt conceptæ de se apud illos opinioni cumulate satisfaciat, & vt coronatio accelereretur, postulat. Ad hæc sequenti die Sandiuoius Czarncouius regni Referendarius Regem nouum à Nobilitate concinna oratione salutauit, in qua, quid regiæ dignitatis sit, & quid ad incolumitatem regni pertineat, prolixe ita exposuit, vt omnibus satisfactum videretur. Regis quoq; nomine similiter responsum est, omnibus eum satisfacere, & quicquid sibi creditum esset, conseruare velle, ac non tantummodo literis approbare, verum etiam sanguine obsignare paratum. Eadem die sole iam ad occasum vergente cum legato Pontificis, & magno Episcoporum comitatu in Stanislai Polonorum Patroni ædem, quæ in rupecula est, perrexit, vbi Deo deuotissime supplicauit, sacrisq; de more exoscülatis, in arcē rediit. Quam ceremoniam omnes Poloniæ Reges ante coronationem obire veteri consuetudine tenentur. Die deinde Matthiæ Apostolo sacro, qui tunc in ipsa Bacchanalia incidebat, solenni ritu ab Archiepiscopo Gnesnensi de catholica fide retinendi, conseruanda, & defendenda, deque regno sibi à Deo commisso secundum regni ac iustitiæ leges regendo, administrando, & protegendo interrogatus, cum in omnia iurasset, solennibus ceremoniis inunctus & coronatus est.

Rex per Cancellarium Poloniæ gratias agit.

Henrici Regis coronatio.

Mense Aprili viuendi finem fecit Ioannes Firleius Palatinus Cracouiensis, Senatus Polonici Nestor, non sine veneni, vt fama ferebat, suspicione, relictis quinque filiis bono Reipublicæ natis ac gloriæ virtutisque paternæ

ternæ egregiis illustratorib. Omnes enim primariis in regno dignitatib. laudabiliter perfuncti sunt, quidam etiamnum cũ totius inclitæ familiæ honore funguntur: è quorum numero filiorum natu minimus Henricus paulo ante patris decessũ natus, nomẽ à susceptore suo Rege Henrico nactus, hodie Episcopus Plocensis, ac regni Procancellarius eminet. De parente inter multa alia memorabile hoc refertur, cũ in Henrici Valesii Andiũ Ducis electione initio calculũ adiicere suũ tergiuersatus esset: tandẽ multitudini cedere coactus, video, inquit, equidẽ, & manifeste video, non modo non aliquid commodi Principem pœnæ loco à supremo Numine promerentibus peccatis nostris nobis destinatum, sed malorum plurimum importaturum. Verum cum maiori parti sic visum, satius duco accedere plurium votis, quã proposi i pertinacia in discrimem aliquod patriam adducere. Videbunt ac dolebunt profecto illi ipsi, qui autores iam eligendi Regis sunt &, vtinã falsus sim vates, temporis progressu suo cum damno experientur, quantum in periculum patriam carissimam improuide præcipitarint. Ego, cui iã potissima vitæ pars decursa est, vix illorum talium spectator ero: vos ætate me inferiores dictorũ meorum memores estote, deprehendetis, quod dixi. Finitis his lacrumę ipsi obortę, ac sane euentus orationi ipsius nõ multo post respondit. Fuit patriæ & libertatis amantissimus, inq; hoc totus, vt pax religionis in Polonia sanciretur, probe memor, quid in Eois Parisiensibus haud ita pridem accidisset. Iuuenis longissimas suscepit peregrinationes, peragratis Germaniæ, Italiæ, Galliæ, aliisq; regnis Europæis, inde in Palæstinã & Ægyptum vsq; cum Stanislao Tenczinio post Palatino Cracouiensi auunculo suo traiecit, Interregno finito cum idẽ ille Hẽticus Valesius Cracouiæ inaugurandus esset, ac legati Pontificii instinctu religionis pacem diuersæ religionis assertoribus antea indultam iureiurando firmare cunctaretur: tanta animi præsentia hic Fitleius obstitit, vt arrepta corona, quæ Regi tum præferebatur, templo exiturus fuisset, nisi à plerisque pacis atq; concordiæ nomen inclamatum esset. Ei successor à Rege nouo datus etiam Petrus Zborouius Palatinus Sendomirien sis.

Carolo nono Gallia Regis mors.

Dum Rex Henricus regnum Poloniæ quadrimestre fere pacifice administrat, moritur interim Carolus nonus Galliæ Rex frater: de cuius morte certior factus literis à Regina matre, cõsilia de regno auito repetendo agitauit: non enim paruæ res hæc erat difficultatis, eo quod nõ nesciret, Polonos in abitum eius non facile consensuros. Primum itaq; ad 15. Iunii Cracouiæ Proceres conuocat, quibus fratris obitum exponit, causasq; addit, cur sua in Gallia præsentia sit necessaria: interea se nihil sine Procerũ & Ordinum cõsensu acturũ simulans, comitia mense Augusto indici cupit, in quibus ea de re tractaretur. Respõdet Senatus, Regi tunc præsens, dolere sibi fratris obitum, cæterum se sine regni totius approbatione de Regis discessu nil decernere posse. Orare igitur se, Rex comitiorum sententiam haud ægre expectet; nec interea noui quid moliatur. Interim Rex clanculum mittit, qui fidẽ publicam à Maximiliano Imperatore peteret, quam haud difficulter obtinuit.

Henrici Regis ex Polonia exessio.

Paulo post Belleræus, cui omnis de profectione cura erat à matre demandata, Senatui valedicit, sibi in Galliam necessariam ob causam eundum, qui magnã regiæ supellectilis partem secum asportasse dicebatur. Postridie Rex aduersam causatus valetudinem solito maturius se somno componit, & nocte

nocte intempesta mandato Regis porta arcis aperitur, ipseq; peregrino Nobilis habitu egressus, paucis comitatus, citatis equis magnisque itineribus Plezinam primum Silesiæ oppidum peruenit. Mane summus in vrbe tumultus: vndique Poloni concurrere ad Regem insequendum. Ac quamuis ab vna turma, quam Tencinius Castellanus Voinicensis regni Succamerarius ducebat, ante versus esset: tamen, quia Austriæ fines ingressus erat, ex itinere retrahi non potuit. Plezina itaque statim post siceræ atque aquæ hausturn dispositis equis Vescouium defertur, atq; inde Viennam, vbi perhumaniter à Maximiliano Cæsare exceptus. Ex Austria statim literas dat ad Senatum Venetum, Ferrarien sem, Sabaudum, aliquotque Italiæ Principes, quibus significat, se in Galliam redeuntem cupere per ipsorum ditiones iter instituere. Placuit Principibus, paraturque statim ad eum excipiendum certatim vniuersa Italia ad omnem magnificentiam effusa. Paulo antequam Henricus Polonia excederet, Carolo Danzæo ad se vocato exponit itineris sui consilium: opus esse celeritate ob periclitantem Galliam, literas ei diuersas tam ad Episcopum Cuiauien sem, quam ad alios regni Proceres tradit, quibus rogabat eos, in fide & veteri in illum beneuolentia perseuerarent. Has post abitum literas singulis vt redderet, Danzæo iniunxit: addens insuper, velle se, vt coram Senatu & omnibus regni Ordinibus suum discessum exposita causa excusaret. Ad Senatum quoque & reliquos regni Ordines eiusdem argumenti literas Rex ipse reliquit, in quibus illis ob summam eorum in se fidem gratias agit, dolore summo deserere eos oportere, excusasse, & distulisse abitum, quamdiu potuisset, matri mandatum amplissimum, quod regentiam Galli vocant, misisse: Alenconium & Nauarræum monuisse, vt sui desiderium æquo animo ferrent, nec aduentum frustra expectarent. Cæterum nouas literas superuenisse, nunciantes, actum esse de regno Galliæ, ni intra viginti dies in Galliæ finibus se sistat. Inde rationes adducebat, cur clam abiisset. Tandem petit ex omnibus Ordinibus ad se in Galliam legatos mitti, quibus cum de statu regni Poloniæ transigat. Poloni itaque, vt Regi satisfacerent, postquam datis ad eum Viennæ subsistentem literis, quibus eum honorifice reuocabant, non rediisset, petitam legationem mittunt. Venere legati Ferrariam, vbi Regem inter spectacula & ludicra offenderunt: cui Polonorum in se fidem & beneuolentiam exponunt, deque inopino excessu conqueruntur. Inde demisse petunt, ad regnum redeat, exponentes pericula, quæ Rege absente à Moscis, Scythis, & Turcis imminerent. Tandem obnunciant, nisi ad statum diem redeat, abdicandum eum regno, & comitia creandi noui Regis esse indicenda. Henricus Rex lupum auribus tenens (nec dum enim Gallici regni pacatum habebat imperium) timensque, ne forte vtroque regno excideret, vafre legatis respondet; se propediem in Poloniam rediturum, non ideo se Poloniam reliquisse, vt potens illud regnum penitus destitueret, sed ad componendas res Gallicas profectum, iis pacatis, mox reuersum. Id quod factũ fuisset, si tutus patuisset ad Gallos accessus: animos vero quorũdã magis exacerbatos, qui per amicos erant mitigandi. Hãc causam esse, cur tãdiu in Italia hæreret. Postquã legati discessissent. Rex Ferraria Augustam Taurinorum cum Emanuele Duce Sabaudiæ profectus est. Hinc literas iterũ ad Poloniæ proceres mittit, eosq;, vt priorẽ

Henrici R. litera ad Polonia ordines.

Poloni legatos mittunt ad Henricũ Regem.

Eius responsum.

Henr. R. iterum literas ad Polones dat.

electionem ratam habeant, nec ad alteram transeant, nilque in comitiis contra suam maiestatem decernant, hortatur & orat.

Hoc anno mense Octobri Henricus Rex importuno suo è Polonia discessu Tartaros in Russiam pertraxit, & Iuonia inique parti dominatus Valachique perfidiæ pœnas dederunt. Quæ quomodo gesta sint, series historiæ requirit, vt paulo altius repetantur. Erat eo tempore Palatinus Transalpinæ Valachiæ, quem non mediocriter fortuna Petri fratris angebat. Quare de eo solicitus, purpuratos in regia Selymi prensabat, vt quemadmodum Bogdanum Iuonia auxilio Selymi ex Valachia eiecerat, sic Petrus auxilio eiusdem Iuoniam expelleret. Quare iisdem artibus purpuratos, quibus olim Iuonia aggreditur: ac, si Palatinatum siue Principatum Valachiæ apud Selymum fratri Petro impetret, se duplicatum tributum daturum pollicetur. Iuoniæ fidem esse suspectam, qui Mahometana religione spreta rerum susceperit Christianam, & Christianis apprime faueat: futurum breui, vt Bogdanum secutus, post ad amicitiam Polonorum se conferat, quorum subsidio adiutus, Turcarum imperium detrectet. Purpurati hisce moti, ac tributi magnitudine pellecti, Selymo suadent, vt missa legatione ad Iuoniam, ipsummet ad se venire, illique, quem eo mitteret, Valachia cedere iubeat. Si mandato ipsius minime obtemperet, id se armis consequuturum. Selymus ingenti cupiditate pecuniæ flagrans, facile id sibi persuaderi patitur. Quare legatum ad Iuoniam mittit, qui vicesima prima die Februarii, cum Henricus Rex Cracouiæ coronaretur, ad Iuoniam veniens, ab eo tributum duplo amplius è vestigio Selymo pendi postulauit, tantundem enim ab illo offerri. Renuenti imperat, vt statim secum Constantinopolim ad dicendam causam proficiscatur. Si nolit, bellum denunciat. Hæc legati verba animum Iuoniæ altius penetrarunt. Quare dissimulata animi ægritudine legatum in hospitium deducere iubet, rem esse maioris deliberationis, quam vt eadem die ipsi possit responderi: ac cum ad rorum Senatum pertineat, eum se extemplo conuocaturum, deque ea re tam ardua consulturum respondit. Deducto legato in hospitium, omnia postulata Selymi animo pensitat: gentem vniuersam Turcicam esse perfidissimam, quæ Christianis Regibus fidem iuramento confirmatam non seruet, sed occasione capta eos in fraudem inductos fallat. Si id tributum tam amplum in tanta Principatus inopia, quod ciuilibus bellis exhaustum sit, concedat, eo Selymum minime contentum fore, sed illud sequenti anno aucturum esse, taleque demum exacturum, quale cum vniuersa gente non possit numerare: nec se iam tutum fore, exorto æmulo, qui imperata sit facturus. Itaque vniuerso Senatu ad se conuocato in hunc modum verba facit. Si vnquam, viri Valachi, de re ardua ac difficili vobis consulendum deliberandumque fuit, hoc certe tempore est. Nam Selymus Turcarum Imperator incredibili auaritia æstuans, nescio cuius instinctu non contentus eo tributo, quod ei pendere soliti sumus, duplum à nobis extorquet. Si concesseritis, mea nil refert: vtpote, cum non mihi domino, sed vobis liberisque pendendum sit. Quod si id negaueritis, protinus vim, bellum, direptionem oppidorum, incendia, rapinas denunciat. In hac igitur re gestate Principatus nostri, quod totum ciuilibus bellis exinanitum sit, quomodo ei illud dissoluere poterimus? Proinde, quid vobis animi sit, exponite. Ego quidem illud præuideo, si tam immensum Selymo tributum iam concesseritis, minime eum acquieturum,

Historia de Iuonia Valachia Palatino.

Iuonia ad Valachia senatum oratio.

turum, sed singulis annis maius exacturum, donec opibus nos plane exhausti fuerimus. Præstat igitur vitam pariter cum vxoribus liberisque amittere, quam tantum dedecus pati. Nec fortuna mea adeo angor, cum sciam, illud vobis esse luendum, non mihi. Quare si hanc turpem seruitutem seruire non vultis, omnes citra vllam cunctationem dicite. Ego certe diligenter curabo, vt huic ethnico cani non solum hoc nouum, tamque amplum tributum dem, sed ne vllum plane deinceps pendam, dummodo vos mihi non defueritis. Scio collegæ charissimi, quid ego vobis debeam, quid Reipublicæ vestræ: pro quorum salute & incolumitate vitam meam profundere paratus sum. Hæc vbi dixit, tacitus eos mœror inuasit: tandem, tanquam graui somno expergefacti, fremunt, seruitutem sibi à Turcis multiplicari: Iuoniam non tam luculenter, quam vere de tributo loqui, emori se malle, quam seruitutem cum ignominia coniunctam sustinere. Proinde vxores, liberos, ac quicquid precioſioris supellectilis habebant, in arcem Chocimensem, cuius munitioni fidant, se importaturos, seque Iuoniæ suo ære militaturos, hosti ad Danubium, qua parte ad se delendos veniat, occursuros, & cum eo ad vltimum vsque spiritum dimicaturos pollicentur, quæ omnia se iureiurando facturos confirmant. Iuonia omnium constanti voluntate cognita, pauciſque collaudata, fidem ac iusiurandum omnes inter se dare iubet, vt simul secum iunctis armis Turcas ad internecionem persequantur: se vero etiam atque etiam accuraturum, vt non solum infundentes copias Turcarum à ceruicibus Valachiæ repellat, sed longe lateque eorum regno vastato honestam pacem ac quietem ciuibus comparet. Accepto ab omnibus iuramento, legatum ad se Selymi accire iussit, audienteque Senatu initio sese purgauit, cur, quod Selymus imperaret, facere non posset, consilium que denegati tributi in subditos reiecit, qui acerbissima quæque, quam tam indignam seruitutem ferre malint. Orare se Selymum, ne hæc in malam partem accipiat, cuius amicitia sibi præsidio & ornamento, non detrimento fore sperauerat. His dictis, legatum nulla interposita mora è finibus Valachiæ excedere, eumque nullis muneribus, vti alios legatos solitus erat, ornatum, equites Valachicos ad Danubii ripam deducere mandat. Quæ res ipsi haud mediocrem suspicionem attulit animi à Selymo alienati. Iuonia responso dato ad comparandum exercitum continuo animum adiecit: vbi illico omnes pedites stipendio militari inautorati: quique equo stipendia merere soliti erant, ad Iuoniam conueniunt, qui iuramento iterum atque iterum se obstringunt, se contra Selymum ad internecionem dimicaturos, omniaque potius amissuros, quam dominum suum deserturos. Tributum se statim exacturos, in idque collocaturos, vt Iuonia equitibus Polonicis, quorum tum maxima opinio virtutis erat, conductis, expedita eorum opera in hoc bello vtatur. Iuonia suos sibi fideles fore credens, confestim legatum Cracouiam ad Regem Henricum & regni Senatum mittit, statum rerum Valachicarum eis exponit, impendens à Selymo bellum significat, auxilia petit, quanti Poloniæ interſit, ne Valachia à Turcis occupetur, ostendit, id orans duntaxat, vt Rex Cameneciæ, Leopoli, & reliquis oppidis proclamari iubeat, quicunque in Valachiam militatum ire velit, Palatinum huic tantum numeraturum stipendium, quantum ipse poscat: plus enim apud se omnium incolumitatem, quam sumptus valere. Sed Henricus Rex se Iuoniam nullo auxilio iuuare posse, nec cuiquam, vt ad merendum sti-

Valachorum responso.

Iuonia Selymo tributii denegat.

Iuonia Legatos ad Henr. R. Polon. mittit.

pendium in Valachiam proficiscatur, permissurum respondit, idque ideo, quod supra centum annos antiqua fœdera Regibus Poloniæ cum Turcarum Imperatoribus intercederēt, seu (quod verisimilius est) fœdus Gallorum cum Turca, cuius interceſſione Henricus ad regnum Poloniæ peruenerat. Tristis hoc nuncio Iuonia, nondum tamen animum abiecit, sed velites seu equites Polonicos leuis armaturæ, vulgo Kosacos dictos, ad Borysthenem, & Ponti ostia prædæ agendæ causa palantes, circiter mille ducentos stipendio liberali conduxit. Qui nil de Henrico Rege cogitantes, id iter suum in Valachiam ipsi aduersari, ad Palatinum in Valachiam recta profecti, comiter ab ipso obuiam ipsis procedente sunt excepti. Vbi in castra ventum, tormentorum maiorum artifices ingentem boatum edere iubet. Postquam satis concentui datum, tot pedites è suis, quot velitum equites erant, egredi iubet, vt singulorum equis acceptis fat pabuli præberent, eosque curarent.

Hēr. R. Pol. auxilia Iuoniæ denegat.

Quibus factis, lauto epulo eos excipit, argenteas patinas nummis aureis onustas iubet adferri, & ex eis tantum ductoribus equitum horum siue velutum, eorumque ministris apponi, quantum sufficeret. Quam eius liberalitatem ad stuporem vsque illi admirati sunt. Deinde mittit eis sexcentos Ioachimicos, sex grandia vasa vini generosissimi, vt illud in sui memoriam exhauriant. Mane ipsemet velitum duces accedit, quos ad tabernaculum inuitat suum: esse quod ad eos de summa rei referat, &, quid eos facere velit, omnibus exponit. Qui vbi prompti venere, hoc modo verba ad eos Polonice feciſſe fertur.

Iuonia ad velites oratio.

« Si de vestra fide, virtute, & constantia, fortissimi equites, certo mihi non persuasissem, nunquam hoc difficili ac periculoso tempore vos procul è patria vestra euocassem. Sed cum hæc omnium constanti ore celebrata fuisset, vos huc euocaui, vt mihi operam vestram & « industriam in hoc bello contra Selymum infensissimum nominis « Christiani hostem præbeatis. Pro qua nauara si vobis certum stipendium « militare constituere velim, non mediocriter pertimesco, ne meritis « vestris minus dignum præmium detur: sed quicunque successus no- « stri contra hunc teterrimum hostem erunt, omnia vobis à me large sup- « peditabuntur. Ego vos pristinæ virtutis memores, ita gesturos esse hoc « in bello arbitror, prout de vobis omnium opinio est, aceam in animo « meo excitastis. Vobis autem summas perpetuasque gratias & ago, & ha- « beo, quod ad me hominem Christianum ipsi Christiani veneritis: « quorum voluntatis erga me semper gratum ac memorem me fore pol- « liceor. Qui etsi pro magnitudine periculi mei pauci estis: tamen non « minus mihi gratus est conspectus vester, quam si duodecim millia mihi « in auxilium aliunde missa essent. Quare, quodcunque stipendinm po- « stulaueritis, id me vobis soluturum recipio. Nec vos vires Turcarum i- « ta animo æstimare velim, quasi à nobis vinci non possint. Fateor eos « hactenus miro successu vsos fuisse, qui à sordidissimo initio orti, ad « tantam amplitudinem peruenere: sed quæ ab eorum perfidia, non vir- « tute profecta, summo cum scelere coniuncta sit. Fateor item, Deum « optimum maximum, quo grauius homines ex commutatione rerum do- « leant, quos pro scelere eorum vlciscivelit, his secundiores interim res & « diuturniorem impunitatem concedere solere. Sic Turcæ, si hactenus felici

successu vsi sunt, id permittente Deo factum, vt quanto altius ascendissent, tanto grauius corruerent. Hæc prolocuto Suierceuius dux velitum pauca pro omnibus militari ac rudi sermone sic respondisse dicitur: Non stipendium tuum, Iuonia, vt ad te veniremus, nos pellexit, quod nos nullo loco semper habuimus, sed potius virtus nostra singularis, vt contra hunc acerrimum Christianorum hostem pro salute libertateque tua dimicemus. Stipendium non curamus: qualiscunque fortuna nostra futura est, exitus belli declarabit: satis à te remunerati videbimur, si hoste tuo intra fines regni hisce nostris dextris represso, honestam pacem cum eo feceris. Tu vero quid postea nobis præstare debeas, fortuna te nostra docebit. Nec vires Turcarum horremus, quorum successus, qualesquales erunt, eos diuinæ prouidentiæ iam committendos censemus: nos in hostem intenti erimus, vt eum à iugulis tuis auertamus. Oratione Suierceuii Iuonia confirmatus, ductores velitum secum prandere iubet.

Suierceuii velitum ducis responsio.

Selymus audito responso Iuoniæ, ira indignatione que accensus (quam legatus amarulentis verbis ob nulla ab Iuonia accepta munera auxit) sine mora Transalpinæ Valachiæ Palatino triginta millia Turcarum & duo millia Vngarorum mittit, vt coadunata suorum manu Iuoniam capiat, eoque ad se misso, ipse totam Moldauiam occupet, in eaque Petrum fratrem eius loco Palatinum constituat. Is mandato Selymi alacriter susceptο, suisque ad arma conuocatis, simul cum Turcis & Vngaris fluuium Moldauam tranat. Erant fere omnium centum duo millia equitum ac peditum: qui non solum Iuoniam è Valachia eiicere, sed & quemque fortissimum Regem debellare poterant. Hi diurno nocturnoque itinere fatigati, vt tam suam quam equorum corpora reficerent, nil de Iuoniæ inopinato aduentu suspicati, in loca herbida supra flumen late patentia, equos oberrare patiuntur. Interea speculatores ad Iuoniam prandentem veniunt, fluuium Moldauam maximam hostium vim traiecisse, nec eorum certum numerum sciri posse, sed vltra centum millia esse suspicati: nunc omnes, equis in pascua missis, se quieti dediſſe. Quos si Iuonia cum parata suorum manu aggrediatur, facile ad vnum deleri posse. Hæc tanta alacritate animi ab Iuonia audita fuere, at Suierceuium cum suis confestim præcurrere attributis ei sex millibus Valachorum, qui linguæ Turcicæ gnari omnia certius cognoscerent, iusserit: ipse cum suis, quoniam paulo onustiores armis erant, subsequitur. Suierceuius omnes orat, vt, si læta ex hoste victoria potiri velint, quanto silentio possint, ad hostium castra nullo clamore dissono, aut tumultu edito perueniant. Hisce ita inter se compositis, incidit in speculatores Moldauorum, qui supra castra suorum stationes, ne quis impetus in quietos fieret, agebant. Erant vero hi quadringenti, qui omnes à velitibus circumuenti capiuntur. Quos primo humaniter, deinde minaciter alloquuntur, quid consilii hostes habeant, vbi sint, quid agant: si indigna nolint pati, vt exponant, cogunt. Illi suppliciter & ingenue præsentis periculi metu perterriti, fatentur, Valachos Transalpinos pariter cum Turcis, quibus intermixti Vngari, non tam longinquitate ac difficultate itineris defessos quieti se dedisse, & corpora curare, quam vt Iuoniam vegetiores inopinatum aggredianrur. Quos si iam securos, ac omni cura solutos inuadat, eum facile compotem victoriæ futurum. Valachorum Transalpino-

Selymus Trāsalpinæ Valachiæ Palatino auxilia mittit contra Iuoniam.

343

alpinorum non esse amplius septuaginta millia, Turcarum triginta, Vngarorum tria. Hisce velites cognitis subito ad Iuoniam nuncios mittunt, in quo statu res hostium sint, eum certiorem faciunt: vt cũ suis mature (in manu enim victoriam esse) approperet. Ipsi vero non procul ab hostium castris duabus horis stationes vigiliasq; taciti agunt, ne vsquam hostis commoueatur, aut quicquam tentet. Quæ vbi celeriter ad Iuoniam perlata fuissent, statim ipsemet accurrit, Suierceuiumque aciem disponere, ac quamprimum cum hoste confligere iubet. Ipse vero, quoniam multitudine abundabat, sua acie in longitudinem extensa, tribus ex partibus hostium castra omni præsidio nudata aggreditur. Suierceuius parte ab altera cum suis citatim ad hostem, antequam Iuonia accessisset, peruenit: ibique sublato clamore castra hostium inuadit. Hostes ignoto & horribili fremitu repente exciti, neque fugam, neque arma capere, neque omnino suscipere aliquid defendendi causa poterant. Ita cuncti strepitu, clamore, & nullo subueniente, velitibus instantibus, tumultu, terrore, formidine, quasi attoniti erant. In qua strage hostium subito Iuonia cum suis aduolat, qui & ipse perturbatos ac stratos fortiter cædit, adeo vt fugæ nusquam locus appareret. Nam Moldaui procul equis à se in pascua abactis, quorsum fugerent, non habebant: omnes nudi inermesque hosti ad primos successus victoriæ exultanti iugulum præbuere. Ex tanto hostium numero nemo præter Valachiæ Palatinum & Petrum fratrem, quem in Valachiam tantis copiis fretus deducebat, elapsus est. Hi igitur conscensis equis, qui in tanto periculo vix eis oblati, pernicibus, per lacum ex Danubio manantem tranant, perueneréque ad arcem Brailouiensem ad Præfectum Selymi: reliqui omnes ad vnum cæsi, volucribusque obiecti. In castris multum opulentiæ repertum, quam militibus Iuonia, & inprimis velitibus donauit. Iuonia in iisdem castris quatriduum moratus, vt suorum corpora cæde hostium defessa, viribusque exhausta reficeret, cadauer Palatini & fratris Petri summa cura inquirit. Quo non reperto, recta exercitum in Valachiam Transalpinam inducit, castella oppidaque, & natura præsidiis parum munita adoritur: quosque obuios, nulla fœminei sexus ratione habita, necare, puberes interficere, villas & vicos pariter cum oppidis succendere imperat. Triste ac miserabile ibi spectaculum fuit, cum illam partem Valachię Transalpinæ omnes fumantem & flamma relucentem aspicerent. Trahebantur senes ad cędem, rapiebantur pueri ad necem, matronæ pariter cum virginibus ad stupra, crudelissima quæque & acerbissima patrabantur. Iuonia vniuersis collaudatis agit gratias: hortatur ad cætera, quæ leuia essent, parem animum pro victoria gerant: satis iam depugnatum, reliqua prædam fore.

Iuonia hostium castra inuadit.

Moldaui ab Iuonia funduntur.

Iuonia in Moldauiã irrumpit.

Hac populatione victor exercitus ad Transyluaniam peruenit, visaque Brailouiensi arce, iter ad inferiorem Danubii ripam deflexit. Ibi cognoscit, Palatinum Valachiæ Transalpinæ vna cum Petro fratre in arce inclusos: itaque protinus aduersus illud oppidum suos ducit. Est Brailouia oppidum supra Danubium, arce per commoda naturaque loci, ac firmo præsidio munita. Ibi Iuonia non procul inde, nactus locum oportunum castris communiendis, sic vt ex arce machinis muralibus nulla ratione infestari posset, aberat. Hinc scribit literas ad præfectum arcis, easque duobus captiuis Moldauis perferendas committit, quib. orat, vt Palatinum Transalpinæ Valachiæ hostem suum vna cum Petro fratre, qui citra causam vllam præbitam

Iuonia ad Brailouiam castra metatur.

bitam bellum ipsi intulissent, ac post infeliciter commissum prælium ad eum ex acie fugissent, extemplo sibi tradat: alioquin exercitum ab obsidione non discessurum, donec vi adactus eos dedat. Præfectus arcis respondit loco misit Iuoniæ decem globos tormentarios grandiores, totidem minores, duas sagittas, telaque, cum denunciatione, nisi exercitum abducat, se ipsi exercituique suo talia fercula appositurum, quibus deglutitis recedditurus vomitu omnia sit. Hoc responsum tantam Iuoniæ bilem mouit, vt ivtillis ipsis nunciis comprehensis, naribusque eorum simul cum labiis ac auriburs truncatis, pedes singulorum sursum versus longissimæ rrabi ferreis claclauis affigi, eosque terram capitibus attingentes ante oppidum sclopetariorios ferri, abiicique imperauit. Horrendum id omnibus spectaculum, quo Iuduonia arcis præfecto demonstrare voluit, eum similem exitum vna cum proprofugis manere. Hoc tam immani exemplo edito, pedites scalis admotis tis mœnia vrbis clamore sublato conscendere iubet. Nec consilio euentus defuit. Nam pedites tanta celeritate sese sub mœnia oppidi insinuauere, vt prbriusquam oppidani ad resistendum parati essent, in murum euaserint: quo diruto, totus exercitus in oppidum irrupit. Ibi ingens strages Turcarum edita, nemini parsum, vbi ex cæsorum cadaueribus sanguis instar riui in Danubium profluxit. Quatriduum ibi laniena continuata est: in locis abditis & occultis latitantes homines quæsiti, ex latebrisque ad cædem tracti: tota vrbs direpta, ac furore incensa, nullo hominum, ac ne canum quidem inter incendia ruinasque seruato. Plurimum ibi auri, argenti, pecuniæ signatæ, vnionum, margaritarum repertum, quæ omnia prædæ militum cessere. Erat ea vrbs in illis locis omnium opulentissima, eo quod post occupatam à Turcis Græciam multum diuq; in pace vixit: qua parta, nullo belli motu conquassata, supremam tum cladem adiit. Nam à victore quidem hoste ne vna quidem domus integra relicta fuit: omnia euersa, ac solo æquata, præterr arcem, quæ omni præsidio vrbis nudata, sola remansit. Ad quam capiendam Iuonia suos admouere instituit, ni à præsidio, quo arx valide firmata fuit, clades pœnitenda subeunda esset. Interea Iuonia in direptione vrbis occcupato, speculatores adsunt, qui indicium faciunt, quindecim millia Turcarum magnis itineribus in subsidium arci Brailouiensi venire. Quibus illde cognitis, ac nil tanta multitudine hostium territus, confestim Suierceuium cum velitibus, additis ei octo millibus equitum Valachorum, in illos mittit. Ad quos vbi is præpropere aduolasset, nullo illis spatio ad recolligendas vires dato, cum eis alacriter prælium init. Omnes occisi, præter mille equites, quos fuga subtraxit. Qui cædi supererant, fuga ad arcem Teinensem ditionis Turcicæ euaserunt. Erant in proximo non procul ab illa ipsa arce Turcarum copię, quibus agmina Scytharum intermixta. Subito Suierceuius ad Iuoniam læto cum victoriæ nuncio mittit, certissimam ex hoste victoriam pollicens, modo omissa oppugnatione Brailouiensi cum omnibus copiis absque mora adsit. Ille tam læto nuncio accepto, arce Brailouiensi relicta, cuius expugnationem & sibi difficilem esse, & periculosam sciebat, ad Suierceuium celeriter accurrit. Quo cum consiliis communicatis, simul illas ipsas copias aggressi delent, & ad internecionem dant. Hinc ad Teinense oppidum exercitus admotus: quo facile sine vllo oppugnationis labore expugnato omnes oppidanos pariter cum fœminis crudeliter, nemine ex tanta multitudine superstite, trucidat.

Iuonia crudelitas.

Brailouia capta.

Turcæ cæduntur à Valachis.

Teinense oppidum expugnatum.

Bialogradū expugnatū & succensum.

Interea sexcenti velites oppidum Bialogrodense versus citato agmine eunt; quo direpto ac incenso dimidia pars ipsius fœdo incendio conflagrauit. Plurimum ibi prædæ non spernendæ inuentum, qua militi obiecta, multum ex ea auctus miles fuit. Iuonia vero cæde Turcarum delassatus, læta quiete, non procul ab arce Teinensi, quam nudam in patentibus campis reliquerat, per septiduum suos refocillabat. Vbi iterum fit repente certior, Turcarum simul cum Tartaris aliquot agmina ab oppido Bialogrodensi proficisci, qui in proximo Iuoniam cum exercitu adesse ignorantes, dispalati huc illuc, reperto vado tranabant. Quos procul velites conspicati, orant Iuoniam, vt ipse potestatem illos inuadendi pellendiq; concedat. Qua impetrata, accipit ab Iuonia Suierceuius tria millia Valachorum, quos ille cum velitibus non miscet, sed ab agmine suorum remotos, ex eis nouam aciem quandam post terga velitum instruit. Suos vero illos ducentos mille velites in tria agmina disponit. Quadringentos in prima fronte scutis rotundis tectos locat, ac hastatis Turcis obiicit. Ipsemet sibi dextrum cornu cum sagittariis quadringentis sumit. In læuo totidem cum lanceis missilibus locat. Turcæ eorum paucitatem conspicati, eamq; prælio se contemnentes, præho sese expediunt. Quo viso Suierceuius velites, quos in prima acie collocauerat, tormenta in eos displodere iubet. Quibus turbatis nimbo sagittarum, in eorum agmen suis immissis ex læuo latere, eos hastis vrgere iubet. Sic illi ancipiti prælio distenti (nam in vnicum tantum agmen coadunati erant) masculè à velitibus cæduntur: quibus, quanta quanta vi possunt, Turcæ simul conglobati resistunt. Ab initio fere horam anceps prælium durauit: donec Valachi post velites à Suierceuio dispositi, intenti in pugnam, vegeto animo ac corporibus, haud secus, ac feræ intra repagula retentæ, efferari, ingenti cũ clamore ad velites aduolant: qui maxima vim agmen Turcarum turbatum incurrunt, eosq; omnibus ex partibus, quibus pedites coniuncti, adoriuntur. Pedites nunc equis suffragines succidunt, nunc ilia suffodiunt, qui in fugam dissipati, omnes ferme terga vertunt, à velitibusq; cæduntur. Ex quibus solum tres desiderati, ex Valachis centum. Hostium castra cum impedimentis & capta, & direpta fuere: plurimum ibi prædæ inuentum, quæ viritim militi distributa. Capti hostiũ ducenti, qui ad Iuoniam pecudum instar adducti fuere, & omnes ad vnũ falcibus fœnariis frustillatim concisi. Dux illius exercitus victi in potestatẽ velitum venit: homo tantæ opulentiæ, vt sexies se redimere, modo ne Palatino viuus traderetur, voluerit, bis auro in altera statera posito, ter argento, semel vnionibus & margaritis. Vir egregiæ ac proceræ staturæ, ad promerendam q; gratiã habilis. Sed apud velites plus fides Iuoniæ data valuit, quã omnes ducis huius promissiones, ante enim satis ex tot spoliis Turcarum erant ditati. Viuus itaq; Iuoniæ traditus est, quo cum ille aliquot diebus colloquium de rebus Turcicis habuit, posthac eum peditibus membratim dissecandum præbuit. Hinc ad Vssam oppidum suum copias duxit, vbi tot præliis fracti exercitus vires refecit. Interim Selymus Constantinopoli tot Iuoniæ victoriis perturbatus ac perculsus, ne Valachia plane exueretur, ac Græcia pelleretur, cum suis Deo more suo supplicat.

Turcæ iterũ à velitibus cæsi.

Hactenus secunda in Turcas vsus est fortuna Iuonia, rebusque suprauota fluentibus, tot tamque inclytas de Turcis reportauit victorias. Sed fortuna eadem post versa, velut in ostentationem rerum humanarum inconstantiæ, destruxit, quicquid cumulauerat, & exitum miserabilem, horrendam ruinam, fœdamque mortem Iuoniæ attulit. Ad hoc via est Ieremiæ Czarnieuiecii præfecti arcis Chocimensis, quem illi Burculabum vocant, perfidia. Huic exercitum Valachorum tredecim millia armis vtilissque instructa commiserat Iuonia, ipse cum Polonis & aliis proceribus corpora tot laboribus fatigata aliquandiu quiete & ocio refoturus. Mandauit autem Præfecto, vt cum exercitu ad Danubii ripam proficisceretur, traransituq;, si eum Turcæ tentare velint, arceret: Iuoniamque de aduentu hostium quam primum certiorem faceret. Demum osculo Czarnieuiecium, vt eum maiori obsequio sibi deuinciret, excipit. Ille poplite flexo, operam fidemque suam ei pollicetur. Iuonia commisso exercitu Czarnieuiecio, aliis nonnullo temporis spacio vacationem militiæ concedit, eosque domos reuisere iubet, vt refectis corporibus labore fessis, & obsoniis acceptis, quamprimum signum daretur, omnes equis armisque instructi ad persequendum hostem conuenirent. Czarnieuiecius accepto exercitu, prout iussus erat, cum validissimo exercitu Danubium versus contendit, stationes intentissime agit, ne quis Turcarum Danubium traiiceret. Cõfluxerat infinitus Turcarum numerus, qui cum Danubium tranare noon auderent, Bassæ per internuncios Czarnieuiecium Præfectum triginta millibus nummũm aureorum in colloquium pellexerunt. Qui magnitudine pecuniæ illectus, suis insciis clam ad hostem accepta pecunia profectus est. Hic Bassæ & Petrus minis, precibus, lachrymis, promissis, & largitionibus animum Præfecti oppugnarunt, vt quasi aliud acturus, exercititũ paululũ à Danubio abducat, Turciq; liberũ permittat trãsitum. Czarnieuiecius Petri promissis inescatus, accipit conditionem, quamque iureiurando fidem confirmatam Iuoniæ dederat, eam frangit. Hinc ab ea parte Danubii, vbi excubias diligenter agebat, agmine seducto, liberum per flumen Turcis transitum concedit. Erant Turcarum tum ducenta millia, qui cum fulminalibus, omnique apparatu oppugnandarum arcium Danubium transmisere. Superato Danubio, iubent, vt Czarnieuiecius Iuoniam ea de re certiorem faciat. Hic celeriter ad Iuoniam profectus, narrat, qua ratione Turcæ multitudine suorum subnixi Danubium transierint, quibus ille nulla ratione obsistere potuerit. Quare Iuonia rebus suis bene consuleret, si quamprimum cum exercitu adesset, eorumque conatibus primis obuiam iret, suisque infirmis copiis subueniret. Non illibenter hæc Iuonia audiuit. Quare plenus bonæ spei Czarnieuiecium, quis & quantus hostium numerus sit, percontatur. Hic proditor: sunt, inquit, decem, nec amplius duodecim millia. Sed antequam tu cum tuis copiis aderis, in horas numerus eorum augebitur, & ad quindecim millia excrescet.

Ieremiæ Czarnieuiecii perfidia exitio fuit Iuoniæ.

Iuonia confestim de communi Senatus consensu cum omnibus copiis, quas penes se in obsidione arcis Teinensis habebat, in hostem proficiscitur. At Polonis velitibus Czarnieuiecii fides erat suspecta, Iuoniamque adeuntes, eum admonuerunt, vt sibi ab insidiis & proditione caueret. Cæterum Iuonia nimium fidelitate Czarnieuiecii Præfecti sui, quem comitem omnium peregrinationum suarum, ac propemodum exilii sui dicebat, confisus, velites forti animo esse iubet,

Czarnieuiecius velitibus suis spectus.

hostium paucitatem extenuans. Suierceuius, vt Iuonia subsistat, orat, donec quid certi de numero & ordine exercitus hostilis haberet. Nec mora, assumpto Veremia magistro equitum Valachicorum cum sex millibus equitum, in speculatores Turcicos, quorum agmen sex millium erat, incidit, cum iis prælium init, eos cædit, & in fugam conuertit: vnum tantum capit lethaliter vulneratum, qui, cum se propediem moriturum persentisceret, fraudulenter narrat, paucos Turcas esse in armis. At velites ficta eum narrare animaduertentes, non contemnendum numerum esse hostium iudicantes, qui in tantam multitudinem speculatorum inciderint, subito de hisce Iuoniam edocent, rebus vt suis consulat, quidque fidendum Czarnieuiecio sit, etiam atque etiam videat. Qui nihil aliud respondisse dicitur, nisi hoc iam non esse, cur perturbentur, aut cohorrescant: scite se, cui fidat, breui numerum hostium cognitum iri. Se enim eo animo huc processisse, vt patriam contra hanc hostium crudelitatem ad vltimum vitæ defenderet spiritum. Atq; ita communitis castris suorum ad lacum, qui ex Danubio profluit, vt opportunam aquationem haberet, iubet equos trecentos adducere, vt velites eis cum Valachis conscensis, qui superiore nocte Turcas fugarant, omnes simul in hostem eant. Erat prope hostium castra collis arduus ac sublimis: quo conscenso cum sociis Iuonia hostium castra contemplari voluit. Sed ea nulla ratione visu assequi potuit, eo quod in decliui posita essent, nec à quoquam eminus conspici, nisi quis propius accederet, poterant: solum in diuersis locis quatuor inter se disiunctis, speculatores hostium animaduertit, qui Valachorũ conspectum declinantes, sese in quendam tumulum per diuersos tramites, qui non procul à suorum castris erant, abdunt. Iuonia prope hostem adesse suspicatus, totum exercitum suum, qui numerosissimus erat, in triginta turmas per interualla disponit. Ante singulas tormenta muralia miræ magnitudinis collocat, quorum erant octoginta. Pedites simili ratione ab equitibus semotos, quorum magnus numerus erat, disponit: qui Iuoniam retentum, ad equites non patiebantur progredi, non mediocriter de vita ipsius, ne à primoribus deceptus, viuus in potestatem Turcarum deueniret, pertimescentes: solum ad velites eum interdum commeare passi sunt. Nam pedites gens rustica singulari erga Iuoniam fide fuere, quorum arma falces, arcus, gladii reflexi, ac fustes erant. Instructa acie firmissimisque subsidiis firmata, Iuonia, antequam signa canerentur, iterum collem eminentiorem, qui prope castra hostium erat, cõscendens, ipsa castra contemplatur: quorum ingenti numero præter opinionem viso animaduertit demum, à Czarnieuiecio se in fraudem inductũ. Quare eum ad se accersi iubet, qui sibi iam facultatem ad ipsum veniendi non dari, se statim cum Turcis certamen pro incolumitate ipsius initurum respondit. Habuit autem Czarnieuiecius equitum fortissimorum, quibus præfuit, tredecim millia optime armis instructa. Cum igitur tubarum concentu daretur prælii signum, Turcæq; acie suorum optime disposita, prælio sese expedirent, ibi proditor Czarnieuiecius primus prælium init, cumq; illi dimicandum cum hoste esset, ex compacto iubet suos vexilla demittere, pileos hastis, ensibusque impositos eleuare, ac capita flectere, Ibi Turcæ animaduersa deditione voluntaria, in sublime hastis erectis, eos ad se transire iubent.

Iuonia ad conflictum cum Turcis separat.

Exercitum disponit.

Czarnieuiecii perfidia.

Hac-

Hac perfida defectione Czarnieuiecii exercitus Iuoniæ percussus, omnes retrocedentes, propere ad Iuoniam accurrunt, rem perditam narrantes. Ille ne quaquam fractus (vt erat in rebus dubiis subitisque intrepido animo) cõtra Turcas sese armare iubet. Turcæ, vt tutiores essent, proditores omnes in prima acie constituunt, propellunt, ac tergiuersantes cædunt. Quibus Iuonia visis, ira percitus, in eos vim tormentorum exonerare iubet. Sic illi partim à suis, partim à Turcis in medio cæsi. Turcæ vero dedititiorum terga secutti, eisque tecti, per cadauerũ stragẽ ad exercitum Iuoniæ, sanguine eis intercludente iter, qui instar riui ex Valachis cæsis manabat, peruenere. Quos velites more solito à lateribus aggressi dissipant, non mediocriterque turbant. Adsunt alii Valachi, animo, armis, vigore, ac viribus corporis Turcis longe superiores, qui sibi aditu patefacto Turcas strenue cædunt. Hinc clamor permixtus hortatione, lętitia, gemitu oritur: item strepitus armorum ad cœlum ferri, sagittæ vtrinque volare. Non sustinuere vim Valachorum. Turcæ, subito terga, seu timore perculsi, seu dara opera, vertunt, ac quingentos passus, vt Valachos in insidias pellicerent, vbi vim tormentorum in abditis locis condiderant, retrogrediuntur. Præsensit eum dolum Suierceuius hostium. Quare sublato clamore monet turmas, tam Polonicas quam Valacchicas, vt pedem referant. His illi adhortationibus concitati, imminente periculo manu se armata subtrahunt. In hos Turcarum recentes copiæ impetum faciunt, quem Valachi mascule sustinent, nullaque enormi clade acceptа, ad castra suorum incolumes reuertuntur. Iuonia suorum successu exhilaratus, iuxta tormenta aciem disponit, vbi singuli pharetris sagittarum pleenis, lanceis aliis acceptis, intenti in hostem ibant. Turcæ recollectis viribus feroces facti, subito in Valachos irruunt, quibus cum fortiter congressi, nullius ingruentis periculi ratione habita disploſis tormẽtis in Valachos, eorum aciem non mediocriter turbant. Quorum conatibus Valachi obuiam euntes, fit atrox pugna, eademque propemodum par. Decidebant præcipites tam Turcæ, quam Valachi ex equis: iam vires viris, iam ferro sua vis deerat. Tantus puluis ex tormentis, è quibus crebri violentique globi explodebantur, excitatus fuit, vt ipsius densitate solis fere interciperetur lumen. Nec vlla hominum vox in tanta multitudine exaudiri potuit, nec quisquam à quoquam conspiei, nec magistri tormentorum, qua nam globi eiaculandi essent, videre. Nec quicquam tamen cruenta hac pugna Iuonia territus, suis succurrendum ratus, elata voce proclamat, vt retro post tormenta cedant, vexillaque sequantur. Turcæ quoq; retrogressi sunt. Oppidani Oblacienses tantam atrocitatem pugnæ ex oppido spectantes, cernentesq;, copias Turcarum à Valachis adflictari, fugam parant. Est id oppidum transDanubium ditionis Turcicæ, ex quo effusa multitudo in remotiora Turciæ fugit. Postquam quasi ex composito ab vtraq; parte ab armis discessum, repente ingentibus procellis fusus imber, quo vniuersa agmina tam Valachorum, quàm Turcarum compluta fuere: totusq; ille puluis ingenti tormentorum fragore & pedibus dimicantium excitatus, in terram delapsus, discussus fuit, sed maximo detrimento Valachica tormenta affecit, quæ magno eis adiumento contra omnem vim Turcicam fuere. Nam ea imbre madefacta globos emittere nequibant. Irritatis tam Valachorum quam Turcarum animis certamine, acrius concursum. Nam Turcæ eductis suorum viginti millibus in aciem, in læuam partem, vbi tormenta Valachica disposita, prosili-

Prælium Iuoniæ cum Turcis.

uant. Ibi Valachi in eos tormenta displodere nequeunt. Nam iam à pluuiali aqua corrupta erant. Nihilominus mutuo sese cohortantes, in Turcas impetum faciunt, cumque eis ad vltimam vsque dimicant defatigationem. Subito adsunt Tartari cum nouis copiis Turcarum, qui cum sese nullo à tormentis detrimento affici viderent, ex inferiore loco per diuersos tramites, in quibus latitabant, egrediuntur. Ibi dissono clamore perterrefaciunt Valachos, & à tormentis submouent, in que fugam conuertunt: qui per Valachicos patentes campos dissipati, pecudum instar à Turcis iugulantur. Nec iam plures, quam ducenti quinquaginta velites supererant. Sic mutata fortuna belli vnius Czarnieuiecii perfidia, quæ non multo post supremam cladem Iuoniæ attulit. Nam Iuonia accurrens ad reliquum peditatum, & illos ducentos quinquaginta velites (quos Turcæ lassi cæde Valachorum aggredi ausi non erant) ex equis descendere, seseque cum peditibus coniungere iussit: quibus cum simul congobati, sexaginta tormenta muralia Turcis subtraxere: solus Iuonia vno arrepto, cui vix duodecim equi trahendo erant, (tantæ homini vires fuere) ipse vnus trahit. Quo velites viso, illo ipsũ leuarunt, leuiori dato. Hinc cõpositis pedestrib. copiis, quarum adhuc erãt 20000. Iuonia retrocedit. Quoniã vero tormẽta eis magno impedimẽto erant, ea abiiciunt, sed ita, vt Turcis post nulli vsui fuerint. Nam maxima pulueris copia in ea imposita, Turcis displodentibus omnia disrupta fuere.

Iuonia vires.

Interea Iuonia iam & animo & corpore deficiens, cum peditum copiis & paucis equitib. retrocessit: nec vna die ob ingentem stragem cumulumque cadauerum, quæ passim cæsa in viis inhumata iacebant, mille passus progredi poterant. Qui cum vniuerso peditatu in locũ, vbi antea villa incensa fuerat, & quædam adhuc exstabant rudera, castra ibidem sua communiuit, eaque fossa, ne subito à Turcis occupari possent, cingit. Qua in parte consiliũ Iuoniæ in reprehensionem incurrit, quod ibi suos vallo sepsisset, vbi aquatio commoda esset nulla. Nam siti plurimis enectis reliqui sese Turcis non multo post dedidere. Sole iam iam occidente, eadem die 10. mensis Iunii Turcę à fuga Valachorum, quos insequebantur, reuersi, subito castra Iuonię circumuallant, arcteq; premunt: quorum tanta fuisse copia dicitur, vt visu definiri nequierit. Quibus circumdatis, neminem ex exercitu Iuoniæ egredi patiuntur, vtq; spem omnem commeatus ei præciderẽt, villas castris Iuoniæ proximas, in quib. ampla prędia erant, tota nocte incendio graui absumunt, idq; ideo, ne quis obsessorum elaberetur, neue extra vallum obscura nocte e fossis ipsos inuaderent. Appropinquante luce, (quæ fuit 11. Iuni) Turcæ in castra Iuoniæ copiam globorum emittunt, sed illa nullo detrimento affecta fuere, eo quod alto aggere obuallata erant, vnde sese Valachi pariter cum velitibus contra Turcas strenue defendebant, in eisque ingentem stragem toto triduo edebant. Turcæ difficilem castrorum expugnationem cernentes, per internuncios eum tentant, vt omni cunctatione abiecta deditionem faciat, spem maiorem ei debere esse in misericordia Turcarum, quam in suis viribus, præsertim, cum omni ope auxilioq; destitutus, post tandem se dedere cogatur. Quare spontanea hac deditione prę occuparet animos ipsorum, nec in tam anceps periculum & suas copias, & Turcicas iniiceret. Ad ea sic Iuonia: Video, in quam fortunæ sim adductus iniquitatem: sed cum penes me copias pedestres habeã validas: non sine vestra etiã clade cadã. Quare cũ fortunæ hoc tempore cedendum, ac necessitati parendum sit, non tenuo deditio-

Iuonia recedit.

Turcæ Iuoniæ castra circumdant.

Iuonia cum suis ad se dedendum solicitant.

deditionem, sõlum ductores vestri, me à vobis conseruatum iri, ac quascunque conditiones proposuero, vos eas inuiolatas habituros, iuramento firmetis, idq; quiuis septies. Hisce dictis, internũcios extra castrorum munimẽta excedere iubet, quibus se quam primum responsum daturum policetur, omnesq; ad se velites pariter & Valachos conuocat, vt in mediũ consulant, vtrum se hosti dedere, an patefactis castrorum portis in certam mortem ruere, ac non sine cæde hostium cum gloria & laude malint cadere. Placuit velitibus posterior sententia, ita tamen, vt optionem Iuoniæ relinquerent: Valachis prior, si Iuonia sciret, Turcisq; fidere, vitæ gratiam sibi factum iri, posset. Si de fide eorum dubitet, se cum velitibus ad internecionem vsq; fidei semel ipsi datæ memores, contra Turcas malle dimicare, quam fraude illorum perire. Iuonia huc illuc fluctuans, quid sibi faciendum, animi dubius, in diuersum curis trahebatur. Mouebatur indigna calamitate suorum, eo quod multi siti magis magisq; extingueretur, ac breui post omnibus perendum erat, sero & serio reprehendens consilium suum, quod in tam iniquo loco castra posuisset. Tandem è re consilium captans, legatos Turcarum, qui extra vallum castrorum responsum expectabant, acciri iubet, quos hisce affatus fertur: Ite, vestrisq; ducibus hæc nunciate, quamuis firmissimas copias, quod ipsimet cernitis, habeam, quarum fideli subsidio fretus, vires sustimere vestras possim, tamen fatum hoc tempore sequendum arbitror. Quare, si omnes duces & Præfecti vestri singuli septies in has conditiones mihi iurauerint, tum demum me dedam: primo, vt vniuersum equitatum Polonicum cum equis impedimentisq; saluum dimittant, eiq; libere transeundi per fluuium Nestrum copiã faciant. Secundo, vt me Selymo Imperatori, domino meo viuũ & incolumẽ sistãt. De Valachis nihil dico, cũ Imper. deditii sint, eos equũ est cõseruare: quos si violaueritis, ingẽs detrimẽtũ Selymo Imper. vel ei, quẽ ille post Valachiæ præfecerit, estis allaturi. Hęc legati vbi pur puratis & arciũ præfectis exposuissent, omnes pedib. in eas conditiones iuerunt, septiesq; singuli omnia postulata iuramento militari, etiam suorũ militum nomine, confirmarunt. His actis, Iuonia omni metu depositio, impendentisq; periculi nescius, è castris egreditur, & pro velitib. ad purpuratos iterum deprecatus est. Demum suis paulisper à castris remotis, velites vltimo alloquitur, summas illis agens gratias, & collaudata eorum fortitudine singulis dextram porrexit, quam illi non sine fletu amplexi, exosculabantur. Qui cum iam ad tertium teli iactum à castris abessent, Valachos quoq; pari ratione è castris educit, quibus non sine lachrymis valedicit. Recordatus auri & vnionum, quos penes se habebat, ad velites reuersus, gladio accinctus vtrinq; ancipiti omnia eis largitur, addens, nolle se, vt hæc in immanissimorum hostium manus deueniant. Tãdem armis abiectis, more supplicis ad castra Turcarum comite Osmolio Polono venit: quibus cum integras 4. horas collocutus. Hinc Bassa Capucius fortassis oratione eius offensus, immemor fidei sacramento militari obligatæ, quam Iuoniæ dederat, stricto gladio ventrem faciemq; eius discidit. Ita vulneratũ prætoriani siue Ianiczari corripiũt, ac semiuiuo caput amputant: deinde trũcum pedib. duorũ camelorũ alligatũ discerpendũ obiiciunt, quẽ belluæ in diuersum concitatæ dilaniãt. Caput conto affixum, cadauer discerptũ, & in frusta minutissima cõcisum: cuius ossibus inter se partitis, cruore cadaueris recentis gladios perungebant, sanguinem equis bibendum porrigentes, Numinisq; suo supplicantes, quo & ipsis idem inesset, quod in hoste suspiciebant, animi robur.

Conditiones, quibus Iuonia deditionem facit.

Eius cædes.

Eum exitum habuit Iuonia, vir memorabilis, qui perfidia Turcarum tam crudeliter ac nefarie, omnium tristi cum desiderio, è medio sublatus fuit. Quod illi forte non accidisset, si imperata fecisset, & in religione Christiana constantior fuisset, quam ille susceptæ circumcisione Mahometanis ritibus permutauerat, vt Valachiæ principatum Bogdano ereptum conseqveretur: licet postea voti compos, Christianam fidem iterum amplexus sit. Turcæ occiso Iuonia subito in Valachos, quos ille è castris eduxerat, impetũ faciunt, eosque more rituque pecorum mactant. Poloni velites visa perfidia Turcarum, nec sibi tutum in Poloniam reditum cernentes, in castra iterum quæ reliquerant, regredi volebant: sed ea à Turcis erant occupata. Ad extremum sese mutuo cohortati, in agmina Turcarum densa pleni animi speique summa vi irruunt: quibus perruptis dissectisque fortiter omnes occubuere, paucis exceptis, inter quos Suierceuius, cuius præcipua virtus eo in bello enituit, Zalescius, Koslouius, Zadorscius, Socolouius, Czizouius, Rescouius, Sucinius, Kopitscius, Libisouius, qui vulnerati, & capti à Turcis, post ab heris suis magno redempti sunt.

Selymi in Valachos crudelitas.

Post tam ignobilem cædem Iuoniæ, Selymus totam Moldauiam occupat: omnes fere stirpis Valachicæ tam summos, quam infimos immaniter necat, totamq; Valachiam, huc illuc deductis nouis coloniis, arcibus atq; valido præsidio muniuit. Nec ita diu post captam Valachiam Selymus superstes fuit, qui fere quarto anno, postquam à patre Solymanno regnare cœpisset, mortem 15. Decembris obiit. Ei filius natu maximus Sultanus Amurates tanto silentio à Bassis ad capessendum imperium accitus successit, vt non prius Constantinopolim venturus, quam adesse, ab omnibus sentiretur. Qui imperium suum à cæde quinque fratrum, duarumq; nouercarum (quarum vna grauida erat) & multorum procerum, sequutus consuetudinem veterum Imperatorum Turcarum, auspicatus, omnibus terrori ac formidini esse voluit.

eius mors.

An. Ch. 1575. Poloni Varsauiæ comitia agunt.

Poloni Rege orbati, sæpius literas ad Henricum Regem in Galliam mittunt, reditum eius in Poloniam vrgentes. Sed cum ille inani spe Polonorũ animos lactare videretur, tandem comitiis Varsauiam indictis, vt orbitati patriæ, paci, ac securitati publicæ consulerent, certum, diem Henrico assignarunt: quo si non adesset, se ad alterius Regis electionem progressuros denunciant. Optasse quidem, vt ipse reuersus regnum, quemadmodum iuramento promisisset, administraret: verum propter diuturniorem eius absentiam sibi non integrum esse expectare, quod maximum periculum toti regno ex illa mora impendeat: opus enim sibi esse Rege, qui eos defendat à vicinis hostibus, quorum arma iam in aurib. omnium personant, & in oculis micant, ex Valachia, Scythia, & Moscouia. Propter enim eius excessum plurimis domi incommodis se affectos, bona regia à militibus occupata, stipendia promissa non soluta, priuatorum in publica bona immissiones, direptiones, occupationes secutas esse, vt silentio prætereantur licentia, iniuria, cædes, libido multorum quidlibet audendi, quæ absente Rege, silente lege vindicari vix possint. Itaq; se, nisi ad tempus condictũ in Poloniam redeat, cogi se resignato illi regno ad alterius Regis electionem descendere. Qua de causa sub idem tempus comitia regni decreta & indicta sũt, ad quæ ab vniuersa Polonia expectetur, vt deliberationes cum Senatu & Ordinib. regni de periculis amouendis suscipiantur, atq; etiam conditiones ab oratoribus

toribus suis in conuentu electionis receptas, & iuramento roboratas, atq; capita per legatos ei oblata, & à fratre ipsius Carolo Galliæ Rege confirmata reipsa præstet, ac in posterum regnũ præsens semper gubernet. Dum hæc ita fiunt, Proceres Stenziciæ conuentũ indicunt, vt de nouo Rege creando cõsilium ineant, Henricus n. ad 12. Maii, qui dies ei dictus, non cõparuerat. Nõ latuit istud Hẽricum Regem Galliæ, misitq; Bibracum legatum in Poloniã, vt prorogationẽ creandi noui Regis vrgeret. Proceres vero Regis postulatũ reiicientes 15. Iulii decrero publico Regẽ Henricum exaugurant, declarãtq; eum non amplius Regem Poloniæ agnoscendũ, atq; interregnum esse, non aliter, quã si vita esset defunctus. Interea Amurathes Turcarum Imperator memor cladis, quã Iuonia cum Polonis velitibus ditionib. Turcicis intulerat, vt Polonos vlciscereturmẽse Octob. huius anni 100. & 11000. Tartarorum Præcopiensiũ collectis, regiones Russiæ quaquauersum ad quadraginta milliaria peruastauit: ducẽtas Nobiliũ domus, villasq; plurimas exuri iussit: senib. decrepitis, pueruliſq; ad vbera materna eiulantibus trucidatis, cęteris hominibus cum iumentis in captiuitatẽ abductis. Pecoribus crura succisa lassis, viuis coria ad vinciẽdos homines detracta. Poloni & Ruffi ad Nestrũ fl. hostes, sed paulo serius assecuti, & à tergo agmẽ adorti, complures Tartarorum occiderunt. Interẽptus à Iacobo Niezabitouio quidã Tartarus equitum septingentorum præfectus, cuius frons viginti quatuor digitos lata erat, tcotũq; corpus adeo stupẽdæ magnitudinis, vt iacens humi cadauer vmbilicum viri stantis attingeret. Dum vero reliqui Nestro transmisso in Valachiam prædam partiuntur, velites seu Kosaci ductore Bogdano Rosinscio in Scythiam irruunt, flamma ac cædibus omnia complent, fœminarum vbera abscindunt, aliis oculos eruunt, liberis illarum collisis, ad extremum captiuos liberant.

Conuentus Stenziciæ ad Regis creandi cau sã.

Hẽricus Gallus exaugurat.

Amurates per Tartaros Russiam vastat.

INTERREGNVM.

Exeunte anno hoc indicuntur comitia nouo Regi creando Varsauiæ ad mensem Decemb. in quibus à maxima Senatorũ Poloniæ ac Lituaniæ parte Maximilianus Cæsar electus ac renũciatus est Rex Poloniæ, & ab Archiepiscopo Gnesnensi proclamatus. Cui proclamationi vt loco & more non debito factæ postmodum reclamatum. Petrus vero Zborouius Palatinus Cracouiensis cum fratribus suis, Ioãnes Kostka Sendomirienſis item Palatinus, Ioan. Tencinius Voinicensis, Stanislaus Szaffraniecius Biecensis, Castellani, Stanislaus Gorcanus post Palatinus Posnaniẽsis, & alii nõ pauci maxima cũ Nobilitatis parte à Senatu discedẽtes, & Regẽ ex genere ac sanguine Polono deligendũ censentes, Annam defuncti Regis Sigismundi Augusti sororem virginẽ firmatæ iam ætatis Reginam constituunt, eiq; Stephanũ Bathoreũ Transyluaniæ Principem maritum destinãt, ac proclamant. Quo facto, literis ad Cæsarem datis, eum hortantur, ne paucorum Senatorum ac Nobilium suffragiis fretus, regnum Poloniæ sibi adeũdum in animum inducat. Contra qui Maximilianũ nominarant, Proceres Bathoreũ per literas à capessendo regno, cuius Maximilianus Cæsar Senatus Poloniæ, Lituaniæ, ac Prussiæ totius cõsentientibus calculis Rex legitimus creatus esset, dehortantur: præsertim cum ipse per oratores suos in comitiis regni ea conditione regnum ambierit, vt primum locum dignitatemq; omnem Cæsari, totique

Comitia Varsauia. Maximil. Imp. Rex Pol. electus.

348

Anna Sigis. Aug. soror Regina cõstituta.

adeo Austriacæ familiæ regni Ordines tribuant atque deferant. Subsecuto anno regni Senatores, qui Maximilianum Cæsarem elegerant Regem, splendidam legationem ad eum Viennam miserunt, vt capita à priore Rege Henrico iurata, & alia, de quibus inter regni Ordines ac Cæsareos legatos in comitiis electionis Varsauiæ conuenerat, iureiurando confirmaret, & quam primum in Poloniam, priusquam ab aduersæ partis proceribus electo Transyluaniæ Principe occuparetur, ad regnum suscipiendum veniret. Sed Cæsar de quibusdam ampliorem deliberationem instituit, vel moderationem aliquam adhiberi, vel certe clausulam, quantum in ipso, adiungi petiuit, ac singillatim, quid in durioribus aliquot capitibus Regis Hêrici ac cęteris desideraret, prolixo scripto exposuit. Cum autem Poloni nullum de vllis capitibus moderandis mandatum peculiare se habere respondissent, & Leouicensis Conuentus eius partis Procerum, quæ Cæsari addicta, in Polonia instaret: visum est Maximiliano Cæsari ad eum conuentum referendam tractationem, & aliquos ex Polonis vna cum suis Oratoribus eo mittendos. Verum Poloni periculum in mora esse demonstrantes, instant, vt iuramentum Cæsar præstet, & diem aduentus in Poloniam sui certum definiat, eumque proceribus Leouicii congregatis per oratores suos significet. Cæsar itaque denuo eis mentem suam de Ernesto filio tradita illi in matrimonium Anna infante Poloniæ, Rege coronando, rursus scripto declarat. Cui Poloni respondentes, de cunctatione Cæsaris, & ipsi, & causæ toti exitiosa, & suæ legationis optimo animo susceptæ, ac fideliter hactenus actæ infelicitate queruntur. Summam fuisse, vt Cæsar susceptis prius conditionibus, & iureiurando verbis conceptis præstito, iter in Poloniam maturaret, & Bathoreum Transyluaniæ Principem anteuertens ante constitutum conuentus diem in Polonia se sisteret. Statum enim Reipublicæ Polonæ præsentem eiusmodi esse, vt omnium eius vulnerum sanandorum, in celeri ipsius Cæsaris in Poloniam aduentu, remedium positum esse ex Ordinum sententia, primis statim diebus apparuerint, idque, quantum potuerit, sæpius ac sæpius inculcarint. Interim vero, dum inter oratores Polonos & Cæsarem talium scriptorum permutatione Viennæ disputatur, literæ ad Cæsarem à Senatoribus & Nobilibus Leonicii congregatis adferuntur, in quibus de mora, quam Cæsar profectioni suæ in Poloniam interponat, grauiter queruntur, ac, nisi quamprimum veniat, non obscure ostendunt, regnum prius occupanti cedere oportere, neque per Polonos stetisse, quo minus Cæsar regnum tanto fauore ac beneuolentia dilatum assequutus sit. Cæsar vicissim moram hactenus interiectam excusat, ac de infantis Annæ coronatione, & omisso Transyluano Archiduci Ernesto maritandæ denuo proponit, & ab Ordinibus regni Varsauiæ conuenturis petit, ne consilia eorum legitimæ suæ electioni, ac iis, quæ per solennem legationem publice sibi delata sint, quidquam præiudicent. Tandem post aliquot adhuc scriptorum vicissitudines, tractatione cum oratoribus Polonis concluſa: Maximilianus Cæsar postridie iuramentum de capitibus ac conditionibus præscriptis religiose seruandis præstitit, ac decretum electionis ab oratoribus accepit, idque omnibus regni Poloniæ ac magni Ducatus Lituaniæ Statibus, scripto typis diuulgato publice edidit.

An Ch. 1576. Maxmil Imp. ad prætendum Bathoreum in Poloniam vocatur.

Maximilianus Imp. iuramentum præstat.

edidit. Interea temporis dum Maximilianus Cæsar lentas ac diuturnas cum oratoribus Polonis tractationes & scriptorum permutationes agitat, aduersa Polonorum pars Stephanum Bathoreum Transyluaniæ Principem à se electum missa solenni legatione ad præstandum iuramentum, & accelerandum aduentum in Poloniam inuitat. Qui nil cunctatus iuramentum in Transyluania præstat, & comitatu stipatus spectatissimo veteranorum iter in Poloniam quamprimum arripit, vbi Sigismundi Augusti Regis demortui sorore Anna in matrimonium ducta cum ea Cracouiæ Rex Poloniæ calendis Maii inauguratus est.

Stephanus Bathoreus ab aduersa parte vocatus, iuramẽtũ sine mora præstat. Annam Reginam vxorem ducit.

HISTORIÆ POLONICÆ

Liber Decimus.

STEPHANVS I. REX.

TEPHANVS Rex obtento regno, vt cum vicinis Principibus inita amicitia, & pace constabilita eo citius dissidia ex partium propter electionem studiis conciliaret, ac turbatam pacaret Rempublicam, datis ad eos literis, regnum sibi ab Ordinibus Poloniæ delatum, suamque ad amicitiam cum eis colendam animi prõptitudinem, ac ad pacem colẽdam studium significauit. Inter cæteros etiam ad Ioannem Basilidem magnum Moscorum Ducem Stephanum Grudzinium & Leonem Bukouiecium cum literis mittit, per quos ei indicat, se gratia diuina & Ordinum fauore ad regnum vocatum, illud ita administrare cupere, vt nemini Principum occasionem præbeat pacis & amicitiæ, quæ hactenus cum regno Poloniæ intercessisset, turbandæ. Quo animo se erga illum quoque esse. Si quæ controuersia ipsi cum regno Poloniæ & magno Ducatu Lituaniæ esset, eam delectis vtrinque arbitris amice componi posse. Quibus hunc in modum respondisse Moscus fertur: Intellexisse se quidem, Maximilianum Cæsarem Poloniæ Regem fuisse designatum, non alienum tamen se futurum etiam ab eius amicitia, quando quidem ita vellet. Gratum sibi esse, vt missis vtrinque legatis maiorum consuetudine dissidia, si fieri posset, componerentur, & inter hæc ab iniuriis quibuslibet inferẽdis vtrinq; abstineretur. Qua Moschi sententia accepta, Rex ad intestinos motus componendos, & præsertim Gedanensium

Lati ad Moscum.

Moschi respõsio.

Torunia prima comitia.

totus conuersus, Toruniæ prima comitia ad mensem Octob. indicit, eaq; tempore stato habuit: in quibus maxima discordiarum semina suffocauit, remq; publicã ex turbulentissima trãquillissimã reddidit, & præsidiũ aduersæ partis Landskorona deiecit. Hic quoq; legatos in Moscouiam pacis tractandę causa mittẽdos ex Senatus autoritate decernit, qui fuere Stanislaus Krisćius Palatinus Masouiæ, Nicolaus Sapieha Palatinus Minscensis, & Theodorus Skuminus Thesaurarius magni Ducatus Lituaniæ. Interea Maximilianus Cæsar Poloniæ electus Rex coniunctionem Poloniæ cum finitimis Christianæ orbis prouinciis, toti Imperio salutarem & necessariam, ideoque cõiunctis Imperii viribus etiam retinendam esse iudicans, comitiis Ratisponæ indictis, in media deliberatione & apparatu belli, mœrore & curis confectus è viuis excessit, cuius mors occulta quadam fatorum via Poloniam perturbatam tranquillauit. In his comitiis etiam causa Gedanensium ventilata est, ac, qua ratione ad officium reduci possent, deliberatum. Sed cum in iuramento præstando moram nectere perseuerarent, sententia proscriptionis, qua perduellionis damnati sunt, promulgata, omnis securitas terra marique illis adempta, & aqua ignique ipsis interdictum est. Atque ita bellum contra ipsos decretum, ac susceptum. Causæ autem & occasiones belli, quod cum Gedanensibus Stephanus Rex gerebat, hæ fuerunt: Cum superiore anno dissentientibus Procerum & Ordinum regni Poloniæ suffragiis, alii Maximilianum Cæsarem, alii Stephanum Bathoreum Transyluaniæ Principem Regem renunciassent: Gedanenses & cæteri Prussiæ Ordines illis, qui Maximilianum Regem elegerant, adhærebant. Cum autem Bathoreus vigilantia & celeritate in Poloniam properans Maximilianum anteueniisset, & Cracouiæ coronatus esset, Cæsar autem vix semestri exacto obiisset: Gedanenses iuramentum subiectionis deditum Stephano Regi coronato præstare non quidem recusabant, sed prius sibi à Rege de indemnitate caueri, & iura ac priuilegia sua legitime confirmari, & de religione Augustanæ confessionis assecurari, & grauamina, quæ contra priuilegia, & antiquas consuetudines irrepserant, tolli antea petebant. In his erant tum alia multa, tum vero dimidii portorii exactio, quod Gedanenses se Sigismundo tantum ad illius vitam concessisse ostendebant.

Causa Gedanen. ventilatur.

Bellum contra Gedanenses decretum.

Belli causa.

Ad hæc Rex nouus Cracouiæ in inauguratione sua iusiurandum se semel dedisse, cuius vigore priuilegia & iura eorum roboraturus sit, respondit. De confessione Augustana vero seorsum se ipsis cauere velle promittit. Grauaminum cognitionem & dimidii portorii causam ad comitia Ordinum regni reiecit. Interim iuramentum fidelitatis, exemplo cæterorum omnium regni Poloniæ & Prussiæ Ordinum, sibi à Gedanensibus etiam quamprimum præstari, & militem conductum ex vrbe dimitti flagitat. Cum vero Gedanenses ante iuramentum à se dictum grauamina tolli vrgerent, ac ea ad cognitionem Ordinum regni reiicerentur, tandem se non Ordinum regni, sed Regum Poloniæ subditos esse, nec se Procerum regni, sed solius Regis iurisdictionem agnoscere profiterentur, Gedanenses veluti rebelles à Rege Stephano proscripti, & perduelles iudicati sunt. Qua sententia accepta, Gedanenses statim vicinum cœnobium Oliuam, ne obsessuris Polonis receptum præberet, direptum incendunt, ac vastant, & ampliores militum copias conscribunt, omniaque ad defensionem necessaria comparant, ducem militum ab Elector Saxoniæ Augusto accipiunt Ioannem Colonienſem, qui ante viginti sex annos in vrbis Magdeburgæ defensione operam strenuam nauarat. Publico etiam scripto innocentiam suam demonstrare conantur, quod à coniunctione cum corpore regni Poloniæ, ad quam se maiores ipsorum iureiurando obstrinxissent, ne latum quidem vnguem discedere vnquam constituerint: sed vna cum professione subiectionis, iuribus etiam, priuilegiis, & consuetudinibus Prussiæ communibus, & ciuitatis suæ propriis, recte consuli optarint. Itaque missis internunciis, se fidem, obedientiam, & subiectionem suam Stephano Regi Poloniæ detulisse: postea in comitiis Torunienſibus etiam ducenta florenorum millia intra quadriennium pendenda obtulisse: tantum rogasse, vt receptæ Augustanæ confessionis religioni, & iurium ac libertatum suarum indemnitati more maiorum prospiceretur: & cum plurima incommoda partim iuribus, priuilegiis, atque consuetudinibus contraria, partim aliis modis inique ciuitati illata essent, vt æquæ illorum abolendorum rationes primum inirentur. His non impetratis, se præter meritum & expectationem perduellionis damnatos, omnemque terra & aqua securitatem sibi ademtam, & aqua igneque insontibus interdici. Orant igitur omnes, vt benignam sui rationem habeant, & ii, in quorum potestate situm, apud Regem pro ipsis intercedant, vt offensæ omnes pacifice potius componantur, quam vt innocens sanguis humanus fundatur, & tota vicinia bello crudeliter vastetur. Lubecenses etiam, & confœderatas societatis Ansaticæ vrbes maritimas à Gedanensibus commoeatu & militeiuuandis Stephanus Rex epistola accurate scripta dehortatur, ac Elbingæ iam à se institutum esse emporium significat, in quo secura & libera, ac magis quam antea fructuosa cum Polonis commercia, omnibus regni amicis futura sint. Cognoscere itaque ex illis cupit, an eos pro Regis Poloniç, an pro Gedanensium amicis habere debeat. Amicitiæ hoc fore signum, si nihil Gedanensibus subsidii submiserint.

Gedanenses proscribuntur.

Bello sic Gedanensibus indicto, præfecerat Rex copiis suis imperatorem Ioannem Zborouium, qui sex à Gedano milliaribus circa Dersauiam castra metatus est. Hunc procul ab vrbe arcendum & profligandum, antequam pagos vrbi vicinos popularetur, inquieti & turbulenti quidam ciues vociferabantur. Dissuadente igitur militum præfecto, Gedanenses cum suis copiis in Regis ditionem excurrentes læti, & alacres, perinde ac si certam in manibus victoriam haberent, non procul à Dersauia oppido ad lacum Lubissouiensem fœda strage à Polonis reiecti, plurimique cæsi & capti sunt. Rex igitur insigni suorum victoria confirmatus, ad obsidionem vrbis hactenus dilatam omnia comparat. Tandem vero idibus Iunii ad vrbem cum exercitu accessit, & in Episcopi monte vrbi imminente castris locatis aliquot dies tormentorum fulmina in vrbem vibrauit. Parte alia Ernestus Veierus equitum Germanicorum Præfectus ad Istulæ ostium, vt maris vsum obsessis adimeret, propugnaculum ostii maritimi oppugnabat. Verum ab illorum militibus repulsus, plurimis cæsis, & non paucis in Istulam submersis, castra & tormenta bellica amisit. Rex post castra mutauit, & à mœnibus vrbis mare propius secessit. Inde iuncto ponte nauali Vistula copias ad castellum ostii Vistulæ maritimum traducit, acerrimeque illud

An. Ch. 1577. Regius exercitus circa Dersauiam castra metatur.

Gedanenses clade afficiuntur.

oppugnat. Sed erumpunt denuo ex vrbe ciuium & militum cohortes, & cum Polonis acrem pugnam miscent. In qua duce amisso, Poloni tamen fuerunt repulsi, qui rupto ac disiecto incursu nauis onerariæ Gedanensium ponte, quo Vistulam Poloni constrauerant, fugientes in flumine plurimi perierunt.

Rege Stephano ad Gedanum occupato, Moscus occupandæ Liuoniæ tum maxime opportunitatem nactum se ratus, ad vim atque arma astum adiungit. Administratorem Liuoniæ agebat Ioannes Chodkieuicius, qui in præsidiis plerosq; Lituanos Præfectos reliquerat, à quibus incigenæ immoderatius habiti, simulq; non satis in illis præsidii contra potentiam Mosci existimantes, ad res nouas fere spectabant. Non ignarus harum rerum Moscus, miserat in Liuoniam MAGNVM Holsatiæ Ducem, quem, cum iam ante ad se transisset, promissis & affinitate deuinctum tenebat. Rumorem de eo spargit, fore, vt si vltro Liuones se dedant, ad exemplum Ducis in Prussia beneficiario iure Liuoniam regendam ei traderet: vt autoritas ac administratio omnis penes MAGNVM, penes se nomen collati beneficii ac maiestas imperii essent. Quibus rebus adducti Prouinciales, hinc odio seu tædio externi imperii, illinc spe & nimia cupiditate eiusdē linguæ ac nationis magistratus, simul à factiosis quibusdam ac nouatū rerum cupidis impulsi, præsidia ex arcibus & oppidis fere omnib. eiiciunt: ipsi Vendam, vbi tū MAGNVS erat, confluunt, inq; verba eius sacramento se adstringunt. Moscus interim maximo exercitu collecto, in Liuoniam, nullo impediēte, præsidiis omnib. pulsis, ac plerisq; arcibus à MAGNO, quo tanquam illice ad Germanos in Liuoniæ oppidis & arcib. inescandos vtebatur, occupatis penetrat, acceptisq; in deditionem Mariēhauso, Rositteno, Ludseno, Duneburgo, Kokenhauso, Ascherotum vsq; sine maleficio, vt initio rerum gerendarum clementiæ fama colligeretur, progreditur. Confluxerat Ascherotum magnus vtriusq; sexus ac omnis conditionis hominum, maxime autem matronarum & virginum numerus. Mosci omnibus, qui arma ferrent, promisso trucidatis, imbellem sexum Tartaris stuprandū obiicit. Inde Vendā recta proficiscitur: qui ibi erāt, fama tantæ immanitatis perterriti portas clausere. Egressus pro illis deprecatoi Dux MAGNVS, cōpositō ad humilitatem habitu, indignissime à Tyranno excipitur. Quin tantum abfuit, vt gratiam Vendensibus apud Tyrannum impetraret, vt etiam ipse Dux periclitatus fuerit. Quo viso, illi se ab hoste circumuentos animaduertentes, ira, desperatione, & metu adducti puluerē tormentarium fundamentis subdunt: quo magna vtriusq; sexus & cōditionis hominum multitudo, ac flos fere reliquæ Nobilitatis Liuonicæ absumptus est. Accepta ita in potestatem Venda, ac Rumburgo, quod Vendæ imminet, eodem tempore per deditionem potitus, iam vniuersam Liuoniam, Riga & Reualia, pauciſq; circa eas castris exceptis, in potestate habebat. Patuauiam siquidem post Regis Henrici discessum interregni illius tempore interceperat: Veissensteinum de Suecis, Naruam vero, Derpatum, Felinum, ac Marienburgum, aliaq; nonnulla iam multo ante partim de Episcopo Derpatensi, partim de Marianis Liuonicis ceperat: ab iisq; primū initiis profectus, cū continuas deinde impressiones in prouinciam faceret, vt in Sigismūdi Augusti, ac Regum Poloniæ fidem ac ditionem prouinciales tum se conferrent, plurimis detrimētis eo adegerat. Eaq; res, cum ad superiores controuersias, quas de Russiæ locis quibusdam cum magnis Lituaniæ

Moscus occupat Liuoniam.

Mosci in Liuones crudelitas.

uaniæ Ducib. habebat, accessisset, perpetua deinde inter ipsum ac Reges Poloniæ belli causa fuit: quod aliquādo quidē per inducias dilatum, vt plurimum tamen varia fortuna tam in Liuonia, quam in Lituania gestum, in hunc vsque Regem transmissum fuerat. Cæterum Moscus abducto secum Alexandro Polubensio Chodkieuicii legato, cæterisque Liuoniæ Præfectis, in Moscouiam se recepit. Ex itinere literas ad Regem dat, quibus vt Liuonia omnino abstineat, Regi præscribit: iisdem ad Prussum quendam Augusti Cæsaris fratrem, qui Choinicii & Mariæburgi quondam, & in reliqua Prussia late imperitasset, genus suum referebat, quo ad ipsos Prussiæ fines ius imperii extenderet. Legati, qui ad tractādas pacis cōditiones mittebantur, iter cæptum nihilominus persequebantur: nouis in itinere mandatis acceptis, vt de iniuriis inducias ostentatione factis quererentur, satisfactionem que postularent.

Moscus in Moscouiam se recipit.

Dum ad Gedanum Rex castra metatur, exercitum in Liuonia Lituaniaque per ostentatam pacem, maxime autem propter ærarii difficultates, quæ initia regni eius exceperant, nullum parauerat: sub ingruentis tamen hostis famam, Nobilitatem Lituanicam literis euocauerat, militareq; imperium Duci Nicolao Radiuilo Palatino Vilnensi, Gregorio Chodkieuicio iam defuncto, tradiderat. Hic non exigua cum voluntarii militis manu Selburgum peruenerat, Interim vero & Gedanenses ad æquiores conditiones multis malis victi, & maiora timentes descendere cæperant, cumq; Electores Saxoniæ & Brandeburgicus, Landgrauiusq; Hassiæ suas pro illis preces per legatos interponerent, controuersia tota iisdem fere cōditionibus, quas ante belli initium Rex sponte tulerat, transacta est. Vt supplices veniā deprecentur iuxta formulam conceptam: vt ducenta florenorum millia intra quinquennium soluant: iuramentum fidei Commissariis Regis præstēt, militem dimittant, ad instaurationem cœnobii Oliuæ viginti florenorum millia dependant: stationem & annuam pensionem, signum supremi dominii, iuxta vim veterum priuilegiorum & consuetudinum statis temporibus deinceps exsoluant: de iis, quę sibi à Polonię regno debeti prætendunt, in comitiis regni proxime futuris deliberetur. Rex viciſſim facta gratia proscriptionem abolet, priuilegia, & iura ipsorum vigore iuramenti Cracouiæ in coronatione præstiti confirmat: de vsu Augustanæ confessionis libero cauet: damna Regis subditis tempore belli illata condonat: bona immobilia fisco addicta restituit. De mobilibus & debitis in fiscum redactis, summam non maiorem triginta millibus florenorum retinebit, cæteræ donationes & decreta tollentur. Ciuitatis & priuatorum actiones in aula vel aliis iudiciis pendentes partibus saluæ & integræ manent. Militibus & aliis, qui Ciuitatem consilio vel armis iuuerunt, ignoscit. Grauamina ciuitatis, & nominatim portorii negotium ad comitia Ordinum regni reseruat: vrbem ingressurus, securitati Ciuitatis, vt antecessores fecerunt, autoritate sua prospiciet.

Conditiones cum Gedanensibus transactionis.

His pacatis, Rex ad bellum Moscouiticum, quod iam multo ante animo agitarat, totum se conuertit. Ad quod suscipiendum, secūdum acceptas iniurias, ac Liuonię recuperationem multæ causæ illum hortabantur: quarum hæc vel iustissima, quod egregio aliquo facinore non modo de sui regni hominibus, verum tota liis, quibus imperium Moscouiticum summa cum immanitate coniunctum, vel formidolosum erat, vel graue, bene mereri, eamq;

Rex ad bellum Moscouiticum se totum conuertit.

camq; ad posteros nominis sui famam propagare studebat, ex qua omnes non modo Regem, sed dignum etiam regno fuisse cognoscerent. Hoc animi proposito in mensem Ianuarium anni millesimi quingentesimi septuagesimi octaui Varsauiam comitia edixit. Rediit interim in potestatem Duneburgum à Borisso Saua ac Vilhelmo Platero receptum. Hi in omnes occasiones intenti, cum commeatus inopia laborare præsidiarium militem animaduerterent, per speciem officii ac comitatis militaris esculentorum ac potulentorum nonnihil, ac in his vini cremati, quod inopia vini apud Moscos maximo in honore est, vas ei miserant: de quo cum ad ebrietatem Mosci bibissent, illi, qui id futurum cogitabant, noctu scalis admotis in vallum, quod solo castro cinctum est, & in ipsum castrum euadunt, Moscos ex somno & mero vix se colligentes deturbant, castro potiuntur. Non multo inde tempore interiecto, Venda etiam huiusmodi ratione recuperata fuit. Erat sub Matthia Dembinio ex rusticis Lotfinis fabrilis artis peritus quidam, qui sororem Vendæ in Moscorum potestate habebat, per cuius visendæ speciem, & rusticorum commerciorum libertatem cum sæpius Vendam venisset, opportunitatem nactus, ceram clauibus oppidi impresserat, adque eiusdem exemplum alias parauerat: rem ita instructam ad Dembinium detulit. Cumque is die constituto, quem festum Mosci agitabant, sub oppidi portas cum Ioanne Buringo, & tumultuaria militum manu accessisset, ab vna parte scalas Buringo admouente, ac à Lotfinis ipsis, qui Vendæ erant, concursu facto, reliquos portis reclusis in oppidum immisit.

Comitia Varsauiæ. An. Ch. 1578.

Postquam ad comitia ventum fuit, primo die solenni sacro peracto, altero de Republica, sigillatim de Mosci & Tartari iniuriis Ordinibus Rex proposuit, bellumque ne cum his, aut cum vtro horum velint, rogat. Cum Mosco bellum iussum, cum Tartaris tunc quidem dilatum. Ita maxima in vsum belli pecunia omnibus prouinciis imperata, bellum decretum ac susceptũ est contra Ioannem Basilidem magnum Moscouiæ Ducem, simulq;, vt in hostico exercitus haberetur, sancitum. Proxima huic cura de pecuniis fuit. Delecti fuerunt è Senatu, qui quanto in bellũ milite, quãto in militem stipendio opus esset, dispicerent, scitum tributum in singulos mansus floreni vnius: cereuisiarium item in oppidis & vrbibus, quo in singula dolia duodeuicesima cuiusq; precii pars exigeretur. Maius id fuit, quã vllũ antehac quicquã meminisset: consensere tamẽ omnes, prẽterquã Cracouiensis, Sendomirensis & Siradiensis Palatinatuum nuncii, quod nulla eius tributi scisendi mandata se à suis habere dicerent. Noluerat Nobilitas vel bellum, vel tributum decernere, nisi de iudiciis simul, quæ iam Sigismundi Augusti Regis temporibus postulare cœperat, in interregnis autem ipsa sibi sanxerat, perfecisset. Antiquitus à iudiciis municipalibus ad conuentus Palatinatuum, ad quos quodque municipium pertineret, inde ad Regem in comitia prouocatio erat. Cum à Sigismundo Augusto propter tenuiorem valetudinem infrequentius iudicia haberentur, vt ex suo corpore constituere sibi iudices liceret, Nobilitas petierat. Restitit Augustus Rex, dum vixit, vnde illa à Rege id impetrandi spe deiecta, tempore interregni, priusquam Regem Henricum Valesium eligeret, inter alias hanc quoque de translatione iudiciorum conditionem ei tulerat, isque acceperat. Post discessũ igitur Regis Henrici Nobilitas per singulos Palatinatus, vt cuiq; maxime expedire visum fuerat, ex suo ordine, qui causas appellationis iudicarent,

Bellum contra Moscouiæ Ducem decretum.

Nobilitas petit ex suo corpore iudices constitui.

rent, delegerat. Qua ex re cum, quod euenire necesse erat, magnã omnium rerum perturbationem consequi Rex animaduerteret, in causa minime amplius sibi integra, pro re nata optimum ratus, si ad vnam formulam omnia reuocaret, sanxit hic, vt non per singulos Palatinatus iudicia haberentur, sed in singulis Palatinatibus, maioribus bini, minoribus quibusdam singuli è Nobilitate quotannis delecti, primum à Martini vsque ad Paschatos Pœloniæ maioris Nobilitati Petricouiæ, minoris deinde à Paschatos vsque ad messem Lublinii us dicerent. Itaque omnia priuatarum causarum iudiciia penes Nobilitatem deinceps essent: publica, iuris item regii atque fisci iudicia in eo, quo antea statu fuerant, penes Reges manerent: quemadmodum & earum terrarum, quę suis legibus ac diuerso à cætetis iure vterentur. Moram huic rei nonnullam adferebat, quod Nobilitas à munere iudicandi Senatorium Ordinem excluſum volebat: hi contra contenderent, iiniquum esse dignitatem suam, quæ commodo sibi esse debebat, in iniuriam suam verti: &, qui alios in Nobilitate honore anteirent, à communi Nobilitatis corpore in re publici iuris, & ad omnes pertinente, seiungi. Obtentum tandem, vt tam ex Senatoribus, quam reliqua Nobilitate, pro arbitrio Nobilitatis rebus iudicandis præficerentur. Inter Regem quoque & Nobilitatem controuersiæ nonnihil fuit, quod Nobilitas regias quoque vrbess rebus à se iudicatis teneri vellet, superioribus etiam temporibus quasdam causas earum iudicasset. Remisit Nobilitas, inuentaque ratio fuit, vt quia iam causas aliquas huiusmodi iudicasset, easdem in iudicium vocatas denuo in iisdem comitiis Rex cognosceret. Cumque magistratus quoque ac Præfectos regios ad iurisdictionem suam pertinere Nobilitas vellet, quodd cum fere res iudicatas exequerentur, frustra sibi iudicia tribui diceret, si ne vlla in eos, qui res à se iudicatas exequerentur, iurisdictione. Assensit Rex, vt quatenus rerum iudicaturum executio à magistratibus cæterisque officiis pereretur, autoritari iudicum parerent. Supererat certamen inter ecclesiasticum & ciuilem Ordinem: cum hic eodem, quo reliquam Nobilitatem, ecclesiasticos iure vti vellet: illi iudicia hæc Nobilitatis, quæ cum diuersæ religionis hominibus communicari intelligebant, multis nominibus ſsuspecta sibi, obligarique se illis nolle confirmarent. Ostendit his Ioannes Zamoiscius Cancellarius, non maius periculum eos suscipere, si in iurisdictionem consentiãt, quam si cum obtemperare ei nolint, pœnis deserti vadimonii, & contumaciæ coerceri se patiantur: quod in Palatinatuum iudiciis eo vsque factum antea fuerat, vt præter alios Archiepiscopus Gnesnensis in maiorem fere centum quinquaginta millium condemnaretur. Addidit consilium, vt quoties ecclesiastica res in iudicium veniret, ad sex ex Nobilitate, ecclesiastici Ordinis totidem, qui pari autoritate de ea cognoscerent, adiungerentur: quorum si pares sententiæ extitissent, ad Regem in comitia ampliaretur. Res per aliquot dies ducta, eum tandem admodum composita fuit. Agitatum in hisce comitiis & de proscriptionibus fuit. Moribus gentis Polonicæ, qui creditarum cæterarumue priuatarum rerum condemnantur, iis, si sententiæ iudicis non pareant, mulcta dicitur: quæ si spreta fuerit, priori triplo maior dicitur: si ne tum quidem obtemperatur, manu militari in bona missio decernitur: contra quam si quis se opponat, à Præfectis proscribitur. Auditi deinde sunt externorum Principum legati, & Georgio Friderico Marchioni Brandeburgensi proximo Alberti Fride-

Certamen inter ecclesiasticum & ciuilẽ ordinem de iudiciis.

rici valetudinarii agnato curatio illius, Ducatusque Prussiæ orientalis, & bonorum ac redituũ illius omnis administratio commendata est, qui etiã more & instituto maiorum solenni cum ceremonia fidelitatis iuramentũ Regi præstitit. Adfuere ei in ceremoniis iis Saxoniæ Electoris & Vitenbergici Principis legati, Brandeburgici Electoris legati cum Principis sui nomine tanquam ad simultaneæ inuestituræ ius pertinentis vexillum cõtingerent, Nobilitatis nuncii contra protestati, quod primis illis inter D. Sigismundum & gentem Brandeburgicam conuentionibus ea Marchionum Brandeburgensium stirps feudo comprehensa non esset, quæ postea priuata autoritate & Ordinibus insciis acta essent, rata se non habere ostendebant: Aderant & Pomeraniæ Ducum legati, qui nomine Principum suorum in Bithouiensem Leoburgensemque tractum ius maiestatemque regni Poloniæ agnoscebant, literasque inuestituræ accipiebant.

Legati à Mosco indignissime habiti.

Legati interea ad Moscum à Rege missi in Moscouiam peruenerant, & à Mosco suo ipsius ingenio feroci, tum ob rem in Liuonia prospere gestã multo etiam superbiore, contumeliis ludibrioq; excepti, indignissime habebãtur: multa in nomen Polonicum & Lituanicum contumeliose ab eo dicta factaq; fuere: cũq; ex instituto vtriusq; gentis lautia vtrinq; legatis, qui missi fuerint, præbeantur: emere victum nec moris sit, nec, si velint, in Moscouia possent: nonnisi sordida ac vilia quæq; cibaria summo cum cõtemtu iis ministrari iussit. In colloquiis deinde cum legati tantum de induciis agendi mandata se habere significassent, trium annorum inducias iis dat: literas autem quas legati obsignare debebant, sine vlla conditione pure perscribi iubet: alias deinde, quas ipse legatis traderet, sub signo suo subiicit: in iis hasce conditiones adiecerat, vt vniuersa Liuonia vna cum Regia & Curlandia, quæ in potestate Regis adhuc erant, & quicquid ad fines Prussiæ vsq; adhuc pertineret, Rex sibi cederet: Liuonem nullum præsidiũ suum implorantẽ, multo minus ciuitatẽ vllam reciperet, vllaue ope auxilio suo iuuaret. Hasce, cum ex more iureiurando placita confirmare deberet, amotis iis, in quas legati ante iurauerant, solas profert, iureiurando oq; in eas se obstringit: atq; ita nullo amplius de his tractãdi loco relicto, ex Moscouia legatos abire iubet, nouisq; eodem tempore in Liuoniam copiis missis acerrime Vendam oppugnat. Quæ sub exitum comitiorum audita omnium animos ad bellũ Moscouiticum iam conuersos ira ac indignatione eo magis accenderunt. Vẽda tamen frustra à Moscis oppugnata fuit. Nam cum per aliquot dies tormẽtis vehementer muros verberassent, aliquam etiam partem muri diruissent: Dembinius ob præsidii exiguitatem oppido metuẽs, cohortatus suos, vt eã secum ingrederentur, cum tenere non potuisset. quod illi propter inopiam cõmeatuum, & non exsoluta stipẽdia minus prompti ad pericula suscipiẽda essent; & quia magna ex parte equites erant, minus etiam virtuti suę locũ in præsidio fore putarent: tandem vt propius saltem secum accederent, si forte excubias & castra hostiũ turbare posset, contendit. Quod cum impetrasset, noctu silenti agmine eos ducens, paulo ante lucem sub portis oppidi sistit, ostẽditq;, quod ab hostibus iam videri cœpissent, à tãta hostium multitudine facile circumueniri posse: itaq; potius, vt viros fortes deceret, oppidum ingrederentur, virtute que sua illud, & inde se tuerentur. Ita oppidum ingressi, eidem saluti ac præsidio fuerunt. Muris enim, qui diruti ab hostibus erant, magna cura subitario opere noctu expletis, omnibus in locis fortissime

Moscus Vendam oppugnat.

me hosti occursum fuit. Itaque vere iam imminente Mosci soluta obsidione, præmissis primum tormentis, discesserunt.

Magnus Holsat. Dux à Mosco ad Regem Pol. transfit.

Sub idem fere tempus MAGNVS Holsatiæ Dux Christiani tertii Daniæ Regis filius, & Friderici secundi Regis frater, Regis fidem secutus, à Mosco discessit. Hic Curoniæ & Osiliæ Episcopatũ in Liuonia tenẽs, perditis quorundã consiliis ac promissis Mosci, & adolescentia adductus, cum per ætatẽ ipse rebus suis consulere non posset, ad Moscum transierat. Ab eo Andreæ patruelis, quem paulo ante ob nouarum rerum suspiciones quasdã exquisitis vexarat cruciatibus, filia Maria in matrimonium ei tradita, spesq; iniecta, fore „ vt suo beneficio totius Liuoniæ regno potiretur, ad Reualiam obsidẽdam magno cum exercitu missus fuerat. A qua infecta re discedere coactus, tempore obsidionis Gedanensis iisdem cum promissis in Liuoniã remissus fuit. Vbi territus crudelitate Mosci, quodq; adẽptis ei, quę tenebat in Liuonia, „ castellis ad fines Scythiæ deportare eum in animo haberet, per indiciũ cognito, cum, quanto in periculo versaretur, cogitaret: transeundi ab eo cõsilium cepit, paulatimq; è potestate eius se subducens Lempsaliam, inde propius Rigam, ac fines regios se recepit: Regemq; per Curlandiæ Ducem crebrosq; internuncios ac literas, vt in fidem se reciperet, solicitabat. Rex in earum rerum fluctuatione cum & varia de discessu eius iactarentur, vt neque, an fi fratri eius Regi Daniæ cæteriq; propinquis consilium id probaretur, aut fortunæ eius curæ omnino essent, perspectum habere posset, de deditione nil quidem tum cum illo constituit: fide tamen publica versari eum in Liuonia se passurũ ostẽdit. Postea profecto in Liuoniam Nicolao Radiuilo Palatino Vilnensi, eidem, vt cum Duce MAGNO, quod in re præsenti è Republica esset perspexisset, idem constitueret, permisit. Hic cum in Curlandiã veniisset, ad eumq; Dux MAGNVS accessisset, in fidẽ illum in omnib. ditionibus eius regio nomine recepit, inq; verba Regis sacramento adegit. Cõditiones deditionis hæ fuerũt: vt, quas teneret possessiones, eo, quo alii beneficiarii Principes sua possiderẽt, iure à Rege ei permitterẽtur, aut pro illis aliæ non deteriores pro amplitudine familiæ alicubi darẽtur. De euẽtu legationis Rex certior factus, mittit statim ad Moscũ Georgium Haraburdũ, qui nõ aliter induciis iis teneri se velle Mosco renunciaret, quam si de Liuonia cõditionẽ, quæ nec à legatis accepta esset, remisisset. Moscus rerẽto Haraburda, legationẽ interea ad Regẽ, quæ ad rata habẽda pacta induciarũ, iuramẽtoq; confirmanda eum adduceret, destinat, ac præcipitante iam æstate exercitum alium multo priore validiorem, maioreq; apparatu instructum, ad Vendam à Polonis interceptam, & ab eo postea obsessam mittit.

Rex Pol. legatum ad Moscũ mittit.

Rex in Russiam contẽdit.

Peractis comitiis, Rex Varsauia digressus, Leopolim ad Russicas res cõponendas cõtendit. Antequã discederet, Cracouienses, Sendomiriẽses, & Siradiẽses Palatinatuũ, quos in scisc̃edo tributo à reliquorũ omniũ cõsẽsu se seiũxisse ante ostensũ est, cõuentus edixerat. In itinere cognoscit, Siradiẽsem Palatinatũ mox assensum: reliquos duos in recusãdo tributo perstare. Subsistit hanc ob causam Sendomiriæ, eoq; minoris Poloniæ Senatores omnes euocat. Ex horum sententia Palatinatuũ eorundem denuo communẽ conuentũ Korcini habet. Assensi hic tandem & ii fuerunt, remittente Rege de tributo cereuisiali, vt, vbi duodeuigesima à regiis & ecclesiasticis, vicesima quarta à Nobilitatis subditis exigeretur. Leopolim Ioã. Podkouã velitũ seu Kosacorũ ductorẽ, hominem Valachum, obscuro alioquin loco natũ, sed

Ioan. Podkoua Kosacorum ductor capite plexus.

magnanimũ, admirabilique corporis robore præditum, & qui soleis equorum ferreis manu disruptis nomen inuenisset, captum à Nicolao Sieniauio Castellano Camenecẽsi, specie quadam militiæ libertate & domicilio regni Poloniæ abutenrem, pacemque publicam turbantem, præsente ac inspectante Czausio Turcico capite plecti iussit. Illud autem vt faceret, eo grauiores causas habere se videbat, quod Kosaci prioris expeditionis successu nondum ab instituto deiecti, eiusdem Podkouæ minori natu fratre Alexandro in Valachiam reducto, Petrum Palatinum denuo non sine suo periculo deturbarant. Alexander enim, cum viuus in hostium potestatem venisset, palo suffixus: Kosacorum pars à Turcis intercepta Constantinopolim in vinculis missa fuit. Idem tamen Petro quoque, tanquam per ignauiam toties deiecto, calamitosum postea fuit. Etenim sublato è medio Mahomete Bassa, qui principẽ inter purpuratos locum tenuerat, Achmetis successoris sui studio de Principatu amotus, inque eius locum Iancula quidam è Saxonibus Transyluanicis oriundus; sed qui non modo nationem Valachicam, sed genus etiam Principum Valachiæ ementitus fuerat, prouinciæ impositus deinde fuit. Ibidem quoque legationes Tartaricas audiuit; ad quos rogatu Tartari Turcarum Imperator suum legatum adiunxerat. Facta cum Tartaro pax fuit iis conditionibus, quibus sub prioribus Regibus eam habuisset. Attulerat literas à Principe suo scriptas, in quibus pacem postulabat: in iis de finibus nonnihil adiecerat, & de Kosacis accuratius sibi cauerat. Rex non receptis literis, iisdem quibus maiores sui legibus eam coluissent, se quoque pacem cum eo obseruaturum, donatiuaque ab illis dari solita daturum verbo respondit. Ita per totum Moscouitici belli tempus pax à Tartaro fuit.

Pax facta cum Tartaris.

Mosci legati veniunt Cracouiã.

Compositis sic rebus Russiæ, Cracouiam profectus est, quo etiam venerunt legati Mosci, quorum princeps in itinere morbo extinctus fuerat. Hi ad Regem deducti, verbum se facturos negarunt, nisi prius Rex aperto capite assurgens de valetudine & statu Principis sui percontatus esset. Rex cum præter rei indignitatẽ non committendum sibi arbitraretur, vt ad hostis barbaro fastu elati superbiã obsequio aliquo suo quid adderet: illi vero in sententia perstarent, ac potius re infecta discessuros se confirmarent, permisit, vt inauditi in hospitium, inde in Lituaniam lentis agminibus se reciperent. Animaduersum inde fuit, tributum, quod in comitiis Varsauiensib. sancitum fuerat, non modo prædicatione nonnullorum inferius, sed ipsi bello, in cuius vsus ab Ordinibus deputatum fuerat, par non fore. Rex quod nec comitia eo tempore habenda sibi censeret, ne, si nihil rerum gessisset, inani belli simulatione pecunię quam maximæ cogendæ rationes quærere à nonnullis iactaretur, nec priuatos Nobilitatis conuentus cogendos, ne illud toties præter maiorum instituta vsurpari à se Nobilitas queri posset, cum iudicia tum à Nobilitate obirentur, per eos interim conuentus, quid de tributo illo polliceri sibi posset, necessario Nobilitati proponendum existimabat, quod non deessent, qui magnitudinem tributi eius in immensum oratione augerent. Inde ad omnes vicinos Principes legatos designat, qui & amicorum erga se beneuolentiam magis firmiusque sibi adiungerent, vel maleuolorum consilia distinerent. Præcipue cum Augusto Saxoniæ, & Ioanne Georgio Brandeburgico Principibus Electoribus consilia belli communicat. Hi indigne ferentes, barbara crudelitate tam diu in

Saxo & Brãdeburg Electores Regẽ ad bellum contra Moscum hortantur.

nomen Germanicum à Mosco sæuiri, ad bellum pro Liuonibus suscipiendum, quibus illi tanto terrarum spacio ab illis oris disiuncti minus adesse possent, amice eum hortabantur. A Brandeburgico bellica etiam tormenta quædam dono ei missa fuerunt. Ad Turcam vbi legati venissent, Mahometes prudentissimus trium Orientis Imperatorum consiliarius, & in Regem haud male animatus, cum de Regis instituto intellexisset, fauere se conatibus eius dixit, faustaque ac felicia ei precari: magnam tamen rem suscipi, magnas vires esse Moscouiticas, neque secundum suum Principem vllum in orbe terrarum potentiorem eo Principem se existimare. Dimissis legatis, ad domesticarum rerum curam Rex conuersus fuit. Institutis regni non posse Prorex creari dicebatur: itaque si quid per suam absentiam in hostico accidisset, cum primoribus è Senatu se communicaturum pronunciauit. Pacem publicam seuere sanxit, maxime Cracouiæ, ne, quod aliis temporibus acciderat, inter dissentientes de religione tumultus aliquis oriretur. Edixitt, si quis in vrbe oppidoue insolentius quid fecisset, præsertim, si dubitationem iuris cognitio habitura esset, ad suum vsque aduentum in custodia adseruaretur: cum alias ordinaria iuris publici ratione in recentibus criminibus vna cum Præfectis, magistratus vrbani cognoscere, interque eos, si non conueniat, Rex consuli soleat.

Polonorum ad Vendam victoria.

Dum Cracouiæ Rex est, nuncius partæ à Polonis ad Vendam victoriæ allatus, tanquam totius belli omen secum attulit. Obsederant eam denuo, quẽadmodum supra dictum, Mosci longe maioribus quam antea copiis, & quatuor præcipuæ autoritatis Palatinis, Petro Tatauo, Basilio Voronsitscio, Petro Choroscino, Andrea Scholkanouo, ad eam missis. Dum per aliquot dies frustra oppidum oppugnant, Polonis sui colligendi, & cum Sueccicæ militiæ Præfecto Georgio Boio consilia communicandi spacium dederunt. Confluunt Stropam, vbi Buringius tum erat, Andreas Sapiha earum, quæ tum in Liuonia erant, copiarum legatus, Matthias Dembinius: ex Liuonibus præter Buringium Nicolaus Korffius, Platerus, & alii nonnulli cum equitum aliquot manu iis ad Gouiam fl. medio inter Volmariam & Vendam loco Sueciæ copiæ se adiungunt. Inde digressi, hostem instructa acie sub signis ad Vendam expectantem adoriuntur. Cum acerrime pugnaretur, Polonis, Lituanis, ac Suecis ad vlciscendas hostis iniurias: Liuonibus ad libertatem: omnibus ad laudem & gloriam inter se cohortantibus, hostium equitatus pellitur, Tartaris maxime in fugam effusis. Sub noctem Palatini militem ex fuga colligere, castrisque continere cœperunt, hortarique, vt pro inueterata gentis gloria & ratione sacramenti militaris extremam potius fortunam experirentur, quam castra, apparatumque bellicum, à Principe suo fidei eorum commissum, desererent. Verum augente periculo ac nocte metum, eademque pudorem ac flagitium tegente, ob eaque non patiente se contineri multitudine, Palatini duo Petrus Chorossinus & Andreas Scholkanouus, qui equitibus prærant, vna cum equitatu in fugã se eiecerunt: reliqui duo, quibus tormenta commissa, soli fere in castris relicti, insigniora tormenta bellica amplexi, vt castra & instrumentum militare, fidemque erga Principem suum vel ad extremum spiritum retenta à se esse testarentur: itaque à regiis postridie summo mane castra ac munitiones irrumpentibus inuenti, viui in potestatem cum castris, munitionibusque ac tormentis ad triginta deuenerunt. Sub idem tempus Reualienses opem

ac misericordiam Regis implorantes, vt aliquo frumenti numero se subleuaret, à Rege petierunt: in maximas angustias tot annorum bello ab hoste redactos: commerciis fere omnibus excluſos: intra mœnia compulſos ab agricultura longo iam tempore se prohiberi. His Rex naues aliquot frumento onuſtas ſubmiſit.

An. Ch. 1579. Rex Nicolaum Mielecium exercitui præficit.

Priuſquam Cracouia Rex diſcederet, de duce exercitui præficiendo cum Senatoribus deliberat: qui cum oſtenderent, vel in perpetuum minus hocalicui eum deferre poſſe, vel extra ordinem vnum, aut plura bella mandare; pleriſque tamen, vt in id ſaltem bellum aliquem legeret, placeret, Cracouia Varſauiam diſcedens, Nicolaum Mielecium Podoliæ Palatinum, virum ſcientia rei militaris peritum, eo ad ſe euocat. Hic valetudine, qua tenui vteretur, & aliis quibuſdam incommodis ſe excuſabat: tandem in eam ſaltem expeditionem imperium accepit. Itaque conſtituto cum eo, quos quotq; turmarum Præfectos ac centuriones ſcribi vellet, domum, vt ſe pararet, Rex eum dimiſit. Inde Grodnam mouit. Maxima autem laborabat Rex difficultate, quod & per magnitudinem ſuſcepti belli paucæ omnino pecuniæ ex tributo collectæ adhuc erant, & vt maxime integræ cõferrentur, minime tamen tanto bello pares fore videbat. Iis omnib. rebus, quãto poteſt ſtudio, occurrit, pecunias partim mutuo ſumit, partim, quas in fiſco ſuo habebat priuatim, exponit. Militem paſſim per Poloniã cogi iubet: mittit ad fratrem Chriſtophorum Trãſyluaniæ Principem, vt Vngarorum veteranorũ cohortes aliquot, & alas equitũ cõparet. Chriſtophoro Roſdrazeuio, & Erneſtro Veiero in Germania militis conquirendi negotium dat. Lituaniæ proceres, cum de difficultatibus iis cum illis communicaret, prout quiſq; opibus maxime valebat, voluntarium militem offerebant, quotque ſinguli adducturi eſſent, edebãt. Quorum numerus cum ad 10000 fere accederet, non parum ea re atq; alacritate Lituanorũ recreatus, eo maiori animo ad reliquas res adminiſtrandas aggreſſus fuit: conſtitutiſq; ita pro tẽpore rebus iis Vilnã acceſſit. Ibi alia, quæ vſui bello eſſent, apparare Rex inſtituit: tormenta bellica ad modum quendam, quem ipſe vſu & experientia accõmodatiſſimũ cognouerat, fũdi iuſſit. Caunæ ponte fieri imperat, quo in ſequẽtib. expeditionib. vtatur. Is ex ſingulis nauib, cõponebatur, quæ deinde tabulatis ita inter ſe cõiungebãtur, vt, quoties opus eſſet, ſeparari, curribuſq; ſingulis vna cum tabulatis impoſitæ, binis iumentorũ iugis non incõmode in quemcunq; locum transferri poſſent: ſimul quod neq; copiæ omnes cõueniſſẽt, nec frigora, quę in regione ſeptẽtrionali expoſita eo anno vltra ſolitũ ad D. Ioãnis durauerant, vt nec herbæ vſpiã vllæ apparerent, receſſiſſet: Lituanicis cauſis, quæ in longiorẽ iam diẽ prolatæ erant, cognoſcendis operam dedit. Inde Baſiliũ Lopatinſcium cum literis mittit ad Moſcum, quib. legitime bellũ indicit, cuius cauſas haſce denunciat: quod oſtentatione pacis Liuonicã prouinciam bello ac incẽdio vaſtaſſet: legatos ſuos contumelioſe habitos ad extremũ duplicibus inducíarum literis eluſiſſet: eodẽ tempore nouis in Liuoniam copiis miſſis Vendam oppugnaſſet: ſua legatione ad priores iniurias nouam contumeliam ac ludibrium adiunxiſſet.

Moſco belli indictum.

Remiſit ſub idem tempus Moſcus Haraburdam, hactenus detentũ, nullo alio reſpõſo, quam quod paulo poſt de ſuis aliquẽ ad Regem miſſurus eſſet, qui iis de reb. tractaret. Itaq; ſecutus eũ mox cũ litteris quidam, qui vt Rex induciis, quæ perſcriptæ eſſent, ſtaret, poſtulabat: de Liuonia ſi quid cõtro-

Qui petit inducias.

uerſiæ

uerſiæ ſupereſſet, de ea amice per arbitratores, quos vtrinq; nominaſſent, ſecum conueniret. Negabat Rex poſſe ſe huiuſmodi inducias vlla ratione admittere. Nã de Liuonia quod adiiceretur, amice de ea inter ipſos diſceptari poſſe, fruſtra & ridicule adiici: ſemel n. receptis, iuramentoq; firmatis induciis, in quibus omni Liuoniæ iure cederet, nihilque amplius petiturũ ſe eius profiteretur, ſi poſtmodũ de ea ageret, cui dubiũ eſſe poſſet, contra iuramẽtum ſe venturũ: & vel eã ipſam ob rem cauſa cadere debere. Quod ſi in Lituaniaa Ruſſiaq; pacem ſibi cum Rege eſſe vellet: in Liuonia armis de iure diſceptaari: nouam quidem hanc inducíarum rationem ſibi videri. Ac etſi intelliggeret, tẽporibus Sigiſmundi Auguſti Regis atq; interregnorũ obtruſas aliquando huiuſmodi ab eo inducias fuiſſe: ſe tamen, cũ faciendæ nouę ſibi ſint, non niſi iuſtas facere velle: neminem tam barbarum, aut imperitum rerum eſſe, qui non videat, ſi conſtitutis melius rebus ſuis per Liuoniam, in Lituaania bellum redintegrare velit, per huiuſmodi inducias, quandocunq; illi integrum id futurum, quibus de Liuoniæ ceſſione conditionem adieciſſet, qua bello in Liuonia gerendo à Rege violata, nunquam illi belli in Lituania inſtaurandi cauſa deeſſe poſſet.

Regis reſponſio.

Nuncio hoc dimiſſo, Tartari poſtulata cognita fuerunt. Hic ſub idem tẽpus aad Regem legatos miſerat, quod bellũ contra Moſcũ ſuſcipi intellexiſſet, ex fœdere, quo Regib. Poloniæ operã ſuam contra quoſuis hoſtes, vnico Turcicarum Imperatore excepto, nauare tenetur, ab altera parte irruptionẽ in Moſcouiã facturum ſe oſtendebat: petebat donatiua: Koſacorum iniurias coerceri poſtulabat. Reſponſũ illi, quod operam ſuam contra Moſcũ polliceretur: tur, facere eum officium: donatiuũ datũ iri: Koſacos colluuiem ex variis nationibus collectam, nec in poteſtate Regis eſſe: atque ex ipſis Tartaris ac Turcis non raros ſeſe illis aggregare: datum nihil ominus operam iri, quantum eius fieri poſſit, vt iniuriæ illorum prohibeantur. A bello tamen contra Moſcum, contra quã promiſerat, omnino abfuit, alio contra Perſam, quod à Turcarum Imperatore tum gerebãtur, auocatus. Aderat & Gothardus Curlandiæ & Semigalliæ Dux, confirmationemq; feudi ſui & inueſtituram petebat. Eum Rex Diſnæ ſiſtere ſe iuſſit, interim ad Senarum ea de re retullit Exercitus inde vt ſub principium menſis Iulii Suirum conueniret, edixit. Veneratiam Vilnam peditatus Vngaricus à Chriſtophoro Tranſyluaniæ Principe Regis fratre, eiuſdemq; delectus iuſta equitum ala. Poloni-cum militem Mielecius, qui & ipſe ſub id tempus ad Regem redierat, cum ſegnius à quæſtoribus atque exactoribus expedita te pecuniaria, ob auctoramenta tardius accepta, moræ nonnihil interponeretur, vt quam primum ad edictum conueniret, acriter vrgebat.

Tartari legati auditi à Rege.

Dux Curlandiæ confirmationẽ feudi à Rege petit.

Poſtquam Moſco Rex bellum per Baſilium Lopatinſcium denunciaſſet, pridie Cal. Iulii Vilna ad luſtrãdas copias Suirum profectus eſt. Ibi Lituanici equitatus partem vidit; qui cum totus reb. omnib. eſſet ornatiſſimus, tũ maxime eis, qui à Radziuilis, & Ioanne Kiſzka ſtructore regio adducebatur. Ibidem, vnde belli initium faciendum, deliberatum. Lituani omnes fere Pleſcouiam primum tentandam per Liuoniam itinere facto arbitrantur, quod & propter vrbis amplitudinem ac nomen dignam iudicarent, & quod minus contra vim munita putaretur. Rex cõtra exiſtimabat, cũ Liuouia crebris vrbib. & caſtellis munita, & multis an. ab hoſte frequẽtib. incurſionib deuaſtata eſſet, propter cõmeatus inopiã ac crebras obſidiones difficiliores

Vnde belli initium faciendum.

belli

belli progressus futuros, sicq; prouinciã, cuius liberandi causa bellũ susceptũ esset, non modo ab hoste, sed à suis quoq; denuo vastatum, Lituaniæq; eam partem, quæ ad Borysthenẽ pertinet, præsidio nudatã hostilibus incursionibus interim expositum iri. Alia etiam via per hosticum si Plescouiam iret, contra rei militaris rationem censebat, tot hostilibus præsidiis à tergo relictis, per infesta omnia atque inuia longius progredi: vbi nec, si quid damni acceptum, facilis foret receptus, nec commoda rerum necessariarum subuectio. Polocia vero si oppugnaretur, neutrum incommodum pertimescendum, quod ea ad Dunam fl. sita, proximos ad Liuoniam & Lituaniam aditus haberet: qua expugnata, protinus arma victricia in Moscouiam vlterius promoueri, atque sic circumita Liuonia, omni ab ea hoste intercluso, integram occupare posset: nec longius à Lituania discedendum, ac tam Liuoniæ, quam Lituaniæ contra excursiones hostium prõpta semper auxilia futura essent. Præterea Polocia capta, Dunæ fl. nauigationem, qua sola portus Rigensis continetur, tutam reddi posse, ab eaque excludi hostem, quod ab eius præsidio maxima pars Dunæ fl. infestetur, indeque auxilia & commeatus Kokenhausum, aliaque Liuonæ castella submittantur, & Vilna Rigaque mercatura prohibeantur: præsertim, quod eius subito receptæ fama non solum omnium animos eius cladis memoria consternatos erectura esset: sed etiam maximam ei gloriam conciliatura. Accedere & illud, quod arce hac, qua firmiorem maioremque nullam hostis habet, expugnata, reliqua deinde omnia loca minori cum negotio occupari possent. Itaque ex difficultatibus omnibus, quæ proponebantur, posthabitis, Polociam primum aggredi decreuit, ideo quod intelligeret, famam susceptæ expeditionis longe lateque ad diuersas nationes disseminatam, exercitumque variis ex gentibus collectum haberet: & vero, vt omnibus de belli causa atque æquitate constaret, edictum Latine prius scriptum, inque Polonicam, Vngaricam, & Germanicam linguas translatum, quod ex iis fere gentibus exercitus constabat, proponit.

Quare factis ab inuocatione opis diuinæ auspiciis, Suiro primum Nicolaum Radiuilum Palatinum Vilnensem, qui ex instituto rei militaris, quoad reliquus exercitus subsequeretur, hostem compulsum intra muros contineret, viamque reliquo agmini patefaceret, cum filio Christophoro ac Lituanicis copiis quibusdam Polociam præmisit. Cum eodem Casparum Bekesium cum equitatu Vngarico & cohortibus aliquot ire iussit. Suiro deinde Disnam mouit, agmine ita dispositio, vt cum imminerent viæ à dextra Krasna, Susa, Turolia hostilia præsidia, ab ea parte Mielecius cum exercitu Polonico, in primo agmine Ioanne Zbarasio ire iusso, tenderet, Rex lęua iter faceret. In itinere aliorum Lituanorum procerum, maxime Stephani Zbarasii Trocensis, Nicolai Dorchostaiscii Polocensis, Palatinorum, Georgii item Zienouicii Castellani Polocensis, & quorundam priuatorum elegantissime ornatæ copiæ Regem assecutæ, censæ ab eo fuerunt. Fuerant per aliquot dies continuos profusæ pluuiæ, eæ tantam grauioris belli instrumenti, ac tormentorum præcipue ducendorum difficultatem attulerant, vt iumenta, quibus in suis curribus Rex vtebatur, remittere necesse haberet, quo celerius promouerentur. Disnæ equitem ac militem Polonicum, qui tum fere omnis conuenerat, Mielecius eleganter in speciem instructum, & in turmas cohortesque distributum sub signis decurrentem Regi ostendit.

Rex ad Polociæ obsidionem se accingit.

Eodem

Eoddem, quę nondum conuenerant, Lituanicę copię veneruntin his Ioannis Chodkieuicii Castellani Vilnensis, qui breui post extinctus, nongenti lectissimi equites, Ioannis item Hlebouicii Castellani Minscensis, & aliorum. Venit sub idem tempus cum Christophoro Rozdraseuio, & Ernesto Veidero Germanus etiam miles, genere armorum atque vsu rei militaris reliquis non multo inferior. Censis copiis, Curlandiæ Duci, quem Disnam dilatatum supra ostensum, possessio Curlandiæ Semigalliæque Ducatus solenni more confirmata, ipseque in clientelam ac fidem receptus fuit.

Mosci exercitus conatus.

Moscus interim Plescouiam cum exercitu progressus, partem copiarum in Liuoniam præmiserat. Hæ Duna fl. ad Kokenhausium, quo potitus fuerat, raptim trãsmisso, ac centum quinquaginta circiter Ducis Curlandię equitibus, qui eis Dunam in statione erant, repentina excursione reiectis, Seelelburgensique Ducis Curlandiæ, ac Birsensi Ducis Christophori Radiuilii ei agro vastato, propere trans Dunam se receperunt. Interim Ioannem Tahluossium Samogitiæ Castellanum cum iis, quas raptim contrahere poterat, copiis in Liuoniam Rex misit. Philonem Kmitam Præfectum Orsensem ad Borysthenem, ne quid ex ea parte ab hoste detrimenti acciperetur, curaare iussit. Iam exercitus cum Palatino Vilnensi Polociam prędmissus, Dunamm ponte Caunæ ex nauibus facto ad Disnam transmiserat, nil hoste contra si suscipiente, quo transitu eum prohiberet; vel quod ex instituto disciplinæ Moscouiticæ sine mandato Principis ex præsidio miles egredi non audeant: vel quod superiorum temporum successu elatus, exercitus, qui Suirumn conuenire dicebatur, famam contempserat. Duna paulum progressumn continuæ syluæ aliquandiu moratæ fuerunt. Verum peditatu Vngarico sesecuribus syluas cædere instituente, ac celeriter opus perficiente, exiguo temnporis spacio difficultates eas superauit. Patet autem regio Polocensis ad ccentum quinquaginta circiter millia passuum in longitudinem, totidem in latitudinem, cum vbertate soli, tum fluminum arque lacuum copia nulli cedens. Fluuios nauigabiles complures habet, præcipue Dunam, qui in Moscouia non procul à Turopecia ortus Rigensem portum efficit, Secundum eum Dryssam, Vsuiatã, è Moscouia: Disnam, Vlam è Lituania: à Smolensco Casplam in eundem Dunam omnes influentes. Plerorumque Lituanicorum & Russicorum castellorum is fere situs est, vt ad ostium aliquod humilioris fluminis, quo cũ maiori coniungitur, extructa sint. Quæ ita collocata sunt, quod maioris fluminis propinquitas pluribus communis est, à minoribus fluminib. plerunq; omnia nomina indita habent. Hinc Polotta non magnus alioquin fluuius arci & vrbi, vrbs regioni nomen dedit Antequam in Moschi potestatem veniret, vna arce atque vrbe Polocia & castro Ieseriscia tota illa regio continebatur, alioquin oppidis & pagis non infrequens, Ieseriscia versus Moscouiam in lacu, ex quo fluuius Obola oritur, sita, ab vna sola parte angustissimum aditum, & quo vix expedito iter sit, habet. Postquam à Moscо occupata, vtrinq; castella aliquot excitata, præsidiaq; cõstituta fuerunt, partim agri, fluminisq;, ac nauigationis vel retinẽdę, vel turbãdę hosti causa, partim ad excursiones, quę vt in dubia vtrinq; possessione frequentes fiebant, prohibendas. A Rege Sigismundo Augusto Disna ad eiusdem nominis fluuii ac Dunæ confluentem: Voronecium ad fl. Vsaciam: Lepelium in insula lacus, qui à Lepelio fl. efficitur, versus Lituaniam conditum fuit. Idem Rex Vlæ quoque ostium castello munire ag-

Polocensis regionis descriptio.

gressus, Veneto architecto quodam vna cum operis ab hostibus interfecto, non sine detrimento deiectus fuerat; cumq; hostis eundem locum firmare instituisser, ac Rex Augustus magis à Radosouicio summissis copiis, ac summa vi diu frustra eum oppugnasset, tandem postea per Romanū Sangusconem Palatinum Braslauiensem, dum Moscus vetus præsidium noui inducēdi causa deducit, receperat: superiorē vero eius partem Lepeliq; fl. cum Vla confluentē impositō castello Czasnicia iam ante cōmunierat. Pari ratione Moscus vltra Dunam quinq; castellis extructis, totius oræ eius possessionem sibi firmauerat. Socolum in via Plescouiēsi in fluminū Dryssæ & Nisciæ pēinsula quadam Lituanicis castellinis Disnæ & Dryssæ opposuerat. Niscerdam ad lacum cognominem triginta à Zauolocia passum millibus: Sitnum in Vielicolucensi via ad superiorem Polotę partem. Kossianum deinde loco ab Obola fl. velut circino circumducto: Vsuiatam ad fl. itidem cognominē ac nauigabilem in Dunam ad Surassum ex aduerso Casplæ fl. influentem: illud contra Vlam, hanc cōtra Vitepscum & Surassum excitarat. Cis Dunam Turouliā, ad cognominis amnis caput, quo in Dunā influit. Sussam vero singulari consilio Lituaniā versus in lacu, qui Turouliā emittit, loco munitissimo aquisq; vndiq; circundato, agitans iam animo bellū Lituanicum, Vilnamq; opinione præcipiens, sedem bello futuro posuerat: itaq; natura ante munitissimā opere emunierat, omniq; apparatus bellici genere instruxerat.

Kosaci Krasnam capiūt & Kossianum.

His Krasnam superaddiderat, superiori in loco itidem ad Lituaniam spectāte. Kosaci igitur Lituanici Francisco Suko duce ad belli suscepti famam in finibus globo facto, Krasnam noctu repente scalis appositis, adorti, præsidio munitionibusq;, ac satis magna commeatus copia vna cum castello potiuntur. Ab altera parte Kossianum Vltradunana arx simili euentu repentina excursione Kosacorum capitur & deletur.

Palatinus interim Vilnensis Polociam cum suis copiis peruenerat: quas hostes conspicati, subito copias suas ex ra munitiones productas sub portis instructas ostendunt nullaq; iusta pugnandi facultate data, intra munitiones se recipiūt: eques tamē pugnādi auidus sub ipsa mœnia in eas prouectus vnum atq; alterū hastis transfixit. Eodem tempore Vngari & Lituani Sitnū, via quæ Plescouiā ducit, subito Polocia excurrentes, vt re improuisa & repētina eam incendunt. Cum Polociam Rex iret, à læuaq; Socolam castrū hostile haberet, veritus, ne maiorib, à Plescouia subsidiis summissis, commeatui ac subuectionibus regiis incommodi aliquid ex eo hostis adferret, an ad id oppugnandum ex itinere diuerteret, cum Mielecio deliberabat: verū postea sępe maiorum rerum gerendarum opportunitatem in minutiorib. oppugnationib. consumi cogitās, ac ad Polociam caput prouinciæ properans, celeriter consiliū omisit: terniſq; castris, quemadmodū Mielecius cū expedito equite in præcurrēs ea designarat, Disna Polociā peruenit. Dum Polociā exercitus contēdit, Mosci Polonos & Lituanos, quos à multis annis in squalore & compedib. habuerant, cū cruciatu interfectos, adq; trabes alligatos, secundo Duna terrotem venientib. id allaturū rati, obuiam demittunt. Rex Ioanne Zamoiscio Cancellario & Gaspare Bekeschio solis assumptis, Mielecio interim exercitum priuato cultu curante, subsidiisq; contra eruptiones loco opportuno dispositis, vrbē circumuectus, naturam loci cum iisdem explorat: simulq; eodem in loco, à qua potissimū parte oppugnatio instituēda sit, deliberat. Constabat Polocia duabus arcibus, vna in editiori loco posita,

Polocia obsidetur.

eademq;

eademq; media: altera, quā sclopetariorum sua lingua Mosci appellabant: & oppido Zapolotta. A meridie Dunam habet, qui modico versus occidētem flexu, recta inde Rigam tendit, ad eamq; mare influit. Polotta recto è Septētriome cursu paulum versus Oriētem sub arce sclopetariorum, inde rursum in Sœptentrionem declinans, radicesq; collis, in quo superior arx, cōplexus, eandemq; ab oppido separans, meridiem versus paulo infra eum locum cū Dunna commiscetur. Media arx in colle altissimos despectus habente locata, à meridie Duna fl. à Septentrione & ortu Polotta fl. oppidoq; Zapolotta: ab Occicid, sclopetariorū arce, vndiq; monte, cui imminet, prærupto, altissimisq; fossilis ac vallo continebatur, muros & propugnacula ex aliquot inter se deuinctis validissimorum roborū ordinibus firmissima habebat. Sclopetariorum narx inferiori loco occasum versus in colle tamen modice accliui sita ab Oriciente breui ponte cum superiori arce coniungebatur. Oppidū cum olim cis P Polottam sub colle, quem sclopetariorum postea arce Moscus cōmuninit, f. fuisset, deletū oppugnatione ab hoste fuerat. Postea cum cōfirmata iam possessione propter cōmerciorum vsum, quorū loco tam opportuno summa facultas est, instaurare id inst. tueret, quod ab illa parte maxime opportuna oppugnatio ei fuisset, timēs, ne inde rursus Polonis pateret, trā s Polottam m fl atq; summam arcem in locum inter vtrumq; fl. medium transtulerat: vt positu eius quasi triangulari, vnum latus Duna, alterum versus summam arcecem Polota fl. tertium fossæ turresq; tuerentur. Regi dubium erat nullumm, quin à media eademq; summa ac munitissima arce instituenda oppugnatio esset, præterea, quod quicquid in reliquis oppugnandis laboris ac temmporis sumeretur, suprema salua, nec receptu hostibus, nec obsidionis ea sū sustinendæ spe defutura, nulla de causa sumptū iri appareret: ea vero expugnata occupato loco superiori, eodemq; munito, ac inquem omnis cōmeatus apparatusq; bellicus collatus ab hoste esset, oppidū quoq; ac alterā sclopetariorum nullo negocio in potestatem peruentura. Accedebat huc, quod ab oppido difficiliorē deinde arcis oppugnationē transitus fl. Polottæ, :, qui radices collis, in quo arx erat, cōplecteretur, facturus videretur. Bekeseschius nihilominus oppidum Zapolottam, quod secundum Dunam fl. euntibus primo occurrerat, prius tētandum censebat: quo expugnato, etsi in arcem dein hostes se reciperent: tamē præterquam quod incōmoda obsidionis omnibus in vnum locum compulsis ea res auctura esset: spem prętererea illis, regiis laborem minuturam, animosq; addituram, nec difficiliorem multo, quam ab iis partibus futura esset, ab oppido oppugnationē futuram: cum fl. Polotta, quod impeditā eam facturus videretur, omnib. fere locis vado vix crurū tenus trāsiri posset. Regem, vt in sentētia perstaret, Zamoiscius cūprimis vrgebat: quod cum iterū cognoscendi situs causa solus propius sub eū locum, in quo oppidū antea fuerat, successisset, lōge inde faciliorem ascensum, neq; fossarum & collis eam altitudinē, quę ab aliis partibus erat, esse animaduerterat, arcemq; sclopetariotū in colle ab imo accliui ita collocatum, vt à summitate collis, quæ ad exteriorē partē pertinebat, tanquam gibbus aliquis enatus telorum commode adiiciendorum iis, qui in arce erant, facultatem præpediret. Dum ea de re Rex amplius deliberat, Germanus miles priuato consilio Polotam transgressus, locum ab oppidoo auersum contra summam ac sclopetariorum arces ad Dunam castris cappit. Veritus hinc Rex, ne ex æmulatione nationum dissidii aliquid

Polocia situs descriptio.

oriretur, vt ad oppidum, quo loco Bekeschius cum Vngaris constiterat munitiones agerentur, permisit. Inde regiis castris trans Polottam fl. medio inter eum & lacum quendam spacio, infra locum, à Germanis occupatum, locus deligitur, eoque binis castris exercitus à Mielecio traducitur. Vniuersorum castrorum totiusque obsidionis hæc fere erat facies: Secundum flumen à Disna Polociam euntibus versus oppidum Zapolottam ad Dunam fl. primi Vngari confederant, loco ad commeatus excipiendos peropportuno; quod inferior fluminis pars pacata erat, omnesque subuectiones in eum fere locum concurrerent, tum Duna etiam ponte nota ratione ex nauibus composito ibidem stratus esset. Infra Vngaros cis Polottam Dux Nicolaus Radziuilus Palatinus Vilnensis cum Christophoro filio, subque eorum imperio stipendiariæ copiæ Lituanicæ: inde diuersæ voluntariorum, quicquid reliqui erat spacii, Polottam vsque diuersis castris compleuerant. Vltra Polottam inter flumen & lacum quendam regia castra erant. In his quoque Senatoribus & equitibus Polonis magna ex parte locus datus. Medium castrorum locum principia Senatorum que tentoria amplexa erant, quorum vt quisque potestate & honore antecedebat, ita locum Regi proximum cepetat. Hæc cum terni tentoriorum ordines ambientes binorum vicorum paribus inter se spaciis distantium seriem efficerent: bini etiam ad eosdem aditus portæque relictæ fuerant, totidem castrorum portæ erant excubiis stationibusque militum firmatæ. Exteriorem castrorum partem currus circumiecti, cateniſque ferreis inter se deuincti, more gentis muniebant: ad quos in maioris impetus aut periculi expectatione fossam etiam ducere, egestumque aggerem curribus obiicere, atque ita munitissimi oppidi faciem castris circumdare solent. Supra regia castra Germani confederant. Ad Polociam exercitu iam hærente, à Marchione Georgio Friderico in Prussia Duce quingenti lectissimi pedites superuenere, qui quemadmodum ipsi voluerant, inter Germanos loco in iis assignato, iisdem cum Germanis castris recepti fuerunt. In eadem causa alii quoque fuerunt, è Podolia, aliisque extremis regni finibus, qui cum propter locorum longinquitatem maturius adesse non potuissent, ad Polociam reliquum exercitum assequuti sunt, in his è voluntariis Constantinus Constantini Ostrogiæ Ducis filius cum lecta equitum ala, & alii quidam.

Obsidionis Polociana facies.

Georg. Frid. Marchio Brandeb. Regi; auxilia mittit.

Bekeschius interim Zapolottam oppidum oppugnare cæperat, actisque ad mœnia vineis, tormentis iam quatiebat. Mosci desperata oppidi defensione, & quod in omnes casus hæc à Principe suo, qui in præsidiis sunt, mandata accipiunt, omnibus rebus exportatis oppidum incendunt, ac in summam arcem se recipiunt. Proferuntur munitiones ad arcem flumenque Polottam, quod radices montis, cui arx adiacebat, ambit, magna Vngari militis virtute. Ita instituta oppugnatio, vt Vngari ad dextram ab ea parte, qua oppidum fuerat: medio ab his interuallo Poloni; inde Lituani pedites, quos Stephanus Zbarasius Palatinus, Eustachius Volouiczius Castellanus, Trocenses, ac alii quidam voluntarii adduxerant, oppugnarent: medio inter hos loco inferius aliquanto non longe à fl. Polotta ducenti Vngari pedites à Zamoscio scripti excubabant, eo fere positu, vt reliquo Polonico & Vngarico peditatu supra eos duobus locis inter se oppositis collocato, ducenti hi tanquam extremum trianguli angulum occupare viderentur. Ab altera arcis parte trans Polottam, qua sclopetariorum arci coniun-

Mosci Zapolotta oppido incenso in arcem confugiunt.

giuntur, Germani, qui eo loco consederunt, è suis castris munitiones arcem versus agebant. Bekeschius primo tormentis quatere arcem instituit, quod vbi minus succederet, propterea, quia cum ex maceria cõstarent, potius perforarentur aliquibus in locis muri, quam sternerentur: candentes globos iacere cœpit. Sed his etiam minus proficiebatur, quod, cum altius à aliquanto iacti essent, eadem ratione muros tantum peruaderent; cum in inferiorem locum ad fundamenta murorum, vt hærere possent, adigerentur, is, in cliuum fere, qui arcem sustinebat, quique ita prominebat, vt aduersus locum, in quo tormenta regia erant, etsi & ipse non humilis, inferior illo tamen esset, impingebant, soloque accipiebantur. Simul zephyro per complures dies flante, continui imbres erant. Ex his Polotta amnis tantum aquarum conceperat, vt, qui antea pedibus non incommode transiretur, tum nab equite sine periculo transmitti non posset: pontes autem omnes fere, q qui inter bina castra erant, interrumperet. Vnus tamen ab initio statim, postquam accessum ad Polociam fuisset, à Ioanne Bornemissa ad molendium quoddam exustum sublicis aliquot sub aqua repertis, trabibusque aliis sisuper eas iniectis, inter munitiones ipsas ac propugnaculum, quod oppuggnabatur, subitario opere factus perstiterat. Cumque per vnum pontem non n satis commode miles ad oppugnationem iturus videretur, Bekeschius cymbis aliquot piscatoriis depressis, nouum in eo pontem effecit. Verumm eo etiam paulo post continuis tormentorum ictibus in eum directis ab h hostibus merso, vnus relinquebatur is, de quo dictum, quem & parsrs aliqua molendini ab incendio relicta à tormentis hostilibus tutabatur. r. Bekeschius igitur cum & tormenta & globos candentes frustra admouetiti animaduerteret, vt quisque maxime impiger in proximo constiterat, præmiis maximis propositis, vt facibus ignem muris subiicerent, hortatur, peroque pontem ac aduersum collem recta ad arcem mittit: iis ex Polonorum Lituanorum que munitionibus alii mox submittuntur. Occurrebat singulari militum regiorum virtuti omnibus locis eximium hostium in defendenda arce studium. Inprimis magno incommodo regios afficiebant ingentis molis trabes in superiore parte muri, cuius latior ambitus, quam inferioris erat, iam ante in eum casum ab hostibus constitutæ, quæ leui impulsu in regios deturbatæ, ac per cliuum prouolutæ magna cum strage, vt quoscque arripuerant, secum ferebant. Tantus vero in restinguendis ignibus omnium ardor erat, vt non ætate confecti, non mulieres, non pueri, vel laborem, vel periculum recusarent: quo minus & magna copia aquam aliaque opprimendæ flammæ suis supportarent, & in succedentes regios profunderent. Desiderati hac in oppugnatione aliquot viri fortes, ac in iis Michael Vadasius, qui multis in præliis fortiter versatus, ac ob virtutem militi Vngaro præfectus fuerat, dum ad tormenta Polonicarum munitionum cum Stanislao Penkoslauio ac aliis præfectis Polonis consilia communicat, globo traiectus fuit. Non leue tamen hostes etiam incommodum acceperunt, cum quoties ad restinguendum incendium conferti vnum in locum concurrissent, tormentis in eum directis, crebræ in illos eiaculationes fierent, ac non globis modo frequentes interimerentur, sed fragmentis etiam lignorum ac trabium, quæ globi secum rapiebant, quæque maiorem fere quam globi ipsi stragem edebant, non pauci opprimerentur.

Polotta arcis oppug. natio.

Ad oppugnationis difficultates accedebat ſumma commeatus & ſubuectionum anguſtia: quæ à ſola fere Diſna, & ab inferiori parte fluminis ſuſtentabantur, Vilnam enim verſus, quæ amplius ducẽtorum viginti quinque millium paſſuum ſpacio inde diſtat, Poſtouam vſque, quæ partibus inter Vilnam & Polociã ab vtraque interuallis ſita, omnia hoſtis vaſtarat: tum vero propterea etiam minus commode ſubuehi inde poterat, quod Suſa in poteſtate hoſtium adhuc erat, cuius in præſidio qui erant, ſuperioribus diebus Koſacos Lituanicos, qui Kraſnam interceperunt, ſecurius agentes noctu oppreſſerant, caſtrumque incenſum ſolo æquarant, & tum vias ſubuectoreſque Polonos Vilna venientes infeſtabant. A ſuperiore parte fluminis propter Turoulienſe præſidium nullam etiam in partem liberæ frumentationes pabulationeſue erant. Ex aliis partibus Pleſcouiam verſus & Vielicolucum per centum fere millia paſſuum denſiſſimæ ac inuiæ ſyluæ erant. Adhæc Moſcus, qui cum exercitu ad Pleſcouiam peruenerat, cum obſideri Polociam intellexiſſet, lectiſſimam totius exercitus partem Boriſſo Seino & Theodoro Seremeto ducibus ſubſidio obſeſſis miſerat. Qui cum tuto Polociam in omnes vias regiis intentis peruenire ſe non poſſe exiſtimarent, Socolæ ſubſtitetant: ac, etſi Polociam non accederent, ad Diſnenſem tamen viam excurrebant, frumentatoreſque ac pabulatores Polonos excipiebant. Miſerat initio contra eas copias Rex Chriſtophorum Radiuilum Ducem cum lectis aliquot equitum alis: ei Ioannes Klebouicius Caſtellanus Minſcenſis ſe adiunxerat; cumque hoſtis aut intra munitiones, aut ſuo loco ſe contineret, nec iuſtam pugnandi facultatem daret: regii tamen in eos inuecti ſub mœnibus equeſtri prælio cum iis congreſſi ſunt. Quo vtrinque aliquot cæſis, capti ab iis aliquot Moſcis abductis, ad Regem reuerterunt: qui ibi quoque maioribus copiis rem gerendam ratus finem oppugnationis Polocienſis expectandum ſtatuit, in præſentia equitum ſtationibus aliquot contra eas collocatis. Augebantur incommoda hæc, quod viæ largiſſimis continuiſque imbribus ita corruptæ erant, vt iumenta, cum eluctari è luto non poſſent, pleraque labori immorerentur, omneſque viæ cadaueribus equorum complerentur. Quibus fiebat, vt cum vndique à commeatu in ercluſi regii eſſent, nec mercatores etiam initio hoc rerum in eam vaſtitatem caſtra frequentes ſecuti eſſent, eo vſque annona ac pabulum potiſſimum excreſceret, vt, quod inauditum antea in Polonia maxime fuerat, ſingulimodii auenæ denis taleris emerentur, qua generoſiores ſaltem equi ſuſtentarentur, reperirenturque ex Polonis & Vngaris, qui à mortuorum equorum carnibus non abhorrerent. In communibus omnium anguſtiis maxime premebantur Germani, non modo quod inter frequentes vrbes bellum gerere aſſueti, minus à neceſſariis rebus ad eas difficultates parati acceſſerant: ſed quod eo etiam loco caſtra faciebant, ad quem vltimo commeatus perueniebat: in fronte Vngaris, inde Lituanis, ab iis regiis caſtris poſitis. Ad quos, vt propius Diſnam verſus quique horum conſederant, commeatum inde venientem primo loco peruenire neceſſe erat. Pruteni tamen, à Marchione miſſi, vt in maiori earum regionum neceſſitatumque peritia, cum curribus, tum commeatu aliiſque neceſſariis optime à Principe ſuo inſtructi erant. Cum tantum vndique difficultatum circumſtaret, eamque ob cauſam ad conſilium, quid deinceps

Annona caritas in caſtris Polocienſis.

ceps facto opus eſſet, Rex retuliſſet, huiuſmodi plæræque ſententiæ dicebantur, vt quod iam ante ſermonibus à pleriſque agitatum fuerat, corona facta omnibus viribus oppugnatio tentaretur. Id ea de cauſa Rex non probabat, quod, ſi id fruſtra ſuſceptum eſſet, in quo ſummam ſpem omnes ponerent, vt deinde tanquam omni ea conſumpta, præter diſceſſum nil reliquum haberent, verebatur. Itaque alia prius omnia tentanda exiſtimabat. Vngarum militem præmiis propoſitis ad muros denuo ſubeundos excitat: equitem, vt quiſque maxime manu ſtrenuus, vna cum peditte miſſo equo muros conſcenderet, hortatur: cumprimis eius rationem habendam docet, ne, quemadmodum antea fecerant, priuſquam vires plane incendia ſumerent, ſe reciperent: ſub muris denique teliſque hoſtium mortem pro gloria gentis opinioneque fortitudinis militaris oppetere præſtare, quam infecta re ab oppugnatione diſcedere, ignominiamque hanc accipere. Ita miles magno ardore ſub mœnia arcis tædas, quæque in eos vſus iam ante præparata erant, alia præ ſe ferens, ſuccedit. Et cum tanquam inclinante fortuna pluuiæ ſub id tempus paululum quieuiſſent, ignis; fundamentis illatus, murorum latus id mox corripuit: idemque longe lateque amplexus, totum eum diem, cum extingui non poſſet, populabatur. Erat hic Auguſti viceſimus nonus. Interim cum incendium excitatumm latiſſime colluceret, vereturque Rex, ne ex vicinis locis, maxime auterem Socola, hoſtes ipſis ignibus exciti, ad liberandam ab incendio arcem atque ſuos concurrerent: ac ex arce ſimul eruptio tentaretur, exercitum vniuerſum caſtris productum, iuſta peditum manu præſidio caſtris relicta, ſub ſignis in campo conſtituit. Ipſe aulico equitatu præſidio aſſumpto, quo melius in omnes partes animo occurreret, Polottam tranſgreditur: quod & Socolenſis via illac duceret, & eruptio, ſi qua tentaretur, abilla parte maxime timenda eſſet. Territi his Moſci, de deditione agitare cœperunt, decemque de muris ſe deiicientes ad regios tranſfugiunt. Eos dum Bekeſchius ad Regem mittit, Vngarus miles, vt cæteros à deditione deterreret, ne per eam expugnatæ arcis gloria victoriæque fructu, ac omni laborum ſuorum præmio priuaretur, trucidat. Præter cætera enim, cum arcis tam celebratæ, tum præcipue ædis diuæ Sophiæ, quæ in illa eſt, vetuſtiſſimarum opum, argentearum ſtatuarum, ampliſſimorumque priſcorum Ruſſiæ Principum donariorum, quæ in illa fuiſſe dicebantur, fama ingentis prædæ ſpe militum animos compleuerat: qua illi incenſi omnes acerbitates, quo ea potirentur, æquiſſimo animo perferebant. Cum iam adueſperaſceret, magni & laboris & periculi videbatur, in tam præruptum collem per flammas euadere: durabat enim adhuc incendium, nec niſi per id vlla alia via militi in arcem patebat: hanc ob cauſam in ſequentem diem rem differri placebat. Interim dum in caſtra Rex ſe reciperet, ex Vngaricis ſtationibus nonnulli inter ſe ipſi cohortati globo facto, per pontem, de quo dictum eſt, in aduerſum collem contendunt, perque flammas nondum reſtinctas ſemiambuſti in arcem euadunt. His Poloni pedites non pauci exemplo inuitati ſe adiungunt. Contra eam partem, in qua incendium excitatum erat, ſubitario opere foſſam Moſci duxerant, per eamque minoribus tormentis diſpoſitis in omnes caſus ſe communierant. A quibus Polonis reiectis, perque flammas inde, quo temere progreſſi erant, recedere coactis, Moſci hoc ſucceſſu

Moſci de deditione cogitant.

Vngari in arcem impetum facientes repelluntur.

ſuccuſſu elati, longius eos inſecuti ſagittis à tergo feriebant. Interim ducenti Zamoiſcii pedites, qui præſidio ponti erant, per quem in arcem ibatur, repulſos conſpicati, ſuppetias Polonis veniunt, Moſcoſque ſe recipere cogunt. Rex cum paulum verſus caſtra progreſſus fuiſſet, ac interim irruptionem hanc militis conſpexiſſet, ad ferendam munitionibus opem, in Socolenſem potiſſimum viam intentus, quæ vſui ſint, diſponit. Idem Mielecius facit: equoque deſcendens, ac multos è Nobilitate, qui idem fecerant, ſecum trahens, munitionibus tormentiſque præſidio accurrit. Non deerant ſibi eo tempore hoſtes, exque altioribus turribus, præſertim vero mediæ arcis, vt longe cæteris altioris, creberrime in omnes partes globos explodebant. Ab iis, dum Rex cum Zamoiſcio forte colloqueretur, vterque non leue periculum adiit. Nam cum forte Zamoiſcius à colloquio eo equi mutandi cauſa ſe conuertiſſet, ac eques quidam in ipſius locum incautius ſe intuliſſet, globo penes ipſum Regem exanimatus concidit. Motum hunc nox ſuppreſſit, inſignemque ſimul animorum mutationem attulit, vt de maxima ſpe, quam ex diei illius incendio conceperant, in aduerſum caſum deiectorum. Querebantur omnes, hoſtium animos hoc ſucceſſu auctos, Polonorum imminutos. Inde inter nationes quoque diſſenſiones oriebantur, cum Poloni in Vngaros culpam temeritatis conferrent, ab iiſque initium factum dicerent: & poſtquam in arcem perruptum fuiſſet, non ſatis animoſe altera ab altera rem geſtam diceret. Has ob res ſequentis diei antemeridiano tempore ſolum ad confirmandos militum animos datо, iterum oppugnatio cœpta fuit. Pridie Moſci ex propugnaculo, quod conflagrarat, ſe ſubduxerant: cumque is poſitus eius eſſet, vt in ſummo duorum coniunctorum laterum, quæ vtrinque quaſi tutabatur, angulo collocatum eſſet: Moſci angulo, & quod inter duo proxima oppoſita inter ſe propugnacula, ad quæ ignis nondum peruenerat, ſpacii intererat, penitus deſerto, propugnacula eadem inter ſe coniunxerant: interim vero ſpacium ad eundem locum, quem antea reliquerant, recipiendum nactos ſe rati, repetere eum cœperant. Hac re ad Regem delata, qui nullum ſui rurſum ibi communiendi tempus iis dari volebat, mox militem ſub vallum rurſum ſuccedere, hoſteque deiecto locum occupare iubet. Ita pars ea mōtis ſubito Vngarorum impetu capitur: ab ea deinde, quemadmodum iuſſi erant, ſecundum proximum latus munitiones proferunt, & propugnaculo, in quod primum incurrerant, ignem iniiciunt. Ex quo cum incendium ortum per totam noctem duraret, regii maioribus etiam aliquot ſclopetis, quibus hoſtes infeſtabant, à fronte diſpoſitis, eo vſque per totam noctem continuo opere foſſas perduxerant, vt ſub auroram ab hoſtium munitionibus non multum abeſſent, atque inferiorem loci eius angulum, in quem nimirum foſſa ab hoſtibus pridie ducta deſinebat, fere pertingerent: latera autem hoſtium ita nudarentur, vt ne intra præſidia quidem ſua tuto conſiſtere poſſent. His ab omni defenſionis ſpe hoſtes intercluſi, ad deditionis conditionem redeunt: mittuntur communi omnium procerum, ac militum nomine legati, qui vitam iis, qui in arce ſint, paciſcantur. Impetrant, vt ſingulis cum veſtimentis, quo quiſque velit, ſe recipere poſſet. Epiſcopus Cyprianus, & Palatini, qui arci præerant, ſoli deditionem diſſuaſerant, mortemque ſubire præſtare, quam viui in poteſtatem hoſtium ſe traderent, contendebant: iamque ante pulueri tormentario ignem ſubiicere, communique incendio

Oppugnatio iterato inſtituitur.

Tolotta arx deditur.

, ſeque & omnes, quotquot in arce, abſumere conati, à
iti fuerant: & tum ſententia eorum communi reliquorum
pudiata, illi tamen in D. Sophiæ ædem ſe contulerant,
ri inde abſtraherentur, deceſſuri. Rex retentis legatis, mit-
n & Palatinos ad ſe adduceret. Adducti in faciem proci-
Regem ſalutant. Rex eos Laurentio Voinæ Lituaniæ
curam eorum haberet, tradi iubet. Mittit inde, qui arcem
Polonos, partim Vngaros.

cum rei diuinæ vacare ante omnia Rex vellet, proque ob-
atias Deo agere, fœtore proiectorum paſſim cadauerum,
ctenus Moſci reliquerunt, arcem ingredi prohibitus, Mo-
d hoc tempus remanſerant, educi iuſſit. Et rei proponun-
s militis eos defendant. Decedentib. duplex locus aſſigna-
qui in Regis ditionem atq; fidem venire: in alterum, qui in
ire vellent, concedebant. Vtriſq; libertum de ſe cōmodiſq;
ɔittium permittebatur. Maior pars reditum in patriā, & ad
eligebat, inſigni in vtrumq; fide ac perſeuerantia, cum eo-
qui non ad certam mortem & cruciatus exquiſitos profi-
et. Pepercit tamen iis Moſcus, ſeu quod extrema neceſſita-
maret, ſeu quod aduerſis rebus de crudelitate ſua remiſe-
a præſidia eos diſtribuit, in quibus deditionis Polocienſis
e abſtergerent. Ne à milite iniuriam acciperent, ſummam
buit. Quæ res tantam illi admirationem in animis hoſtium
magis clementia & fides ignota hominibus duriſſima ſerui-
ſent, eo magis in illo virtutes haſce admirarentur. Reperie-
rcis diſperſa corpora nonnullorum Polonorum militum:
tanta victus atque omnium rerum penuria euenire neceſ-
tis arci ſclopetariorum hortis herbas, quibus extremam fa-
legentes oppreſſerant, ac intra munitiones ſuas abſtractos
u laceraram. Maxime in Germanorum vnum atque alte-
quam in cæteros ſæuitum ab illis animaduertebatur. Cru-
mpoſitos igni circumiecto feruenti aqua viuos coxerant,
rum fune per lacertos traiecto à tergo reuinctis, ventrem
us eorum crebris in longitudinem per id factis vulneribus,
s modum fœdiſſime laniarant. Fremebatur paſſim hanc ob
ous. Rex tamen fidem hoſti ſemel datam nulla ratione vio-
s, qui in Moſcouiam redibant, duas alas equitum, qui ab in-
tur, adiunxit.

Moſcorum crudelitas.

359

ſupplicationes ob rem proſpere geſtam cum in arce haberi
ob fœtorem cadauerum, quæ inſepulta hactenus Moſci re-
ſtris habitæ fuerunt. In Poloniam etiam de iiſdem obeundis
æda minor expectatione ac fama tam opulentæ arcis reper-
iti conceſſa, minime tamen ſpei eius ſatisfecit. Non minori
quam reliqua præda, bibliotheca ibidem inuenta apud ho-
s habebatur. Erant in ea præter annalium libros, plærique
ſiaſtici Græci, ac in iis Dionyſii Areopagitæ de hierarchia cę-
ſtica libri Slauica lingua omnes, quorum plæroſque à Me-
ıſtantino in eam linguam è Græca traductos ipſorum an-

Supplicationes in caſtris habitæ.

Prada in arce inuenta.

ſuccuſſu elati, longius eos inſecuti ſagittis à tergo feriebant. Int
centi Zamoiſcii pedites, qui præſidio ponti erant, per quem in ar
tur, repulſos conſpicati, ſuppetias Polonis veniunt, Moſcoſque ſe
cogunt. Rex cum paulum verſus caſtra progreſſus fuiſſet, ac inte
ptionem hanc militis conſpexiſſet, ad ferendam munitionibus o
Socolenſem potiſſimum viam intentus, quæ vſui ſint, diſponit. Id
lecius facit: equoque deſcendens, ac multos è Nobilitate, qui id
rant, ſecum trahens, munitionibus tormentiſque præſidio accurrit
deerant ſibi eo tempore hoſtes, exque altioribus turribus, præſer
mediæ arcis, vt longe cæteris altioris, creberrime in omnes parte
explodebant. Ab iis, dum Rex cum Zamoiſcio forte colloquere
que non leue periculum adiit. Nam cum forte Zamoiſcius à coll
equi mutandi cauſa ſe conuertiſſet, ac eques quidam in ipſius lo
cautius ſe intuliſſet, globo penes ipſum Regem exanimatus conci
tum hunc nox ſuppreſſit, inſignemque ſimul animorum mutatio
tulit, vt de maxima ſpe, quam ex diei illius incendio conceperant,
ſum caſum deiectorum. Querebantur omnes, hoſtium animos h
ſu auctos, Polonorum imminutos. Inde inter nationes quoque c
nes oriebantur, cum Poloni in Vngaros culpam temeritatis confe
iiſque initium factum dicerent: & poſtquam in arcem perruptu
non ſatis animoſe altera ab altera rem geſtam diceret. Has ob res
diei antemeridiano tempore ſolum ad confirmandos militum an
to, iterum oppugnatio cœpta fuit. Pridie Moſci ex propugnacu
conflagrarat, ſe ſubduxerant: cumque is poſitus eius eſſet, vt in ſum
rum coniunctorum laterum, quæ vtrinque quaſi tutabatur, ang
catum eſſet: Moſci angulo, & quod inter duo proxima oppoſi
propugnacula, ad quæ ignis nondum peruenerat, ſpacii intererat
deſerto, propugnacula eadem inter ſe coniunxerant: interim verc
ad eundem locum, quem antea reliquerant, recipiendum nactos
petere eum cœperant. Hac re ad Regem delata, qui nullum ſui n
communiendi tempus iis dari volebat, mox militem ſub vallu
ſuccedere, hoſteque deiecto locum occupare iubet. Ita pars ea mō
Vngarorum impetu capitur: ab ea deinde, quemadmodum iuſſi
cundum proximum latus munitiones proferunt, & propugnacule
primum incurrerant, ignem iniiciunt. Ex quo cum incendium c
totam noctem duraret, regii maioribus etiam aliquot ſclopetis, q
ſtes infeſtabant, à fronte diſpoſitis, eo vſque per totam noctem
opere foſſas perduxerant, vt ſub auroram ab hoſtium munition
multum abeſſent, adque inferiorem loci eius angulum, in quem
foſſa ab hoſtibus pridie ducta deſinebat, fere pertingerent: late
hoſtium ita nudarentur, vt ne intra præſidia quidem ſua tuto
poſſent. His ab omni defenſionis ſpe hoſtes intercluſi, ad deditior
tionem redeunt: mittuntur communi omnium procerum, ac mil
mine legati, qui vitam iis, qui in arce ſint, paciſcantur. Impetrant, v
cum veſtimentis, quo quiſque velit, ſe recipere poſſet. Epiſcopu
nus, & Palatini, qui arci præerant, ſoli deditionem diſſuaſerant,
que ſubire præſtare, quam viui in poteſtatem hoſtium ſe traderent
debant: iamque ante pulueri tormentario ignem ſubiicere, com

Oppugnatio iterato inſtituitur.

Tolotta arx deditur.

incendio arcem, ſeque & omnes, quotquot in arce, abſumere conati, à militibus prohibiti fuerant: & tum ſententia eorum communi reliquorum omnium metu repudiata, illi tamen in D. Sophiæ ædem ſe contulerant, non prius quam vi inde abſtraherentur, deceſſuri. Rex retentis legatis, mittit, qui Epiſcopum & Palatinos ad ſe adducerent. Adducti in faciem procidentes more ſuo Regem ſalutant. Rex eos Laurentio Voinæ Lituaniæ Theſaurario, qui curam eorum haberet, tradi iubet. Mittit inde, qui arcem accipiant, partim Polonos, partim Vngaros.

Altero die cum rei diuinæ vacare ante omnia Rex vellet, proque obtenta victoria gratias Deo agere, fœtore proiectorum paſſim cadauerum, quæ inſepulta hactenus Moſci reliquerunt, arcem ingredi prohibitus, Moſcos, qui in arce ad hoc tempus remanſerant, educi iuſſit. Ei rei proponuntur, qui ab iniuriis militis eos defendant. Decedentib. duplex locus aſſignatus, in alterum, qui in Regis ditionem atq; fidem venire: in alterum, qui in Moſcouiam redire vellent, concedebant. Vtriſq; liberum de ſe cōmodiſq; ſuis ſtatuendi arbitrium permittebatur. Maior pars reditum in patriā, & ad Principem ſuum eligebat, inſigni in vtrumq; fide ac perſeuerantia, cum eorum nemo eſſet, qui non ad certam mortem & cruciatus exquiſitos proficiſci ſe exiſtimaret. Pepercit tamen iis Moſcus, ſeu quod extrema neceſſitate adlactos exiſtimaret, ſeu quod aduerſis rebus de crudelitate ſua remiſerat: perque vicina præſidia eos diſtribuit, in quibus deditionis Polocienſis maculam virtute abſtergerent. Ne à milite iniuriam acciperent, ſummam Rex curam adhibuit. Quæ res tantam illi admirationem in animis hoſtium peperit, vt quo magis clementia & fides ignota hominibus duriſſima ſeruitute oppreſſis eſſent, eo magis in illo virtutes haſce admirarentur. Reperiebantur per areā arcis diſperſa corpora nonnullorum Polonorum militum: quos illi, quod in tanta victus atque omnium rerum penuria euenire neceſſe erat, in ſubiectis arci ſcloperiorum hortis herbas, quibus extremam famem tolerarent, legentes oppreſſerant, ac intra munitiones ſuas abſtractos immani cruciatu lacerarant. Maxime in Germanorum vnum atque alterum crudelius, quam in cæteros ſæuitum ab illis animaduertebatur. Cruce tenus lebeti impoſitos igni circumiecto feruenti aqua viuos coxerant, manibuſque eorum funē per lacertos traiecto à tergo reuinctis, ventrem totumque corpus eorum crebris in longitudinem per id factis vulneribus, ad ſciſſi thoracis modum fœdiſſime laniarant. Fremebatur paſſim hanc ob cauſam à militibus. Rex tamen fidem hoſti ſemel datam nulla ratione violandam ratus, iis, qui in Moſcouiam redibant, duas alas equitum, qui ab iniuria eos tuerentur, adiunxit.

Moſcorum crudelitas.

Poſtridie ſupplicationes ob rem proſpere geſtam cum in arce haberi non potuiſſent ob fœtorem cadauerum, quæ inſepulta hactenus Moſci reliquerant, in caſtris habitæ fuerunt. In Poloniam etiam de iiſdem obeundis edicta miſſa. Præda minor expectatione ac fama tam opulentæ arcis reperta. Omnis militi conceſſa, minime tamen ſpei eius ſatisfecit. Non minori fere in precio, quam reliqua præda, bibliotheca ibidem inuenta apud homines literatos habebatur. Erant in ea præter annalium libros, plærique Doctores eccleſiaſtici Græci, ac in iis Dionyſii Areopagitæ de hierarchia cęleſti & eccleſiaſtica libri Slauica lingua omnes, quorum plæroſque à Methodio & Conſtantino in eam linguam è Græca traductos ipſorum an-

Supplicationes in caſtris habitæ.

Prædain arce inuenta.

nales tradunt. Apparatus bellici, maxime autem pulueris tormentarii tantum reliquum fuit, vt licet per omne id obsidionis tempus magna eius pars absumpta fuisset, nil tamen adhuc ad longissimam quamuis obsidionem tolerandam defuturum iis fuisse videretur. Commeatus etiam atque pabuli satis magna copia inuenta ex labore & inopia exercitum breui refecit. Sed dum è tot incommodis sibi quisque primo prospicere contendit, iurgia inter nationes Polonicam & Vngaricam orta eo vsque proruperant, vt cuneo facto strictis vtrinq; gladiis mutuo in se irruituri consisterent. Inter quas gregarii militis dissensiones Senatorii etiam Ordinis ducumq; ipsorum offensiones nonnullæ existebant. Nam & Mielecio cum Radziuilo ex cõmunione muneris alienationis nonnihil intercessisse videbatur: interq; eundem & Zamoiscium, cum hic, si quid rationem muneris eius spectãs attingeret, offensum eum iri existimaret: Mielecius pro mutua necessitudine nõ satis autoritatem muneris sui iuuari à Zamoiscio arbitraretur. Militi, quo dissidia inter eum tolleret, quod præda expectationi eius non respõderat, donatiuũ Rex dedit. Tenebantur adhuc in agro Polotiensi præsidiis hostium Socola, Turoulia, Susa, aliaq; castella quædã, quæ nisi prius, quam inde discederet, deiecissent, pacatã se regionem eam obtinere nõ posse Rex intelligebat. Maxime à Socola & Turoulia timebat: quarũ cum illa à læua ad Plescouiensẽ viã pertineret, & iã ante summissis inde copiis firmata fuisset, ne id posthac rursum fieret, maioribusq; copiis inde aliquid tentaretur, verebatur. Hanc quod ad Dunã fl. posita esset, itidem magnam totius eius regionis infestãdæ opportunitatem habere videbat. Socolam Mielecium mittit: hic equitatum peditatumq; Polonicum, & militem Germanicum assumit. Turouliam Bekeschium cum Vngaris mittere in animo habebat: interim cum Martinus Kurcius cum Kosacorum manu Palatino Vilnensi operam suam detulisset, is adiũcto ei Cõstantino Lukomscio Præfecto Vlensi eo missus fuit. Mosci, qui in præsidio erant, quod per eos dies tormẽta atq; ignes cessare animaduertissent, id quod erat, Polociam in potestate Regis coniectura augurãtes, ne quicquam retinentibus eos Præfectis per auersam portam se eiiciunt, fugaq; castrum deserunt. Palatini, qui in eo remanserant, ad Regem adducũtur. Susam, quod omnium esset munitissima, in eaq; Moscus maximũ belli apparatum commeatusque haberet: & tamen citerius Dunam in solo Lituanico posita præsidiis aliis excisis, omniq; commeatu intercluso, vltro in potestatem ventura videretur, in præsentia tentare non placebat. Quibus perfectis, quæ ad statum prouinciæ stabiliendum, diuinarumq; rerum curam tenderent, administrare Rex instituit. Regebatur Polocia antiquitus, quẽadmodum & Kiouia à legatis regiis: Palatinorum honore ac dignitate, cum per totam Lituaniam non plures quam duo Palatini, Vilnensis ac Trocensis, totidem Castellani essent, carebat. Postea amplificato Senatu Lituanico, non modo Polociæ & Kiouiæ Ducatus, sed & Vitepscia digna visa, quæ à Palatino administrare tur.

Inter Polonos & Vngaros iurgia.

Arx Turonia capitur

Mielecius Socolam cũ exercitu contendit.

Mielecius interim Socolam cum exercitu contendens, in itinere cum viarum proximis pluuiis inundatarum, tum commeatus maximis difficultatib. afficiebatur. Tormenta Rex Dunã secundo flumine Dryssam vsq; ad cognominis castello illi fluminis cũ Duna cõfluentem demiserat: ab eo loco per Dryssam Socolam vsque trahebantur. Cum ad Socolam fl. Dryssa etiam nonnihil exercitum moraretur: quod ponte, qui Kaunæ ex nauibus factus erat,

erat, alterad Polociam exercitus in transeundis commeatibus vteretur, nec alterius tam subito expediendi ratio iniri posset, Ioannes Zbarasius Palatinus Braslauiensis cum equitatus parte flumen tranat, auersaque à Socola parte Plescouiam versus in excubiis agit. Ad reliquum exercitum transportandum Nicolaus Vrouiecius equitum præfectus operam suam Mielecio detulit, rateque ex robustissimis trabibus, iisque catenis ferreis, aliisque firmissimis vinculis inter se deuinctis ab eo effecta, exercitus traductus fuit: nil aliud hoste moliente, cum non difficulter transitu impeditos prohibere potuisset, quam quod eorum excubiæ de more ad terrorem Polonis faciendum obequitantes diuersarum gentium, quæ sub imperio Mosci, Kasanorum, Astrakanorum, aliarumque nationum copias suo quasque nomine citarent. Propter viarum malignitatem, & iumentorum proximis ad Polociam incommodis amissorum inopiam currus miles nullos secum deuehere potuerat. Itaque non metatis castris, fixis tantum secundum Dryssam flumen tentoriis consedit. Germanicus peditatu: secundũ Dryssam, Polonicus versus Nisciã fossas munitioneſque, quę diuersis locis cœptę deinde cõmitterẽtur, ad castrũ agere instituit. Moscus, quod Polonorũ non adeo magnum numerũ videret, & cum superioris obsidionis, tum itineris incommodis debilitatos: suos omnib. reb. integros simulato metu, quemadmodũ ex captiuis postea cognitũ, intra munitiones per noctem se continere, curatisq; interim corporibus, omnibusq; ad eruptionem paratis ante lucem eos adoriri in animo habebat. Forte accidit, vt Dobroſolouius, tormentis à Mielecio præpositus, tres globos candẽtes experiretur. Ex his duo cum incendium feciſſent, ab hostib. suppressi fuerunt: vnus cum imo fundamẽto adhæsisset, non animaduersus haud multo post, quod muri ex abiete & arida materia facti essent, latissimum incendium suscitauit. Quo viso Mielecius cum signum tuba quo ad arma capienda omnes conuocarentur, mox dedisset, Mosci inopina re turbati, simulq; regios irrupturos existimãtes, cum restinguere incendium non possent, diuersis portis trepidi se effundunt. Seremetus cum parte equitatus Plescouiam versus se recipiens, in Ioan. Zbarasium Palatinum Braslauiensem, qui ab ea parte hostem obseruabat, incidit, viuusq; cum suis in potestatem eius peruenit. Qui ab altera parte cũ Borissouo Seino se eiecerant, in Germanos inciderunt. Hi cupiditate vlciscẽdi tot annorũ iniurias, quib. in nomẽ Germanorũ crudeliter Moscus sæuiisset, cuiusq; recens exemplũ nuper capta Polocia vidisset, omnes, in iisq; Seinũ occidunt. Qui reliqui in arce erant, supplices vitã rogare: sed irrumpente milite Germanico, ac omnes promiscue cædente, desperata salute cataractam ex superiori loco portæ imminentem demittunt: concluſosque in arce ad quingentos milites Germanos interficiunt. Interim Rozdraseuius, & Germani quidam ac Poloni impigre portam effringunt, qua patefacta tum vero pars cæsa fuit, partim rerum omnium desperatione adducta vltro in ignem se præcipitans conflagrauit. Magna vbique cædes fit, multi inter occisos obeso corpore erant: iis focariæ Germanorum apertis corporibus ad notas vulnerum medicationes, ac in his Seino quoque adipem detraxerunt. In præda etiam operæ precium factum, argentiq; signati apud pleroſque primores pleni loculi reperti, militem superiorib. incõmodis attritum non refecerunt modo, sed & locupletarunt. Mielecius cum exercitu ad Regem reuersus, magnum captiuorum

Socola obsidetur.

Expugnatur.

numerum, quorum partem publice Regi, partem amicis donauit, secum attulit. Rex Præfectis plerisque, centurionibusque, ac militibus etiam, quorum paulo insignius facinus extitisset, cum Præfecturis, quæ tum vacabant, tum aliis militaribus donis ob virtutem donatis, quæ in quæque statiua copiæ ducendæ essent, præscribit. Inde Disnam proficiscitur. Hic quod vlterius in Moscouiam proximo anno bellum promouere constituerat, totmenta omnia præter ea, quæ refectione opus haberent, relinquit. Inde literas ad Moscum mittit, quibus ipsius instituto, quo ille post Liuoniam vastatam vsus fuerat, de successu expeditionis certiorem eum facit. Rex conscenso Disnæ nauigio, secundo Duna non parum fluminis eius amœnitate delectatus Druiam: inde terrestri itinere per Braslauiam Lithuanicam triumphans Vilnam venit, cui legatus Pontificius Andreas Caligarius, & complures ex Nobilitate, tum ciuitas Vilnensis tota in gratulationem effusa, ac inter alios Mosci quoque dediticii panem ac salem, quibus suum Principem venerari consueuerunt, ei offerentes obuiam processerunt.

Rex literas ad Moscum dat.

Rex triumphans venit Vilnam.

Moscus audita incredibili Regis hoc in bello felicitate, nuncioque amisso Polociæ ac præsidii Socolensis cæsi accepto, Plescouia in interiorem Moscouiam se recepit, ac reipsa forte tum perspiciens, vnicum regni robur fortes ac fideles populos esse, ex itinere ad eos, qui Susæ præsidio præerant, litteras præter morem eius scriptas misit, vt corruptis omnibus tormentis, puluere nitrato, & quicquid secum deferre non possent, munitionem deserant. Interceptæ sunt hæ à Mielecio, qui de tormentis potissimum, & apparatu bellico solicitus, qui ad deditionem hostes hortaretur, misit. Eædem autem cum in Palatinum Polociensem etiam incidissent, ipse quoque eo accurrit. Hostes pacti, vt singulis cum vestimentis discedere liceret, castrum, tormentaque, & quicquid in eo apparatus bellici erat, tradiderunt. Quibus confectis, Mielecius in tres partes exercitum distributum in hyberna deduxit, Primis Christophorum Niscycium legatum, alteris Martinum Kasanouium, tertiis Sigismundum Rosnium præfecit. Iam ante Constantino Ostrogio Duce excursionem in ditiones hostiles, quæ ad Borysthenem pertinent parante, Nicolao Sieniauio stationum Russicarum Præfecto Rex mandarat, vt cum iis copiis, quæ in Russiæ finibus sub imperio eius excubabant, cum illo se coniungeret, inque hosticum à Kiouia transgrederetur. Verum Sienauio longinquitate locorum impedito, & adulto iam autumno, non prætermittendum id gerendæ rei tempus Dux ratus, collectis ex clientibus suis aliquot hominum millibus, al isque ex iuuentute compluribus se ei adiungentibus, cum filio Ianusio, & Michaele Visnieuiccio Castellano Braslauiensi Borysthenem transgressus in hostilem terram turmis aliquot expeditissimis Tartarorum inuectus, obuia quæque peruastauit, & ad Starodubum, Radehostiam, & Podczopouiam vsque populationibus per leuiores equitum turmas factis, ingenti cum præda discesserat. Pari successu Ioannes Solomirecius, qui post patris mortem extra ordinem Mscislauiensem Præfecturam administrabat, Iaroslaum oppidum, pagosque complures diripuerat atque euerterat, Philo etiam Kmita Præfectus Orsanensis, cui turmæ aliquot equitum assignatæ erant, coacta ad eas non mediocri finitimis è locis cuiusque generis hominum manu in ditiones hostiles transgressus, duobus circiter millibus pagorum incensis, & ad Smolenscum populationibus prouectus, præter agri solum nil in iis locis

Moscus auditis Regis in bello successibus in interiorem Moscouiam se recipit.

Susa dedita

Polonicus exercitus hostilē terrā vastat.

locis reliquum fecerat, indeque magna cum omnis generis præda nullo detrimento accepto suos reduxerat. Rex cum aliis necessariis de causis, maxime vero vt bellum persequeretur, comitia ad vicesimam tertiam Nouembris Varsauiæ indixit: interim quæ ad Lituaniæ securitatem pertinerent, quæque in omnes casus contra hostium impressiones opponenda iudicabat, cum Senatoribus Lituanicis constituit, qui eorum præsidio prouinciæ domi remaneant, qui comitia obeant, inter eos comparat. Vilnæ Radiuilum Palatinum Vilnensem, qui cum imperio militari erat, relinquit, simul magistratus vacantes distribuit. Vilna inde Grodnam mouet, vbi venationibus, quo vno animi ergo singulariter reficere se solebat, dies aliquot dat: vbi Caspar Bekeschius Vngarus non minus inimicitiis, quas cum Rege acerrime olim exercuit, quam virtute sua clarus diem suum obiit, qui moriens coniugem suam duosque impuberes filios Regi & Zamoiscio accurate commendauit.

Rex comitia indicit Varsauiæ.

Caspar Bekeschius moritur.

Dum hæc geruntur, non iidem in Polonia de Rege omnium sensus, vari que ac diuersi animorum motus fuere. Erant nonnulli, qui, cum amplissima quæque à Rege sibi polliciti fuissent, & vero in tanta publicarum rerum difficultate non posset vel effusa Regis liberalitas omnium expectationi satisfacere, quod, quæ, sperauerant, non consequerentur, alieniori fere ab eo animo erant. Cumque quilibet è Nobilitate in electionibus Regum suffragium ferat, magna erat multitudo eorum, qui, quod Regi in regno adipiscendo suffragati essent, ipsum regnum debere sibi arbitrabantur: videnteſque Radiuilos, Mielecium, ac Zamoiscium necessitudine affinitateque inter se coniunctos tot honoribus ac dignitatibus auctos se, angebantur animo, eaque in suam perniciem comparata interpretabantur: & quod beneficio non afficerentur, iniuriam rati, summa in ea Republica facultate, in qua, quæ quisque sentit, pari libertate dicere possit, omnia suspecta facere, cunctaque vel præclara facta Regis sinistre interpretando corrumpere conabātur. Iam ab initio cum Leopolim Russicarum rerum causa proficisceretur, nō deerāt, qui collecta gaza à Sigismundo Augusto relicta præsentiū tædio in Transyluaniā se recipere eum in vulgus fingerent. Postquam Suirum diē exercitui edixisse eum intellexissent, nil horum gerendi quicquam contra hostem animo suscipi, cuius potentia maior esset, quā vt illius viribus labefactari posset: sed quæri colorem tributarias pecunias, quas in immensum exaggerabāt, interuertendi. Quidam altius prouecti Reginæ animum tentare cœperant: ostendere, spernī ætatem eius à Rege, diuortium ab eo agitari, missum ea causa Petrum Volscium Episcopum Plocensem ad Pontificem. Querebantur fere non satis fieri conditionibus à Rege, cum regnum ei deferretur, in Transyluania acceptis, homines aduentitios in honorib. & præfecturis collocari. Ducem Curlandiæ non suo loco ac tempore, deterioribusque è Republica conditionibus, quam antea, possessioni Ducatus eius confirmatum traducebant. Quæ cum pleraque tempus refutasset, maximeque Leopolienſem profectionem, Suirensem q; expeditionem falso in inuidiam vocatas apperu isset, literis de comitiis allatis, iurgia inter nationes Polonicam & Vngaricam exorta verbis extollebant: externos homines induci, à quibus contemni imperium militare: vim summi magistratus enervari: iam capta Polocia Regem nouis tributis in conuentibus atq; comitiis petiturum: sed vt omnis Moscouia in potestatem

Non iidem omnium de Rege in Pol. sensus.

veniret, in tanta amplitudine finium, quam tantæ molis administrandæ rationem, quam vtilitatem fore, cum interim longe magis necessariam præstabilioremq; Reipublicæ vulnera curationem requirerent? Quidam vt tres partes prouentuum ex Præfecturis à Præfectis exigeret, Augustanæ cuiusdam constitutionis, quam illi in eam sententiam interpretabantur, autoritate postulandum censebant: cum, si id fieret, perpetuo finem tributis id allaturum dicerent. Quæ cum in vulgus moueri Rex animaduertisset, ac liberius omnibus, quam antea occurrendum arbitraretur, primo comitiorum die Ioannes Zamoiscius Cancellarius, accommodata ad rem præsentem oratione, ea sic diluit: Si vllum tempus fuisset, quo pro maximis in Rempublicam beneficiis Deo Optimo Maximo gratias agerent, id hoc potissimum esse docet, quo tam præclaram victoriam ab eo hoste adepti sint,

Ioan. Zamoiscii Cancellarii oratio pro Rege.

„ quem propter summam potentiæ, virtutis bellicæ victarumq; ab eo gentiũ
„ opinionem, formidassent omnes: nemo vinci potuisse existimasset. Cõtigit
„ se id tamen singulari benignitate diuina: hostem non modo victum, sed
„ prouincia Polocia, victoriæ huius perpetuo monumento, ac superiorum
„ victoriarum eius dignitate spoliatum pene esse: omnes eius triumphos,
„ quos per tot annos de Liuonibus ac Suecis, quos de Kasanis & Astracanis
„ subactis, quos de Tartaris, de Turcis denique Tanaim & Volgam iungere,
„ Caspiumque mare in Euxinum Pontum immittere tentantibus, deque tot
„ aliis bellicosis & barbaris nationibus habuerit, hac victoria ei detractos
„ in hoc de illo triumpho prælatum iri. Quæ cum, quanta sint, inquit, erga nos Dei beneficia, intelligamus omnes, eadem nisi constantia & virtute
„ tueamur, inertia nostra fructus ex iis percipiemus nullos, ex quibus, si recte
„ benignitate hac diuina vtamur, maximos percipere possimus. Magnum
„ est, quodque superioribus temporibus vix sperandum nobis videbatur,
„ amplissimum agrum ab hostibus tot annorum spacio possessum, quo maxi
„ ma ex parte opes Lituanicę quõdam niterentur, receptum: hostem tot pro-
„ sperarum rerum successu ebrium in perpetuo victoriarum cursu repressum:
„ auersa arma eius in vastitatem ac perniciem ditionũ harum intenta. Omnia
„ hæc nisi reliqua, quæ restant, belli eius perficiamus, uereor, vt non modo vtilitatis nil nobis attulisse, sed ne optanda quidem tanto in labore ac sumptu fuisse videantur. Hostem habemus potentissimum, cuius quę & quantę
„ opes sint, & nemo ignorat nostrum, & tot deuictæ ab eo nationes testãtur.
„ Hunc moderate ne vel hanc amissæ prouinciæ cõtumeliam ferre vel quie-
„ turum putamus? Fremit ille iam, & tanquam fera aliqua intra septa conclu-
„ sa omnes amissa recuperandi, & acceptas iniurias vlciscendi exitus ac ratio-
„ nes quærit. Demus huic vel cũctatione nostra, vel pace cũ eo facta colligẽdi
„ sui, acceptaq; incõmoda ac domestica vulnera, atq; insitiam eius, quę hoc
„ bellum peperit, sanandi spacium: quis omnium tam secuto est animo, qui
„ non multo maioribus viribus ad sarcienda incommoda irruiturum in nos
„ prospiciat, quem nec propter potentiã difficultas vlla à bello reuocare, nec
„ in pace propter perfidiam vlla iurisiurãdi religio retinere possit? Sero nimiũ
„ resistendi rationes tum quæremus, quem iam trepidum ac perculsum si
„ non leui momẽto impellete, facilius certe superare possimus. Quod vt nõ es
„ set nobis verẽdum, illumq; accepta iniuria vel omnino quieturũ, vel nil ab
„ eo periculi expectãdum nobis esse, Deus nobis fidẽ faceret: quis n. alius tã-
„ tæ rei idoneus autor existat? at nonne tãta gloria bello hoc parta, quæ dein-

ceps

de nobis hominũ existimatio futura sit, cõmouebimur? aut vlla ratio- »
inionem bello hoc collectam tueri nos posse, si in tantas res gerendas »
ssi in medio earũ cursu destituere eas videamur: qnenquã deniq; futu- »
xistimabimus, qui nõ fortunæ potius successus hosce, quã virtuti tribu- »
sit? Sunt n. quæ virtute ac ratione administrantur, cũ exigua fortuna iis »
reniat, eorũ & media primis, & exitus vtrisq; cõsentanei: fortunę vt cęci »
mpetus, ita vltima primis raro respõdentia. Quod sunt, qui in tanta di- »
amplitudine difficultatẽ earum administrandarum subterfugiũt, nec »
tãdum latius imperium putent, quod sumptu ac labore magno partũ, »
blicæ vsui nulli esse possit: mirũ sane videri debet, eo in Rẽpublicã ani »
enquã esse, quo in sua sit nemo. Quis n. omnino est, qui nõ decẽ pos- »
es, quã vnã malit? grauiora sunt onera amplæ rei familiaris: eadẽ ma- »
cõmodis opportunitatibusq; pensantur. Reipublicæ vero nostræ ego »
ationẽ esse video, vt, si neruos rerũ gerendarum habere, si statum hũc »
is tueri velimus, nouũ omnino regnum necessario ei adiungendũ sit. »
m ditiones omnes, quæ ad eam accesserũt, in ciuitatem iisdẽ legib. re- »
sint omnes, nulla in prouinciæ formã redacta, nulla tributaria facta. »
n pari omnium libertate onera etiam exæquata sint inter omnes: iis si »
volumus, quã eius rei facultatẽ habebimus, nisi instituto maximorũ »
icunq; imperiorum, nos etiam nouũ ei imperium adiiciamus, in quod »
is vectigalibusq; in eo cõstitutis grauior cõmunium onerum pars de- »
ossit. Erat Russia ante, vt primũ armis victa, tributaria: nõ parũ tum »
o eius subleuata Respublica fuit: Lituaniæ quoq; magnum Ducatũ, »
itiquis legib. à Regib, Polonię regeretur, plurimũ per seipsum ad sub- »
dum Moscum Tartarumq; valuisse meminimus: cõiuncto eo cum »
uantũ ad publica onera accesserit, sentiendo vnusquisq; experitur. »
qui inopiam ac familiaris rei augustias inertiæ suæ prætendendas »
nt: ii, si voluptatib, luxuriæq; modum faciant, ac quos in inanes vel »
res sumptus prodigunt, in meliores vsus conuertant, vel præclaris- »
quarumcunq; rerum gerẽdarum necessariis adminiculis minime »
ii reipsa perspicient. Alios, qui domesticas res constituendas arbi- »
non reprehendo: si tamen cogitent iidem, præterquam quod inte- »
incommodorum sanatio semper potestatis eorum futura sit, op- »
atem belli aduersus Moscum, qualem nunc habeamus, nõ semper »
uros: potiorẽ etiam salutis, quam aliarũ rerum curam esse debere. »
ui minus hactenus satisfactum sibi existiment. Habent ii nunc cã- »
virtutis suæ illustrandæ, tum demerendi Regis: proficiscantur in »
peram studiumq; suum Reipublicę accõmodent, àque virtutis a- »
no Rege amplissima quæque expectent: si vel ætas, vel valetudo, »
ia cuiusquam id non permittunt, non desunt rationes in togata e- »
uili vita bonis artibus emergendi: obtrectationibus ac prępositeris »
licam turbandi studiis nemo, qui virturi ac bonis artibus deben- »
ia consequuturum se speret.

tione dicta, etsi minime nuncii dubitabant, quin & bellum, & tri- *Nuncii de arcalieno publico dissoluendo mentionem infe-*
tius sciscerẽt, quod in priuatis cõuentib. victorię hoc successu lęta, *runt.*
uturorũ erecta, frequens in eam sententiam Nobilitas inclinarat:
liorũ de se opinioni satisfacerẽt, exiis, quę publice iactari animad-
, cum de aliis quibusdam, tum de conditionib, quib. nõ satisfactũ

à Rege.

veniret, in tanta amplitudine finium, quam tantæ molis administr
rationem, quam vtilitatem fore, cum interim longe magis necessariam
stabilioremq; Reipublicæ vulnera curationem requirerent? Quidam
parres prouentuum ex Præfecturis à Præfectis exigeret, Augustanæ
dam constitutionis, quam illi in eam sententiam interpretabantur,
ritate postulandum censebant: cum, si id fieret, perpetuo finem tr
id allaturum dicerent. Quæ cum in vulgus moueri Rex animadue
ac liberius omnibus, quam antea occurrendum arbitraretur, primo
Ioan. Zamoiscii Cancellarii oratio pro Rege. tiorum die Ioannes Zamoiscius Cancellarius, accommodata ad ren
sentem oratione, ea sic diluit: Si vllum tempus fuisset, quo pro maxi
Rempublicam beneficiis Deo Optimo Maximo gratias agerent, id h
tissimum esse docet, quo tam præclaram victoriam ab eo hoste adep
» quem propter summam potentiæ, virtutis bellicæ victarumq; ab eo
» opinionem, formidassent omnes: nemo vinci potuisse existimasset. C
» se id tamen singulari benignitate diuina: hostem non modo victun
» prouincia Polocia, victoriæ huius perpetuo monumento, ac super
» victoriarum eius dignitate spoliatum pene esse: omnes eius triun
» quos per tot annos de Liuonibus ac Suecis, quos de Kasanis & Asti
» subactis, quos de Tartaris, de Turcis denique Tanaim & Volgam iu
» Caspiumque mare in Euxinum Pontum immittere tentantibus, dec
» aliis bellicosis & barbatis nationibus habuerit, hac victoria ei dei
» in hoc de illo triumpho prælatum iri. Quæ cum, quanta sint, inqu
» ga nos Dei beneficia, intelligamus omnes, eadem nisi constantia &
» tueamur, inertia nostra fructus ex iis percipiemus nullos, ex quibus,
» benignitate hac diuina vtamur, maximos percipere possimus. M
» est, quodque superioribus temporibus vix sperandum nobis vide
» amplissimum agrum ab hostibus tot annorum spacio possessum, qu
» ma ex parte opes Lituanicę quódam niterentur, receptum: hostem t
» sperarum rerum successu ebrium in perpetuo victoriarum cursu rep
» auersa arma eius in vastitatem ac perniciem ditionũ harum intenta. C
» hæc nisi reliqua, quæ restant, belli eius perficiamus, ... creor, vt non m
» tilitatis nil nobis attruliſſe, sed ne optanda quidem tanto in labore a
» ptu fuisse videantur. Hostem habemus potentissimum, cuius quę&c
» opes sint, & nemo ignorat nostrum, & tot deuictæ ab eo nationes te
» Hunc moderate ne vel hanc amissæ prouinciæ cõtumeliam ferre ve
» turum putamus? Fremit ille iam, & tanquam fera aliqua intra septa c
» sa omnes amissa recuperandi, & acceptas iniurias vlciscendi exitus a
» nes quærit. Demus huic vel cũctatione nostra, vel pace cũ eo facta co
» sui, acceptaq; incõmoda ac domestica vulnera, atq; inscitiam eius, q
» bellum peperit, sanandi spacium: quis omnium tam secuto est an
» non multo maioribus viribus ad sarcienda incommoda irruiturum
» prospiciat, quem nec propter potentiã difficultas vlla à bello reuoca
» in pace propter perfidiam vlla iurisiurãdi religio retinere possit? Sero
» resistendi ei rationes tum quæremus, quem iam trepidum ac percu
» non leui momẽto impellete, facilius certe superare possimus. Quod v
» set nobis verẽdum, illumq; accepta iniuria vel omnino quieturũ, ve
» eo periculi expectãdum nobis esse, Deus nobis fidẽ faceret: quis n. al
» tæ rei idoneus autor existat? at nonne tãta gloria bello hoc parta, qua

ceps de nobis hominũ existimatio futura sit, cõmouebimur? aut vlla ratione opinionem bello hoc collectam tueri nos posse, si in tantas res gerendas ingressi in medio earũ cursu destituere eas videamur: quenquã deniq; futurum existimabimus, qui nõ fortunæ potius successus hosce, quã virtuti tributurus sit? Sunt n. quæ virtute ac ratione administrantur, cũ exigua fortuna iis interueniat, eorũ & media primis, & exitus vtrisq; cõsentanei: fortunę vt cęci sunt impetus, ita vltima primis raro respõdentia. Quod sunt, qui in tanta dictionũ amplitudine difficultatẽ earum administrandarum subterfugiũt, nec expectãdum latius imperium putent, quod sumptu ac labore magno partũ, Reipublicæ vsui nulli esse possit: mirũ sane videri debet, eo in Rẽpublicã animo quenquã esse, quo in sua sit nemo. Quis n. omnino est, qui nõ decẽ possessiones, quã vnã malit? grauiora sunt onera amplæ rei familiaris: eadẽ maiorib. cõmodis opportunitatibusq; pensantur. Reipublicæ vero nostræ ego hanc rationẽ esse video, vt, si neruos rerũ gerendarum habere, si statum hũc ciuitatis tueri velimus, nouũ omnino regnum necessario ei adiungendũ sit. Ni cum ditiones omnes, quæ ad eam accesserũt, in ciuitatem iisdẽ legib. receptæ sint omnes, nulla in prouinciæ formã redacta, nulla tributaria facta. Itaq; in pari omnium libertate onera etiam exæquata sint inter omnes: iis si leuari volumus, quã eius rei facultatẽ habebimus, nisi instituto maximorũ quorũ cunq; imperiorum, nos etiam nouũ ei imperium adiiciamus, in quod tributis vectigalibusq; in eo cõstitutis grauior cõmunium onerum pars deriuari possit. Erat Russia ante, vt primũ armis victa, tributaria: nõ parũ tum subsidio eius subleuata Respublica fuit: Lituaniæ quoq; magnum Ducatũ, cum antiquis legib. à Regib. Polonię regeretur, plurimũ per seipsum ad submouendum Moscum Tartarumq; valuisse meminimus: cõiuncto eo cum regno, quantũ ad publica onera accesserit, sentiendo vnusquisq; experitur. Quod si qui inopiam ac familiaris rei augustias inertiæ suæ prætendendas existimant: ii, si voluptatib. luxuriæq; modum faciant, ac quos in inanes vel perditas res sumptus prodigunt, in meliores vsus conuertant, vel præclarissimarum quarumcunq; rerum gerẽdarum necessariis adminiculis minime se destitui reipsa perspicient. Alios, qui domesticas res constituendas arbitrantur, non reprehendo: si tamen cogitent iidem, præterquam quod interstinorum incommodorum sanatio semper potestatis eorum futura sit, opportunitatem belli aduersus Moscum, qualem nunc habeamus, nõ semper nos habituros: potiorẽ etiam salutis, quam aliarũ rerum curam esse debere. Sunt & qui minus hactenus satisfactum sibi existiment. Habent ii nunc cãpum cum virtutis suæ illustrandæ, tum demerendi Regis: proficiscantur in bellum: operam studiumq; suum Reipublicę accõmodent, àque virtutis amantissimo Rege amplissima quæque expectent: si vel ætas, vel valetudo, vel fortuna cuiusquam id non permittunt, non desunt rationes in togata etiam ac ciuili vita bonis artibus emergendi: obtrectationibus ac prępositeris Rempublicam turbandi studiis nemo, qui virtuti ac bonis artibus debentur, præmia consequuturum se speret.

Hac ratione dicta, etsi minime nuncii dubitabant, quin & bellum, & tributũ vlterius sciscerẽt, quod in priuatis cõuentib. victorię hoc successu lęta, ac in spẽ futurorũ erecta, frequens in eam sententiam Nobilitas inclinarat: tamẽ vt aliorũ de se opinioni satisfacerẽt, ex iis, quę publice iactari animaduertissent, cum de aliis quibusdam, tum de conditionib. quib. nõ satisfactũ

Nuncii de ærealieno publico dissoluendo mentionem infe runt.

à Rege

à Rege diceretur, & de ære præsertim alieno publico dissoluendo mentionem inferunt. Docebatur, si qua antea in regnum pecunias ad tuendum, dum veniret, regnum Rex præmisisset: quas secum attulisset: quas in militem, qui ante aduentum eius meruerat, erogasset: in sedandos Gedanensium motus: in hoc ipsum denique bellum de priuata sua insumpsisset: expenderent: si quid deinceps facere institueret, considerarent, vt nihil nimirum priuatum, nihil à publico secretum haberet, verum omnia sua, ac vitam ipsam Reipublicæ impendere non dubitaret, facile constituturum, rectene quid in bello Respublica desideraret. Nam quod ad vectigalium quorundam pensionem pertineret: si priuati commodi fructum aliquem sequeretur, satis perspici, longe maiori cum emolumento eius futurum, si in eas res, quarum prouectus non exiguus sit, redimendas, quam in bellum pecunias conferret: verum ita animo paratum esse, vt in præsenti Reipublicæ periculo priuatum emolumentum publicæ vtilitati ac dignitati postponere mallet. De tribus illis, quę Præfectorum propriæ sunt redituum, partibus ab initio cum proposuissent, responsum, non contineri id verbis constitutionis Sigismundi Augusti, nec contra leges publicas, quibus à verbis constitutionum recedere prohiberemur, in eam sententiam verba trahenda, quæ Nobilitatem omnibus virtutum præmiis spoliatam in agros atque familiaris rei studia cogeret. Quem enim posthac fore, nisi iis præmiis ad virtutem excitetur, qui operam suam in bello, in legationibus, in publicis muneribus obeundis Reipublicæ præstare velit: qui nullis commodis propositis, dignitati ornamentisq; patriæ seruiat? Cũ & de militaris imperii imminutione exterorumq; honorib. agitatum fuisset, ostenditRex, nullâ se in re magistratus ei autoritati derogatum voluisse: præfecisse se Bekeschium Vngaris, non vt sua autoritate bellicarum rerum quid administraret: sed vt ducis imperio subesset, interpretisque munere ad militem Vngarum apud ipsum fungeretur: externo milite necessitate adductum in bello hoc vsum, quod regnum hoc à peditatu minus instructum esset: aliorum exterorum opera in rebus Transyluanicis ac priuatis ministeriis se vti. Multâ de hoc genere, vtendumne opera exterorum esset, cum inter nuncios Nobilitatis disputata, tum à Senatoribus ipsis multa eam in sententiam dicta fuerunt: non esse improbandum, si qui pro aliena Republica periculum ac laborem suscipere, sanguinemq; prolaude ac dignitate eius profundere velint: non esse sapientis, quod externorum periculo consequi possit, ciuium sanguine quærere velle: hac ratione maxima imperia primum coaluisse, indeque ad summam amplitudinem prouecta: hoc ipso in regno multas primarias familias ab exteris oriundas: alliciendos potius, qui suã virtutem Reipublicæ dignitatẽ aggregare velint: posseque id commodo Reipublicæ fieri, modo id prospiciatur, ne vel legibus, vel magistratib. à ciuiũ corpore se seiũgant, sed iis vtrisque vna cum reliquis ciuibus pareant; vel eo potentiæ excrescãt, vt ciues ipsos opprimere possint: vel honores iis mandentur: sed illi quidem in priuatis ministeriis versentur, publicis honoribus ac magistratibus soliciues præsint: quodque in aliis Rebuspublicis obseruatum sit, agris ac eius generis commodis virtus eorum interim remuneretur: in honoribus capiendis ciuium præcipua conditio sit. Silentium deinde ea de re fuit: peditem externum nemo erat, qui necessarium esse negaret. De Curlandiæ Duce ostensum Ducatum eum à Sigismundo Augusto Rege, cum Liuonia primum

De tribus præfect. prouentuũ partibus.

De Curlãd. Duce nunciorum respensum.

primum ad regnum se adiungeret, longe grauioribus è Reipublicæ conditionibus Duci collatum fuisse: recte atque ordine, quod priorum Regum autoritate iam ante affectum fuerit, meliori Reipublicæ lege à Rege transactum: quod diploma ipsum testaretur. Itaque nil alienum à moribus & exemplis maiorum factum, quibus omnium temporum receptum fuisset, vt, quæ à superioribus Regibus feuda constituta iam essent, ea posteriores, si nihil in iis mutarent, vel adiicerent: noua etiam, si quæ ipsi adiunxissent iniussu Ordinum, Senatus consilio adhibito conferrent. Legationis Episcopi Plocensis cum in Senatu mentio facta esset, causa eius vulgata, quæ iam in priorib. comitiis in Senatu proposita fuerat, suspicione diuortii agitati, & ipsam sustulit. Ita nullo repugnante, quod priori anno sancitum, in hunc denuo tributum iubetur. Præfecti consilio inter se habito redituum Præfecturarum suarum alteram quartam, qualis Rauam in ærarium publicum inferretur, vltro Regi detulerunt, conditione adiecta, ne autoritas præscriberetur, vel in exemplum deinceps traheretur. Postulatum inter alia à Rege, vt per legatos bellum gereret, ipse à periculo armorum abesset. Quod cum animi sui magnitudine indignum Rex iudicaret, ostensum præter ea fuit, quo plures voluntarii, si in conspectu Regis operam nauaturi essent, inuitarentur, ac ad minuendas controuersias, quæ ex Polonicorum & Lituanicorum magistratuum æmulatione existere possent, præsentiam eius non modo vtilem, sed pene etiam necessariam futuram. Leges in comitiis hisce: cum de aliis, tum quæ ad feuda beneficiariorum Principum, ad imperium militare, pœnasque scelerum pertinerent, à delectis ex vtroque Ordine conscriptæ quædam, non tamen perlatæ fuerant. Id solum Kosarorum Nisouiorum in officio continendorum causa, literis, quibus tributum promulgabatur, adiectum: vt vsque ad altera comitia extra ordinem animaduerteendi in eos potestas Regi esset. Constitutum superioribus comitiis fuerat, vt, qui Reipublicæ causa in bello abessent, iudicia interim in illos nulla exercerentur, nisi contra quos vel rerum iudicatarum executio peteretur: vel qui vim fecisse dicerentur: aut qui ad certam diem de pecuniis non solutis iudicium se suscepturos cauissent. Exceptiones hasce variis calumniis in perniciem reorum nonnulli conuertebant: modo maiorum lites in eos, quos is arripuerant, torquendo: alias longissimi temporis spacio pene intermorttuas suscitando. Itaque interpretatio in hisce comitiis adiecta fuit: eæ vt causæ rei iudicatæ atque vis solæ exceptæ intelligerentur, si quæ recens iudicata aut facta diceretur: obligationes autem in diem certum conceptæ, quæ intra proximum decennium interpositę essent. A comitiis Rex Mielecium Palatinum Podoliæ, qui abfuerat, vt ad sequentem se pareret expeditionem, operamque in bello eo nauet, per literas hortatur: at ille se excusat. Dum Varsauiæ Rex subsistit, nuncium redactæ in potestatem Niscerdæ accipit.

Postulatur à Rege vt per legatos bellum gereret.

Leges in his comitiis latæ de feudis.

Niscerda capta.

Solutis comitiis Rex se rursus in Lituaniam confert, cui in futuram expeditionem omni cura incumbenti duæ potissimum difficultates occurrebant: rei pecuniariæ altera, quæ tardius expediebatur: altera delectus. Prioris enim expeditionis incommodis afflicti, iumentisque ac instrumento omni per tempestatum & itineris iniurias priuati, difficultates tam lõginquæ militiæ plerique præ oculis habebant, ac ob id pauci omnino nomina dabant. Qui etiam ex his minus à bello abhorrere se videri volebant,

An. Chr. 1580. Rex in Lituaniam redit.

temporis tamen angustia, quo minus ad id parare se possent, excludi se arbitrabantur. Pecunia vtitur partim priuata sua, partim à priuatis mutuo sumpta, quæ ad certam deinde diem solueretur. De delectu Zamoiscius sibi curæ futurum promisit, & re cum Rege communicata equitem peditemque lecturum se professus est. Re vulgata, magna multorum animis alacritas innata fuit, passimque à plurimis nomina data. Ad hos Vngarum militem à fratre Christophoro Transyluaniæ Principe scribi curat. Cum antehac peditatu Polonia non multum vteretur, propterea quod Nobilitas fere omnis equis merebat: pedestrem militiam, quæ laboris plus haberet, negligeret: atque ita peditatus omnis ex oppidana plebe ac operis præsertim constaret, genere hominum non modo rei militaris imperito, verum ocio etiam oppidano ad perferendum laborem belli corrupto: externus autem peditatus sine maximo sumptu ali non posset: superioribus comitiis ratio quædam parandi peditatus agitata fuerat, vt ex regiarum possessionum adscriptitiis vicesimus quisque in militiam reciperetur. Qui ita in militiam venissent, ab oneribus operisque rusticanis ipsi posterique eorum immunes essent. Hoc delectu iam vti visum fuit, missique per agros centuriones præfectique passim fuerunt, qui robustissimum quemque ac labori militari ferendo aptissimum legerent. Grodnæ ex propinquo iam consilia belli agitare Rex instituit, ac Vilnæ interim tormenta, præter ea, quæ reparanda erant, noua suo modo alia fundenda curat.

Exercitus cõscribitur.

Ratio parã di peditatus

Inclinabat iam Rex in Vielicoluci oppugnationem: quod tamen, quo diutius hostem celaret, ex instituto Czasniciam diem, quo conueniret, exercitui edixit. Nam cum id oppidum secundum flumen Vlam in capite duarum Vielicolucensis & Smolensis viarum ita situm sit, vt paribus ab vtraque vrbe spaciis distet, ac Vielicolucum quidem inde tendentibus Vsuiata flumen Smolenscum euntibus Kaspla se offerat, ad hostem ancipiti cura distinendum cumprimis opportunum id videbatur. Rediit interim missus à Rege ad Moscum cum literis, qui de euentu obsessionis Polocensis certiorem Moscum faceret. Humanius hic acceptus ab illo, quam quisquam ante eum, mensæ etiam adhibitus, ac bombycina veste donatus fuit. Eum autem priusquam dimitteret, à duabus legatis suis ad Nicolaum Radiuilum Palatinum Vilnensem, & Eustachium Volouiczium Castellanum tum Trocensem literas dari imperat huius argumenti. Cum exorto inter duos summos Principes bello Rex Poloniæ Polociam expugnarit, & magnus Moscorum Dux eo damno acceptо magis magisq; irritatus sit: se & reliquos proceres ad pedes Principis sui prostratos suppliciter ab eo petisse, vt sanguini Christiano parceret. His motum, eum à bello abstinere. Proinde illi quoq; Regem suum ad pacem stabilem cum magno Moscouiæ Duce canstituendam flectant, ac militi tam in Lituaniæ, quam Liuoniæ finibus imperet, vt maleficio atq; iniuria omni in Moscos abstineat. Interea vtrinq; elaborandum, vt controuersia omnis missis vtrinque oratoribus pace facta sopiatur. In extremo literarum excusant, quamobrem Basilius Lopatiensius, per quem bellum Rex Mosco denunciarat, adhuc detineatur: daturos se operam ostendunt, vt cum primum domum vterque reuersus fuerit, cum mandatis de pace sine mora ad Regem remittatur. Re deliberata, hoc modo à Senatoribus Lituanis respon-

Rex Vielicolucum oppugnare constituit.

Moſci legatorum literæ ad Nic. Radiuilum & Eustachium Volouiczium.

Senatorum Lituanorũ responsio.

respondetur: appellasse se de pace Regem, illum vt Christianum Principem pacem & concordiam inter vicinos ac Christianos Principes omnibus rebus potiorem habere: bellum tamen, cùm id maximis illius in se iniuriis prouocatus, nonnisi pacis causa susceperit, tam diu etiam, dum æquæ pacis potestas à magno eorum Duce sibi fiat, gerendum sibi intelligere: legatos vero, vt quos ad Principem eorum mittat, causam nullam ei videri: potius nom committendum sibi censere, vt quos ex suis, quemadmodum ante fecerit, iniutiis atque ludibrio eius obiiciat: si ille legatos ad Regem mittat, patienter Regem, quæ dicant, auditurum, atq; æquo cum responso eos dimissurum. Haud multo post Moscus ipse cum eiusdem sententiæ literis alium ad Regem nuncium mittit. Dimittitur is cum eodem responso, quod prior à Senatoribus ante acceperat. Mittit nihilominus denuo aulicum suũ Ioannem Naszekinum cum iisdem postulatis: qui cum & ipse in eundem modum publice iam responsum accepisset, ostendit postea, alia se præter superiora mãdata habere, quæ priuatim exponat. Facta potestate, commemorat, Principem suum moueri plurimum clade hominum innocẽtium Christianorũ: qua de causa licet sciat, contra suum maiorumque suorum morem id ab se fieri: constituisse tamen de dignitate sua publicæ concordiæ id remittere, vt de pace ipse legatos ad Regem mittat: id vnum postulare, vt inducię interim sint, nec vlterius cum exercitu Rex progrediatur: legatos Vilnæ expectet: quod id à maioribus quoq; ipsius magno Moscouiæ Ducum honori semper datum fuerit, vt præterquam in regni ipsius, aut magni Ducatus Lituaniæ sede oratores eorum audirentur. Rex eodem illa omnia pertinere intelligens, vt tempus gerendæ rei extraheret, respõdit: si quos legatos mittere velit, dicendi, quę velint, potestatem libenter se iis facturum, benigneq; auditurum. Quod certo in loco exspectari à se legatos velit, nullo id cæterorum Principum Christianorum exemplo peti, qui quandocunque vsus sit, quemcunque in locum legatos mittant: commune vbiq; esse ius legatorũ, nec certo loco finiri: posse se, vbicunq; futurus sit, vel in castris ipsis, in quibus inter strepitũ armorum, vel maxime legatorum opera requiratur, adiri. Detectum sub huius aduentum fuit, quod Gregorius Oscikus, illustri apud Littuanos loco natus, & ante iam sub interregni tempus cum Mosco agitarat consilia: & tum per literas communicare cum illo non intermittebat. Quæ res ipsi Osciko postea pessime cessit, detecta enim proditione de confesso supplicium sumptum fuit. Venerat interim Vilnam Vngaricus peditatus. Hunc Rex Postouam terrestri itinere ire iussum, ibidem cum tormentis, & reliquo grauiore belli instrumento nauibus impositum secũdo flumine Disnam, inde cum aliis tormentis, quæ Polocia rediens antea ibi reliquerat, per aduersum Dunam Vitepsciam præmisit. Commorante adhuc Rege Vilnæ, Paulus Vchanius, qui apud Pontificem summum oratorem egerat, reuersus Regi ensem à Pontifice notis ceremoniis consecratum obtulit. Profectus inde Vilna, ad Scidutum villam vno milliari indeconcedit. Hinc ita instituta itineris ratione, vt lentius eundem vndique consequi tam equitatus quam peditatus posset, sexto calendas Augusti Vitepscum peruenit.

Rex nuncium cum literis ad Moscum mittit.

De Osciko sumptum supplicium.

Iam antea Czasniciæ Rex inito copiarum numero, refert ad consilium, quas in oras exercitus ducendus sit, & quibus in partibus hostilis terræ bellum ordiendum. Tres potissimum hac de re diuersæ sententiæ

In quas oras exercitus ducendus deliberatur.

erant: cum alii Smolenſcum, alii Pleſcouiam, alii Vielicolucum eundum iudicarent, quarum hæc ad Lonatum: Pleſcouia ad Velikæ & Pskoæ confl. Smolenſcum ad Boryſthenem ſita. Qui Smolenſcum petendum cenſebant, loci inprimis celebritate & amplitudine: rerum eo loco geſtarum fama: inſtituto denique belli res ablatas repetendi mouebantur, & quod eo præſidio adiuncto, tota Seuerienſis ditio longe ampliſſima vna in poteſtatem ventura eſſet. Sed cum iter ad Smolenſcum eſſet per loca deſerta terramque per crebras excurſiones igne ferroque vaſtatam, videbat, ſi eo ſe conuertiſſet, exercitum commeatus & rei frumentariæ inopia laboraturum, hoſtique ad inuadendos Lituaniæ fines aditum patefactum iri. Neque vero, ſi Smolenſcum progrederetur, Liuonia auertendi hoſtem vlla ratio videbatur, quæ tamen magna ſuſcepti belli cauſa erat: neque ſperari poterat, Moſcum propter vrbem longe à ſua regia ad Boryſthenem poſitam vires ſuas in vltimum diſcrimen adducturum. Pleſcouiæ vero oppugnãdę hoc tempore difficilior ratio viſa, quod expeditio à finibus regiis longinquior, quod iter ad crebriores hoſtium arces periculoſius, longior receptus, nullum in propinquo præſidium ſuorum, flumẽ denique eo itinere nullum eſſet, quo res frumentaria & bellicæ machinæ aduecherentur. Ergo Vielicolucum, ſitum in præcordio quaſi Moſcouiæ, eundum ſtatuit, quo licet iter eſſet per regiones ſyluestres, tamen cum & à populationibus intacta eſſent omnia, fluminibuſque Duna & Vſiuata tormenta & commeatus opportune conuehi poſſent, minor videbatur in ducendo exercitu difficultas futura. Ad hæc Vielicolucum ita Liuoniæ imminet, vt ſi eam vrbem Rex ſuæ ditionis faceret, & commeatu è Liuonia adiuuari poſſe, & intercludere è Moſcouia in Liuoniam iter & magnam denique regionem liberare videretur. Denique animo Regis obuerſabatur, illud etiam accidere poſſe, vt ſi ſpe pacis amiſſa eam vrbem peti Moſcus videret, quæ & ſuæ ditionis ſemper fuiſſet, & quoquouerſus præſidium firmiſſimum eſſet, ad opem ſuis ferendam veniret, ſicque daretur aliqua occaſio aperto marte decernendi, cuius ſane rei auidiſſimus Rex erat. His accedebat, quod omnis circa Vielicolucum regio agri fertilitate, rerumque omnium vbertate omnibus aliis partibus abundantior, hominibus, iumentisque alendis facilius commeatum ſuppeditare poſſet. Ad Pleſcouiam enim vſque terra vbique culta, campeſtris, & frequentibus vicis habitata, ſi in poteſtatem Regis redigeretur, magnam commoditatem relictis in præſidio militibus præbitura eſſet. Ituro Vielicolucum duæ arces cum firmo præſidio Moſcorum munitæ occurrebant, Veliſium ad Dunam fl. & Vſiuata inter duos lacus ſita, quorum alter in Occidentem vergens Vſmiana, alter ad Orientem pertinens Vſiuata vocatur, per quem fluuius eiuſdem cognominis ſe deriuans, prope Suraſum caſtellum Dunæ ſe miſcet. Has arces, ne quid à tergo infeſti relinqueretur, partitis copiis expugnare decreuit. Igitur Ioanni Zamoiſcio regni Cancellario cum ſeptem millibus ad expugnandum Veliſiũ præmiſſo, ipſe quartis caſtris ad caſtellum Suraſum peruenit. Hic duabus maxime de cauſis quatriduum ſubſtitit: primum in Dunam flumen ad traiiciendum exercitum pontibus iungeret: Deinde vt de euentu oppugnationis Veliſienſis, deque rebus à Zamoiſcio geſtis cognoſceret. Sed is, vt primum per aſpera itinera copiis Veliſium è denſiſſimis ſyluis penetrauit, loci ſitum contemplatus, tribus ex partibus circumducta foſſa iactoque aggere munitiones in arce

Rex Vielicolucum proficiſcitur.

Cancellarius Veliſiũ obſidet, & capit.

arce ſumma celeritate direxit. Ex aduerſo autem arcis vltra Dunam leuioris aliquot armaturæ cohortes arcendis ſubſidiis & effugiis collocatæ erant. Igitur admotis tormentis cum vndique quati propugnacula, miraque regiorum audacia inferri mœnibus faces Veliſienſes conſpirantes, incolumitatem pacti, deditionem faciunt. Moſcus Poloczienſium præſidiorum expugnatione commotus, ſimilem caſum in aliis caſtellis, quæ Lituaniam verſus ex macerie facta, veritus, ceſpite muros eorum tegere conſtituerat. Qua re, quod cum per ceſpitem ſubitario opere nos ſatis alte congeſtum adpientem globi penetraſſent, tãto & firmus hærerent, & reſtinguendi ſui facultatem fere nullam relinquerent, vel maxime tum lędebatur. Commeatus, pabuli, puluerisque tormentarii, apparatuſque bellici tantum repertum, vt recreato omnibus his exercitu, quantum prędidio ſatis eſſet, nihilominus relinqueretur. Nuncio hoc accepto Rex à Zamoiſcio, eo lætior, quod de ea gratulatione, caſtri, quod maxime integrum in poteſtatem ſuam peruenire cupiebat, detrimento nil fortuna diminuerat, dum pons ex lintribus tabulatis componitur, ad videndum Veliſium excurrit, moxque Suraſum ſe recipit.

Sub idem tempus literæ à Moſco afferuntur, quibus demiſſius, quod pleriſque calliditati adſcribebant, ſignificabat, iam ſe legatos de pace cum idoneis mandatis, quibuſque controuerſias minui poſſe exiſtimaret, contra & ſuam & maiorum conſuetudinem dimiſiſſe. Sed cum incertus eſſet, quidnam ab ipſo Rex poſtularet, vereri, ne non ſit iis, quæ legati ipſius nomine pollicerentur, contentus futurus. Petere ſe, vt aut Rex ſuam de his ſententiam planius aperiat, aut legatis ſuis id facere permittat. Inprimis autem, antequam legatos audiat, intra fines exercitum reducat, & ab omni in ſuos iniuria prohibeat. Sub finem literarum, ne eſſet cupidus fundendi ſanguinis Chriſtiani, neue ab oblatæ concordiæ ſtudiis abhorreret, extremam ſecundi Pſalmi partem ſuis literis inſeruerat. Rex in eadem ſimulatione, qua antea vſus fuerat, perſiſtere eum videns, nihilo remiſſius exequi deſtinata pergit, perfectiſque tribus in Duna pontibus vniuerſum exercitum in vlteriorem ripam traducit, ibique caſtra facit. Poſtridie iter facienti iterum Moſſci literæ adferuntur, quibus ſignificat, legatos ſuos maximis itineribus progredi, expectaret venientes, nec tridui moram magno detrimento rebus ſuis futuram cogitaret. Regem nil de celeritate conſueta remittere cupientem tardabat difficultas viarum. Syluestria hic erant loca, vix ſingulis peruia: ob crebras autem paludes interiectas, magnaque ex parte cœnoſa, per quæ ægre iumenta euaderent. Accedebat huc, quod à primis omni pabulo conſumpto apud maiorem exercitus partem magna eius quoque rei inopia laboraretur. Itineris is ordo obſeruabatur, vt in primo agmine Lituani ſub Palatino Vilnenſi duce & Chriſtophoro filio proficiſcerentur: Hos Ioannes Zborouius aulici militis Præfectus ſequeretur. Poſt illum Vngari incedebant. Hos Rex cum exercitus robore ſequebatur. Regem Palatinus Braczlauienſis cum equitatu Polonico: Vltimum agmen Nicolaus Sieniauius Ruſſicarum copiarum Præfectus claudebat. Cum Lituani ferramentis ad ſyluas cædendas, ac viam aperiendam idoneis deſtituti tardius procederent, Rex delectos è prætoriano peditatu trecentos Vngaros ad explicandam celerius cum Lituanis viam præmiſit. Sic Lituani duce Palatino Vilnenſi via expedita XVIII. Cal. Septemb. tandem ad arcem Vſiuatam

Moſci literæ ad Regẽ.

Rex exercitum in vlteriorem ripã Duna traducit.

Vsuiata arx dedita.

peruenerunt. Rex duobus inde milliaribus consedit. Mosci obsidionem expectantes, paucis ante diebus oppidum arci subiectum incenderant, recepta in arcem omni oppidanorum turba. Palatinus arcem oppugnaturus, caduceatore præmisso, ad deditionem ipsos hortatur, simul etiam eis denunciat, in vna Regis clementia iis salutem fore. Illi cum ferociter initio respondissent, ac tandem circumduci fossam, admouerique vimineos corbes vidissent, deditionem eodem die polliciti sunt, territi potissimum aduentu Vngarorum peditum, qui vna nocte admirando labore pro ipsa porta intra lapidis iactum fossa perducta, continenti sclopetariorum ictu neminem in aduersa turri consistete patiebantur. Deditis concessa à Rege vita, data que facultas, exceptis Præfectis, iis qui vellent, in Moscouiam redeundi.

Rex castra ad veterem Vsuiatã ponit.

Rex postridie ad veterem Vsuiatam positis castris, nauim cum paucis ingressus, ad inspiciendam ex aduerso arcem nauigauit, vbi quatriduum commoratus, Vielicolucum versus tendens, principio eadem rursum via rum asperitate, perpetuis & denssissimis syluis, adhæc solo cœnoso & impedito exceptus fuit. Post commodiore aliquanto via vsus aridiore ac arenoso pene solo, aliquot diebus patefaciendo itinere consumptis vigesima septima die Augusti non longe ab arce Vielicolucana cis flumen castra posita

Rex ad Vielicolucum castra ponit

sunt, cum iam quinto die ante vrbs ampla, atque ab vtraque fluminis ripa latissime arci circumiecta à præsidiario milite incendio deleta esset. Eo etiam Zamoiscius Vielisæ diuerso itinere veniens, sua castra cum regiis coniunxit. Rex cum ad arcem recta ducere constituisset, Zamoiscium, qui situm naturamque loci cognosceret, præmisit. Zamoiscius ab omnibus partibus diligenter situ loci perlustrato ad Regem se recepit. Postridie legati Moscouitici, nullis adhuc versus arcem munitionibus erectis, in castra venerunt. Etenim magnam omnes in expectationem ipsorum aduentu venerant, cum quilibet existimaret, ipsos, quemadmodum præse ferebant, cum amplissimis & ad pacificationem accommodatis venisse mandatis. Auditi igitur pridie calendas Septembris, eadem, quæ ante, iterarunt: negarunt, posse se vlla de re agere, nisi prius Rex vniuersum exercitum intra fines reduxisset. Rex legatione tam absurda repudiata, arcis oppugnandæ consilium iniit, mandat, vt duobus in locis vltra flumen munitiones excitentur. Cuius quidem rei procurandæ primas defert partes Zamoiscio, qui partem castrorum regiorum in vlteriorem fluminis ripam traduxit, illic Vngarus alterum locum ad Occidentem, Polonicus vero peditatus ad Orientem alterum muniendum sibi desumpsit, quibus locis propugnacula arcis primaria erant. Biduo vtrinque fixis sub vallo signis, munitiones fossis ductis aguntur, intra corbes terra repletos tormenta collocantur. His ita constitutis, calendis Septembris arx tormentis quati cœpta, sed in recenti vliginosoque aggere, tormentorum vis parum valuit, quantumuis quatriduo continuis ictibus verberaretur, & incendium ab Vngaris sæpius conflatum esset. Hac difficultate ad Regem delata, confestim eam consilio expedit, imperatque, vt ad proximum propugnaculum cuniculi agantur ad parietem vsque, quod vnius noctis opere perfectum. Ea ratione intra cuniculum ad ditus puluis incensus, vi sua aditum ad parietem accendendum Vngaris patefecit. Nec in castris Polonicis ab inferendo incendio cessatum est, & quidem irrito conatu

Legati Mosci in castra veniunt.

acerrime

acerrime repugnantibus Moscis, ex quibus permulti per summitates mœniorum in exteriorem partem arcis se deiecerunt, restinguendi incendii causa, etiamsi ex aduersis munitionibus ictibus tormentorum depellerentur. Iam ignis ille à Polonis quarta Septembris die sub vesperam parieti admotus, dum vtrinque existimarent, eum oppressum, ecce media fere nocte oborto vento vires resumit, paucis horis ita creuit, vt tota arx incendio eo, frustra Moscis id exstinguere conantibus, ac deditionem offerentibus quinta Septembris deflagrarit, vallo tantum incolumi remanente. Vngaricus miles in arcem vlcisendi libidine nonnullorum suorum iactura ac spe rapinæ incitatus, irruit, promiscue obuios obtruncat, vndequaque pinnas arcis depopulante igne, quicquid rapinæ consequi potuit, ex arce effert. Iam ignis ad fornices, in quibus puluis tormentarius asseruabatur, peruenerat, cuius quadringenta fuerunt vasa. Quo periculo oblato, pars ex arce se subducebat, pars à præda & cæde nullo periculi metu auocari se passa, in arce remanebat. Inter quæ subito ingenti fragore edito, puluis incensus fuit, magnamque cum ædificiorum vicinorum, tum hominum tam regiorum quam captorum stragem fecit. Eo igne tormenta simul, & quicquid in arce armorum erat, quorum ex Liuonicis manubiis magnum numerum eo Moscuus congesserat, instrumentumque militare, ac reliqua præda omnis partim exusta, partim corrupta fuit: maiorque pars obsessorum, qui erant circiter septem millia, à milite cesa, reliqua in seruitutem redacta. His omnibus summa cum potestate præfuerat Ioannes Voiciko primus cubiculi minister,, non ita pridem à Mosco in eam arcem præsidii causa missus, notæ crudelitatis homo. De quo cum vt homine apud Ducem magna gratia secretorumque omnium consicio diligentius Zamoiscius interrogasset, ille more Moscouitico ad supplicium & cruciatum se quæri existimans, longius è conspectu Zamoiscii versus castra productus, conspicatus in proximo Georgium Farensbekiuin, cum quo noritiam in Moscouia contraxerat, ad eum vitæ deprecãdę causa se proripuit. Id fugam miles Vngaricus interpretatus, subito in eum impetu facto interfecit. Ex Polonis non ita multi desideratii sunt, in his primarius Petrus Kloczeuius Castellanus Zauichostensis, qui vt homo ad militaria munia promptus, dum ipse ad opus interfrequentes tormentorum ictus, qui continuo ex arce in intentos operi dirigebantur, contendit, globo traiectus interiit.

Arx tota deflagrat.

356

Atque hic fuit euentus obsidionis arcis istius, spectantibus eum Mosci legatiis, qui interim incendio hoc in metum adducti, iterum admitti se petebant: cuius rei altera die potestate iis facta, quod ignis iam conquieuerat, illique metu iam liberati videbantur, alternatim omnium controuersiarum absoluo vsque ad mala memoriam repetentes legationis mandata explicarunt, quæ cum ab omni æquitate aliena essent, & se alia non habere confirmarent, vt tabellarium ad Principem suum mittendi potestas sibi fieret, à Rege impetrarunt, eum de rebus omnibus certiorem facerent. Scripsit & Rex ad ipsum Moscum per peculiarem tabellarium. Inde arcis instaurandæ & muniendæ, quod sine ea regionem agrum que ab hoste captum nulla ratione retinere se posse videret, summam curam susce pit. Itaque adhibito architecto Italo Dominico Rodolphino Camerino, secundum eam rationem, qua ipse opus dimensus erat,

Legati Mosci iterum cum Rege colloquũtur.

Rex arcem instaurat.

in Polo-

in Polonos, Lituanos, & Vngaros, æmulatione nationum eo citius perfectum iri existimans, id partitur. Tum allatum est, aliquot millia hostium ad arcem Toropecium, diuiso in duas partes exercitu, maiorem vltra duo milliaria, minorem primorum ordinum cis arcem consedisse. Citerior ille pabulatores Polonos ad sex à castris milliaria subinde intercipiebat, ac iam ad quinquaginta Rege obsessione ad Vielicolucum occupato oppressérat. Quamobrem Rex Georgium Barbelium Vngarorum equitum alæ Præfectum cum sexcentis equitibus Polonis & Vngaris, quibus etiam aliquot pedites sclopetarii attributi erant, Toropecium versus mittit, ac triduo post, vbi rumore quodam perlatum esset, hostium copias adauctas, mille quingentos equites Polonos, Vngaros, & Germanos deligit, Ianussio Zbarassio Palatino Braczlauiensi eis præposito. Huic mandat, vt assumpto Barbelio, &, qui cum illo præcesserant, equitibus, propius ad hostem accedat, ac, si quæ rei gerendæ opportunitas detur, prælium committat. Zbarasius cum his mandatis sub vesperam castris egressus, cum exercitu proficiscitur, tota nocte iter continuans, postero die Barbelium assequitur, communicatoque cum illo ac Farensbekio consilio, quem Zamoiscius, aduersa tunc valetudine impeditus, cum præcipua iuuentute ex comitatu suo miserat refectis eo die ex labore iumentis, dispositoque in suos ordines exercitu, sub noctem Albertum Kiralium cum certo equitum Polonorum & Vngarorum numero de secunda vigilia præire, eum vnius milliaris interualio cum ala equitum Barbelium sequi iubet: cum reliquo agmine mox ipse subsequitur. Non admodum longe Kiralius progressus erat, cum in aliquot hostium excubias vel præcursores exploratum missos incideret, qui ad ipsius aduentum illico se fugæ mandarunt, eos cum suis insecutus ad pontem vsque, quo fossa palustris strata erat, peruenit. Sclopetarii Moscici in insidiis latentes numero longe superiores ab vtroque pontis latere elato clamore exiliunt, sclopeta in Polonos explodunt, diu eos iaculationibus, quo minus pontem transeant, remorantur. Forte & quatuor sclopetarii Vngari equis vecti, qui antea aberrauerant, ad clamorem sociorum se se offerunt, relictis equis ad pontem pugnantibus subsidio accurrunt, ac sclopetis rem grauiter gerunt. Tartarorum copiæ quingenti equites Moscicis sclopetariis nõ procul à ponte in subsidio erant. Durauit illud certamen ad dimidiam vsque horam, cum Kiralius diu frustra eos, qui sequebantur, expectasset (miserat enim per expeditos equos cum suis, qui eis renunciarent, magno numero adesse hostes, properarent, quantum possent, sclopetarios Moscos tam exigua manu submoueri non posse) tandem ad speciem magni alicuius exercitus aduentantis clamore sublato in pontem irruit, sclopetarii hostiles Vngarorum clamore perculsi ponte ceduut, & Tartaris subsidiariis coniuncti pulsu tympani ad proximum extrcitum se recipiunt. Kiralius fugatis hostibus intempesta nocte eos persequi vlterius destitit, multitudinem hostium atque insidias veritus. Nam Barbelius cum suis longius aberat, nec sciebat, quo in periculo Kiralius versaretur. In eo certamine pauci ex Vngaris vulnerati, equi aliquot interfecti. Postridie clara iam luce & ipse Barbelius cum sua ala ad Kiralium peruenit, consecutus est eum paulo post reliquus exercitus. Quo loco nouo capto consilio iterum Kiralius maioribus quam pridie copiis ablegatur: ad priores additi leuis armaturæ equites viginti quinque, totidem pedites sclopetarii, vt in itinere

Conflictus inter Polonos & Moscos.

hostium

hostium excubias circumueniat & claudat, ne ad hostes indicium vllum de Polonorum aductu perferretur. Excubiæ hostium profectionem Kiralii odoratæ, ad suos maturius opinione refugiunt. Tres tantum Mosci in itinere ab Vngaris capiuntur. Nocte appetente diu in itinere angusto & lutulento Vngari conflictati, in planiciem arci & ciuitati Toropecienſi proximam peruaserunt, relicto post se longius toto agmine, quod ob difficultatem itineris eos consequi non poterat. Eo loco ad Kiralium quinquaginta Germani equites, totidemque pene pedites sclopetarii aduenerũt. Quare cum iam prope hostium castra se esse animaduerterent, iter suum accelerant. Hostes flumen iam transgressi erant, instructaque acie, si regii flumen transirent, vt prælio cum illis decertarent, expectare videbantur, relictis cis flumen mille equitibus, qui Polonos distinerent, ac in suum locum pertraherent. Hi partim velitando, partim cedendo ad flumen, in cuius aduersa ripa sclopetarios longo ordine dispositos erant, eos pertrahunt. Illis à Stanislao Sebocio, ac equitibus Germanis, qui sub illo merebant, deiectis, Poloni transmisso flumine, reiectisque hostium sclopetariis, à latere in aciem hostium irruunt. Mosci primum ad resistendum se comparantes, mox alia signa ac maiorem exercitum aduentare conspicati, ne vnum quidem impetum eorum tulerunt: pars Toropeciam fuga petiuit, nonnulli via regia Moscouiã versus fugerunt: alii in proximas paludes se abdiderunt. Poloni quamuis sole occasui appropinquante per quindecim tamen fere millia passuum vltra Toropeciam hostem insecuti ad multam vsque noctem sunt. In qua fuga quingenti vel paulo plures sunt cæsi, ducenti vero cum vexillo capti, ac, nisi nox interuenisset, pauci ex quatuor millibus euasissent. Re à Polonis ad Toropeciam prospere gesta, omnes incolumes in castra redieree, paucis admodum è suis desideratis, aut vulneratis. Ex captiuis duo præcipui Regi traduntur, quorum alter Ioannes Nasczokinus paulo ante discessum Vilna Regis à magno Duce ad Regem legatus, alter Damianus Ceremessinus Moscorum Principi carissimus, & ad exercitum paucis antè diebus, vt eum in fide & officio contineret, ab ipso missus. Toropecienses præsidiarii cum propius accedere Polonos vidissent, rati ad obsidendos se venire, more suo statim oppidum exusserunt, omnibusque rebus in arcem comportatis se receperant. Interim Philo Kmita Palatinus Smolenscenſis cum mille septingentis leuis armaturæ equitibus in agrum Smolenscenſem excurrerat, secundisq; populationibus aliquot inuitatus Smolenscum longius progressus fuerat. Sed cum maior vis hostium, qui ad decem millia fuisse dicuntur, immineret, & cædendo nouies ab ipsis petitus diutius eo sustinere non posset, omnibus captiuis, quos circa se habebat, interfectis, amissisque sex exiguis tormentis, vnoque paulo maiore, non sine detrimento hostium Orsam se retulit, ex spoliis hostium elegantissimi operis ferreum thoracem Palatini Mosci Ignatii Bludero interfecti, cum malleo ferreo, quo clauæ loco vtebatur, & vexillium ad Regem misit.

Poloni hostes fugientes insequũtur.

Palatinus Smolen. in agrum Smolenscen. excurrit.

Clade hostium ad Toropeciam subsecuta, anni tempus, quod hyemi proximũ erat, tria Regem facere coegit: vt & instaret operi arcis Vielicolucanæ, quod in certas partes cuique nationi distributum ante discessum suum absoluendum erat, & Zamoiscium iusto exercitu ad obsidendam Zauolociam mitteret, quæ quidem arx ob vicinitatem Vielicolucensibus maximo erat incommodo futura, si hostium in potestate relinqueretur, &

Rex Zauolociam obsidere constituit.

arcis Neuelensis oppugnationi maiorem militum numerum, pulueremq; aliumque commeatum subsidio mitteret. Adeo enim illius situs ingenio loci munitus erat, nec nisi ab vna parte versus meridiem, reliqua ingenti lacu circumfusa, ex quo flumen Nomen, in Orientem effluit, ad eam aditus patet. Eo loco Nicolai Dorohostaiscii Palatini Polocensis munitiones excitatæ fuerant, ex quibus tam exiguo regiorum numero arx ægre capi potuit, hoste se continente iaculationibus, eruptionibus, paucitate eorum contempta, acriter se tuente. Redacta in potestatem arce Vielicolucana primum ex atratis copiis quingentos eos Rex misit: non multo post etiam Ioannem Bornemissam alæ equitum Vngarorum præfectum cum septingentis pediribus Vngaris & maioribus tormentis aliquot: tandem solicitus de euentu obsidonis, quod iter facere illac constituerat, Zamoiscium cum iis, quas habebat, copiis ire eo iussit. Hic cum aliquot iam milliaria progressus fuisset, nuncium redacti in potestatem præsidii in itinere accepit. Bornemissa, postquam hostes exiguitatem regiorum despicere, ac interdum in munitiones eorum erumpere, vncos ferreos inusitatæ magnitudinis funibus alligatos in eosdem iacere, si quos comprehendere eminus possent, manu ipse cum iis congressus, nullisque interfectis intra munitiones eos compulerat. Inde magna diligentia in oppugnationem incumbens, ab ea parte, qua cum continente coniungitur, proxime hostium munitiones maximo militis labore fossas promouerat: veteres à Lituano milite propius institutas auxerat, cumque continuo militis labore ad fossam, quæ à continente castrum ambiebat, opus promouisset, progressu in validas contignationes transuersis lignis confibulatas, quibus decem pedes in latitudinem ab ima parte ad summum vsque fossæ hostes superiniecta humo munierant, incidit, indefessoque studio securibus, gonibus, aliisque instrumentis fossilibus, ad ipsam fossam tanto silentio, tantaque dexteritate peruenit, vt non prius ab hostibus sentiretur, quam miles ad incendendum parietem missus, mœnibus ignem subiiceret. Quod hostes conspicati, adeo perculsi sunt, vt confestim de seruanda arce desperarent, ac deditionem vel ipsis Præfectis renitentibus fecerint. Deditionis conditio hæc vnica fuit, vt vitam ipsorum gratiæ regiæ permitterent: omnem supellectilem, maxime vero militarem, in arce relinquerent. Hoc modo arx oppresso incendio integra in potestatem Regis concessit. Tormentorum ac reliqui instrumenti militaris pro captu castelli iustus apparatus: pulueris tormentarii præter diligentiam Moscouiticam prouidendorum præsidiorum, quod in nullo adhuc euenerat, non plus dimidiato vase repertum in eo fuerat.

Arx dedita

Rex de redi tu in Lituaniã cogitat.

Rex nuncio hoc deditionis accepto iam de discessu suo ac de statu prouinciæ captæ constituto cogitans, ex itinere Zamoiscium reuocat. Duo omnino è propinquo præsidia, Toropecienſe & Zauelocienſe imminebant, quæ vniuersæ eius ditionis possessionem turbare ei poterant. Plebe præterea rusticana, vt in nouo imperio infida, Lituaniam versus maximis ac vastissimis solitudinibus interiectis, præsidium ipsum vndique ab hostibus & difficultatibus obsessum, ab omnique subsidio intercluſum non satis tute ibi futurum intelligebat. Zauolocia præterquam quod Lucensi præsidio maximo incommodo futura erat, cogitanti iam

iam de venturi anni expeditione, necessario etiam occurrebat. In insula enim lacus, ex quo Vielika fl. se deriuans primo Opockam, inde Ostrouiam, ac deinceps recta Plescouiam, atque infra eam in lacum Pelbam influit, tanquam in capite viæ Plescouiensis sita, Plescouiam, quod suscepti belli series postulare videbatur, eunti, non exiguam moram obiectura ei videbatur. Quod eo magis præcauendum illi erat, quod si per cõtinuas rursum syluas Polocia Plescouiam contendentem hostis, quod hactenus omisisset, itinere forte prohibere institueret, eum locum magnam ad eam rem facultatem illi præbere: eo vero si potitus fuisset, nil Plescouiam fere vsq; præter Ostrouiam futurum intelligeret, quod iter eius morari posset. Occurrebat omnibus hisce cum oppugnationis difficultas, quę summa proponebatur, quod Zauolocia maximo lacu vndiq; circũfusa, nullos omnino è terra, nisi per pontem vnum accessum habebat: tum anni tempus ipsum, quod iis in locis mense iam Octobi alias pluuium eo maiores tempestates atque incommoda allaturum existimabatur, quo minus imbrium proxima æstas habuisset. Mittit nihilominus Zamoiscium huiusmodi cum mandatis, vt consilium ipse pro tempore capiat: ac potiundæ quidem eius spe oblata, exercitum ei admoueat: ab omni spe deiectus, itinere supra se à dextra capto, Lituaniam versus se recipiat. Illi aucto tormentorum numero adi reliquas copias, quas habebat, quingentos pedites Vngaros, & alam equitum, quam Gabriel Bekeschius Gasparis defuncti frater ductabat, attribuit. Absoluta interim munitione arcis Vielicolucanæ, eaque tormentis, commeatuque, ac omnibus ad defensionem necessariis promisa: descriptisque, qui in præsidio manere debebant, tam equitibus quam peditibus ternis castris Neuelam inde Rex peruenit. Secuti Regem Neuelam Mosci legati, qui excidii Vielicolucani ipsi spectatores fuerant, & tum ad literas responsa à Principe suo expectabant. Neuelæ per aliquot dies, anxiius de euentu oppugnationis Zauolocienſis, substitit, eoque magis, quod vereretur, ne ex subita illa cœli mutatione, imbribus, ventis, & postea niuibus cum gelu exortis, omnem militibus ardorem, ad operasque præstandas facultatem adimeret, & cœpum victorię cursum interrumperet.

Rex peruenit Neuelã.

Tabellarius Regis & legati Mosci redeunt ad Regem.

Interim & tabellarius Regis, & legati Ducis Moscouiæ ab obsidione Viellicolucana in Moscouiam missi ad Regem redeunt. Qui à Rege missus fuerat, longissimas literas attulit, in quibus superiorum literarum pro more suo longis ambagibus argumenta præfatus, ius suum fiiuolum acioculare, quo sibi Liuonia tanquam hæreditaria debeatur, iactat. Fuisse ait in maioribus suis Suentoslaum quendam Micislai filium, is, antequam sacro baptismate Christianæ religioni initiatus fuisset, Iurg vocabatur, ab eoque Iurgo Horodum, quam arcem & vrbem alias Derpatum Germani appellant, conditam: inde omnem Liuoniam ad se vnicum Micislai hæredem longa successione deuolutam. Priores Poloniæ Reges fratres appellare solitus fuerat, hunc non nisi vicinum: inter alias conditiones, ad Vielicolucum à legatis eius propositas, fraternum quoque nomen Regi detulerat. Responderat tum Rex, fraternitatem eius se non morari: Liuoniam, pro qua bellum suscepisset, solam petere. Iam hisce literis fraternam illi necessitudinem deferebat, ac etiam eo inuito nomen hoc ad illum vsurpaturum se ostendebat. Suuma hæc erat,

Moscus iactat Liuoniam sibi hæreditario iure debiri.

se studio pacis impendio magis teneri, ne amplius sanguis Christianus funderetur, eius conciliandæ stabiliendęque gratia titulum Liuoniæ cum Rege se communicaturum, & quatuor præterea castellis, in quibus Kokenhausum præcipuum etat, cessurum, si Rex vicissim Vielicolucum, Velisium, & Neuelam vetustæ suæ ditionis, nuper sibi adempta redderet: ampliora mandate se legatis suis perscripsisse. Postero die legati ad Regem deducti, potestatem dari sib cum Senatoribus agendi petierunt, ter cum iis congressi tribus proximis diebus ad illa quatuor castella priora alia sex adiecerunt, in quibus Runeburgum potissimum, cætera vilia erant. Legatis nulla alia mandata proferentibus, re infecta à colloquio recessum, permissumque illis fuit, vt Regem in Lituaniam, inde in Poloniam redeuntem sequerentur, dum noua à Principe suo mandata acciperent: quod sibi quoque interim, quis Ordinum de futuro bello animus futurus esset, cognoscendi spacium dari non moleste ferebat. Captis Vielicoluco & Neuela, proxima hostium arx Iezerisciа, quindecim à Neuela millibus passuum, Palatino Vilnensi, antequam Rex Neuela castra moueret, duodecima Octobris à Rege eo misso sponte se dedidit, cum Præfectus illius cum præsidiariis in Moscouiam redeundi facultatem impetrasset, retinere enim eam hostes alioquin non potuissent, quod iam ante arcibus regiis circumclusa esset. Interim Zauolociam cum exercitu Zamoiscius à Rege missus peruenit, quam longe munitiorem propter opinionem suam & multorum esse Regum certiorem facit (erat enim arx illa in insula vasti lacus, & propter aquas vndiquaque inaccessa) se tamen boni ducis officio non defuturum, non refrixisse pristinum militum vigorem, qui alacritate certatim inter se contenderent, non exhorrere temporum asperitatem, imo potius ad rem gerendam excitari, se ab incepto non destiturum, nisi diuino auxilio adiutus re bene & feliciter gesta: ratibus iunctis eum locum, qui angustior patebat, sub munitionibus sternere voluisse, sed fabrorum lignariorum incuria pōtem breuiorem, quam requirebatur, confectum, eaque factum, vt retentata istius dici conatus irritus efficeretur, cumque pontem retractum citeriori ripæ Poloni reuinxissent, oborto vento aduerso, in qua scissum, & versus hostium munitiones in occasum delatum, peditum Polonorum duobus in ipso remanentibus, quos cum ex hostibus aliquot scaphis erumpentes deiicere, ac pontem intercipere conati essent, eos à Polonis contis & scaphis deturbatos, inque aquam demersos fuisse, sic Polonos, qui petebantur, iisdem scaphis arreptis euasisse. Porro cum pons vi venti longius præter arcem in aduersam ripam ferretur, neque hostis excursionibus finem persequendi pontis faceret, Zamoiscius assumto equitatu, circumacto confestim lacu in vlteriorem ripæ partem, quo agebatur pons, peruenit, hostibusque sclopetorum vi à ponte remotis eum recepit. Ea die Christophorus Rozdraseuius Præfectus Lenczicienſis in munitiones exteriores progressus globo supra oculum dextrum accepto concidit. Ponte industria Præfectorum & opificum refecto, postridie oppugnatio maiore vi tentata, irrito tamen conatu, quod pedites cum pontem transiissent, loco in aduersa ripa, vbi consisterent, incendiumque miscerent, capto, licentius hoste contempto, sub pariete iniquioribus locis vagarentur, & hostibus telis & excursionibus reiecti sunt, desideratis centum vel amplius peditibus Vngaris. Castra ad meridiem trans ipsum flumen Zamoiscius habebat, oppugnandæ

vult titulū Liuoniæ cū Rege communicare.

Iezerisciа se dedidit.

Zamoiscius Zauolociā oppugnat.

Præfectus Lenczicienſis globo tra iectus.

pugnandæ autem arci munitiones ad Orientem erant erectæ, qua in Occidentem vergit, & quo loco lacus est breuior, in citeriore ripa oppidum fuerat arci potestate coniunctum, quod biduo ante Polonorum accessum hostis incendio deleuerat. His difficultatibus Rex in ancipites deliberationes coniiciebatur, absistendumne oppugatione, an in ea diutius perseuerandum esset: verum vicit Zamoiscii constantia & pollicitatio, effecitque, vt maiores copias Polonicas & Vngaricas Neuela mitteret. Quibus ille acceptis, acaltero etiam ponte effecto, pluribusque scaphis contractis, adducta etiam Nobilitate, vt armati pedites ad arcem inuaderent, præsidium in eum metum coniecit, vt cum iam miles regius sub signis consisteret, lacumque ad arcem transiturus esset, hostes repugnantibus ipsorum Palatinis deditionem facerent: pacti incolumitatem, & in Moscouiam reditum. Palatinos quatuor Zamoiscius in custodia retinuit, reliqui in Moscouiam dimissi. Præsidium erat quadringentorum, reliqua promiscua multitudo ad mille hominum. Hoc nuncium de capta Zauolocia Disnam ad Regem allatum est.

Rex expugnationem desperans à Cancellario cōfirmatur.

Obsessi faciunt deditionem.

Sub idem vero tempus ab aere etiam contagium quoddam, quod primum ex Orientis partibus profectum, in Italiam primum ac Galliam, aliasque regiones perlatum fuerat, vniuersam quasi Europam peruagatum, Cracouiam quoque ac Vilnam, atque inde ad exercitum peruenerat. Natura morbi fuit talis: Primo inferiorem dorsi spinam horrore plerunque occupabat: inde in capitis grauedinem & languorem, quos corripuerat, resoluebat, pectori in primis graue. Quibus tamen intra quartum vel quintum diem non decessisset, eos in febrim degenerans interimebat, lethale fere iis, qui purgantibus medicamentis, aut venæ sectione vtebantur, quod vtraq; respirationem grauiorem efficiebant: illa quod humorem omnem à capite pectus magna vi trahebant: hæc, præterquam quod corpus refrigeraret, deliberaret etiam vires, quibus ad respirationem opus esset. Nomen vt nouo morbo certum nullum inuentum. Rex igitur ex Moscouia initio Nouembris, etiam hoc nouo morbo tentatus, Vilnam reuersus est, quo & Zamoiscius lue præsertim exercitum affligente, vt pacatis tamen circumcirca locis omnibus tuto per Polociam paucos post dies subsecutus est. Moscus interea, quo animi tristitiam aduersis rebus collectam discuteret, repudiata vxore priore, iam sextùm tum maritus delectu puellarum publico indicto nouam duxit, & filio etiam Ioanni sponsalia celebrauit: idemque ex proceribus & consiliariis suis quosdam facere coegit. Rex Vilnę paucis diebus commoratus, supplicationes ob rem feliciter gestam fieri iussit, & legatos Turcicos, & Tartaricos audiuit, comitiorumque diem ad vicesimum secundum Ianuarii diem Varsauiam promulgauit, quo publicarum deliberationum causa Moſci legati quoque deducti sunt. Et quia tributum, si quod in comitiis scisceretur, ferius exactum iri intelligeret, ne quod getendæ rei tempus dimittere cogeretur, priuatas interim rationes mutuæ sumendæ pecuniæ iam tum inibat. Præter Marchionem Georgium Fridericum in Prussia Ducem, Augustum Saxoniæ, & Ioannem Georgium Brandeburgensem Principes Electores de mutuo in bellum hoc præstando appellat. Quo facto duas simul res consecuturum se videbat, vt & suam erga illos omnibus in rebus fiduciam ostenderet: & eorum in re aliena studio Ordines inuitatos ad perficiendi pro suis commodis belli voluntatem eo magis

Rex nouo morbo tentatus.

Moscus vxore priore repudiata ducit aliam. Comitia Varsauiæ.

Electores mutuo dāt Regi pecuniam.

magis accederet. Credita ab illis pecunia ad certum diem, exactiſque iam comitiis allata, ac vlterius deinde die prolato, ad tempus ſoluta fuit. Koſaci interea cum Ioanne Oriſouio ab altera parte in Moſcouiam Starodubum vſque populationibus progreſſi, omni agro longe lateque vaſtato, oppidum ac extimas munitiones arcis quaſdam incenderunt, indeque ad Pociopouam excurſione facta ab arce repulſi, præda tamen magna acta ſe receperunt.

Rigenſium nuncii ad Regem.

Proficiſcentem Grodna Regem Rigenſium nuncii ſecuti fuerunt. Ciuitas ea à Sigiſmundo Auguſto in fidem & clientelam iis conditionib. recepta fuerat, quæ ius ac maieſtatem imperii in eam regii fere eneruare, magiſq; etiã ad ipſius Ciuitatis ſplẽdorem, quã vtilitatem, com paratæ videbantur. Cum Rex iis legatis ſociam eam, quam ſubiectam habere mallet, iam ante ſuperioribus etiam expeditionib. miſſis legatis, de certis ſubiectionis cõditionib. cum Rege egerat: req; Drohicini tandẽ in hoc itinere tranſacta miſſus à Rege Ioannes Demetrius Solicouius ſecretarius, qui ciuitatem in fidem acceptam iureiurando in verba Regis obſtringeret. Cum primis de portorio cõſtituendo actum. Nam cum omnis negotiatio Rigẽſis Dunæ fl. nauigatione fere contineatur, eaq; iam magna ex parte ſuperiorib. victoriis Regis expedita eſſet: præterque Kokenhauſum, Aſcherotum, Leuouartum, quę eo tempore in hoſtium poteſtate adhuc erant, quod morari eã poſſet, nihil reliquũ eſſet: ſummæ æquitatis Rex iudicabat, vt quæ res tanto publico cum molimine atque impendio perfecta ad ciuitatis priuatorumque omnium fortunas maximam acceſſionem factura eſſet, eadem Reipublicæ commodum aliquod adferret: nec alia conditione commercia eo transferri volebat. Homines prudentes cum ſine vectigalibus & tributis non poſſe ſubſiſtere Rempublicam intelligerent: rectiſſime autem in iis prouinciis ea conſtitui, quæ armis recuperentur, conuenerunt tandem, vt portorium maritimum omnium mercium conſtitueretur, eiuſque prouentuum duæ partes Regi ſine vlla conditione, tertia ciuitati in portus ac ſtationum refectionem cederet. De bonis, quæ Archiepiſcopalis quondam iuris fuiſſent, in ambiguo relinquebatur. De vallo contra arcem à ciuitate obiecto, & aliis quibuſdam in Regis ductum in illa loca reiectum fuit. Dum in Moſcouia cum exercitu Rex erat, Ioannes Rex Sueciæ ad Naruam claſſem miſerat, verum integris tum adhuc ab ea parte rebus Moſcouiticis, piſcatoriis aliquot ædificiis in littore exuſtis, re infecta curſum relegere coacta ea fuit.

Rege ab expeditione Vielicolucana Varſauiam ad comitia redeunte, tota ciuitas extra portas effuſa eſt, maiuſque gaudium obortum, quam ante. Vbi deſcendiſſet in templum, exceptus fuit ſolenniter cleri nomine ab Andrea Patritio gratulatoria, qua teſtatus eſt incredibile vniuerſorum gaudium, adeo, vt etiam ad aduentum eius campanæ in locis ſublimioribus appenſæ, imitatæ vocem humanam ſono nomen eius modulantes exprimerent. Sequentibus diebus ſimiliter à prouincialibus nunciis Rex ampliſſima ſalutatur oratione, qua pro re bene geſta totius Reipublicæ nomine gratiæ agebantur. Non diſplicebat quidem hæc gratitudo Regi, veruntamen hortabatur Rex Ordines, vt hunc rerum ſucceſſum omnibus modis vrgerent, ac non lætarentur modo victoria, ſed ea etiam vterentur. Deinde magnum incommodum in eo

An. Ch. 1581. Regi Varſauiã venienti ciuitas procedit obuiam.

eſſe

eſſe docet, quod quotannis ad comitia tributi cauſa obeunda in Poloniam reuocetur, militem continuis itineribus confici: hoſtique reſpirandi, ſuique recolligendi ſpacium interim dari: quodque tributa tardius exigantur, multas rerum gerendarum occaſiones mora hac impediri neceſſe eſſe. Quibus incommodis vt obuiam eatur, biennii tributum ſciſci flagitat. Ordines tributum non recuſare, à tempore, in quod flagitabatur, alieni videbantur. Priuſquam autem ad vllam aliam rem accederent, capita rerum quarundam, de quibus leges ferri vellent, ſcripto comprehenſa Regi offerebant: vtque ſancirentur, petebant. Ita reſponſum, vt, quæ concedi poſſe exiſtimabantur, concederentur: quædam interpretatione mitigarentur: pleraque in aliud tempus transferentur. Reſponſo eo accepto, dierum aliquot ſpacio interiecto, idem quod ante iam ſcriptum tradiderant, nullis contra regiam declarationem rationibus aliis allatis, denuo tradunt. Rex ex Senatu aliquot, parique ratione ex nunciorum collegio aliis delectis, vt iis de rebus vtrinque moderatione adhibita diſpiciant, negotium dat: quæ ab his communicatis ſententiis propoſita fuerunt, ſcripto comprehenſa denuo nunciis traduntur: ii diebus aliquot interiectis, idem quod antea fuerant, prius ſcriptum ſuum rurſus Regi oblatum vrgent. Appetebat interim finis comitiorum legibus definitorum. Itaq; certis conditionibus res tandem conuenit: conſtitutoneſq; iis de rebus promulgatæ fuerunt. Tributum inde primo ſimplex, poſtea etiam duplex ea conditione ſcitum, vt, ſi pax interim coiiſſet, tributa quoq; ceſſarent: deinde iiſdem argumentis à Rege illa refutata, vt collatis rationibus, quicquid ſtipendiis omnibus, ac ære alieno ob bellum conflato, tum ſi quid deinceps in apparatus belli erogatum fuiſſet, exſolutis, reliquum ex tributo eo futurum eſſet, in Rauenſe ærarium inferretur. Venerant huc etiã legati Moſcouitici per vniuerſam Poloniam tanquam in triumpho ducti. Hi nouis mandatis à Principe ſuo acceptis, denuo hic ad colloquia admiſſi, primum Neuelenſes conditiones vrgebant, quibus rei tranſigendæ à Lituanis Senatoribus certam ſpem factam ſibi dicebant. His cum aliis rationibus refutatis, tum quod maioribus poſtea ſumptibus à Rege factis, Zauolociaque capta non integra amplius res eſſet; tandem more ſuo diu prius licitati eo deſcenderunt, vt & alia, quæ ante obtulerant, caſtella Liuoniæ, vrbibus ac caſtris potioribus: Felino, Derpato, Marienburgo, Parnauia, ac Narua, Principi ſuo receptis reliquis omnibus Regi cederent. Rex, niſi omni Liuonia hoſtis decederet, alia conditione pacem ſibi faciendam cum eo non arbitrabatur. Hæc ſententia Ordinibus propoſita, publice quoque omnibus placuit. Adhibiti colloquiorum Moſcis huic ex Nobilitatis nunciis aliquot fuerunt, quo tergiuerſatione Moſci perſpecta tota de re ipſis fuſius collegas ſuos edocerent. Vtriſque in ſententia perſeuerantibus, infecta re à colloquio receſſum fuit. Rex ita à comitiis diſceſſit, vt biennii tributo ab Ordinibus ſancito, non prius pacem ſe facturum cum hoſte polliceretur, quam is vniuerſa Liuonia ceſſiſſet. Sub comitiorum finem nuncii Nobilitatis per Stanislaum Przilemſcium, quẽ à bello reuerſum Nobilitas maioris Poloniæ nuncium crearat, & tum nunciorum illud Nobilitatis collegium initio comitiorum Mareſchalcum è more ediderat, Rege adito, vt remotis, quibus in Senatum ingrediendi ius non eſſet, dicendi poteſtas ſibi fieret, petebant. Re impetrata, rogant,

Ordines leges quaſdã cupiunt fanciri.

Tributum duplex ſcitum vſque ad pacem.

Legati Moſcouitici ad Regem.

operam

Rex vogatur vt bellū finiat.

operam dare Rex velit, vt ea expeditione bellum finiat: ita Nobilitatem, maxime familias eius rusticas, quarum salutem sine suarum quisque fortunarum detrimento negligere non possit, tributis exhaustas, vt maioribus ferendis pares vix sint futuræ. Respondit Rex per Cancellarium; bellum pacis ac publicæ vtilitatis causa à se susceptum minime ex instituto à se aliò hostem eo redactum, vt si bellum continuetur, non adeo magno confici possit: se tamen consentientibus Ordinum studiis libenter concessurum quam primum que ad tradendam sibi Liuoniam hostem adduxerit, impetuque eius represso, Reipublicæ ocio ac securitati consuluerit, paci, quæ cū publica dignitate atq; vtilitate cōiuncta sit, nullā moram facturum. Tandē Nobilitatis nuncii more maiorum Regi valedicentes, duo petunt ab eo, rationem in posterum eligendorum Regum stabilem, & compositionem inter status. Responsum ipsis: cohorrescere Regem, quoties ei in mentem veniret tumultus electionum præteritarum, & expauescere ad ea, quæ dissidia inter statum ecclesiasticum & politicum trahere secum possent. Sed in vtraque re magnas se difficultates perspicere, curaturum tamen, quantum in se, vt in his Reipublicæ laboranti subueniatur, hortaturque eos, quemadmodum & ante, vt per absentiam paci & tranquilitati publicæ pro se quisque studeat, ac animo ad quæuis pericula expedienda parato sint, fausta deinque omnia ac felicia precatur tam domi mansuris, quam in bellum ituris, vt mox læta vtrinque gratulatione in mutuos complexus ruant. Ad quam vocem plausu à circumfusis excitato, Cancellarius eum ipsum plausum lætum omen futuri successus, ac non diuturni belli Regem accipere intulit. Sub idem comitiorum tempus Sueciæ Rex, quibus partibus hac expeditione bellum orsurus Rex esset, per literas à Rege quærebat. Rex pro eo, quod ante ad bellum hoc maxime Rex Sueciæ se hortatus fuisset, ac pro mutua necessitudine & affinitate celandum eum consilia sua non ratus, Pleskouiam se eo anno ire in animo habere ei ostendit: petentique legato eius, vt militem, quem in Germania intercipiendæ legationis Moscouiticæ ad Principes Christianos missæ causa scripturus Sueciæ Rex esset, voluntate Regis per ditiones ac portus eius ducere sibi liceret, literas, quarum autoritate id facere posset, dedit. In iisdem comitiis promulgata fuit ab ecclesiasticis correctio Calendarii, Roma transmissa à Gregorio decimotertio Pontifice. Veteri instituto ac decreto sacrorum Conciliorum ab Alexandrinis, quod ibi antiquitus studia Mathematica florebant, anni supputationem Romani & alii petebant. Ex horum ergo sententia anno constituto æquinoctium vernum vndecimo die Martii iam habebatur, eo quod nulla præmonitio facta esset de quinta circiter parte horæ, quæ cum singulis annis ad explendas sex horas illas desideretur, propter quas quarto quoque anno dies vnus intercalatur, intra centum & viginti plus minus annorum spacium, vnum diem conficit. Vndique res eo deducta, vt iam decem diebus à Concilii Niceni tempore confectis, issque in anno redundantibus, Pascha & consequenter festa alia omnia, quæ mobilia vocantur, quæque Christianis solennia sunt, sæpissime spacio aliquot septimanarum tardius haberentur, quam ipsius Niceni Concilii, in quo de tempore Paschatis Christianorum constitutum, mens fuerat. Gregorius igitur Pontifex Romanus hunc errorem sublatum volens, æquinoctium vernum, à quo Mathematici annum incipiunt, ad vigesimum primum mensis

Suecia Regis ad Pol. Regem literæ.

Promulgatio Calendarii Gregoriani.

mensis Martii diem reiecis, decem diebus ex anno expunctis, ita, vt præterea solstitium hybernum semper cum festo Natalis Domini concurrat, quemadmodum ab initio non sine causa excogitatum, ac statutum fuerat.

Solutis comitiis Varsauiensibus Rex militem, quanto in supplementum ad bellum opus erat, Zamoiscium quam celerrime legere, matureque in Liuaniam adducere iubet. Ipse Grodnam recta, inde Vilnam proficiscitur. Interim ad Christophorum fratrem Transyluaniæ Principem de nouo equitum ac peditum Vngarorum delectu scribit. Germani militis conquirendi Farensbekio per literas negotium datur: qui militi in inferioris Germaniæ bellis exercitati copiam se habere posse antea ostenderat. Zamoiscius, quo lectiorem peditatum haberet, Vrouiecium ala equitum, cui præerat, missa peditem ex sola Nobilitate scribere iubet. Subleuabantur apparatus hi interim, dum tributariæ pecuniæ conferrentur, partim ea pecunia, quam à Principibus Germaniæ acceperat, quamque præter eam Marchio Georgius Fridericus subsidii loco miserat, partim propria Regis ipsius, maxime tamen equitum studio, quorum magnum numerum Zamoiscius euocarat: eaque ad bellum hoc alacritas erat, vt plerique nulla in auctoramentum accepta pecunia ad diem nihilominus conuenirent: complures in ipsis castris: demum stipendiorum partem acciperent. Grodnam iam Rege progresso, nuncius cum literis à Mosco ad eum venit: mox alios cum amplioribus mandatis, quibus conuenire pacem posse existimet, afferre: interim ne vllū exercitū Rex cogat, neue vlterius progrediatur, posse cum & impēsę & labori parcere. Veniunt legati, colloquium petentib. datur. Rediu, more eorū, ducta atq; vtrinq; disputata, eo tandē descenderant, vt Narua, Derpato, Neuschlossio, Adselio, Neuhausio exceptis, reliquam Liuoniam vniuersam vna cum iis locis, quæ antea receperant, Veissensteino, Felino, Pernauia, ac aliis omnibus Regi permitterent. Ostenderat Rex nullam se prius pacis mentionem fieri passurum, quam tota Liuonia Moscus cessisset. Vrgebant legati, vt cum sui Principis nomine ostenderetur, quid præstiturus esset, sibi quoque, quid de ablatis Principi suo restituendis animi Rex haberet, demonstraretur. Repetebant autem vno Polociensi agro excepto, qui pristinæ ditionis regiæ fuerat, reliqua, quæ superioribus annis bello capta erant, omnia. Demonstratum fuit, ita Regem Principi eorum illa restituturum, si præter Velisium, quod nulla conditione dimissurus Rex esset, castrum quoque Sebesium, quod penitus intra ditiones regias situm, vt certior ac stabilior pax sanciretur, vel tradidisset Regi, vel diruisset, quod quo minus recusaret, Regem vicissim Dryssam demoliturum, partis sumptus deinde in bellum facti nomine quadringinta aureorum millia Regi refudisset. Impetrarunt legati, vt ad Principem suum referre ea sibi liceret: ac vt Regis nomine eadem ad illum scriberentur. Sub idem tempus Bogdanus Bielscius, cuius frater patruelis in amoribus Mosco erat, summamque apud eum rerum omnium fidem obtinebat, ad Regem transiit. Miserat Moscus legatos ad Rodolphum Romanum Imperatorem, ab eo vlterius deinde ad Pontificem Romam peruenerunt. Legatione ad Pontificem operam suam contra Turcam Christianæ Reipubl. policitus, & de Regis in se iniuriis questus perhibeatur, & vel secreto, vt ad pacem eum hortaretur, petiisse: aut tamen querimoniis, vt suas partes Pontifex interponeret, non nolle se

Rex iubet Zamoiscii militem scribere.

Grodnæ nūcius cum literis à Mosco ad Regē venit.

Moscus legatos mittit ad Rudolphū Rō. Imp. & ad Pontificem.

satis ostendisse. Adiunxerat itaque Pontifex iis Antonium Possevinum qui cum illis vna in Moscouiam iret. Hic Moscus per regias ditiones intercluso itinere alio se recipientibus per Germaniam, de legatione sua per literas Regem certionem fecit, ac si voluntate eius id sibi liceret, per Poloniam & Lituaniam iturũ se ostendit. Rex non modo illi permisit, sed ipsius quoq; Moscilegatis idem se permittere respondit. Hi tamen, ne quid præter præscriptum Principis sui facerent, Lubecam se contulerunt: indeq; eodẽ quo venerant itinere in Moscouiã reuersi fuerũt. Iisdẽ temporib. nũcius mortis Christophori Transyluaniæ Principis Regis fratris allatus, cũ Regi ipsi non leuem dolorem attulit: tum Moscum, qui auocato Rege reb. Trãsyluanicis sui interim colligendi spacium sibi datum iri cogitaret, vt pacem atq; easipsas conditiones, paulo ante ab eo propositas, iterum reuocaret, maxime animauit. Verum Transyluanicis rebus, ne à belli cura auocaretur, iam ante à Rege prouisum erat. Maximam in pacis spem omnium iam prope animi venerant. Nam nec propter quadringentorum illorum millium cõditionem, si Moscus eam non accepisset, communibus Ordinum bellum finiri volentium studiis defuturus Rex fuerat: nec Moscus, qui totam quasi Liuoniam pacis cupiditate dimiserat, illorum, quæ exceperat, castrorum causa bellum accepturus existimabatur. Itaque inducias etiam ad certam diem, intra quam denuo Moscus responderet, Rex ei concesserat.

Regis frater moritur.

Moscus Plescouiam firmat.

Per idem vero tempus, & quod Vilnæ Rex substitit, Moscus Plescouiã, quam hoc bello petitũ iri sibi persuaserat, omnib. ad sustinendam obsessionẽ necessariis firmat: muros vetustate neglectos magnis operib. refecit: nouas ad priores munitiones adiicit, præsidia ex aliis arcib. omnib. detrahit, vnum hunc in locum cogit. Ab altera parte Pontus Gardianus Gallus, quem Rex Sueciæ collocata ei in matrimoniũ filia naturali militiæ præfectũ fecerat, extrema quædam Liuoniæ castella ad Osiliam & maritimam Liuoniam spectãtia occupat. Quæ res postea magnæ simultatis inter vtrumq; Regem seminarium fuit. Et miserat quidem Rex iis de rebus ad Suecum Ioannem Herburtum Castellanum Sanocensem, propositæq; eæ vltro citroq; conditiones, vt Reualiam quoq; Regi traderet; vtq;, quæ cis fl. Naruam essent, Poloniæ Regi cederent: quæ vltra Naruam Sueciæ finitima versus Oceanum glacialem communib. copiis occuparentur, ad Sueciæ Regem pertinerent: cumq; bellum interim differendũ sibi Rex non iudicaret: quo tempore Polociam ibat, denuo Laurẽtium Goslicium Vilna ad Sueciæ Regem miserat; per quẽ in armis iam se esse ostenderat, & vt ipse à suis quoq; finibus in Moscouiam cum exercitu irruptionem faceret, eum hortatus, auxiliorum & belli communicandi rationes quasdam proposuerat: ac ostendente tum Rege Sueciæ, nolle se sibi præscribi, quas in partes copias suas mitteret, omniaq; occupantis fore: Goslicius, quemadmodum iussus fuerat, Liuoniam tamen vt abstineret, postularat: cuius causa & maxime bellum Rex suscepisset, & quã optimo iure pertinere ad se sciret: Regemq; ius in Liuonia Reipublicæ & firum negligere non posse prædixerat. Nũc cum id accederet, vt Liuoniam fere omnem per legatos Moscus ei detulisset, quo in statu res essent, cum Sueciæ Regem, tum militiæ Præfectum eius iterum per literas certiorem Rex fecit; vtque Liuoniam non hostis, sed suam opinione iam præcipientes, omnino ab ea sibi temperarent, ac aliis porius in locis, si ita eis videretur, bellum cum hoste gererent, postulauit, Vilna tormentis, ac in-

Rex Sueciæ castella quædam in Liuonia occupat.

ac instrumento militari omni Postauiam præmisso, Rex Disnam profectus est, vbi de exercitu hostili ad Smolensçum coacto, eiusque in Mohilouiensem & Sclouensem agrum incursione cognouit. Erant in hybernis eorum locorum aliquot equitum turmæ, ex quibus cum Christophori Radiuili & Martini Kasanouii diuersis locis in palantes incidissent, secundisque aliquot præliis cum copiis iis conflixissent, non diu commoratæ mox intra suos se fines receperunt. Rex tamen nuncio hoc de incursione hostis allato, continuo Christophorum Radiuilum, qui tum Disnæ vna erat, ad eas, quas antea habebat, turmas equitum alias Polonorum nonnullas, quæ iis in locis ad Borysthenem in hybernis erant, peditatuq; ac leuium tormentorum, quæ nauibus Vitepsciam præmitteret, certum numerum attribuit. Ei mandat, vt recta contra hostem tendat, dataq; facultate prælium committat. Si hostis iam recesserit, capto per Velisium medio inter Bialam & Toropeciã itinere ab ea quoq; parte metum hosti ostendat. Eodem tempore Ioannem Thomam Droiouium Præfectum Præmislienſem ad Turcarum Imperatorem misit. Causæ legationis hæ erant, vt quia fato Christianitatis sicut reliqua Vngaria, ita Transyluania quoque stipendiaria Turcæ facta esset, vereretur que Rex, ne mortuo fratre Christophoro noui Principis imperium grauioribus conditionibus Turca premeret; postularet, vt quibus priores Principes legibus Principatum eum tenuissent, iisdem huic quoque cum permitteret, nec, si quid contra ea fieret, Regem patriæ suisque deesse posse ostenderet. Deinde vero vt de Ianculæ Valachiæ Palatini iniuriis, quas frequentes is regiarum ditionum hominibus afferebat, quereretur: vtque illo amoto Petrus prior Palatinus in pristinum dignitatis locum restitueretur, peteret: Regemque nec Ianculæ vicinitatem æquo ferre animo, nec suorum iniurias, vti nec deberet, neglecturum profiteretur. Prius legationis caput mox obtentum, alterum in aliud tempus dilatum.

Rex venit Disnam.

Rex legatũ ad Imp. Turcarũ mittit.

Rex itaque instrumento belli grauiore primo per Disnam in Dunam, inde vlterius per Dryssam flumen, nauigatione iam ante explorata, nauibus prẽmisso, Disneq; parte aliqua exercitus inita Polociam venit. Ibi dum aliis copiis recensendis operam dat, literæ à Mosco per Christophorum Dzierzekum (qui perentibus legatis Moscouiticis ad Moscum à Rege missus fuerat) ad Regem acerbissimæ adferuntur, in quibus omnia reuocat, & irrita rursum facit Moscus, quæ antea in conditionibus obtulit: maxime quod conditionibus Neuelensibus stare Rex nolu sset: quod vt Sebesium demoliretur bellicique sumptus nomine pecuniam abse poposcisset, exagitabat: quod non in eodem statu rem esse, quo Neuelæ fuerat, ac interim in oppugnanda Zauolocia maiores sumptus se fecisse Rex diceret: cuius coactu aut rogatu Zauolociam cepisset, rogabat: potuisse eum supersedere labore hoc, non sua volũtate factũ, vt eam occuparet: pecuniam vero quod flagitaret, scire eum, nolle se tributarium eius esse, impensas autem belli imputare, aut earum nomine pecuniam postulare, inauditum inter Principes. Sebesium se puero conditum, eiusque perpetuo postea, etiam cum Polociã in potestate Reges Poloniæ haberẽt, in possessione se fuisse: præterea vt maxime ille Sebesium, Rex Dryssam deleret: tamen cum visum esset, Dryssam iterũ Regem instauraturũ: deniq; semper aliquid reperturum, quod de nouo à se postularet. Nobilitatis nuncios ad colloquiũ cum legatis adhibitos criminabatur, idq; in inuidiam suam factum ferebat. Indignabatur & orato-

tes nullos à Rege ad se mitti: itaq; se quoq; nec post quinquagesimum aut quadragesimum annum oratores vllos missurum confirmabat. Multa de Liuonico iure suo aspergebat. In Regem autem ipsum acerbe inuehebatur: modo quod non regio genere natus esset: modo crudelitatem in victos, adipis detracti argumento vsus: modo in eosdem indulgentiam, qua ad transitionem eos inuitaret: tum quod globis candentibus inusitato modo Socolam incendisset, fraudem ac dolos ei exprobrando. Rex hisce Zauolociæ acceptis, ostendit legatis, etsi iure gentium hostium loco habere eos posset, qui paucis petitione simulata speculandi circumuenien-dique sui causa ad se venissent: nolle se tamen ob eorum perfidiam à perpetua mansuetudine ac lenitate sua recedere. Itaque ipsi ad suum Principem reuertantur: literis eius se per suorum aliquem responsurum.

Plescouiam an Nouogardiam eũdum deliberatur.

Hic adhuc subsistens ad consilium militare retulit, Vtrum Plescouiam, an vero Nouogardiam magnam, an Derpatum hac expeditione eundum. Vicit plurium consensus, Plescouiam vt iretur, inde enim Moscouiam omnem infestam redditum, & exitus hostium, quibus Liuoniam primum, deinde etiam Lituaniam inuadere solebant, inclusum iri. Inde etiam Nouogardiam magnam triginta sex tantum milliaribus distare, ita vt sit facilimum capta Plescouia Nouogardiam, cum opus fuerit, occupare. Priusquam Zauolocia Rex moueret, tabellarium cum literis ad Moscum mittit, quibus ei ad priores respondet: se non id facere,

Litera Regis ad Moscum.

quod eius criminationes responsione dignas esse putaret, verum ne è silentio suo maiores spiritus sumeret. Conditionibus Neuelensibus cur stare non potuerit, demonstrat. Zauolociam oppugnare eius iniuriis coactum: sumptus in bellum factos more & exemplo aliorum Principum Christianorum se repetiisse, cum æquum sit, vt à quo iniuria profecta fuerit, ab eodem omnis iniuriæ causa præstetur. Quod Sebesium se puero conditum diceret, qua maxime ratione ius ostendere suum confideret, falsum esse. Nam cum Sebesium ad Dunam fl. extructum sit, patere inde, in alieno illegitime esse ædificatum. Prioribus conditionibus si assensisset, nullas nouas se fuisse adiecturum. Nobilitatis nuncios ad colloquium cum legatis eius ex ipsius commodo fuisse adhibitos. Quod oratores ad eum non mitteret, facere id iure & arbitrio suo, quod ad id faciendum non sit obstrictus. Quod facturũ se negaret, vt nec ipse post quadragesimum annum vllos ad se oratores mitteret, facile mi ei credi: magnam hanc bono etiam viro, nedum tyranno, viuendi vsuram esse: missurum igitur post quinquagesimum aut quadragesimum annum, at missurum fortassis citius. Docet & de Liuonico iure. Ad conuitia etiam eius respondet, contumeliam nullam se à Mosco aut quouis alio posse accipere, cuius turpitudo & crudelitas omnibus nota. Quod Rex natus non sit, sed virtute sua ad regnum euectus, id sibi commune cum Pontifice Romano, qui à Cardinalibus, cum Imperatore Romano, qui ab Electoribus Germaniæ: cum multis aliis Regibus ac Principibus, qui omnibus temporibus à suis quisque regni Ordinibus sint electi. Interim honorificum sibi ducere, maioribus natum esse, qui rebus Christianis egregiam sæpe operam nauarint, amplissimos honores gesserint, prouincias administrarint, magnaque virtutis ac pietatis laude floruerint: cum eius sit ratio, vt nisi ita natus fuisset, nunquam Princeps electus fuisset, minimeque illi inuidere, quod non plurimorum de eo iudicium, aut spectata

virtus eius potius, quam Glinscii quondam Sigismundi Regis proditoris filiæ vterus Moscouiæ dominum imposuisset. Crudelitatem in detrahendo è nonnullorum cadaueribus adipe primum non à se profectam, deinde nil in eo contra pietatis officium hominumq; Christianorum morem, qui vt viuis tanto rectius consulerent ex medicorum disciplina, vel in minutissimas partes mortuos dissecarent, admissum: ridiculam autem misericordiam esse ipsius, qui cum in viuos omnia cruciatus exempla edat, mortuorum cura se affici præ se ferat. Eiusmodi generis esse: quod clementiam & lenitatem erga victos suam criminaretur. Non satis enim sibi constare, qui modo crudelem, modo nimis lenem quereretur, indignaretur-que, quod nõ omnes, quos in præsidiis expugnatis Rex cepisset, excruciatos interfecisset. Quod Socolam inusitato modo flammis à se deletam vitio sibi verteret, in eo non tam fraudem aliquam illum arguere Regis, quam detegere insciciam suam, quæ vt omnibus in tebus maxima esset, ita militaris rei multa præclara inuenta adhuc eum fugere. Sub finem epistolæ ad singulare certamen eum prouocat, eamque Russice & Latine scriptam ei transmittit: neue nimis sibi placeret, quæque aliorum de se iudicia essent, cognosceret, libros de immanitate eius per Germaniam passim editos vna ei mittit.

Rex sancit militarem disciplinã.

Zauolocia Voroneciam Rex progressus, militarem disciplinam prioribus legibus partim emendatis, partim auctis accuratius eo loco sanxit, ducemque exercitus perpetuum Ioannem Zamoiscium regni Cancellarium, cuius vtilem operam superioribus expeditionibus, multis maximisque rebus spectatam, habebat, creat. Constitutis iis exercitum vniuersum censere: Rex instituit. Præ cæteris superbissimæ in lustratione hac Polonorum equitum turmæ comparebant, cum longe plures ex amplissimis quibusque familiis, quam vlla alia priorum expeditionum ad bellum hoc conuenissent. Inter alios Zamoiscius ad priores copias suas, quas præterita æstate à conductas, hyeme in Samogitia contra hostiles in Liuoniam irruptiones mandato Regis disposuerat, aliquot lectissimorum equitum millia adiecerat, omnes hi adducis exemplum, vt exacto anno atro habitu vsi fuerant, ita tum cœruleum sumpserant. Par his suo genere peditatus erat, Vrouiecianus præsertim, ex sola Nobilitate scriptus. Nec multum de proximi anni studiis & apparatu Lituani quoque remiserant. Itineris ratione à Rege cum Zamoiscio constituta, à dextra Lituani iuerunt, iis aulicus miles, qui ad Gedanum fuerat, perque absentiam Ioannis Zborouii à Christophoro Niszcicio regebatur, attributus erat: pars copiarum aliarum cum Stanislao Tarnouio Castellano Radomiensi, quæ locum castris deligerent, Ostrouiam versus, quæ Plescouia non procul abest, præmissa erat, subsequente statim Zamoiscio, castraque ab inferiori parte ad Vielikam fl. metante. Sita Ostrouia est in insula Vielikæ fluminis, quodque nullos à terra aditus habeat, inde nomen id, quod insulam Slauica lingua significat, accepit. Muros ex lapide firmissimos, propugnacula item complura habet, armis, tormentis, hominum multitudine firmoque præsidio instructissima. Hanc omnino debellandam Rex existimabat, vt ita Plescouiam terreret, priusquam ea vel oppugnata, vel toris castris circumsessa esset. Ita miles regius cum triplici agmine murum subire, dissonisque clamoribus, tubarum can-

Ostrouia capitur.

tibus, tormentorum crebris ictibus strepitus horrendo edere cœpisset, qui

præsidium agebant, metu territi ex arce trepide aufugere, omnemq; illius tuendę curam & cogitationem confestim amisere. Rex tamen à direptione militem suum prohibuit, veniamq; his, qui capti erant dedit, præfatus bellum se cum Principe ipsorum, non cum infortunatis ciuibus gerere, cuius interitu omnis ira bellumq; finiri possit: nec minori sibi gloriæ fore, si ab se Moscouia seruata sit, quam si capta euerteretur. Parcere igitur se muro arcis, ac tectis, quoniam homines, quibus parceret, magna ex parte in fugam se coniecissent.

Rex Plescos uiam progreditur.

Capta Ostrouia Rex antecursoribus præmissis Plescouiam mox ipse subsecutus fuit. In primo agmine Balthasar Bathoreus nepos ex fratre Andrea Regis cum Vngaricis, Palatinus Braslauiensis cũ Polonicis aliquot copiis incedebant. Hi vbi ad Cerechã flumẽ, quod ab Oriẽte in Velikã influit, venerunt, ex Vngaris quidam flumen transgressi, in tres partes copias suas distribuerunt. Prima ex iis recta Plescouiam contendit: duę reliquæ diuersis locis in insidiis consederũt. Ex iis primi cum hostiũ excubiis congressi, mox pedem referre cœperunt: Hostes, quod erat, insidias veriti, recedentes tamẽ secuti, postquam secundi ex insidiis consurrexissent, nil amplius metuẽtes, quod numero vtrosq; superarent, effuseq; insecuti, ad tertios protracti fuerunt: à quib. reliqui in fugam coniecti: tres Boiarici siue illustris generis capti, ac in castra adducti fuerunt. Ex quibus quantum in vrbe virium esset, quid præsidii animiq; hostes haberent, cognitum. Pari euentu Sigismundus Rosnius, qui cum veteranorum Polonorum copiis, quæ Lituanis adiunctę fuerũt, missus fuerat, ac deinde Germani aliquot equites, excursione ad vrbem facta, captiuos aliquot adduxerunt. Zamoiscius ipse primum Cerecha flumine, inde Plescouia amne transito situs explorandi causa vrbẽ circũuectus fuit. Accidit hic, vt cũ Vrouiecio solo assumto aliisq; e tubsequi se iussis, quo accuratius positionẽ vrbis è propinquiori cognosceret. sub ipsos quasi muros cõtra portam quandam successisset, conspicati eum hostes, alã equitum contra eum emitterent; eaq; cum intra teli iactum ad eum accessisset, Zamoiscius q;, etsi periculũ videret, non tamen se commoueret, illa etiam insidias vereretur, iustum temporis spacium ex aduerso neutris se commouentib. constituerunt. Interim, qui tardarant, accurrentes impetu in hostes facto in vrbem eos reiecerunt. Rex vbi propius vrbem accessisset, specu*Rex Plescouiam circũit.* landi loci causa ipse quoq; cum Zamoiscio eam circumiit. Quam magnitudine ingentem, oppidanorum, & è vicino Nobilium atq; agrestium hominum multitudine frequentem, nec non paruo militum præsidio firmam, præterea muris, propugnaculis, turrib. laterit is sat munitam comperit, nec eam occasionem, quam rumore omnium persuasus animo conceperat, nactus est. Nam & ciues ad bellum egregie sustinendum parati erant, & primores ciuitatis sese deuouerant, quod aut mori, aut hostem repellere vellent, & inter præsidiarios quoque magnus erat deuotorum numerus. Accedebat huc, quod literis à Principe suo nuperrime acceptis ad fortitudinem magnopere erant incitati: vltima enim supplicia timidis minitatus fuerat, & alios spe præmiorum longe maximorum inflammauerat. Communi autem consilio Basilius Suiscius, qui vrbi præesset, delectus fuit, huicque summa rerum omnium commissa. Equitum in vrbe vltra spem millia: peditum cum iis, qui ex oppidanis militates operas inter milites obibant, ad quinquaginta millia fuisse constat: vrbanæ multitudinis totidem. His Rex cognitis

Plescouia ex pugn. difficulius.

cognitis facile intellexit, non sine ratione ab initio, iam plerisque eo potissimum eundum contendentibus, assensum se non fuisse, longeque minora quam præsens ipse cognosceret, de statu in vrbis eius ac munitionibus sibi renunciata fuisse: se nec à peditatu, quem, si summa vi vrbem oppugnare vellet, triplo maiorem adducendum sibi fuisse intelligebat: nec à puluere tormentario ad oppugnandam vrbem probe instructum accessisse videbat. Itaque varia animo agitanti præstare aliquando videbatur, si Plescouia relicta, vel magnam Nouogardiam recta contenderet, quam nonnulli minus munitam putabant: vel ad vicina castella Porchouam & Vdouam se conuerteret, iisque in potestatem redactis, obsidione ex iis vrbem premeret. Priori consilio cum rationes ante demonstratæ, & à Plescouia metus, tum ipsius Nouogardiæ fama, quam & ipsam non exiguas ad resistendum vires habituram constabat, itineris denique longinquitas, præcipitante iam æstate, ac tempestatum expectatio locum non relinquebant. Alteram obsidionis rationem, ac vicinorum castellorum oppugnationem, præterquam quod indignam susceptæ expeditionis fama futuram putaret, hosti etiam animos addituram iudicabat. Itaque cum animi magnitudine ac virtute militis, qua pleraque alia consecutus esset, eas quoque difficultates superare se posse non desperaret, de loco castris capiendo dispicere cœpit. Constituerat ab initio à Nouogardiensi via, qua Plescouia fluuius in vrbem, inde infra eam in Vielikam illabitur, quod ad excludenda ab vrbe subsidia subuectione sque arcendas cumprimis opportunum videbatur, castra figere. Sed id longitudo lateris eius, quod ad octo millia passuum patet, latissime ab ea parte ac petentes circumcirca campi faciebant. In quibus cum subsidia equitum nulla tuto collocari posse viderentur, nec vero propter continuas hostilium tormentorum eiaculationes propius castra admoueri: verebatur, ne peditatus, qui in opere ac munitionibus futurus esset, si nullum illi è propinquo ab equitatu subsidium ferri posset, in tanta equitatus ac peditatus hostilis tot locis simul erumpentis multitudine, maxime si ancipiti prælio subsidiis Nouagardia missis, & eruptione ex vrbe facta pugnandum ei foret, vndique circumueniretur. Ostendebat Zamoiscius, circa flumen Plescouiam sinus nonnullos sibi videri, in quibus iustæ equitum copiæ sub tentoriis collocari possent: quæ in tempore deinde contra excursiones hostium auxilia Polonis ferrent: hac ratione castris eo loco quam latissime Nouogardiam versus explicatis, ab omni subsidio & commeatu, sine frequentibus excubiis, quibus si ab altera parte castra ponerentur, continuis defatigari militem necesse esset, multo commodius obsessos intercludi posse: accedere, quod ab ea parte solum pene esset molle, ab iis fere omnibus rupes durissimæ id excipierent, quæ & opus moraturæ, cuniculis autem omnino excluſuræ essent. Rex tamen, quod priorem salutis, quam victoriæ rationem habendam iudicaret, ab orientali latere oppugnare vrbem statuit. Quo in loco & peditatus, qui in opere futurus esset, à sinistra Vielika flumine defenderetur, & castra proxime munitiones hostium promoueri possent: quod ab ea parte frequẽtes colles exsurgentes ab hostilium tormẽtorum ictib. frontem tutaturi essent: angulus præterea, in quem ab ea parte vrbs muris coibat, ipse etiam maiorem rei bene gerendæ facultatem dare videre-

videretur. Itaque transgressus flumen Gerecham, castrisque tum ibi metatis, iisdem Lituanicas copias & veteranum Polonum equitem, qui à dextra ire iussi sunt, recepit. Eodem Farensbekius Germanicum peditem, cum quo sub id tempus venerat, adduxit. Iisdem temporibus Bartholomæus Budlerus à Duce Curlandiæ cum aliquo militum numero, qui superioribus expeditionibus cum aliis in locis bello Rex distineretur, ad Liuoniæ fines in stationib. contra hostes fuerãt, in castra venit. Volũtarii prꝛterea aliquot, cum ex Prussia & Silesia, inter quos inprimis Fabianus Dhonanus, & Melchior Rhederus Barones, tum alii etiam ex externa iuuentute, nonnulli fama expeditionis huius exciti. Rex cum vniuerso exercitu flumen transgressus, sub dictos colles castra posuit. Vngari à sinistra ad Vielikam flumen, Lituani à superiore parte ad Porchouiensem viam consederunt: medio inter hos spacio Poloni triplici carrorum ordine circumiecto, ab vtraque riui illac labentis parte castra communierunt. Qui inter hos & Lituanos tanquam angulus relinquebatur, Germanis attributus fuit. Venit sub idem tempus in castra à Turcico Imperatore legatus, Tartaros, qui profugerunt, ex fœdere, quo vtrinque perfugæ reddi iuberentur, repetens. Ostensum, quia nondum Rex eos vidisset, nec, quid dicerent, audiuisset, vbi in Poloniam rediisset, causa cognita Principi eius responsurum. Etsi minor peditatus erat, quam pro amplitudine susceptæ oppugnationis requirebatur: erat tamen & numero, & genere ipso militum ac armorum non contemnendus: equitatus autem fuit ornatior fere ac instructior, quam in vlla ante hac expeditione. Interim Vngarum militem propius vrbem, vt locum munitionibus dirigendis caperet, progressum hostes conspicati, eruptionem mox in eum fecerunt. Sed fortissime ab Vngaris ad portas vsque eos insequentibus, nonnullis vtrinque desideratis, in vrbem reiecti. Munitiones mox Vngari ab ea parte, qua castra habebant, contra Porchouiensem turrim, penes Vielikam fl. Poloni non longo ab his interuallo contra Suinicnsem turrim agere instituunt, prius gerris siue corbib. militaribus aliquot locis iusto interuallo communitis, equitumque ac peditum stationibus in iis collocatis, quæ militi in munitionibus occupato contra eruptiones hostium, si quas forte facerent, è proximo subsidium ferrent. Magno labore eo loco propter soli duritiem, quod intra cubiti altitudinem in rupem desinebat, fossæ ducebantur. Nihilominus ea res Vngari militis impetum morabatur, qui ingentibus saxis securibus excisis indefesso studio opus perfecit. Cæterum Vngari aggestis iam fossis aduersam turrim quatere cœperant, exiguo tempore propugnaculo conuulso proximi muri partem aliquam strauerant. Polonis magno impedimento erat, quod ab eo, de quo dictum, loco longiore interuallo munitiones vrbem versus institutæ illis erant: latera, quæ Vngaris ab vna parte Vielika flumen, ab altera Polonorum munitiones tuta præstabant, ne circumuenirentur, vineis & subsidiis contra hostium impressiones munienda: inde erectis tandem munitionibus, curante apud eos tormenta Veiero, prius ex plerisque turribus vndique fere petebantur, defensores deiiciendi erant: quod denique in fundamenta, ac imam muri partem, ex ostensis antea causis, tormenta conuertebant. Quas ob res cum ab eorum parte tardius murus perruptus fuisset: Vngari nihilominus, qua ab ipsis murus subrutus erat, irrumpere conabantur Zamoiscius cum de eo ad Regem referret, ostendebat, longe & ad securitatem,

Rex castra metatur ad Plescouiam.

Plescouiensiũ eruptio.

curitatem, & spem victoriæ certius sibi videri, si dum è Polonorum quoque munitionibus aditus in murum patefieret, irruptio sustineretur: interim & pluribus locis mœnia verberarentur: ruinæ, quibus contra Vngarorum munitiones murus apertus esset, ampliores fierent, qui per eas in vrbem aditus esset, cognosceretur: omnibusque diligenter excussis, quæ ad oppugnationem facerent, ante præpararentur. Timebatur ab altera parte, ne tempore interposito spacium sui muniendi, nouasque fossas obiiciendi daretur: maxime vero, quo minus consilio huic locus esset, difficultas puluveris tormentarii faciebat, vt necessario prius tentandum aliquid videretur, quam omni consumpto vna cum puluere vrbis ipsius potiundæ spes decederet. Descenditur eo, vt mittantur, qui locum inspiciant, ac, an quæ transgressos fossæ difficultatesue excepturæ essent, explorarent. Deliguntur ex Germanis quinquaginta circiter, quod erãt inter hos in aliarum vrbium oppugnationibus ante versati. Hortatur simul Zamoiscium Rex, vt, quæ ad oppugnationem pertinerent, procuraret, ne si de aditu non incommoda renunciata essent, vel minimum temporis spacium differretur. Zamoiscius itaque ad munitiones profectus, Polonis Germanos adiungit, quæque oppugnationi vsui, curari iubet. Vngaris Bornemissa præficitur. Rex sub ipsam fluminis ripam, ad quam Vngarorum munitiones spectabant, progressus, militemque ad irruptionem paratum paucis ad virtutem cohortatus, cominus euentum oppugnationis expectare instituit. Iam ante autem tormenta aliquot Vielikam translata fuerant, & ab inferiori parte muri, per quem ad oppugnationem iturus miles erat, ita collocata, vt aduerso muro à fronte detersco, rectis inde secundum vniuersum id latus interius ictibus, defensores petterentur. Eques ex instituto militari idoneis locis supra munitiones circa vrbem atque vias in omnes casus disponitur. Non poterat latere hostes, quid in castris pararetur, quod in omnes partes latissimus ex vrbe despectus erat. Itaque ipsi quoque muros frequentes complebant. Zamoiscius primum ex Polonico peditatu viginti expeditissimos delectos per aduersam fossam muros conscendere, quisque ab eo loco in vrbem aditus sit, explorare iubet. Renunciant illi, fossam ab ea parte esse, supraque eam pontem alii quanto depressiorem, per quem non difficulter tamen fossa superari possit. Mittit inde quinquaginta è Germanis eos, quibus mandat, vt quam proxime muros subeant: si superare ruinas possint, progrediantur, signoque, quod acceperant, dato, alios, quos quamprimum iis summissurus sit, expectent: si non patere per eas aditum intelligant, sine ignominia se recipiant. Interim si illis successisset, signumque, quod conuenerat, datum ab iis fuisset, quæ illis subsidia summittat, disponit: primo eiusdem nationis militem, quod, qui præmissi fuerant, id postularant: inde Polonum partim peditem, partim equitem, qui Georgio Mniscio Præfecto Sanocensi, Stanislao Stadnicio, Andrea Orzechouio, Procopio Pienianscio, & aliis quibusdam autoribus, equis missis, vltro operam suam detulerat. Germani cum ad fossam successissent, Ioannesque Garonna Gallus progressus, primus aditum tentasset, graui casu ab hostibus illo deturbato, cæteri cum angustiores ruinas, quam vt commode transiri per eos posset, esse existimarent, conferti ad fossam constiterunt. Poloni, qui à tergo vrgebant, cum non dari sibi locum viderent, per medios illos penetrant, hostes turri lignea, munitioneque, quam tignis in angulo turris, quem muro contigua

De oppugnationis instituendæ deliberatio.

375

Plescouia oppugnatio.

efficiebat, ea, de qua supra dictum, ratione contabulauerant, cespiteque vestiuerant, deiiciunt: in turrim magno ipsi labore euadunt, principesque Syrneus ac Vibranouius in summa turri signa figunt. Germani ad os, quod contra Vngarorum munitiones erat, quod per id latiorem aditum esse viderent, signa conuertunt. Præscriptus idem, qui supra demonstratus est, ordo & Vngaris fuerat, missusque eius rei causa ad eos Franciscus Veselinus cubicularius regius. Verum apud Germanos primum eo turbato, Vngari quoque, cum Polonos iam irrumpere cernerent, signo prius à Rege accepto, per ruinas in turrim euaserant, primumque Thomas Dercenus, & Matthias Kerekesius signa in ea constituerant. Hos Gabriel Bekeschius accepto signo, equitem, cui præerat, secum trahens, secutus fuerat; mox que pluribus aliis signis illatis, cum vlterius inde in vrbem contendere vellent, fossa iam antea ab hostibus ducta, ligneæque munitiones nonnullæ præter opinionem obiectæ, impetum eorum tardabant. Hostes ab initio Polonorum in secundis muris impetu perterriti, suos è propugnaculis pulsos, signa diuersis in locis fixa iam videntes, fugam circumspectare cœperant. Interim Ioannes Suiscius passim equo saucio volitans, modo minis, modo precibus, tãdem ploratu & misericordia: ab altera etiam parte Episcopus vrbis sacra & simulacra obtendens, dum in occupandis muris Poloni detinentur, fugam pauoremque suorum sistunt. Primum tormentis ac saxis petere Polonos cœperunt: Polonis vicissim tela in eos iacientibus, compluribusque vtrinque sauciis, turri, quæ à Polonis occupata est, puluerem subiiciunt, nullamque in partem milite se commouente, binis aliis vicibus id repetunt. Quo turri tandem correpta, Poloni ferre ignem diutius non valentes primum descendere: ad extremum etiam cum ex propugnaculo Vielikano, quod è regiis tormentis tam subito sterni non potuerat, ipsi transuersis hostilium tormentorum ictibus ferirentur, recipere se coacti fuerunt. Inde in Vngaros omnes conuertuntur, qui cum eas, quæ dictæ sunt, illis obiectas munitiones superare se non posse intelligerent, cum diu hostium impetum sustinuissent, ac nox immineret, cæsis omnibus prius sublatis more militari se receperunt. Desiderati eo die ex Nobilitate Polonica vltra quadraginta, ex Vngaris non pauciores, ac præcipui inter eos nominis Gabriel Bekeschius. Hostes quoque magnum acceperunt detrimentum, cæsi complures, in quibus primarii peditum ductores, plurimi vulnerati. Itaque literis, quas ad præsidium Vdouiense dederant, paulo post interceptis à Polonis magnum terrorem ostendebant; vtque sine mora iis de rebus Princeps certior fieret, subsidiaque sibi mitterentur, petebant. Zamoiscius militi ob eius diei laborem & aduersitatem consulendum ratus, equitem, qui cum Georgio Mniscio Præfecto Sanocensi in subsidiis collocatus fuerat, integerque adhucerat, quod conturbato postea ordine res ad eum non peruenisset, circa tormenta munitionesque excubare iubet. Vniuerso autem peditatui ac munitionibus Vrouiecio in oppugnatione concusso Stanislaum Penkoslauium præfecit. Altera die consilio habito, ante omnia de puluere tormentario conquirendo cogitari cœptum. Mittitur ad Ducem Curlandiæ, Rigenses, aliaque vicina loca. Exempla literarum Plescouiensium interceptarum passim describenda Zamoiscius dat: quibus, si quis forte grauiorde aduerso oppugnationis exitu rumor

Oppugnantes repellun tur.

Obsessi sibi metuunt.

rumor in Poloniam perlatus esset, hostium incommodo perspecto is imminueretur. Proponit eodem tempore Regi, quo minus casus aliquis, qui obsidionem eos relinquere cogeret, interuenire posset, optimum è re nata sibi videri, si integro adhuc exercitu castella, per quæ miles distributus, longinqua obsidione, ac commearus inopia premere vrbem posset, aliquot communiantur: iis consummatis, quod voluntarius miles diu moram laturus non esset, commeatus insuper difficultatem reliquo exercitui aucturus videretur: nec è dignitate regia futurum esset, vt voluntariis dimissis imminuto exercitu remaneret, ipsi in Poloniam ad comitia obeunda, supplementum scribendum excurreret, se cum exercitu reliquo ad vrbem relinqueret. Si hyems expectaretur, voluntarios incommodis obsidionis, atque hyemis iniuriis adactos, missionem flagitaturos: reliquum militẽ nullis rebus prẽparatis, cõmeatu omni consumpto minus animi & virium habiturũ: castella vero eo tempore vel muniẽdi, vel extruendi nullam rationem fore. Regi cum aliis multis de causis omnia prius, quam ad id consilium descenderet, tentãda videbãtur, maxime tamen, quod cum Posseuinus, qui in Mosc couia erat, de Mosci animo erga pacem significaturum se ostendisset, verendum intelligebat, ne, si priusquã ille rediret, eorum quid susciperetur, hostis defendẽdę vrbis spe illi aucta, si forte de tradenda sibi Liuonia consilii quid iam suiscepisset, id tum commutaret. Dum hæc fiunt, puluisque ac apparatus bellicus expectatur, cuniculis interim hostium munitiones tentare placuit. Bini è Polonorum munitionibus versus fossam instituti, à rupe dura atque aspera excepti perduci non potuerunt. Vngari per summum solum fossa ducta, eademque cratibus intecta, vnum eo modo perduxerant. Is cum clam hostibus esse non posset, qui vt minus eum vidissent, ex eo ipso tamen, quod ab oppugnatione tam diu cessaretur, coniecturam de consilio regiorum capiebant, alium secundum vniuersum id latus in longitudinem, ex quo Polonos obseruarent, egerant; actum eum puluere subiecto intercipiebant. Iisdem temporibus subsidia è Moscouia per Vdouam obsessis mitti cognitum fuit, quæ cum per Pelbam lacum, ac Vielikam flumen nauibus ventura Zamoiscius intellexisset, primum nauibus aliquot conquisitis continuas arbores cuneis ferreis in singulas impactis, per eosque catenis transmissis, ex qua flumen erat, latitudine connectit: alias à superiori parte fluminis, qua venturus hostis erat, secundum aduersam ripam alligat, ita, vt cum hostium naues transiissent, funibus adductæ regressum ab ea parte hosti clauderent: alias ab inferiori parte versus vrbem ita obiicit, vt cum eum in locum perueniissent, irretitis vtrinque nauibus, nullam in partem effugium pateret. In naues, quas contraxerat, Germanos, qui earum administrandarum peritiores erant, imponit: vniuersæ rei Vrouiecium præficit, cum coque secundum vtramque ripam expeditum peditem disponit.

Cuniculi agguntur.

Obsessis auxilia mittũtur.

His ad Plescouiam gestis, Sueciæ interim Rex per militiæ præfectum Pontum Gardianum Naruam occupat. Ea capta, literas à Principe suo ad Regem mittit, quibus is ad priores Regis hortatorias, vt à Liuonia tanquam alieni belli præmio abstineret, circumducto die rescribebat, ac suum cuiusque iudicium, quibus in locis bellum cum hoste gerere, quasque ditiones eius inuadere vellet, esse debere significabat. Magna spes

Suecia Rex occupat Naruam.

Regem tenuerat, fore, vt æquitate priorum postulationum suarum perspecta, locum eis Rex Sueciæ relinqueret, non modo quod Liuoniam vniuersam iam olim in fidem Regum Poloniæ veniſſe eo minus ignorare Sueciæ Regem sciebat, quod superioribus temporibus, cum frater eius Ericus Reualiam occuparet, nullo iure id ab eo fieri literis suis testatum feciſſet, verum etiam, quod postquam ipse maximo labore ac impensa ad legatos de pace mittendos, totam Liuoniam primo cedendam, inde deferendam pene hoſtem adegiſſet: ad paratam à se victoriam Sueciæ Regem accessurum expectandum sibi non arbitrabatur. Quare licet iniuria hac non parum commoueretur, in præsens tamen differendam iudicabat. Iisdem temporibus à regiis quoque Præfectis eadem fortuna castra nonnulla Moscis in Liuonia adempta fuerunt. Sub idem vero tempus Moscus, qui non proculind: Stariciæ tum erat, cum de regii exercitus aduentu nondum cognouiſſet, Michaelem Noſdrouatum, & Petrum Boratinſcium cum tribus circiter militum millibus eodem consilio miſerat, vt metu vndique euersum maximo illato, qui è suis in Regis fidem venerant, diteptionibus ac populationibus vexarent. Eorum exploratores temere vagantes cum in pabulatores Polonos incidiſſent, duo ab illis excepti, ac in castra adducti, ostendunt quindecim inde millibus passuum ad Saleſam exercitum considere. Contra quem cum Radiuilus, qui iam tum aduenerat, Bogdanũ Oginſciũ septingẽtis circiter maxima ex parte leuis armaturæ equitib. ex diuersis turmis ei attributis miſiſſet, ducenti circiter præter imperium pugnandi auiditate cum stationibus hoſtiũ congreſſi, ad diuersos pontes, circa quos ſcloperarios hoſtes in insidiis diſpoſuerant, pertracti aliquot ex suis amiſerunt: verum aliis subſecutis, ac Gabriele Holubkone suis, vnde equis deſcenderent, ſclopetisque rem gererent, mandante, ſummotis per hos à ponte hoſtibus, regii hoſtium equites in fugam effuſos ad quindecim fere millia passuum inſecuti, aliquot ex iis ceperunt. Radiuilus cum cognouiſſet, ad Reſouam aliam exercitus hoſtilis partem conſediſſe, versus eam via impeditiſſima, qua nulli ante eum exercitui iter fuerat, cum exercitu progreſſus, triginta à Reſoua passuum millibus subſtitit, inde Sukopſciam Iamam, quo nomine locum, in quo diplomata iter facientibus dari ſolent, appellant, ſe conuertit, ac ad flumen Volgam castris metatis Halimbekum cum Tartaris, quos circa ſe habebat, per flumen Stariciam versus contendere, populationeſque ac incendia quam lariſſime in hoſtico circumferre iubet. Satis conſtat, Moſcum, qui Stariciæ tum euentum obſidionis Pleſcouienſis expectabat, cum aduentantem exercitum, fugas agreſtium, ignes paſſim ſublatos ipſe magna ex parte cerneret; ac, quemadmodum ex Poſſeuino, qui tum apud illum erat, cognitum poſtea fuit, non vltra ſeptingentos milites circa ſe habebat, ſumma in trepidatione verſatum, delectum ex omni hominum genere promiſcue habuiſſe, fugamque iam circumſpectaſſe. In præſentia mittit, qui agmen Polonorum ſpeculentur, & quam primum de eo ſibi renuncient. Hi cum ad Okomeciam alterum diplomatum locum, in quo Tartari pernoctabant, quinque millium paſſuum interuallo acceſſiſſent, diſgenterque à regiis excubias agi, loco prærerea munito eos conſediſſe ex agreſtium vsu accepiſſent, ad latus conuerſo itinere, paludeſque, quæ iis in locis erant, tranſgreſſi, ex Nohaiensibus Tartaris ac pabulatoribus Polonis aliquot oppreſſerunt.

Radiuilus exercitum hoſtilem inuadit.

Moſcus Stariciæ euentum obſidionis exſpectat

Iam

Iam ante Poſſeuinus etiam, cum mox poſt diſceſſum Volga Radiuili dimiſſus fuiſſet ad Regem venerat, turmis aliquot equitum, quas è Nouogardia de aduentu eius certior Rex factus, obuiam illi miſerat, in castra deductus. Afferebat hic, Moſcum vt vt in ea trepidatione, & belli aduerſitate cumprimis pacis cupidus eſſet, nullis tamen aliis conditionibus eam accipere deſtinarum habere, quam quas iam ante Polociæ per legatos suos propoſuiſſet. Nam quod hyems, quæ ſæuiſſima iis in locis frigora adferre ſoleret, inſtaret: militem, quem ne primas quidem iniurias eius toleraturum sibi perſuadebat, per hyberna diſtributum iri; Regem superiorum annorum conſuetudine ad comitia obeunda in Poloniam ſe recepturum: interim vrbem obſidione, ſe vero metu ſolutum iri, facileque quamuis aliam belli ſuſtinendi impetuſque regii rationem deinceps ſe reperturum confidebat. Rege contra Poſſeuino oſtendente, nec ſe prius exercitum ab vrbe abductum, quam vel vrbe potitus eſſet, vel vniuerſa Liuonia Moſcus ceſſiſſet: hortabatur eum nihilominus Poſſeuinus, ne omnem tamen ſpem pacis præcideret, locumque colloquio conſtitui pateretur, in quem legati vtrinque conuenirent, ac de pace inter ſe conſultarent: quod cum Rex permiſiſſet, literas per expeditum equitem ad Moſcum dat, his eo animo omnino Regem eſſe oſtendit, vt non prius abſceſſurus, aut vllum belli finem facturus ſit, quam vniuerſa Liuonia Moſcus excedat. Quare ne nimium ei rei confideret, quod frigoris ſæuitia coactum diſceſſurum tandem exercitum exiſtimaret, videre ſe obfirmato ad perſequendam eam omnes animo eſſe, tum vt obſidio ſuſtineretur, debere eum tamen tot ſubiectorum ſibi innoxiorum calamitatibus atque miſeria commoueri, qui cum pro ipſius ſalute nullum periculum ac cruciatum recuſent, ſummæ eum iniquitatis condemnari debere, niſi ipſorum vitam ſuis commodis ac obſtinatione potiorem habeat. Eos autem neque propter frigoris vim in ſyluis iam latere: nec iis ipſis, quod paludibus omnibus frigore incruſtatis peruiæ breui Polonis futuræ eſſent, amplius protegi poſſe: eorumq; iis ipſis diebus, quib. in castra veniſſet, magnum numerum partim conciſum, partim captum ſe vidiſſe. Proinde ſibi ipſe conſilium caperet: ſe quidem, vt ſerio tandem animum ad pacem adiiceret, autorem ei eſſe, egiſſeque ob hanc cauſam cum Rege, vt ne omnem tamen de pace tractandi facultatem tolleret: impetraſſe, vt legatos eius certum in locum, qui Moſco videretur, accedere, cumque suis legatis de pace agere ſe paſſurum Rex receperit. Moſcus literis iis acceptis ſine mora nuncium vna cum suo tabellario, literiſque ad Poſſeuinum remittit. Pagum Zapoliam nonaginta paſſuum à Pleſcouia millibus, in diplomatum vſus & ipſum deſignatum, ad tranſactionem deligit, publicæque fidei literas legatis ſuis mitti poſtulat. Mittuntur litteræ, locus accipitur.

Poſſeuinus leg. Pont. à Moſco ad Regẽ redit.

Rex Poſſeuino reſpõdet.

Poſſeuinus ſcribit ad Moſcum.

Moſcus rescribit.

377

Exercitus interim, qui ad Pleſcouiam, maximis cum hyemis, tum obſidionis diuturnæ incommodis laborabat. Itaque cum & à voluntariis palam miſſio flagitaretur, conditioneſque pacis paſſim ſermonibus agitarentur, non deerant, qui remittendum potius Moſco de Liuonia aliquid cenſerent, quam cum exercitus incommodo diutius obſidionem ducendam. Quod vt Pontificis autoritate perſuadere Regi conarentur, Poſſeuinum etiam tacite hortabantur, idque quo commodius perficerent, cum ſententias Senatus de conditionibus dicturus eſſet, eum vocari, præſenteque illo

Obſidentes magnis incõmodis affliguntur.

Exercitus missionem flagitat.

sententias dicendas iudicabant. Spargebatur in vulgus, Regem vt maximè Liuoniam vniuersam adiunxisset, omnem in Vngaros, vel fratrum suorum filios diuisurum. Itaque stipendiarius etiam miles sermonibus tentabatur, cur pro alienis commodis suo cum periculo depugnaret: pro prouincia, ex qua nec ad ipsum, nec ad Rempublicã fructus vllius peruenturus esset, vt alii ditarentur, vitam sanguinemq; suum ipse in discrimen adduceret. Resistebat his summa constantia atq; animi magnitudine Rex, maxime voluntarios obtestabatur, ne suo discessu exploratæ pene victoriæ, aut honestæ pacis spem irritam redderent. Præter Regẽ Zamoiscius omni contentione in id incumbebat. Ostẽdebat publice, ad omnia prius se descensurum, quã infecta re, aut non tali pace, qualem in superioribus comitiis Rex, atq; nomine Regis ipse Ordinibus promisisset, discederet: quod si maxime necesse esset, eousq; tamẽ, dum comitiis habitis noua ab Ordinib. mandata acciperet, se perstiturum. Vt Posseuinus in Senatum vocaretur, contra morem maiorũ esse dissetebat. Consilio deinde iis de reb. habiro, duæ omnino manendi rationes proponebãtur: vt vel ex castris atq; munitionibus, quẽadmodum hactenus, obsidio vrgeretur: vel castellis extructis, in iisq; milite collocato, diuturna fame, atq; commeatus inopia vrbs premeretur. Vtrãq; cum hyemis iniuriis, tum soli frigore iam astricti duricie, quæ nec militem sub pellibus diutius versari, nec opus vllum fieri paterentur, omnes fere refutabant. Lituani priuato etiam super iisdem consilio inter se acto libellum Regi offerebant: in quo cum & ipsi manendi consilium omne reiecissent, id petebant, vt quo hybernorum incommoda, quę superioribus annis continua perrulerant, euitarent, in agro Moscouitico miles haberetur. Interim diem certam Regi prefiniebant, intra quam nisi pax facta esset, nulla conditione diutius remanere integrum sibi esse ostendebant. Non poterant latere hæc hostem, quod propter voluntariorum nullo imperio se suosque coerceri patientium licentiam ex calonibus, ac eo hominum genere quotidie aliqui ab hostibus excipiebantur.

Zamoiscius magna inuidia flagrat.

Maxima inter hæc flagitabat inuidia Zamoiscius: illum vnũ sententiæ eius autorẽ esse: hominem à pueritia literarum studiis deditum, consiliis atq; obstinatione sua vniuersum exercitum perditurum: legatum cum exercitu in hostico relicturũ: ipsum extra periculi metum ad comitia pro Cancellariatus sui munere obeunda in Poloniam rediturum. Etenim iam conuentus Nobilitatis Rex edixerat. Per eos, quo loco res esset, literis Nobilitati ostenderat: neue vel exercitum reducere, vel ipse ab obsidione comitiorũ habẽdorum causa discedere cogeretur, vt in iis conuentibus noua tributa, & quæ alia ad perficiẽdum bellum necessaria essent, scisceret, hortatus Nobilitatẽ fuerat: in omnes nihilominus casus, si res non teneretur, literas, quib. comitia indiceret, simul miserat. Augebat Zamoiscio inuidiã disciplinæ militaris seruandæ studium, iam ab eo tẽpore, quo militem regere cœperat, contraq; illos potissimum ab eo susceptum, quorũ quod illustrior fortuna esset, peccata etiam & peccatorũ ad deterrendos alios pœnas grauiores iniungẽdas dicebat. Fremebat miles non iam quod in mulieres, quę in castra irrepserãt, grauissime animarduerti iussisset, sed quod aulicũ regium, qui in leges militares aliquid cõmisisset, in vinculis haberet, nec totius exercitus precib. cõdonare vellet: quod pueros nobiles, qui licentius in castris versati fuerãt, ad palum alligatos publice spectãdos præberet: turmæ præfecti vicarium stipendio

pendio affecissent: ex Nobilitate quosdam propter mundiciem castrorum negligentius habitam claua pulsasset. Itaque carmina etiam in eum spargebantur, quibus scholastica vita illi exprobrabatur.

Legati Regis Pol. ad Moschum de pace.

Antequam discederet Rex, legatos, qui de pace cum Moscis agerent, Ianusium Zbarasiũ Palatinum Bratislauiensem à regno Polonię, Albertũ Radiuilum palatii Lituanici Marschalcũ à magno Lituaniæ Ducatu designat. His Michaelem Haraburdam, Moscouiticarum rerum cumprimis peritum, more maiorũ scribam adiungit. Cum de conditionib. pacis ineũdę tractaretur, vrgebant proceres Lituanici, vt Vielicolucum, quod proximo anno captũ ab hoste erat, quo facilius pax cõueniret, hosti redderetur. Ostendebat Zamoiscius, etsi, quantum ad Lituaniã tutandam momenti tam opportuna vrbs, ac ea fertilitate omniumq; rerum copia abundans ager haberet, animaduerteret: quo minus id tamen fieret, non vsq; adeo se repugnare, quod non ea religione eius retinendi, cuius nulla in comitiis mentio facta, qua recuperandæ Liuoniæ obstrictus Ordinibus esset: moleste tamen se ferre, ante tempus hæc nullo cum fructu, nonnullo autem, ne ad hostes efferrentur, periculo iactari. Itaque Rex priuatim re cum Zamoiscio communicata,

Rex ex castris discedit.

pacisq; constituendę arbitro ei permisso, cum quid ab eo fieri vellet, quidue in Poloniam venturus, ipse procuraturus esset, ostendisset, spei & fiduciæ plenus discessit. Reliqui fere omnes ex præteritis obsidionis incommodis, acimminẽtis hyemis difficultatib. de reliquæ obsidionis euentu iudicãtes, simulq; imminuti & attriti exercitus opprimẽdi tempus nullũ hostem prætermissurum cogitãtes, non secus, ac si extremum, quos relinquerent, visuri essent, periculũ eorũ miserabantur. Cum Rege vniuersus comitatus aulicus, ac voluntarii fere omnes proficiscebantur. Itinere igitur per Ostrouam & Krasnohorodi capto, inde Ludsenum & Rositтenum, quę hostilib. adhuc præsidiis tenebãtur, sine impedimento prætergressus fuit. Sequebãtur reliqua agmina velocius, omnib. ad Dunam fl. præuertere annitentibus. Itaq; licet subsidia contra eruptiones à Radiuilo dispositа fuissent: iis tamen dilabentibus, aliquot Polonorum carri abrepti à præsidiariis Moscis fuerunt. Trãsmisso inde ob nauigiorum inopiam non sine difficultate ad Duneburgum Duna Vilnam Rex venit. In castris Polonicus miles stipendiarius omnis cum Zamoiscio remansit, tam is, qui ab initio cum eo Plescouiam accesserat, quam, quem à Staricienſi excursione cum Radiuilo reuersum receperat. Rex dimissis legatis, eisq; agendi cũ hoste potestate data eodẽ die iter Lituaniam versus suscepit, cura interim administrandi belli Ioanni Zamoiscio cõmendata. Qui Rege è castris profecto disciplinam inprimis militarẽ, quo inter tot difficultates in hostico omnia diligẽtius circũspicienda sibi videbat, eo accuratius sanxit. Ex Præfectis, qui ætate, ordine, & vsu rei militaris cæteros antecedebant, ad quos de secretiorib: quibusq; ac grauiorib. reb. referret, sex delegit. Senatorii Ordinis Stanislaum Tarnouium Radomiensem, Stephanum Grudzinium Naclẽsem Castellanos: ex aliis Ernestum Veierum. Martinum Kasanouium, Ioannem Lesnouolscium, Sigismundum Rosnium: cæteris in rebus omnes ad consilium adhibebat. Interim, quemadmodum Rex cum illo constituerat, eam in rem omni studio incumbebat, vt si pax cum hoste non conueniisset, ad obsidionem quam diutissime continuandam, fameque, ac omnium rerum inopia ad deditionem vrbem adigendam instructa omnia ac parata haberet. De huius autem

Qui cum Zamoiscio in castris remanserint.

378

tem rei successu non dubitandum sibi existimabat, quod quantum in vrbe vitium, apparatus bellici, commeatus, ac rei frumentariæ esset, ex Suturma scriba Suiscii, qui in excursione quadam vna cum fratre captus fuerat, exacte cognitum habebat: subductisque rationibus, si omnes ad importandos in vrbem commeatus ac subsidia aditus præclusisset, non multum vltra mensem Maium sustineri obsidionem posse reperiebat. Simul ne discessu Regis metu omni liberatum se hostis putaret, in omnes rei gerendæ occasiones intentus erat. Quæ cogitanti ex superiorum temporum pabulatorum licentia, qui partito in duos imperio militari, magna præterea voluntariorum parte nullam imperii necessitatem recipiente, sine metu vel imperii, vel hostis vagabantur, nec raro sub ipsos muros succedebant, accidere posse facultatem rei gerendæ ratus: die D. Nicolao sacro, qui vel maxime à Moscis obseruatur, idoneis locis milite in insidiis collocato, carros aliquot propinquo à mœnibus spacio agi iubet. Verum diei religione quamuis obiectam prædam hostibus spernentibus id idem altero die fieri imperat. Consederant partitis insidiis in vicinarum fossarum, quæ imbrium casu factæ erant, vna Vngari equites, in altera Stanislaus Zolkieuius Palatini Belsensis filius, & Ioannes Kretkouius Przyiemscianæ turmæ legatus cum Polonis. Hostes ad primum prædæ aspectum mox erumpunt: protracti in locum insidiarum ab Vngaris celeriter consurgentibus profligantur. Poloni, qui remotiori ab iis loco erant, & propter præruptum per oppositos colles ascensum, ambitum capere cogebantur, confligendi cum hoste facultate non data, à dextra impetu in eum facto, inclinatum in effusiorem fugam præcipitant, coniunctimque cum Vngaris ad mœnia vsque insequuntur, & primo impetu triginta circiter interfecti, ac duodecim illustris generis capti fuerunt. Incommodo hoc accepto, Suiscius auersa porta maioribus aliquot tormentis magno labore, ad imas muri & propugnaculorum fenestra demissis, locoque oportuno non procul à fossis vrbis magna sclopetariorum manu occultata, subinde viginti circiter equites, qui regios cis fl. Plescouiam in stationibus positos lacesserent, & in insidias pertraherent, emittebat. Verum cum excursione hostium nunciata Zamoiscius ipse tribus cum turmis equitum flumen transiisset, quique in insidiis consederant, ad primum vnius equitis conspectum, quem propius ad locum insidiarum accedere Zamoiscius iusserat, sclopetos ad vnum omnes incassum explosissent, sola fere vibis propinquitas, & fossa equiti obiecta, quo minus conciderentur, hostes texit.

Obsessi erumpentes caduntur.

A Mosco legati ad Regem.

Dum hæc ad vrbem geruntur, aduenerunt interim legati à Mosco ad colloquium missi Demetrius P. filius Ilecius, Romanus B. filius Olphirionis, proque scriba illis adiunctus Nicolaus Bassorekus. Iis Posseuino cum præsidio Polonico vltra Porchouam obuiam profecto, ac mox regiis quoque legatis subsecutis, paulo post initium agendi de pace factum fuit. Ab initio de Sueciæ Rege fœdere comprehendendo propositum fuit. Etsi enim præreptarum arcium iniuriæ non parum animum Regis alienassent, quod tamen superioribus comitiis Annæ Reginæ precibus adductus, daturum se operam, vt pace comprehenderetur, pollicitus ei fuerat; ac Posseuinus quoque hoc idem summo studio contendebat, vt actionum de pace initium ab eo fieret, legatis mandauerat. Quæ in re dum hæretur, Bohdanus quidam omnium legationis eius arcanorum conscius à legatis Moscicis ad Palatinum

num Braslauiensem transfugit, inde ad Zamoiscium statim mittitur. A quo hæc legatos mandata habere Zamoiscius cognoscit: si Regem exercitumque à Plescouia discessisse intelligerent, quacunque causa interposita colloquium tolletent: si obsidionem obstinate continuari sentirent, citra fraudem de pace agitarent. Eam autem hoc ad extremum concluderent, vt si Rex Vielicolucum, aliaque, quæ superioribus annis cepisset, præter Velisium ac vniuersum Ducatum Polociensem, quæ Regi concedebat, sibi redderet, vniuersa Liuonia ei decederent. Legati cum Regem quidem discessisse, obsidionem nihilominus vrgeri animaduerterent, accesserant ad conditiones aliquot pacis: sed cum ob sæuissimas hiemis iniurias commeatusque omni vicino agro vastato, angustias subinde incommodum aliquem rumorem de exercitu expectarent, varias interim moras interponebât, deque leuissimis quibusque ad Principem missitabant. Scripserat ex itinere Posseuinus ad Zamoiscium, ostendisse sibi legatos, magna cupiditate Moscum vel exiguæ saltem portionis agri Liuonici ad titulum Liuoniæ vsurpandum retinendæ teneri Zamoiscius Nouocastrum, Sereneschum, Nouogrodecum, deserta nec magni momenti castella ea conditione relicturum se illi rescripserat, vt penes Regem Vielicolucum, Zauolocia, & Neuela remanerent. Cum illi de Vielicoluco nulla se mandata habere renunciassent, sine Vielicoluco ne palmum quidem terræ in Liuonia se ei permissurum ostendit. Interim Zamoiscius cum copias quasdam, quę Plescouiensibus subsidio mitterentur, Nouogardiam contrahi rumor ad exercitum perlatus fuisset, Spitconem Iordanum, turmis aliquot equitum ei attributis, eo misit. Hic stationibus hostium, quæ non procul à muris se ostenderant, cum trepidatione intra mœnia compulsis, vrbi ipsi, omnique vicino agro magnum terrorem intulit. Eundem opportuno deinde inter Porchouam & Nouogardiam pago considere iussit, cum ad subuectiones subsidiaque, si quæ Plescouiensibus ab hoste submitterentur, prohibenda: tum ad pabulationes laxiores regiis faciendas: maxime autem metum vndique hostibus ostentandum. Supra eum vero Kosaci, qui ad Opokam collocati fuerant, ad Saionskouum vltra Russam à Zamoiscio deinde translati omnia infesta reddiderant. Iamque ante eandem ob causam ex Kobilogradensi etiam castello, quod conglaciato lacu Pelba, qui ad Plescouiam, Derpatum, & Kobilogradum spectat, ex Derpatensibus præsidiariis aliqui insederant, Simonem Charlenscium deiicere præsidium iusserat: indeque ad Prebusium supra Plussam flumen, qua lacu concreto iter ex Derpato & Vdona versus Nouogardiam erat, eum collocarat. Vnde deinde vlterius populationes exercebantur. Quibus fiebat, vt quod ab initio sibi proposuerat, nec ipse Plescouia propter commeatus difficultates auocaretur: quod in omnes fere partes libere pabulari Poloni possent, & populationibus, qua supra priscam Russam ac Nouogardiam versus Tueram, qua ad Volchodam flumen, ac Lahodam lacum longe lateque factis, cum opportunissimis viis occupatis vndique grauissimè hostes premerentur, indies metus eis augeretur. Miserat ad Zamoiscium Iordanus duos nobiles Moscos captos, repentina excursione oppressos. Ex quibus de Ioannis natu maioris Principis filii morte cognitum. Hunc, cum pater opum suarum magnitudinem ac thesauros iactasset: ille vero iis Regis thesauros, virtutem, & animi fortitudinem prætulisset: quibus, licet paternis thesauris inferior esset, nihilominus

Tractatio de Pace.

Mors maioris natu filii Principis Moscii.

ditiones eius igni ferroque vastaret, magnaque parte regni eum exuisset: vel, vt quidam, cum obstinatius à patre exercitum, quo cum regiis copiis dimicaret, flagitasset: iratus vero illi pater, scipionem in caput impegisset, non multo post, siue ictus, siue animi doloris vi, in paroxysmos epilepticos, atque inde in febrim incidisse, ex eaque deinde exstinctum narrabant. Quæ res supra reliquas fortunæ aduersitates eo maiorem dolorem Mosco attulit, quod hic, etsi iussu patris priori vxori, cum qua optime illi conueniebat, nuncio remisso, aliam duxerat, sine liberis tamen decesserat: alter vero filius Theodorus iunior natu mentis vitio ad regnum eiusque regimen ineptus censeretur. Ab altera parte Suiscius, quod immensam frigoris vim cerneret, febresque passim ex ea in castris vulgari è transfugis intelligeret: propter vehementiam enim hyemis, quo minus aliqui transirent, fieri non poterat: ad seruandæ vrbis famam, quomodo castrorum captorum ac deleti exercitus gloriam adiiceret, quærebat. Erat tertia fere pars castrorum morbis implicita, cum vt quisque frigoris ea immensi prope asperitate correptus esset: quod qui effugeret, nemo erat: febri etiam statim corriperetur, ita tamen, vt pauci omnino ex ea morerentur. Non minus autem Zamoiscius, cum in tanta aeris inclementia cum hoste potius, quam cum frigoris iniuriis conflictari militem cupere cerneret, prælio dimicandi facultatem sibi dari expetebat. Eiusque rei, vt extra muros atque munitiones hostem pertraheret, cum varias rationes quæreret, omnia consilia eius vehementer frigoris sæuitia impediebat. Tanta autem eius vis erat, vt, vbi quis extra tabernaculum vix pedem protulisset, omnibus fere membris, iis potissimum, quæ maxime aeri patebant, naribus, auribus, ac facie gelu astrictis emorerentur: quodque de Moscouitici cœli natura cum miraculo nonnulli prodiderant, eiusmodi iis in locis frigora esse, vt aquæ casu ipso, dum funduntur, congelentur, id experiendo multi cognouerint. Maxime autem, quod necesse erat euenire, excubię sęuitia hac frigoris vexabantur, raræque omnino obibantur, ex quibus non plures plerunque aliqua corporis parte mutilata referrentur. Id autem tum tempus anni erat, quo intensissima iis in locis frigora esse vulgari sermone Moscorum ostenditur, qui Nicolai & Christi frigora appellant, cum maxima designare volunt. Magna tamen in omnibus hisce incommodis tolerandis militum constantia erat Zamoiscius etiam, quantum eius fieri poterat, ratione ac diligentia ea subleuabat. Excubias quaternis vicibus permutabat, earum ternas per alios obibat. Sub crepusculum autem ac primum diluculum per Stanislaum Vlodecum sororium suum, quem Palatino Braslauiense ad colloquium cum Moscis misso sibi legarat, quod eo tempore eruptiones hostium maxime expectandæ erant. Quo pauciores autem frigoris incommodis afficerentur, pro superiorum temporum consuetudine paucos admodum, qui non tam eruptionibus hostium resisterent, quam de aduentu eorum certiores cæteros facerent, in stationibus & excubiis collocabat. Stationum igitur ea exteriorum infrequentia, ac numero adeo earum ex transfugis à Suiscio cognito, castrorum oppugnãdorum, stationibus prius repentina eruptione oppressis, consilium cepit. Hunc in vsum septingentos circiter equos, quos obsidionis incommoda reliquos fecerant, conquirit, ad eosque promptissimum quemque rescribit.

Vis frigoris.

Militum in frigore perferendo constantia.

Suiscius castra oppugnare cogitat.

Binæ

Binæ contra vrbem à castris stationes erant, vna vltra Vielikam flumen, quæ Pezzurensem viam obseruabat, altera cis flumen supra castra. Ex altera parte, qui ad Suatohoram erant, curabant. Suiscius trecentos circiter equites delectos vltra Vielikam contra eos, qui ad Pezzurensem viam in stationibus erant, eo consilio mittit, quod illis occupatis, si quod futurum præuidebat, qui à superiori castrorum parte custodias agebant, statione sua relicta flumen glacie incrustatum ad ferendam suis opem transirent, castra nudatum iri, sibique nullo obsistente repentina eruptione ea euadendi locum futurum cogitabat. Obuenerant diei eius stationes Zborouianæ turmæ, quæ cum trecentis equitibus constaret, Thomas Orinscius cum quadraginta circiter eorum vltra Vielikam flumen positus erat: cum cæteris Laurentius Scarbecus turmæ legatus supra castra cis Plescouiam flumen excubabat. Iam ante autem ea in vniuersum custodiis omnibus mandata Zamoiscius dederat, vt erumpenti hosti nulla pugnandi copia facta ambitu capto versus castra starim se reciperent, non modo, quo subsidium illis proximiori è loco facilius fieri posset, verum etiam hostis longius ab vrbe ad pugnandi necessitatem pertraheretur. Id igitur cum Orinscius fecisset, Suiscius peditatus partem statim vrbe emittit, qui, quod locus is omnis conuallibus interceptus esset, valle quadam occupata receptuque intercluso vehementer sclopetis eos premebat. Interim Zamoiscius Scarbecum, qui in superioribus stationibus erat, flumen mox transire, impetumque in hostes facere iubet: simulque ipse equo conscenso iis, qui in subsidiis confederant, vt se sequantur, imperat. Scarbeco promptissime flumen transgresso, Suiscius vbi primum stationibus nudata castra animaduertit, mox reliquum peditatum ac equitatum omnem diuersis portis ad castra oppugnanda mittit. Interim, qui ex instituto in tabernaculis excubias obibãt, & sequi à Zamoiscio iussi fuerant, ad certamẽ iam se expedierant: primique Vngari, qui eam ad Vielikam fl. castrorum partem tenebant. Inde Ioannes Kretkouius cum turma Stanislai Prziemscii, Satnacius cum Hieronimi Gostomscii, quarum legati erant, post hos alii tanta celeritate procurrerunt, vt eodẽ quasi in vestigio vno conflictu atq; trecenti circiter ex hostibns caderent, caperentur vltra sexaginta: magna vero eorum pars vulnerantur. Suiscius, qui è proximo muto eucnsum eruptionis expectabat, cædem hanc & fugam suorum cernens, reuocatos intra vrbem mox recepit. Desiderati & ex Polonis prælio eo aliquot fuerunt, cum valle ab hostibus occupata circumuentis auxilium ferri ab aliis non potuisset. Erat is quartus mensis Ianuarii dies.

Obsessi erũpunt.

Obsessorum cades.

Disputabatur interim ab vtraque parte de pacis conditionibus. De Sueciæ Rege responderant Mosci, non recusare Principem suum, quo minus pacem cum illo faciat, verum debere eum more maiorum ad Nogardiæ Palatinum mittere, qui de conditionibus pacis acturus cum illo esset: præter exempla institutaq; maiorum nil omnino sibi faciendum. Qua de sententia cum deduci non possent, inde ad summam Liuoniæ, cæterarumque arcium vtrinque reddendarum conditionem ventum. Plurimum de hac controuersiæ fuit, cum prouinciam, quam viginti nouem annis bello, multoq; sanguine suo vix acquisiuissent, ac in qua multi Russici generis nati essent: plurimi etiam domiciliis constitutis inueteraſſent, ægre

De pacis cõditionibus disputatio.

relinquetent. Ad extremum de Derpato & Nouogrodeco Liuonica, cum reliquis vrbibus & castellis fere omnibus cessissent, vehementer resistebant, quod in illam religionem suam iam inuectam dicerent. Tandem cum præter expectationem suam minus ad voluntatem ipsorum ad Plescouiam res fluere, ac ne summam quidem cum aliarum rerum fere omnium, tum frigoris difficultatem ab obsidione Polonos reuocare, iamque maxima hyemis parte exacta mitiora tempora instare intelligerent: maxime autem Posseuinus, qui, quo minus suspecta fides sua apud Moscos esset, cum illis diuersabatur, ne vllo cum fructu in re tam pia tãtum elaborasset, summa apud vtramque partem libertate in pacem incumberet, res conuenit. Pacti, vt vasa sacra Derpato ac Nouogrodeco tollere sibi liceret, nec Episcopus sacerdotesque eorum contumelia afficerentur, vniuersa Liuonia quam in sua potestate Princeps eorum haberet, decesserunt: Regis nomine è contra Vielicoluco, Zauolocia, Neuela, aliisque castellis nonnullis, quæ superioribus annis ab hoste cepisset, Velisio, ac Polocienſi agro omni recepto, illis cessum fuit. De Narua aliisq; castellis à Sueco occupatis diu discepratum, cum Poloni Moscorum tergiuersatione in potestatem Sueci venisse ea dicerent: Mosci nihil ad se præstationem eorum pertinere contenderent, quæ nec ante à se inter arces Liuonicas, quas Regi obtulissent, nominata fuissent: nec nunc tenerentur. Tandem cum in eo hæreretur, ita controuersia suspensa, vt iuri suo in Naruam, reliquasque arces, quæ à Sueco possiderentur, minime Regem defuturum legati testatum facerent, Veissenſteinio autem, quod iam ante Regi Moscus obtulisset, diserte legati eius decederent, de captiuis deinde actum. Cum Mosci vtrinque captiuos sine lytro reddi vellent: Regis nomine, quod ex Moscis primarios viros complures, illi ex regiis captiuum insignem nullum fere habe rent, Zauolocia, Neuela, ac extremo loco Sebesium pro captiuis posceretur; Moscus vero non tantam hominum, quantam possessionum rationem habendam sibi iudicaret, in aliud tempus, quo ad exigendum pacis à se mutuo sacramentum legatos vtrinque missuri essent, tota hæc res delata fuit. De tormentis ac apparatu bellico in præsidiis ita conuenit, vt relictis, quæ, cum quæque caperentur, in arcibus fuissent, & vtrinque illata, secum quisque deferret. Iis igitur conditionibus decennalis pax confecta fuit. Legati iureiurando statim eas firmarunt; de Principum iuramento, vt maiores legati exigendi sacramenti causa primum à Rege ad Moscum, inde à Mosco ad Regem ablegarentur, constitutum. Atque ita post tertium annum grauissimo bello finis impositus, decimo quinto Ianuarii anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo, tanta cum lætitia Mosci, vt magno metu magnoque periculo liberatus, nil iam publicis & domesticis calamitatibus (quas longe maximas perpessus fuerat) omnino commoueretur.

Conditiones pacis decennalis.

Bellum finitum tertio anno postquam cæpit. An Ch. 1582.

Rex in Liuoniam proficiscitur.

Pacato ad eum modum Mosco, nihil prius Rex habuit, quam vt prouinciæ constituendæ causa ipse in Liuoniam Rigam vsque procederet. Quam cum Senatoribus aliquot Polonicis & Lituanicis satis frequentibus comitatus duodecimo Martii die ingressus fuisset, postridie Zamoiscius ad eum venit. Post Ducem Curlandiæ, ac ex Nobilitate Liuonica frequentissimos literis euocat, quæque ad prouinciæ eius statum pertinere videbantur, cum omnibus iis communicatis, vt scripto sententiam suam explicarent,

rant, hortatus eos fuit. Capita, de quibus deliberabatur, erant potissima hęc: de templis cultuque diuino instaurando: de Episcopo restituendo: Prouincia Ordinis iudiciorumque causa in partes certas diuidenda: magistratibus ac ærario publico constituendo. De quibus cum, quid quisque sentiret, ostendisset, Rex licet non ignoraret, à maioribus suis etiam sine Ordinum autoritate prouincias ab iis partas priuato consilio constitutas: quo tamen gratius beneficium suum esset, si, cum omnes operam studiumque suum ad eam prouinciam recuperandam contulissent, ex omnium consilio certa eius formula describeretur, in comitia totam rem distulit: legatos tantum partim ex comitatu suo, partim ex Nobilitate Liuonica designauit, qui prouinciam vniuersam inspicerent: agros redituſque eorum omnes ac iura describerent, omnibusque iis de rebus ad se referrent, quo rectius deinceps in comitiis statui de iis posset. Quibus ita constitutis, cum Rigensibus de iis, quæ in aduentum Regis reiecta, actum fuit, Occuparat Ciuitas à morte Archiepiscopi Vilhelmi cum sedis ac templi Archiepiscopalis possessionem, tum omnia, quæ ad id pertinerent, iura ac prouentus: adque Augustanæ confessionis formam omnia templa reuocarat. De hoc capite ita conuenit, vt D. Iacobi & D. Mariæ Magdalenæ ædes ad catholicæ religionis vsus cum omnibus, quæ antiquitus ad eas aliquo iure spectassent, prouentibus redirent: pone vrbem curia Archiepiscopi prope muros vrbis sita vna cum domibus Canonicorum ac areis desertis permaneret: cum vero census aliqui annui percipi olim publice iis ex locis soliti fuissent, vt eorum nomine certam pecuniam annuam D. Iacobi ædi, eiusdemque sacerdoribus Ciuitas penderet. De vallo, quod contra arcem Ciuitas obiecerat, assensum à Rege, vt eo, quo nunc esset, loco maneret, cumque se quoque ab omnibus partibus arcem vallo circumdaturum ostendisset, id solum adiectum, vt ad eius modum, quo arcem muniturus esset, vrbis quoque vallum æquaretur: ab eademque arcis parte in muro vrbis porta aperiretur. Inter Curlandiæ etiam Ducem ac Ciuitatem de nauigatione ac portorio controuersia erat; cum ille per fluuium, qui ex ditione eius infra Rigam in Dunam illabitur, vsum portus Rigensis, mercium que exportandarum ius ac immun[illegible]m sibi vindicaret: ciuitas negaret. Eos vt inter se componerent, hortatus Rex fuit: quod, si conuenire non posset, in comitiis cognitur[illegible] de ea se ostendit. Venerat Rigam & Dux MAGNVS Holsatus. Hic eius, quam possidebat, Liuoniæ partis confirmationem petebat, adque homagium accipiendum, ac iuramentum præstandum se offere[illegible]at. Huic ostensum, more maiorum non nisi in comitiis id fieri posse. Vltimo loco Nobilitas desideria sua ad Regem detulit. Quæ cum ad vniuersæ prouinciæ statum tenderent, responsum & huic fuit, humanitatem ipsam postulare, vt cum regni Ordines tantum laboris, atque sumptus in prouincia ea liberanda suscepissent, ne sine eorum autoritate iis de rebus statueretur.

Cum Rigensibus agitur

Angebatur potissimum animo Rex, ne, cum Moscus, qui in finibus Liuoniæ ex præsidiis Liuonicis, quæ deduxerat, non contemnendas copias coactas habebat, Naruam iis oppugnaturus dicetetur: si minus forte paratus tum Suecus esset, minusque ad resistendum virium haberet, vtrique eam perderet. Itaque mox Petrum Visgerdum Lituanum cum literis ad Moscum mittit, ostendit, accepisse se ex legatis suis, quos Zapoliæ habuerit, pacem inter eos atque ipsius legatos certis conditionibus conuenisse:

Rex legatis ad Moscum mittit, pacem factam rata habet.

eam se ratam habere. Cum autem arces Liuonicas, quæ à Sueciæ Rege occupatæ, in conditionibus præteritas intelligeret, si à Mosco oppugnarentur, ius suum ac Reipublicæ, quod semper excepisset, negligere se non posse: id se pro sua fide ac religione dissimulare non debuisse: hortari, ne forte ea res pacem turbet, vt, dum maiores legati, qui pacem vtrinque firmaturi sint, ac si quid dubitationis in conditionibus adhuc sit, de eo cum illo conuenturi, ad eum perueniant, omnem vim ab illis abstineat. Constituerat iisdem de rebus Regina ad sororem Sueciæ Reginam per Christophorum Varseuicium literas dare. Cum cunctaretur, Rex qui in ea, cum voluntatis Mosci, tum aliarum rerum incertitudine nullam moram interponi volebat, censuit Dominicum Alamannium culinæ præfectum quamprimum ad Sueciæ Regem mittendum, præ cæteris idoneum ad legationem hanc ratus, quod ab eo iam tempore, quo primum de matrimonio inter Regem Sueciæ, Ducem tum Finlandiæ, & Reginam Catharinam per Ioannem Baptistam Tencinium potissimum actum fuerat, Alamannius, qui in familia Tencinii tum fuisset, omnium rerum conscius & sequester fuisset, indeque tam Regi, quam Reginæ notus esset, Reginæ etiam, apud quam potissimum negotia hæc propter summã cum regno Poloniæ necessitudinem, & quod nõ parum apud maritum posse existimabatur, agenda videbantur, non ingratus putarerur. Summa legationis erat, vt repetitis iis, quæ ab initio belli vtrinque intercessissent, terti anni bellum nullam aliam fere ob rem, quam solam Naruam, ac vt communi pace Suecus comprehenderetur, à Rege susceptum ostenderet; reliqua enim Liuonia fere omni, legatione Vilnam ad Regem missa, iam ante Moscum cessisse: eo magis contra opinionem Regis accidisse, quod dum ad Plescouiam cum exercitu Rex hæreret: quo iturum se pro mutua necessitudine amice ante ei aperuisset, hostemque ab omni auxilii suis in Liuonia ferendi facultate exclusisset, cum ab illis potius partibus in Moscouiam illum irruptum expectasset, non modo Naruam, ac vicina castella præsidiario milite, quem Plescouiam ex præsidiis omnibus hostis contraxerat, nudata, commeatuque, ac omni spe auxilii destituta: sed Veissensteinum quoque, quod iam hostis cessione Regis esse sciuisset, dissimulatis literis regiis, ac iis fere copiis, quas Gedani magna ex parte ministri eius conquisiuerant, occupasset, Parnauiam obsedisset: potuisse Regem, si id tentaturum eum præsciuisset, & sumptu, & labore eius anni belli supersedere: iam vero & cursum rerum præclare contra Moscum geri cæptarum, & obsidionem Plescouiensem, cuius cum grauiorem partem iam superasset, facile etiam reliquam superaturus fuisset, interrumpere, ac sine ipso etiam pacem facere necesse habuisse: ne dum pro eius commodis laboraret, maius in Liuonia incommodum, de qua sola bellum tum erat, ab eo acciperet. Pro quibus iniuriis omnibus vt Regi Reique publicæ satisfaceret, postulare iussus. Secreto mandatum ei, vt cum hæreditatis Sigismundi Augusti, pecuniarum ei creditarum, dotis ab eodem promissæ, nec dum numeratæ, aliarumqne rerum quarundam petitionem Suecus relaturus existimaretur, ostenderet quidem, aliam earum rerum petendarum rationem esse, certumq; de iis ius, ac morem iudiciorum antiquissima regni consuetudine receptum, aliam iniuriarum, quibus ab illo Rex affectus esset, quęque cum iis rebus nil commune haberent: si tamen ita animatum videret, vt de Reualia quoque

Rex legatũ ad Regem Suecia mittit.

quoque ac omni iure Liuonico simul decidere paratus esset, dotis & mutui, quod peteret, solutonem sine vlla exceptione ei promitteret: reliquarum cõtrouersiarum disceptationem communibus arbitris Regem permissurum: vt cõmuni etiam pace comprehẽderetur, apud Moscum elaboraturum ostenderet. Quod si ne iis quidem conditionibus permoueri se pateretur; vel pacem cum Mosco certam Regis opera ei fore, vel mille equites in bellum Moscouiticum sumptu suo Regem ei præstiturum reciperet: ex eorum nimirũ genere, qui beneficiis Sigismundi Augusti ornati, haud inuiti in militiam eam conuenturi essent, idq; pro libertate gentis Polonicę salua pace publica arbitratu suo facere possent: stipendio autem ac sumptu Regis tamdiu futuri apud eum essent, quoad eadem pace, quam cum Rege haberet, ipsum quoq; Moscus comprehẽderet. Quod si eo tempore de Liuonia, quam teneret, vniuersa transigere Suecus alienum existimaret, docere iussus fuit, non recusaturum Regem, quo minus communium amicorum interuentu, quicquid inter eos esset controuersię, componi pateretur: si quid etiam debere illi videretur, præstaret, modo de Narua interim in omnes casus vtrinq; satis prospiceretur, ne, dum ipsi inter se de ea disceptarent, à Mosco occuparetur. Id ea ratione commodissime fieri posse, si Regis præsidium in eam immitteret. Cum enim Moscus propter pacem, quæ cum Rege ei esset, si præsidium regium Narua receptum fuisset, oppugnare eam non posset, non modo Naruæ, sed aliorum etiam præsidiorum suorum Liuonicorum, quibus Narua obiecta esset, securitati sine incommodo ac molestia sua eum consulturum: simulque omnibus copiis suis coniunctis ad defendendam Finlandiam longe futurum paratiorem, si nec arces controuersæ contra vim hostilem defendendæ ei essent, nec copiæ in diuersa præsidia distrahendæ. Interim de arbitris inter se conuenturos, & vel minutum controuersias omnes eorum interuentu iri, vel si tolli eæ non possent, Regem Naruam illi redditurum, aliasque iuris sui persequendi rationes inituram. Non vero fraudi ei esset, quod propter commune periculum Naruam sibi tradidisset, abunde in eum casum ei cauturum. Profecto iam Alamannio, Varseuicius cum litetis à Regina Rigam venit. Dedit & huic eadẽ Rex fere, quæ Alamannio, ad Regem Sueciæ mandata. Iussit autem, vt si priorem legatum aliquid constituisse intellexisset, non exposita legatione se reciperet: si infecta re dimissum comperisset, ostenderet, quod maiores legati eo ipso tempore in Moscouiam à Rege mitterentur, comitia etiam breui Rex indicturus esset, summam illum, & vt pace à Mosco comprehenderetur, & de aliis rebus cum Ordinibus agendi facultatem habiturum: hanc causam fuisse Regi, vt licet iam ante iisdem de rebus legatum ad eum misisset: tamen & Reginæ coniugis suæ precibus, & mutua necessitudine adductus, denuo se ad illum mitteret, hancque explicandarum omnium harum controuersiarum opportunitatem ei significaret. In conditionibus nil, quemadmodum ostensum, mutatum fuit.

Antequam Riga Rex discederet, maiores legatos in Moscouiam designauit, Ianusium Zbarasiũ Palatinum Braslauiensem, Nicolaum Taluosiũ Castellanũ Samogitiæ, & Micaelem Haraburdam. Mãdata hæc iis data fuerũt, vt iuramento paci firmandæ à Mosco exacto, de Sueciæ prætereaRege eadẽ pace comprehendendo agerent. De Narua autem, ac aliis castellis Liuonicis, quæ à Sueco possessa, si tentaturus ea Moscus esset, non defuturum

Legati in Moscouiam missi, qui iuramentum exigerent à Mosco.

iis

iis Regem, vel etiam pacem, si id fieret, ratam habiturum testificarentur. De captiuis, quia ante Moscus postularat, vt vtrinque pariter captiui redderentur, non parem vtriusque captiuorum rationem esse ostenderent; cum in Regis potestate præcipui ipsius ductores essent: ille ex regiis insigniorem nullum, ex Nobilitate paucos, reliquos ex promiscua plebe haberet. Itaque vel Zauolociam ac Neuelam, aut alterutram saltem earum Regi pro illis permitteret, postularent: cum ante firmioribus adhuc rebus suis pro paucioribus captiuis Vsuiatam ac Iezerisciam obtulisset, quarum hæc nondum tum in potestatem Regis venisset, vel cum ipse ante Sigismundi Augusti temporibus certa precia in singula capita exigere solitus fuisset, eodem exemplo suo suos nunc redimeret. Dimissis legatis, quos ad describendam Liuoniæ prouinciam designatos supra dignum est, Vilnam Rex profectus fuit, ibi legationem Tartaricam audiit, quæ à Mahomete Chiereio Tauricanorum Tartarorũ Principe haud multo ante venerat. Petebat is donatiua: de Kosacorum iniuriis & vexationibus querebatur, quæ quidem etsi non infrequentes extiterant: augebantur tamen ex industria à Tartaro, quo domestici metus, ac vicini periculi simulatione longinquam Persicam militiam effugeret, in quam à Turca sub idem tempus euocabatur. Responsum à Rege donatiua more maiorum datum iri, iisdemque, quibus antea fuisset, legibus, pacem cum illo futuram. De Kosacis idem etiam, quod ante aliquoties ostensum, manum hominum ex diuersarum gentium colluuie coactam, vagam, ac nullis certis sedibus consistentem, nullius etiam in potestate esse: vt tamen, quoad eius fieri posset, ab iniuriis & infestatione prohiberentur, sedulo ac cum fide operam datum iri. Insolentius hoc à barbaris acceptum, responsoque audito, Princeps legationis in ipso quasi discessu publice testificatus est, vt omnia fierent, nisi tamen Kosaci in officio continerentur, pacem se non seruaturos.

Rex Vilna legatos Tartaricos audiit.

Regis responsum.

Iam ante minoris Poloniæ ac Russiæ Nobilitas legatis missis de tributo in suis conuentibus à se decreto certiorem Regem fecerat. Hoc vero tempore, priusquam Vilna Rex moueret, à maioris quoque Poloniæ, Masouiæ, ac Podlassiæ Nobilitatis legatis aditus, de simili tributo in illis quoque conuentibus sancito cognoscit. Gratiæ vtriusque actæ, deque animo in Rempublicam Regis optime sperare iussi fuerunt: cuius constituendæ, ac Liuoniæ simul, quam communi omnium consilio ac ope partam, communi etiam Ordinum iudicio Rex reseruasset, ordinandæ causa intra eum ipsum annum comitia Regem habiturum in responso vltimis hisce dato adiectum fuit. Moscus literis Regis, quibus, vt à Narua cæterisque Liuoniæ præsidiis abstineret, hortatus eum Rex fuerat, statim assensus fuit. Apud Sueciæ Regem ingrata legatio: nec multum in Regina etiam ad mitigandum animum eius præsidii fuit: cum præterquam quod iracundia eius omnes ad placandum eum aditus omnibus obsepserat, de iniuriis, quib. ob non præstitam dotem hæreditatemque fraternam, ac non comprehensum pace maritum affectam se existimabat, vltro quereretur. Itaque cum ea Alamannius inde renunciaret, ex quibus istas quoque res vltra superiores iniurias magis exasperatas appareret, Rex, qui Vilna Grodnam iam venerat, Senatoribus pleriſque euocatis, comitia ex illorum sententia eo maturius indicenda statuit, in quibus de Regis Sueciæ iniuriis ad Ordines referret. Interim in Liuoniam ad magistratus & Præfectos, quo loco res essent, perscriptum,

Moscus literis R. assentitur.

Apud Sueciæ Regem ingrata legatio Regis Polon.

scriptum, vtque viderent, ne per negligentiam detrimenti quid acciperetur, moniti fuerunt: cum Lituanis actum, vt si quis præter opinionem in vicina Liuonia motus accidisset, suppetias ferrent: cum Duce item Prussiæ, vt finitimo, & ipso Liuoniæ Principe per Reinholdum Heidensteinium secretarium regium eadem communicata fuerunt: cumque legati maiores ad Moscum missi, quibus mandata de pace Sueciæ Regi apud Moscum conficienda data, in itinere iam essent, ne vllam eius rei mentionem facerent, & ipsum rem suam agere permitterent, per celerem quendam tabellarium significatum iis fuit, Grodna sub mensem Augustum Varsauiam Rex processit, eo Varseuicius quoque è Suecia eodem, quo Alamannius, legationis exitu ad eum venit. Ibidem vero, dum comitiorum diem expectat, Iancula Valachiæ Palatinus in potestatem eius venit, quem ob iniurias, quibus Regem & subditos suos affecerat, inprimis, quod in finitimas aliquot villas Nobilitatis vicinæ latrociniis ac incendiis grassatus fuerat, eosque, qui rerum suarum repetendarum, iurisque obtinendi causa ad illum veniſſent, pulsatos in carcerem coniecerat, Leopoli gladio ferire iure gentium iussit, bonis ipsius in publicum redactis, vxori & liberis alimentis annuis constitutis.

Grodna Rex venit Varsauiã.

Iancula Valachiæ Palatinus capite truncatus.

Appetiit interim tempus comitiorum, mense Octobri Varsauiæ indictorum, in quibus capita ad deliberandum proposita hæc per Regem fuerunt: de certa interregnorum ac electionum ratione stabilienda, ne, vt antea in interregnis aliquoties accideret, si absque hærede mori ipsum contingat, nouis motibus ac dissensionibus omnia inuoluantur: de concordia inter ecclesiasticum & ciuilem Ordinem, vt ab iniuriis & contumelia vtrinque abstineatur, suumque cuique tribuatur: de iudiciorum correctione: de Liuonia magistratibus ac legibus fundanda, præsidiis, commeatu, instrumento omni bellico, aliisque contra repentinos casus ad defensionem necessariis prouidenda: de munitionibus collapsis instaurandis, & nouis instituendis: de Narua, cæterisque Liuoniæ oppidis & arcibus à Sueco occupatis bello recuperandis: de stipendiis militi soluendis, & de tributis ad ea conferendis. Hæc postquam primo ad Senatores, inde ad conuentus Nobilitatis, qui in singulis Palatinatibus ante comitia ex more haberi solent, delata fuerant, non eodem ab omnibus animo accepta fuerunt, iidemque fere animorum motus, ac hominum sermones renati, qui in superioribus comitiis nonnullis extiterunt. Alii quod suffragio suo in electione Regem subleuassent, cum ipsum regnum sibi debere eum existimarent, minus vel se expeditione sua, vel, quæ ipsi concupissent, alios consequutos dolebant, non pauci ad hos diuersarium partium supererant, qui in superiorum interregnorum contentione victos se meminissent. Quidam, qui in concionibus ac conuentibus Nobilitatis plurimum hactenus potuerant, nomen gratiamque in vulgus, ac opes inde parauerant, omnia præmia in milites conferri mussitabant: iis artibus, quibus ipsi plurimum pollebant, nullum amplius locum relinqui moleste ferebant. Vniuersæ vero Nobilitatis animi, vt qua quisque re maxime permouebatur, ita varie afficiebantur. Alii non id agi iactabant, vt de modo aliquo electionis tractaretur, sed vt successor priuato consilio imponeretur: interim cum regio imperio alienæ potentiæ vicarius ac adiutor constitueretur, Zamoiscium notantes: huc milites beneficiis deuinctos spectare; retentos in pace ex iisdem non pau-

Comitia Varsauiæ.

Capita à Rege proposita varie accepta.

eos à Zamoiscio, vt oppressa per metum Nobilitate per vim & arma regnum occuparetur. Diuersum de religione sentiẽtibus libertatis eius imminutio, circumscriptioniſq; metus obiici. Iudiciorum emendationẽ, non correctionem aliquam à Rege quæri à nonnullis disputabatur: sed quo, cum in vniuersum ea sustulisset, ad se denuo ea transferret: omniaq; secus omnino accipiebãtur, ita vt alia eiusdem rogationis capita, quæ regiis opponerentur, detorto ad metum iniiciendum sensu in vulgus à quibusdam ederentur, erũpente nonnihil inter hæc inuidia etiam in Zamoiscium. Publice quidem plerique honores Vngaris collatos exagitabant, Landskoronam fere designantes, quam vidua Gasparis Bekeschii marito, qui in castris ad Polociam ob virtutem iure Nobilitatis Polonę donatus fuerat, ac fratre eius Gabriele, qui in irruptione Plescouiensi perierat, amissis, vna cum orbis liberis tenebat, & sub id tempus Frãciſco Vesselinio nupserat. Interim non deerant, qui Regi, si de successore agi vellet, operam suam vltro deferrent: cumque Rex, etsi ita de Repulica se meritum sciret, vt non minus quam aliorum Regum, suæ quoque familiæ ratio haberi deberet: ab hoc tamen tempore id tentare alienum, studiaque Ordinum vltro potius expectanda sibi existimaret; spretos se rati, ac aliorum opera confici id posse Regem sperare, eo magis incendebantur.

Nobilitas etsi quid maximis Regis in se ac Rempublicam beneficiis deberet, agnoscebat: libertatis tamen aliarumque carissimarum quatumcunque rerum metu iniecto hæsitare, cunctantiusque agere, omnia denique suspecta habere. His igitur animis cum in comitia ventum, Zamoiscius pro munere Cancellarii verba nomine Regis faciens, orsus à voto, quod, cum ex superioribus comitiis discederetur, ipsi fecissent, quoque, vt saluus & incolumis ab expeditione ea Rex ad se rediret, ac ipsi lætis animis in mutuos amplexus ruerent, optarant: quod à Deo precati erant, ita cumulate iis præstitum ostendit, vt non modo incolumem salno exercitu, sed re etiam bene gesta, immortalique gloria parta, reuersum ex hostico Regem viderent: quod in ipsorum potestate totum fuisset, vt mutuis gratulationibus ac fraterna beneuolentia se exciperent, certorum hominum maleuolentia impeditum ait. Quorum opera id factum, non arbitrari nunc sibi inquirendum. Videre autem, iam Petilios in Republica quosdam existere: optandum, ne mox Catilinæ etiam aliqui subsequantur. Quæ præfatus, domesticarum rerum nil aliud hisce comitiis proponendum sibi Regem statuisse docet, quam quæ ipsi non modo viuente adhuc Sigismundo Augusto, ac superioribus comitiis Andreiouiensibus, vt ferrentur, sanxissent: sed postea etiam cum sæpe alias, tum in proximis comitiis efflagitassent. Itaq; illorum precibus Regem adductum de modo liberæ & ordinatæ electionis referre. Cum de ratione eligendorum Regum certa statuere eos debere diceret, non id velle, vt de relinquendo iure electionis, ac patrimonio hoc libertatis, quo nil à maioribus eorũ relinqui iis potuerit præstantius, cogitarent: sed quomodo eam quam maxime integrã beat, non aliorum exemplis confirmandum sibi existimare: eos ipsos, si superiorum interregnorum actiones ac grauissimum discrimen, in quo Respublica adducta tum fuerit, secum perpendant, æstimaturos: nullam hic Regis rem agi, sed suam ipsorummet, optare tamen se ne huic suæ occasioni

Cancellarii oratio nomine Regis in comitiis.

De ratione eligendorũ Regum.

desint,

desint, superiorumque annorum benignitate diuina, qua mirabiliter Rempublicam conseruatam intelligant, ad futurorum potius consiliorum spem se erigant, quam ad securitatem ac negligentiam abutantur. Quod si artibus quorundam in suspicionem mentes eorum adductæ sana consilia capere minus possint, aut velint, totum in ipsorum potestate futurum, seu statuere quid de hac re velint, seu omnino eam relinquere. Eandem de altero capite, concordia inter Ordines ineunda, quod secundo loco proponendum Rex iudicasset, sententiam eius esse. Probe ipsos meminisse, quo studio & in Andreiouiensi conuentu, vt deinceps de eo referretur, egissent, & quantopere postea idem à Rege flagitassent. In communi omnium fere regnorum, ac horum temporum fato nos præcipua tamen fortuna vsos, vt concordiam ciuilem egregie huc vsque tutati simus: hanc hisce fere retineri, vt ab iniuriis & contumelia vtrinque abstineatur: iure ac causa cognita, non vi aut extra ordinem quid statuatur: maxime vero, vt quod cuiusque est, omnibus tribuatur. Id autem tam ad bona, quam ad honores etiam ac prærogatiuas pertinere: hac vna re iustitiam perfici: iustitiam fundamentum esse Reipublicæ, & qua illa contineatur, concordiæ. Nemini dubium esse, quin duobus hisce Ordinibus ecclesiastico & ciuili Respublica hæc potissimum subsistat. Proinde ipsi, quorum res ageretur, viderent, suscipiendamne, an relinquendam huius rei deliberationem existimarent. Iudiciis nũ quid deesset, omnium optime ipsos, qui in iis versarẽtur, iudicare posse: non posse sane dissimulari, adeo breui tempore calumnias in iis creuisse, vt non pauci grauioribus studiis relictis, totos se causidicis ac captionibus excogitandis, quibus alios irretirent, dare dicantur. Regem operam suam, si qua in re emendatione opus habeant, iis detulisse: qua, si placeret, vterentur: inuitis Regem eam non obtrusurum. Ingressus deinde in sermonem de Liuonia, statuque eius omni demonstrato, quidque cum Mosco hactenus de locis, quæ à Sueciæ Rege tenerentur, actum esset, commemoratisque Sueci iniuriis eo potissimum incumbit, vt, quo nullum in ea vicinum inueterascere patiantur, iis persuadeat, omnem societatem imperiis infidam: in prouincia nuper parta, dum animi hominum adhuc dubii, nondum legibus ac institutis coaluerint, periculi plenam: neminem prudentem in nouam prouinciam eiusdem præsertim cum indigenis linguæ ac nationis vicinum admisisse, aut, qui admiserit, non eum statim pœnituisse. Inde de Tartari minis & Kosacorum, qui subinde bellum Reipublicæ conflarent, iniuriis refert. Fuisse superioribus comitiis rogationem latam, qua extraordinaria iurisdictio ad certum tantum tempus permissa Regi fuerit: aut illos in officio continendos, aut de bello cum Tartaris suscipiendo cogitandum. Extremum de stipendiis militum fuit. Scitum quidem superioribus comitiis tributum, id num in stipendium, ac nomina, apud exteros Principes facta, dissoluenda: in defensionem Liuoniæ in bellũ Tartaricum sufficeret: per quos item stetisset, vt tardius minus, quam deberet, illatum fuisset, ipsi inquirerent: in erogãdo quidẽ & fidem, & diligentiam summam reperturos: ita milites meritos ait, vt ante omnia ipsis cõsulere debeãt, qui pro gloria ac dignitate nominis Polonici nõ modo cũ ferocissimo hoste, vtrbeq; omnib. reb. munitissima, sed in regione boreali cum sæuissima hyeme, cum aeris cæliq; iniuriis ac natura fere ipsa ab omnibus imparati, ac seminudi fere propugnarint.

De concordia inter Ordines.

de Liuonia statu.

de Tartar. minis & Kosacorum iniuriis.

de stipendiis militum.

» Nihil hic ſe de Liuonia dicturum, prouincia olim florentiſſima, ac nunc e
» tiam omnibus opportunitatibus abundante, per ipſorum cõſtantiam par-
» ta. Quantum apud exteros nomen ipſorum virtus omnibus pepererit, eos
» ipſos teſtes eſſe poſſe, qui, quæ poſt diſceſſum Henrici, cum Tartari metu
» ac trepidatione omnia complerent, autoritas eorum apud exteros fuerit,
» meminiſſent, & quæ nunc de virtute eorum omnium ſit exiſtimatio, intel-
» ligerent: poſtquam potentiſſimo hoſte ſuperato, amiſſas aliquot prouin-
» cias recuperarint, nouas adiunxerint. Nec tamen pluris à ſe fieri hæc, quam
» quem iis ipſis parandis ſimul Reſpublica acquiſiuiſſet, plurimorum for-
» tium virorum inęſtimabilem theſaurum: qui ita iam & animis parati, & in
» armis exercitati ſint, nullum vt tantum periculum exiſtere poſſit, quod
» non promptiſſimo animo pro Republica ii ſuſcepturi ſint. Horum ſpem
» ne deſtituerent, qui ne dignitatem nominis Polonici vileſcere paterentur,
» fortunas omnes ſuas, ſanguinem vitamque ipſam profundere non dubita-
» rint: denique non alienis hominibus beneficium præſtituros, ſed neceſſa-
» riis, fratribuſque, quę virtuti ac laboribus eorum deberentur, ſtipendia per-
» ſoluturos. Hæc eſſe, de quibus referendum Rex exiſtimaſſet: viderent nunc
» ipſi, num cũ iis, quæ alieno nomine in vulgus à nõnullis ſparſa eſſent, con-
» uenirent. Conuerſus deinde ad Regem, optare ſe, inquit, vt pro tantis eius
» rebus geſtis, vel ea gratia ei referretur, quæ in bene morata ac grata ciuitate
» pro multo minoribus non Regi, ac tam amanti Reipublicæ Regi, ſed cui-
» cunque exercitus duci referri ſoleret. Non egere tamen animi magnitudi-
» nem eius conſolatione ſua: plus enim in illa præſidii ad quoſcunque fortu-
» næ impetus ac maleuolorum iniurias perferendas eſſe, quam in illis ad eam
» frangendam virium: non eſſe dubitandum, has ipſas quorundam homi-
» num iniurias illuſtraturas magis laudem atque nomen ipſius. Quem enim,
» qui ipſius res geſtas olim cognoſceret, non magis, quod in tot à quibuſdam
» obiectis difficultatibus, tantas res gerere potuiſſet, quam quod omnino eas
» geſſiſſet, admiraturum? eſſe animi magnitudinis eius, ne iniuriis quiden
» abſterreri ſe pati, quo minus, quemadmodum perpetuo feciſſet, porro be-
» ne de Republica mereri pergeret. Milites allocutus, non debere eos exi-
» ſtimare oſtendit, tam ingrati animi notam, tantamque iniuriam in tam for-
» tibus ac bonis ciuibus hærere poſſe. Vltimo loco Prouinciarum nuncios
» hortatus fuit, vt cumprimis publicæ dignitati atque vtilitati ſtuderent.
» Cupere ſe, inquit, alios adeſſe, integros ac bonos etiam ciues, quorum ma-
» gna præter ipſos multitudo eſſet, qui domi liberis ſuis educãdis ac domeſti-
» cæ rei operam darent: facile ſe iis perſuaſurum, nil vt Reipublicæ commo-
» dis potius haberent; eorum omnium partes illos ſuſcepiſſe, tantoque ma-
» gis in omnes res intentos eſſe oportere, quibus reliqui, qui domi remanſiſ-
» ſent, non ſuam modo ac ſuorum, verum Reipublicæ etiam ſalutem com-
» miſiſſent.

Sententia à Senatoribus dicuntur.

Peracta rogatione, ſententiæ à Senatoribus dici cœptæ fuerunt, vt de ratione electionis, cæteriſq;, quę propoſita, perferretur, omnes fere ſtatuere, duobus tantum exceptis, quorum alter, nullis hominum conſiliis à Deo regna mandari: alter, non poſſe vlla è Republica, ac ne oportere quidem ambitum excludi, cenſebant. In nunciorum collegio principio Zamoiſcii concio exagitata fuit, maxime vero, quod iam Petilios nonnullos eſſe dixiſſet, videndum, ne mox etiam Catilinæ exiſterent. Cum contra ab aliis oſtende-

Cancellarii oratio exagitata.

oſtenderetur, non vniuerſum Ordinem, ſed certos homines, ac ne homines quidem, ſed vitia notata: à quibus qui abeſſe ſe intelligeret, orationem quoque eam ad ſe non pertinere ſciret, res diſcuſſa fuit. Negotium inde Suentoslao Orzelſcio datum, qui totius Nobilitatis nomine pro bene geſta Republica gratias Regi ageret, deque ſermonibus, qui contra dignitatem eius à nonnullis habiti, aut in vulgus ſparſi dicerentur, ei ſatisfaceret. Qui cum in huiuſmodi rei mentionem ingreſſus fuiſſet, vt in autores eorum Regem inquirere, ac cognita cauſa animaduertere debere diceret, aduerſo quorundam collegarum murmure, ac mox conuicio pene exceptus fuit. De re ipſa, maxime de electionis forma certa conſtituenda variæ inter eos ſententiæ fuerunt: quibuſdam omnino ferri de eo oportere negantibus, quod in re, qua maxime libertas contineretur, quoties aliquid fieret, quo minus late ea, quam antea, pateret, libertas ipſa ſemper minueretur, anguſtioribuſque, quam antea fuiſſet, finibus circumſcriberetur. Alii contra, ita maxime libertatem electionis ſtabiliri diſputabant, ſi fraudes atque ambitus legibus excluderentur: præterea tanquam affecta iam re, ac contracta ſuperioribus comitiis tractatione, inprimis Andreiouienſis fœderis religione obiecta eam vrgebant: plerique ſuſcipi quidem eam, non finiri tamen volebant; vt, quæ de ea dicerentur, ad ſuos referrent, quo rectius ſequentibus deinceps comitiis ex vniuerſæ Nobilitatis ſententia ſtatui de ea poſſet. Dum inter eos diſputationibus hiſce tempus extrahitur, interim cognitionibus cauſarum capitalium primis octo comitiorum diebus Rex vacauerat. Cumque magnam libertatis prætextu in alios inferiores ac pares inſolentiam ac petulantiam quidam Nobiles exercerent, freti priuilegiis, quod Regi ſupplicium de homine nobili ſumere ſine Senatus regni decreto non liceat: multos in his comitiis Nobiles homicidii, aliorum que ſceleris reos, ac in his Caſtellanum Viſcenſem ex familia Ilouia, quod Graiouium minutim concidi iuſſiſſet, capite plecti mandauit. Poſt, quemadmodum cœperat, reliquarum cauſarum cognitionibus operam dare pergit. Ac inter cæteros Stanislaus Czarnkouius, magnæ apud Nobilitatem authoritatis vir, ob inſtrumenta pactorum dotalium inter Sophiam Iagelloniam Sigiſmundi primi Regis filiam, ac Henricum Ducem Brunſuicenſem initorum penes ſe reſeruata, per procuratorem fiſci, & ob Znini oppidi Archiepiſcopi Gneſnenſis poſſeſſionem, coadiutoriam, vt vulgo vocant, ſibi vendicans, ab Archiepiſcopo Stanislao Karnkouio, qui Iacobo Vchanſcio ſucceſſerat, in ius ad Regem vocatus erat. Is apud internuncios Nobilitatis vrgebat, vt euocationes omnes in regiam exemplo Sigiſmundi Auguſti, qui citationes omnes, in cauſis fiſci editas, vno decreto ſuſtuliſſet, abolerentur. Etſi vero Rex & Senatus regni non omnes ſine deſcrimine tolli, ſed legitimas euocationes ab illegitimis diſcerni volebant: tamen Nuncii in propoſito ſuo perſtiterunt, & per complures dies diſputatione hac extracta frequenter in concilio ſuo tumultuati ſunt. Sicque totum tempus comitiis deſtinatum conſumptum, ac tandem rebus infectis ac pẽdentibus diſceſſum. Venerant ad hæc comitia quoque legati Moſci, vt iuramentum pacis ſeruandæ à Rege acciperent, quemadmodum regii iam ante ipſorum Principem iureiurando obſtrinxerant. Præſtitum id à Rege maxima omnium Ordinum corona, ara ad id in comitio conſtituta, Archiepiſcopoque, poſtquam tabulæ fœderis à ſcribis lectæ fuiſſent, in verba ei præeunte.

Nobilitatis nomine gratia aguntur Regi.

Caſtellanus Viſcenſis capite plexus.

385

Legati Moſci ad comitia iuramẽti à Rege accipiendi cauſa ueniunt.

Præter iuramenti exactionem, vt de captiuis vtrinque permutandis agerent, mandatum habebant. Quod cum obtinere non potuissent, vt in locũ certum captiui comportarentur, redimendiq; eos potestas, quorum essent, fieret, impetrarunt. Referebant nonnihil & de finibus controuersiæ ex eo potissimum ortæ, quod de Velisiensi agro ne à Polonicis Ordinibus, à quorum copiis captus erat, vindicaretur, in Zapoliensi fœdere à Liuanicis scribis adiectum fuerat; vt quemadmodum olim is ad Palatinatum Vitepscensem pertinuisset, ita posthac pertineret: Moscq; ab eo tempore, quo in potestatem eorum Velisium venisset, magnam partem Toropecensis agri ad eum adiectam contenderent. Placuit, vt vtrinque legati ad fines regundos mitterentur. De castellis Liuonicis, quæ Sueciæ Rex occuparat, iam ante per proceres Moscouiticos cum legatis, à Rege in Moscouiam missis, conuenerat, vt per totum pacis tempus à cis-Naruanis Moscus, ab vltra-Naruanis Rex vtrinque abstinerent. Excepti deinde conuiuio fuerunt more maiorum, splendideque habiti, hominibus elegantioris cultus fere rudibus cum epularum magnificentiam, tum apparatus varietatem, multo magis tamen Regem ipsum admirantibus. In tam insigni publicarum rerum perturbatione, seu potius negligentia, præ cæteris tamen militum conditio miserabilis videbatur. Pleriq; enim non modo tanquam ad paratũ stipẽdium, cuius spes iniecta illis, sed ad magnam honorum pro re bene gesta agrorumq; spem, ii præsertim, qui Nobilitate ob virtutem donati, præsidia etiam ista, quibus nobilitatem tuerentur, ac alia præmia sperauerant, omnium rerum egentes ac nudi alieniſſimo anni tempore eo venerant, vt non pauci è nobilioribus etiam ad Plescouiam occubuisse se malle dicerent, quam ad tantam egestatem, atque omnium rerum difficultatem redigi. Sed militum difficultatibus conquisita vndique pecunia, cum ab aliis destitutam fere Rempublicam, à se tamẽ deserendam Rex non existimaret, quo ad eius fieri potuit, occursum fuit: agenteque cum iis Zamoiscio tanta animorum alacritas innata iis fuit, vt non modo diem solutionis ad Pentecostes proferri paterentur, sed dum modo certo aliquo loco collocarentur, ex quo commeatus sibi supperterent, si interim Tartari irruptionem facerent, etiam sine stipendio, quocunque ducturus eos Zamoiscius esset, ituros se pollicerentur.

Controuersiæ de finibus inter Regem Pol. & Moscum.

Mosci legati conuiuio excipiũtur.

Militũ miserabilis conditio.

Rex Liuoniæ curam impendit.

Solutis comitiis, cum iam nuncii discessissent, Rex cum Senatu Liuoniæ etiam, quantam potuit, curam impendit: initioq; à diuinarum rerum cura facto, Vẽdam, quam potissimum ad accipiendam nouam sedem Episcopi idoneam iudicabat, oppidis castelliſq; aliquot, ac possessionib. ad eam adiectis, Episcopatui attribuit, & à Pontifice, vt Episcopatum autoritate sua ibi fundaret, petiit. Prouincialibus etiam iura certa, ac forma prouinciæ, vt aliquam tamen sui curam habitam cernerent, pro tẽpore descripta fuerunt. A Nobilitate etiam legati Varsauiam venerant: alii præterea frequentes priuati suarum quisque possessionum, è quibus se, vel maiores suos à Moscis deiectos dicerent, recuperandarum causa. Summa publicorum postulatorum erat, vt pacta inter Sigismundum Augustum, ac Prouinciæ eius Ordines, quo tempore se in potestatem illius dedissent, conuenta rata Rex haberet. Eorum hæc fere erant capita: vt non nisi Germani in ea prouincia magistratus essent: possessiones, quas tum singuli haberent, aut postea consecuti fuissent, quo vnquam optimo iure possedissent, possiderent: iura ac priuile-

Publica Liuonum postulata.

priuilegia singulorum integra conseruarentur. Addiderunt ad hæc, vt iudiciorum certa ratio constitueretur: ne castella demoliri, quemadmodum Rigæ regio nomine imperatum iis fuerat, cogerentur: vt in captiuis suis recuperandis à Rege iuuarentur. Responsum: quod ad priuilegia à Sigismundo Augusto concessa, meminisse eos, quid ab eo tempore, quamque varia intercessissent: quid etiam huius temporis esset, pro sua prudentia perspicere: debere cos se credere iudicio Regis, qui cum salutis eorum auctor fuisset, ornamentorum ac commodorum prouinciæ eius non minorem se curam habere ostensurus esset. Sigillatim vero, quod præcipuæ auctoritatis in illa prouincia magistratum Germanicæ gẽtis peterent, cum ab honore eo ex prouincialibus, si qui ad eum idonei futuri essent, neminem excluſum Rex vellet; eo futurum acerbius, si ipsi suæ salutis libertatisque auctores à dignitate tam præclaræ victoriæ remotos vellent: daturum operam Regem, vt eum prouinciæ præficeret, qui ex æquitate, ipsorumque iure ac legibus omnia administraret; tum vero in Prouinciali publico consilio constituendo, iudiciis, cæterisque officiis Præsidum, Succamerariorum, & reliquorum præcipuam vetustæ quoq; Nobilitatis Liuonicæ in prouincia ea rationem habitum iri. Inter iura ac priuatas singulorum possessiones id discrimen factum: vt, quæ à superioribus Liuoniæ Principibus, legitimisque eius magistratibus vsque ad Guilhelmum Marchionem Brandeburgicum Archiepiscopum Rigensem profecta essent, iure ipso rata haberentur: quæ à posterioribus collata essent, quod ea tempora inde consecuta fuissent, quibus multa non ordine fierent, prouinciaque nullo fere certo imperio teneretur, de iis Regem ex publicis prouinciæ commodis, cuius vt opibus ac neruis contra omnes casus muniretur, præcipua ratio habenda esset, & cuiusque meritis, genere denique ipso possessionum statuturum; ad eaque cognoscenda primo quoque tempore conuentum prouincialibus edicturum, in quo sua quisq; iura exhiberet. Cum autem superiori tẽpestate amisisse pleriq; priuilegia sua dicerentur; eos, quę, à quibus, quoque tempore & tenore literas habuissent, aperire debere, eaq; omnia suo idoneorumque testium iuramento comprobare. Iudicia ad formam Prussiæ à Rege constitutum iri. Castellorum demolitionem hoc potissimum consilio Rex imperarat, ne vires prouinciæ, quemadmodum superioribus temporibus factum, distraherentur: eandemque ob causam ex suis quoque non pauca deiecturum se edixerat. Idem hic iis responsum: non debere eos detrectare, in re, qua publicam potissimum prouinciæ salutem Rex spectaret, quo minus eius exemplum imitarẽtur. In captiuos redimendos certus illustris generis numerus promissus iis fuit. Magnvs Holsatiæ Dux cũ difficultatibus quibusdã suis, quemadmodũ Rigæ à Rege monitus fuerat, ipse comitia obire non potuisset, legatos miserat: per quos eadẽ fere, quæ Rigæ, proposuit, Quæ cũ sine præsentia eius explicari non possent, ad sequentia comitia necessario dilatus fuit. His confectis, crebris nunciis de apparatu Tartarorum Varsauiam allatis, Varsauia Cracouiam Rex proficiscitur. Eo quoque mẽse Decemb. venit legatio Tartari Præcopiensis, quæ, nisi cõtinuo cõditiones, quas ferebat, Rex acciperet, iisq; satisfaceret, bellũ denunciabant. Ad eã Sinan Bassa literas adiunxerat, quib. Turcam etiã iniurias Tartari non negecturũ ostẽdebat. Iam ante autem iustam equitatus partem in Russiã Zamoiscius præmiserat, ad eam, quam potest, maximũ numerũ militũ adiicit: quos addi-

Regis responsum.

Legatio Tartari Præcopiensis ad Regem Pol.

Rex mittit Zamoiscium contra Tar. taros.

addictos adhuc habebat, omnes contrahit, nouos suis stipendiis alios conscribit: ex Nobilitate fortissimum quenque euocat. Præter eos Constantinus Ostrogius Dux suas copias, quas non contemnendas ex clientibus suis coactas habebat, prompte Reipublicæ offerebat. Itaque in Russiam Zamoiscium contra Tartaros Cracouia Rex mittit.

In Prussia Ducali, cuius administrationem obibat Georgius Fridericus Anspacensis Marchio Brandeburgicus, mense Aprili Regiomonti ab Ordinibus conuentus coactus est, qui ad Principem, pecuniam ab iis efflagitatem, de variis capitibus, ad Rempublicam ipsorum spectantibus, emendandis instituerunt. Postulata autem fuerunt hæc: vt Episcopæ Sambiensi reditus non fisco transcriberentur, sed alicui Episcopo idoneo, vt anno millesimo quingentesimo sexage simo sexto constitutum erat, reseruarentur: Academia Regiomontana instauraretur: tres scholæ triuiales alibi in Ducatu, vt anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto decretum, aperirentur, quem in vsum Ordines certam pecuniæ summam conferrent: Ius Culmense, cuius in Prussia vsus esset, reuisum typis euulgaretur: querimoniæ subditorum iniuste oppressorum non posthaberentur: Respublica per solos Prutenos gubernaretur, summoque quatuor Consiliariorum Senatui exterorum adiungeretur nemo: legati ad Poloniæ Regem negotiorum publicorum causa indigenæ tantum mitterentur: Nobiles abcedibus suis non vi abstraherentur: dicasterium aulicum rite constitueretur: sumptus aulæ contraherentur: Principis armamentarium conseruaretur: libera lignorum emptio præstaretur: liberi homines ad seruitutes non cogerentur: extraordinariam contributionem in posterum nullam imperandam Princeps diplomate caueret: moneta nominis boni signaretur: nauigatio in fluminibus: cuique pateret: vectigalia noua in Lituania & ad Vistulam, quod fraudi incolis sit, nuper impolita tollerentur: ius prioritatis in piscium emptione ipsius concederetur: ædificia ad maris portum excitata, & vectigalia in mari Balthico Principis interuentu abrogarentur. Hæc & alia Principi proposita, quod parum ipsi grata essent, magis inde animi vtrinque exacerbati fuerunt. Quæ tamen subsecutis annis tranquillata sunt omnia.

An. Ch. 1583. Rex nouam gubernationis Liuoniæ formam promulgat.

Ineunte anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio Rex nouam gubernationis Liuoniæ formam, de Episcopo & collegio ecclesiæ Vendensis nouo, in locum Archiepiscopi Rigensis, ac cæterorum, qui proximis belli aboliti essent, à se fundando: de vtraque religione, Romana & Augustana pariter toleranda: de tribus Præsidibus, Vendæ, Derpati, Parnouiæ, & supremo Liuoniæ gubernatore Rigæ sedem habituro: de iudiciis Nobilitatis: de conuentibus publicis, ad quos prouocetur: de executione: de iure municipali: de pace publica: de commerciis, & aliis promulgat. Derpati senatum nouum ex ciuibus Germanis, tribus consulibus, & tredecim senatoribus eligi permittit anno vigesimo quinto, postquam à Russis vrbs occupata, & prior gubernationis forma abolita erat. Paulo post Rigæ, vbi Burggrauius, vti vulgo vocatur, ratione officii liberam & plenam in vrbe iurisdictionem, etiam in Nobiles, vrbis tranquilitatem turbantes, habebat, accidit, vt quidam ex gubernatoris regii familia in patea impetum in ciuem faceret, à quo tamen læsus ipse nunquam fuerat, sed puellæ ab eo amatæ mater vidua de debito importunius compellata erat. Cuius vim sibi illatam Burg-

Burggrauio Gaspari Bergio indicat, qui missis in hospitium publicis ministris, Nobilem vocari iubet. Hic elapsus, de iniuria sibi facta apud gubernatorem regium in arce queritur, à quo citatus Burggrauius exceptionem de incompetentia fori, & priuilegia ciuitatis, & instructionem suam, qua Burggrauius Nobiles in vrbe delinquentes comprehendere potest, opponit. Postea, vt officii sui iura & ciuitatis priuilegia tueretur, citatus non comparet. Condemnatus igitur quasi ob contumaciam, ad Regem ipsum controuersiam totam defert, qui Burggrauiũ absoluit, & ipsius auctoritatem confirmauit. Gubernator etiam decretum prius à se latum, deinceps alio decreto plane sustulit, & Burggrauium liberum pronunciauit. Moritur interim MAGNVS Holsatiæ Dux, Friderici secundi Daniæ Regis frater, quem Liuoniæ Regem à Mosco nominatum, illiusque affinem fuisse, & tandem ab illo discedentem, in diœcesin suam Curonensem, antea à se possessam, rediisse, dictum est. Quam prouinciam eo defuncto Nobiles quidam Poloniæ, quidam Daniæ Regibus deferebant. Tandem Georgius Fridericus Marchio Brandeburgicus in Prussia Dux, in quem velut arbitrum vterque Rex consensit, eo deducit, vt numeratis à se Daniæ Regi triginta millibus Ioachimicorum in feudum ipsi à Rege Poloniæ attribueretur. Itaque mense Iulio Daniæ Regis nomine quidam legatus subditos diœcesis illius à iuramento Daniæ Regi præstito liberauit, & Regi Poloniæ tradidit. Cuius in Liuonia vicarius Georgius Radiuilus Cardinalis vicissim Marchionem Georgium Fridericum Prussiæ Ducalis administratorem in possessionem diœcesis instituit. Mensis Septembris die decima septima obiit Catharina Iagellonia, Ioannis Sueciæ Regis coniunx, Sigismundi primi Regis Poloniæ filia, relicto filio vnico Sigismundo tertio post Rege Poloniæ Sueciæque & filia Anna innupta.

Magnus Dux Holsatiæ moritur.

Curonensis prouincia feudum Pol. Regis.

Subsecuto anno Gedanenses, pendentibus adhuc cum Stephano Rege aliquot controuersiarum capitibus, ex Sigismundi Augusti Regis defuncti commissione originem ducentibus, ac inprimis portorii negotio, & aliis, quibus contra ipsorum iura & priuilegia grauarentur, in compositione belli ad comitia reiectis, hoc anno demum integre cum Rege transigunt, eique binummalem portorii auctionem, vt de singulis bonorum, quæ inuehererentur, & euherentur, marcis quatuor nummi deinceps pendantur: eiusque dimidia pars Regi, altera senatui soluatur, concedunt, hac conditione, vt grauamina Ciuitatis nominatim proposita aboleantur. Rex itaque vicissim omnes Cõmissariorum Regis Augusti actiones & constitutiones in præiudicium & damnum Ciuitatis vergentes, & ipsam placationis formulam irritam pronunciat, nec vllam deinceps earum mentionem fieri debere sancit. A Commissariorum, si quos deinceps in vrbem mitti necessitas flagitabit, actionibus ad Regem prouocatio erit. Portorii concessio nil Ciuitatis iuribus, priuilegiis, & libertatibus pristinis derogabit, nec à Rege illiusue successoribus aut Senatu augebitur, nec immunitatibus extra ordinem à Rege datis diminuetur. Priuilegium Casimiri de facultate nauigationis & littora regendi anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo datum Ciuitati, & Sigismundi de bonis naufragis & caducis denuo confirmat. Nec vectigalibus nouis in Vistula institutis Gedanenses ipse, vel successores onerabunt. Ciuium priuatorum lites in aulam deinceps non euocabunt, sed ordinariæ Ciuitatis iurisdictioni relinquent. Temere

An. Ch. 1584. Gedanenses integre cum Rege transigunt.

apud Regem de magistratuum negligentia vel iniuriis conquerentes: non impensas solum, sed & pœnas calumniatorum subibunt. Aduersus contumeliosarum citationum autores iniuriarum agere citatis licebit. Mandata vsitatos iuris processus impedientia, deinceps nulla Reges dabunt: verum si Gedanensis magistratus informationem res desiderabit, intra bimestre clausis literis eam ad Regem mittent. Piratas & speculatores maritimos, quales antea fuerunt, plane Rex abominatur & tollit. Saluis commeatibus Regis ciues non ab ordinaria iurisdictione, sed tantum à vi magistratuum iniusta & carceribus exemti erunt, nec vltra trium mensium spacium vlli dabitur, intra quos, si indignus eo beneficio iudicabitur, Rex informari: committens crimen, non obstante fide publica comprehendi ac puniri poterit. A iurisdictione ac muneribus personalibus vel realibus nullum deinceps Reges eximent. Contuberniis opificum cæterisque collegiis priuatim nulla priuilegia Reges dabunt, &, si quæ data sint, irrita erunt. Senatui vero more maiorum de collegiorum corporumque statutis decernendi potestas integra manebit. Moratoriasseu securitatis literas nullas ciuibus aut incolis Rex dabit, nisi fortunæ aduerso casu bona amiserint, & de amissis testimonium à senatu vrbis habeant, eoque nomine commendati fuerint. Transmarini salis subuectionem in Prussiam Ciuitas liberam sine vllis exactionibus nouis retinebit. Vistulæ fluminis cursum auerti, & alio deriuari Rex prohibet, nec peregrinis in detrimentum ciuitatum in villis & pagis emere ac vendere, & opificia ac negotiationes exercere permittit, & priuilegia contraria cum priscis Ciuitatis & cunctæ Prussiæ iuribus pugnantia abrogat. Hæc Gedanensibus dimidiam portorii aucti partem Regi permittentibus vicissim concessa, & tractatio tota Grodnæ cum Rege conclusa: iusiurandum vero à præfectis portorii Ioanni Tarnouio Regis Commissario præstitum est. Sequenti demum anno Varsauiæ in comitiis omnia Senatus regni auctoritate confirmata & edita sunt.

Samuel Zborouius supplicio capitis affectus.

Sub idem tempus Samuel Zborouius, frater Petri Palatini Cracouiensis, Ioannis Castellani Gnesnensis, Andreæ Marescalci aulæ regiæ (quorum opera & suffragio inter reliquos ad regnum peruenerat) supplicio capitis affectus fuit, quod proscriptus cum esset ob cædem Andreæ Vapouii Castellani Præmislienſis, contra dignitatem & vitam Regis quædam tentasse diceretur. Quo supplicio extra regni comitia de tanto viro sumpto Nobilitatis animi varie affecti fuerunt, qui motus tamen extra murmura in apertum non eruperunt. Sed propter facti insolentiam rem totam, altius paulo exordio ducto, repetere non fuetit hic alienum. Samuel hic Zborouius, quod circa tempus coronationis Henrici Valesii Regis Andream Vapouium Castellanum Præmislienſem interemisset, in perpetuum exilium ire iussus est, sine tamem aliqua nominis ipsius infamia. Qua de causa, vt sæpius in Poloniam ad suos ire redire posset, in vicinis & finitimis locis, præsertim vero in Transyluania, Podolia, & Valachia hærebat. Qua occasione etiam tam Cracouiæ, quam aliis in locis morabatur, atque interdum etiam licentius agebat: interim in id manibus pedibusque incumbens, vt fratrum ac consanguineorum opera atque intercessione parte offensa placata communi Ordinum decreto in iutegrum restitueretur; qui conatus tamen

men multas ob causas successu caruit. In singulis vero comitiis querelis motis de proscriptis siue exulibus, contra patriæ leges in regno versantibus, à quibus multa illicita & iniuriæ graues aliis inferrentur, negligentibus ea locorum, in quibus ea patrarentur, præfectis, quibus id ipsum non sine aliquo officii neglecti, aut metus, aut conniuentiæ nota exprobrabatur: admoniti fuerunt serio Præfecti, vt deinceps in munere suo vigilantiores essent, ne aliquod Respublica per eorum conniuentiam periculum damnumque acciperet. Nominatim vero in comitiis quibusdam læsa parte instigante decretum fuit, ne passim Præfecti Zborouium Samuelem impune grassari paterentur, sed potius in posterum id facere conantem legibus spretis officii ratione eum comprehenderent. His causis impulsus Ioannes Zamoiscius regni Cancellarius, Præfecturam nactus Cracouiensem, cum non esset nescius, Samuelem Zborouium in minore Polonia apud suos, & alios sæpius morari, ac decreta omnia potentia suæ familiæ confisum floccipendere, per fratres Ioannem & Andream, aliosque ipsius propinquos admonendum curauit, ne posthac in locis iurisdictioni suæ subiectis subsisteret, alioquin se edictum nuperlatum ex officio executurum. Qui, tantum abfuit, vt admonitionibus locum daret, vt contra maiore audacia subinde noui aliquid moliri, & ipsi Zamoiscio insidiari in suspicionem veniret. Interea Zamoiscius, proclamatione facta, iudicia ordinaria, non nisi ab ipsis Præfectis exerceri solita, administraturus, Cracouiam ex Lituania proficiscitur. Cui Sendomiriam transeunti nunciatur, Zborouium Samuelem magno cum comitatu simul cum ipso Cracouiam ingredi constituisse, & non procul ab eo subinde pernoctare consueuisse. De quo cum certior ab exploratoribus factus esset Zamoiscius, Prossouiciæ hospitandi gratia subsistenti ei indicatur, etiam Samuelem in villa Pickari, medio inde milliari, apud viduam sororiam suam diuertisse, pleriſque suis famulis in vicicina villa relictis. Hic vero cum primus esset præfecturæ Cracouiensis locus, noctu subpræfectum Nicolaum Vrouiecium eo mittit cum præsidiariis, qui facto in viduæ domum impetu, vno puero, qui gladium domino suo porrecturus erat, occiso, & filio eius nonnihil vulnerato ob scloperum displosum. Tandem post longam concertationem Zborouium captum Prossouiciam adducit sub finem Aprilis. Vnde Cracouiam in arcem curru pone ipsum sequente libere vectus cum præsidio custodiæ traditus est. Aduenienti Zamoiscio, qui ex Nobilitate Cracouiensi tum erant, obuiam progressi eum salutant, qui diserta oratione huius facti rationem ipsis reddidit. Inter hæc Zborouio sub arcta custodia asseruato, Zamoiscius postea quam Regis consilium cognouisset, primarios regni Senatores de facto toto edocet. Altera ex parte Zborouii consanguineis & fratribus priuatim de vi & iniuria non fratri solum, sed toti familiæ facta conquerentibus, & nil non tentantibus apud Zamoiscium, vt fratrem, si non ex captiuitate, saltem ex mortis periculo liberarent. Probare eius innocentiam nitebantur, qui vim vi repellentem in casu iustæ defensionis Vapouium interfecisset: nec ab Ordinibus regni in comitiis, sed à Rege priuato, & paulo post profugo inscius Senatoribus proscriptum, adiecta in literis clausula, citra infamiæ notam, & cuius vita in Regis gratia sit: neque legum contemptu, sed regia potius auctoritate in regno mansisse, cum præcipuis

regni proceribus conuersatum, ac ipsi etiam Regi familiarem fuisse. Cumq; ad Reipublicæ Senatum in comitiis publicis nunquam delatus sit, imo sidem ipsi datam esse, quod tuto in regno versari possit, & vt filium in Germaniam deduceret, nunc per Poloniam saltem transire constituisse. Zamoiscium non tam legum obseruandarum studio, quam priuato odio inflammatum eum prehendendum curasse: addebant libertatis iura, prouocabant ad Regem & regni comitia, quod causa tanta de existimatione & vita extra comitia decidi nequeat: exaggerabant mala infinita, quę inde per totam Rempublicam dimanare possent: orant, ne propter inuidiam inclytam Zborouiorum domus turpissima infamiæ macula aspergatur: omnes etiam suas fortunas ac corpora pignorum ac obsidum loco offerentes, ne quid grauius statuatur, donec Regis & Reipublicæ autoritate & iudicio aliquid sit constitutum. Vniuersa etiam Nobilitas Cracouiensis per Stanislaum Czikouium Succamerarium tractus illius oratione accurata intercedit apud Zamoiscium, ne quid præcipitanter in Zborouium committeretur, sed potius ad comitia huius causæ cognitio, vel ad Regem reiiciatur. Quibus Zamoiscius prolixe respondit, facti totius narratione eis vicissim exposita, suppressa tamen plana voluntatis suæ significatione, addens, se in præsenti causa id facturum, quod sibi secundum Deum officii conscientia dictatura esset. Interim Andreas aulæ Mareschalcus frater Samuelis, acreliqui eius propinqui literis apud iudices tribunalitios, tum Lublini iudicia exercentes, instant, vt auctoritate sua interueniente Zamoiscium, ne quid insolentius in fratrem statueret, rogarent, satis iam infamiæ ac violentiæ ipsorum familiæ illatum: promittebant, daturos se decem obsides ex familia, ac se obstricturos, quod eum in comitiis Regi ac Senatui iudicandum repræsentaturi essent, vbi secundum leges & decreta legitimas defensiones proponere constituisset. Petierunt tandem ab iis consilium, quid, aut quomodo in tam tristi familiæ casu sibi agendum. Responsum eis à iudicibus datum breue, sed prudenti perplexitate inuolutum, vt nil inde pro se interpretari, aut contra Zamoiscium possent. Et quidem se in tali casu ipsis consilium impertire non posse, cum eius rei cognitio ad iudicium suum non pertineat, non dubitare se, consilia ipsis sufficientia domi non defutura. Eo etiam tempore Zamoiscius literis ad eosdem iudices datis docet de toto negocio, non consilium petens, sed rem gestam vere explicans, ne vulgi præiudiciis, vt in eiusmodi rebus fieri consueuit, prægrauaretur. Gratias ei agunt iudices, quod tanta prudentia & vigilantia vsus sit, satis eum testatum fecisse, quod non solum in defendenda patria, ac bello gerendo strenuus, sed etiam in legibus obseruandis, ac publica pace tuenda probe sit exercitatus: non dubitare se, actum præsentem ad huiusmodi perductum iri effectum, vt omnibus constet, illum legum & libertatum patriæ peritissimum esse, ac vt vtrumque eius, videlicet publicum, ac deinde libertas Nobilitatis sarta tectaque permaneat, nihilque inde mali, quod nonnulli ominari viderentur, emergat. Paucis diebus interiectis, cum Nobilitati Cracouiensi, quæ pro Samuele Zborouio interceſſerat, responsum fuisset, significatum illi, vt domui suæ disponeret, à Rege enim mandatum esse Zamoiscio, ex iustitiæ lege & iure cum ipso ageretur. Cumque colloqui cum Zamoiscio cuperet, conuenit is eum ante vesperam tribus testibus adhibitis, vbi cum mitius secum agi rogasset, iubet Zamoiscius mandatum regium legi,

legi, ac deinde ex fratris Christophori ad ipsum literis de multis cum eo expostulauit. Postero die summo mane educitur ad supplicii locum solitum, sub prefecto cum tribus vel quatuor aliis præsentibus, quinquaginta peditibus Vngaricis cinctus, substrato panno rubeo, capite plectitur, inuolutusque linteo imponitur feretro, atque pannis contegitur. Quinta post hora decollati socrus aliquot fœminis nobilissimis & amicis cincta, arcem conscendens cæsi corpus sibi tradi petiit, quod currui impositum in Palatini olim Calissiensis domum deportauit, vbi lotum & assluto capite, denuo more militari ornatum, biduo à quibusuis conspectum fuit. Quarto post die Andreas frater Mareschalcus aulæ magno cum comitatu Cracouiam venit, nullaque mora aut solenni aliqua actione vel protestatione facta eodem die corpus ex vrbe abduxit. Cum autem fratres Zborouii de Zamoiscii rigore atque iniuria apud affines, propinquos, & passim alios multa conquererentur, ac de Rege ipso in ordinem redigendo quædam diuulgarent, literisque ad plures alios scriptis aduersus Regem conspirationem moliri existimarentur: conspirationis autores Christophorus & Andreas fratres ad comitia Varsauiæ proxima literis regiis citati sunt.

Ioan. Basilides Moscor. Dux moritur.

Paulo ante Ioannes Basilides magnus Moscorum Dux, cum annos quinquaginta & septem menses vixisset, & viginti quinque annos grauissimo Liuoniam bello adflixisset & vastasset, tyrannidis & vitæ suæ finem fecit, non tamen vulgari mortis genere absumptus. Nam paucis ante diebus, quam è vita migraret, ter lethalem sensuum motuum stuporem & hebetudinem passus, quasi reseruata à Deo in eos dies impiorum flagitiorum pœna horas viginti quatuor continuas mortuo similis iacuit. Prima vice expergefactus obducta & tristi fronte filium rogauit, vt quosdam in arctiori custodia ad vltimum supplicium asseruatos vinculis solueret, professus palam, se in quodam loco tenebris tortoribusque infesto propter eos grauissimis tormentis affectum esse. Quibus verborum terriculamentis permotus filius istorum carcerum tecta statim demoliri iussit, & per totam vrbem supplicationes decreuit, diuos precatus, vt patris vitam, qui ob nimiam auaritiam & crudelitatem cunctis hominibus inuisus erat, bono tamen fine claudi dignarentur. Captiuis etiam largissima manu pecuniam & alimenta dedit, libertatem præterea, & honestam vitæ conditionem illis pollicitus, si à summo rerum Domino breuem tantum istorum cruciatuum mitigationem patri impetrarent. Potentior autem fuit ira Dei iustissimi, quam hominum preces. Quippe tyrannus lethali pallore perfusus, & horrendum in modum fœtens, iterum exanimatus in conspectu circumstantium expers sensus decubuit, præsensque mortalibus aliis documentum præbuit, homines impios & sceleratos nouissimo etiam die pœnas pendere, quas viui & valentes effugerant. Inter hæc magnum in vrbe silentium, magna rerum expectatio. Nemo quippe Principis fortunam serio fleuit, nemo moriturum viuere cupiuit: ostensam libertatem senes laudabant, patribus è carcere euasuris filii gratulabantur: meliorem rerum statum omnes sperabant. Basilides cum velut ab inferis excitatus, iterum ad sese rediisset: ad filium conuersus, exactiones, inquit, & vectigalia, quæ in prouinciis ampliatis reditibus semper deteriora feci, abolebis, eosque homines, quos bonis imposterexui, tuis opibus subleuabis, & captiuis etiam ad vnum omnibus missionem & libertatem dabis. Et has quidem vltimas preces meas apud te va-

te valere volo, nunc morior, & Diuos precor, vt tibi terrarum omnium donent imperium. Hæc cum dixisset, in tertium lethargum incidit, nec multo post cum gemitu & miserabili boatu vigesimo octauo Martii animam efflauit, disruptisque statim illis abscessibus, qui pudenda occuparant, tanto fœtore ex profluente sanie totam eam habitationem impleuit, vt adstantes, qui à pestifera tabe infici nollent, plenis passibus eo relicto diffugerent. Trigesimo Martii die ex aula incredibili cum pompa fuit eductus, & exequiarum singulari magnificentia in templo Michaelis maiorum tumulis illatus: eo fortassis vno beatus, quod eosdem penates, & regiam, & sepulchrum habuit. Corpus eius ipso statim die emortuali fuit desideratum, nec deinceps à quoquam visum, aut inuentum. Atque hic quidem est exitus potentissimi & crudelissimi Principis, quo maiorem ad vicinos Reges ac populos auctoritatẽ terroremq; nemo habuit. Moriturus filium suum Theodorum, & præcipuos proceres ad se accersiuit, in quorum præsentia filio prædicto totum imperium commisit, illiq; quatuor summos consiliarios adiunxit, qui noui Ducis & Reipublicæ salutem & emolumentum curarent. Quibus suasit, vt suo exemplo commonefacti à bello semper abhorrerent, ac cum vicinis Regibus pacem amicitiamq; colerent. Iussit etiã subditis per totam Russiam diuturno bello ad paupertatem redactis ẽsus certos & tributa ad decẽnium remitti: vt interea temporis vires & opes iterũ recolligere possint, & omnib. captiuis liberam potestatem manẽdi aut abeundi, concedi voluit. His postremis mandatis editis tonsus & monachorũ vestitu indutus ex hac vita emigrauit: cuius tyranni mors vniuersam Russiã, Tartariã, & omnes finitimas gentes immẽsa lætitia & voluptate affecit. Paulo ante obitum insidias Tartaris Casanensib. molitus erat. Nam hi superiori anno mota seditione rebellarant. Pacem igitur fictam mense Octobri cum illis cõfirmauit, atq; omnẽ seditionis culpam illis se remittere falso ostẽdit, vt securi dissolutis copiis dispergerentur, & quilibet domum se conferret. Interea exercitum ipse conscripsit magnum, quem contra Regem Suecię se ducere velle tã Tartaris quã Moscis omnibus persuasit, vt hoc modo Tartaros eximprouiso inuaderet, & pœnas seditionis ab illis sumeret. Cumq; iam Tartaros dispersos & securos esse putaret, totum exercitum cõfestim in regnum Casanẽsium misit. Qui hac de causa à magno Duce se eo missos fuisse simularunt, vt regioni Casanensi, & metropoli longa obsidione vexatæ, de commeatu & aliis rebus prospicerent. Tartari vero fraude illorum animaduersa, mox vndique confluxerunt, & Moscos, qui propter altissimæ niuis asperitatem cum equis suis fessis nusquam effugere poterant, calceis vel soleis lineis & oblongis, quibus feras & equos velocissimos per niuem præuertere possunt, adorti aliquot millia eorum trucidarunt. Ita Tartarorum seditionem moriens inultam reliquit. Ex Anastasia prima vxore filios duos suscepit, Ioannem & Theodorum, ex quibus priorem successioni & imperio iam destinatum pater ipse ante sesquiannum inconsulto impetu trucidarat. Minor itaque natus filius Theodorus morienti patri superstes solus successit, cui Irene Theodori Godouii filia matrimonio iuncta est, cum qua post mensem Iunium inauguratus est.

Horrendus exitus Basilidis Mosc. Principis.

Taurica Chersonesi pars ab Osmano Bassa occupata.

Eodem tempore Tauricæ Chersonesi pars Borealis, quæ Tartarorum Præcopiensium sedes iam aliquot seculis fuerat, ab Osmano Bassa ex bello Persico per Colchidem & Pontum Euxinum reduce mense Maio occupata,

pata, ac in prouinciæ Tauricæ formam redacta est. Est autem Taurica Chersonesus quam Przecop & Tartariam minorem nunc appellant, ampla peninsula, viginti quatuor millia longa, quindecim lata, inter Pontum Euxinũ & Mæotidem, versus Ortum porrecta ad Bosphorum Cimmeriũ, qui ad gradum longitudinis sexagesimũ quartum, latitudinis quadragesimum octauũ Europã ab Asia disterminat. Eam mediã horridi & ardui montes, in Boream & Australem, cuius Capha emporiũ celebre anno 1475. à Mahomete occupatum metropolis est, dirimũt. In Boreali vero parte Tartari Crimęi vulgo appellati, latissimos inter Borysthenem & Tanaim campos, pascuis subinde mutatis, peruagantes, sedem regiam annos iam fere quadringentos habuerunt oppidum Crimæam. Quibus donatiuum siue stipẽdium annuum Poloniæ Reges ab auorum memoria pendunt. Horum Princeps ante aliquot annos Machmetkireius Turcis confœderatus & socius fuit: aduersus quem germani fratres seditionem mouerunt: & cum viribus ipsi impares essent, ad Stephanum Poloniæ Regem auxilii causa fugerunt. Eos cum aliquoties Tartarus repeteret, nihilque apud Regem proficeret: tandem Turcicus Imperator à Rege obtinuit, vt Constantinopolim cum legato Poloniæ Regis Hieronymo Philippouio ad filii sui circumcisionem mitterentur. Tartaro autem hos Turcarum Tyrannus non restituit, cum tanquam Tartarici Principis obsides eos attineret, vt volens nolens in officio Tartarus contineretur. Id grauiter Tartarus ferebat, & tamen petente Turcico Imperatore, vt illius stipendiis in Asiam aduersus Persas auxilio Turcis iret, restitutionem fratrum denuo pollicente, gratificatus ipsi est. Cum autem Turcæ clade ingenti apud Tiflin à Persis affecti essent, Tartarus per Circassios & Mengrellios, qui iam Colchidis partem inhabitant, iter habens, clade illorũ accepta, cum exercitu suo in regnũ se recepit, multũq; damni incolis regionum Turcicarũ, per quas transiret, intulit. Verũ vt domũ rediit, intellexitq;, fratres suos sibi à Turcis ex fœdere & promissione necdũ redditos esse, ingẽti in Turcam exarsit ira. Eius mitigandi causa Amurates legatos cum donis ad ipsum misit, excusans, quare hactenus fratres ipsi non remiserit: alleganſque in securitatem eius id feciſſe, ne remissi fratres absente ipso nouas res machinarentur: se eos aut remissurum breui, aut in securitatem Tartari retenturum. At fratres Tartari negligentius Constantinopoli custoditi clam aufugerunt, ac denuo bellum fratri auxilio Moscorum & quorundam Tartarorum mouerunt. Ad quod propulsandum Tartarus Turcarum auxilia implorauit quæ quidem promissa, sed non missa. Cum autem denuo à Tartaro fratres seditiosi regno exacti essent: Tartarus omnem culpam in Turcas deriuauit, ratus eorum instinctu (cum inexplebili dominandi teneantur libidine) factum, quod bellum adeo funestum atque exitiale fratres sibi intentassent, id ni ita esset, fratres sibi iamdudum aut restitui, aut eadem diligẽtia, qua multi alii principes viri ab ipsis retinẽtur, asseruari potuisse. Accedebat eodẽ ferme tempore, vt Turca legatos ad Tartarũ mitteret, ac rursus ab ipso auxilia in Persam, non vt ante, amice peteret, sed exemplo nouo superbe ferme efflagitaret. Quare Tartarus iratũ aduersus Turcã concipit flãmas, nimiumq; irę indulgens, non prius Turcis bellũ indixit, quã intulit, atq; Capham (quæ in Taurica Chersoneso olim Theodosia dicta, à Mahomete vero Genuensib. & antea maiorib. suis erepta erat) intercipiendã sibi

Fratres Tartari ad Steph. Regẽ confugiunt.

Tartari fratres denuo bellum inferunt fratri.

Tartarus Caphã obsidet.

sibi arbitratus, eam obsidione cingit, atque armis & amotione commeatu ita Turcas in vrbe Capha, nil tale vnquam à socio Principe metuentes, pressit, vt non modo de facienda deditione deliberarent, sed etiam intra biduum se dedere constituerint. Interea Amurathes Turcarum Imperator extrema quæque à Tartaris metuens, consilio habito, Tartarum quendam Aslanū Czirei dictum, quem multos annos captiuum tenuerant Turcæ, & ipsum regii sanguinis, & vt fertur, naturalem Regis fratrem accersi iubet. Eum comiter alloquitur, ad magnos posse ipsum peruenire honores, si sibi obedire vellet. Rebellasse sibi Tartarorum Principem nulla de causa: omnia in regno tyrānice agere, subditos miserum in modum affligere, eos grauate ferre imperiosum dominum. Proinde si ipse vellet in Tartariam proficisci, se ipsi & pecunias & exercitum largiturum, vt tyrannide liberaret patrium dominatum. Consuesse enim Ottomannos iustitiam colere, miseros defendere à tyrannorum insultibus: esse apertam cunctis afflictis Ottomannicam portam, refugium & receptaculum pauperum atque derelictorum. Lætus miser, quod seruili statu solutus ilico dominus salutandus esset, annuit. Itaque ex gratia Imperatoris Turcici subito non quidem Rex, aut Princeps, sed Tartariæ Beglerbegus seu prorex declaratus est: iurauitque fidelitatem Amurathi & ipsius legitimis successoribus, acceptoque vexillo aureo, quemadmodum in signum fidelitatis, aut inuestituræ tributarii & subiecti Principes, Moldauus, Valachus, & Transyluanus à Turcis accipere consuerunt. Exinde duce Ochiali maris præfecto cum quadraginta non amplius triremibus initio mensis Aprilis soluit Constantinopoli, ac paucorum dierum spacio prope Capham appulit, cum postero die vrbs dedenda esset Tartaro. At Turcæ non modo auxilia in vrbem intulerunt, sed etiam seruitute liberatus Tartarus tentauit optimarum apud fratrem animos donis ac promissionibus, vt aut dederent sibi fratrem viuum, aut occiderent. Acceperat enim in eum finem ab Amurathe ingentem pecuniæ summam. Itaque pecunia multos ex Tartaris corrupit, inter quos etiam fuerunt consiliarii ipsius Principis, & vnus ex intimis. Qui vt conuentum erat, suum Principem, in casa tum diuertentem, cum duobus filiolis frustulatim concidunt, atque eum, cui hoc in optatis erat, Aslanum dominum agnoscunt, veneranturque, qui donis & promissis amplissimis sibi Tartarorum amicitiam & fidelitatem conciliauit. Huncad modum Tartari, qui hactenus liberi & indomiti fuerunt, ex sociis & fratribus Ottomannorum ipsi sunt facti serui. Quem amicitia Turcica finem plerunque amat habere.

Amurathes amulii Imperii excitat Tartaro.

Tartarus eum duobus filiolis cæsus.

Tartari sūt serui Turcarum.

Inito iam anno sequente Rigæ in Liuonia motus ciuium ingens Calendarii Gregoriani occasione excitatus est, qui in apertam seditionem mox erupit. Nam cum mandato Regis Stephani senatus & ecclesiæ ministri illud recepissent, & in templis Dominica Aduentus prima obseruare cœpissent: Communitas ciuium ac plebs vniuersa toto Aduentus tempore quieta sacris vna intererat. Sed eum eadem cum Pōtificiis die festum Christi natale agerent, vulgus nec concionibus, nec ritibus ecclesiasticis interesse voluit, nec sacra eucharistia vllus toto illo tempore vsus est, quod nunquam antea accidisse quisquam meminerat. Ex eo numero quidam die vigesimo quarto Decembris senatum rogarunt, vt sibi etiam genethlia filii Dei veteri more feriari liceret. Quod cum illis negatum, nec concionem habituros ecclesiæ ministros dicerent, nihilominus frequētissimi sequente die

An. Ch. 1585. Motus Rigæ in Liuonia propter Calendarium Gregor.

die hora octaua in vtroque templo cum ludirectore & scholasticis conuenerunt, cantionibus natalitiis festum celebrantes. Id ægre ferens Burggrauius Nicolaus Eick, Vilna ex legatione reuersus, Rectorem scholæ, eo quod pueris in schola præsentibus etiam multis ciuibus concionatus esset, quodque indicante senatui Parocho Regis mentionem parum honorificam fecisse in protocollo annotatum erat, in curia retinuit. Interim cum vanus quidam rumor ad concitandum multitudinem in vrbe spargeretur, Rectorem & aliquot ciues ea ipsa nocte capite truncatum iri: Conrector scholæ, & ciues aliquot Burggrauium solicitarunt, vt Rectorem ex custodia dimitteret: se de ipso in iudicio sistendo fidem interposituros: si recusaret, metum ingentis tumultus in vrbe imminentis omnium animos vrgere. Cum vero Burggrauius illis gratificari nollet, quod læsi honoris ac existimationis regiæ reum ratione officii sui iure dimittere se non posse ostenderet: Scholastici quidam paulo post in plateis discurrentes præceptoris sui calamitatem miserabiliter deplorant, & concurrentibus ciuium opificumque famulis ianuas curiæ perfringunt, Rectorem inde liberantes. Interea reliquum vulgus ædes Parochi, Burggrauii, & syndici diripit, ac parochum misere tractat. Cum primus hic repētinus infimæ plebis impetus noctu deferbuisset, postridie ciues, qui totum iam triennium post receptos in vrbem Ordinis Iesuitici sacerdotes nihil publice mouerant, sed cautionis regiæ fidem & autoritatem secuti erant, à certis ducibus incitati, in senatu conuocato queruntur, se insciis ac inuitis religionem pontificiam in vrbe & tota prouincia restitui, & libertatem patriæ publicam labefactari: iurisdictionem in Nobiles in vrbe grassantes Ciuitati ademptam: Lituonis libera cum exteris commercia concedi. Ad hanc plebis propositionem senatus respondit: Libertatem religionis & Reipublicæ consideratis rerum momentis non imminutam, sed prudenti potius consilio conseruatam fuisse. Deinde iurisdictionem, quam senatus nunquam in Nobiles meram habuisset, non amisisse. Nundinas Lituanis concessas commodo Ciuitatis fuisse, & eo tempore anni, quod intempestiuum plerumque esse solet. Huic responso ciues non acquiescentes, inquisitionem in senatus acta iuramento, quo senatui erant adstricti, renunciato, instituunt, clausis interea vrbis portis, & quatuor vexillis in forum productis. Sed cum plena periculi & varii discriminis hæc molitio esset, multi boni viri & salutis publicæ amantes, initiis vt occurrerent, summa animi contentione & cura agebant. Dux item Curlandiæ vicinus sedandi tanti motus publici causa legatos ad Rigenses misit. Ac sane initio plerique ex plebe, cum alieniores à turbulentis consiliis essent, viam reconciliationis animorum ineundam censebant. Sed publicus procurator Martinus Gisius in domo noua, in qua rei deliberandæ & componendæ causa populus congregatus fuerat, in medium, stans in mensa, processit, & in suam sententiam populum perduxit, & conseruationem religionis atque libertatis tuendæ allegans, senatus autoritatem minime sequendam admonuit. Itaque & Ducis Curlandiæ legati ne quidem in vrbem admissi sunt. Ducem ergo cum adepta fuisset plebs, in forum armata, quatuor vexillis productis processit, & per Gisium satis turbulente interrogat senatum, an communi eius consensu iuramentum Drohicini à legatis præstitum? ecclesia diui Iacobi abalienata? Iesuitæ in vrbem recepti? calendariique mutatio admissa? nundinæ Lituanicę, & alia prętera ac contra

Dux Curlādia motus sedare conatur.

Plebs duce Gisio arma capit.

instructionem legatis à ciuitate datam, Regi concessa fuerint? Placide senatus admonuit, vt arma deponeret plebs, & consilio magis quam armis secum ageret. Verum instigante Gisio plebs postulauit, vt statim senatus, dato conceptis verbis iuramento, directe ad singula capita responderet. Etsi autem senatus more solito suffragia singulorum colligere prohiberetur, respondit tamen, omnesque & singuli senatores iusiurandum, vt erat postulatum, dederunt, quicquid concessione vnius templi & receptione sacerdotum secularium, vt vulgo appellant, & non Iesuiticorum, primis ante temporibus, præsente ipso Rege vt supra relatum, factum esset; id non senatus modo autoritate, sed pastorum etiam & communitate consentiente, cum aliter sibi prouidere, & à maiori malo imminente sese liberare non possent, extrema rei necessitate ita suadente, euenisse. Acquieserent ergo, & infelicitati temporis, non sibi, vel alii cuique id totum, quod ingratum esset, imputarent. Sed nihilominus illi progressi, totos quatuordecim dies ea tractatione consumpserunt, in qua Burggrauio, & cæteris proximo tumultu ablata restitui debere, & vt præteritarum in tumultu offensarum obliuio perpetua esset, sancitum. Calendarium Gregorianum, quod mandato regio receptum erat, rursus explosum. Administratio pecuniæ publicæ, & prædiorum Ciuitatis rusticorum, vt Hamburgi, Brunsuigæ, Rostochii, & in aliis ciuitatibus antea factum, à Burggrauio & consulibus cum ciuium delectis, qui rationes senatui quotannis redderent, communicata est, & alii articuli quamplurimi vtrinque deliberati, recepti, ac subscripti sunt. Quam in rem à vulgo præscriptam, nolens volens metu armorum præsentium coactus Burggrauius senatusque consensit, alias, reddita sibi integra magistratus autoritate, nunquam consensurus. Postea apertis iterum portis, & restituta tranquillitate publica, mense Martio, nullam sanctæ amnestiæ rationem habentes, actionem aduersus Ioannem Tastium, qui multis annis Ciuitatis secretarius ac prætor, & in legationibus oratoris munere functus erat, in iudicio instituunt: quod in legationibus ad Regem nomine ciuitatis susceptis multa præter fines mandati accepti in multis articulis, ad religionem, bona ecclesiastica, munitiones vrbis, mercaturæ Lituanæ Nobilitatis in vrbe cum exteris: duas partes portorii seu vectigalium Regi cedendas: iurisdictionem aduersus Nobiles in vrbe delinquentes, statuto Torunensi corpori priuilegiorum inserto, ciuitati quasi ablatum pertinentibus, multa contra Ciuitatem egisset, ideoque eum in curia attineri ad litis vsque exitum petiuerunt. Ideo senatus in summo rerum discrimine constitutus, vt cederet tumultuanti plebi, Tastium in curia manere, causamque suam paulo post dicere iussit.

Calendar. Gregor. explosum.

Tastius Rig. Secretarius in Curia custoditur.

Burggrauius vero regius, cum non solum domus ipsius in primo tumultu à seditiosa plebe hostiliter oppugnata direptaque esset: & ipse de incolumitate corporis sui & vitæ periclitatus, vix per fenestram tecti in vicini ædes elapsus se conseruasset: sed etiam post sancitam à vulgo amnestiam diras ac minaces voces in dignitatem ac existimationem illius contumelioſas, & periculum capiti ipsius intentantes, in consiliis seditiosorum priuatim & publice spargi, ex fide dignis intelligeret: aliquoties in senatu de iniuriis ac violentia omnibus nota sibi antea illa-

tea illatis, & quotidianis maiorum periculorum denunciationibus querebatur, ac securitatem suo corpori ac vitæ aduersus manifestam violentiam & sicariorum insidias præstari petebat. Nam quod ad legitimam iuris defensionem, non se illorum auxilium requirere, sed Deo & innocentia sua fretum, legitimi iudicis sententiam intrepide expectaturum. Quod si senatus seditiosorum violentia oppressus, tuitionem vitæ & famæ suæ præbere non posset, de aliis mediis sibi cogitandum palam testabatur. Itaque cum Cardinalis Radziuilus gubernator regius Rigam rediisset, ad illum in arcem, vbi sub regia protectione tutus viueret, decimanona Martii se contulit, ac mox discessu suo senatui significato, quinque ex senatu, ac totidem ex ciuium vniuersitate præcipuis ad se accersitis, quid contra ius gentium, & præter omne suum meritum hactenus tyrannice aduersus se susceptum & actum fuisset, commemorauit, simul adiiciens: etsi intolerabiles has & inauditas fere iniurias atque violentiam vlcisci iure posset, tamen, quia non, vt patriæ damnum daret, sed salutis ac tuti receptus causa ex vrbe secessisset, si media & rationes, quibus incolumis aduersus violentiam ac sicarios in vrbe versari posset, ostenderent: mox se cum iliis in vrbem ad pristini officii munia fideliter obeunda redire, & indignationem regiam hoc tumultu accensam, pro virili vna deprecari, & sedare velle. Hi cum in præsenti Ciuitatis statu turbulento nil de securitate ipsius certum polliceri possent: fideliter senatui ac ciuibus honestam hanc ipsius deliberationem se exposituros recipiunt. Cum autem tumultuantum duces non obscure hoc vnum cum suis ad nauseam vsque inculcarent (qui Burggrauium fugere iussisset, vicissim eum reducere, & securitatem præstare debere) & perpetuis verborum contumeliis ac minis eum insequerentur, tandem mense Iulio actionem aduersus ciuium Communitatem coram gubernatore regio Burggrauius instituit. Sed præcessit in vrbe inchoata aduersus Tastium actio. Qui, cum in curia aliquot dies detentus, nil æqui hoc perturbato statu expectaret: ipse etiam in arcem vrbi contiguam quinto post Burggrauium die se contulit, ibique accepta à Cardinale fide publica diutius anno commoratus est. Secesserunt eodem tempore metu imminentium sibi quoque ab inquieta & factiosa plebe periculorum Parochus & secretarius. Quibus grauissime apud Regem de communitate conquerentibus: & Burggrauio coram Cardinali Radziuilio gubernatore accusationem aduersus ciues postea instituente, Rex omnes actiones tempore tumultus cum senatu habitas, & nominatim sexaginta octo articulos nouarum constitutionum à senatu subscriptos, irritos pronunciat, & pristino loco ac tranquillitati omnia restitui mandat. Radziuilus etiam, cum ciues se iudicio sisterent, diploma ipsum nouarum constitutionum sibi iussu Regis exhibitum discidit, ac insuper decem millia Ioachimicorũ Burggrauio soluere, & iniuriam deprecari iussit. Ab ea sententia, quam non solum bona & fortunas, sed etiam honorem & famam Communitatis lædere existimabant ciues, ad Regem ipsi prouocarunt, qui sequenti demum anno partes Grodnam euocatas audiuit.

Cardinalis Radziuilus redit Rigã.

Rex plebis nouas constitutiones irritas pronũciat.

Eodem anno comitia Varsauiæ celebrata sunt, in quibus tum aliæ multæ, tum vero Zborouiorũ, qui cõtra Regem ac Rempublicam quædam moliri dicebantur, causa tractata est. Protulerat ante annum famulus quidam

Comitia Varsauiæ.

Samuelis Zborouii literas Christophori ad fratrem Samuelem, quæ post in Regis manus peruenerant, in quibus de ingratitudine ac iniuriis contra se Regis Stephani & Ioannis Zamoiscii vehementer fuerat conquestus. Inter cætera erant, non se flexurum genua coram isto Baale, nec Regem hoc nomine dignum. Insignia quoque regia dentes lupinos cauillatus, canum dentes appellarat, & antea belli Moscouitici tempore operam detulisse suam Mosco, Poloniæ hosti, accepta Lubecæ ab illius legato pecunia, aceúsabatur: & nunc Kosacos, à Samuele aduersus Regem seditiose concitatos, vrsisse, vt tota actio contra Christophorum iussu Regis à procuratione fisci Andrea Rzecicio edita ostendit. Ad hæc comitia, vt de obiectis responderent, Christophorus & Andreas fratres Samuelis fuerunt citati, vt qui contra Regis statum ac vitam seditiosis literis, consiliis, atque conatibus aliquid molirentur, quod in Samuelem fratrem iussu Regis animaduersum fuisset. Christophorus igitur cum Varsauiam ad comitia mediocri cum equitum comitatu tenderet, & non procul à Varsauia iam abesset, præmonitus de certissimo vitæ periculo, quod ei immineret, comparere noluit, Ioanne & Andrea fratribus eius iureiurando, nil vnquam de ea epistola sibi constitisse, se purgantibus. Christophorus vero à Senatu regni per Andream Opalinium regni Maresch alcum læsæ maiestatis reus ac infamis fuit proclamatus, Præfectisque à Rege iniunctum, vt deprehensum Christophorum vbicunque locorum vita priuarent. Contra has Regis actiones, & in primis de Samuele Zborouio supplicium extra regni comitia sumptum, Nobilitatis nuncii, inter quos primas tulit Sbigneus Ossolinius, nunc Palatinus Sendomirien sis, protestatione facta, priuilegia Nobilitatis ac libertatem Reipublicæ enormiter læsa conquesti sunt, multis capitibus de Regis licentia adstringenda, & corroborandis Nobilitatis libertatibus exhibitis. Ad quæ cum Regis responsum auide expectarent, Rex perinde, ac si capita non legisset, alia ad totius regni dignitatem ac incolumitatem spectantia, vtpote de finitis Mosci morte inducis, & recuperando Smolensco, de Suecis & Danis ex Liuonia pellendis, de Tartaris coercendis, de iniusta cæde Podlodosii legati in Turcia trucidati vindicanda: in primis autem de concordia omnium Ordinum, & publica pace ac tranquillitate regni conseruanda, de muniendis finibus, & aliis proposuisse dicitur. Itaque hi deludi se putantes, ne legitimis comitiis huius conuentus acta adscriberentur, & ne quid, quod hic decerneretur, ratum haberetur, interposita protestatione discesserunt. In iisdem comitiis Albertus Bolognetus Cardinalis, & Episcopi Massanensis Pontificis legatus in publico regni omniumque Ordinum consessu orationem pro statu ecclesiastico habuit, qui religionem catholicam passim in regno violari, & hæreses varias introduci; iurisdictionem ecclesiasticam, & gladiũ illius excõmunicationem eneruari: decimas clericis adimi, & contra comitiorum decretũ retineri: prærogatiuas & libertates Ordinis ecclesiastici vbique diminui: census, ornamenta, prouentus, & bona ecclesiarum spoliari: iustitiam ecclesiasticis vel non administrari, vel latas etiam iuste sententias differri, atque executionem nullam consequi, multos iam annos conquestus erat. Etsi autem de decimis olim latum in comitiis decretum erat, vt illas occupatores antiquis possessoribus restituerent: tamen initio bello Moscici executio ad alterum conuentum suspensa erat. Quam suspensionem ita Nobilitas interpretabatur, nullam, donec amice inter par-

Nuntii Nobilitatis. immunitates læsas quærunsur.

Pontificis legatus orationem pro statu eccle. siastico habuit.

tes in alio conuentu compositum esset, molestiam illis decimarum nomine deinceps exhibendam esse. Contra hanc decreti elusionem Cardinalis Bolognetus & Laurentius Goslicius Decanus Plocensis in his comitiis apud omnes regni Ordines instant, vt executioni tandem iusta sententia mandetur, nec conseruari pacem inter Ordines regni posse ostendunt, nisi iustitia suum cuique tribuens & defendens, pariter omnibus Ordinibus administretur, iustitiaque & pax se mutuo osculentur. Hæc etsi magna contentione tum dicta & acta, tamen aduersis paucorum studiis & nunciorum prouincialium aduersus Regis actiones intercessione, & hæc & alia Reipublicæ negotia tum impedita in suspenso manserunt. Theodori magni Moscouiæ Ducis in hoc conuentu legatis rogantibus duorum annorum pacem & inducias Rex concessit.

Theod. Mosc orum Ducis inducie concessæ.

Proximi anni mense Februario Stephanus Rex Ciuitatem Rigensem euocatam ad tribunal regium Grodnæ, vna cum parte aduersa ipse audit, & tandem pronunciat: etsi grauissime excitato illo tumultu, & mutato priuata autoritate toto ciuitatis statu, & vrbano magistratu in ordinem redacto, & læsis temere innocentibus viris offensus sit; tamen cum vtraque pars subiectissime roget, ne paucorum culpa publicam toti ciuitati calamitatem adferat: nunc mandare, vt tandem hæc enormia errata corrigant, & ante omnia in pristinum statum ciuitatem reponant: magistratum in integrum restituant: nihilque plane eorum, quæ sub tumultum mutata, retineant. Deinde vt exulibus grauiter læsis reconcilientur, & pro damnis datis satisfaciãt. Cumq; præcipuos seditionis autores Rex ad tribunal suum euocare, cumq; iis legitime procedere decreuerit: mandat communitati, vt se ab illis seditionis ducibus, qui citabuntur, separet, eosque ad se in iudicio regio sistendum compellat. Quod si reformationem Ciuitatis quandam ciues desiderarint, Rex communi consensu sedatisque consiliis eam institui curabit. Ex tota vero ciuium vniuersitate Rigensi duos tantum ciues misso in vrbem Sebastiano Grabouiecio ad tribunal regium, ad quod antea prouocarant, collegii maioris tribunum Ioannem Brinckium, & alterum Martnum Gisium, quo procuratore ciues in actionibus cum senatu vsi fuerant, literis citationum euocat. Hi vero prætextu priuilegiorum vrbis, causam in vrbe cognosci petentes, nec constituta die comparentes à Rege proscribuntur. Interea Tastii tragædia interuenit, quæ indignationem Regis aduersus totam Ciuitatem vehementiorem inflammauit. Postea Rigæ de syndicis Gothardo Wollingo iuris Doctore, & Ioanne Tastio prætore, cum proditæ religionis ac libertatum patriæ à seditiosa plebe insimulati essent (quos tamen viros bonos & innocentes decreto Rex postea iudicauit) exeunte mense Iunio supplicium sumptum est, cuius tragœdiæ narrationem pluribus circumstantiis auctam, ac documentis quibusdam comprobatam subiicere haud præter institutum erit.

An. Ch. 1586. Rex Rigen. causã Grodnæ ipse audit.

Ioan. Brinckius et Martinus Gisius proscribuntur à Rege.

Anno superiori varia quidem crimina perfidiæ & proditionis Ioanni Tastio obiecerant seditiosi, & in curia custodiendum detinuerant, at is in arcem vrbi vicinam salutis suæ defendendæ causa, accepto à gubernatore regio saluo commeatu, se se contulerat. Sed cum rerum documenta, quibus conuinceretur, deessent suis aduersariis, per integrum annum data quantumuis coram iudice competente agendi facultate, accusatio Tastii dilata, & prorsus neglecta est. Interim duces seditionis cum iure experiri vel non

Tastii captiuitas & supplicium.

possent, vel nollent, ex insidiis agere cœperunt, vt qua via, quouè actu liceret, suam in potestatem Tastium pertraherent. Eodem modo suspicione peculatus inani adducti, alterum item proconsulem Casparum Bergium in vincula coniiciunt, è medio tollendum. Sed cum ille Deum, suamque innocentiam testaretur, exigua quædam dilatio per Tastii captiuitatem data est, vt in curia asseruaretur. Nam cum corruptis quibusdã hominibus, qui Tastii copiam ex arce se facturos receperant, tortura Bergii iam à populo decreta, & quæ eadem nocte, qua Tastius in potestatẽ plebis peruenit, fieri debebat, dilata aliquatenus est. Vesperi in arce residens, cum iam in lectum Tastius se cõtulisset, certior à quopiam factus est, tuto illũ amplius in arce seruari non posse: videret, quomodo seipsum à periculo subduceret. Itaque cum tutam in arce fidem, & suæ incolumitatis rationem non constare videret, nec insidias sibi structas præsentisceret, vestibus indutus rusticis ex arce secedit. At eo ipso momento, quo ille ex arce abire, & nauicula conscensa Dunam traiicere instituerat, signum ab insidiatore quodam tormentorum magistro bombardæ elisione datum est. Sic ergo Tastius in medio flumine Dunæ in densis tenebris noctis à cohorte seditiosorum ad eam rem destinata è medio cursu misere capitur, & pannosus, vestibus iis, quibus suæ salutis causa vtebatur, in vrbem ac curiam deducitur. Triumphatum est à plebe, eiusque ducibus plurimum. Deinde inuito & repugnante senatu duces plebis cum Tastio non legitimo iuris ordine agere cœperunt. Capira quædam accusationis ipsi proposita fuere, vt ea vel statim fateretur vera esse, vel tormentis illico subiiceretur. Cum autem nil sibi mali conscius esset, libere quod fateretur, non habuit. Itaque statim quæstionibus grauissimis subiectus, & adeo inhumaniter, adeo crudeliter septem vicibus & intermissionibus exiguis excruciatus, Martino Gisio astante, tortus & exanimatus est Tastius, vt ipse etiam carnifex misericordia quadam commoueretur, & amplius se aliaue eum ratione torquere non posse palam diceret. Non igitur mirum, Tastium, quæ Gisius voluit, & præscripsit, in ipsis tormentis confessum esse. Eadem plane sors mansit & Gothardum Wellingum syndicum, qui cum natura molliori esset, & discrimen vitæ famæque deuitari posse existimaret, facilior in confitendo, & mox, quod voce dubia professus erat, reuocando fuisse fertur. Sane in quæstionibus & metu acerbissimorum tormentorum sæpius iteratorum & Tastius, & Wellingus multa, quæ in legationibus, ad religionem, bona ecclesiastica, munitiones vrbis facientia contra instructionem & fidem patriæ debitam egissent, confessi sunt. Nam immanitate tormentorum sæpius repetitorum se fateri coactos, quod nunquam cogitassent, in confessione conscientiæ facta, & scriptis ante mortem ad Regem ipsum, senatum, & hæredes suos literis, & vsu sacræ eucharistiæ testati sunt. Commissarii etiam regii triennio post in vrbem venientes causa recognita iniuste cæsos pronunciarunt, ac mortuos pristino honori & famæ restituerunt.

Tastius tor quetur.

Tastius & Wellingus, supplicio affecti.

Eius tragœdiæ nuncio in aulam perlato, Rex grauissime commotus, ciuium procuratorem & tribunum proscribit, & plures alios, ac in his ludimoderatorem ad regium tribunal citat. Tabulæ proscriptionis per legatum regium senatui & senioribus populi præsentibus iis, de quorum capite & fama agebatur, oblatæ, sed publice non affixæ sunt. Idem sane

Rex seditiosos proscribit.

sane Bergio accidisset, quod cæteris eius collegis, nisi singulari Dei gratia protectus, & ab iis, quos maxime reos plebis duces existimarunt, & ex quibus conscios consiliorum alios explorare voluerunt, accurate excussatus fuisset, ipseque fuga tempestiue sibi consuluisset. Gisius cum Regem seuerius deinceps cum autoribus seditionis acturum sensisset, naui conscensa pleriſque etiam suæ factionis hominibus insciis in Sueciam traiecit, & cum Rege Sueciæ periculosa consilia de vrbe ipsi subiicienda tractare instituit. Sed cum à senatu & cæteris ordinibus ciuitatis mandatum nullum exhiberet, fides ei à Rege nulla habita, & sine honore legati publici dimissus est. Domi vero vicarium sibi substituerat, qui in vestigia absentis ingressus, inchoatam ab ipso telam sedulo pertexebat. Cum autem de Martini Gisii profectione, & seditiosorum aliquot ciuium consiliis, cum Sueciæ Rege de tradenda illi vrbe Riga communicatis, Stephanus Rex cognouisset: militum copias in viciniam vrbis Rigensis, velut hyberna ibi acturus mittit, & totam Nobilitatem Liuonicam vna adesse, & castellum ad Dunæ fluminis ostium arcendæ classi Sueciæ, quam à seditiosis ciuibus euocatam, breui venturam ferebatur, ædificaturis, defensionem præstare iubet. Senatus & ciues nihil iam contra Regem moliri, sed quietis ac concordiæ publicæ cupidi, turbarum & dissensionum compositionem, nullius famæ & honori præiudicantem constitui optabant. Itaque vicinum Curlandiæ Ducem Gothardum, pacis & concordiæ in ciuitate instaurandæ arbitrum eligunt: is Regem ante interrogat, an operam in eo negotio ponere, & quomodo procedere debeat, ne quid à Regis voluntate alienum forte suscipiat. Cum autem Rex non ante compositionem aggredi Ducem iuberet, quam liquido constaret, ciuitatem Rigensem mandatis regis paulo ante expositis integre satisfeciſſe. Dux in vrbem profectus, mediocres amice componendi negotii rationes, vt exules iuxta Regis mandatum ante omnia in integrum restituantur, iisque pro damnis in tumultu ab incondita plebe illatis quater millibus Ioachimicorum persolutis satisfiat, & omnium præteritarum offensionum obliuio fit, saluo vtriusque partis honore, constituit. Quæ cum per ciuitatis nuncios apud Regem supplices, & suspicionem defectionis ad Suecos animo Regis eximere conantes, & castelli extructionem deprecantes, & proscriptionem damnatorum, & citationes multorum, ac in his scholæ rectoris abrogari, & alia quædam petentes, relatæ essent: Rex magis etiam commotus, quod nulla iniuste cæsorum, & ciuitatis in pristinum statum omnimodo restituendæ, & alorum capitum à se mandatorum mentio facta esset: totam compositionem irritam pronunciat, ac nisi se arbitrio & voluntati Regis absque vlla exceptione & conditione ciuitas Rigensis totam deinceps permittat tradatue nullam gratiæ spem superesse declarat. Sed ecce, dum inter spem & metum constituta ac consternata ciuitas Rigensis versatur, Rex sexto post datum legatis Rigensibus responsum die epilepticis paroxysmis prostratus, idibus Decẽbris vitam cum morte commutat, anno ætatis suæ quinquagesimo quarto, cum regnasset annos decem, menses septem, & dies duodecim, Princeps pietate, virtute, sapientia, eruditione, magnitudine animi, ac belli artibus præstans, iustitiæ amans, cædibus, libidinibus, & aliis sceleribus infensissimus. De quo hoc memoriæ proditum, cum magis magisq; in horas morbus inualesceret, & modica

Gisius Sueciæ Regi Rigam tradere conatur.

Stephanus R. Gisii conatui occurrit.

Dux Curlãdiæ delectus arbiter pacis instaurãdæ.

394

Rex compositionem irritam pronunciat.

Stephani Regis Poloniæ obitus.

&modica vitæ ſpes ſupereſſet, Senatorem quendam aſtantem his verbis allocutũ: annos quinquaginta tres exegi, qui quales fuerint, ſcio, quales futuri ſint, ignoro. Admonitus tum ab omnibus religioſis, vt myſteriis ſacris de more ante mortem vteretur, rem in ſequentem diem differri voluit. Interim ob morbi vim proſtratis iam viribus, & hora mortis inſtante animam ſuam Deo reddidit, vſus illis verbis, ex Pſalmo triceſimo ſecundo deſumptis: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Fuit vir tam in pace, quam in bello excelſo & forti animo, iudicio magno, præſertim, vbi ab affectibus liber erat, in victu & amictu parcus & moderatus, ab omni iactantia & oſtentatione alienus. Omnibus comis, aditu & alloquio facilis, intelligentia ſagax, lingua ad reſpondendum promptus, obtrectatoribus & adulatoribus infenſus: iuſtitia tanta, vt vita prius, quam ſententia recta decederet, nec vllius meritorum aut conditionis rationem in iudicio haberet: nec deniq; publicorum munerum aut dignitatum mercatum vllum inſtitueret. Fuit corpore quadrato, ac ſtatura mediam paulo excedente, facie dignitatis plena, capillo nigro, colore fuſco ſimul & rubente, naſo ſubſimo.

Eius encomium.

FINIS

LIBRI DECIMI
ET VLTIMI
RERVM POLONICARVM.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM MEmorabilium, quæ in his Libris continentur, locupletiſsimus.

A.

Academia Cracovia erecta 241
Acephalus exercitus Auſtriam infeſtat. 404
Aciei locus 516
Acta inter Polonos & Bohemos 243
Actio Tranſylvanorum cum Turcis. 589
Actio criminalis contra Horſtium & Funccium intentata. 617
Adalberti in Poloniam adventus 52. *in Pruſſiam* ibid.
Adamus Konarſcius Regis legatus Neapoli reverſus. 613
Adminiſtratio Præfecturarum. 26
Adminiſtratio Reginæ. 28
Adventus legati Pontificij in Poloniam & Pruſſiam. 164
Adventus Regis Caſimiri in Pruſſiã. 347
Adventus Lituanorum. 436
Adventus Ducis Megapolitani in Pruſſiam. 616
Æſtus & ſiccitas in Polonia ingens. 404
Ætas iuvenilis Popeli. 46
Affinitas & pax inter Henricum Cæſarem & Boleslaum principem. 86
Affinitas inter Sileſios & Maſovios Duces. 134
Affinitas & fœdus Boleslai cum Bela Vngaria Rege. 138
Agraria contributio decreta. 243
Agrienſes à Turcis ad deditionem ſolicitantur. 587
Ainaſcum à Turcis occupatum. 619
Alba regia ad Ferdinandum Regem tranſit. 551
Albaregalis occupandæ ſpes oſtenſa, & quo ſtrategemate. 615
Albaregia obſidio. 561. *occupata* 562
Alberti Marchionis cum Firleio in caſtris colloquium. 407
Alberto Archiduci Auſtriæ pacificatio cum Crucigeris permiſſa. 356
Albertus Marchio Brandeburgenſis ad homagium accerſitus non venit. 476
Alber. Mar. Bran. Magiſt. ordinis ſit 475
Albertus Marchio contra Samogetas expeditionem ſuſcipit. 478
Albertus Marchio Torunium ad Regem venit. 487. *à Rege diſcedendi veniam petit.* 488
Albert. March. Crucigerorum Magiſter à Rege Polon. Dux Pruſſ. inauguratus 508
Albertus Laſcus Palatinus Siradienſis Iacobum Hevaclidem in Valachiam introducit. 604. *& Alexandrum fudit.* ibid. *Deſpotas è Valachia trudit.* ibid.
Albertus Dux nova tributa imperat 66.
teſtamentum novum condit. 617
Albertus Brandeburg. Pruſſiæ Dux primus mo-

mus moritur. 625. quem coniunx horis aliquot post subsequitur ibid.
Albertus Prussiæ Dux filius seu dum à Rege cum agnatis accipit. 625. cui Rex de privilegiis cavit. ibid.
Alexandri VI Pontificis ad Regem Ioannem Albertum legatio. 439
Alexandri Regis adversa valetudo. 449
Alexandri Regis cum Valacho pacta. 449
Alexander Moldaviæ Palat. Regi Casimiro iurat. 332
Alexander Casimiro Regi natus. 359
Alexander Magnus Dux Lituaniæ factus. 429
Alexander Rex renunciatus. 442
Alexander Rex in Lituaniam se confert. 443
Alexander Rex coronatur. ibid.
Alexander Rex moritur. 451. statura eius & mores. ibid.
Alienatio procerum à Vladislao principe. 98
Ambitio Vladislai. 97
Ambitio Suentopelci Pomeranorum præfecti. 132
Amicitia, societas & fœdus Cæsaris cum Regibus. 473
Amissio Nobilitatis in Polonia. 15
Amuraes per Tartaros Russiam vastat. 661
Amurathes æmulum imperij Tartaro excitat. 748
Amurathis legatio superba ad regem. 307
Andreas, Casimiri, Vladislai Regis filius nascitur. 276
Andreæ Tencinii cædes 359
Andreæ Gorcani Castellani Posnanensis mors 579
Annæ Reginæ moritur 199
Ann. Poloniæ Reginæ moritur 265
Annæ filiæ Casimiri Regis Duci Pomeraniæ nuptæ 428
Annæ Regis filiæ moritur 487
Annæ Ducis Masoviæ à Rege inius vocatæ 540
Annæ Sigismundi Augusti sororis Reginæ constitutæ 661
Annæ Vngariæ Regis filiæ desponsatio 472
Annæ Iagellonicæ Ferdinandi Regis coniugis obitus 565
Anno Christi 1444. & sequentibus duobus interregnum 319
Annonæ caritas in Polonia 390
Annonæ charitas 393
Annonæ vilitas in Polonia 413
Annonæ caritas in castris Polocianis 682
Apostasia & eiusdem supplicium 579
Apparatus nuptiarum Casimiri 208
Apparitio cometæ 401
Arbiter controversiarum inter Ecclesiasticum & equestrem ordinem quis 36
Arbitrium iniquum Venceslai Bohemiæ Regis 246
Arces Prussicæ Polonis commissæ 341
Arces in Podolia multæ constructæ 535
Arcis Gedanensis defensio Cruciferis commendata 178
Arcis Cracovienſis incendium 439
Arcis Cracovienſis incendium aliud 574
Arx Cracovienſis firmata 237
Archidioecesis Rigensis gubernatio Curlandiæ Duci commendata 610
Archiepiscopi Gnesuensis ad Vladislaum oratio 100
Archiepiscopi in Plocensi ditione interdictum 139
Archiepiscopi in Henricum interdictum & diræ 165
Archiepiscopo Gnesnensi tributum Lovicii nomine remissum 367
Archiepiscopi Leopoliensis mors 417
Archiepiscopi Gnesnensis ac reliquorum Senatorum sententiæ. 571. eorundem postulata ad Regem. ibid. quæ à quibusdam senatoribus mitigata. ibid.
Archiepiscopus Iaroslaus Archiepiscopatu se abdicat 214
Archiepiscopus Poloniæ gubernator 247
Archiepiscopus obsessus captusq; 595
Argentum quando in Polonia signari cœperit 17
Arrogantia & contemptus hostis Vngarorum 503
Aslan Sultani legatio ad Regem Poloniæ 509. Responsum Regis ib.

Aslan Sultanus Tartarus à Tauricanis victus. 529. & 530. in Circassiam arcem se recepit. ibid. Legatio illius ad Regem Poloniæ. ibid.
Aslan Sultani legatio ad Regem Poloniæ de amicitia & societate renovanda 532
Aslan Sultani legatio ad comitia 533
Aves in Polonia quales 10.
Aulica ministeria 27
Aulici equites ib.
Austria & Vienna à Maximiliano recuperata 426
Austria à Turcis vastatur 556
Austriaca provincia infestata 531
Austriacorum clades 553
Austriam Matthias R. infestat. 426
Authores mutatæ religionis comprehensi & capite plexi 511
Auxilia Valachorum ad bellum Prussicum Regi missa 272
Auxilia Regi Poloni in Vngariam mittunt 311
Auxilia Moldauo à Rege Polonorum missa 406

B.

Barbara Casimiri Regis filia Georgio Duci Saxoniæ nupta 432
Barbara Scepusia Regi desponsata. 432 Cracoviam venit. ibid. coronatur à Lasco 463
Barbara Regis uxor diademate insignitur 576
Barbara Regina moritur 578
Bartensteinum deditum 357
Basilidis Moscorum Principis exitus horrendus 746
Basiliense Concilium 305
Basilii Moscorum principis mors 534
Bavariæ Ducis ad Casimirum legatio. 364
Bavariæ Ducis legatio ad Regem Poloniæ de filia Hedvige in matrimonium danda 410
Belæ regis Vngariæ filii fugiunt in Poloniam 65
Belgradū à Turcis frustra oppugnatur ib.
Belli gerendi ratio 37
Belgradum à Turca oppugnatum 498. expugnatum ibid.
Bella intestina Silesiorum Ducum 185
Belli avidi Cruciferi 248
Belli summa Friderico Palatino commissa 531
Belli Moscici causa 427
Belli Polonorum cum Turcis occasio 477
Belli exitium vnde faciendum 675
Belli causa 664
Belli generatio 37
Bellica iurisdictio qualis 32
Belli Prussici varia fortūa gesti exitus 386
Bellis civilibus Polonia agitatur 152
Bello Pomerania petitur à Cruciferis 180
Bellum Silesiacum à Pudico gestum 159
Bellum Prussicum 485
Bellum cum Duce Opoliense 238
Belluni Saxonibus à Boleslao illatum 54
Bellum Mosco indictum 674 qui petit inducias. ibid. Regis responsum 675
Bellum magnum brevi tempore confectum 598
Bellum Russicum à Laroslao Russorum duce renovatum 54
Bellum contra Moscoviæ Ducem decretum 668
Bellum inter Cæsarem & Galliæ Regem in Italia 503
Bellum Prussicum & Pomeranicum 71
Bellum Pomeraniæ à Polonis infertur 80
Bellum inter fraternos exercitiis 428
Bellum à Mosco Livonibus denunciatū 598
Bellum civile inter Polonos 120
Bellum Russicum 203
Bellum sacerdotale 402
Bellum Russicum à Ludovico gestum 218
Bellum in Silesia intestinum 160
Bellum Bohemicum inter fratres exortum 98
Bellū Suentopelci adversus Cruciferos 145
Bellum inter fratres Polonos 427
Bellum contra Moscum decretum 466
Bellum inter fratres in Silesia 147
Bellum Livonum civile 590
Bellum Casimirus Prutenis infert 118
Bellum Lituanis Moscus infert 440
Bellum Valachicum 432

Bellum Valachicum 432
Bellum Halicienſe à Caſimiro geſtum 127
Bellum contra Gedanenſes decretum 664
Bellum à Conrado Boleslao Pudico infertur 144
Bellum Germanicum magna gloria Polonorum geſtum 83
Bellum Sileſiacum 408
Bellum finitum tertio anno poſtquam cepit 728
Bellum Pomeranicum à Boleslao continuatum 89
Bellum Premisliense. 165
Bellum Regi & Regno Polon. à Cruciferis indictum 491
Bellum Ruſsicum à Laroslao Ruſſorum duce renovatum 54
Bellum inter Lithuanos & Maſſovios 286
Bellum Polonis indixit Boleslaus Sil. Dux 330
Bellum Moſcoviticum 480
Bellum in maiori Polonia, 407. à Ioanne Duce Saganenſium concitatum. ibid.
Bellum civile inter fratres 100
Bellum Pruſsicum 49
Bellum Ruſsicum à Miecziſlao Rege ſecundo geſtum 55
Bellum Bohemicũ inter fratres exortũ 90
Bellum Moldavi cum Tranſalpinis 397
Bellum Brandeburgicum quomodo exortum 156
Bellum Sileſiacum à Pudico geſtum 159
Bellum Premisliense ibid.
Bellum à Cruciferis Lituania infertur 235
Bellum civile Tartarorum 331
Bellum Bohemicum 53. Ruſsicum ib.
Bellum Pruſsicum à Boleslao geſtum 88
Bellum recrudeſcit 488
Bellum Ruſsicum 155
Bellum Maſovicum à Caſimiro geſtũ 59
Bellum cum Turcis ab Vngaris decretũ ib.
Bellum Cruciferorum cum Lituanis 220
Bellum inter Regem Poloniæ & Valachum ſopitum 544
Bellum Tartaricum. 442
Bellum à Petro Suiſcio Revalienſibus denunciatur 609
Bellum Pomeranicum alterum ibid.
Bellum Pomeranicum à Boleslao geſtum 83
Bellum Bohemicum & Pomeranorum ib.
Bellum Brandeburgicum 161
Bellum Pruſsicum 264
Bellum Bohemicum & Germanicum quomodo exarſerit 81
Belſenſes in verba Regis Polonorum iurant 363
Benedictini Monachi Cluniaco in Poloniam accerſiti 61
Bernardus Dux Suidnicenſis in fide Polonorum permanet 187
Berualdum & Zivecia deſtructa 417
Biale lacus aquam habens nigerrimam 9
Bialogrodum expugnatum 412
Bialogrodum expugnatum & ſuccenſum 654
Bielavium obſeſſum 357
Blocenſis Maſovia in ditionem Bohemiæ Regis venit 199
Bochnenſes ſalinæ quando inventæ 149
Bogdani Moldavi legatio 447
Bogdanus Pocuciam invadit & ſuæ poteſtatis facit 448
Bogdanus Valachiæ Palatinus à Polonis in Valachiam reductus 633
Bogdanus adiuoniam legatum Redeczium mittit. 638. qui cuſtodiæ traditus, & ad Turcam miſſus. ibid. pro quo Taranovius & Dzierſcius intercedunt. 639. qui poſt ad triremes damnatus. ibid. unde liberatus in patriam redit. ibid.
Bogdanus principatu ſuo exutus. 639. in exilio moritur. ibid.
Bogdanus à Polonis opem implorat. 634 eius in Valachiam irruptio Mielecio & Sieniavio ducibus 935
Bohemi Sileſiam invadunt 78
Bohemi ad ſacram communionem admiſſi. 289
Bohemia à Matthia Rege Vngariæ vaſtatur 399
Bohemia imperio Romanorum obnoxia. 403.
Bohemiæ inſecta Poloni excedunt. 304
Bohemiæ Regis legatio 408
Bohemia & Poloniæ Regum ſocietas contra Vngarum 426
Bohemiæ Regis & aliorum principum expeditio in Pruſsiam 150
Bohemiæ Regis legatio ad Caſimirum Regem 391
Bohemici motus 388
Bohemici motus ob religionem 267
Bohemicarum rerum ſtatus varius 398
Bohemicum bellum à Boleslao quietis & otii impatiente conflatum 87
Bohemicum & Pomeranicum bellum 55
Bohemicum & Germanicum bellum quomodo exarſerit. 81
Bohemicum bellum 53
Bohemorum ad Regem legatio 274
alia Bohemorum legatio ad Regem 388
Bohemorum legatio ad Vladislaum Regem 260
Bohemorum expeditio in Poloniam 196
Bohemorum excurſio in Poloniam 383
Bohemorum in Poloniam expeditio 170
Bohemorum Huſsitarum ad Regem legatio 289
Bohemorum diſſenſio in Rege creando 399
Bohemorum contra Polonos expeditio 78
Bohemorum legatio 361
Bohemorum à Rege ſtantium legatio 395
Bohemorum legatio ad Vladislaum Regem 269
Bohemorum procerum Georgio Regi adverſantium legatio 289
Bohemorum cum Cruciferis ſocietas 188
Boleslai ſavitia & ſcelera, 68. Boleslaus diris devovetur à Stanislao Epiſcopo Cracoveenſi 69. Eius fuga & interitus ibid.
Boleslai veſponſum ad legationem Caſaris 108
Boleslai legatio ad Henricum 84
Boleslai peregrinatio in Galliam 92
Boleslai expeditio in Pomeraniam 86
Boleslai in Vngariam expeditio 92
Boleslai mors 109
Boleslai mors & ætas. 55
Boleslai Ducis Maſſoviæ mors 343
Boleslai victoria ac moderatio 145
Boleslai Pudici cum Bohemo conventus 158
Boleslai Regis ad milites cohortatio. 85. Eius de Cæſare victoria ibid.
Boleslai de Ruſsis victoria 67
Boleslai Pudici fuga 141
Boleslai filius Henricus naſcitur 98
Boleslaus tertius cognomento Crivouſtus uxorem ducit 78
Boleslaus Sil. Dux Poloniæ bellum indicit 330
Boleslaus Maſovius Dux Ruſſorum venenoſublatus 208
Boleſlaus Criſpus fit princeps Poloniæ 108 Eius reſponſum ad legationem Cæſaris ibid
Boleslaus bellum Ruſsicum denuo inſtaurat 60
Boleslaus Pudicus Leſco naſcitur 128
Boleslaus bellum Ruſsicum inſtaurat 66
Boleslaus Criſpus naſcitur 92
Boleslaus Opolienſis moritur 183
Boleslaus ſecundus, Caſimiri filius Rex creatur 61
Boleslaus & Miecziſlaus uxores ducunt 104
Boleslaus victus & fugatus à Conrado 146
Boleslaus primus Rex Poloniæ renunciatus 53
Boleslaus Pius Dux Caliſſ. moritur 161
Boleslaus Maſovius principatum deſerit 169
Boleslaus moritur. 95
Boleslaus Maſovius Rex à Polonis creatur 320
Boleslaus mortua Anaſtaſia uxore alteram ducit Helenam Pramiſlienſium principis filiam 106
Boleslaus bellum fratribus infert 186
Boleslaus Caſimiri filius naſcitur 60
Boleslaus Pudicus uxorem ducit 138
Boleslaus primus, quomodo ad principatum pervenerit 52. Eius virtutes ib.
Boleslaus Calvus vocatur ad principatum 143
Boleslaus Criſpus bellum Prutenis facit ibid.
Bolcslaus Ruſsis bellum infert 9

Boleslaus ex Iuditha Vladislao nascitur 71
Boleslaus ad Cæsarem in castra venit & bellum finit 103
Boleslaus Calvus suis exosus 145
Boleslaus Pudicus moritur 161
Bolesl. primus Rex Poloniæ renunciatus 35
Boleslaus Pudicus à Conrado captus & elapsus. 136. Revocatur 144
Boleslaus vivus crematus 109
Bombarda inventa 220
BONA Regina in Italiam proficisci cogitat. 592. eius discessus impeditur 59
Bona Regi desponsata. 481. in Poloniam venit. ibid. ab Archiepiscopo oratione excipitur. ibid & à Petro Tomicio Episcopo Præmisliensi ibid.
BONA Poloniæ Regina in Italia mortua 601
Bona Episcopalia à Præfecto Cracovienſi occupata 358
Bona Episcopi Cracovienſis à Melstinio intercipiuntur 303
Bona sacerdotii iussu regio invaduntur 358
Bona Iudæorum à cruce signatis militibus direpta 439
Borivogus bellum in Bohemia facit 86
Bosnam Turca invasit 406
Brailovia capta 653
Brandeburgenſium legatio 361
Brandeburgum expugnatum 487
Brestæ Lituanorum conventus 356
Brestæ comitia celebrata 358
Brestæ Prutenorum conventus 418
Breve à Pontifice ad Regem Poloniæ missum 527
Brodnicia arx obsessa 362
Brodnicia arce Cruciferi potiti ibid.
Brunberga à Cruciferis intercepta 485
Brunsbergenſes Polonos eiecerunt 360
Buda à Ferdinandi Regis exercitu obsidetur. 551. & 552.
Buda fraude à Turca occupata 555
Budæ comitia habita 314. 315
Bugeronii Moldavi molimen 588
Burggravii arcis Cracovienſis qui 26

C.

CAduceatores Cruciferorum gladios Regi asserunt à Magistro 250
de Cæde Damoborii actum 393
Cædes Stanislai Episcopi Cracovienſis 60.
Cædes Andreæ Tencinii 359
Cædes scholasticorum Cracovienſium 572
Cædes Turcarum à paucis Polonis 636
Cædes obsessorum 727
Cæsar Reges Viennam invitat 472
Cæsar Regibus valedicit 473
Cæsar Viennæ laurinum contendit 619
contra Turcam Belgradum movit ib.
Cæsarei legati ad Regem Vladislaum 266.
Cæsaris legatus ad Vladislaum Regem missus 272
Cæsaris pacta secreta cum Vitoldo 277
Cæsaris legatio ad Vitoldum cum donis. 279
Cæsaris legati ad Vitoldum 280
Cæsaris cum Regibus fœdus 473
Cæsaris legati ad Reges 471
Cæsaris & Regum in arce Viennenſi conventus 472
Cæsaris cum Rege Polonorum fœdus 509
Cæsaris & aliorum intercessio pro Archiepiscopo Rigenſi captivo 597
Cæsaris Ferdinandi mors 611
Cæsaris legatio ad Turcam de pace 623
Cæsorum numerus 518
Calamitas Petri Dunini 99
Calendarii Gregoriani promulgatio 708
Calendarium Gregorianum explosum 750
Caliſiæ synodus ab Archiepiscopo Gnesnenſi instituta 220
Camenecia redempta & munita 371
Camienecia à Valachis obsidetur 460
Cancellarii & Vicecancellarii in Polonia officia quæ 24
Cancellarii ad proceres oratio 514
Cancellarii oratio nomine Regis in comitiis 734
Cancellarii oratio exagitata 736
Cancellarii Mosci supplicium inauditum. 631. Thesaurarii ipsius & aliorum laniena. ibid. tandem fratricidium inimaniſsimum. ibid. nec ipse Tyrannus manum abstinet 632

Can-

Cancellarius Velisium obsidet & capit. 696
Capha urbs à Turcis capta 412
Capitanei sive præfecti in Polonia qui 25
Captivitas Sachmatis 442
Captivorum ingens numerus 437
Cardinalis Radzivilus Rigam redit 751
Caritas annonæ in Polonia 390
Caritas annonæ in Polocianis castris 682
Carnes die Mercurii in mensa regia primarice appositæ 570
Caroli noni Galliæ Regis mors 646
Carniſsimum in Masovia à Cruciferis captum. 374. à Polonis recuperatum 375
Carothna oppugnata & expugnata 596
Carthusii Monachi Cruciferis favent. 361
Casimiri R. ad Bohemos legatio 399
Casimiri R. ad Pontificem de confirmatione pacis Prussicæ legatio 389
Casimiri Regis legatio ad Regem Vng. & Bohem. 337. ad Imperatorem Frid. & Pontificem ibid.
Casimiri Regis fœdus cum Baiazete Turcarum Imperatore per Nicolaum Fridericum 426
Casimiri Regis mors 210
Casimiri nuptiarum apparatus 208
Casimiri Principis mors & vita 424
Casimiri receptus ex Vngaria 400
Casimiri expeditio in Russiam ibi.
Casimiri Ducis laudes 111
Casimiri & Vladislai Regum comitatus 404.
Casimiri Regis legatio ad Marchionem Brandeburgenſem 392
Casimiri Regis fœdus cum Ducibus Pomeraniæ 201
Casimiri principis studia & mors 118
Casimiri R. legatio ad Georgium Bohemorum Regem 397
Casimiri R. Legatio ad Georgium Bohemiæ Regem alia 355
Casimiri Regis mors. 110. virtutes & facta signia ibid.
Casimiri Regis ad Moldavum legatio. 412

Casimiri Regis verecundia 401. egestas ib.
Casimiri filii in Vngariam profectio 400
Casimiri Regis legatio ad Fridericum Imperatorem 397
Casimiri Regis ad Bohemos legatio 361
Casimiri Regis cum Cruciferis transactio. 201. eius in Silesiam expeditio. ibid.
Casimiri Regis mors 429
Casimiri Regis leges 222
Casimiri filiæ relegatæ & exheredatæ 213.
Casimiri Regis cum Ludovico Vngar. Rege de Russia transactio 29
Casimiri & Georgii Regum conventus Glogoviæ 363
Casimiri ad milites oratio. 114. victoria de Russis ibid.
Casimiri Regis vita impudica 211
Casimiri ad milites oratio. 114. victoria de Russis ibid.
Casimiri expeditio in Russiam ibid.
Casimiri Regis legatio ad Palatinum Moldaviæ 391
Casimiri R. ad Pontificem legatio 198
Casimiri R. legatio ad Ladislaum Vng. Regem 332
Casimiri R. ad Nicol. PP. legatio 322
Casimiri Regis in Russiam expeditio 206
Casimiri R. legatio ad Mahometem Turcarum Imp. 411
Casimiri R. cum Ludovico Vngar. Rege de Russia transactio 203
Casimiria deflagravit 445
Casimiro R. Alexander Moldaviæ Palat. iuvat 332
Casimirum pœnitet non suscepti Regni 31
Casimirus Rex Heduigin filiam cum splendido comitatu ad sponsum Bavariæ Ducem mittit 413
Casimirus secundus cognomento Magnus Rex eligitur & cum uxore coronatur 97
Casimirus Masoviam & Cuiaviam sua potestati facit 11
Casimirus Rex Torunii moratur. 407.

Casimirus Rex plebeiorum vocatus 205
Casimirus Rex Torunij moratur. 407
Casimirus Regis filius maiori Poloniæ præficitur. 191
Casimirus Cuiavienſis Dux moritur. 15
Casimirus Roxæ filius monachus factus 56. avocatur in Poloniam 57
Casimir. primus Gneſnæ inunctus 59. Eius uxor coronatur ibid.
Casimir. ſucceſſorem ſibi deſignat Vngarum 100
Casimir. M. Dux Litu. Cracoviam venit. 322. coronatur. ibid.
Casimir. Vladislao Loctico naſcitur. 182
Casimir. Regis filius Gedimini filiam uxorem ducit 188
Casimir. Rex Poſnaniam divertit. 364
Casimir. alteram uxorem ducit 200
Casimir. Boleslao naſcitur poſt decem annorum ſterilitatem ex Adelheida 90
Casimir. tertius regnum ſuſcipit 311
Casimir. à Rege Lithuaniæ præficitur. 308.
Casimir. ad principatum vocatur 11
Casimir. Prutenis bellum infert 118
Casimir. princeps moritur 118. Eius ſtudia. ibid.
Casimir. Rex controverſia arbiter 395
Casimir. Rex in Pruſſiam proficiſcitur. 209. Fœdus cum Ludovico contra Imperatorem Carolum facit. ibid. in venatione cum equo labitur. ibid. moritur. 210
Casimirus Rex Gedanum ingreſſus 392 à Gedanenſibus magnificè habitus. ibid.
Casimirus filius naſcitur 351
Casimirus Rex ad Choiniciam ſtativa habet 360
Casimir. Rex à Sbigneo & ſenatu obiurgatur 333. ab eodem de iureiurando & alia admonetur ibid.
Casimir. Rex in Vngariam ad funus Caroli Regis proficiſcitur. 201. Eius cum Cruciferis tranſactio. ibid. Eius in Sileſiam expeditio ibid.
Castr... Rex ad Vielicolucum ponit 698
Castra ad Hermandum moventur 542 quod à Chriſtianis expugnatum. ibid.
Castra Polonorum mota ad Chiocimum. 638
Castra Rex ad veterem Vſtiatam ponit 698
Castra Regis Poloniæ ad Olavam 409
Castra Polonorum ad Regiomontum 488
Castra ad Pleſcoviam Rex metatur 716
Castra Germani mutant 553
Castellanus Viſcenſis capite plexus 737
Castaldus contra vim ſe parat 588
Ciſſovia à Ioanne Alberto obſeſſa 427
Caſpari Munſteri molitio 595. quæ repreſſa ibid.
Caſpar Bekeſchius moritur 689
Catianetus ad Turcas fugit 543. poſt à Serinio captus & ſupplicio affectus ib.
Catianetus in fugam ſe dat. 543
Catianetus Ferdinandi Regis exercitus dux arcem Nedeciam in Scepuſio oppugnat 526
Catharinæ Reginæ Poloniæ deceſſus 632
Catharina Auſtriaca Regis ſponſa Cracoviam adducta 589
Caſtrorum locus 514
Caſtrenſis iudex & notarius 26
Caſtrenſe iudicium & officium. 31
Caſtra hoſtium capta 366
Caſtra Polonorum ad Brunsbergam 488
Cauſa offenſionis Moſci in Livones 598
Cauſa Gedanenſium ventilatur 664
Cauſa Ducis Oſtrogiæ viduæ de raptu filiæ cum Sanguiſcone. 589. qui proſcriptus in Bohemiam fugiens à Martino Zborovio occiditur 590
Cauſa Moſcici belli 427
Cauſa Pruſſicæ diſceptatio concilio Conſtantienſi permiſſa 264
Cauſæ ſimultatum inter Auſtriac. & familiam Iagellonicam 469
Cauſæ iudicii terreſtris 31
Cauſa belli 664
Cauſa diſſidii inter ordines 301
Cauſam Rigenſium Rex Gedanæ ipſe audit 753
Czarnieviecii perfidia 656

Cenſus Gedanenſibus remiſſi 339
Certamen inter eccleſiaſticum & civilem ordinem de iudiciis 669
Civile bellum inter Henricum & Conradum Duces 134
Civile bellum inter fratres 110
Civile Livonum bellum 590
Civile bellum inter Polonos 120
Cirnenſis Maſovia à Laſco vexatur 167
à Siradienſibus vaſtata 168
Civilibus bellis Polonia agitatur 152
Civitatum Pruſſicarum erga Regem Polon. ſtudium 341
Caritas annonæ 393
Chencini comitia à Vladislao Rege habita 191
Cherſoneſi Tauricæ pars ab Oſmano Baſſa occupata 746
Choinicia à Polonis obſeſſa 293. 382
Choinicia Polonis dedita 384
Choinicia à Firleio recuperata 492
Choinicia obſidio alia ibid.
Chriſtianæ religionis apud Polonos occaſio 50
Chriſtina Vladislai uxor maritum adverſus fratres incitat 97
Chriſtiani à Turcis incommodis affecti 542
Chriſtianorum ad Budam clades 554
Chriſtianorum cæſorum numerus 555
Chriſtianorum impar pugna cum Turcis, ſed felix 595
Chriſtianorum cades ad Ezelum 541
Chriſtophori Szdloviecij mors 532
Chriſtophorus Szaffranecius ob latrocinium decollatur 424
Chriſtophorus Dux Megapolitanus Archiepiſc. Rigenſis coadiutor. 594. Archiepiſc. ad defenſionem ſe parat. ib.
Chriſtophorus Dux Megapolitanus à Veierocaptus 610
Chriſtophorus Dux Megapolitanus cuſtodiæ libratus 616
Clades Cruciferorum ad Fridlandiam 344
Clades Polon. & Lituan. ad Opociam 480
Clades Cruciferorum ad Preuſmarcum & Piſiam 487
Clades Polonorum ad Bucovinam ſylvam 435
Clades Chriſtianorum ad Ezelum 541
Clades Valachorum 461
Clades Cruciferorum ad Colbergam 372
Clades Polonorum à Tartaris accepta 140
Clades Livonum in Samogitia 379
Clades Lituanorum ad Crementiam 286
Clades Polonorum ad Novum 373
Clades Moldavorum ad Obertenum 528
Clades à Tartaris accepta 503
Clades Polonorum in nova Marchia 364
Clades Chriſtianorum ad Budam 554
Clades Polonorum alia 544
Clades Moſcorum à Tartaro 534
Clades Cruciferorum ad Paſſenheimum 355
Clades Auſtriacorum 553
Clades Polonorum ad Socalum. 485
Clades Cruciferorum ad Vormitam 368
Clades Maſoviorum apud Cziechanoviam. 377
Clades Crucigerorum 364
Cladis culpa Iasloviecio adſcribitur 522
Cladis acceptæ cauſa 341
Claſſis Livonum proſtigata 371
Cracoviæ obſeſſio 343
Deditio 344
Cohortatio Boleslai R. ad milites. 85. eius de Cæſare victoria. ibid.
Coli & Corcini Polonorum conventus 346 415
Coli Nobilitatis conventus 393
Collatio ſacerdotiorum 29
Colloquia & generales termini qui 32
à Collegio ſacerdotum iusiurandum exactum 358
Colloquium Alberti Marchionis cum Firleio in caſtris 487
Cometa mortis Regiæ præiuncius 194
Cometæ duo conſpecti 393
Cometæ apparitio 401
Cometes Tartarorum incurſionem portendens 439
Cometes viſus 527

Cometes visus. 534
Comitatus Reginæ. 28
Comitia Radomsci habita. 227
Comitia Siradiæ habita. 224
Comitia Polonorum Budæ habita. 210
Comitia Lenczizæ habita. 113
Comitia Nepolomiciam indicta. 269
Comitia satua. 570
Comitia Siradiæ habita. 331
Conuentus Lencziciæ. 363
Comitia regni 36. Comitiorum locus 37
Comitia Lituanorum Vilnæ 358.
Comitia de noui Regis electione 641
Comitia nouem dierum 334
Comitia de principe nouo Chrusphiciæ habita 48
Comitia Chencini ab Vladislao Rege habita 191
Comitia Siradiæ de nouo Rege creando habita 289. 292
Comitia Prussorum Grudenti habita 338.
Comitia Radomsci habita 228
Comitia Radomiæ 403
Comitia Sendomiriæ habita 284
Comitia & consultatio de Repub. in Polonia constituenda 57
Comitia Lenczizæ habita 248
Comitia Lituanica 540
Comitia armatorum Colum indicta 292
Comitia Lenczizæ habita 275
Comitia Sendomiriæ habita 284
Comitia Lenczizæ turbulenta 268
Comitia Nepolomiciæ habita 289. & 294
Comitia Lublini cum Lituanis 323
Comitia Lencisiæ habita 337
Comitia quadraginta dierum 396
Comitia Imperii Augustæ Vindelicorum 526
Comitia Chencini ab Vladislao Rege habita 191
Comitia armatorum Colum indicta 292
Comitatus Casimiri & Vladislai Regum. 404
Comitia Lenczizæ habita 275
Comitia Iedlnæ habita 279
Comitia Nepolomiciæ habita 294
Comitia Radomiæ 446. 447
Comitia Radomsci de novo Rege eligendo habita 223. Item Vislicia ad quæ Sigismundus venit ibid.
Comitia Siradiæ habita in quibus Vladislaus iunior Rex Poloniæ designatus est 289
Comitia apud Gansavam habita 132
Comitia Brestæ celebrata 358
Comitia Nepolomiciam indicta 269
Comitia Vartæ Rege absente habita 274
Comitia Siradiæ habita 224
Comitia Parzoiæ habita 332. 374. 414
Comitia Lublini 444. 448. 589. 613. in quibus de divortio Rex agitat. ibid. 625.
Comitia Cracoviæ de creando Principe 119 197. 226. 292. Item Sendomiriæ 389. 415. 453. 462. 529. 540. 559. 563. & 564.
Comitia Corcini habita. 243. 306. 303 396. 361. 360. 370. 376. 412.
Comitia Petricoviæ. 323. 325. 327. 333. 343. 349. 350. 351. & 352. 346. 347. 366. 367. 374. 379. 387. 397. 395. 402. 403. 408. 418. 420. 440. 441 461. 475 483. 499. 522. 525. 532. 539. 543. 557. 563. 570. 574. 582. 601. 624.
Comitia Varsaviæ de inferendo Livonibus bello. 597. 611. 612. 628. 640. 661. 668. 705. 733. 751.
Comitialia iudicia 36
Comitiorum finis 571
Commeatus Lithuanis suppeditatus à Polonis 236
Commercia cum Vratislavienſibus Rex Poloniæ edicto prohibet 462
Commissarii Ferdinandi & Sigismundi Regum Glogoviam missi 544
Commissarii à Rege Poloniæ Regiomontum missi. 617. qui regii decreti capita in Prussia Ordinibus proponunt ib.
Compotationes & convivia Polonorum 13
Conatus Maslai regii pocillatoris 57

Conatus Regis Vngariæ pro Glinscio reconciliando irritus 467
Conatus exercitus Mosci 677
Concilium Episcoporum Polon. nationale 606
Concordia & pax cum Silesiæ Ducibus 319
Concordia inter ordines quomodo ineunda 735
Conditio miserabilis militum 738
Conditiones pacis reiectæ 373
Cõditiones matrimonii inter Iagellonem & Heduigen 229
Conditiones pacis à Polonis repudiatæ 378
Conditiones pacis à Cruciferis propositæ 463
Conditiones pacis 546
Conditiones pacis Cruciferis à Rege propositæ 248
Conditiones cum regno Bohemiæ Vladislao oblatæ 394
Conditiones, quibus Iuonia deditionem fecit 659
Conditiones pacis triennalis 728
Conditiones transactionis cum Gedanensibus 667
Conflagratio oppidorum in Polonia 404
Conflictus Vngarorum cum hostibus 517
Conflictus Turcarum cum Polonis. 637. qui eos fugant ibid.
Conflictus inter Polonos & Moscos 700
Consœderatio nobilitatis maioris Poloniæ 204
Confusio in Vngaria 497
Congressus Sigismundi Imperatoris cum Vladislao 267
Coniugia Masouiorum Ducum disparia 417
Coniunctio Lituanorum cum Polonis vtrisque vtilis 441
Conradi Imperatoris ad Polonos legatio 108
Conradi in oram Cracouiensem expeditio 136
Conradi Ducis pacta cum Crucigeris 133
Conradus Dux bis ab Henrico victus 134
Conradus à Lesco vincitur & fugatur 166
Conradus bellum infert Boleslao Pudico 144
Conradus in Masouiam fugit. 163
Conradus Dux, Massouiæ principatum inuadit 143
Conradus Dux Masouiorum Regi Poloniæ iurat 432
Conradus Masouiæ Dux moritur 444
Consiliarii terr. Prussiæ 338
Consiliarii à Rege Poloniæ missi Scepusium ad fines regundos cum Vngaris 413
Consilium Suendii de Zatmaria instauranda 615
Consilium Regis de pactis violandis Polonis improbant 316
Consilium Ferdinandi de castellis residuis expugnandis 597
Consilium Lasci de implorando patrocinio Turcico, Vngariæ & toti Reipublicæ Christianæ exitiosum 520
Consilium Ioannis Alberti de Soczauia 433
Consilium de bello administrando 619
Consilium versutum Vitoldi 282
Consilium fidele Prutenorum erga Poloniæ Regem 256
Conspiratio minorum Polonorum contra principem 198
Conspiratio scholasticorum Cracouiæ 573
Constantia Budensium 553
Cõstantia militum in frigore perferendo 726
Constantia Polonici Senatus 297
Constitutiones nouas plebis Rex irritas declarat 751
Consultatio de bello Cruciferis inferendo 239
Consultatio in senatu de regno Vitoldi 277
Consultatio Senatus de Vngariæ regno 307
Consultatio Regum Vngariæ & Poloriæ

lonia de congressu Maximiliani Imperatoris 469
Consultatio de Regum fœdere & affinitate ineunda 470
Consultatio Gedanensium de Rege in urbem intromittendo 510
Contagium exercitum invadit 705
Contentio inter Cardinalem & Archiepiscopum de nuptiali ceremonia 334
Contentio de Episcopa Cracovienſi 358
Contentio inter Polonos & Legatum Pontificis Prutenorum causa. 369
Contentio procerum cum Episcopis de loco & immunitatibus 448
Contentio Vngarorum & Bohemorum de iureiurando Silesiorum 461
Contributio Agraria decreta 243
Contributio in milites decreta 534
Controversia inter Episcopos & Ducis Mass. de loco 322
Controversia de peculiari Prutenorum *consilio* 494
Controversia de finibus inter Regem Poloniæ & Moscum 735
Controversiarum inter Eccl siasticum & equestrem ordinem arbiter quis 36
Conventicula minorum Polonorum 329
Conventiculum quorundam Opatoviæ habitum 298
Commentum Gedeonis Episcopi sapiens. 110
Conventus Petricoviæ 459
Conventus Visliciæ 405
Conventus maiorum Polonorum Coli. 379
Conventus Cæsaris & Regum in arce Viennensi 472
Conventus Vngarorum & Polonorum ad Kesmarcum 302
Conventus Regis cum Cruciferis 243
Conventus inter Regem & Cruciferos habitus 260
Conventus cum Cruciferis irritus 301
Conventus Regis cum Cruciferis 263
Conventus inter Polonos & *Cruciferos frustra institutus* 292
Conventus minorum Polonorum Corcini *habitus* 310
Conventus Sigismundi Cæsaris, Vladislai & Vitoldi, Lusci habitus 277
Conventus Polonorum *cum Cruciferis Brestæ habitus* 295
Conventus Sandeciæ habitus 227
Conventus cum Lithuanis Polonorum *irritus* 300
Conventus Polonorum *cum Hungaris* 279.
Conventus Lithuanorum *Vilnæ habitus* 232
Conventus Parczoviæ cum Lithuanis *habitus. 327. 328. post Korczini* ibid.
Conventus minorum Polonorum *Cracoviæ* 325
Conventus Magistri Crucigerorum *cum suis Regiomonti* 378
Conventus Regis cum Cruciferis 330
Conventus Prutenorum *Brestæ* 418
Conventus Polonorum *& Lituanorum Lomazii irritus* 374
Conventus Lituanorum *Brestæ* 53 56
Conventus Polonorum *cum Cruciferis in Neringa de pace* 377
Conventus maiorum Polonorum Coli. 392
Conventus & induciæ prorogatæ 422
Conventus de pace ad Koscielecium pagum 344
Conventus Lituanorum *Vilnæ* 403
onventus Prutenorum Elbingæ 414
Conventus Opauiensis 404
Conventus Glogoviæ Casimiri & Georgii Regum 363
Conventus Polonorum, *Vngarorum & Bohemorum* Nisæ 403
Conventus Stenzaciæ novi Regis creandi causa 661
Conventus Polonorum *cum Bohemis Byrhomiæ* 355
Conventus cum Cruciferis ad Rocianzum habitus 300
Conventus diversi in Lituania 612
Conventus Torunii 494
Conventus Lituanorum *Grodnæ* 395
Conventus Principum Cracoviæ 274

Con-

Conventus Radomiæ 465
Conventus Polonorum *& Lituanorum apud Grodnum* 263
Conventus Livonum 598
Conventus minorum Polonorum Corcini 372
Conventus Corcini 416
Conventus Bielsci & Parczoviæ 612. *acta in illis* ibid.
Conventus Stradiæ 413
Conventus Lituanorum *cum Cruciferis* 266
Conventus Viennenſis exitus pacatus 473
Conventus Cracoviæ Regum & principum ad nuptias Casimiri 207
Conventus Polonorum *cum Cruciferis Posnaniæ* 463
Conventus Polonorum *Grudentì de monetæ* 499
Conventus Cracoviæ 454
Conventus minorum Polonorum *Visliciæ* 391
Conventus Torunii ob transigendam causam Prussicam 373
Conventus Regis Vladislai *cum Cruciferis Brestæ* 181
Conventus Polonorum *cum Cruciferis de pace* 369
Conventus Vngarorum *&* Polonorum *Kesmarci* 273
Conventus trium Regum in campo 410
Conventus Polonorum Coli & Corcini. 415
Conventus cum Cruciferis Gniencoviæ habitus 244
Conventus Austriacorum Viennæ 616
Conventus Vngarorum *Posonii* ibid.
Conventus minorum Polonorum *Cracoviæ* 327
Convent. Nobilitatis Coli & Corcini 393
Conventus Coli & Corcini 346
Convivia & compotationes Polonorum 13
Convocandi Senatus ratio 23
Copiæ Cruciferorum dilapsæ 375
Coributhi mors 301
Coributhus in Bohemiam cum exercitu proficiscitur 271
Corcini comitia habita. 243. 296. 303. & 306. 361. 370. 376. 412
Corcini & Coli conventus 346
Circini conventus minorum Polonorum 372
Corcini Nobilitatis conventus 393
Corcini & Coli Polonorum *conventus* 415
Corcini conventus 416
Corona à Pontifice Polonis *petita* 184
Coronatio Regis Poloniæ 19
Coronatio Reginæ 20
Corporum Polonorum *habitudo* 13
Corpus Regis Ludovici Albæ Regiæ sepultum 518
Covara à Transylvanis occupata 623
Creatio plebeiorum magistratuum 29
Criminalis actio contra Horstium, item & Funccium instituta 617
Cracovia à Craco condita 41
Cracovia proditione ab Henrico recepta. 164
Cracovia in Lesci fide permanet 166
Cracovia à Loctico recuperata 183
Cracoviæ comitia alia 389
Cracoviæ monstra nata 431
Cracoviæ incendium ingens 521
Cracoviæ conventus 454
Cracoviæ comitia in quartum mensem 540
Cracoviæ comitia alia. 393.. 415. 453. 529. 563 & 462. 529. 559. 564
Cracoviæ incendium aliud. 363. 412.
Cracoviæ Academia erecta 241
Cracovic conventus Regum & principum ad Casimiri nuptias 207
Cracoviæ incendium 376. 429. *postis prodigiæ* ibid.
Cracoviæ comitia de creando principe. 119 197. 226. & 232.
Cracoviæ Principium conventus 274
Cracoviæ regimen Germanis mandatum 166
Cracovienſis arcis incendium 439
Cracovienſis arx firmata 237

Cracouienses à Conrado alienantur 144
Cracouienses deficiunt ad Boleslaum Ducem Opoliensem 183
Cracouienses propter Iudaos mulctati 371
Cracouiensis ora à militibus infestatur 445
Cracouienses ob eadem Tencinii capitis pœna damnati 361
Cruciferi ad Nideburgum à Polonis cæsi 488
Cruciferi à Prussis obsessi 337
Cruciferi Prussiam Regi Bohemiæ dedidere 338
Cruciferi bellum in Polonos renouant 419
Cruciferi Morangum, Rastenburgum & alia oppida recuperant 390
Cruciferi vincuntur à Polonis 195
Cruciferi Lithuaniam vastant 242
Cruciferi non satisfaciunt decreto Cæsaris 268
Cruciferi funduntur à Polonis 258
Cruciferi Polonis iniurii 264
Cruciferi & Massouii à Polonis victi 189
Cruciferi Cuiauiam vastant 196
Cruciferi in Habo fusi 370
Cruciferi Poloniam vexant & oppida quædam diripiunt 192
Cruciferi à Polonis profligati 259
Cruciferi à Prutenis afflicti 155
Cruciferi Cuiauiam & Dobrinum infestant 287
Cruciferi funduntur à Polonis 258
Cruciferi à delegatis Pontificiis damnantur & excommunicantur 185
Cruciferi Lithuaniæ bellum inferunt 235
Cruciferi in Prutenos euocati ibid
Cruciferi in fide & clientela Regis Polonorum 385
Cruciferi à Polonis in angustum redacti 336
Cruciferi Varmiam vastant 380
Crucifuri Pomeraniam subigunt 182
Cruciferi pacem petunt 383
Cruciferi fusi prædam agunt 373
Cruciferi à Polonis profligati 287
Cruciferis Stargardia prodita 361
Cruciferorum vicinitas suspecta 173
Cruciferorum cum Lithuanis bellum 220
Cruciferorum pactum cum mercenariis militibus 342
Cruciferorum clades ad Colbergam 372
Cruciferorum res aduersæ ad Choiniciam 384
Cruciferorum copiæ dilapsæ 375
Cruciferorum discessus fugæ similis 492. quos Zaremba sequitur, ex iis non paucos trucidat & capit 493
Cruciferorum Magister nouus in verba Regis iurat 398
Cruciferorum clades ad Passenheimum 355
Cruciferorum Magistri ad Regem legatio 285
Cruciferorum pacta cum Cuiauiæ Duce 179
Cruciferorum caduceatores gladios à Magistro Regi afferunt 250
Cruciferorum strages 195
Cruciferorum clades ad Preusmarcum & Pissiam 487
Cruciferorum magister princeps & senator regni 385
Crueiferorum res prospera in Pomerania 377
Cruciferorum strages ad Schipenbeilum 359
Cruciferorum Magister nouus Regi Poloniæ iurat 396
Cruciferorum in Ecclesiasticos iniquitas. 184. Excommunicantur ibid.
Cruciferorum præsidiarii Niessouiæ fusi 273
pacem à Rege petunt & impetrant ibid.
Crucigeri arcem Gedanensem suæ potestatis faciunt 179
Crucigeri Pomeraniam à Marchionibus emunt 183
Crucigeri quomodo se contra Polones gesserint 336
Crucigerorum clades ad Vormitam 368

Crucigerorum clades ad Fridlandiam 344
Crucigerorum Magister in Poloniam irruit & oppida non pauca incendit 246
Crucigerorum Magistri responsum superbum 180
Crucigerorum clades 364
Crucis militia contra Turcas 371
Crudelitas Polonorum erga suos 493
Crudelitas Moscityranni 639
Crudelitas Moscii in Liuones 666
Crudelitas in Polonos Palatini Moldaui 435
Crudelitas Iuoniæ 653
Crudelitas Moscorum 685
Cubicularii, satellites & pueri 27
Culma Cruciferis prodita 348
Culmensem tractum Pruteni sibi subiiciunt 130
Culmensem oram Poloni vexant 196
Culpa cladis Taslouiecio adscribitur 523
Curarei familiaris Polonorum 13
Curiæ Mareschalci 27
Curiæ officia quæ 16
Curiæ Thesaurarii 27
Curlandiæ Dux motus sedare conatur 749
Curlandiæ Dux pacis instauranda arbiter delectus 755. Rex compositionem irritam pronunciat ibid.
Curlandiæ Dux confirmationem feudi à Rege petit 676
Curonensis prouincia Polon. Regi feudum 741
Cursus equorum de principatu 44
Czarnieuiecius relibus suspectus 655

D.

DE Damoborii cæde actum 393
Daniæ Regis legatus ad Regem Sigismundum 463
Daniæ Rex Gedanensium naues detinet 627
Decima negatur ab Episcopis 439
Dedesium à Turcis in potestatem redactum 623
Deditio Cniponiæ 344
Defectio Prutenorum 107
Defectio Suantopelci Præfecti Pomeraniæ 132
Defectio Polonorum à Boleslao Caluo 145
Defectio Vngarorum à Mathia Rege. 399. Casimiri Regis filium accersunt ibid.
Delegati Pontificis de controuersia Polonorum cum Cruciferis 198
Delegati iudices à Pontifice Romano inter Polonos & Cruciferos 184
Deliberatio Polonorum de Moldauia subigenda & in prouincia formam redigenda 326
Deliberatio de tormentis confundendis 542
Deliberatio de Regis matrimonio 589
Deliberatio de oppugnatione instituenda 717
Deliberatio obsidionis tempore habita 596
Demetrius Visnouiecius à Valachis vocatus, vncoque appensus 610
Demetrius Ocinius ob non ebibitum poculum occisus 632
Dentatus puer nascitur & loquitur 159
Derpatum à Moscis obsidione cinctum & captum 600
Derpatum à Rosa frustra tentatum 630
Dersauia incensa & alia oppida capta 181
Descriptio situs Polociæ 670
Descriptio Valachiæ 633
Descriptio regionis Polocensis 677
Descriptio Poloclanæ obsidionis 680
Desiderium pacis apud Prutenos 368
Desponsatio Annæ Vngariæ Regis filiæ 472
Despotes Rascia & Albaniæ à Turcis pulsus 313
Dierum nouem comitia 334
Difficultas Plescouiæ oppugnandæ 714
Disceptatio super legum veterum & nouarum obseruatione 575
Discessus Regum Vienna 47

Disciplina militaris in castris Polonorum nulla 345
Disciplina militaris Polonorum soluta 406
Disciplina militaris exercitus Germanici 492
Disciplina militaris à Rege sancitur 713
Disputatio de pacũ conditionibus 727
Dissensio Ducum Lituanorum 233
Dissensio Bohemorum in creando Rege 399
Dissensio maiorum Polonorum in electione nunciorum 499
Dissensiones intestinæ Paulo Scalicio authore in Prussia Ducali 616
Dissidia ducum Silesiæ 174
Dissidia inter Nobilitatem & Gedanenses regia in Prussia 479
Dissidii inter ordines causa 301
Dissidium inter filios Suentopelci 157
Dissidium inter Regem & Vitoldum 276
Dissidium Vngarorum in Rege creando 427
Dissidium procerum in Rege creando 429
Ditio Siradiensis vastatur 171
Ditio Erici Pomeranorum Ducis à Polonis vexatur 360
Diuisio regni Polonici 96
Dobrinenses à Cruciferis fusi 348
Dobrinum à Prutenis incensum 167
Dogmatis Lutherani in Prussia incrementum 548
Dominatus Mieczislai asper 110
Donationes mutuæ Regis & Gedanensium 392
Ducatus Osuiecimensis ad Poloniam revertitur 334
Ducatus Zathoriensis Regibus Poloniæ cessit 466
Duces exercitus in Poloniæ qui 24
Duces seu Palatini duodecim in Polonia 41
Duces Silesii Bohemo se permittunt. 187
Duces Osuiecimenſium in clientelam Regis Poloniæ perveniunt 304
Duces Silesii Poloniam vastant 331
Duces Silesiæ commissi 406
Duci Moscorum Theodoro concessæ induciæ 753
Ducis Suidrigelli mors 329
Ducis Conradi pacta cũ Cruciferis 133
Ducis Prussiæ postulata 526
Ducis Bavariæ legatio ad Casimirum Regem 364
Ducis Pomer. inconstantia 383
Ducis Pomeraniæ legatio ad Regem 381
Ducis Pomeraniæ legatio ad Regem Casimirum 337
Ducis Bavariæ legatio ad Regem Pol. de filia Heduigi in matrimonium tradenda 410
Ducis Megapolitani in Prussiam adventus 616
Ducis Megapolitani Varsaviam adventus 612
Ducum Cuiavienſium propago 215
Ducum Masoviorum postulata 371
Ducum Masoviorum coniugia disparia 417
Ducum Masoviæ legatio ad comitia 367
Ducum Masoviæ postremorum obitus 511
Duellum Turcæ cum Polono 636
Dux Pomeriæ Gedanum venit 510
Dux magnus Holsatiæ moritur 741
Dux Holsatiæ à Mosco Rex Livoniæ declaratus. 629 Revaliam petit, & literas ad Revelienses mittit. ibid. qui non respondent. ibid.
Dux Magnus Masoviæ moritur 419
Dux Moscorum Novogrodum & magnam Russiæ Albæ partem sibi subiicit 423
Dux Curlandiæ confirmationem feudi à Rege petit 676
Dux Munsterbergensis Sil. s. in Danubio submersus 470
Dux Pomeraniæ Regi Polonorum feudalis 511
Dux Lignicensis Bresiam ad Regem de pace vel inducijs venit 494
Dux Michael moritur 329
Dux Saganensium ambitus 407
Dux Prussiæ à Iudicibus Cameralibus proscriptus 527
Dux Pomeraniæ Regem ad nuptias inuitat 504
Dux Curlandiæ motus sedare conatur 749
Dux Curlandiæ arbiter pacis instaurandæ delectus 755
Dzialdouia à Moscouis capta 373
Dzialdouiam Cruciferi proditione recuperant. 343. eadem à Polonis recuperatur & incenditur ibid.

E.

Ecclesiastici fori iudicia, causæ, & iudices 30
Ecclesiæ Varmiensis cum Rege Polonorum pacta 421
Eclipses Lunæ tres 563
Eclipsis Solis insolens. ibid.
Edictum Regis Poloniæ de disciplina militari 249
Edictum militibus Christianis proponitur 542
Educatio Polonorum 13
Egestas Casimiri Regis 401
Elias Valachiæ Palatinus Mahometis impietatem amplectitur. 578. eius à Turca præmium. 579. Braczlauiam oppressit & exussit ibid.
Elbinga à Cruciferis ex insidiis tentata 493
Elbingæ conuentus Prutenorum 414
Elbingenses cum Polonis Sambiam populantur 359
Elbingensium virtus. 494
Electio Regis in Polonia 19
Electio Episcopi 29
Electio iudicis, subiudicis & notarii 29
Electioni Episcoporum libera vis illata 368
Electores Regi mutuo pecuniam dant 705
Electores, Saxo & Brandeburgensis, Regem ad bellum contra Moscum hortantur 672
Eligendorum Regum ratio 734
Elisabetha Casimiri Regis filia Duci Pomeraniæ elocata 201
Elisabethæ Reginæ mors 268
Elisabetha Ludouici Regis mater Poloniæ excedit 217
Elisabetha Austriaca nouæ nuptæ Casimiro Regi Cracouiam venit 334
Elisabethæ Reginæ studium erga Ioannem Albertum 429
Elisabethæ Reginæ mors 448
Elisabethæ Austriacæ Reginæ mors 564
Emericus à Docia trucidatus 537
Emericus Czibacus Episcopus Varadinensis Transyluaniæ Præfectus 536
Emporium Vratislauiæ renouatum 461
Emporium Francofordi ad Oderam erectum 462
Emporium Vratislauiense sublatum 502
Episcopæ Culmensis Gnesnensi subiectæ 386
de Episcopa Cracouiensi contentio 358
Episcopæ Pomesanienſis Cruciferis relictæ 386
Episcopæ Sambiensis & Pomesaniensis restitutæ 618
Episcopæ in Russia conditæ 219
Episcopalia bona à Præfecto Cracouiensi occupata 358
Episcopæ Præmisliensis vacatio per triennium 410
Episcopus Paulus turbator captus 165
Episcopus Cracouiensis Paulus moritur 171
Episcopus Sambiensis ad Cruciferos desicit 342
Episcopus Plocensis Massouiæ gubernator 345
Episcopus Varmiensis in regias partes concedit 379
Episcoporum & reliquorum Sacerdotum prouentus 31
Episcopus cum sacerdotibus ab Henrico eiicitur 165
Episcoporum mortes & successiones 401
Episcoporum mortes & successiones varia 420
Episcoporum successio 375

Episcoporum successiones distincta 504
Episcoporum electioni libera vis illata 368
Episcoporum successiones alia 527
Episcopos processus sui pœnitet 583
Equini lactis vsus apud Tartaros 423
Equites aulici 27
Equitum stipendia 38
Equorum cursus de principatu 44
Erdodium à Turcis obsidetur 615
Ergastula Vratislauiensium Polonis & Bohemis plena 410
Erici Ducis Brunsuicensis in Prussiam expeditio 608
Ericus Pomeranorum Dux Lauenburgum & Bythouiam Cruciferis dedidit 357
Ericus Dux Pomeraniæ inconstans 366
Ericus Sueciæ Rex fratrem Finlandiæ Ducem custodiæ dat 610
Ernestus Dux Austriæ Cymbarcam Masouiam in matrimonium ducit 262
Eruptio Tartarorum in Volyniam 455
Eruptio Tartarorum in Lituaniam 459
Eruptio Plescouiensium 716
Erymon Mieczulai 50
Eundem esse Vngariæ & Poloniæ Regem, non expedire 441
Exactiones nouæ & munera honoraria instituta 98
Exactiones siue tributa 38
Exactores tributorum qui 26
Excursio Prutenorum & Pomeranorum in Masouiam 86
Excursio Lithuanorum in Poloniam 218
Excursio Moschi in Lituaniam 311
Excursio Lituanorum in Poloniam 212
Excurcursio Tartatarorum in Poloniam 330
Excursio Lituanorum in Marchiam ibid.
Excursio Tartarorum in Podoliam 478
Excursio Tartarorum in Poloniam & Russiam 202
Excursio Lituanorum in Masouiam & Poloniam 149
Excursio Tartarorum Tauricanorum in Poloniam 443
Excursio Prutenorum in Culmensem tractum 107
Excursio Polonorum ad Oczacouiam 522
Excursio Tartarorum Tauricanorum in Podoliam 479
Excursio Tartarorum in Podoliam alia 474
Excursio Tartarorum in Lituaniam 448
Excursio Russorum in Poloniam 77. 92
Excursio Tartarorum in Podoliam 420
Excursio Tartarorum in Russiam 332
Excursio Lituanorum in Lublinensem oram 162
Excursio Lituanorum & Iazygum in Poloniam 145
Excursio Tartarorum in Russiam. 463. quos Poloni insecuti ibid.
Excursio Bohemorum in Poloniam 383
Excursiones Tartarorum in Podoliam & Russiam 425
Excursiones Tartarorum 622
Executio vrbanorum iudiciorum 35
Executio rerum iudicatarum in Polonia 35
Executio legum ad finem perducta 624
Exemplum crudelitatis in Henrico duce statutum 172
Exercitus Lituanicus clade affectus 244
Exercitus acephalus Austriam infestat 404
Exercitus circa Dersauiam castra metatur 665
Exercitus Moschi conatus 677
Exercitus duces in Polonia qui 24
Exercitus Regis Poloniæ numerosus 408

Exercitus in Moldauiam à Rege mittitur 326
Exercitus à Rege in Moscouiam mittitur 456
Exercitus Regis Poloniæ maximus 597
Exercitus hostilis à Radiuilo inuaditur 720
Exercitus missionem flagitat 722
Exercitus Germanorum Cruciferis auxilio venit 490
Exercitus Polonicus hostilem terram populatur 688
Exercitus Moschi magnitudo 467
Exercitus Matthiæ Regis ex Silesia fugatus 416
Exercitus Ferdinandi à Budensibus fugatus 553
Exercitus conscribitur 694
Exercitus in quas terras ducendus, deliberatur 695
Exercitus numerosus à Moscho in Liuoniam mittitur 598
Exercitus Germanici disciplina militaris 492
Exercitum Rex dimittit 360
Exercitum Rex in vlteriorem Dunæ ripam traducit 697
Exhortatio Herburti ad suos. 638. eiusque periculum ibid.
Exitus horrendus Basilidis Moscorum Principis 746
Exitus belli Prussici varia fortuna gesti 386
Expeditio Morauica 149
Expeditio in Silesiam 304
Expeditio Polonorum in Bohemiam ibid.
Expeditio Polonorum in Vngariam 60
Expeditio in Pomeranos tertia & quarta 71
Eepeditio contra Suidrigellonem 286
Expeditio Vngarorum aduersus Ziemouitum 226
Expeditio Polonorum in Vngariam 66
Expeditio Vladslai Regis cum Lithuanis in Marchiam Brandeburg. 187
Expeditio Cruciferorum in maiorem Poloniam 191
Expeditio in Pomeranos 79
Expeditio Boleslai in Pomeraniam 86
Expeditio Vladislai Regis contra Turcas 316
Expeditio Vngarorum aduersus Ziemouitum 226
Expeditio toti Poloniæ indicta 147
Expeditio bellica sine Comitiis non indicitur 38
Expeditio Polonorum in Marchiam 158
Expeditio in Russiam noua 259
Expeditio Casimiri Regis in Russiam 206
Expeditio Vladislai Regis cum Lithuanis in Machiam alia 189
Expeditio Valachica, eiusque causa 206
Expeditio in Pomeranos tertia & quarta 72
Expeditio Vitoldi in Proscouienses Russos 275
Expeditio Russorum in Turcas 414
Expeditio Vitoldi in Moscos 244
Expeditio Venceslai iunioris in Poloniam 177
Expeditio Polonorum in Prussiam 350
Expeditio Cruciferorum cum Bohemis in Poloniam 190
Expeditio Pololonorum lenta in Prussiam 344
Expeditio Solymanni in Vngar. 498
Expeditio Polonorum contra Prutenos 107
Expeditio alia Vitoldi in Proscou. Russos 276
Expeditio Polonorum in Silesiam 196
Expeditio Henrici Barbati in Poloniam minorem 136
Expeditio Regis Ferdinandi in Vngariam ad recuperandam Budam 557
Expeditio Conradi in oram Cracouiensem 136
Expeditio Polonorum in Prussiam 342
Expeditio Silesiorum contra Locticum 169
Expeditio Nobilitatis minoris Poloniæ in Tartaros 503
Expeditio Regis in Lituaniam 234
Expeditio Turcæ in Vngariam 523
Expeditio Vitoldi contra Tartaros 139

Expeditio Ioannis Regis in Transyluaniæ præfectos 548
Expeditio Boleslai in Vngariam 92
Expeditio Friderici Imperatoris in Poloniam 105
Expeditio Vladislai in Lituaniam. 236
Expeditio tributo redempta 370
Expeditio Polonorum maiorum in Prussiam damnosa 3[illegible]
Expeditio aduersus Moldauum minus prospera 541
Expeditio Vladislai contra exules 75
Expeditio publica Nobilitatis 490
Expeditio publica aduersus Moldauum decretæ 540
Expeditio Tauricanorum principis in Tartaros Zauolgenses 500
Expeditio nauales Gostaui Regis Succiæ contra Moscum 591
Expeditio Polonorum contra latrones 349
Expeditio publica Nobilitatis infructuosa 499
Expeditio Conradi contra Pudicum 146
Expeditio Polonorum contra Crucigeros 246
Expeditio Erici Ducis Brunsuicensis in Prussiam. 608. cuius miles in Marchia transitu prohibitus. ibid. in Prussiam venit diffidente Prussiæ Duce & ad Polonorum opem confugiente. ibid. & 609. eiusdem cum Brunsuicen. expostulatio, qui & ei occurrit. ibid. Brunsuicus exercitum non sine tumultu militum reducit. ibid.
Expeditionis bellicæ ratio 405
Expeditionum publicarum incommoda 372
Expostulatio Senatorum cum Rege 329
Exterior Pomerania à Polonis subacta 90
Externi ab honoribus exclusi 339

F.

FAcinus immane Monachorum Cracouiensium 479
Faclum insigne Podoliorum 283
Fames & pestis in Polonia 129. 183. 207.
Familiæ nobiles in Polonia vnde dicantur 15
Familiæ Habdanci nomen vnde 84
Felinum oppidum à Moscis exustum 602
Felinum arx Moscis tradita ibid.
Felix & Georgius Strusii fratres à Valachis interfecti 448
Feræ Poloniæ quales 10
Ferdinandi Cæsaris mors 611
Ferdinandi Regis Vngariæ ad Turcam de pace legatio 592
Ferdinandi consilium de residuis castellis expugnandis 597
Ferdinandi Regis ad Turcam legatio, 521. responsum Solymanni inexpectatum ibid.
Ferdinandi & Sigismundi Regum Commissarii Glogouiam missi 544
Ferdinandi Regis expeditio in Vngariam ad Budam recipiendam 557
Ferdinandus exercitum incolumẽ reducit 597
Ferdinandi Regis ad Turcam legatio. 550. ad Reginam item viduam ibid.
Ferdinandus Archidux Austriæ à patre exercitui præficitur 596
Ferdinandus Cæsaris frater dux exercitus constituitur 629
Ferdinandus Rex Reginæ viduæ bellum infert 550
Ferdinandus Rex Vngariæ salutatus inauguratur 520
Ferdinandus Rex bellum Vngaricum molitur 550
Ferdinandus Rex & Fridericus Palatinus Rheni contra Turcam magno cum exercitu proficiscuntur 525
Ferdinandus Austriacus exercitui subsidio venit 596
Ferdinandus Bohemiæ Rex creatus. 519. Budam contendit 520
Ferdinandus Rex exercitum cum tormentis Ezebizum mittit. 451. Turcæ non minores, nec inferiores copias habent 542
Filiæ Casimiri relegatæ & exheredatæ 213.

Filii

Filii Belæ regis Vngariæ in Poloniam fugiunt 65
Filii maioris natu Principis Mosci obitus 725
Filium Regis Poloni sibi Regem constituunt 289. 298
Fines inter Prussiam & Samogitiam constituti 274
Finlandia à Moscis vastatur 630
Finis regiæ potestatis 19
Fluuii Poloniæ præcipui qui 8
Fluuius Nerua venenata animalia auersatur 9
Fœdera & pacta inter Vngaros & Polonos 199
Fœdus cũ Duce Pomeraniæ initum 294
Fœdus Tartarorum cum Vitoldo 267
Fœdus cum Duce Pomeraniæ initum 294
Fœdus Casimiri Regis cum Ducibus Pomeraniæ 201
Fœdus Marchionis Misniæ cum Rege 242
Fœdus & affinitas Boleslai cum Bela Vngariæ Rege 138
Fœdus Friderici Imperatoris cum Polonorum Rege 397
Fœdus Regis Poloniæ cum Tartaris 440
Fœdus cum Alberto Austriæ archiduce 367
Fœdus Polonorum cum Polonis 95
Fœdus Casimiri Regis cum Baiazete Turcarum Imperatore per Nicolaum Firleium 426
Fœdus Lituanorum cum Polonis renouatum 442
Fœdus Tartarorum Tauricanorum cum Rege Poloniæ 387
Fœdus Vngarorum cum Polonis 242
Fœdus Viboldi cum Cruciferis 279
Fœdus Regum Vngariæ & Bohemiæ 430
Fœdus & pax inter Georgium & Casimirum Reges 355
Fœdus Vngari cum Cruciferis 415
Fœdus Matthiæ Vngariæ Regis cum Friderico Imperatore 390
Fœdus Cæsaris cum Regibus 473
Fœdus inter Vladislaum, Ioannem Albertum & Alexandrum ictum 438
Fœdus Polonorum cum Moldauo 391
Fœdus Ioannis Alberti & Vladislai fratrum Regum 430
Fœdus quinquennale Mosci cum Polonorum Rege 469
Fœdus & pax inter principes Poloniæ cognatos 131
Fœdus inter Principes aduersus Cæsarem initum 509
Fœdus Palatini Moldaui cum Polonis & Lituanis 438
Fœdus Cæsaris cum Poloniæ Rege 509
Fori Ecclesiastici iudicia, causæ & iudices 30
Forma nouæ gubernationis Liuoniæ promulgatur 740
Fortitudo Ioannis Alberti 428
Fortuna aduersa Polonorum in Prussia 349
Frater Regis moritur 710
Fratres acephali Austria eiecti. 404. iidem Vngariam infestant ibid.
Fratres Tartari fratri denuo bellum inferunt 747
Fratres Tartari ad Stephanum Regem confugiunt ibid.
Fraustadia incensa & defensa. 407
Fremitus Nobilitatis in Regem 416
Friderici Imperatoris ad Polonos legatio. 105. in Poloniam expeditio ibid.
Friderici Imperatoris fœdus cum Poloniæ Rege 397
Friderici Imperatoris mors 430
Friderici Cardinalis mors & mores 444
Friderici Imperatoris in Poloniam expeditio 105
Friderici Imperatoris legatus Raphael Leszinius ad Regem 396
Friderici Imp. legatio ad Casimirum R. 325
Friderici Marchionis Brandeburgen legatio ad Regem Casimirum 337
Friderico Palatino belli summa commissa 531
Fridericus Marchio Brandeburgensis ad Regem Polon. in castra venit. 344

Fridericus Cardinalis Archiepiscopus factus 430
Fridericus sextus Casimiri Regis filius natus 391
Fridericus Dux Saxoniæ Ordinis Magister moritur 464
Fridericus Lignicensis Dux ad Regem de pace venit 491
Fridericus Imperator bello suos rebelles persequitur 415
Fridericus Cardinalis Vicarius & Prorex 443
Fridericus filius Regis Episcopus Cracouiensis 425
Fridlandenses præsidium Polonicum trucidant 360
Fridlandenses & Hamersteinenses Regi deditionem faciunt 383
Fridlandia recepta 360
Frigoris vis maxima in Moscouia 726
Frigus intensissimum 535
Fuga Boleslai 141
Fuga Silesiorum & Polonorum 142
Fuga & clades Polonorum 341
Fuga Sachmatis 442
Fuga Moscorum 458
Fuga & clades Vngarorum 517
Fuga Moldaui 528
Fuga Ioannis Alberti 428
Funus Ioannis ad Regis ad Albam regalem celebratum 549. & 550
Fugæ initium ab Vngaris & Styriis. 543. Carinthii vero, Saxones, Austriaci & Bohemi fugere recusant ibid. qui cum reliquis Germanis à Turcis trucidati ibid.

G.

Galliæ Regis legatio ad Polonorum Regem. 519. responsum ad legationem ibid.
Gedanenses dedunt se Marchionibus 178
Gedanenses quid Regi debeant 339
Gedanenses proscribuntur 664
Gedanenses integre cum Rege transeunt 741
Gedanenses à Cruciferis incommodo affecti 357
Gedanenses clade alia afficiuntur 665
Gedanenses portum Regiomontanum obstruunt 486
Gedanenses Sambiam vastant 364
Gedanensibus census remissi 339
à Gedanensibus iusiurandum exactum 511
Gedanensis arcis defensio Cruciferis commendata 178
Gedanensium nuncii ad Regem 510
Gedanensium studium erga Regem Polon. 351
Gedanensium legatio ad Regem de mutata religione. 508. Regis responsum ib.
Gedanensium de Rege in vrbem intromittendo consultatio 510
Gedanensium causa ventilatur 664
Gedanensium munificentia in Regem Polon. 347
Gedanensium territorium à Cruciferis vexatum 375
Gedanensiũ motus intestini. 626 ad quos sedandos Commissarii missi, sed non admissi. ibid. vnde Rex exacerbauit, post tamen admissi. ibid. ciuitatis statum reformant & placationis viam monstrant. 627. Cõmissarii de actionibus in regni Senatu referunt. ibid.
Gedanensium cum Rege Daniæ transactio 627
Gedani seditio. 347. sedata à Czeruonca ibid.
Gedani seditio alia 414
Gedani ob religionis mutationem tumultus 504
Gedani Lutheranæ religionis publica exercitia 511
Gedanum Cruciferi repetunt 179
Gedanum Cruciferis proditum 180
Gedanum prope proditum 370
Gedanum à Præmislo munitur 173
Gedanum à Cruciferis obsessum 492
Gedeminus magnus Dux Lithuaniæ fœdus cum Polonis facit 188
Gedeon Episcopus Cracouiensis corripit principem 110
Gedeonis oratio ad principem libera 111

Gelu & nix post medium Maium 204
Genera Senatorum 22
Genus Piasti & conditio. 48. posteritas & mors 49
Georgii Regis Bohem. noui legatio ad Regem Polon. 351
Georgii Bohemiæ Regis ad Casimirum Regem legatio 393
Georgius Fridericus Marchio Brandeburgensis Regi auxilia mittit 680
Georgii Regis Bohemiæ mors 399
Georgii Regis inconstantia 398
Georgius Dux Russorum se & Beczum Regi dedit 219
Gregorius Rex Bohemiæ à Casimiro Rege liberis suis metuit 386
Georgius Monachus Episcopus Varadinensis in Transyluania occiditur 580
Gladum stringendi in Polonia circa Euangelii recitationem consuetudo 1
Germani incolæ Poloniæ 205
Germani in campis palantes à Polonis clade affecti 491
Gemanici exercitus disciplina militaris 492
Germani castra mutant 553
Germaniæ Principum ad Regem Polonorum legatio 487
Germanorum exercitus Cruciferis auxilio venit 490
Gesterum castellum captum 619
Gisii conatui Stephanus Rex occurrit 755
Gisius Regi Sueciæ Regem tradere conatur 755
Gizicius Episcopus Plocensis obiit 369
Glogouia oppugnata & strenue defensa 83
Glogouiam Bohemus sui iuris facit 186
Glogouiensis Dux Conradus moritur 174
Glinscius ad Moscum deficit. 456. Ioannem Zabracinium obtruncat ibid.
Glinscius clam Regi Polonorum conciliatur 467
Gnesnæ Præmislus rex creatur 173
Gnesnensis Archiepiscopi officia. 23. eius oratio ad Vladislaum 100
Gnoinius & Turscius sacerdotes ob furtum supplicio affecti 347
Guiencouiæ conuentus cum Cruciferis habitus 244
Golubum Cruciferis prodisum 357
Golubum oppidum receptum 366
Gostaui Sueciæ Regis expeditio naualis contra Moscum 591
Gostinum à Conrado surreptum Loctico 167
Gostinum & Plescum à Bohemis oppugnantur 176
Gothardus Ketlerus ordinem suum resignat. 604. ac Regi Poloniæ omnibus cedit. ibid. idem Dux Curlandiæ proclamatus ibid.
Grassatio militum ob non soluta stipendia 422
Gratiæ Nobilitatis nomine Regi aguntur 737
Gregoriani Calendarii promulgatio 708
Gregorianum Cælendarium explosum 750
Griphina Lesci Nigri vxor principatum Venceslao Bohemo donat 170
Grittus Transyluaniam turbat 536
Grittus horrendo supplicio affectus 538
Grodnæ nuncius cum literis à Mosco ad Regem venit 709
Grudenti comitia Prussorum habita 338
Gruscinius Episcopus Cracouiensis 367
Gubernatio Prussiæ sublata 387
Gubernatio archidiœcesis Rigensis Duci Curlandiæ mandata 610
Gubernatio Liuoniæ Chodkiewicio mandata 612
Gubernator Poloniæ Archiepiscopus 100
Gubernator Prussiæ Ioannes Baisenus 389
Gubernator Massouiæ Episcopus Plocensis 345
Guilhelmus Austriacus Cracouiam venit 230
Gunieza oppugnata 531

H.

Habdanci familiæ nomen vnde 84
Habitudo corporum Polonorum 13
Habuc seu mare recens in Borussia 9
Halicienſe bellum à Caſimiro geſtum 127
Halicienſis nobilitas fere omnis trucidata 126
Heduigis regina moritur 206
Heduigis in Poloniam aduentus. 227. Regina Poloniæ renunciatur & coronatur 229. moritur 230
Heduigis filia Regis moritur 288
Heduigis filia Regi nata 464
Heiligenbeila expugnata 487
Heilsberga à Cruciferis obſeſſa 489. 491. muri pars deiecta ibid.
Helena à Mieczislao decepta 123
Helena coniunx Alexandri Regis Vilnæ moritur 465
Henrici Barbati in minorem Poloniam expeditio 136
Henrici Barbati in Cracouienſem principatum expeditio 131
Henrici expeditio in maiorem Poloniam 138. moritur ibid.
Henrici Ducis cum Epiſcopo tranſactio 165
Henricus Vratilauienſis Cracouia potitur 169
Henrici Plauenii ad Regem oratio 254
Henrici iter per Germaniam. 643. eius in Poloniam aduentus ibid.
Henrici Regis coronatio 645
Henrici Regis ex Polonia exceſsio 646
Henrici Regis literæ ad Poloniæ ordines 647
Henricus Dux ad Hieroſolymitanam militiam profectus 104
Henricus Dux interfectus 108
Henricus Berbatus ad principatum interuertendum concitatur 130
Henricus Barbatus à Conrado Miſſam audiens capitur 134
Henricus Probus Eccleſiaſtica bona ac decimas vſurpat 165
Henricus Lignicenſis Vratislauia potitur 170
Henrici Probi mors ib.
Henricus à Boleslao victus moritur 182
Henricus Vratislauienſis ad Vladislai Regis Pol. confugit auxilium 187
Henricus Plauenius Cruciferorum Magiſter factus 257
Henricus Ordinis Magiſter moritur 599
Henricus Valeſius Rex Poloniæ deſignatur. 642. proclamatur ibid.
Henricus diſcedit ex Gallia 643
Henricus Rex denuo literas ad Polonos dat 647
Henricus Poloniæ Rex auxilia Iuoniæ denegat 650
Henricus Gallus exauguratur 661
Herburti ad ſuos exhortatio 638
Hieronymi Laſci obitus 558
Hieronymus Laſcus in cuſtodia detentus 538
Hiſtoria de Iuonia Valachæ Palatino 648
Holandia oppid. Cruciferis dedita. 370. & poſt à Polonis recuperata ibid.
Holandia à Firleio obſeſſa 486. expugnata 487
Holandia ab Elbingenſibus ſolo æquata 494
Holmia arx obſidetur & capitur 539
Holſatiæ Dux à Moſco Rex Liuoniæ declaratus 629
Holſatiæ magnus Dux à Moſco ad Regem Poloniæ tranſit 671
Holſatiæ Magnus Dux obit 741
Homicidii pœna aucta 405
Horrendus exitus Baſilidis Moſcorum principis 746
Hoſtes fugientes Poloni inſequuntur 701
Hoſtium caſtra capta. 366. caſorum & captorum numerus 366
Huſtum à Suendio oppugnatum 619
Hyems aſpera & niuoſa 208
Hyems mitiſsima 263

I

Iacobus Sienenius ad Pontificem legatus 354
Iacobus Melſtinius Chriſti nomen aſſumit. 455. præſtigiis admirabilis ibid.
Iacobus Struſsius à Tartaris occiſus 489
Iacobus Heraclides à Valachis trucidatus 610
Iagello Cracouiam aduenit. 231. Baptizatus nomen Ladislai accepit. ib. cum Heduigi matrimonium contrahit. ib. Rex coronatur. ibid.
Iagello Rex cum Regina in maiorem Poloniam ſe recipit 232
Iagellonis ad Reginam & Poloniæ proceres legatio 247
Iancula Valachiæ Palatinus capite truncatus 733
Ianuſsius Maſouiorum Dux moritur 432
Iaroslaus Achiepiſcopus abdicat ſe Archiepiſcopatu 214. moritur ib.
Iaſenecia arx capta & incenſa 249
Iaslouiecii ad præfectum Bialogrodenſem legatio de Polonis non lædendis 639
Iaslouiecio cladis culpa adſcribitur 523
Iazyges à Pudico victi & pene deleti 155
Ieremiæ Czarnouiecii perfidia exitio fuit Iuoniæ 655
Iezeriſcia ſe dedidit 704
Ilauia Cruciferis dedita 349
Imbres & inundatio in Polonia 129
Immunitas Eccleſiaſticorum 39
Immunitates Polonorum à Rege confirmatæ 279
Imperatoris Ottonis III. in Poloniam aduentus 53
Imp. Conſtantinopol. ad Regem Vladiſlaum legatio 265
Imperii comitia Auguſtæ Vindelicorum 526
Imperium muliebre in Polonia 56
Incendium Cracouiæ 376. 412. 429. 431
Incendium arcis Cracouienſis 439
Incolæ Poloniæ Germani 205
Incommoda publicarum expeditionũ 372
Inconſtantia Georgii Regis 398
Inducias ad duos annos Poloni cum Crucigeris faciunt 267
Inducia inter Polonos & Cruciferos 186
Inducia decem annorum Amurathi data 315
Inducia trium menſium cum Pomeranis facta 294
Inducia cum Cruciferis facta 270
Inducia cum Suidrigellone 287
Inducia Polonorum cum Cæſare 306
Inducia trium dierum damnoſa 286
Inducia annua Polonorum cum Ducibus Opoliæ 319
Inducia duodecim annorum cum Cruciferis facta 295
Inducia prorogata 422
Inducia alia cum Cruciferis 352
Inducia annua inter Vngariæ Reges 526
Inducia ad certum tempus 427
Inducia cum Turca 430
Inducia in Vngaria inter Ferdinandinandum Regem & Turcas. 600, quæ abſente Regina interturbata ibid.
Inducia quadriennales 494
Inducia cum Turcis quinquennes 449
Inducia trium menſium inter Reges 410
Inducia Caſimiri Regis cum Moſco 428
Inducia cum Moldauo conſtituta 434
Inducia inter Vngaros & Polonos 413
Iuduciæ Cæſaris cum Turca pactæ 624
Inducia aliquot annorum Lituanorum cum Moſcis 424
Inducia inter Regem Bohemiæ & proceres 390
Inducia non firmæ 406
Inducia inter Vngaros, Polonos & Bohemos ibid.
Inducia dierum aliquot cum Marchione Alberto 487
Inducia inter Reges prorogata 403
Inducia inter Moſcum & Regem Alexandrum 442
Infans regius in Turcæ caſtra miſſus 555
Ingreſſus Regis Gedanum 510
Inducia cum Sileſiis facta 331
Inducia inter Regem Sigiſmumdum & Moldauum 529

Induciæ cum Turcis per Nicolaum Firleium *firmatæ* 443
Inducia minorum Polonorum cum Bohemis 159
Inducia Theodoro Moscorum Duci concessa 753
Inducia viginti mensium 350
Ingenia Polonorum 13
Inimicitia Skirgelli cum Vitoldo 237
Iniquitas Cruciferorum *in Ecclesiasticos* 184
Iniuriæ Kosacorum 735
Iniustus iudex punitus 232
Insigne Poloniæ, Aquila alba, vnde factum 40
Insigne factum Podoliorum 283
Insolentia Vngarorum 498
Institutio iudicij Teutonici supremi Cracouiæ 205
Insula Mariana à Polonis expugnata 486
Integritas Maximiliani Cæsaris 616
Interdictum sacris ob Bohemos 394
Interdictum & diræ Archiepiscopi *in Henricum* 165
Intercessio Cæsaris & aliorum pro Rigensi Archiepiscopo *captiuo* 597
Interregnum anno Christi 1444. *& sequentibus duobus* 319
Intestini motus in Liuonia 594
Intestini motus Gedani 626
Inuasio Turcarum cum Tartaris in Podoliam 501
Inundatio & tempestas magna 89
Inundatio & imbres in Polonia 129
Inundatio in Polonia insolita 157
Ioachimus Brandeburgensis Elector belli dux 557
Ioannes Czapla Scholasticus Plocensis *suspenditur* 139
Ioannes Rex Bohemiæ in Prussiam cum exercitu venit 189
Ioannes Rex Bohemiæ bellum Polonis facit 202
Ioannes Masouiæ Dux à Cruciferis captus 244.
Ioannes Albertus Casimiro Regi nascitur 355
Ioannes Rex Hieronymo Lasco innotuit 520
Ioannes Rex Vngariæ vxorem ducit 547
Ioannes Rex Petrum Siczauiæ obsidet 545
Ioannes Rex Turcæ suspectus ibid.
Ioannes Podkouæ Kosacorum ductor capite plectitur 671
Ioannes Finlandiæ Dux Catharinam Regis sororem sibi matrimonio iungit 607
Ioannes Vngariæ Rex à Turca constituitur 525
Ioannes Albertus cum exercitu in Vngariam proficiscitur 427
Ioannis Lasci Episcopi Gnesnensis obitus 527
Ioan. Brinckius & Martinus Gisius à Rege proscribuntur 753
Ioan. Albertus Casimi Regis filius contra Tartaros cum exercitu missus 425
Ioan. Moscouiæ Dux amicitiam & societatem cum Rege Poloniæ iungit 438
Ioan. Baisenus Prussiæ gubernator 339
Ioannes Basilides Moscorum Dux moritur 745
Ioan. victus in Poloniam fugit 520
Ioan. Dlugossus Historicus Pol. obiit 424
Ioan. Scepusius, Transyluaniæ Palatinus, à Turcis superatus 471
Ioan. Sierakouius matrimonium Regis exagitat. 571. *Regis responsum* ibid.
Ioan. Masouiæ Dux ad Regnum Poloniæ aspirat 429
Iohannes Albertus Rex Poloniæ nunciatur ibid.
Iohannis Tencinii oratio admodum efficax 224
Ioannis Regis Vngariæ in Transyluaniam aduentus 545
Ioannis Zamoiscii Cancellarii pro Rege oratio 690
Ioannis Alberti Regis mors 441
Iohannis Regis expeditio in Transyluaniæ præfectos 548

Ioannis

Laudes Casimiri Ducis 111
Lauenburgum & Bythouia Duci Pomeraniæ dedita 384
Laurentius Moscouius Ducem Zathoriensem interficit 466
Lechi parricidium. 43. pœna ibid.
Legati Cæsarei ad Vladislaum Regem 266
Legati Pontificii in Poloniam & Prussiam aduentus 164
Legati ad Concilium Basiliense missi 296
Legati Regis Vladislai ad Sigismundum Cæsarem 269
Legati Polonorum ad Iagellonem 230
Legati Cæsarei ad Vladislaum Regem 266
Legati Cæsaris ad Vitoldum 280
Legati Regis Poloniæ ad Opauiensem conuentum
Legati Poloniæ & Bohemiæ Regum ad comitia Augustana 404
Legati prouinciarum ad comitia mitti cœpti 392
Legati Regis Poloniæ à Venetis comiter excepti 465
Legati Regis Polonorum ad Moscum de pace 723
Legati à Rege Poloniæ in Vngariam & Bohemiam missi 476
Legati Reualiensium ad Regem Daniæ 600
Legati à Mosco indignissime habiti 670
Legati Regis à Pontifice reuersi 395
Legati Regis ad comitia Francofurti 483
Legati in Bohemiam missi 394
Legati Mosci ad comitia iuramenti à Rege accipiendi causa veniunt 737
Legati ab Electore Brandeburgensi & Duce Pomeraniæ 530
Legati Venetorum ad Regem 407
Legati in Prussiam designati 395
Legati Regis Bohem. & Vngariæ ad Casimirum Regem 337
Legati cum exercitu in Prussiam missi 416
Legati Marchionis Brandeburgici & Ducis Pomeraniæ 395
Legati à Mosco ad Regem 724
Legati Regis ad Moscum inhumaniter habiti 628
Legati in Prussiam missi 344
Legati Mosci cenuiuio excipiuntur 738
Legati ex maiori Polonia ad comitia missi 376
Legati Bohemorum à Rege stantium 395
Legati in Moscouiam missi, qui iuramentum à Mosco acciperent 731
Legati Pontificis iniquitas 368
Legati in Vngariam ad conuentum missi 394
Legati procerum Polon. ad Regem 329
Legati Moscouitici ad Regem 707
Legati diuersorum principum ad Regem Polon. de fœdere 501
Legati ad Ferdinandum Regem de filia Elisabetha missi 544
Legati à Rege ad Ludouicum Regem missi 482
Legati Tartari à Rege auditi 675
Legati à Rege Vngariæ. 489. à Tauricano principe ibid.
Legati Palatini Moldauiæ ad Poloniæ Regem 433
Legati ad Pontificem à Rege & Magistro Crucif. missi 386
Legati ad Moscum. 663. eius responsio ibid.
Legati Regis Polonorum ad externos principes 396
Legati à Mosco ad Rudolphum Romanorum Imperatorem & Pontificem mittuntur 709
Legati Prutenorum ad Regem de finiendo bello 379
Legati ad componendas res Bohemicas à Rege missi 391
Legati Cæsaris ad Reges 471
Legati Mosci in castra veniunt 698
Legatio à Cæsare ad Regem Poloniæ. 564. responsum Sigismundi Regis ibid.
Legati in Galliam ad salutandum Regem electum

electum missi 642
Legati Moscicum Rege iterum colloquuntur 699
Legati ad Prutenos 389
Legati Regum ad Cæsarem 471
Legati Mosci Cracouiam veniunt 672
Legati denuo ad Vngaros missi 419
Legati ad Regem in Podoliam missi 371
Legatio Boleslai ad Henricum Cæsarem 84
Legatio Casimiri Regis ad Pontificem 198
Legatio Polonorum ad Regem 219
Legatio Iagellonis ad Reginam & Poloniæ proceres ibid.
Legatio Vladislai Regis ad Sigismundum Vng. Regem 247
Legatio Sigismundi Regis ad Vladislaum Regem 262
Legatio Polonorum ad Suidrigellonem 285
Legatio Magistri Cruciferorum ad Regem ibid.
Legatio Bohemorum Husitarum ad Regem 289
Legatio Polonorum ad Sigismundum Imperatorem 300
Legatio Sigismundi Imp. ad Vladislaum Regem 302
Legatio Regis Poloniæ ad Cæsarem 305
Legatio Turcica ad Vladislaum Regem 307
Legatio Polonorum ad Casimirum 319
Legatio Georgii Regis Bohemiæ ad Casimirum Regem 393
Legatio Regis Galliæ ad Poloniæ Regem. 519. ad legationem responsum ibid.
Legatio Tauricanorum Tartarorum 447
Legatio Moscorum Principis ad Cæsarem 593
Legatio Ioannis Vngariæ Regis ad Regem Polonorum & Valachum 529
Legatio alia Regis Bohem. & Vngar. ad Casimirum Reg. 338
Legatio Casimiri Regis ad Georgium Bohemiæ Regem 355
Legatos ad Henricum Regem Poloni mittunt 647
Legatio Regis Bohemiæ ad Casimirum Regem 388
Legatio Vratislauiorum ad Regem Polon. 352
Legatio Tartari 393
Legatio Persica ad Casimirum Regem Polon. 407. 411
Legatio Lituanorum 332. 367
Legatio Ducum Masouiæ ad comitia 367
Legatio Friderici Marchionis Brandeburgensis ad Regem Casimirum 337
Legatio Pontificis & Maximiliani Imperatoris 471
Legatio Casimiri Regis ad Pontificem de confirmatione pacis Prussicæ 389
Legatio Sedetkereii Principis Tauricani ad Regem Poloniæ de fœdere 501
Legatio Vngarorum cum donis ad Turcam 549
Legatio Lituanorum ad Polonorum comitia 442
Legatio Conradi Imperatoris ad Polonos 108
Legatio à Ferdinando Rege ad Turcam. 556. Turcæ responsum ibid.
Legatio Iesloviecii ad præfectum Bialogradensem 639
Legatio Liuonum ad Moscum de pace. 590. eorum iterata legatio ibid.
Legatio Ducis Bauariæ ad Casimirum Regem 364
Legatio Prutenorum ad Casimirum Regem 334. 351
Legatio Regis Casimiri ad Marchionem Brandeburgicum 392
Legatio Regis Casimiri ad Georgium Bohemiæ Regem 397
Legatio Cæsaris ad Turcam de pace 623
Legatio Pontificis ad Regem Casimirum 396
Legatio Turcæ & Venetorum ad Ioannem

Ioannis Kithuanii oratio ad Regem Casimirum 352
Ioannis Regis mors 549
Ioannis Alberti insignis fortitudo & fuga 428
Ioannis Tarnouii ad Gedanens. primores oratio 585
Ioannis Comitis Scepusii de noui Regis electione ad proceres oratio 518
Ioannis Choinii Episcopi Cracouiensis mors 544
Ioannis Alberti & Vladislai fratrum Regum fœdus 430
Ioannis Regis morbus. 549. ei filius nascitur. ibid. cui tutores instituti ibid.
Ioannis Alberti Regis consilium de Socrauia 433
Ioannis Moscouorum Ducis res gestæ 423
Ioannis Alberti Regis legatio ad Cruciferorum Magistrum 441
Ioannis Gruscinii Archiepiscopi Gnesnensis mors & mores 405 ei successit Iacobus Sienenius ibid.
Ioannis Tenczinii in leges veteres oratio 575
Ioannis Regis Vngariæ legatio ad Regem Poloniæ & Valachum 529
Ioannis Tarnouii oratio de eade Tencinii 359
Ioannis Regis ad Polonorum Regem legatus 520
Ioannis Tarnouii pro Podolia vigilantia 535
Irruptio Tartarorum in Podoliam & Russiam 476. 489 574. 641
Irruptio Tartarorum Tauricanorum in Valachiam 482
Irruptio Tartarorum in Poloniam 483
Irruptio Tartarorum in Russiam & Volyniam 502. ad Mocastrum astrasigunt. ibid. inde Russiam totam. vastant, inseruitutem innumeris abductis ibid.
Irruptio Moldaui in Pocuciam 528
Irruptio Lituanorum in Moscouiam 515
Irruptio Mosci in Hartiam 602
Irruptio Mosci tertia in Liuoniam ibid.
Irruptio Mosci cum exercitu in Lituaniam 611
Isabella Regina nata 485
Isabella Dux Barensis mater Reginæ Poloniæ mortua 501
Isabella Regina vidua auxilium Turcarum implorat 551
Isabella Regina Vngariæ Ferdinando cedit 584
Isabella Vngariæ Regina de Transyluaniæ recuperanda cogitat. 587. Valachi & Turcæ opem implorat ibid.
Isabellæ Reginæ Turcæ auxilium ferunt 552
Isabellæ Reginæ legatio ad Ferdinandum Regem 563
Italici motus 421
Iter in Silesiam & Vngariam Polonis mercatoribus clausum 544
Iubilæus Poloniæ à Pontifice indultus 479
Iudæi prærogatiuas in Polonia quomodo adepti 311
Iudæi à militibus cruce signatis direpti 371
Iudæorum bona à cruce signatis militibus direpta 439
Iudices Nobilitatis in Prussia 392
Iudicia Consulum & Magistratuum Contuberniorum 34
Iudicia terrestria 30
Iudicia tribunalitia quæ 36
Iudicia plebis rusticana ibid.
Iudicia Scultetorum 35
Iudicia Scabinorum in Polonia 34
Iudicia diuersa de Rege 689
Iudicii Regis causæ quæ 32
Iudicii terrestris causæ 31. 40
Iudiciorum ratio varia 30
Iudicii Teutonici supremi institutio Cracouiæ 205
Iudiciorum prbanorum executio 35
Iudicium iuris supremi Magdeburgici 34
Iudicium iuratum, & ab eo prouocatio ibid.
Iudicium in Episcopum Cracouiensem &

duos proceres 269
Iudicium & officium castrense 31
Iudicium & pœna homicidii 35
Iudicium Succamerarii quod 31
Iudicium Regis contra Cracouienses de cæde Tencinii 361
Iudicium instauratum iure Polonico in Cracouienses 361
Iudicium de Plocensi & Belsensi ditione 366
Iugerale tributum decretum 310.342
Iula à Turcis oppugnata. 621. eius præfectus Ladislaus Kereczinius, sed mala fide, quæ detecta. ibid. & 622. Iula tandem dedita, fides tamen deditiis non seruata ibid.
Iuliani Cardinalis mors 318
Iulianus Cardinalis pacem cum Turcis dissuadet 315
Iuonia legatos ad Henricum Poloniæ Regem mittit 649
Iuonia Selymo tributum denegat ibid.
Iuonia in Moldauiam irrumpit 652
Iuonia ad Brailouiam castra metatur ibid.
Iuonia hostium castra inuadis ibid.
Iuonia ad conflictum cum Turcis separat. 656. exercitum disponit ibid.
Iuoniæ ad Valachiæ senatum oratio 648
Iuoniæ ad velites oratio 650
Iuoniæ prælium cum Turcis 657
Iuoniæ vires 658
Iuramentum Poloniæ Rex præstat 334
Iurgia inter Polonos & Vngaros 686 219
Iurisdictio Præfectorum 31
iurisdictio bellica qualis 32
iurisiurandi mos barbarus sublatus 202
ius monetæ 339
iusiurandum Tartarorum quale 440
iusiurandum à Gedanensibus exactum 511

K.

KAmienum à Germanis direptum 491
Kiouiensis principatus in formam prouinciæ redactus 398
Kiouiensium motus ibid.
de Komorouii ad Vngaros defectione constans 417
Kosaci Krasnam & Kessianum capiunt 678
Kosacorum iniuriæ 735
Krasna & Kossianum à Kosatis capitur 678

L.

LActis equini vsus apud Tartaros 423
Ladislai Regis Bohem. ad Polon. Regem legatio 342
Ladislaus posthumus infans coronatur 309
Lesci studia in pace & bello. 45. Mors. ib. liberi ibid.
Lasci ad Pontificem Max. oratio habita 465
Lasci oratio ad Principem Senatumque Venetum ibid.
Lasci cum Principe Venetorum colloquium priuatum ibid.
Lasci consilium de patrocinio Turcico implorando exitiosum 520
Lasci ad milites oratio 604
Lascus ad Pontificem missus 464
Lascus Archiepiscopus Roma reuersus 475
Lascus à Ioanne Rege ad Turcam legatus. 520. summa legationis ibid.
Lascus libertati restitutus 538
Lascus Ferdinandi Regis legatus custodiæ traditus 552
Lasinum à Polonis frustra obsessum 345
Latrocinia à Regi Poloniæ coercita 241
Latrocinia in minore Polonia 345. 349. 424
Latrocinia in Polonia ob non soluta stipendia 375
Latrocinia militum 401
Latrunculi Vngari à Polonis profligati 407
Laudes Premisli 1

Laudes

nem Albertum Regem 430
Legatio Polonorum ad Vngaros de pace 402
Legatio Gedanensium ad Regem de mutata religione. 508. Responsum Regis ibid.
Legatio Regis Vngariæ ad Sigismundum Regem 462
Legatio Regis Poloniæ ad pontificem & Principes de victoria 468
Legatio à Rege Vngariæ ad Regem Polonorum 502
legatio Brandeburgensium 361
legatio Casimiri Regis ad Fridericum Imperatorem 397
legatio Venetorum 443
legatio Ducis Bauariæ ad Regem Polon. de filia Heduigi elocanda 410
legatio Aslan Sultani ad Regem Polonorum de amicitia & societate renouanda. 532. Regis cum eo fœdus ibid.
Legatio Isabellæ Reginæ ad Regem Ferdinandum 563
legatio Prutenorum ad Regem. 302 eorum studium & liberalitas erga Regem ibid.
legatio Bohemorum, Morauorum & Silesiorum ad Regem Casimirum 394
legatio Ladislai Regis Bohem. ad Polon. Regem 342
legatio Regis Sigismundi ad Turcam. 528. Turcæ responsum ibid.
legatio Pontificis ad Casimirum Regem Polonorum 402
legatio Casimiri Regis ad Nicolaum PP. 322
legatio Pontificis Alexandri sexti ad Regem Ioannem Albertum 439
legatio Regis Casimiri ad Mahometem Turc. Iup. 411
legatio Sachmatis Tartarorum Zauolgensium Principis ad Alexandrum Regem 442
legatio Moscorum principis ad Imperii comitia. 569. Responsum Cæsaru ad legationem ibid.
legatio Germaniæ principum ad Poloniæ Regem 487
legatio Imperatoris ad Regem 415
legatio Polonorum ad Ludouicum Vngariæ Regem 213
Legatio Bogdani Moldaui 447
legatio Pontificis ad Casimirum Regem 389
legatio alia Aslan Sultani ad Polonorum Regem. 509 Regis responsum ibid.
legatio Casimiri Regis ad Bohemos 399
legatio Friderici Imperatoris ad Polonos 105
legatio Casimiri Regis ad Moldauum 412
legatio Regis Poloniæ ad comitia imperii Augustana 565
legatio iterata Prutenorum ad Regem de pace 376
legatio Ferdinandi Regis Vngariæ ad Turcam de pace 592
legatio Regis Poloniæ ad Palatinum Muldauum 432
legatio Mosci splendida ad Regem Sigismundum de induciis 519
legatio Pontificis & Imperatoris ad Casimirum Regem Polon. 339
Legatio Moscouitica & Tartarica 312 463
legatio Ferdinandi Regis ad Turcam 521
legatio Regis Bohemiæ & procerum ad Regem 394
legatio Nogaiensium Tartarorum 447
legatio alia Tartarorum ad Regem Poloniæ 272
legatio secreta Vngarorum procerum ad Regem 418
legatio Regis Sigismundi ad Georgium Monachum in Vngariam 565
legatio Regis ad Plocenses 363
legatio Papæ ad Vladislaum Regem 206
legatio Casimiri Regis ad Pontificem 198
legatio Cæsaris ad Vitoldum cum donis 279
legatio Tartari ad Regem de pace 464

Legatio Maximiliani Imperatoris ad Regem de secundis nuptiis 479
Legatio Mosci ad Regem de pace & captiuis 489
Legatio Bohemorum 361
Legatio Casimiri R. ad Ladislaum Vng. Regem 332
legatio Polonorum ad Alexandrum Lituaniæ Magnum Ducem 442
legatio Imp. Constantinopol. ad Regem Vladislaum 265
legatio Regis & procerum Poloniæ ad Vitoldum 280
legatio Matthiæ Regis 420
legatio Regis Bohemiæ 408
legatio Tartarorum 361
legatio Pontificis ad Sigismundum Augustum 547
legatio Bohemorum ad Regem 388
legatio Pontificis ad Casimirum Regem Poloniæ 400
legatio Regis Casimiri ad Regem Vngar. & Bahem. 337. ad Imperatorem Frid. & ad Pontificem ibid.
legatio Aslan Sultani ad comitia 533
legatio Ducis Pomeraniæ ad Regem 381
legatio Moldaui ad Casimirum Regem 414
legatio Mosci ad Regem Polonorum. 532. Regis responsum ibid.
legatio Casimiri Regis ad legatum Pontificis 369
legatio Regis ad Pontificem 398
legatio Polonorum ad Pontificem 184
legatio Regis Bohemiæ ad Casimirum Regem 391. Responsum Casimiri Regis ibid.
legatio Moldauica & Turcica 440
legatio Ducis Pomeraniæ ad Regem Casimirum 337
legatio Amurathis superba ad Regem 307
legatio Regis Poloniæ ad Turcam 544
legatio Casimiri Regis ad Palatinum Moldauiæ 391
legatio à Rege Polon. ad Vng. Regem & proceres 503
legatio Polonorum ad Regem Bohemiæ 389
legatio Regis Poloniæ ingrata apud Sueciæ Regem 732
legatio ad Matthiam Regem. 419. ad Pontificem Rom. ibid. Responsum à Matthia R. ibid.
legatio Turcica & Tartarica ad Casimirum Reg. de pace 418
legatio Moldaui ad Regem Polon. cum captiuis & parte manubiarum 411
legatio Prutenorum ad Regem 381
legatio à Magistro Cruciferorum ad Regem Poloniæ 414
legatio Ferdinandi Regis ad Turcam 550
legatio Moldaui ad Turcam cum donis 411
legatio Polonorum maiorum & Gedanensium ad Regem in Lituaniam 347
legatio Georgii Regis Bohem. noui ad Regem Polon. 351
legatio Friderici Imp. ad Casimirum R. 325
legatio Venetorum ad Poloniæ Regem 262
legatio Palatini Moldauiæ ad Regem Polonorum de fœderibus & pacto. 504. Regis responsum ad legationem Moldauicam ibid.
legatio Regis Polonorum ad Turcam de induciis. 531. Turcæ responsum ibid.
legatio Tartari Praecopiensis ad Regem Polon. 739
legatio Regis ad Matthiam Regem Vngariæ 420
legatio ad Fridericum Imperatorem 403
legationes Pontificis & Principum ad Casimirum Regem 355
legationes Regis ad Imperatorem & Regem Bohemiæ 416
legationes ad Regem Sigismundum à Pontifice 462. à Maximiliano Imperatore ibid.
legationi Turcicæ datum à Rege Vladislao responsum 307
legato Pontificis responsum 398
legatorum Cæsaris cum Turcico reditus 624
legatorum Mosci ad Nicolaum Radiuilum & Eustachium Volouiczium litera 694
legatus Cæsaris ad Vladislaum Regem missus 272
legatus à Rege ad Suidrigellonem missus violatur 286
legatus Pontificis ad Regem 324
legatus Turcicus ad Regem 626
legatus à Rege ad Moscum mittitur 729
——Regis Poloniæ ad Cæsarem de pace cum Transyluano 614
——Ioannis Regis ad Regem Poloniæ de auxiliis 520
——ad Regem à Rudolpho legato Pontificis 393
——à Friderico Duce Lignicensi ad Regem de sorore Regis in matrimonium petenda 474
——Regis ad Electorem Brandeburgicum de mutata religione. 547. Responsum Electoris 548
——à Pontifice ad Regem de expeditione contra Turcam 464
——Pontificis ad Regem de pace. 497. responsum Regis ibid.
——à Rege ad Turcicum Imperatorem mittitur 711
——à Ludouico Gritto ad Regem Polon. 530
——à Rege ad Sueciæ Regem mittitur 730
——Pontificis Torunium venit 384
——non admissus Cracouiam. 369. questus est de contumelia Brestensi apud Regem ibid.
——Valachiæ Transalpinæ de fœdere feriendo 533
——Pontificis ad Regem 509
——Pontificis orationem pro statu Ecclesiastico habet 752
——Daniæ Regis ad Sigismundum Regem. 463. Regis Vngariæ ibid. Turcici Imperatoris ibid. altera legatio à Rege Vngariæ & Valacho ibid.
——Pontificis à Cæsaris legato loco deturbatus ibid.
——Turcæ ad Cæsarem 614
——Regis ad Philippum Hispaniarum Regem de Ducatu Barensi 601
——Pontificis Hieronymus Cretensis. 367. cum Rege altercatur de iure Ecclesiæ Romanæ ibid.
——Turcæ ad Polonorum Regem 533. eius oratio. ibid. Regis responsum ib.
——à Pontifice ad Regem 592
Leges Polonorum 21
leges malæ ab Henrico abrogatæ & sublatæ 137
leges Casimiri Regis 282
leges in comitiis de feudis latæ 693
legio procerum Bohemorum Georgio Regi aduersantium 389
lenczicia conuentus 363
lenczicia & Cracouiæ ingens incendium ibid.
lenczicia synodus 229
lenczizia comitia habita 113. 268. 275. 277
leopolis obsidione cingitur 460
leopolis conflagrat 519
lescí admilites sermo 104
lescus secundus quomodo ad principatum peruenerit. 44. ob dolum interfectus 45
lescus quartus moritur 50
lescus Albus Cracouia potitur 123
lescus fratri Masouia & Cuiauia cedit 128. Vxorem ducit ibid.
lescus Russiam peruagatur 162. Contra Henricum Probum expeditionem instituit. ibid. Vratislauiensem ditionem diuexat ibid.
lescus Niger princeps moritur 168
lescus princeps creatur 107. 119
lescus à Suentopelco interfectus 133
lescí Nigri victoria de Lithuanis insignis 163
libertas nobilium Polonorum 15
licentia Polonorum 344. 400
lignicensis Dux Brestam ad regem de pace vel induciis venit 494
lignicium in clientelam Bohemorum venit

nit 187
Lippa à Turcis in potestatem redacta 586
Lis inter Nobilitatem & Episcopos de iurisdictione 584
Literæ restium 37
Literæ restium in Poloniam dimissæ 540
Literæ legatorum Mosci ad Nicolaum Radzuilum & Eustachium Volouiczium 694 Senatorum Lituanorum responsio ibid.
Literæ Mosci ad Regem 697
Literæ Suecie Regis ad Poloniæ Regem 708
Literæ Regis ad Moscum 712
Lites & simultates inter Regem & Reginam 234
Lithuani Moscouiam vastant 189
Lituani Cuiauiam populantur 171
Lithuani Lencicienſem oram vastant 172
Lithuani baptizantur 232
Lithuani Sendomirienſem oram populantur 203
Lithuani Lencicienſem oram denuo vastant 173
Lithuani maiorem Poloniam vastant 177
Lithuani Sendomirienſem tractum populantes. 164. à Lesco vincuntur ibid.
Lithuani à Cruciferis fusi 235
Lithuani Masouiam vastant. 199. funduntur ibid.
Lithuanis prærogatiuæ & leges à Rege datæ 263
Lithuani oratores in Vngariam profecti 236
Lithuani à Polonis victi ibid.
Lithuani Moscouiam misere vastant 227
Lituani nouas res moliuntur 347
Lituanici motus 445
Lithuania vexatur à Cruciferis 233
Lithuani à Cruciferis vastata 207. 241
Liuonia à Lithuanis vexatur 292
Lituania mercenariis militibus vexata 440
Lituania à Moscis infestatur 539
Lituaniæ M. Dux Casimirus Cracouiam venit 332
Lituaniam Liuones infestant 398
Lituaniam Tartari denuo vastant 449
Lithuanorum excursio in Masouiam & Poloniam 149
Lithuanorum in Lublinenſem oram excursio. 162 Masouiam vexant 167
Lithuanorum Ducum dissensio 233
Lithuanorum conuentus cum Cruciferis 265. 266
Lituanorum pacta cum Polonis 190. 305.
Lituanorum & Iazygum in Poloniam excursus 145
Liuonum Magister suppetias Crucigeris fert 255
Lituanorum & Polonorum conuentus 263
Lituanorum strages 235
Lituanorum excursio in Poloniam 218
Lituanorum legatio 332. 367
Lituanorum postulata refelluntur ibid.
Lituanorum postulata alia. 368. refutata ibid.
Lituanorum conuentus Breste 356. 436
Lituanorum comitia Vilnæ 358. 403
Lituanorum legatio ad Regem asperior 346
Lituanorum conuentus Grodnæ 395
Lituanorum legatio ad comitia Polonorum 442
Lituanorum fœdus cum Polonis renouatum ibid.
Lituanorum cum Polonis coniunctio vtrique vtilis 441
Lituanorum in Moscouiam irruptio 535
Liuones à Samogitis fusi 300
Liuones Lituaniam infestant 398
Liuones à Polonis profligati 486
Liuones à Casimiro Rege pacem petunt 398
Liuonum strages in Samogitia 379
Liuones à Mosco induciας petunt 577
Liuonia à Mosco occupatur 666
Liuoniæ Magister in Moscouiam abductus 603

Liuoniæ

liuoniæ gubernatio Chodkiruicio iniuncta 612
liuoniam moscus hæreditario iure sibi deberi iactat. 703. vult titulum liuoniæ cum Rege communicare 704
liuonum classis profligata 371
liuonum bellum ciuile 590
in liuonia motus intestini. 594. eorum causa ibid.
liuonum ad Moscum de pace legatio 590
Liuonum conuentus. 598. eorum ad Moscum legatio. ibid. qui legatos re infecta remittit 599
Liuonum publica postulata 738
Locticus in Vngariam fugiens peregrinatur. 136. Regnum repetit ibid.
Locticus Vislicia potitur & Cracouienſem oram infestat 170
Locticus ditionem Cracouienſem infestat 172
Locticus principatum armis petit. 169. princeps renunciatur ibid.
Locticus omnibus bonis spoliatur 175
Locus castrorum 514
Locus aciei 516
Locustarum vis ingens in Polonia & Moscouia 412
Lublini comitia cum Lituanis habita 323. 444. 448. 589 613
Lublini comitia alia. 625. in quibus vnio perfecta ibid.
Lucenses arbitri pacis inter Polonos & Cruciferos 373
Ludouici Regis Tolnam aduentus 512
Ludouici Regis in Poloniam aduentus & coronatio 213
Ludouici Regis interitus 222 517 eius corpus Albæ Regiæ humatum 518
Ludouicus Rex Poloniæ designatur 203
——Rex filiam suam Sigismundo Caroli Imperatoris filio dispondet. 215. Eius filia altera, Reginæ Polon æ destinata ibid.
——Rex Vngaris Russiam attribuit 219
——Vladislaus Regis Vngariæ filius coronatur 459
——Rex per legatos Regis Poloniæ opem implorat 498
Ludouicus Rex indicit conuentum publicum 512
Ludouicus Rex Tolnæ egressus 513
Ludouicus Grittus à Turca in Vngariam missus 536
Lunæ tres eclipses 563
Luscum à Suidrigellone interceptum 308
Lutheranæ religionis Gedani exercitium publicum 511
Lutherani dogmatis incrementum in Prussia 548

M.

MAgister Crucigerorum in Poloniam irruit & oppida non pauca incendit 246
Magister Liuonum suppetias fert Crucigeris. 259. Eius consilium vafrum ibid.
—— Crucigerorum nouus Regi Polonorum iurat 396. 398
——Crucigerorum princeps & senator regni 385
magister Crucigerorum ipse ad Regem veniens honorifice excipitur 414
magister Ordinis nouus Duci Prussiæ item mouet 526
magister Crucigerorum Truchsesius Regi Polonorum iurat 422
magister Liuoniæ in Moscouiam abductus 603
magistratus & honores perpetui 29
magistratuum creandorum ratio ibid.
magistratus seu officiales terrestres in Polonia 24
magistratuum plebeiorum creatio 28. 29
magistratum redditus 30
magistri Crucigerorum responsum superbum 180
magistri Crucigerorum ad Regem legatio 285

Magistri Crucìferorum fides suspecta 414
MAGNVS Holsatiæ Dux in Osiliam aduenit 602
Magnus Dux Holsatiæ moritur 741
Mahometkereius Tartarus Mosco Casanam eripuit. 497. Masouiam infestat ibid. prædam ingentem abigit ib.
Mailatus ad Ferdinandũ Regem transiit. 548 idem Fogaros, quod obsidetur, se contulit 549
Mailatus in potestatem redactus. 553
Maior Polonia ad Henricum Barbatum desciuit 135
Maiores Poloni Henrico Glogouiensi se subiiciunt 177
Maiores Poloni militant, & tributum sciunt. 376. in fidem Loctici veniunt. 182. cum Zbigneo Vladislao, Vladislai defuncti Regis filio regnum decernunt 298
Maioris Poloniæ diuisio noua 149
Maiorum Polonorum expeditio in Prussiam noxia. 352. conuentus Coli. 392.
Marci Horuati virtus 597
Marchio Albertus Cruciferorum Magister à Rege Poloniæ Dux Prussiæ inauguratus 508
Marchionis Misniæ cum Rege fœdus 242
Marchionis Alberti cum Firleio in castris colloquium 477
Marchionis Misniæ legati ad Regem Poloniæ de pace inter Reges 409
Mareschalci Regni officia 23
Mareschalci Curiæ 27
Maria Ludouico nupta 472
Mariæburgi proditio instructa 348
Mariæburgum obsidetur. 350. obsidio soluta 256 353
Mariæburgum oppidum deditione à Polonis receptum 356
Martinus Truchsesius magister Crucifererorum 416
Maslai Pocillatoris regii conatus 57
Maslaus Masouiam recipit, & Polonis bellum infert 60
Masouia Blocensis in ditionem Bohemiæ Regis venit 100
Masouia à Russis vastata 154
Masouia Cirnensis, à Siradiensibus vastata 268
Masouia Poloniæ reintegrata. 205. Masouii in Regis clientela ibid.
Masouia à Lithuanis vexatur 209
Masouia ad Poloniam rediit 512
Masouiam & Cuiauiam suæ potestatis Casimirus facit 115
Masouiam Poloni populantur 188
Masouiæ Ducum postremorum obitus 511
Masouiæ gubernator Episcopus Plocensis 345
Masouiæ ducum ad comitia legatio 367
Massouii Russiam, & Russi Massouiam populantur 166
Masouii à Moldauis cæsi 436
Masouiorum Ducum disparia coniugia 417
Masouiorum Ducum postulata 368. 371
Masouiorum clades apud Cziechanouiam 377
Matrimonii inter Iagellonem & Heduigem conditiones 229
Matthias Vngariæ Rex castra sua ad monasterium S. Vincentii communit 409
Matthias Rex fratres acephalos bello persequitur 404
Matthias R. Austriam infestat. 416. Viennam capit ibid.
Matthias Bohemorum Rex renunciatus 394
Matthias Rex Vngariæ submontanam Poloniæ oram populatur 405
Matthias Rex in Austriam venit 417
Matthiæ & Vladislai Regum conuentus Olomucii 422
Matthiæ Regis legatio ad Casimirum Regem 420. 422
Matthiæ Regis exercitus ex Silesia fugatus 416
Matthiæ Vngariæ Regis fœdus cum Friderico Imperatore 390

Matthiæ

Matthia & Georgii Regum congressus 394
Maximiliani Cæsaris legatio ad Regem de secundis nuptiis 479
Maximiliani Cæsaris obitus 483
Maximiliani Cæsaris cum Regibus congressus 471
Maximilianus Cæsar Viennam appulit 471
Maximilianus Imperator Regi Polonorum infensus 464
Maximilianus Cæsar ab Imperio auxilia petit 616. eius integritas ibid.
Maximilianus Imperator ad præuertendum Bathoreum in Poloniam vocatur 662
Maximilianus Imperator Rex Poloniæ electus 661
Maximilianus Imperator iuramentum præstat. 662. Stephanus Bothoreus ab aduersa parte vocatus iuramentum sine mora præstat 663. Annam Reginam vxorem ducit ibid.
Megapolitani Ducis Varsauiam aduentus 612
Megapolitani Ducis aduentus in Prussiam 616
Melsacum à Polonis captum. 379. nec non à Cruciferis 490
Melstinius bona Episcopi Cracouiensis intercipit 303
Mendacii retractatio, pœna apud Polonos qualiter fiat 234
Mercatura 339
Mercimonia Polonorum quæ 18
Meretricis & lanæ supplicium 574
Meridionalis Russia à Casimiro Rege subacta 199
messis præmatura 440
Meua à Polonis obsessa. 348. 370. strenue à Cruciferis defensa ibid.
Meua deditione à Polonis recepta 372
Michaël Sigismundi interfecti filius patrimonio omni à Crucifero exuitur 311
Michael dux profugus Starodubum & alias munitiones Russiæ capit 325
Michael Dux moritur 329
Michael Glinscius ambitiosus. 455. Principatum summum Lituaniæ affectat ibid.
Mieczislai etymon 50
Mieczislai dominatus asper 110
Mieczislai mors 52. 58
Mieczislao Rixa desponsatur 53
Mieczislaus primus princeps Christianus quando principatum suscepit 50
Maeczislaus baptizatur. 51. ei filius ex Dambreuca nascitur ibid
Mieczislaus filius Boleslai à patre successor designatus. 55. Eius crassa vitia ibid.
mieczislaus principatu eiicitur 112
mieczislaus Boleslai filius nascitur 92
mieczislai filius Otto patri reconciliatus 113
mieczislaus senex à minoribus Polonis ad principatum reuocatur 117
mieczislaus ducit filiam sororis Friderici Imperatoris. 105. A filio pulsus, Pomeranorum ope ditionem suam recuperat 113
ad principatum rursus adspirat 120
mieczislaus Masouia & Cuiauia artepotitur 115
mieczislaus in odium procerum incurrit 123
mieczislaus Conradi Ducis filius à muribus absumptus 138
miedzirecia Vngaris dedita 410
miedzirecia à Germanis expugnata 491
mielecius Socolam cum exercitu contendit 686
miesco nascitur cœcus 50
miesco Boleslai filius exul reuocatur 70
mikolaieuius ob cædem Lutomirscii decapitatur 626
non militantium pœna 37
militaris disciplina in castris Polonorum nulla
militaris disciplina Polonorum soluta 406
militaris disciplina Germanici exercitus 492

uilites Casimiri mercenarii è castris dilabuntur 406
militum grassatio ob non soluta stipendia 422
militum tumultus ob stipendia non soluta 613
militum in frigore perferendo constantia 726
militum stipendia 735
militum miserabilis conditio 738
minæ Tartarorum 735
Mindacus Lituanorum Rex interficitur 154
ministeria aulica 27
minor Polonia à Lesco ad Conradum Masouium deficit 166
minores Poloni ad Ducem Opolienſem deficiunt 159
minores Poloni *expeditionem contra* Russos *suscipiunt.* 176
Minoris Poloniæ motus 135
Minorum Polonorum contra principem conspiratio. 198. conuenticula 329
Minorum Polonorum expeditio contra latrones. 349. in Casimirum studia. 319. conuentus Visliciæ 391
Moderatio ieiunii quadragesimalis 147
Molginense monasterium à quo constructum 72
Moldaui fusi fugatique 327
Moldaui cum Transalpino bellum 397
Moldaui legatio ad Turcam cum donis 411
Muldaui legatio ad Regem Poloniæ cum captiuis & parte manubiarum ibid.
Moldaui legatio ad Casimirum Regem 414
Moldani res gestæ contra Transalpinos & Turcas 417
Moldaui Palatini in Polonos crudelitas 435
Moldaui Polonicum exercitum infestant ibid.
Moldaui Podoliam & Russiam populantur 436
Moldaui Palatini cum Polonis & Lituanis fœdus 438
Moldaui castra ex aduerso Polonorum metati 527
Moldaui in Pocuciam irruptio 528
Moldaui fugæ ibid.
Moldaui in Podoliam incursio 544
Moldaui ab Iuonia funduntur 652
à Moldauo nouum iuramentum exactum 412
Moldauia à Polonis infestata 445
in Moldauia magna mutatio 556
Moldauiæ Palatinus Petrus Regi Polon. iurat 302 303. 346
Moldauiæ Palatini legati ad Regem Poloniæ 433
Moldauiæ Palatini in Poloniæ fines ingressus 527
Moldauiæ Palatini mors 565
Moldauiæ Palatinus à suis trucidatus 588
Moldauiæ Palatini ad Regem Polonorum de fœderibus & pactis legatio 504
Moldauiam Poloni cum exercitu ingrediuntur 326
Moldauiam Turcæ & Tartari infestant 414
Moldauorum tributum 302
Moldauorum victoria de Transalpinis parta 405
Moldauorum clades ad Obertinum 528
Moldauus à Pontifice & Vngariæ Rege opem petit 411
Monachi Carthusii Cruciferis fauent 63
Monachorum Cracouiensium facinus detestandum 479
Monachus supremus exercitus dux 514
Monarchia apud Polonos 18
Monasterium Moglinense à quo constructum 70
Monasterium Trebnicense fundatum 128
Monasterium Oliuense directum 293
Monetarius 339
Monstra Cracouiana nata 431

Montes

Montes in Poloniæ 7
Morangum, Schipenbeilum & Rastenburgum obsessa 360
Morani & Pannones à Polonis fusi 144
Morauica expeditio 149
Morbus & mors Vitoldi 282
Mores Polonorum 13
Mores Valachorum 633
Mores Præmisli 1
Mors Mieczislai 52
Mors Boleslai 55. 109. 343
Mors Henrici Probi 170
Mors Casimiri Regis. 210. 429. virtutes & facta insignia ibid.
Mors Ludouici Regis 222
Mors Elisabethæ Reginæ 268. 448. 564
mors Coributhi 301
mors Ducis Suidrigelli 329
mors Michaelis Ducis ibid.
mors Sbignei Olesnicii Cardinalis 343
mors Thomæ Strempinii 357
Mors Georgii Regis Bohemiæ 399
mors Friderici Imperatoris 430
mors Ioannis Alberti Regis 441
mors Stephani P. Moldauiæ 445
mors Nicolai Camienecii Palatini Cracouiensis 474
mors Christophori Szidlouiecii 532.
mors Ioannis Regis 549
mors Rogendorffii 555
mors Petri Gamrati Archiepiscopi Gnesnensis 564
mors Sigismundi Regis 569
mors Vilhelmi Brandeburgensis Rigensis Episcopi vltimi 609
mors Ferdinandi Cæsaris 611
mors Nicolai Radiuili 616
mors Transyluaniæ Principis 628
mors maioris natu filii Principis Moſci 725
Mos iurisiurandi barbarus sublatus 202.
Moſci cum Tartaris victi 245
Moſci legati cum Rege denuo colloquuntur 699
Moſci legati Cracouiam veniunt 672
Moſci exercitus conatus 677
Moſci pugnam declinant 457
Moſci fugiunt 454
Moſci Legati in castra veniunt 698
Moſci irruptio in Harriam 602
Moſci literæ ad Regem 697
Moſci exercitus magnitudo 462
Moſci tyranni crudelitas 630
Moſci fœdus quinquennale cum Rege Poloniæ 469
Moſci ad Polociam à Polonis profligati 482
Moſci legatorum ad Nicolaum Radiuilum & Eustachium Volouiczium literæ 694
Moſci à Lituanis cæsi 611
Moſci ad Radoboſiciam cæsi 535
Moſci duo transfugæ illustres ad Regem Poloniæ transeunt 536
Moſci legatio ad Regem de pace & captiuis 489. 532
Moſci legatio splendida ad Regem Sigismundum de induciis 519
Moſci legati ad comitia iurisiurandi à Rege accipiendi causa veniunt 737
Moſci in Derpatensem prouinciam irruunt 599
Moſci cæsi & fugati à Polonis. 468. cæsorum & captorum multitudo ibid.
Moſci in Liuones crudelitas 666
Moſci tertia in Liuoniam irruptio 602
Moſci Lituaniam populantes à Polonis cæduntur 485
Moſci à Tartaris victi 478
Moſci Tartarorum tributarii 424
Moſci Lituaniam infestant 539
Moſci Zapolotia oppido incenso in arcem

arcem confugiunt 680
mosci Finlandiam populantur 630
mosci in Lituaniam irrruptio 611
mosci legati conuiuio excipiuntur 738
mosci de deditione cogitant. 683. Vngari in arcem impetum facientes repelluntur ibid. oppugnatio iterato instituitur 684
moscici belli causa 427
mosco bellum indictum 674
moscorum fuga 458
moscorum Principis legatio ad Cæsarem 593. eiusdem promissa ibid. quæ postea in fumum abierunt 594
moscorum Dux Nouogrodum & bonam Russiæ Albæ partem subigit 423
moscorum Dux Ioannes Basilides obit 745
moscorum Principis legatio ad comitia Imperii 569
moscorum Duci Theodoro inducia concessa 753
moscorum iterata cades 611
moscorum crudelitas 685
moscorum clades à Tartaro 534
mosconia à Tartaris ferro flammaque vastatur 477
moscouia varie turbata 535
moscouitica legatio 463
moscouitici legati ad Regem 707
moscouiticum bellũ à Casimiro gestum 59 480
moscorum captiuorum numerus ingens 497
moscus Liuonibus bellum indicit 598
moscus à Rege Polon. Sigismundo inducias petit 499
moscus Lituanis bellum infert 440
moscus Vendam oppugnat 670
moscus Plescouiam firmat 710
moscus Staricię obsidionis euentum expectat 720
moscus Poloniam oppugnat, ac tandem expugnat 608
moscus vxore priore repudiata aliam ducit 705
moscus inducias denuo à Rege Sigismundo petit 458
moscus Plescouiam sibi subiicit 481
moscus literis Regis acquiescit 732
moscus hostis Sigismundi Regis 454. Lituaniam inuadit ibid.
moscus ab Episcopo Derpatensi tributum flagitat 590
moscus auditis Regis in bello successibus in interiorem moscouiam se recipit 688
moscus exercitum numerosum in Liuoniam mittit 598
Moscus Tartaros insequi iubet 477-478
moscus in Moscouiam se recipit 667
moscus ad Rudolphum Romanorum Imperatorem & ad Pontificem legatos mittit 709
moscus Smolensçum obsidione cingit. 466. obsidionem relinquit & Lituaniam vastatam ibid.
moscus Lituaniam iterum vastat & Smolensçum obsidet 469
moscus liuoniam sibi hereditario iure deberi iactat 703
motus in maiore Polonia 134.227.306
motus intestini in Liuonia 594
motus Bohemici ob religionem 267.388
motus intestini Gedani 626
motus Lituanici 445
motus Italici 421
motus in Silesia 147
motus Prussici 413.334
motus Kiouienſium 398
motus in Vngaria 536
motus in Prussia ob Episcopam Varmiensem 402
motus minoris Poloniæ 135
motus intestini in Masouia 478
motus Rigæ in Liuonia propter Calendarium Gregorianum 748
motus nobilitatis Cracouiensis contra Boleslaum principem 109
mucharus Ticanus homo Russiam infestat 428
mucha captus in carcere vitam finit 429
mulierbre in Polonia imperium 56
multitudo in seruitutem actorum à Tartaris

taris 477
Munera Secretariorum quæ 26
Munia oppidanorum in bello 58
Munificentia Gedanensium in Regem Polon. 347
Munificentia Regis in Magistrum & Cruciferos 386
Munsterbergensis Dux Siles. in Danubio submersus 470
Mutatio Prussiæ orientalis 505
Mutatio Reip. in Moldauia 545
Mutatio magna in Moldauia 556

N.

Naclense territorium Cruciferis tributarium à Polonis vastatur 360
Narua Germanica à Moscis obsessa, & occupata 599
Narzas ortorium 338
Naues Poloniæ cum frumento à Cruciferis interceptæ 245
Naues Torunensium & Gedanensium captæ 377
Nauium quingentarum vno die Gedanum appulsus 585
Nesco mons à Masouiis expugnatus 385
Nicolai Camienecii Palatini Cracouiensis mors 474
Nicolai Radiuili mors 616
Nicolaus Tungnus Episcopam Varmiensem inuadit 402
Nicolaus Rusocius Castellanus Brzhouiensis à Rege ob cædem citatus 543
Nicolaus Olesnicius à Prospiscopo Cracouiensi ob nouam religionem citatur 577
Nicolaus Mielecius à Rege exercitui præfi-itur 674
Nicolaus Firleius Cruciferorum terras deuastat 486
Nicolaus Copernicus precium cuiusuis valoris monetæ deduxit 500
Nissa Polonorum, Vngarorum & Bohemorum conuentus. 403. alius conuentus Opauiæ eorumdem ib d.
Nicolaus Radiuilus in Liuoniam missus 603
Nideburgum oppidum Cruciferis redditum 392
Niessouia in Torunienſium gratiam à Rege translata 364
Nieuhausium à Moscis obsessum & captum 599
Nimcense territorium Bernhardo Suidnicensium Duci oppigneratum 186
Niscerda capta 693
nobiles qui 14
nobiles familiæ in Polonia vnde dicantur 15
nobilitas Halicienſis omnis fere à Romano trucidata 526
Nobilitas Russica & Podolica cum Polonica exaquata 309
Nobilitas contra ecclesiasticos fremit ib.
Nobilitas ordinem Ecclesiasticum exagitat 576
nobilitas Leopolim contendit 541
nobilitas aduersus Senatum ibid.
nobilitas ex suo corpore iudices constitui petit 668
nobilitatis in Polonia amissio. 15. æqualitas ibid. studia 16
nobilitatis prærogatiua 14
nobilitatis officium 38
nobilitatis maioris Poloniæ confœderatio 204
nobilitatis Cracouiensis motus contra Boleslaum principem. 109
nobilitatis Prussicæ legatio ad Regem 379
nobilitatis Cracouiensis contentio 408
nobilitatis publica exped tio 490
nobilitatis conuentus Coli & Corcini 393
nobilitatis nomine Regi gratiæ aguntur 737
nobilitatis in Prussia iudices 392
nobilitatis fremitus contra Regem 416
nobilitatis minoris Poloniæ expeditio in Tartaros 503
nobilitatis & Ciuitatum Prussiæ erga Polonos studium 416
nobilitatis nuncii. 35. immunitates lasas queruntur 752
nobilitatis querelæ aduersus Regem & Senatum

Senatum. 541. eius secessio & postulata à Rege ibid.
Nobilium habitandi & viuendi ratio 15
Nobilium Polonorum libertas 215
Nobilium prahensio in Polonia fieri non potest. 35
Nogaiensium Tartarorum legatio 447
Nohaicenses Tartari Tauricam vastant 462
Nomen Russorum. 2
Nomen Polonorum quam vetustum 41
Nouogradenses pacem à Vitoldo redemerunt 276
Nouogradensis praeda magnitudo 423.
Nodogrodum magno Lituaniae Duci tributarium. ibid. à Mosco captum ibid.
Nouum opp. à Crucigeris capitur 350.
Nouum Polonis deditum 375
Numerus Senatorum 22
Numerus Turcarum ad Varnam caesorum 318
Numerus captiuorum magnus 437
Numerus Christianorum caesorum 518. 555
Nummariae rei ratio in Polonia 17
Nuncii prouinciarum ad comitia missi 392.
Nuncii Regum ad Caesarem 471
Nuncii Pontificis ad Regem de pace 486
Nuncii Gedanensium ad Regem 510
Nuncii de aere alieno publico dissoluendo mentionem inferunt 961
Nuncii Rigensium ad Regem 706
Nunciorum prouincialium potestas 392
Nunciorum tergiuersatio 499
Nunciorum assensus in tributum ibid.
Nunciorum de Curlandiae Duc. responsum 692
Nuncius cum literis à Mosco ad Regem venit ibid.
Nuptiarum Casimiri apparatus 208
Nuptiae Vladislai cum Christina 90
Nuptiae Ioachimi Electoris Brandeburgici cum Heduigi Regis Poloniae filia 539.

O.

OBitus postremorum Ducum Masouiae 511
Obitus Ioannis Lasci Episcopi Gnesnensis 527
Obitus Hieronymi Lasci 558
Obscuro genere natus principatum casu fortuito adeptus 45
Obsessi erumpentes caeduntur 724 727
Obsessio Cnipouiae 343
Obsessorum caedes 727
Obsidentes magnis incommodis afficiuntur 721
Obsidio Menae. 348. Schipenbeili ibid.
Obsidio Marieburgensis soluta 256.
Obsidio Strigonii. 560. Choinicia 492
Obsidio Viennae soluitur 525
Obsidio Regiomonti soluta 488
Osidio Albae regiae. 561. à Turcis occupata. 562
Obsidionis Polociana descriptio 680
Occasio belli Polonorum cum Turcis 477
Occasio Christianae religionis apud Polonos. 50
Offensionis causa Mosci in Liuones 598
Officia Mareschalci Regni 23
Officia communia Senatorum ibid.
Officia Curiae qua 26
Officiales Regni qui 23
Officium Thesaurarii Polonici 24.
Officium nobilitatis 38
Officium Palatini 23
Officium Referendariorum 27
Officium Secretarii magni 27
Officium Vicecapitanei siue Burggrauii 25.

Oliuense monasterium direptum 293
Onera Polonis à Pontifice iniuncta 58
Opatouiae conuenticulum habitum 298
Opauiensis conuentus 404
Opocia munitissima 480
Opolienses ad Clobuscum fusi 410
Oppida Prussiae à Cruciferis obsessa 359
Oppida submontana incensa 405
Oppidorum in Polonia conflagratio 404
Oppugnatio Plescouiae. 717. oppugnantes repelluntur. 718. obsessi sibi metuunt. ibid. cuniculi aguntur. 719. obsessis auxilia mittuntur ibid.
Ora Lencicienſis à Lituanis vastatur 172
Ora Sendomirienſis à Lituanis vastatur 203
Ora Cracouiensis à militibus infestatur 415
Oram Culmensam Poloni vexant 196
Oratio Iuoniae ad velites. 650. Suierceuii velitum ducis responsio 651
Oratio Ioannis Tarnouii de caede Tencinii in leges veteres 359
Oratio Gedeonis ad principem libera 111
Oratio Vladislai Regis ad milites 193
Oratio Ioannis Comitis Scepusii ad proceres de noui Regi electione facienda 518
Oratio Cancellarii ad proceres. 514 exagitata 736
Oratio Boleslai ad milites 63
Oratio Casimiri ad milites. 114. victoria de Russis ibid.
Oratio Palatini Vngariae ad exercitum 516
Oratio Lasci ad Pontificem 465
Oratio ad Regem Henrici Plauenii 254
Oratio Raphaelis Leszczinii ad Regem 583
Oratio Stanislai Lasci ad Caesarem & principes 565
Oratio Lasci ad milites 604
Oratio Ioannis Tencinii admodum efficax 224
Oratio Ioannis Rithuanii ad Casimirum Regem 352
Oratio Ioannis Lamoiscii pro rege 690
Oratio Lasci ad Principem & Senatum Venatum 465
Oratio ad Gedanenses primores Ioannis Tarnouii. 585. eam quae consecuta ibid.
Oratio Iuoniae ad Valachiae senatum. 648. Valachorum responsio 649
Oratores Poloni Romam profecti 58
Oratores Lituani in Vngariam profecti 236
Oratores Regis ad Papam cum muneribus ablegati 261
Oratores à Vitoldo ad Regem & proceres Polonos mittuntur 278
Ordines leges quasdam sanciri cupiunt 707
Ordinis Ecclesiastici cum equestri controuersiae compositae 206
Ordinis sacerdotalis subsidium 402
Ordo Ecclesiasticus, eiusque in Polonia distinctio 17
Ordo Teutonicorum fratrum in Masouia institutus 133
Ordo regni Senatus constitutus 626
Orichouii appellatio ad Synodum 578
Orichouius vxorem ducit. ibid qui ob id ab Episcopo Premislienſi citatus. ibid. absens excommunicatus & bonis exutus ibid.
Orichouius Nobilitatem flens appellat 580
Orichouius ab Archiepiscopo Gnesnensi fide data Petricouiam euocatus. 583. qui certamen Nobilitatis & Cleri

renouat ibid.
Orientalis Prussiæ mutatio 505
Origo Polonorum quæ 1
Origo Slauorum quæsit, variasententiæ ibid.
Origo Ducum Sileſiæ 106
Oſtaphius Circaſsienſis Præfectus. 533. eius consilium de Tartarorum incursionibus prohibendis ibid.
Oſtenta cladem Polonorum portendentia 434
Oſtrogius Polonis laborantibus accurrit 485
Oſtrouia capitur 713
Oſuiecimenſis Ducatus ad Poloniam redit 334
Oſuiecimenſium Duces in clientelam Regis Poloniæ veruntunt 304
Oſuiecimum pene captum 349
Otto Mieczulai filius patri reconciliatus 113
Ottonis III. Imperatoris in Poloniam aduentus 53

P.

PAcis conditiones Cruciferis à Rege propoſitæ 248
Pacis deſiderium apud Prutenos 368
Pacis conditiones reiectæ 373
pacis conditiones à Polonis repudiatæ 378
pacis conditiones à Crucigeris propoſitæ. 463. Polonorum reſponſum 464
pacis triennalis conditiones 728
pacificatio cum Cruciferis Alberto Austriæ Archiduci permiſſa 356
pacta ſecreta Cæſaris cum Vitoldo 77
pax cum Vngaris congreſſu vtriuſque principis confirmata 117
pacta Conradi Ducis cum Crucigeris 133
pacta Reginæ cum Ziemouito 230
pacta cum Stephano Palatino conuenta 295
pacta Polonorum cum Vngaris 161
pacta Cruciferorum cum Duce Cuiauiæ 179
pacta & fœdera inter Vngaros & Polonos 199
pacta cum Vitoldo & Lithuanis renouata 241
pacta cum Cruciferis 243. 302
pacta conuenta & ſocietas inter Reges Vngar & Pol. 262
pacta Lithuanorum cum Polonis 290
pacta cum Sileſiis 300
pacta Lithuanorum cum Polonis renouata 305
pacta Regis Vladislai cum Vngaris 307
pacta Szaffranacei cum Sileſiis 332
pacta Regum Poloniæ & Bohemiæ 363
pacta inter fratres 428
pacta Regum Vngariæ & Bohemiæ 430
pactum Cruciferorum cum mercenariis militibus 342
pacta Alexandri Regis cum Valacho 449
pactum Sonnenbergii cum Rege Caſimiro 372
pagi Polonorum 12
Palatinus Lublinenſis inſtituitur 408
palatini officium 23
Palatini ſeu Duces duodecim in Poloniæ 41
Palatini Valachiæ Regi Vladislao iurant 242.
Palatini Moldaniæ legati ad Regem Poloniæ 433
Palatini Moldaui crudelitas in Polonos 435
Palatini Moldaui cum Polonis & Lituanis fœdus 438
Palatini Valachi legatio ad Regem 461
Palatini Moldauiæ ad Regem Poloniæ do fœderibus & pacto legatio 504
Palatini Vngariæ ad exercitum oratio 516
palatini Moldauia in Poloniæ fines ingreſſus 527
palatini moldauiæ mors. 565. cui ſuccedit filius Elias ibid.
palatinus Cracouienſis, Scarbimirus, excæcatus & magiſtratu exutus 89
palatinus Valachus iurat Regi Poloniæ 265.

Palatinus Moldauiæ in verba Regis Poloniæ iurat 302
Palatinus Moldauiæ à ſuis trucidatus. 588. eiuſdem immanitas ibid.
Palatinus Smolenſcenſis in agrum Smolenſcenſem excurrit 701
Palatinus Valachiæ decollatus 733
Palotta à Turcis oppugnata. 619. cuius obſidio ſoluta ibid.
Pannones & Morani à Polonis fuſi 144
Papæ ad Vladislaum Regem legatio 206
Papouia à Polonis expugnatur 350. conflagrauit ibid.
parnouia à Sueco occupata 607. 614
parœcia conuentus ſine ſucceſſu 288. 327. 328. poſt Korczmi ibid.
parœciæ comitia habita 332. 374. 414
parricidium Lechi 43
pars Taurica Cherſoneſi ab Oſmano Baſſa occupata 746
paſſenheimum à Polonis occupatum 493
Paulus Epiſcopus turbator captus 165
Paulus Epiſcopus Cracouienſis moritur 171
pax inter Bohemos & Polonos affinitate ſancita 62
pax & affinitas inter Henricum Cæſarem & Boleſlaum principem 86
pax inter Imperatorem Fridericum & polones 105
pax à Caſimiro prutenis data 118
pax & fœdus inter principes poloniæ cognatos 131
pax inter Suenopelcum & Premislum 151
pax cum Saganenſibus Duce Henrico 201
pax inter Cruciferos & Polones 198. 243.
pax & tranſactio cum Crucigeris 261
pax inter Cæſarem & Regem Poloniæ 273
pax cum Cruciferis & pacta ad Braſlam 302
pax inter Reginam & Regem in Vngaria 313.
pax & concordia cum Ducibus Sileſiæ 319
pax cum Ducibus Ratiborienſi & Teſſinenſi 322
pax & fœdus inter Caſimirum & Georgium Reges 355
pax infecta 373
pax inter Fridericum Imperatorem & Matthiam Regem 402
pax inter Vngariæ & Bohemiæ Reges 422. & 423
pax cum Moſco 459
pax inter polonos & Valachos 461
pax cum Moſco quinquennalis 500
pax inter Ferdinandum & Ioannem Reges 546
pax quindecim annorum firmata 590
pax inter Cæſarem & Turcam 600
pax inter Suecia & Daniæ Reges 629
pax cum Tartaris facta 672
pecunia in militem mercenarium exacta 499
peditatus parandi ratio 694
peditum ſtipendia 38
peregrinatio Boleſlai in Galliam 92
Perenus diſceſſum ſuadet 554
perfidia Ruſſorum notata 154
perfidia Sbignei. 82. exilium ibid.
perfidia Ieremiæ Czarnieuicii Iuoniæ exitii fuit 655 656
perfidia punita inſigne exemplum in Kererecznio 622
Perſa promiſſa 407
perſica legatio ad Regem Caſimirum 407. 411
peſtis Cracouiæ & in minori poloniæ 432.
peſtis & fames in polonia 129. 183. 374. 390. 424
peſtis in pruſsia 374
peſtis in pruſsia & Maſouia 390. 434.
peſtum occupatum 551 552 & 554
Petri Palatini in Tranſyluaniam fuga 545
Petri Gamrati Archiepiſcopi Gneſnenſis mors 564
Petri Moldauiæ Palatini mors. 565. cui ſucce-

succedit filius Eliæ ibid.
Petri Firleii Russiæ Palatini obitus 591
Petri Kmitæ Palatini Cracouiensis mors ibid.
Petrum à Rege Vngariæ Ioanne Turcæ repetit 546
Petrus Dumnus dolo Christinæ petitus. 99. Eius calamitas ibid.
Petrus Moldauiæ Palatinus Regi Polon. iurat 346
Petrus Komorouius septem arcibus ab Vngaris spoliatus 406
Petrus deditionem facit 545
Petrus profugus Eliæ Valachi P. filius capite plectitur 441
Petrus Constantinopolim missus. 546. causam suam agit. ibid. iudicio suspenso Peram relegatus ibid.
Petrus Suiscius Reualiensis bellum indicit 600
Petrus Suiscius exercitus Moscouitici Dux à rustico occisus 611
Petricouiæ comitia instituta. 305. 323. 325. 327. 333. 343. 246. 347. 349. 350. 351. 352. 366. 367. 371. 374. 379. 387. 395. 397. 402. 403. 408. 418. 420. 440. 441. 402. 459. 461. 463. 475. 483. 499. 522. 525. 539. 543. 557. 563. 570. 574. 582. 601. 607 624
Pfundtzol sublatum 338
Philippus Palatinus Rheni Viennam ingressus 524
Piasti genus & conditio. 48. posteritas mors 49
Pietas Vladislai Regis 428
Piratæ Poloni naues Danicas infestant 627
Pisces in Poloniæ 10
Piscinæ in Polona 9
Piscosi lacus in Prussia ibid.
Pius Pontifex Germanis quam Polonis aquior 354
Plauenius à Molsaco repulsus 388
Plebeii in Polonia qui 16
Plebeii magistratus 28
Plebeiorum magistratuum creatio 29. 30
Plebs vrbana & plebeii magistratus 28
Plebis iudicia rusticana 34
Plebs duce Gisio arma capit 749
Plescouiam Moscus sibi subiicit. 461. firmat 710
Plescouiæ situs 462
Plescouiæ oppugnandæ difficultas 714
Plescouiæ oppugnatio 717
Plescouiensium eruptio 716
Plocenses à Rege alieni 365
Plocensis Episcopus à Boleslæ occisus 109
Plocensis tractus Poloniæ adiunctus 431
Ploscum à Sbigneo obsessum 77
Ploscum intercipitur à Loctico 167
Ploscum à Bohemis oppugnatur 176
Pocucia à Moldauo intercepta 444
pocucia à Polonis recepta 445. 527
podolia Vitoldo concessa 261
podolia recepta à Polonis 244. 291. 322
podolia Suidrigelloni à Rege concessa 242
podolia & Russia à Turcis & Tartaris infestata 324. 327. 349. 408. 502
in Podoliam Tartarorum excursio 330
podoliam & Russiam Moldaui populantur 436
podoliam & Russiam Tartari denuo vastant 437
polocia obsidetur 678. 681
polocia arx deditur 684
polocianæ obsidionis descriptio 680
polocensis regionis descriptio 677
pœna homicidii 35
pœna homicidii aucta 405
poloni à Russis in fugam versi 94
poloni auxilia Regi in Vngariam mittunt 31
poloni à prutenis fusi 107
poloni minores ad Ducem Opolien sem deficiunt. 159. Eorum cum Bohemis inducia ibid.
poloni prussiam infestant 247
poloni Masouiam populantur 188
Ritegerus Venda coniugium petit 43
poloni à Tartaris profligantur 305
poloni maiores Henrico Glogouiensi se subiiciunt 177
poloni minores expeditionem contra Russos suscipiunt 176
poloni maiores cum Zbigneo Vladislao Vladislai defuncti Regis filio regnum decernunt. 298. Eorum præiudicium minores Poloni ægre faciunt. ibid.
poloniæ fines. 5. situs geographicus 12
poloni cum Crucigeris ad duos annos inducias faciunt 267
poloni maiores in fidem Loctici veniunt 182
poloni à Valachis trucidati 206
poloni Culmensem oram vexant 196
poloni re infecta Bohemia excedunt 304
poloni Regis filium sibi Regem designant 289. 298
poloni Moscouiam crudeliter populantur 480.
poloni legatos ad Henricum Regem mittunt. 647. eius responsum ibid.
poloni & Lituani ad Orsam parant se ad certamen 468
poloni Cruciferorum terras depopulantur 493
poloni in Valachiam ingressi. 635. quorum delectus habitus ibid.
poloni hostes fugientes insequuntur 701
poloni Chocimum reuertuntur 637
poloni cum Elbingensibus Sambiam populantur 359
poloni à Moldauis profligati 529
poloni Varsauiæ comitia agunt 660
poloni Moldauiam cum exercitu ingrediuntur 326
poloni inter Crucigeros recipiendi 385
poloni Tartaros insecuti cruento prælio cecidere 477
poloni castra carrorum munimento vallant 527.
poloni à Tartaris circumuenti & cæsi 523
polonica lingua qualis 10
poloni oratores Romam profecti 58
polonici Senatus constantia 297. de recipiendis polonis varia sententia 336
polonicus exercitus hostilem terram vastat 688
polonis laborantibus ab Ostrogio occurritur 485
poloni cum Lituanis Holmiam arcem obsident & capiunt 539
polonis onera à Pontifice iniuncta 58
polonis iuramentum Rex præstat 334
polonorum primus princeps Præmislus 44
polonorum ad Varnam strages 318
polonorum expeditio in Vngariam 66
polonorum clades à Tartaris accepta 140
polonorum in Silesiam expeditio 196
polonorum minorum studia in Casimirum 319
polonorum ad Vitoldum legatio 278
polonorum cum Vngaris conuenta & pacta 261
polonorum minorum contra principem conspiratio 158
polonorum de Cruciferis victoria firma 248
polonorum Comitia Budæ habita 220
polonorum nomen quam vetustum 41. pag 12. vestitus. ibid. Victus ratio. ibid. Corporum habitudo. 13. ingenia & mores. ibid. Educatio. ibid. studia. ibid. Rei familiaris cura. ibidem. Conuiuia & compotationes ibid.
polonorum ad Sigismundum Imperatorem legatio 300
polonorum procerum legati ad Regem 329
polonorum castra ad Brunsbergam 488
polonorum

Polonorum à Valachia in poloniam reditus 639
Polonorum legatio ad Vngaros de pace 402
Polonorum legatio ad Regem Bohemiæ 389
Polonorum mercimoniaquæ 18
Polonorum transactio cum Cruciferorum militibus 346
Polonorum clades ad Bucouinam syluam 435
Polonorum minorum conuentus Corcini 310.372.425
Polonorum cum Turcis belli occasio 477
Polonorum fuga & clades 341
Polonorum in noua Marchia clades 364
Polonorum nobilium libertas 215
Polonorum conuentus cum Cruciferis Posnaniæ 463
Polonorum castra mota 638
Polonorum Rex commercia cum Vratislauiensibus edicto prohibet 462
Polonorum victoria de Cruciferis in insula maiori 348.366
Polonorum aduersa fortuna in Prussia 349
Polonorum maiorum conuentus Coli 379. 392
polonorum ad Vendam victoria 673
Polonorum castra ad Regiomontum 488
Polonorum in castris disciplina militaris nulla 345. soluta. 406
polonorum fœdus cum Moldauo 391
Polonorum victoria ad Osiecum 380
Polonorum legati ad Iagellonem 230
polonorum expeditio in Bohemiam 304
polonorum clades ad Socalum 485
polonorum comitia in Scepusio 221
polonorum expeditio contra Prutenos 107
polonorum immunitates à Rege confirmatæ 279
polonorum studium erga Regem 284
polonorum & Lithuanorum conuentus apud Grodnum 263
polonorum prælium ad Lopusnam cum Tartaris 463
polonorum Regis de pace cum Transyluano ad Cæsarem legatus 614
polonorum victoria cruenta 327
polonorum prælium cum Russis ad Zauechostrum 126 291
polonorum clades ad Notium 373
polonorum prælium ad Mosgauam 120
polonorum leges 21
polonorum clades 544
polonorum conuentus cum Bohemis Bythomiæ 355
polonorum ad Casimirum legatio 219. 319.321
polonorum contra Crucigeros expeditio 246
polonorum expeditio lenta in Prussiam 342.344.349.350
polonorum expeditio in Marchiam 158
polonorum conuentus cum Cruciferis de pace 369
polonorum licentia 344.400
polonorum ad Oczacouiam excursio 522
polonorum pugna cum Moscis ad Neuclam 606 & 607
polonorum conuiuia & compotationes 13
polonorum & Lituanorum clades ad Opociam 480
polonorum status & ordines 14
polonorum cura rei familiaris 13
polonorum minorum Visliciæ conuentus 391
polonorum maiorum in electione nunciorum dissensio 499
polonorum legatio ad Alexandrum Magnum Ducem Lituaniæ 442
polonorum minorum conuentus Cracouiæ 325.327
polonorum mores 13
polonorum minorum conuenticula 329
polonorum conuentus cum Cruciferis Brestæ habitus 295
polonorum deliberatio de Moldauia subigenda & in prouinciæ formam redigenda

genda 326
polonorum victus ratio 12
polonorum ad Suidrigellonem legatio 285
polonorum conuentus cum Hungaris 279
polonorum minorum dissidium intestinum 301
polonorum procerum à Rege postulata 333
polonorum minorum expeditio contra latrones 349
polonorum ad Ludouicum Vngariæ Regem legatio 213
polonorum maiorum expeditio in Prussiam damnosa 352
polonoum victoria 463
polonorum pugna cum Moscis ad Orsam 468
polonorum erga suos crudelitas 493
polonorum varia fortuna in prussia 375 376
polonorum cum Valachis velitatio 635
polonorum & Moldauorum pugna ad Serethum 544
polonos Brunsbergenses eiecerunt 360
polonia minor à Lesco ad Conradum Masouium deficit 166
polonia ciuilibus bellis agitatur 152
polonia maior ad Henricum Barbatum desciuit 135
polonia ab Vngaris vexatur 410
in polonia omnia turbata 592
polonia à Lituanis vexatur 188
polonia à Silesiis Ducibus misere vastatur 331
polonia inter Boleslai filios diuisa 95
polonia vbertas 7
poloniæ maioris diuisio noua 149
poloniæ fluvii qui 8
poloniæ & Bohemiæ Regum societas contra Vngarum 426
polonia maior à Lituanis vastatur 177
poloniæ Regis exercitus numerosus 597
poloniæ regnum Viroldo offertur 278
—— status turbulentissimus 57
—— minoris motus 135
—— Rex iter ad Cæsarem suscipit, 628. sed impeditum ibid.
poloniæ Regis insignia ad Cæsarem legati 305
—— Rex Leopolim petit 281
—— Rex auxilia Ludouicæ Regi mittit 498
—— Rex ad Moscum legatum mittit 671
—— Regis cum Tartaris fœdus 440 441
—— situs descriptio 679
—— Rex Liuonibus nisi ipsi se dedant, auxilium denegat 603
—— Regis legatio ad Palatinum Moldauum 432
—— naues cum frumento à Cruciferis intercepta 245
—— Regis Stephani mors. 755. eius encomium 756
—— Rex Toruniam petit, à Cruciferorum Magistro inuitatus 243
—— Regis legatio ad Turcam de induciis 531.544
—— Regis cum Marchione Alberto Cruciferorum Magistro transactio 507
—— Rex fœdus cum Daniæ & Sueciæ regibus facit 267
—— Rex ad Tartarum legatos mittit de violato fœdere 477
—— maioris motus 226 227.306
—— Regis responsum legato Pontificis datum 464
—— Regis ad Moscum de pace legati 723
—— Rex de transactione inter Ferdinandum & Ioannem Reges allaborat 526
—— Regis ad comitia imperialia Augustana legatio 565
poma Daporta in Polonia 123
pomerani à Boleslao victi 77
Pomerani fiunt Christiani 81
Pomeraria exterior à Polonis subacta & Christiana facta 90
—— Marchionibus prodita 178
—— Crucigeris à Rege Bohemiæ donata 190

Pomeraniæ Ducis inconstantia 383
Pomerania à Cruciferis bello petita 180
Pomerania à Cruciferis subacta 382
Pomeraniæ Ducis legatio ad Regem. 381. responsum ad legationem Pomer. ib.
Pomeraniæ Dux Regem ad nuptias inuitat 504
Pomeraniæ Dux Gedanum venit 510
Pomeraniæ Dux Poloniæ Regi feudalis 511
Pomeranis bellum à Polonis infertur 80
Pomeraniam Crucigeri emunt à Marchionibus 183
Pomeranorum & Prutenorum rebellio 71
Pomerella vtrinque affligitur 365
Pontifex Casimiro Regi haud æquus 395
Pontificis legatus ad Regem veniens inducias cum Cruciferis facit 264
Pontificis delegati de controuersia Polonorum cum Cruceferis 198
Pontificis legatio ad Casimirum Regem 312.324.389.396.400.509
Pontificis legatus Torunium venit 384
Pontificis & Imperatoris legatio ad Casimirum Regem Polon. 339. Regis responsum ibid.
Pontificis & Principum legationes ad Casimirum Regem 355
Pontificii legati in Poloniam & Prussiam aduentus 164
Pontificis nuncii ad Regem de pace 486
Pontificis legatus à Cæsaris legato loco deturbatus 463
Pontificis & Maximiliani Imperatoris legatio 461
Pontificis legatio ad Sigismundum Augustum. 547. responsum Sigismundi Augusti ad legationem ibid.
Pontificis legatus orationem pro statu Ecclesiastico habuit 752
Popieli ætas iuuenilis 46
Popieli, vxorisque & liberorum eius mros miseræ 47
Popielus patruos suos veneno tollit 47
Portenta & prodigia in Polonia 157
Posnania incendio deleta 323
Posonium conflagrauit 470
Posseuinus legatus Pontificis à Mosco ad Regem redit. 721. Rex Posseuino respondet ibid.
Posseuinus ad Moscum scribit. 721. Moscus rescribit ibid.
Postulata Lituanorum refelluntur 332. 368
Postulata à Rege Polonorum procerum 333
Postulaca Masouiorum 368
Postulata Ducis Prussiæ 526
Postulata Masouiorum Ducum 371
Postulata Transyluani à Cæsare 600
Postulata Liuonum publica. 739. Regis responsum 739
Potestas principis qualis olim fuerit 19
Potestatis regiæ finis ibid.
Præda Turcarum ex Christianis 555
Præda in arce inuenta 685
Prædatio Turcarum 541
Prædæ Nouogrodensis magnitudo 423
Præfecti siue Capitanei in Polonia qui 25
Præfecti Turcici in Vngaria appulerunt 553
Præfectura Sendomirienſis priuilegium 418
Præfectus Camenecensis 477
Præfectus copiarum Moscouiticarum de Derpato obsidendo cogitat 599
Præfectus Lenczicienſis globo traiectus 704
Prælium ad Coronouiam commissum 258
Prælium cum Tartaris ad Lignitiam 141
Prælium Polonorum cum Russis 100 126.291
prælium inter patrem & filium 75
Prælium inter Polonos & Turcas redintegratum 638
Prælium ad Choiniciam 340

Prælium

Prælium & victoria de Crucigeris ad Pussum 365
prælium Polonorum cum Tartaris ad Lopusnam 463
prælium Iuoniæ cum Turcis 657
Præmisli mors & laudes 1
præmislienſis Episcopæ vacatio per triennium 410
Præmislus posthumus nascitur 151
Præmislus Gedanum muniuit. 173. Insidiis Marchionum Brandeburgensium interficitur ibid.
Prærogatiua nobilitatis Polonicæ 14
prærogatiuæ & leges Lituanis à Rege datæ 263
prærogatiuæ ac priuilegia Prutenorum 338
præsidiarii Cruciferorum Niessouii fusi. 273. pacem à Rege petunt & impetrant ibid.
præsidium Polonicum Fridlandenses trucidant 360
præsidium Zantiræ expugnatum 384
prehensio nobilium in Polonia fieri non potest 35
Preuschmarcum, Stuma & alia oppida ad Cruciferos deficiunt 341
princeps Polonorum primus Præmislus, qui antea fuerit, & quomodo ad principatum peruenerit 44
princeps Tauricanorum vna cum fratribus captus 412
principatum obscurus quidam casu adeptus 45
principatus à Popielo suscipitur 46
principatus Kiouienſis in prouincia formam redactus 398
principis potestas qualis olim fuerit 19
principi vectigalia 20
principi in Polonia redditus 40
principis Moscorum ad Cæsarem legatio 593
principis Transyluaniæ mors 628
principis Tauricanorum in Tartaros Zauolgenſes expeditio 500
principis Moscorum legatio ad Imperii comitia 569
principum conuentus Cracouiæ 274
principum Germaniæ legatio ad Regem poloniæ 487
principum Christianorum ad Vladislaum Regem legationes 314
priuilegia polonis à Casimiro Rege confirmata 397
priuilegium præfecturæ Sendomirienſis 418
procancellario torques aureus cum sigillo regni sublatus. 601. fur Bochnæ captus supplicio afficitur 601
procerum alienatio ab Vladislao principe 98
procerum polonor. legati ad Regem 329
procerum polonorum à Rege postulata 333
procerum Bohemorum Georgio Regi ad uersantium legatio 389
procerum dissidium in Rege creando 429
prodigia & portenta in polonia 157
prodigia in minore polonia. 364. latrocinia ibid.
proditio Mariæburgi instructa 348
promissa Persæ 407
promulgatio Calendarii Gregoriani 708
propago Ducum Cuiauienſium 215
Protasius Episcopus Olomucenſis ad Regem Casimirum venit 390
prouentus Episcoporum & reliquorum sacerdotum 130
prouisores in polonia instituti 299
prouisores in polonia amoti 303
prouocatio ad principem in polonia 32
prouocatio à iudicio iurato 34
prouincia Austriaca infestata 531
prouincia Curonenſis Regis polon. feudum 741
prussi à Casimiro rege in fidem accepti 336.337
prussi regi Alexandro iurant 445
prussia fere omnis in deditionem accepta 254
in prussia Lutherani dogmatis incrementum 548

prussia à Crucigeris Regi Bohemiæ dedita 338
in Prussia Ducali dissensiones intestinæ authore Paulo Scalichio. 616. eius complices ibid.
in prussia motus 334. 413
Prussiam Poloni infestant. 247. *nec non Massouii & Cruciferi* 257
prussiæ Ducis postulata 526
prussiæ oppida & arces à Cruciferis recipiuntur 257
prussiæ oppida à Cruciferis obsessa 359
prussiæ consiliarii 338
prussiæ arces Poloniis commissæ 341
prussicæ nobilitatis legatio ad Regem 379
prussiæ cum Polonia coniunctio 385
prussiæ gubernatio sublata 387
prussicæ causæ disceptatio Concilio Constantiensi permissa 264
prussicarum ciuitatum erga Regem Polon. studium 341
prussiæ Dux à Cameralibus Iudicibus proscriptus. 527. *à Rege Poloniæ opem petit* ibid.
prussiæ gubernator Ioan. Baisenus 339
prussiæ orientalis muratio 505
prussicum & Pomeranicum bellum 71. 485
prussorum vnio cum Polonis 338
pruteni dimissi 376
pruteni religionem Christianam recipiunt & mox iterum deserunt 106
pruteni multa de Crucigeris capiunt 162
pruteni Culmensem tractum suæ potestatis faciunt 130
pruteni Regi Grudenti denuo iurant 418
prutenorum vires fractæ à Cruciferis & Germanis 139
prutenorum studium erga Regem Poloniæ, & consilium fidele 256
pruteni propter interdictum à Legato Pontif. submoti. 369. *à Polonis ad conuentum admissi sunt* ibid.
prutenorum & Pomeranorum excursio in Masouiam 86
prutenorum legatio ad Casimirum Regem. 351. 362. 334. 376
prutenorum Brestæ conuentus 418
prutenorum querela de Cruciferis 335
prutenorum conuentus Elbingæ 414
prutenorum prærogatiuæ ac priuilegia 338
prutenorum conuentus Grudenti de moneta 499
prutenorum legatio ad Regem de finiendo bello 381
pugna ad Suchodolum 144
pugna Tartarorum cum Polonis 305
pugna Polonorum cum Moscis ad Orsam 468
pugna à Moscis declinatur 457
pugna ad Socalum 483
pugna naualis Gedanensium cum Cruciferis 488
pugna Christianorum cum Turcis impar. 595
pugna Polonorum cum Moscis ad Neuelam 606. & 607
pugnæ velitares frequentes 553
puscum interceptum. 357. *à Gedanensibus obsessum & captum* 374

Q.

Quarta redituum regiorum Reipub. concessa 39
Quereia Prutenorum de Cruciferis 335
Quidzinum & Varmia à Polonis capta 357
Quinque ecclesiæ Turcis directæ 559

R.

Radeczii cum Turca congressus 637
Radiuilus exercitum hostilem inuadit 720
Radomiæ comitia 403. 446. 447. 465
Radomsci comitia de nouo Rege eligendo habita 223
Radzinum per deditionem acceptum 256
Radziuilus Cardinalis Rigam redit 751
Rapacitas Vngarorum 218
Raphaeli Leszinius Friderici Imperatoris legatus ad Regem 396
Raphaelis Leszczinii ad Regem oratio 583
Rastenburgum denuo obsessum 360
Ratio victus Polonorum 12
Ratio nobilium habitandi & viuendi 15
Ratio rei nummariæ in Polonia 17
Ratio Senatus conuocandi 25
Ratio Senatus & magistratuum equestrium creandorum 29
Ratio varia iudiciorum 30
Ratio belli gerendi 37
Ratio parandi peditatus 694
Ratio eligendorum Regum 734
Rauenses & Gostinenses Regis fidem secuti 363
Rebellantes Pruteni bello à Boleslao petuntur 62
Rebellio Prutenorum & Pomeranorum 71
Receptus Casimiri ex Vngaria 400
Reditus Præfecturarum 26
Reditus magistratuum 30
Reditus principis in Polonia 40
Redituum regiorum quarta pars Reipub. concessa 39
Redituum sacerdotalium æstimatio inæqualis 379
Redituum regiorum quarta pars & annatæ fisco illatæ 624
Regiomonti vetus & nouum opp. ad Cruciferos deficit 343
Regiomonti obsidio soluta 488
Regi auxilia Poloni in Vngariam mittunt 311
Regi Poloniæ Vngariæ Rex obuiam it 470
Regi ab Electoribus pecunia mutuo datur 705
Regi Varsauiam venienti ciuitas obuiam procedit 706
Regiæ potestatis finis 19
Regina Rixa regnum administrans eo abutitur 56
Regina Anna moritur 199
Regina Heduigis moritur 206
Regina Sophia coronatur 274
Regina subita morte extincta 475
Regina Polon. ab Archiepiscopo Gnesnensi inaugurata. 481. *nuptiales epulæ, ludi militares & alia spectacula ib. &* 482
Regina BONA in Italiam cogitat 592
Reginæ coronatio 20
Reginæ comitatus & administratio 28
Reginæ pacta cum Ziemouito 230
Reginæ Elisabet hæ studium erga Ioannem Albertum 429
Regionis Polociensis descriptio 677
Regis Casimiri liberi 62
Regis Vladislai cum Cruciferis Brestæ conuentus 181
Regis Casimiri ad Pontificem legatio 198
Regis Ludouici priuilegium Polonis datum 204
Regis Ludouici in Poloniam aduentus & coronatio 213
Regis Casimiri leges 222
Regis Ludouici mors ibid.
Regis Iagellonis studium religionis Christianæ propagandæ 232
Regis expeditio in Lithuaniam 234
Regis cum Cruciferis conuentus 263. 262
Regis legati ad Cruciferorum Magistrum 245
Regis Vladislai ad Sigismundum Regem Vngariæ legatio 247
Regis Poloniæ edictum de militari disciplina 249
Regis Oratores ad Papam cum muneribus 261
Regis Sigismundi ad Regem Vladislaum legatio 262
Regis ad Sigismundum Cæsarem legati 269
Regis & procerum Poloniæ ad Vitoldum legatio 280
Regis sermo ad Bohemos 285
Regis responsum datum concilii oratoribus 292
Regis filium Poloni sibi Regem designant 289. 298

289.298
Regis ad Sigismundum Imperatorem de coniugio legatio 302
Regis Poloniæ ad Cæsarem legatio 305
Regis Vladislai cum Vngaris pacta 307
Regis & procerum Poloniæ ad Vitoldum legatio 315
Regis consilium de pactis violandis à Polonis improbatur 316
Regis conuentus cum Cruciferis 330
Regis Bohem. & Vngariæ ad Casimirum Reg. legati 337
Regis Casimiri in Prussiam aduentus 347
Regis responsum ad orationem modestam 354
Regis iudicium contra Cracouienses de cæde Tencinii 361
Regis legatio ad Plocenses 363
Regis transactio cum Duce Olesnicensium 378
Regis munificentia in Magistrum & Cruciferos 386
Regis Bohemiæ legatio ad Casimirum Regem 388.391 408
Regis Bohemorum responsum legatis Polonis datum 390
Regis & Gedanensium mutuæ donationes 392
Regis legatio ad Pontificem. 398. ad Georgium Bohemiæ Regem ibid.
Regis Poloniæ legati ad Opauiensem conuentum 403
Regis legatio ad Matthiam Vngariæ Regem 420
Regis Poloniæ legatio ad Turcam de induciis 531
Regis Sigismundi in Lituaniam abitus 534
Regis Poloniæ cum Tartaris fœdus 440
Regis transactio cum Masouiæ Ducibus 444
Regis Legatus ad Electorem Brandeburgensem de religione mutata. 547. Electoris responsum 548
Regis legati ad comitia Francofurti 483
Regis per legatum responsum 489
Regis Poloniæ cum Marchione Alberto Crucigerorum Magistro transactio 507
Regis Gedanum ingressus 510
Regis Sigismundi in Prussiam aduentus ibid.
Regis Ludouici Tolnam aduentus 512
Regis Ludouici interitus 517
Regis Ludouici corpus Albæ Regiæ sepultum 518
Regis Galliæ lagatio ad Regem Poloniæ 519
Regis Sigismundi ad Turcam legatio 528
Regis Sigismundi legatus ad Regem Ferdinandum 559
Regis Sigismundi legatio in Vngariam ad Georgium Monachum 565
Regis Poloniæ legatio ad comitia Imperii Augustana ibid.
Regis Sigismundi mors & virtutes 569
Regis Cracouiam reditus 576
Regis Polonorum exercitus numerosus 597
Regis legatus ad Philippum Hispanorum Regem de Barensi Ducatu 601
Regis de Lituania cum Polonia coniungenda cura 610
Regis Poloniæ ad Cæsarem legatus de pace cum Transyluano 614
Regis Succiæ ad Regem Poloniæ literæ 708
Regis frater moritur 710
Regis ad Moscum literæ 712
Regis Poloniæ legati de pace ad Moscum 723
Regis Polonorum Stephani obitus. 755. eius laus 756
Regii officiales qui 23
Regius exercitus circa Dersauiam castra metatur 665
Regni Mareschalci officia 23
Regum & Principum conuentus Craçouiæ ad nuptias Casimiri neptis Elisabethæ 206

Regnum

Regnum Poloniæ Vitoldo offertur 278
Regum Poloniæ & Bohemiæ pacta 363
Regum nuncii ad Cæsarem 471
Regum Viennam ingressus 472
Regum Vienna discessus 473
Regum eligendorum ratio 734
Rei familiaris cura Polonorum 13
Rei nummariæ in Polonia ratio 17
Reipublicæ mutatio in Moldauia 545
Religionem Christianam Pruteni recipiunt, & mox iterum deserunt 106
Regionis mutatæ authores comprehensi & capite plexi 511
Religionis Lutheranæ Gedani publicum exercitium ibid.
Rerum iudicatarum in Polonia executio 35
Rerum Bohemitarum status varius 398
Res gestæ ad Mariaburgum 339
Res gestæ ad Choiniciam 340
Res gestæ ad Stargardiam 378
Res gestæ Moldaui contra Transalpinos & Turcas 417
Res gestæ Ioannis Moscorum Ducis 423
Res gestæ Steghani P. Moldauiæ 445
Responsum Senatus ad Vladislai orationem 97
Responsum Vitoldi ad Regis legationem 282
responsum regis Concilii oratoribus datum 292
responsum regis ad orationem modestam 354
responsum à Pontifice legati regis ferunt 388.398
responsum regis Bohemorum legatis Polonis datum 390
responsum Protasio à rege datum ibid.
responsum Turcæ legato regis datum 414
responsum legato Cæsaris datum 416
responsum Moldauis 433
responsum ad orationem Sachmatis 446
responsum regis Sigismundi 461
responsum poloniæ regis legato pontificis datum 464
responsum regis per legatum 489
responsum regis ad legationem Moldauicam 504
responsum Duci prussiæ datum 529
responsum Solymanni legatis Vngaris datum 551
restes per poloniam missæ 541
restium literæ 37
restium aliæ literæ in poloniam missæ 540
responsum nunciorum de Duc. Curlandiæ 692
retractatio mendacii, pœna apud polonos qualiter fiat 234
Reualia arx fraude Sueco ablata. 628. eadem arte recepta 629
Reualienses à Sueciæ rege auxilium petunt. 603. ipsique se subiiciunt ibid.
reualiensium legati ad Daniæ regem 600
rex Vladislaus moritur 106
regis Præmisli filia 174
rex coronatur Gnesnæ, & Rixam vxorem ducit 175
rex Ludouicus Vngaris Russiam attribuit 219
rex poloniæ fœdus cum Daniæ & Sueciæ regibus facit 267
rex à senatu correptus 278
rex ex Lithuania Cracouiam pedes ingreditur 262
rex Lithuanos concitat in Suidrigellonem 280
rex pol. Leopolim petit. 288. Beneficus est in calamitosos ibid.
rex iratus Zbigneo Episcopo minatur 289
rex Ludouicus filiam suam Sigismundo Caroli Imperatoris filio despondet 215
rex Cracouiam redit. 324. inde in Russiam ad motus Moldaui sedandos proficiscitur. ibid. Legatos ad Moldauiæ palatinum

Palatinum amandat ibid.
Rex in Lituaniam se confert 328.368. 371.394.475
Rex exercitum in Moldauiam mittit 326
Rex Polonis iuramentum præstat 334
Rex exercitum dimittit 360
Rex Casimirus ad Choiniciam statiua habet. ibidem. Posnaniam diuertit 364
Rex Toruniam venit ibid.
Rex à Torunienſibus liberaliter acceptus ibid.
Rex Rauæ & Goſtini poſſeſſionem adit 367
Rex Cracouiam venit 371
Rex Inouladislauiam petit 381
Rex Casimirus ad bellum Bohemicum incitatur 387
Rex Casimirus Gedanum ingreſſus 392
Rex Mariæburgum se confert ibid.
Rex Ruſsiam petit 393
Rex Posnaniam profectus. 402. inde in Prussiam ibid.
Rex Casimirus Toruniæ moratur 414
Rex Bohemiæ à Friderico Cæſ. inueſtitus 416
Rex in Rußiam abit 424
Rex in Prußiam expeditionem ſuſcipit 440
Rex paralyſi affectus 447
Rex exercitum mittit in Moſcouiam 456
Rex Vngariæ Regi Poloniæ obuiam proficiſcitur 470
Rex Cracouiam reuerſus Reginam male affectam offendit 474
Rex Polonorum de fœdere violato ad Tartarum legatos mittit 477
Rex Cracouiam redit 481.485.505.601
Rex Torunium petit 485
Rex ſelopeto impetitus 500
Rex Leopolim venit 503
Rex Ludouicus conuentum publicum indicit. 512. Cæſarem, Reges & Principes de auxilio compellat ibid.
Rex Ludouicus Tolnæ egreſſus 513
Rex in ſua acie non viſus 517
Rex Polonorum de tranſactione inter Ferdinandum & Ioannem Reges allaborat 526
Rex Poloniæ à Moſco Smolenſcum repetit 534
Rex Vilnam contendit & voluptatibus indulget 470
Rex ad Senatores & præcipuam Nobilitatem de comitiorum actis literas dat 572
Rex Gedanum proficiſcitur 584. Vnde motus ibid.
rex Regiomontum petit. 585. eius ibidem caſus miſerabilis ibid.
rex Craſnoſtauum contendit 598
rex in Liuoniam iterum ſe confert 601
rex Poloniæ Liuonibus defenſionem negat ni ſe ipſi dedant 603
rex ad Radeſcouiciam exercitum ducit, ſed ſi ne effectu 624
rex Daniæ naues Gedanenſium detinet 627
rex Poloniæ iter ad Cæſarem inſtituit 628
rex per Cancellarium Polonis gratias agit 645
rex nouus Cracouiam ingreditur ibid.
rex ad bellum Moſcouiticum ſe totum conuertit 667
rex Poloniæ legatum ad Moſcum mittit 671
rex in rußiam contendit ibid.
rex Nicolaum Mielecium exercitui præficit 674
rex ad Polociæ obſidionem ſe accingit 676
rex literas ad Moſcum dat 688
rex triumphans Vilnam venit ibid.
rex comitia Varſauiæ indicit 689
rex Vielicolucum oppugnare conſtituit 694
rex nuncium cum literis ad Moſcum mittit 695
rex Vielicolucum proficiſcitur. 696
rex exercitum in vlteriorem Dunæ ripam traducit 697
rex ad Vielicolucum caſtra ponit 698
rex caſtra ad veterem Vſuiatam ponit ibid.

Rex Zauolociam obſidere conſtituit 701
rex de reditu in Lituaniam cogitat 702
rex Neuelam peruenit 703
Rex nouo morbo tentatus 705
Rex rogatur, vt bellum finiat 708
Rex Zamoiſcium militem ſcribere iubet 709
Rex Sueciæ caſtella quædam in Liuonia occupat 710
Rex Diſnam venit 711
Rex legatum ad Turcam Imperatorem mittit ib.
Rex militarem diſciplinam ſancit 713
Rex Pleſcoüiam progreditur. 714. eam circumit. ibi caſtra metatur 716
Rex Sueciæ Naruam occupat 719
Rex in Liuoniam proficiſcitur 728
Rex legatum ad Moſcum mittit, pacemque factam ratam habet 729
Rex legatum ad Regem Sueciæ mittit 730
Rex Vilnæ legatos Tartaricos audit. 732. Regis reſponſum ibid.
Rex Grodna Varſauiam venit 733
Rex Liuoniæ curam impendit 738
Rex nouam gubernationis Liuoniæ formam promulgat 740
Rex Zamoiſcium contra Tartaros mittit ibid.
Rex plebis nouas conſtitutiones irritas pronunciat 751
Rex Rigenſium cauſam Grodnæ ipſe audit 753
Rex ſeditioſos proſcribit 754
Rigæ in Liuonia motus ob Calendarium Gregorianum 748
cum Rigenſibus agitur 729
Rigenſis archidiœceſis gubernatio Curlandiæ Duci iniuncta. 610. poſt Ioanni Chodkieuicio, qui eam in Ducatum conuertit ibid.
Rigenſium nuncii ad Regem 706
Rigenſium cauſam Rex ipſe Grodnæ audit 753
Rithuanii & aliorum in Regem inuectio 411
Rithuanius Zacoriam intercipit 303
Rixa Mieczislao deſponſatur 53
Rixa regina regnum adminiſtrans, eo abutitur. 56. fugit ex Polonia ibid.
Rogendorffii mors 555
Rudolphi legati pontificii integritas 386
à Rudolpho legato Pontificis legatus ad Regem 393
Rudolphus Epiſcopus Lauantinus legatus Pontificis 380
Rumor tumultu regia caſtra complet 436
Ruſsi ſe in libertatem aſſerunt 71
Ruſsi ſuperantur à Boleslao 78
Ruſsi & Tartari à Polouis profligati 155
Ruſsi cum Barbaris à Polonis cæſi 162
Ruſsi Sendomirienſem tractum vaſtant 176
Ruſsi victi à Polonis 127.176
Ruſsi exæquati cum Polonis iure & prærogatiuis 200
Ruſsi & Valachi in auxilium Cæſari contra Turcas miſsi 275
Ruſsia Polonis vectigalis facta 67
Ruſsi Maſouiam & Maſoui Ruſsiam populantur 166
Ruſsi Podoliam diuexant 415
Ruſsi duces finitimi à Moſcis ſubacti 423
à Ruſsis Tartari cæſi 332
Ruſsia meridionalis à Caſimiro Rege ſubacta 199
Ruſsia à Polonis ad Lithuanos deficiunt 203
Ruſsia & Podolia à Tarturis vaſtatur 327.331.408
Ruſsiam Turcæ populantur ibid.
Ruſsiam Valachus vaſtat 459
Ruſsica & Podolica nobilitas cum Polonica exæquata 300
Ruſsicum bellum à Iaroslao Ruſsorum duce renouatum 54
Ruſsicum bellum à Mieczislao Rege geſtum 55
Ruſsorum origo & nomen 2
Ruſsorum in Poloniam excurſio 77.92
Ruſsorum perfidia notata 154

Russorum expeditio in Turcas 414
Rusticana plebis iudicia 34

S.

Sacerdotale bellum 402
Sacerdotalis ordinis subsidium ibid.
Sacerdotalium redituum æstimatio inequalis 379
Sacerdotiorum collatio 29
Sacerdotum synodi 37
A Sacerdotum collegio iusiurandum exactum 358
Sacerdotum bona inuaduntur iussu regio ibid.
Sacerdotum & scholasticorum gratitudo erga Polonos 382
Sachmates Tartarus in Poloniam ductus 476
Sachmatis fuga & captiuitas 442
Sachmatis Tartarorum Zauolgensium Principis legatio ad Regem Alexandrum ibid.
Sachmatis in dicendo libertas 446. *ad orationem ipsius responsum* ibid.
Sacris interdictum ob Bohemos 394
Sæuitia & scelera Boleslai. 68. *eius fuga & interitus* 69
Sæuitia Russorum 207.287
Saganensium Dux ambustus 407
Salinarum Vieliczensium conflagratio 464
Salitores qui 26
Salinæ in faucibus Carpatiis 417
Salinæ in maiori Poloniæ exortæ 419
Sambia à Crucigeris subacta & ad religionem Christianorum adacta 150
Sambiam Elbingenses cum Polonis populantur 359
Sambiam Gedanenses vastant 364
Sambiensis Episcopus ad Cruciferos desicit 342
Samogitia Cruciferis à Vitoldo concessa 244. *ab eodem recepta* 244.245
Samogitia ad religionẽ Christianam conuersa 263
Samuel Sboronius capitis supplicio affectus 742
Samuelis Macieiouii Episcopi Cracouiensis mors 567
Sandeciæ conuentus habitus 227
Sendomiriensis tractus à Russis vastatur 176
Satellites, cubicularii & pueri 27
Saxonibus bellum à Boleslao illatum 54
Sbignei Olesnicii Cardinalis mors 343
Sbigneus fit monachus in Saxonia. 74. *Ex monasterio extractus, Dux exulum creatur* ibid.
Sbigneus à fratre capitur 82. *Eius perfidia ib. Exilio mulctatur* ibid.
Sbigneus exul fratris Boleslai gratiam implorat & impetrat. 88. *interficitur* 89.
Sbigneus & Senatus Casimirum Regem iurgant 333
Scabinorum in Polonia iudicia 34
Scarbimirus Palatinus Cracouiensis excœcatus & magistratu motus 89
Scepusium Regi Poloniæ oppignoratũ 263
Scepusium Vngari vastant 37E
Scepusius Rex salutatus 518
Schipenbeili obsidio. 348. *denuo obsidetur* 360
Scholasticorum Cracouiensium cades. 572. *eorum querelæ ad Regem ib. ad Rectorem* ibid.
Scholasticorum Cracouiæ conspiratio 583
Tarnouio negocium componendi datũ sed irrito conatu, datum. ib. Scholastici abitum moliuntur, & tandem Cracouia discedunt. ib. varie dispersi quos Rex paucis reuersis reuocat. ib & captũ dimittuntur ibid.
Sclauorum origo quæ sit, sententia Auctorum varia 1
Sculetorum iudicia 35
Secretarii magni officium 27
Secretariorum munera quæ 26
Secretarius ob lucii esum aquis suffocatus 632. *Leuci etiam fidelissimi miserabilis interitus* ibid.
Sedekereii Tauricani principis legatio ad Regem Polon. de fœdere 501
Seditio Gedani. 347.424. *sedata a Czeruonca* ibid.

Sedi-

Seditiosos Rex proscribit 754
Selymi in Valachos crudelitas. 660. *eius mors* ibid.
Selymus tyrannus morbo pestilentiali sublatus. 498. *successorem reliquit Solymannum filium* ibid.
Selymus Trænsalpinæ Valachiæ Palatino auxilia contra Iuoniam mittit 651
Senatores regni à Rege Gedanum præmissi 510
Senatorum officia communia 23
Senatorum cum Rege expostulatio 329
Senatorum genera & numerus 12
Senatus ad Vladislai orationem responsum 97
Senatus Polonici constantia 297
Senatus de regno Vngariæ consultatio 307
Senatus Polonici de recipiendis Polonis variæ sententiæ 336
Sendiuoius Subinius Iaderam ad Reginam proficiscitur 227
Sendomiriæ comitia habitæ 284.292
Sendomirienses a Lesco deficiunt 163
Sendomirienses Præfecturæ priuilegium 418
Sententiæ variæ de rege creando 441
Sententiæ de moneta 500
Sententiæ à Senatoribus dictæ 736
Sermo Lesci ad milites 164
Sermo Regis ad Bohemos 285
Serui Turcarum Tartari 748
Seuerinum, arx in Moldauia, à Turcis expugnatum 501
Sienenius Episcopo cessit 367
Sigismundi Regis ad Vladislaum Regem legatio 261
Sigismundi Imp. ad Vladislaum Regem legatio 302
Sigismundi Regis responsum legatis datum 461
Sigismundi Regis ad Turcam legatio 528
Sigismundi Regis in Lituaniam profectio 534
Sigismundi legatus ad Regem Ferdinandum 559
Sigismundi Regis in Vngariam ad Georgium Monachum legatio 565
Sigismundi Regis mors & virtutes 569
Sigismundi Augusti funus 643
Sigismundus Rex Poloniæ designatus 222
Sigismundus Cuiauiam infestat 227
Sigismundus in Poloniam venire prohibetur ib.
Sigismundus Vngarus Regi affini bellum indicit 250
Sigismundus Dux Lithuanorum à Rege declaratur 290
Sigismundus Dux Lithuaniæ interficitur 308
Sigismundus Regi Casimiro natus 387
Sigismundus a fratre ad regnum accitur 450
Sigismundus cum Glinscio congreditur 451
Sigisuundus Magnus Dux Lituaniæ Rex Poloniæ electus. 452 *coronatus* 453
Sigismundus, Dux Glogouiæ & Opauiæ, latrocinia è Silesia sustulit 438
Sigismundus Cracouiæ Posonium profectus 470
Sigismundus Augustus natus 489
Sigismundus Augustus Magnus Dux Lituaniæ designatus 525
Sigismundus Augustus Cracouiæ inauguratur 526
Sigismundus Augustus Polonis solenniter iurat 540
Sigismundus Augustus Rex Cracouiam ad exequias patris venit 570
Sigismundus Augustus Poloniæ Rex moritur. 640. *in quo Iagellonica familia desita* ibid.
Silesiæ Ducum dissidia 174
Silesiæ Duces commissi 406
Silesia à Tartaris vastata 141
Silesiorum & Polonorum fuga 142
Silesia inter Boleslaum Caluum & Henricum Duces diuisa 146
Silesia à Bohemis vexata 96
Silesia Vladislao attributa 105
Silesiæ Ducum origo. 106. *Eius diuisio* ibid.

Silesii Ducet in Boleslaum principem concitantur 108
Silesia motus & bellum inter fratres 147
Silesia inteſtinis diſſidiis agitata 160
Sileſiorũ expeditio contra Locticum 169
Sileſii à Polonis electi 182
Sileſia interuerſæ à Bohemis cauſæ 185
Sileſiorum Ducum bella inteſtina ibid.
Sileſii Duces Bohemo ſe permittunt 187
Sileſia vexatur à polonis 311
Sileſii Duces poloniam vaſtant 331
Sileſii Duces dimiſſi 376
Sileſii male erga polonos affecti 383
cum Sileſiis inducię factæ 331
Sileſiaci motus 151
Skirgelli cum Vitoldo inimicitiæ 237
Skirgello à Rege fit præfectus Lithuaniæ 233
ſimultates inter regem & reginam 234
ſimultatum cauſæ inter Auſtriac. & Iagellonicam familiam 469
Siradiæ comitia habita 224.289.292. 331.413
Siradienſes à Maſſouiis fuſi 168
Siradienſis ditio vaſtatur 171
Situs Pleſcouiæ 462
ſitus polociæ deſcriptio 629
Slauonia & Croatia ab Vladislao rege recepta 310
Slochouia fraude intercepta à pomeranis 381. à polonis recuperata 382
Smigrodum oppidum captum 405
Smolenſcii ſubacti à Vitoldo 242
Smolenſcum à Moſco obſidione cingitur. 443.466. iterum obſeſſum. ibid. proditione captum. ibid. munitum 467
Smolenſcum à Lituanis exuſtum 535
Sochaczouia in ditione regis poloniæ 413
ſocietas poloniæ & Bohemiæ regum contra Vngarum 426
ſocietas, amicitia & fœdus Cæſaris cum regibus 473
ſocola obſidetur. 687. expugnatur ibid.
ſocoloſia capta & euerſa 559
Sotzauia obſeſſa & oppugnata à polonis 433
Soldinum oppidum à Boleslao direptum 157
ſolis eclipſis inſolens 583
ſolum poloniæ quale 7
Solymanni in Vngar. expeditio 498
Solymanni reſponſum legatis Vngarorum datum 551
Solymanni aduentus in Vngariam. 555. eius crudelitas in Germanos ibid.
Solymannus Reginæ viduæ vndiquaque opem fert. 553. aduerſus Mailatum ire iubet ibid.
Solymannus Budam ingreſſus 555
Sonnenbergii pactum cum rege Caſimiro 372
Sophiæ regina coronatur 274
Sophia filia regi nata 374
Sophia regis Caſimiri filia Friderico Marchioni Brandeburgenſi nupta 421
Sophia regis ſoror Duci Brunſuicenſi nuptui data 593
Sophiæ reginæ mors & mores 360
Spitco interfectus & perduilleonis damnatus 306
Sponſio turpis 404
Stanulai Epiſcopi Cracouienſis cades. 69
Stanislai Laſci ad Cæſarem & principes oratio. 565. reſponſum Ordinis Teutonici Magiſtri ad ipſius orationem 567
Stanislaus Orichouius Canonicus præmislienſis. 576. inuehitur in cœlibatum Rom. ibid.
Stanislaus Stadnicius ab Epiſcopo præmislienſi ob mutatam religionem citatus. 579. damnatur, excommunicatur, infamis fit & proſcribitur. ibid. qui ad conuentum proſſouic. Epiſcopi ſententiam refert. 580. iudicium ſimile de Conrado Krupka ab Epiſcopo Cracouienſi latum. ibid. idem ab Archiepiſcopo Gneſnenſi ac Oſtrogio & Chriſtophoro Laſſocio accidit ibid.
Stargardia Cruciferis prodita 361. à polonis obſeſſa 377
Starodubum & aliæ in Ruſſia munitiones à Michaele Duce profugo capiuntur 325
Starodubum à polonis incenſum 535
Starodubum expugnatur & euertitur 539
ſtatus turbulentiſſimus Poloniæ 57
ſtatus & Ordines Polonorum 14
ſtatus Liuoniæ 735
ſtatus rerum Bohemicarum varius 398
Stenzeriæ conuentus ob nouum Regem creandum inſtitutus 661
ſtatuta regni Poloniæ quæ 35
Stephanus Palatinus Moldaui in legatos crudelitas 395
Stephani P. Moldauiæ mors & res geſtæ 445
Stephani Regis Poloniæ obitus. 755. eius encomium 756
Stephanus Deſpotes Raſciæ & Albaniæ à Turcis pulſus 313
Stephanus Palatinus Moldauiæ in verba Caſimiri Regis Polonorum iurat 425
Stephanus Solymannum orat, vt Petrus ei à Rege Vngariæ tradatur 546
Stephanus Palatinus à ſuis occiſus 556
Stephanus Bathoreus Tranſyluaniæ principis ad Cæſarem legatus 616
ſtephanus Rex Giſii conatui occurrit 755
ſtipendia equitum & peditum 38
ſtipendia militum 735
ſtoliditas Vngarorum 498
ſtrages Chriſtianorum magna à Tartaris 142
ſtrages Lithuanorum 235
ſtrages Polonorum ad Varnam 318
ſtrages hominum & equorum ad Mariæburgum 350
ſtrages Cruciferorum. 195. ad ſchipenbeilum 359
ſtrigonii obſidio 560
ſtrigonium à Turcis proditione Hiſpani captum 561
ſtruſſi fratres Felix & Georgius à Valachis interfecti 448
ſtudia Polonorum 13
ſtudia Nobilitatis in Polonia 16
ſtudia Laſci in pace & bello. 45. liberi & mores ibid.
ſtudia diuerſa Vngarorum 308
ſtudia minorum Polonorum in Caſimirum 319
ſtudium Boleslai 146
ſtudium Prutenorum erga Regem Poloniæ 256.284
ſtudium Gedanenſium erga Regem Polon. 351
ſtudium Nobilitatis & Ciuitatum Pruſſiæ erga Polonos 416
ſtudium Eliſabethæ Reginæ erga Ioannem Albertum 429
ſtuma Regi dedita 339
ſtuma, Preuſchmarcum & alia oppida ad Cruciferos deficiunt 341
ſubſidium ſacerdotalis ordinis 402
ſuccamerarii iudicium quod 31
ſuccamerarii in Pruſsia pars ſenatus 392
ſucceſſiones Epiſcoporum 527
ſuccinum vbi colligatur 8
ſueciæ Regis ad Polonorum Regem literæ 708
ſueciæ Rex caſtella quædam capit 710
Naruam occupat 719
ſuecus copias in Liuoniam mittit. 613. contra quem fœdera tentata ſed irrita ibid. à Polonis & Gedanenſibus receptæ 360
ſuendii à Cæſare petitio 614
ſuendii de Zatmaria inſtauranda conſilium. 615 eiuſdem ad Cæſarem profectio ibid.
ſuentopelci bellum aduerſus Cruciferos 145
ſuentopelcus fit Boleslao rebellis 90
ſuentopelcus Culmenſem & Cuiauienſem terram infeſtat 147
ſuentoslaua filia Boleslai naſcitur 80
ſuentoslaus Dux ſmolenſciorum Lithuaniam infeſtat 231
ſuidrigellonis Ducis mors 329
ſuidrigello ad Cruciferos profugit 237
ſuidrigello à Pruſſia reuocatur 242
ſuidrigello Moſcis contra Vitoldum adeſt 244
ſuidrigello Lithuaniæ principatum arripit 283

Suidrigello fœdus facit cum Crucigeris 286. Eius fuga ibid. Ad Regem legatio de pace ibid.
Suidrigello fugit, & Lithuaniam vexat 290
Suidrigello à Rege fusus & fugatus 292
Suidrigello Lithuaniam denuo infestat & Russiam Regiam 295
Suidrigello cum Liuonicis Cruciferis profligatus 301
Suidrigellonis cum Sigismundo Lithuaniæ duce reconciliatio frustra instituta 303
Suiscius castra oppugnare cogitur 726
Supplicationes in castris habitæ 685
Supplicium de Osciko sumptum 695
Supplicium Taskii 753
Susa & Vla Mosc. munitiones occupatæ 624
Susa dedita 688

T.

TAbellarius Regis & legati Mosci ad regem redeunt 703
Tartari bipartito agmine totam Poloniam peruastant 140
Tartari Polonis bellum inferunt. 128. Poloniam vastant 139. 143. 153.
Tartari Lithuaniam & Russiam populantur 240
Tartari repressi à Moldauo 295
Tartari à Suidrigellone euocati, ditionem ipsius vastant 296
Tartari Podoliam populantur 204.305. 311.349.496
Tartari à Russis cæsi 332
Tartari Podoliam & Russiam vastant 324.327.331.405
Turscius & Gnoinius sacerdotales ob furtum supplicio affecti 347
Tartari legatio 393
Tartari in Valachia ter à Stephano profligati 395
Tartari Lituaniam, Podoliam, Russiam & Moldauiam populantur ibid. 449
Tartari à Polonis victi duce Ioanne Alberto 425.426
Tartari Podoliam denuo & Volyniam vastant. 431. Polonos ad Visnioueciam superant ibid.
Tartari Tauricani victi 440.
Tartari Zauolgenses à Tauricanis profligati 442
Tartari Tauricani Russiam populantur 444
Tartari à Camienecio funduntur 455
Tartari à Lituanis ad Closcum funduntur 450
Tartari Nohaicenses Tauricam vastant 462
Tartari Valachiam inuadunt bidem & 463
Tartari legatio ad Regem de pace 464
Tartari Tauricani Lituaniam vastant ibid.
Tartari Moscouiam ferro flammaque vastant 477
Tartari in Volyniam incursionem facientes ab Ostrogio Duce profligantur 483
Tartari à Moldauis & Polonis victi ibid.
Tartari Lituaniam populantes à Constantino Ostrogio duce profligantur 519
Tartari in Podolia cæsi 521
Tartari iterum ad Oczacouiam à Polonis cæsi 521
Tartari Volymam depopulantur 539
Tartari denuo Podoliam vastant 534
Tartari cum Turcis Vngariã & Transyluaniam vastant. 623. à Transyluano trucidati. ibid. iterata eorum clades ibid.
Tartari legati à Rege auditi 675
Tartari Præcopienſis ad Regem Polonorum legatio 739
Tartari fratres iterato fratri bellum inferunt 647
Tartari Turcarum serui 748
Tartarica legatio 463
Tartaricum bellum 442

Tartaris

Tartaris à Polonis internecione cæsi 479
Tartarorum ad Regem Poloniæ legatio 262
Tartarorum fœdus cum Vitoldo 267
Tartarorum in Podoliam & Russiam excursio 330.420.425.574
Tartarorum ciuile bellum 331
Tartarorum excursio in Russiam 332
Tartarorum legatio 361
Tartarorum tauricanorum legatio & fœdus cum Rege Polonorum 387.447
Tartarorum cum Polonis pugnæ 395
Tartarorum inter ipsos bellum 440
Tartarorum iusiuranoum quale ibid.
Tartarorum tauricanorum in Poloniam excursio 443
Tartarorum Nogaiensium legatio 447
Tartarorum in Lituaniam excursio 448. 459.
Tartarorum in Russiam & Volyniam eruptio 455.502
Tartarorum in Podoliam iterata excursio 474.478
Tartarorum tauricanorum in Valachiam irruptio 472
Tartarorum in Poloniam repetita irruptio 483
Tartari à Polonis concisi 489
Tartarorum in Podoliam iterata irruptio ibid. & 641
Tartarorum variæ excursiones 622
Tartarorum minæ 735
Tartarus frater fratrem oppugnat 530
Tartarus Moscouiam infestat 534
Tartarus Capham obsidet 747
Tartarus cum duobus filiolis cæsus 748
Teinense oppidum captum 653
Telonia in Polonia. 21. Impensæ principis ibid.
Temesuaria à Ferdinando Rege capta. 586. Turcis deditionem facit ibid.
tempestas & inundatio magna 89. 447
templa à Casimiro condita 204
templum D. Francisci Cracouiæ fulmine ictum deflagrauit 414
Tergiuersatio nunciorum 495
terra Culmensis & Cuiauiensis à Suentopelco inf. statur 147
Terræmotus in Polonia 56.152
terrestres magistratus in Polonia 24.
terrestria iudicia 30
territorium Nimcense Bernhardo Suidricensium Duci oppignoratum 186
territorium Naclense tributarium Cruciferis à Polonis vastatur 360
territorium Gedanensium à Cruciferis vexatum 375
teutonici iudicii supremi Cracouiæ institutio 205
Teutonicorum fratrum Ordo in Masouia institutus 133
Theodoro Moscorum Duci induciæ concessæ 753
Thesaurarii Polonici officium 24
Thesaurarii Curiæ 27
Thomæ Strempinii mors 357
tractatio de pace 725
tractum Culmensem Prutenisuæ potestatis faciunt 130
tractus Culmensis Crucigeris iure hospitii concessus 133
tractus Sendomirienſis à Lituanis vastatur, 134. à Russis 176
tractus Plocensis Poloniæ adiunctus 431 432
transactio de Russia Casimiri Regis cum Ludouico Vngariæ Rege 203
transactio & pax cum Crucigeris 261
transacto Polonorum cum Cruciferorum militibus 346
transactio Regis cum Duce Olesnicensium 378
transactio cum militibus de emeritis stipendiis 387
transactio Regis Poloniæ cum Magistro Cruciferorum 422
transactio de Masouia 435
transactio Regis cum Masouiorum Ducibus 444
transactio Regis Poloniæ cum Marchione Alberto Cruciferorum Magistro 507

Transa-

Transactio inter Poloniæ Regem & Magistrum Liuoniæ 598
Transactio noua inter Ducem & Prussiæ Ordines, eiusque capita 617
Transactio Gedanensium cum Rege Daniæ 627
Transactionis cum Gedanensibus conditiones 667
Transalpina Valachia in potestatem Turcæ venit 410
Transalpinæ Valachiæ Palatini legatus de fœdere 533
Transyluani ad Casimirum Regem deficientes non suscepti 406
Transyluani postulata à Rege 600
Transyluaniæ Principis mors 628
Transyluanorum cum Turcis actio 589
Transyluanus Zatmariam strategemate occupat 611
Transyluanus Vegaros ad defectionem solicitat. 618. Suendius contrarium suadet ibid.
Trebnicense monasterium fundatum 128
Tribunalitia iudicia quæ 35
Tributa siue exactiones 38
Tributarii Tartarorum Mosci 423
Tributorum exactores qui 26
Tributum ab Vladislao fratribus imperatum 98
Tributum iugerale decretum 310.342
Tributum inauditum 346
Tributum in octo annos à Prutenis scitum 392
Tributum Petricouiæ in militum stipendia decretum 419
Tributum à minoribus Polonis scitum 447
Tributum ab Episcopo Derpatensi Moscus flagitat 590
Tributum duplex vsque ad pacem scitum 707
Triumuiri in Polonia 220
Troccaium à Suendio oppugnatur ibid.
Tonitru horrendum in Polonia 564
Tormentorum genera varia à Mosco excogitata 631
Torpor Polonorum in se defendendo. 407
ad Costinum & Fraustadium desident ibid.
Torunia pene capta à Cruciferis 374
Toruniæ prima comitia 663. & 664
Torunii conuentus transigendæ causæ Prussicæ ergo 373.494
Tastii captiuitas & supplicium 753
Tastius Rigensis Secretarius in curia custoditur 750. torquetur 754
Tastius & Vellingus supplicio affecti ibid.
Tata capta 619
Tatam deditam Turca demolitur 561
Tauricani Tartari Lituaniam populantur. 464. item Valachiam ibid.
Tauricanorum princeps vna cum fratribus captus 412
Tauricanorum Tartarorum legatio 447
Tauricanorum principis in Tartaros Zauolgenses expeditio 500
Tauricæ Chersonesi pars ab Osinano Bassa occupata 746
Tumultus ob religionis mutationem Gedani 504
Tumultus inter Tartaros 509
Tumultus militum ob non soluta stipendia 613
Tungenii Episcopi conatus 408
Tungenii res aduersæ in Prussia 420
Tungenius in gratiam à Rege recipitur 421
Turbæ in Vngaria 536
Turca Bosnam inuasit 406
Turca in Thraciam rediit 499
Turca Vngaris bellum infert 512
Turca in Vngariam iterum mouet 530
Turca ad suos redit 531
Turca Valachiam suam facit 544
Turca Petrum à Rege Vngariæ Ioanne repetit 546
Turca Zerinium ad defectionem pellicit 620
Turcarum imperator ad Regem Polonorum de pace mittit 438
Turcarum cum Tartaris in Podoliam inuasio 501
Turcarum Tyrannus Budam ingressus 518
Turcarum prædatio 541
Turcarum cædes à paucis Polonis 636
Turcarum cum Polonis conflictus 637
Turcæ pacem postulant à Rege 315
Turcæ Vngariam & Slauoniam populantur. 396. Styriam & Carinthiam vastant 405
Turcæ à Moldauiæ Palatino cæsi 410
Turcæ Podoliam vexant 414
turcæ & Tartari Moldauiam infestant ibid.
turcæ responsum legato Regis datum ibid.
turcæ Carinthiam, Carniolam & Styriam denuo vastant 415
turcæ ab Vngaris victi 424
turcæ Russiam populantur. 427. hybernatempestate deleti ibid.
turcæ à Moldauis cæsi 437
turcæ ab Vngaris victi 443
turcæ à Moldauis & Polonis fusi 502
turcæ expeditio in Vngariam. 523. qui Budæ potitur. ibid. inde Viennam petit, eamque obsidet ibid. & 524
turcæ legatus ad Poloniæ Regem 533
turcæ in Moldauiam aduentus 545
turcæ Isabellæ Reginæ opem ferunt 552
turcæ castra inuadunt 554
turcæ re infecta domum redeunt 552
turcæ legatus ad Cæsarem 614
turcæ à Valachis cæduntur 653
turcæ iterum à velitibus cæsi 654
turcæ Iuoniæ castra circundant. 658. eunque ad se dedendum sollicitant ibid.
turcica legatio ad Vladislaum Regem 307
turcicæ legationi à Rege Vladislao responsum datum ibid.
turcici præfecti in Vngaria appulerunt 553
Turoulia arx capitur 686
Tyrannus Turcarum Budam ingressus 518

V.

Vacatio Episcopæ Premislien sis per triennium 410
Vacatio Archiepiscopæ 417
Vaccia occupata 551. & 552
Valcia à maioribus Polonis obsessa 356
Valcia arx à Cruciferis interuersa ibid.
Valcia incensa 357
Valetudo aduersa Alexandri Regis 449
Vanda se in Vistulam præcipitat 43
Valachi & Russi in auxilium Cæsari contra Turcas missi 275
Valachi à Polonis fusi 449. 461
Valachi in Polonos irruunt 460
Valachi Palatini legatio ad Regem 462
Valachia Transalpina in potestatem Turcæ venit 410
Valachia à Polonis vastatur 460
Valachiæ Transalpinæ Palatini legatus de fœdere 533
Valachia etiam Moldauia dicitur. 633. eius diuisio & duplex dominatus ibid.
Valachiæ descriptio & situs ibid.
Valachiæ Palatinus capite plexus 733
Valachiam Tartari inuadunt. 462. quibus occurrit Valachus ibid.
Valachiæ Palatini Regi Vladislao iurant 242
Valachorum auxilia ad bellum Prussicum Regi missa. 272. Eorum victoria de Cruciferis ibid.
Valachicum bellum 432
Valachorum cladis 461
Valachorum mores. 633. eorum origo & religio ibid.
Valachorum aduersus Principem suum odium. ibid. & Iuoniæ eius in locum euocatio. 634. Iuoniæ in Valachiam ingressus. ibidem, eiusque immanitas ibid.
Valachus Palatinus Regi Poloniæ iurat 265

Valachus Russiam vastat 459
Varmia & Quidzinum à Polonis capta 357
Varmia ab obsidione Crucifororum liberata 364
Varmiam Cruciferi vastant 380
Varmiensis Ecclesiæ pacta cum Rege Poloniæ 421
Varsauiæ comitia 597.611.612.628. 661.668.705.733.751
Varsauiæ comitia indicta.640. sed ob pestem non habita ibid.
Varta fluuius vbi originem habeat 8
Vartæ comitia habita 274.284
Vbertas Poloniæ 7
Vectigalia principis 20
Vectigalis Poloniæ facta Russia 67
Venceslai Bohemiæ Regis arbitrium iniquum 246
Venceslaus Bohemus Poloniæ expeditus 175
Venceslaus Rex moritur Pragæ 177
Velislum Cancellarius obsidet & capit 696
Velitares pugnæ frequentes 553
Venceslai iunioris in Poloniam expeditio 177
Venda à Mosco oppugnatur 670
Veneno patruus suos Popielus tollit 47
Veneti pacem à Turcis redimunt 421
Venetorum ad Poloniæ Regem legatio 262.407.443
verecundia Casimiri 401 egestas ibid.
Vesprimum à Comite Salmensi captum 69
Vestitus Polonorum 12
Vicecapitanei seu Burgrauii officium 25
vicinitas Cruciferorum suspecta 173
victoria Polonorum de Cruciferis. 148. 366.463.ad Pusicum 365
victoria Lesci Nigri insignis de Lituanis 163
victoria Boleslai de Russis 67
victoria Pudici contra defectores 159
victoria Polonorum cruenta 327
victoria Polonorum in insula maiori 348
victoria Polonorum ad Osiecum 380
victoria ex Moldauia reportata 527
victoria Polonorum ad Vendam 673
victoria alia Boleslai 145
Victus ratio Polonorum 12
Vielicolucum Rex oppugnare constitit 694.696
Vienna & Austria à Maximiliano recuperata 426
Viennæ obsidio soluitur 525
vigilantia Ioannis Tarnouii pro Podolia 535
Vilhelmi Brandeburgici Archiepiscopi Rigensis vltimi mors 609
Vilhelmus Rogendorffius in Vngariam missus 552
vilitas annonæ in Polonia 415
Vilnæ Lituanorum conuentus habitus 232.338 403
Vincentius Stamotulius ad Cruciferos transfugit 191
violentia Vngarorum 12
vires Prutenorum à Cruciferis & Germanis fractæ 139
vires Iuoniæ 658
virtus Elbingensium 494
virtus Marci Goruati 597
vis locustarium ingens in Poloniæ 198
vis frigoris summa in Masouia 726
Vislicia & Gnesnæ conuentus 219.223. 405
Vissegradum oppugnatum & expugnatum 550.& 551
Vita Casimiri Regis impudica 211
Vitoldi expeditio contra Tartaros 239
Vitoldi expeditio in Moscos 244
Vitoldi cum Crucigeris fœdus 279
Vitoldi versutum consilium.287. Zbigneū Episcopum prensat 282
Vitoldi in Proscouienses Russos expeditio 275
Viscensis Castellanus capite truncatus 737
Vitoldo Podolia concessa 261
Vitoldi ad Regis legationem responsum 282
Vitoldus ad Vilnam exercitum ducit. 236.Regi reconciliatur 237
Vitoldus in Masouiam fugit, & inde ad Cruciferos. 233.in Lithuaniam redit ibid.
Vitoldus ad Cruciferos transit 234
Vitoldus Nouogradensibus Russis bellum infert 277
Vitoldus à Tartaris fusus cæsis Ducibus Regis fratribus 240
Vitoldus oratores ad Regem & proceres Polonos mittit 278
Vitulus biceps natus 437
Vittensteinum à Bernhardo Schmerten desertum 600. arx Reualiensium itidem ibid.
Vittensteinum expugnatum 607
Vla & Susa Mosc. munitiones à Sanguischone occupatæ 624
Vladislai expeditio contra exules 75
Vladislai cum Christina nuptiæ 90
Vladislai ambitio. 97. Oratio in senatu habita ibid.
Vladislai Regis ad milites insignis oratio 193
Vladislaus Locticus Rex moritur 197
Vladislai Ducis Cuiauiæ acta 215
Vladislai Regis cum Lituanis expeditio in Marchiam Brandeburgensem 189
Vladislai Regis ante conflictum cum Cruciferis oratio ad Deum 248
Vladislai Regis ad Sigismundum Vngariæ Regem legatio 247
Vladislai iunior tertius eius nomine coronatur 299
Vladislai expedirio in Lithuaniam 236
Vladislaus Rex cum Bohemiæ Rege Vratislauiæ congreditur 243
Vladislaus moritur 78
Vladislai Regis de suscipiendo Bohemiæ regno consultatio 269
Vladislai Regis filium Poloni sibi Regem designant 280
Vladislaus Opolienſis Regi reconciliatus 238
Vaidislai Rege cengressus cum Sigismundo Imperatore 296
Vladislai Regis & Vitoldi mandata ad Cæsarem 268
Vladislai Regis contra Turcas expeditio 316
Vladislai Regis interitus 318
Vladislaus Rex constitutis Poloniæ gubernatoribus in Vngariam proficiscitur 308
Vladislai Regis cum Vngaris pacta 307
Vladislai Regis in Hungaria diuersa fortuna 311
Vladislai Damoborii Castellani Naclensis improbitis & cædes 388
Vladislai Regis pietas 428
Vladislai Regis Vngariæ & Bohemiæ mors 476
Vladislaus Rex moritur 106
Vladislaus Casimiri filius nascitur 60. 347
Vladislaus exul infestat Poloniam 140 114
Vladislaus Boleslai filius 79
Vladislaus secundus Princeps Poloniæ quomodo factus 96
Vladislaus Dux victus. 217. eius exitus ib.
Vladislaus Locticus cum vxore coronatur 185
Vladislaus bellum in Prussiam mouet 189
Vladislaus Rex cum exercitu Prussiam ingreditur 190
Vladislaus Sputator moritur 138
Vladislaus Sputator Calissiam intercipit 31
Vladislaus Lascouogus princeps renunciatur 12
Vladislaus Lascouogus moritur 135
Vladislaus Locticus Rex creatur 174
Silesiis bellum infert ibid.
Vladislaus Locticus cum Cruciferis expostulat 179
Vladislaus à fratre Boleslao in carcerem coniectus 186
Vladislaus fit monachus. 216. accersitur ad regnum. ibid. Res nouas molitur in Polonia ibid.
Vladislaus Rex curam gerit Vngariæ Sigismundo absente 267

Vladislaus Rex alienus à Friderico Marchione 274
Vladislaus ab Vngaris Rex proclamatur & coronatur 299
Vladislaus fratres violat cum Russis 100
Vladislaus Dux Massouiæ moritur 345
Vladislaus Casimiri filius Rex Bohemorum designatus 394.398
Vladislaus in Bohemiã proficiscitur. 399. in leges Bohemorum iurat ibid.
Vladislaus Rex Bohemiæ cum exercitu instructo aduenit 409
Vladislaus Vngariæ & Bohemiæ Rex Vratislauiam venit 461
Vngari Scepusium vastant 375
Vngari à Matthia Rege alienati 399
Vngari exercitus retrocedit 409
Vngari legati ad Casimirum Regem. ibid.
Vngari fœdus cum Cruciferis 415
vngari hostilis animus in Polonos ibid.
vngariæ Regis legatio ad Regem Sigismundum 462
vngariæ Regis conatus pro reconciliando Glinscio irritus 467
vngariæ Palatini ad exercitum oratio 516
vngaricum bellum 63
vngarorum violentiæ & rapacitas. 218. Eorum cædes Cracouiæ ibid.
vngarorum cum Polonis fœdus sempiternum 225.242
vngarorum aduersus Ziemouitum expeditio 226
Vngarorum & Polonorum conuentus Kesmarci 273.302.306
vngarorum diuersa studia 308
vngarorum Oratores ad Vladislaum Regem de regno suscipiendo 307
vngarorum factiones & fides lubrica 310
vngaricorum procerum legatio secreta ad Regem 418
vngarorum dissidium in creando Rege 427
vngarorum & Bohemorum contentio de Silesiorum iureiurando 461
vngarorum stoliditas & insolentia 498
vngarorum arrogantia & contemptus hostis 503
vngarorum cum hostibus conflictus 517
vngarorum fuga & clades ibid.
vngarorum legatio ad Turcam cum donis 549
vngarorum conuentus Posonii, & Austriacorum Viennæ 616
vngarus exercitum in Polonos emittit 409
Vnio Prussorum cum Polonis 338
Volponium à Turcis obsessum. 559. eius deditio ibid.
Vormita proditione à Cruciferis capta 490
Vratislaus Boemiæ princeps Polonis bellum mouet 61
Vratislauiorum legatio ad Regem Polon. 352
Vrbana plebs 28
Vrbanorum & agrestium discrimen 16
Vrbes & oppida 11
Vsuiata arx dedita 698
Vsus lactis equini apud Tartaros 423

W.

Wellingus supplicio affectus 754

Z.

ZAduarum à Suendio captum 623
Zamoiscius militem conscribere à Rege iubetur 709
Zamoiscius Zauolociam oppugnat 704
Zamoiscius magna inuidia flagitat 722
Zantiræ præsidium expugnatum 384
Zathorienses Ducatus Regibus Poloniæ cessit 466
Zauissæ Episcopi Cracouiensis mors pudenda 221
Zauolgenses Tartari à Tauricanis profligati 442
Zauolocia a Zamoiscio oppugnatur. 704 Rex oppugnationem desperans à Cancellario confirmatur. 705. obsessi deditionem faciunt ibid.
Zauolociam Rex obsidere cogitat 701
Zerinius ad defectionem à Turca solicitatur. 620. ad extrema paratus ibidem. eiusdem conflictus ac interitus 621
Ziemouitus primus princeps Poloniæ & eius virtutes. 49. mors eius 50
Zbignei ad Vitoldum responsum 289
Zbignei ad Regem Responsum ibid.
Zbignei Episcopi ad Regem oratio 296
Ziemonmislus Dux Poloniæ moritur 50
Ziemouitus diris deuouetur quod non coerceret bonorum Ecclesiasticorum inuasores 214
Ziemouitus Cuiauiam suæ potestatis facit 216. Comitia Siradiæ indicit. ibid. Rex Pol. renunciatur ibid.
Ziemouitus Masouius moritur 276
Ziemouitus & Vladislaus Masouiæ duces veneno sublati. 362. de successione eorum controuersia ibid.
Zigethani clade à Turcis affecti 614. & 615
Zigethi iterata obsidio 596
Zigetho relicto Baboczia à Turcis obsessa 595. Zerinii fortitudo ibid.
Zigethum à Turcis obsessum ibid. à Turcis tentatum 619 & 620
Zindramus Moscus, dux belli eligitur 26
Zolnocum à Turcis oppugnatum 586

LECTORI CORDATO S. AVCTOR.

ANte aliquot annos illustri iuuentuti Polonicæ præfectus cogitabam de aliquo historię Polonicę compendio proponendo, cuius ductu in amplum historiæ Polonorum campum commodius deducerentur. Verum cum publice nullum eiusmodi, quale à me desiderabatur, exstaret: non absre duxi talem aliquam epitomen ex historia Polonica, præsertim vero ex Martino Cromero Historiographo Polonorum accurato, ac similis notæ excerpendam, quod eo lubentius feci, quo impensius studio historico alias cum multis, vt spero, delecter. Vt autem opus esset absolutius, pertexui rerum gestarum telam cœptam, & ad Regem Sigismundum primum laudatissimæ memoriæ à Cromero perductam, vsque ad Sigismundi III. Regis hodie feliciter rerum potientis Imperium. Qua in re, ne quid temere ac sine autore finxisse videar, à quo vicio tum omnes, tum inprimis vero Historicum decet esse alienum; sicut in prioribus Cromerum secutus sum, ita & in posterioribus, à me continuatis, Decium, Vapouium, Bielscium, Orichouium, Heidensteinium, & aliorum interiectis etiam passim Vngaricis, quæ eadem in tempora inciderunt; cum propter regnorum vicinitatem, tum propter Regum affinitatem ac cognationem, vestigia lectatus sum. Licet autem diu in biuio fuerim, esset ne opus hoc publici iuris faciendum, an differendum; tandem accedente hortatu atque autoritate illustrium patronorum, nobilissimorumque virorum bene cupientium, quorum iudicio standum mihi iure censeo, laborem qualemcunque in publicum prodire passus sum, quem non dubito bonis omnibus fore gratum & ratum: cum, si nil aliud præstitisse visus fuero, certò magno labore atque molestia lectorem leuauero, cum in vnum historiæ quasi corpus congesta ob oculos hic ponam, quæ membratim & passim hinc inde scriptis consignata exstant. De labore iudicabunt ii, qui simile quid aut tentarunt iam, aut forte tentaturi olim sunt: quibus omnibus & Genium & Perficam felicem opto. Eundem beneuolentiæ affectum & tu mihi æque lector. Suggillatores autem, quibus in more positum aliena dente Theonino arrodere, non vnius assis æstimo, meminerint illi ῥᾴδιον μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι. Cæterum, quemadmodum nihil ortum simul etiam perfectum in iis, quæ

natura gignit, est: idem etiam in hisce arte typographica productis accidit, sæpe præter & contra auctorum aut redemtorum librariorum voluntatẽ. Ecquis enim ita oculatus sit quasi alter Argus, vt omnia euitare aut effugere vicia typographica possit? Ne quid tamen lector beneuolus desideret, quanquam aliter factum optandum fuisset: elenchum fortassis satis copiosum, æquo tamen lectori fructuosum, subiicere visum: in quo tum commissa, tum omissa, (pleraque tamen amanuensis incuria atq; imperitia,) omnia habentur.

SPHALMATA
TYPOGRAPHICA QVOMODO TOLLENDA.

Aduertat beneuolus Lector, P. quod numerum paginæ, & v. quod num vers. denotat, l. autem, quod est leg. quia sæpissime occurrebant, semel atque iterum tantum posita, postea autem omissa esse.

Pag 6. vers. 38. lege Sciricius v. 18. l. in p 7. v. 14. l. autẽ p. 8. v 28. l. Cuiauia. p. 9. v. 29. l. Varmiensis. p. 11. v. 33. barbararum p. 17 v. 6. l. Chlops Ibid. v. 46. l. septuagesima quinta p. 18 v. 35. vel l. etiam p. 19 v. 13. l temperarẽ ea 21. 17. aliunde. Ibid. 33 sane. Ibid. 40. lubricus adde autem 22 16. Pomerania adde qua communiter Pomerella. Ib 46 Succamerarii. 28. 46 rectorum Ib. 47. vicis adde communiter 31. 33. sinuii 32. 23 quærenti 34. 7. vele & 20 demum 38. viget ad. ad Varsauiensem vel Plocensem vel Culmensem olim 36. 41 exercet adde ad 37. 5. tentoriis 38. 32. alterutro adde Duce 39. 21 mandauerint 41 19. tam Ib. 32. præco 33. tota ad. regio 35. Vt mari ad. affinitas videtur 45. 46. Vradislaum l. Vracislaum 46. 8. Ziemiano ib. 11. Sgorolecia 53. 3. liberalitate 58. 48. alii 61 40. Debrognona 63. 30. Visseslai 65. 39. Vladislaus l. Ladislaus 67. 23. planicie ad subiecta vrbi ib. 24. cũ expunge Ib. 27. intectam 74 22. Vracislauiensem. Ib 26 patria ad. aspectu 33. detrusus 75. 43. & l. qua 76 46 nõ ad. tam. 79. 9. Zelislaus 80. 38 Bialogrodenses siue Belgradenses 81. 8. Cosilinien. 82. 31. obseruabant ad. sentiebat 89. 45. superiorii ad. anni coorta 90 21 solum ad. cum 91. 18. tandem 92. 13. sepellectilẽ ad. eius 96. 38. Posnaniẽsis 97. 33. pates ad. se 104. 8. Gertrudis 106. 16. Lasconogo 108. 19. Belzensium 120. 24 ferire 121. 37. iniusse Ib. l. præpetri 123. 27. propagauerunt 128. pomerania ad. citeriori 131. 15. flagitabat 33. posthac 134. 6. Grimulaua 142. 28. Popo 145. 33 Poponi 146. 7. sacrilegum Ib 40. fuit ad. in 151. 2. Novum 152. 44. Nercitum ad. consequitur 153 27 occuparat 155 42. nec mora 168. 39. primum 171. 28 Boleslaus 172 2. eum Ib 24. Vithenes Ib. 30 Bsura Ibid. 41. Troideni 180. 11. ditionibus 186. 18 tantum 187 20 difficillimo 188. 26. Regi Ib. 48. Nobilitate 191. 12. conuenerat 193 19. commissuros Ib. 20 solitu 196 astatem 201 12. ipsi l. ipse Ib. haberent l. haberet Ib 24. hac l. hæc Ib. 38 etiam 203. 21. Baricska 205 35. est, ad à quo extrema causse cognitio binis sex Ciuitatum Consulibus delegatur Ib. 13. interposito 209. 23. Bythomiensia 215 27. acad ei 218. 28. collum 36. Cmitha 39. Ducis ad. Georgis 227. 10. Vngarica Ib. 22. habituros 232. 13. præfiatt 234. 41 prol. per 235. 4. impetrorũt Ib. 5. celeriter 244. 38. obtinebat 247. 18. Transiluania 252. 13 Kirkricius 253. 30. duces ad. Venceslaus item Burggrabius Dhoranus Bohemus & Christophorus Gersdorffius Silesius 255. 29 alia 256. 13. dedenda Ib. 48. Puchala 218. 13. Seuerus 264 21 Alexander ad. Ducis Ib. 25. Cæsaream Ib. 1 gre 272. 4. Vambrenum Ib. 36. idem ad. tempus 276. 38 prouocasset 278. 9 fere 286. 23. Rumboldus 287. 6. dum Ib. 12. decurrissent Ib 14. exercitu ad Lusci 293. 19. Dersouiam Ib 43 libere 297. 11 ipso ad. regni 299. 23. plures 301. 25. Bezensem Ib. 26 prouisoribus Ib 36 Suidrigellonis Ib. 44 Fru sta 302. 6. eum dele 305. 37 Roscam 307. 43. Rosciorũ 309 3. Frisiacia Ib. 20. ducite 310. 36. Seuerinensi 311. 22. Posnieñsis 313 1. suscipiendo Ib. 32. excæcatus l excæcatu 317. 6 obiectu 320. 45 Boleslaum 322. 25. quecunque 323. 42. Miedrziborzo Ib. 43. Castellis Ib. 48. Olesco 324. 27. Sigismundi Ib. 33. deinceps 325. 21. & dele Ib. 26. dissuasit 326 4. Predborium expunge colon. Ib. 46 signius 327 3. fugam Ib. 28 Louanienses l. Posnanienses 32. eos 40 sta l. is Ib. Parczouiam 41 indictus 328. 2. Rex in Russiam concedit dele 10. implorans ib. l. cum 37. concursu 330 30. & dele 333. 6. grauiter, dele com. 334. 38. obuiam dele com. 335. 8. sacerdotibus 336 2. dedidcrant Ib. 7 fere 337. 17. Pomeranorum 338. 20. Prutenorum Ib 27. potius Ib. 45. Pomerania 339. 40 luridi 340. 9. è dele Ib. 12 Stochouiensis 43 commisit ad. cum 341. 40 concursari 15. Colensis 34. interiere 35. Messouam 44. adeo 47. animi 343. 2. absimentia 36. peigrauis 344. 42 cataphractis 345. 29. quam ad. ioannes 348 4. Suecza 349 28. Podolia 34. nec vbi 43. Czizauro 350 10 iscra 351 33. auxiliaria 38 prederent. 353. 11. comitia dele punct. ib. 13. leuiora 21. alu 355 4. secutos Ib. 24 Gorscium 356. 13. Vedelii ib. 14. Pianiensium 28 haberent 357. 46. nuncuparat 358 5. deuoluebantur 30. Matthias dele com 359. 3. Olelcouicium ib. 47. præfectu 360. 40 Bielanum 361 5. Crociferi 6. Brodnicia 48 lege qui 362. 47 trahebant 363. 7 vindicabat ib 9. conuentus 15. indeque 42. negocium ibidem ve l. ne 364. 4. discesserunt ibidem 43. auitcis 46. viui 366. 6. tantum 24. serium 367 3. Duces ibidem 30 marcam 34. sexagesima 43. cessi 369 21. pacificatoris ibidem 45 vnu 370 7. mercenariorum ibidem 31 capti 372 10. conuentu 29. tuæmibus 373. 17. Chronicis, dele com. ibidem 37 Vladislauiensi 376. 14 susciperet 377 14. excepcrit 378. 22. quoque

Ex Catalogo Librorum
Alopeij Sweertsen hi